


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
S
18 — M
27

APPENDIX
AD
FASCICULUM
RERUM
Expetendarum & Fugiendarum,

Ab ORTHUINO GRATIO editum COLONIÆ A. D. MDXXXV.

SIVE

TOMUS SECUNDUS

Scriptorum veterum (Quorum pars magna nunc primum è MSS. Codicibus in lucem prodit) qui Ecclesiæ Rom. Errores & Abusus detegunt & damnant, necessitatemque REFORMATIONIS urgent.

Quorum omnium ratio in Præfatione ad Lectorem, FASCICULO præfixâ, redditur.

Operâ & Studio EDWARDI BROWN, Parochi *Sundrigiæ* in agro *Cantiano*.

S. Johan. 6. 12. *Congregate quæ superfuerunt fragmenta, nequid pereat.*

LONDINI,
Impensis RICHARDI CHISWELL ad insigne *Rosæ Coronatæ* in Cœmeterio S. *Pauli*, MDCXC.

Elenchus Tractatuum qui in Appendice (sive Tomo secundo) continentur.

Elenchus Tractatuum qui in Appendice continentur.

In Appendice *hæc notentur & emendentur.*

pag	lin	Errata.	Correcta.
1	3	*ad Comitem*	In MS. Trin. Col. *Cantabrig.* Fulconem Andegavensem
	18	*suscitasti, quando factus est*	In eodem MS. sic est, suscitasti, factus in expugnatione.
7	25	*ligaturos*	litigaturos
15	12	*ML annos*	CCLXXXV. annos
122	51		De papâ & Cardinalibus funibus & catenis colligatis, vide Auctorem incertum à Lindenbrogio editum, in inChronic.Slavic.c.15.
123		*in titul. pag. papatus*	primatûs
138		*post 1384 in margine, adde,*	Cujus vita describitur à Thomâ à Kempis, f. 152. operum ejus editorum Paris.1520.
168		*post notam J. H. (i. e. Josephi Hall) sic supple hiatum (quod me postea monuit* Joh. Laughton *bibliothecar.* Cantab.)	verbum virginitatis angelicam vitam asseminantis; in quorum verò cordibus seminat verbum virginitatis, ipsi virginitatem servare desiderant.
274	1	*corroboraria*	ceroferaria
398	21	*Guil. Watts*	Clariss. *Seldenus*
436	24	*Innocentius*	Johannes
496	4	*Petagoric.*	Petrocoric.
625	43	*post* factam, *adde,*	accesserint
629	12	*primus Dominicus*	primo Dominico
641	29	*Conciliis*	Consiliis.

HIL-

HILDEBERTI

Cenomanensis Episcopi, deinde Archiepiscopi Turonensis, Epistola ad Comitem quendam illustrem contra Peregrinationis Vanitatem.

Ex Tom. 3. Biblioth. Patr. Par. 1610.

Epist. 59. AD Memoriam Beati * Jacobi (strenuissime Comes, & prædicandâ virtute sublimis) iter, ut fertur, assumpsisti: quod nos bonum quidem non negamus, sed quisquis administrationem suscipit, alligatur obedientiæ, quam (nisi ad majora vocetur, & utiliora) si relinquit, delinquit. Unde te, fili charissime, culpa inexcusabilis spectat, qui necessariis non necessaria, dispensationi otium, debita indebitis præponis. Inter talenta quæ servis suis paterfamilias distribuit, circuire vagum orbem terrarum, nullus Doctor, nulla omnino Scriptura commemorat: Hieronymi testimonio, Sanctus Hilarion, cum esset proximus civitati Hierusalem, semel eam vidit, ne loca sanctorum contempsisse videretur.

* S. Compostel.

Porrò, præter solitum, mentis tuæ oculus caligavit, si non vides plenam periculosis casibus assumptam tibi peregrinationem; per munitiones ducis Aquitanorum transiturus es, cujus tibi invidiam suscitasti, quando factus * est in expugnatione Thoari superior; fere apud omnes diuturnior est injuriarum memoria quàm beneficiorum. Præterea nescis si renata sint in filio, paternæ vota perfidiæ: quippe plures hodie generantur iniquitatum hæredes quam virtutis. Tuis itaque timorem relinquis & tremorem, si te juveni, & offenso committis: in quo necesse est verearis ex patre perfidiam, levitatem ex annis, ex injuria ultionem. Audivimus autem venerabili Anglorum Regi, tuoque avunculo, id quod te facturum signas, displicere altius, id ferre graviter, id constanter improbare. Sanè eorum aspernari consilium, vicina dementiæ pertinacia est. Hi nimirum tuis providere commodis, & affectu volunt, & successu possunt. Fortassis autem dices, Votum vovi Domino; transgressionis arguar, si irritum facio votum. Agnosce (ô princeps, quia tu quidem te alligasti voto; sed Deus, officio: tu, viæ; sed Deus, obedientiæ: viæ, qua sanctorum memorias videres; obedientiæ qua sanctorum memoriis provideres. Appende ergo si tantus fructus sit itineris, ut superare possit intermissæ dispendium obedientiæ. Quod si ita est, scutum depone pro pera, baculum sume pro gladio; festina egredi, & facundis adhærere comitibus qui juxta Solomonem tibi pro vehiculo in via sint: si autem bonum administrationis longe majus est, & elegantius (quod inficiari nemo prorsus audebit) sede in palatio. Responde suffragiis afflictorum, & ut omnes tibi vivant, omnibus vive: Reip. vive, noctes illi præstans & dies. Judicium curiæ tuæ dictet æquitas, non acceptio personarum: teipsum legibus, amore subjectos rege. Esto tuorum censor, cum ignoveris excessibus alienis. Insontes minimè patiaris impunè lædi, tu impunè læsus: Iniquitatis ultionem, inter splendidiores triumphos enumeres: sanguinem nec sine causa, nec libenter effundas. Dole quoties illum etiam effuderis quem lex judicat effundendum: in omnibus reverenter exerce potestatem. Da gloriam Deo cum feceris aliquid gloriosum: super omnia pauperibus adesse memineris, & Ecclesiis quibus plerumque principes boni proprio sanguine quietem emerunt & pacem: ex tuis etiam ministris, necesse est Divinam metuas indignationem, qui circa eosdem pauperes, & sanctuarium Dei, quicquid impiè volunt, impunè agunt. Hujusmodi bonos principes, sed pravos habentes ministros, Scriptura nunc Scyllam nunc Harpyas appellat: Etenim Scylla, facie humana sed caninis capitibus accincta describitur. Harpyæ vultum habent virgineum, ungues autem rapaces. His quidem boni principes comparantur; ipsi crudelitatem abhorrentes, de injuriis proximorum conquerentes, hominem mansuetudine & misericordia exprimentes; cæterùm ministri eorum odoratu prædæ, canibus; rapacitate, similes sunt unguibus Harpyarum. Tu itaque pro voto, rapacitatem atque exactiones tuorum compesce, quas pauperum clamor & orphanorum gemitus & lachrymæ comitantur viduarum: His (si nescis)

* Fortè debet esse *is*.

Esdr. 8.

nescis) thesaurizatur tibi ira in die iræ & revelationis Judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua: Qui enim malum, cum possit, non corrigit, quia malefactori consors est in culpa, consors erit & in pœna: sicut igitur præsenti pagina commoneris, utere tuorum consilio amicorum, utere meo, domi sedens, pauperum subsidiis insistens, loca Sanctorum non desiderans intueri, sed tueri satagens non circumferri per memorias lapidum, sed circumferri memoriâ virtutum. Vale.

EJUSDEM HILDEBERTI
Epistola alia Comitissæ quæ Terram Sanctam invisere cupiebat.

Epist. 63. ad Adelam.

HIldebertus Cenomanorum Episcopus, A. Ancillæ & filiæ Christi, suæ quondam dilectæ, nunc autem dilectissimæ, bonum exitum de bono principio promereri: Egredienti tibi de medio nationis pravæ atque perversæ, congratulatur & applaudit tibi spiritus meus laudans Dominum & glorificans, cujus miserationis est quòd Ægyptiacam aversata servitutem, ad terram promissionis iter assumpsisti. Confido autem in Domino meo Jesu Christo, quòd ipse prosperum faciet desiderium tuum; Quòd perficiet gressus tuos in semitis suis ut non moveantur vestigia tua. (Psal. 16.) Et quidem ego credidi alia viâ filiam Abrahæ de Ægypto egressuram, sed filia Abrahæ compendiosiorem viam elegit. Credidi enim te desiderio desiderare sepulchrum Salvatoris invisere, & nostræ redemptionis officinas obsequio venerari Christiano. Sciebam quòd in eo rectè offerres, sed ne rectè etiam divideres dubitabam. Tu autem, & rectè obtulisti, quia pro Christo omnia reliquisti: rectè autem divisisti, quia Christum sepultum, quàm Christi sepulchrum sequi maluisti. Porrò salutaris hæc & plena consilii divisio: ut enim efficiamur discipuli Christi, bajulare monemur ejus crucem, non quærere sepulturam. Quam scilicet crucem ut tu & portare possis, & sequi Christum, patientiam amplectere, amplectere humilitatem; quæ inter cæteras virtutes inveniuntur humanæ redemptionis obtinuisse principatum; si diligenter attendis, tota Christi vita nihil aliud in terris, quàm exemplum earum, & doctrina fuit. In eis igitur dum per serpentes deserti hujus, & innumeros hostes ad promissam tendis Jerusalem, mentis oculos habe ut illud Solomonis in te compleatur, Oculi sapientis in capite ejus, stultus autem in tenebris ambulat. (Eccl. 2.)

EJUSDEM HILDEBERTI
Epistola ad Honorium Papam contra Appellationes.

Epist. 82.

HOnorio, Dei gratiâ, excellentiss. ac reverendiss. Patri suo, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici; Hildebertus humilis Turonum minister, debitæ integritatem obedientiæ. Philosophus ait, Colere officiis, non exasperare verbis oportet potestatem. Ideo cumulatis precibus exoro, ne Vos, reverende Pater, scriptum præsens exasperet; aut velitis de necessitate præsumptionem figurare. Etenim necessitate scripsi; eodem quo sum læsus jaculo, lædi metuens Ecclesiæ sospitatem. Bonam spem in sinu meo gero, quia scribens pro justitia, gratiam Patris non avertam.

☞ Quaslibet igitur appellationes in Romana suscipi & vigere Ecclesiâ cis Alpes auditum non est, nec ex sacris traditum institutis: quòd si fortè hujusmodi emersit novitas, ut placeat omnem indifferenter admittere appellationem, pontificalis censura peribit, & omnino conteretur Ecclesiasticæ robur disciplinæ. Quis enim raptor, ad solam anathematis comminationem, non statim appellabit? Quis Clericus aut Presbyter frustratoriæ appellationis refugio non putrebit, aut etiam sepelietur in stercore suo? Quis Episcopus habebit in promptu, non omnem dico, sed aliquam ulcisci inobedientiam? ejus virgam quævis appellatio quassabit, solvet constantiam, severitatem emolliet, adducens & illi silentium & reis impunitatem delictorum: sic fiet ut sacrilegia ac rapinæ, fornicationes ac adulteria, pernicioso inundent incremento, cum præsul ad superfluas appellationes clauserit ora, & desierit persequi piorum persecutores locorum; cum viduarum injurias desierit ulcisci, & orphanorum. Dilatione nimirum censuræ facinora fovebuntur

&

& venient in profundum iniquitatis impunè delinquentes, super quos evangelicum illud implebitur præceptum: Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Quis vel cæcum, vel claudum intrare compellet, si cæcus cum compelletur appellet? Denique pro delicto Heli, nullus Pontificum punietur, quoniam appellationis excusatione, suam quisque defenderet offensam. Exempla quædam censuræ semper vivent, æmulatores autem ejus, quælibet appellatio sepeliet & vivos. Sane parva est materia, & exilis scientia, quæ si (juxta Job) inter aquilas in præruptis lusitantes cum pullis, earum sanguinem lambit; satis est: non erubesco meam & attendere, & profiteri mensuram. Inter cæteros tamen sacerdotes, ad me pervenit quas appellationes Cisalpina susceperit Ecclesia, quas & sine offensione Sedis Apostolicæ renuit & abjecit. Accepi enim, & universitas Ecclesiæ prædicat, quòd gravatis judicio, subventus appellationis debeatur. Accepi quòd suspectos habens judices, aut infestos, aut formidat vim temerariæ multitudinis, eodem remedio possit & debeat relevari. Unde etiam in Decretis Cornelii Papæ, taliter Ecclesiæ traditum est: Si quis Judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quod nulli oportet negari. Item in eodem: Nullus sacerdotum causam suam alieno committat judicio, nisi ad Sedem Apostolicam fuerit appellatum; sed unusquisque comprovinciales Judices & notos habeat, nisi aliquam vim temerariæ multitudinis illic timuerit, aut infestos, vel suspectos Judices ibi habuerit, pro quibus causis ad majoris authoritatis Judices, & ad alias provincias appellare & venire concessum est. Audivi etiam alias quoque Appellationes esse, sed moratorias nec aliquando recipiendas; de quibus in sacris Legibus his legimus verbis: Quicunque non confidentia justæ causæ, sed causâ afferendæ moræ, ne contra eum sententia proferatur, appellaverit; & si de facto suo confessus, ne addicatur, appellare voluerit; hujusmodi appellationes non recipiuntur. Et quidem videri mihi plures talium appellationum species, quas prudens Judex ita necesse est discernat, ut circa judicandos debitam in omnibus servet æquitatem. Porrò ea quæ prærogativam obtinent, sicut parvitati meæ ministravit auctoritas, perstrinxerit; quæ si plura sunt, etiam usque ad ipsius Cathedræ vestræ Sedem Apost. cucurrere vigilantia, confiteor non transgrediendos esse terminos quos posuerunt patres nostri: Moratorias autem appellationes omnino à vestra relegandas esse audientia; nec sustinendum in horto Domini plantari toxicum mortis; toxicum quo subventus afflictorum morietur, quo Justitia in nihilum revertetur, incrementum suscipiat ubertas delictorum. Vale.

EJUSDEM HILDEBERTI,

Turonensis Archiepiscopi, Sermo Synodicus ad Pastores, super illud Luc. xii. 48.

Cui multum datum est, ab eo multum quæretur.

Quantas commissis vobis ovibus debeatis excubias, Evangelica vos docet assertio, dicens, Cui plus committitur, plus ab eo exigetur: Ab illo autem, ista vobis commissa sunt, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum. Quid enim habes quod non accepisti? Et nos omnes, ut ait Evangelista, de plenitudine ejus accepimus. De ejus (inquam) plenitudine, de quo habetis & vos quòd Christiani estis, quòd Pastores estis. Quòd Christiani estis, propter vos est; quòd sacerdotes estis, propter Deum est; quòd pastores estis, propter oves est. Ex eo enim quòd Christum profitemini, fidem debetis custodire; ex officio sacerdotis, Deum placare: Ex cura pastoris, gregem pascere. Denique ex primo, nomen geritis Christi; ex secundo & tertio vices agitis Christi: de quibus, ut (juvante Domino) aliquid ad nostram trahamus eruditionem, plenius singula persequamur.

Meminisse vos oportet, vestram (fratres) quam fecistis in Baptismate promissionem, cui & sub quo vos obligastis testimonio. Promissio vestra, fides Catholica est: cui fidem pepigistis, Pater & Filius & Spiritus sanctus est: testis pacti, Ecclesia est. Testatur autem Apostolus, Quòd fides sine operibus mortua est: ideo mortua, quia non vivit in ea vegetatio actionis: ideo mortua; quia non movet aut regit animam ad gaudia patriæ cœlestis. Fide hujusmodi, Dæmones insigniti sunt; & tamen à consortio bonorum spirituum separantur. Credunt, & nihilominus eis æternum incendium præparatur: quippe fides

ſine opere, flos eſt ſine fructu, manipulus ſine grano, moneta ſine argento. Ex hoc manipulo nihil excutitur unde anima paſcatur. Ex hac moneta, panis emi non poteſt, qui de cœlo deſcendit,& dat vitam mundo. Cum in domo Domini multæ manſiones ſint; nulla prorſus hujuſmodi moneta comparatur. Alia profectò moneta eſt, quæ in civitate Domini noſtri in pretio eſt. Per hanc, mortalibus quoddam cum ſuperis commercium eſt; per hanc fit una reſpublica, conventus hominum, & conventus Angelorum. In hac moneta, Rex imagini ſuæ applaudit, pro hac regnum ſui cuilibet venale exponit. Vultis eo pane refici; poſt quem nullus eſurit? Proferte hanc monetam, & ſatiabit vos. Vultis invenire Judicem placatum, quando ſedebit cum ſenatoribus terræ? Proferte hanc monetam, & à dextris ordinabit vos. Vultis ad cœnam nuptiarum Agni ſuſcipi? Proferte hanc monetam, & intromittet vos; vultis videre bona Domini in vita viventium? Proferte hanc monetam, & non latebunt vos. Porrò tam accepta, & tam fulgens moneta, fides Chriſtiana eſt; cæterùm non ea fides, quæ operum expers eſt, ſed cui operis ſtructura ſuperpoſita eſt. Vult & exigit à nobis Dominus, hujuſmodi fidem, ſicut ab emptore venditor, monetam puram, monetam pretioſam. Hanc ei fidem (ſi bene recolitis) promiſiſtis: Hac fide cum eo fœdus percuſſiſtis, hujus fidei, vos Trinitati debitores feciſtis. Cum enim interrogaretur, Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? & reſponderetis, Credo: Patri vos obligaſtis. Cum quæreretur, Credis in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum, Dominũ noſtrum? & ſubjiceretis, Credo: Filio vos obligaſtis. Cum diceretur; Creditis & in Spiritum ſanctum? & ſupponeretis, Credo: Spiritui ſancto vos obligaſtis. Grave nimis eſt, à pactione hujuſmodi reſilire. Si enim Patri mentimini, nihil vobis & ea proderit, quæ promittitur filiis, hæreditas: Si Filio, non proderit vobis aſſumpta pro vobis humanitas: Si Spiritui ſancto, extinguetur, quæ diffuſa eſt in cordibus veſtris, charitas. Quia igitur fidei hujus promiſſio facta; quia fundamentum poſitum eſt; ſuperædificate lapides rutilos, lapides pretioſos. Eorum ſtructura nihil patietur periculi, quando Deus manifeſtè veniet; nihil exuſtionis, cum ignis in conſpectu ejus exardeſcet; nihil commotionis, cum in circuitu ejus tempeſtas valida deſæviet. His itaque decurſis quæ ex Chriſtiana fide, veſtra debet fraternitas; Id quod ex ſacerdote debetis, ſequens pagina vos docebit. Offenſus primò Deus tranſgreſſione originali; frequenter offenditur Actuali. Illa ſemel commiſſa deleta eſt ſemel Chriſto in cruce paſſo. Hæc acta, quotidiè deletur Chriſto, quotidiè in altari immolato. Ut illa evacuaretur; miſſus eſt in Mundum Chriſtus, Deus & homo; hoſtia & ſacerdos: ut evacuaretur iſta; ordinatur in Eccleſia miniſterium Altaris, non Deus, ſed homo, non hoſtia, ſed ſacerdos. Eſt itaque profeſſionis veſtræ, cœleſtem ſacrificiis placare indignationem. Veſtrum ſpectat miniſterium, per myſterium Dominici Corporis, peccatores in divinam revocare gratiam. Non omnes tamen apud Deum impetrant, quicunque pro aliis interpellant; neque enim omnes Deum placant, qui Deo immolant: immolat facinoroſus, ſed per Iſaiam Dominus ſic ait; facinoroſus qui mihi ſacrificat, tanquam qui canem occidat. Immolat iniquus; ſed teſte Sapientia, Non reſpicit Altiſſimus in oblationes iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum propitiabitur peccatis eorum: & Propheta; Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Credite mihi, credite fratres, credite conſacerdotes; non placatur talibus votis Deus. Eo teſte loquor; Amplius aliquid loquor: Exacerbatur hoſtiis impiorum Deus. Si mihi non creditis, majori credite autoritati. Gregorius enim dicit: Cum is qui diſplicet, ad intercedendum mittitur; judicis animus ad iracundiam provocatur. Exacerbant itaque Dominum ſacrificia veſtra, ſi diſplicet illi vita veſtra; Placabitur autem ipſe, & aliis pro vobis, ſi priùs viam trium dierum feceritis, ſacrificetur ei à vobis. Quam ſcilicet viam Moyſes ad Pharaonem loquens, his oſtendit verbis: Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, ut ſacrificemus Domino noſtro. Quænam eſt hæc via, chariſſimi fratres, quâ priuſquam ſacrificet, jubetur fatigari populus Domini? Quæ ſunt iſtæ tres dies quibus peractis offertur beneplacitum Deo ſacrificium? Prima ſanè dieta à malo declinare eſt: Secunda bene agere eſt: Tertia aſcenſiones in corde deponere eſt. De prima Apoſtolus ſic ait, Qui furabatur jam non furetur. De ſecunda idem dicit, Induite vos armamenta Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli. Tertiam Solomon in Canticis Canticorum admirans ait, Quæ eſt iſta quæ progreditur, ſicut aurora conſurgens? Si ergo ſecundum Apoſtolum, carnis renunciatis operibus, primam feciſtis dietam. Si juxta eundem, novum induitis hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate verus, ſecundam feciſtis dietam. Si Prophetam ſequuti, aſcenſiones in corde veſtro depoſuiſtis, tertiam feciſtis dietam. His igitur expletis placebunt Domino ſacrificia veſtra. In his enim fit Judæa, ſanctificatio ejus. In his Iſrael poteſtas ejus. Iſta triplex dieta, quæ præ cæteris vobis incumbit, præ cæteris exigitur à vobis. Hinc eſt quòd ſacrificantes Domino ſacerdotes,

sacerdotes, hujusmodi dietarum mentionem faciunt, dicentes, Unde & memores, dicunt, nos tui servi, sed & plebs tua sancta, ejusdem Domini nostri Jesu Christi tam beatæ passionis; nec non & ab inferis resurrectionis; sed & in cœlos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ majestati tuæ, de tuis donis, ac datis hostiam puram & certam. Sic enim reminisci debent mortis & crucis Jesu Christi, ut ejus gratia mortificent & crucifigant carnem suam cum vitiis & concupiscentiis suis. Sic recolere renovationem resurrectionis, ut ejus exemplo aspirent ad animæ resurrectionem. Sic recordari gloriosæ ad cœlos ascensionis, ut illum imitantes scalam quam vidit Jacob ascendere laborent. Hæc profectò sunt quæ respicit professio sacerdotum. Ex eo autem quòd pastores estis, oves pascere debetis. Hinc est quod Ezechieli Dominus dicit, Fili hominis, propheta super Pastores Israel, nunquid non oves pascunt pastores? Ecce testimonio Domini non se pascunt pastores, sed oves. Pastoris enim est quærere non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi: non commoda temporalium rerum, sed salutem animarum. De his autèm qui seipsos pascunt, & oves negligunt, quid spiritus sanctus per eundem prophetam dicit, audiamus: Lac, inquit, consumitis, & lanis vos tegitis, & quod infirmum est non confortatis, quod ægrotum non corroborastis, quod perierat non requisistis, quod forte fuit confregistis, & dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non sit pastor. Arguuntur his verbis pastores, qui se pascunt & non oves. Qui, sunt qui seipsos pascunt? De quibus ait Apostolus, Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Qui sunt, qui sua quærunt? Qui lac ovium comedunt, qui lanis se induunt. Qui sunt isti qui non quærunt ea quæ sunt Jesu Christi? Qui, quod infirmum est, non confortant; quod ægrotum est non corroborant; quod perit non quærunt; quod forte est & pingue confringunt. Lac omnium ovium est, quicquid ad sustentandam temporalem necessitatem prælatis exhibent subjecti. Exhibent decimas & primitias; decimæ & primitiæ sunt lac ovium. Exhibent oblationes altarium & eleemosynas defunctorum; oblationes & eleemosynæ lac ovium sunt. Et quum diximus quid sit lac ovium, dicemus & quid sit lana. Qui lac præbet, potum præbet; qui lanam præbet, honorem præbet. Lana enim honori est corpori. Tegitur inde nuditas ejus, tegitur confusio & infirmitas ejus. Est igitur lana quicquid honoris prælatis à subjectis impenditur; cum igitur exhibentur primi recubitus in cœnis, cum primæ cathedræ in synagogis, lana præbetur. Cum salutantur in foro & eis dicitur, Ave, Rabbi, lana præbetur. Hæc sunt quæ pastores quærunt, qui seipsos pascunt, & oves negligunt. Commodum scilicet supplendæ necessitatis, & aura favoris & laudis.

Sed fortassis ad hæc dicitis; Nunquid de altario vivunt, qui altario deserviunt? quis plantavit vineam & de fructu ejus non comedit? quis alligavit os bovi triturienti? Ita, inquis, dignus est operarius mercede suâ. Certè licet vobis ovium lacte vesci, licet lacte potari; licet indui lanâ; cum lanam quærere, nec liceat nec expediat. Cæterum his tantùm licet, qui cum lacte & lanâ temporalem sustentent necessitatem, ovium non negligunt infirmitatem. Si enim non confortatis ovem infirmam, si non roboratis ægrotam, si non requiritis erroneam, periculosè lac consumitis ovium, quia vosipsos pascitis, & oves contemnitis. Quæ autem sunt oves, quæ ægrotæ, quæ erroneæ, quæ infirmæ? si nescitis, discite. Si scitis; scire vos, operibus ostendite. Oves sunt, sed infirmæ; qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: oves sunt, sed infirmæ, qui cum intelligant super egenum & pauperem, cum bonas faciant vias suas & studia sua; cedunt tamen imminentibus adversis; cedunt amissione sobolis, cedunt damno rei temporalis. Petrus ovis infirma fuit, cum in Caiphæ atrio ad vocem ostiariæ, Christum negavit; ovis infirma fuit Marcellinus Papa, qui tempore persecutionis thus idolis adolevit. Cum igitur ovem pastor senserit infirmam, cum flagella timentem, debitum confortationis adhibens solatium dicat; Fili, præpara animam tuam ad tentationes. Cum temporalis tribulatio aderit, proferat, Diligit pater filium quem corrigit. Habet & hoc quod subjungat; Oportet vos per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Et illud, Fidelis deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Sed hæc & his similia infirmæ ovi dicere, ovem confortare est infirmam. Adsit igitur infirmis ovibus præscriptum confortationis auxilium. Adsit & corroborium ægrotis. Oves ægrotæ sunt viri sanguinum & dolosi, quorum os loquitur vanitatem, & dextra eorum dextra est iniquitatis. Oves ægrotæ sunt filii tenebrarum impliciti carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam. Denique miserabili ægritudine laborant, de quibus Apostolus ait: Nolite errare, Deus non irridetur; neque adulteri, neque fornicatores, neque masculorum concubitores, neque avari, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Omnes hujusmodi velut ægroti jacent, velut quadam paralysi torpentes languent. Unde & animas has paralysi resolutas, ille

para-

paralyticus figurasse legitur, qui delatus ad Christum, per apertum tectum demissus est ante Christum. Anima siquidem quæ diversis aggravata vitiis, enitendi ad meliora vires amisit, quid aliud est, quàm male torpens paralyticus, & omnino viribus corporis destitutus? Porrò vestrum est hujusmodi paralyticum quasi quibusdam scapulis deferre, tectū ei domus aperire, medico eum præsentare. Animæ enim hujusmodi ægritudine decumbenti, compassionis humerum supponere vos convenit; ea infirmante infirmari; ea scandalizante uri; ut cum Apostolo dicatis, Quis infirmatur, &c.

Sed fortassis tantus desperat ægrotus; fortassis suum nescit medicum; nescit quo manum dante surgat; nescit quo curante convalescat. Necesse est ei tectum domûs aperiri; nisi aperiatur tectum, non demittetur paralyticus ante Christum. Tectum domûs Scripturarum est intellectus. Latet ibi gratia medici, latet benignitas, latet potestas. Cum igitur ægrota ovis desperat, aperite Prophetam sic dicentem; Spera in Domino & fac bonum, & inhabitabis terram, & pascêris in divitiis ejus. Cum de medici benignitate diffidit, discat quid medicus dicat, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Cum medici potestatem ignorat, à pastore audiat, Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Hæc & alia hujusmodi dicere, tectum est aperire. Tecti autem apertione demittetur paralyticus, ante Medicum peccatorum, ante Christum. Si hanc curam omnibus ægrotis impenditis, oves ægrotas roboratis.

Incumbit & vobis oves requirere pereuntes. Ovis erat & periit quæ perversitatibus hæreticorum fallitur: quæ ab unitate Ecclesiæ separatur. In his ab errore revocandis, estote vos pastores solliciti; estote importuni; Audite Apostolum dicentem, Prædica verbum: insta opportunè & importunè. Quibus opportunè? & quibus importunè? Opportunè quidem volentibus; importunè autem nolentibus. Sunt enim oves quæ revocatæ redeunt; sunt & quæ redire nolunt; quæ perire diligunt; has præcipuè pastor bonus requirit: bonus pastor pro his animam ponit. Cum inquirentem vepres damnorum pungant; cum spinæ persecutionum fatigent, cum terreat insania Principum; cum laniet varietas tormentorum: Pastor tum bonus revocat errantem; requirit pereuntem. Sic revocat errantem, sic requirit pereuntem: si post Arium ovis oberrat, si cum Ario à Patre Filium separat, ovis à Pastore illud audit filii, Ego & Pater unum sumus. Si decepta ovis fabulatur cum Eutyche duas in Christo personas, reprimitur Athanasii auctoritate sic de Christo dicentis, Licet Deus sit & homo, non tamen duo sed unus est Christus. Item unus omnino, unus non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Si gestat ovis notam Sabellii; si characterem Donati; si cæterorum cauteriem hæreticorum; affert pastor Prophetas; innititur Evangelio; pungit Apostolo. His atque aliis authenticis paginis revocat errantem; requirit pereuntem. Cui & hæc ratio est, qua revocet errantem, qua requirat pereuntem, quòd qui timet & negligit revocare errantem, & requirere pereuntem, hoc quod forte est confringat; quod cassum est occidat. Hoc est enim quod sequitur, Et quod forte fuit confregistis.

Ovis ea fortis est, quæ in Catholica fide permanet, quæ ab unitate fidei non recedit; quæ Petri retia non rumpit. Hanc tamen pastor confringit, hanc occidit, si non revocat errantem; si non requirit pereuntem. Quæ enim fortis est, nullum credit periculum in errando; nullum in pereundo: cum videt Pastorem silentem; cum videt negligentem; cum remissum circa errantes; circa pereuntes. Unde fit, ut & ipsa non vereatur errare, non vereatur perire. Dicit enim apud se: Si malum esset in hæresin labi; si sequi Arium; si imitari Donatum; Pastores contrà loquerentur; revocarent errantes, requirerent pereuntes. Quia itaque silent, post illos ire, cum illis credere, suo me docent silentio. Cum igitur pastor silet, non revocans errantem; non requirens pereuntem; pastoris negligentiâ ovis quæ est fortis confringitur: quia qui catholicus est, hæreticorum perfidiæ sociatur. Ecce patet, charissimi fratres, solius silentii culpam esse non exempli, quòd non confortatur ovis infirma, quòd non roboratur ægrota; quòd aberrans non revocatur; quòd fortis confringitur.

Sed fortassis pastor nitetur tam noxium purgare silentium; fortassis deferet ad dominum pellem ovis, mortuæ ovis: Increpatur enim, quia ad ovem errantem siluerit; quòd silens confregerit, fortem & occidit. Excusationem de morte ovis quasi quandam pellem Patrisfamilias sic assignabit; Monui ne aberraret, & non audivit vocem meam: docui ut non fornicaretur, abstetit & contempsit doctrinam meam; urebar gelu & æstu, nec somnum capiebant oculi mei. Si res ita se habet, de mortua ove, pastor, bonam reddidisti rationem. Si arguisti, si increpasti; animam tuam liberasti. Si autem mentiris, scrutator cordium falli non potest: pellis excusationis liberare te non potest. Si, inquam, mentiris; væ tibi quia siluisti; qui quod erràverat non revocasti; quod perierat, non requisisti.

sisti. Audi quid spiritus per Ezechielem loquitur, Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris: si non fueris loquutus ut se custodiat impius à via sua, ipse impius in impietate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Ezech. 3. 18.

Silentium si ergo tam gravem damnationem meretur, quid mereatur exemplum? Si sic punitur taciturnitas vestra, qua indignatione punienda est publica iniquitas vestra? Hanc fratres indignationem in confessione & pœnitentia prævenite. Verseтur vestris in cordibus futuri forma judicii. Hæreat ibi tremendi tempestas & terror diei. Venturus est Paterfamilias, ut oves ab hœdis separet; ut ad littus trahat sagenam suam, ut emundet à paleis aream suam. Væ pastoribus ovium tunc inter hœdos numerandis. Væ piscatoribus animarum tunc inter malos pisces foras projiciendis. Væ operariis dominicæ messis tunc igne perpetuo cum palea sine consumptione consumendis. Rogate, fratres, rogate Dominum messis, ut in die ventilationis, ex misericordia recondat vos in horreo suo. Quod neminen credimus assequi ex merito suo. Dominus dignetur noster Jesu Christe hanc vobiscum facere misericordiam: dignetur vos agnoscere & amplecti familiam suam, cum venerit judicare vivos & mortuos & seculum per ignem.

EJUSDEM HILDEBERTI Cenomanensis, Curiæ Romanæ Descriptio, ex vetusto Codice Manuscripto.

ROmani sunt quos timent & qui timentur. Hi sunt quos hæc peculiariter Provincia monet inferre calumnias, deferre personas, afferre minas, auferre substantias. Hi sunt quorum laudari audis in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias. Hi sunt qui causas morantur adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati. Hi sunt qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt ligaturos, protrahunt audiendos, trahunt addictos, retrahunt transigentes. Hi sunt quos si petas, & nullo adulante beneficium promittant, pudet negare, pœnitet præstitisse. Hi sunt qui negant reverentiam Clericis, originem nobilibus, consessum prioribus, congressum æqualibus, cunctis jura. Nullum illis genus hominum, ordinum, temporum, cordi est. In foro Scythæ, in cubiculo Viperæ, in convivio Scurræ, in exactionibus Harpyæ, in collocutionibus Statuæ, in quæstionibus Bestiæ, in tractatibus Cochleæ, in contractibus Trapezitæ: Ad intelligendum saxei, ad judicandum lignei, ad succensendum flammei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias ursi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Spes firmas in rerum motibus habent, dubia tempora certius amant, & ignavia pariter conscientiaque trepidantes. Cum sint in prætoriis leones, in castris lepores, timent fœdera ne discutiantur; bella, ne pugnent. Quorum si nares afflaverit rubiginosi aura marsupii, confestim videbis illic & oculos Argi, & manus Briarei, & ingenium Sphyngis.

EJUSDEM HILDEBERTI Cenomanensis Epitaphium in Berengarium, Turonensem Archidiaconum, Magistrum suum. Ex Gul. Malmesburiensis Historiarum Lib. 3.

BErengarius Archidiaconus Turonensis (inquit Malmesburiensis) licèt primum calorem Juventutis aliquarum hæresium defensione infamaverit, ævo austeriore ita resipuit, ut sine retractatione, à quibusdam habeatur sanctus, innumeris bonis, maximè autem humilitate & Eleemosynis approbatus, largarum possessionum dispertiendo dominus, non abscondendo & adorando famulus: fœmineæ venustatis adeo parcus, ut nullam conspectui suo pateretur admitti, ne formam videretur delibasse oculo, quam non pruriebat animo. Non aspernari pauperem, non adulari divitem, secundum naturam vivere; habens victum & vestitum, juxta Apostolum, his contentus esse. Unde eum laudat Cenomanensis Pontifex Hildebertus, versificator imprimis eximius, cujus verba propterea inserui, ut prædicabilis Episcopi affectum in Magistrum ostendam, simul & doctrina ejus erit exemplo posteris, qua quomodo vivi debeat instituit, etsi fortasse metas veræ laudis amore incitatus transilierit.

Quem

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem sacra fidei fastigia summa tenentem,
Quinta dies nobis abstulit, ausa nefas.
Illa dies damnosa dies, & perfida mundo,
Qua dolor & rerum summa ruina fuit.
Qua status Ecclesiæ, qua spes, qua gloria Cleri,
Qua cultor juris, jure ruente ruit.
Quicquid philosophi, quicquid cecinere poetæ,
Ingenio cessit eloquioque suo.
Sanctior & major sapientia majus adorta,
Implevit sacrum pectus & ora Deo.
Pectus eam voluit, vox protulit, actio prompsit;
Singula factori sic studuere suo.
Vir sacer & sapiens, cui nomen crescit in horas,
Quo minor est quisquis maximus est hominum.
Cui sensus peperit partos servavit honores,
Cui potior pauper divite, jusque lucro.
Cui nec desidiam, nec luxum res dedit ampla,
Nec tumidum fecit multus & altus honos.
Qui nec ad argentum nec ad aurum lumina flexit,
Sed doluit quoties cui daret hæc, aberat.
Qui non cessavit inopum fulcire ruinas,
Donec inops dando pauper & ipse fuit.
Cujus cura sequi naturam, legibus uti,
Et mentem vitiis, ora negare dolis.
Virtutes opibus, verum præponere falso,
Nil vacuum sensu dicere, nil facere.
Lædere nec quenquam, cunctis prodesse, favorem
Et populare lucrum pellere mente, manu.
Cui vestis textura rudis, cui non fuit unquam
Ante sitim potus, nec cibus ante famem.
Quem pudor hospitium statuit sibi, quámque libido
Incestos superat, tam superavit eam:
Quem natura parens cum mundo contulit (inquit)
Degenerant alii, nascitur iste mihi.
Quæque vagabatur & pene reliquerat orbem,
Inclusit sacro pectore Justitiam.
Vir sacer à puero, qui quantum præminet Orbi
Fama, tam famæ præminet ipse sua.
Fama minor meritis cum totum pervolet orbem,
Cum semper crescat, non erit æqua tamen.
Vir pius atque gravis, vir sic in utroque modestus,
Livor ut in neutro rodere possit eum.
Livor enim deflet, quem carpserat antea, nec tam
Carpsit & odit eum, quàm modò laudat, amat.
Quàm prius ex vita, tam nunc ex morte gemiscit,
Et queritur celeres hujus abisse dies.
Vir verè sapiens & parte beatus ab omni,
Qui cœlos anima, corpore ditat humum.
Post obitum vivam secum, secum requiescam,
Nec fiat melior sors mea sorte sua.

ANTI-

ANTILOGIA PAPÆ:

HOC EST, DE

CORRUPTO ECCLESIÆ STATU,

ET

Totius Cleri Papiſtici perverſitate, Scripta aliquot veterum Authorum, ante annos plus minus CCC. & interea: nunc primùm in lucem eruta, & ab interitu vindicata.

QUORUM

Catalogum proximâ poſt Præfationem paginâ reperies.

Cum Præfatione D. WOLFGANGI *Wiſſenburgii Theologi Baſilienſis.*

Aperi quæſo, Domine, oculos ejus, ut videat. 4 Reg. 6.

LONDINI,

Juxta Exemplar Baſil. 1555. Impenſis *Richardi Chiſwel.*

M DC LXXXVIII.

WOLFGANGUS

Wissenburgius Theologus æquo Lectori S. D.

CUM nuper, anno abhinc quarto (si rectè memini) Cardinalis Cameracensis illius scriptum, ac alterius cujusdam (cujus tunc nomen ignorabam, nunc verò Matthæi de Cracovia episcopi Wormaciensis esse intellexi) de ecclesiæ nævis & squaloribus (ut illius verbo utar) in lucem dedissem: visus sum, non paucis, iisque bonis viris, placuisse: qui idem quod ego sentiebant, non parum juvari pios ac bonos, qui etiamdum in tanta lucis claritate, tenebrarum quadam caligine obfuscati, non autem malitiæ sive versutiæ, sed simplicitatis & ignorantiæ, versantur: si intellexerint, Papisticas deceptiones non nuper cœpisse damnari, sed nullo non tempore fuisse, qui stulti illius Pastoris (quem Dominus in terra suscitaturum, per Prophetam minitatur) mendacia & imposturas animadverterent, atque scriptis etiam publicis notarent saltem, si non omnino proscinderent. Quorum conatus, etsi minus eo profuit tempore, quàm decebat: tamen ideo culpandus aut negligendus non est, sed mente gratissima retinendus, & velut illustre benignissimi patris donum, qui dives est in omnes se invocantes, amplectendus. Non enim causæ malitia, sed hominum stupiditate hoc accidisse credendum est: qui Dei gratia destituti, Endymionis quendam somnum stertebant; nec ulla divinæ admonitionis tuba excitari potuerunt. Id quod hodie non paucorum exemplo discimus, qui in tanta claritate coruscantis Evangelii, non minus turpiter quàm pertinaciter, cæcutiunt.

Tali itaque excitatus suffragio, plura de eo cœpi cogitare consilio: ac si quæ alia ejus generis, piorum hominum extarent scripta, inquirere: Bonorum igitur virorum (quorum nomina hic lubens taceo) adjutus auxilio, ea quæ hoc nunc tempore habere potuimus, tibi damus: daturi fortassis brevi alia, si hæc grata esse cognoverimus. Fructum verò quem ex his veterum scriptis habere possis, opt. Lector, partim in ejus libelli, quem nuper edidimus, Præfatione diximus: partim autem nunc ostendemus. Principio enim hinc disces, piissimi patris Dei nostri bonitatem & φιλανθρωπίαν, non tantum erga bonos & frugi filios, verùm etiam erga malos & ingratissimos, imò in sceleratos & infensissimos hostes: quos crebris exhortationibus & salutari admonitione vocare, & invisere, ac manus suas tota die (juxta prophetæ dictum) expandere ad populum rebellem, nunquam dedignatus est, indulgentissimi patris instar, qui etsi veritatis & justitiæ sectator sit æquissimus, benigniorem tamen se nonnunquam præstat malis & contumacibus filiis, quàm bonis & obsequentibus, dum ferendo, admonendo, instando, sui quemque admonet officii: si forsan aliqua ratione possint in viam reduci, ut quod justum sit ac rectum comprehendant & amplectantur.

Hujus rei testimonium locupletissimum in veteri populo nobis exhibuit: quem etsi durissima cervice esse non ignoraret, nunquam tamen se illi non placidum & benignum exhibuit: admiranda lenitate, etiam renuentibus, seipsum offerendo, expectans ac quærens, à quibus expectari & persequi debebat. Quantis enim beneficiis cum illorum pertinaci contumacia, vel à mundi initio concertarit, obscurum non est: nunc voce propria, nunc angelorum ministerio, nunc legis & judiciorum manifestatione illos alloquens: viamque demonstrans, qua tutò quod verum rectumque fuerat, sectarentur & consequerentur. Idem non tantum verbis, sed factis quoque præstitit. Quid enim aliud voluisse credimus magnificam illam, & omnibus populis inexpectatam liberationem ex ferrea Ægyptiacæ servitutis fornace: quæ cum omne superaret miraculum, vel una totum mundum admonere potuisset (si mens, ut ille ait, non læva fuisset) quanto studio & favore, omnium Dominus populum hunc prose-

prosequeretur? Quid tanta τῶν σωτήρων (quos duces seu Judices vocamus) copia: quorum manu, oppressum & afflictum Primogenitum illum suum, velut è mortis faucibus, toties eripuit? Quid prophetarum, omnium ferè temporum, continuata series? quorum oraculis, miserè perditos, & sua seductos malitia, à præfracta rebellione reducere conatus est. Sed (ô ingentem cæcitatem!) frustra hæc omnia: surdis enim semper occinebatur fabula, dum stupenda ingratitudine, tanta lenissimi patris bonitate indignos, & æterno dignissimos excidio sese facerent. Quod Dominus Jesus, una omnium salus, etsi multis aliis, horrenda tamen hac expostulatione permaximè, eis interminatus est, cum inquit: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta, &c. Qui & ipse, eadem de causa, à patre in mundum missus, ab agricolis vineæ ejicitur, & occiditur. Nunc verò idem Dominum posteriori fecisse populo ostendendum est. Hunc quanto labore, quantove suo & suorum dispendio, & omnium gentium dispersione, principiò collegerit, citra controversiam omnibus constat. Qua verò bonitate eam congregationem (quam Ecclesiam nominavit) auxerit, brevique in gentem magnam extulerit, Apostolorum gesta, & Pauli scripta luculenter testantur. Quibus verò artibus partam jam & collectam conservarit, posterior ætas ad nostra usque secula mille modis declaravit. Nam cum sopitis paululum persecutoribus, atrocissimus ille omnis veritatis hostis diabolus, Christi sponsam, hæretico furore, ac dogmatum dissensione væsana aggrederetur, multo durior ejus cœperat esse conditio, quàm cum cruore & vitæ dispendio salutem suam à tyrannorum rabie redimere cogeretur. Ex ipsis enim egrediebantur ovibus, & de medio grege exoriebantur lupi non quidem aperti, sed ovilla pelle tecti: qui quo minus cognoscebantur, eo magis nocere poterant. Nam, ut est probitas semper stulta ac simplex, occultis insidiis citius offenditur, quàm apertis injuriis. Sed & his, consueta clementia suos quoque opposuit antagonistas, piissimus Pater. Alia tamen longè ratione, quàm liberatores suos antiquo dederat populo. Hi etenim divina roborati virtute, ut plurimum uno conflictu inimicum omnem contrivere & fugarunt: illi autem non nisi pro suo quisque talentulo, quod illi commendarat Dominus. Nam sic in fatis esse videbatur, ne Jebuseus ille, totus ex Dei populo eliminaretur: ut esset, quo verus ille Israel, & qui est ex spiritu, ad primi & carnalis illius similitudinem exerceretur, ne vel otio & desidia torpesceret, vel sibi vivens tranquillus, Domini sui virtutem minus agnosceret: Dei verò gratia à malis omnibus liberatus, patris sui prædicaret & coleret auxilium. Dum Pharao ille Romanus (sic hominum peccatis merentibus) apertius, magisque præfractè, suam cœpisset exercere tyrannidem, ac quasi potens quidam Nimroth, statuere, solvere, mutare, rescindere, figere, refigere, & quicquid liberet, in Dei templo moliri ausus est, sic sperans liberum illud veri Abrahami semen sibi devincire, & in suam redigere potestatem: ac non aliter quàm primus ille, opere argillaceo & undis Niliacis; ita secundus hic Pharao luto humanæ sapientiæ, & aquis fluxarum traditionum benedictam illam Christi sobolem opprimere, & tandem totum submergere statuit. Quòd etsi Dominus de cœlo derideret & subsannaret, aliquandiu tamen patienter tulit, atque fert etiamnum hodie: ita tamen, ut electos suos & quos filiorum nomine dignatus est, favore suo & consolatione grata non destituat. Nulli igitur non ætati suos quasi prophetas dedit Dominus, qui contemptis cornutæ illius Bestiæ minis, pio quodam zelo novis erroribus, veritatis doctrinâ resisterent, atque errorum authores sui officii, quantum poterant, admonerent. Hos autem dedit non unius generis, sed diversos, ac variis modis armatos: sive quòd id temporis nonnunquam, nonnunquam causa postulabat ratio: sive quòd ita infallibili Dei placebat providentiæ. Erant enim ex eis, qui obscurius quidem, & involucris quibusdam errata depingerent potius quàm revincerent: ita tamen, ut à piis bonisque omnibus, quorum corda Deus tetigerat, facile ac satis luculenter intelligerentur: quales fuere, qui picturis, non minus doctis quàm oppositis, plurimos errores delinearunt: ejusmodi nonnullæ nostro quoque seculo inter monumenta veterum

rum repertæ sunt. In hoc numero sunt & Rhythmi, cantilenæ & carmina (quorum fortassis, Deo volente, brevi quædam dabimus) Visiones deinde, sive veræ, sive fictæ, quæ veritati patrocinantur: Pasquilli (ut vocant) quibus non nuper, sed ab ingruente ferè errore, liberius semper, etiam in ipsa urbe Roma, & Pontificis conspectu, Romanensium vitia, & Cleri statum corruptissimum, corripere licuit. Quod præter divinam ordinationem factum esse minimè censendum est: utcunque lusum eam rem fecerint Pontifices. Nam læta & lugubria nobis canit æterna Dei sapientia, vel Christo teste, quorum contemptus inultus non abibit. Erant deinde, qui etsi ambagibus nullis uterentur: generaliter tamen & in universum quodam modo confusè, testimonium veritati ferebant, nullius perstringentes nomen, neque personam. Quorum admonitio etsi vaga, & in incertum dicta sit, contemni tamen impunè non potest. Id quod David rex in Nathani prophetæ commonitione, etsi ænigmatica, non sine pudore & pœnitudine expertus est. Est & hodiernus dies testis, multos simulare & dissimulare multa, modò sibi similes esse pergant. In hoc sanè lupis non admodum dissimiles, qui capitis occultatione simulata, totos se latere putant: cum reliqui corporis indicio satis luculenter prodantur. Ita & illi se excusatos arbitrantur, si finxerint, quæ generatim dicuntur, vel non intelligere se, vel nihil ad se pertinere. Quasi verò καρδιογνώστης ille vultum, non mentem respiciat: cui nullo fuco, nullâve fraude imponi potest: qui renes scrutatur, & corda. Tertii, Heliæ quodam spiritu rapti, non tantùm errores, verùm etiam illorum authores, aut nominatim produnt, aut ab officio & factis depingunt: quales erant Helias uterque, ac reliqui Christi discipuli: quos etsi odio plusquàm Vatiniano persequendos non ignoraret Dominus, ita tamen abire jussit, ut sui quemque erroris arguerent atque convincerent, nec cujusvis eminentiæ aut majestati parcerent: cujus rei testes, & scripta illorum, & acta habemus. Talibus operariis Domini vineam, non modò ab exordio plantatam, sed & ab ipsis crepundiis, ad præsentem usque ætatem, runcatam & cultam, post canonicas literas, veterum monimenta confirmant: quæ olim vix à flammis liberata, hodie bonorum studio & labore è tineis & pulveribus eruuntur. E quorum numero hæc sunt, quæ nunc tibi damus, bone lector. Nam Scholæ Parisiensis scriptum (quod nonnulli, vel ob declinandam invidam, vel evitanda pericula, quæ à Pontifice expectanda fuerant, Guilielmo de S. Amore inscripserunt: quem errorem, Matthias Parisiensis sua præfatione detexit, quam ei scripto præfiximus) Hoc inquam scriptum, ante annos ferè CCC. editum, & codicis vetustas unde desumptum est, & ipsius argumenti ratio ostendit. Nam cum non multò prius, ante ea tempora, ad sacra quædam, in publicis templis peragenda, admissi forent Monachi: funerandi tamen, & absolvendi potestate carebant, nec ad exercendum reliquos ritus ecclesiasticos admittebantur. Ea enim res, velut privata quædam, Parochis servata erat: quò oves suæ, à suis quæque pastoribus & agnoscerentur, & pascerentur.

Alexandri igitur quarti temporibus, Mendicantium sectarum res plurimum augeri cœpit, & exornari privilegiis: improba adulatione & hypocrisi monachorum id extorquentibus. Quam rem cum cordati ac boni quidam viri, quibus veritatis studium cordi erat, in reip. Christianæ detrimentum maximum aliquando perrecturum intelligerent, talibus scriptis, malis illorum conatibus obstare, & sui quemque officii admonere tentarunt: sed frustra: vel quòd corda illorum auri & ambitionis fames induraverat, vel quòd hæc secula talibus tenebris involuta esse Dominus voluerit. Ex eo numero fuere & reliqui, quorum hic habes oracula. Guilielmus ille de S. Amore, qui tempora hæc paulo antè præcesserat: quem idem pontifex Alexander (si Platinæ credimus) hæreticum declaravit, quòd ementitam & fictam illam Monachorum paupertatem, editis scriptis reprehendisset. Patavinus item: è cujus libello disces (etsi magis historiæ quàm tractationi sacræ instet) perfrictam illam Paparum quorundam frontem & fraudes: quanquam strennè suam authoritatem Imperatores semper tutati sint, quaque aliquando sint usi potestate in creandis, confirmandis & investiendis episcopis, & clero. In summa, videbis, unam Pontificum tyrannidem, omnium schismatum & dissensionum ecclesiasticarum esse causam.

causam. Quòd si hic brevius quædam dici videntur, plura ex eo disces volumine, cui Defensorem pacis nomen fecit idem author, à Valentino Curione jam ante annos xxxiij. Basileæ vulgatum. Quanta verò libertate & parrhesia, Speculum illud aureum (cujus authorem etsi ignoramus, aliorum tamen testimonio temporum ante annos plus minus 200. conscriptum constat) in ecclesiasticorum simoniam & Papisticas indulgentias invehatur, ex illius lectione facile intelliges. Nam in hoc totus est, ut prima authoritas Christo, secunda spiritui sancto, atque adeò scripturæ sacræ, tertia Conciliis in verbo Domini congregatis, & quarta consuetudinibus, non omnibus, sed cum Dei verbo consentientibus, inque unum Christum ducentibus, tribuatur, &c. Mirandum sanè esset tam liberam fuisse linguam, in tam captivo seculo, nisi vivifico Dei spiritu fuisset armata. Jacobi illius Carthusiani scriptum fortassis est recentius, & post Concilium Constantiense conscriptum, meo quidem judicio: ex illius enim actis bonus hic vir didicerat, quisquis fuerit, quanta esset molis, Romanæ curiæ attentare reformationem. Nam cum prima ac una ferè causa ejus congregationis fuisset, Ecclesiæ in capite & membris reformatio, videt, toto ferè quinquennio, à tanta maximorum hominum copia insudatum esse, nec quicquam in ea re promotum, post Paparum quorundam depositionem, imò ne tentatum quidem, nisi unius hominis innocentissimi exustionem. Cujus causam, gravis ille vir, velut unam totius mali pestem, cognovit esse, plenariam istam Pontificum potestatem. Hoc enim excogitato nomine, omnem spem reformationis sublatam esse animadvertit. Itaque Dei excitatus spiritu, sinceriori & lucida expositione vaticinii Apostolici rem detestandam & toti Ecclesiæ exitiosam deplorat, omnibus concredito sibi talentulo inserviens: malos quidem & errantes ad meliorem frugem, non suo, sed cœlesti revocans oraculo: bonos autem, divinæ voluntatis commemoratione, consolando & admonendo, ne & ipsi perditis consentiendo pereant. His demum S. Huldrici, episcopi Augustani, epistolam de sacerdotum conjugio, coronidis vice apposuimus: qua Nicolaum primum P. M. piè hortatur, ut à diris execrationibus, quibus clericos connubio junctos insectabatur, desisteret: cum obscurum non esset, ad continentiæ donum non omnes esse vocatos à Domino. Nam, ut Gratianus habet in sua Decretorum compilatione, dist. 32. c. De illo: & sequent. idem Nicolaus cum esset superstitiosè religiosus, durius suis antecessoribus conjugalem castitatem clericorum persequebatur. Magna itaque gravitate illum Huldricus ab eo furore revocat, ne nova tyrannide, perditionis causa multarum animarum existeret. Sed quid tanta sanctitate & pia admonitione, apud deploratæ cæcitatis homines profecerit, tota posteritas testatur. Verisimile autem est, Sanctum illum virum non tantum epistolam hanc, sed & alia nonnulla hac de re scripsisse: quæ si extarent alicubi, proderat certè in lucem dari. Epistolæ hujus Æneas Sylvius quoque meminit in sua Germania, & Vindelicia. Ex his itaque paucis vides, optime Lector, quanta vanitate & impudentia, turbulenti illi homines, diuturnam istam suarum traditionum possessionem, & multorum annorum (ut vocant) præscriptionem, prætendunt & obtrudunt simplicioribus, quo plurimorum mentes dementent, atque falsis persuasionibus in inveterato errore retineant: cum hodie nihil habeant, quod coloratiori prætextu veritati opponant. Verùm cum irrefragabili jurisperitorum sit proditum sententia, Nullam possessionem interpellatam, aut præscriptionem interruptam, bonæ esse fidei: mirum sanè est, cur cæcos istos conatus non moderentur, sed tanta vesaniâ, tantum damnum, & sibi & toti ecclesiæ, tot pudendis mendaciis inferant. Cum constet, non tantùm his scriptis, sed pluribus aliis, partim editis, partim adhuc situ & squalore abditis, verum illum patremfamiliâs, subdolam illam malorum agricolarum occupationem suæ vineæ interrupisse: ut facilè, velint nolint, malæ fidei possessores esse convincantur. Ut demus illis, malis artibus rei dominium posse acquiri: quod tamen verum non est. Nullum enim tempus satis est longum, quod errori possit patrocinari. Vale, optime Lector, & meam tenuitatem boni consulito.

Basileæ, 7. Idus Martias, à Mundo redempto, Anno M D LV.

CATA-

CATALOGUS SCRIPTORUM
qui in hoc Libro continentur.

MATTHIÆ

MATTHIÆ PARISIENSIS

Præfatio in Librum Scholæ Parisiensis, de periculis Ecclesiæ, qui scriptus est Anno 1389. aliquanto ante Joannem Huss.

SEquitur hic Tractatus, quem Universitas gloriosa Magistrorum Parisiensium in Sacra pagina compilavit, & ipsum librum De periculis novissimorum temporum intitulavit; qui nempe doctores in Christo fideles & gloriosi existentes, lumen sanctæ Ecclesiæ super candelabrum constituti, & ipsorum multitudo erat tunc sanitas orbis terrarum; nequissimum Antichristum, & membra ejus ac meretricem ipsius ex parte cognoscentes, & ex parte in futurum prophetantes; præcaventes sanctæ Ecclesiæ & ejus gubernatoribus, apertè & nudè revelaverunt eundem Antichristum, de quo Sermo: & corpus ejus, vel meretricem ejus discooperuerunt, & ignominiam turpitudinis ejus, prout in libello prædicto, & illud fecerunt valde utiliter, & ordinatè ac distinctè, prout dignum erat tanta & tali multitudine Magistrorum Parisiensium, Universitatis sacrosanctæ. Hoc verò quòd quidam Papa, qui erat de ordine fratrum Minorum, infirmavit & condemnavit illum plenum utilitate Ecclesiæ libellum, vel abjecit: ego contraire illi non audeo, ne videar meum os ponere contra * cœlum. Illud tamen opinor, quod magis hoc ferat amor & zelus ordinis fratrum Minorum, & aliorum super mendicitate constructorum, quàm fidelis zelus ad communitatem sanctæ Ecclesiæ, illum libellum abjiciendo & infirmando. Illud namque ut plurimùm tangit & redarguit libellus sæpe dictus; laudare tamen hoc domino Papæ illi usque modò non valeo, ex eo quòd, licet fratrib. super mendicitate fundatis, libellus ille venerabilium doctorum non sit valde utilis, nec etiam eorum promotivus: cum tamen, ut dictum est, universali Ecclesiæ sit secundum omnem modum utilis, & maximè Prælatis & gubernatoribus sanctæ Ecclesiæ, ut per totum relucet ex Textu ejus, ad libelli condemnationem causa sufficiens non subsistit: præsertim cum in toto illo libro nec unum iota, nec unus apex falsitatem, aut ullum errorem redolens, valeat reperiri. Enimvero illud, quòd quidam in contrarium libro suas ineptias collegerit, ita est invalidum & amarum quodam modo: & radix unde ista prodierunt, est fermentata: & debent amara esse Ecclesiæ sacrosanctæ: fundamentum quoque illorum inane, immodicoque sustentatum, & solùm tamdiu valens in sua apparentia admodum formosè composita permanere, donec ad rigorem justi judicii pervenerit, & donec pertransierint tempora nationum definita. Quapropter nec prædicto Papæ, qui talia ratificavit in Ecclesia, audeo usquequaque imputare: cum hoc ipsum ex fide & scripturis æstimem, quòd id factum est non sine divina voluntate. Quoniam voluit Dominus Jesus, crucifixus in ætate suæ dilectissimæ Ecclesiæ, varia tempora dispensare, & in ipsos diversos populos & multiplicem scientiam pertransire: ut ita sua amantissima & unica columba, circumamicta varietatibus, placeret sibi adornata. Verumtamen ego coram Jesu Christo, filio Mariæ virginis, consistens, hoc audeo dicere, & ex parte prophetare, quòd ista de quibus sermo fit, & multa alia, quæ in isto libro universo exprimuntur reprehendenda, vel aliàs sanctæ Ecclesiæ Catholicæ distractiva & offensiva, quoad magnam partem jam suum finem sortientur: quia tempus ipsorum jam transivit. Et idcirco, quamvis sæpe dictus libellus fuit ad cætera suppressus & occultatus, tamen jam instat, & instabit aliud tempus, in quo fructus multos apportabit & gloriosos, eo quòd ex fidelibus studiis & laboribus bonis est comparatus Ecclesiæ catholicæ sacrosanctæ.

* Quasi cœlum & Papa idem agerent.

D IN-

INCIPIT SCRIPTUM SCHOLÆ Parisiensis, de periculis Ecclesiæ, compositum Anno 1389.

ECCE clamabunt videntes foris angeli, pacis amore flebunt: Esa. 33. Sicut prophetæ in sacris scripturis appellantur Videntes (qui enim propheta hodie dicitur, vocabatur olim Videns, 1. Reg. 9.) sic vacantes scripturis, & exponentes eas, Videntes meritò dici possunt, cum & ipsi in eisdem literis prophetizare dicantur, Ephes. 4. Alios posuit Apostolos, alios prophetas. Gloss. id est, Scripturarum explanatores. Cum igitur ipsi per scripturas vident Ecclesiæ pericula imminere, debent clamare foris, id est, aliis indicare: alioquin timere possunt, ne propter negligentiam vel contemptum evanescant à cogitationibus suis, & obscuretur insipiens cor eorum, sicut philosophorum: qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, Rom. 1. Et maximè debent indicare illi qui possunt resistere, illis videlicet quibus Ecclesiæ gubernacula sunt commissa: qui etsi præ aliis habeant, & habere debeant notitiam Scripturarum, minus tamen earum inspectioni vacare possunt, negotiorum frequentia impediti: qui tamen, postquam intellexerint memorata pericula, si fuerint verè divini sacerdotes, vehementer dolebunt, & de illis repellendis solliciti erunt. Quod notatur authoritate prædicta, cum dicitur, Angeli pacis, &c. Sacerdotes enim Domini, angeli dicuntur, Malach. 2. Angelus Domini exercituum est: & Apoc. 1. Septem stellæ sunt angeli septem. Ecclesiarum episcopi dicuntur angeli, quia sunt nuncii Christi, qui erit pax nostra, Ephes. 1. præcipuè autem sacerdotes, sive illi Episcopi, flebunt & dolebunt, qui relatores salutis sunt animarum, ut Jesu meritò dici possunt: id est, salvatores, non potestate, sed ministerio. Hoc etiam Jesus noster, scilicet autor salutis nostræ, videns pericula civitatis, id est, finalis Ecclesiæ: flevit super illam, dicens, Quia si cognovisses & tu (Lucæ 19.) utique flevisses, quæ modò exultas. Quòd autem de Ecclesia intelligatur hæc authoritas, ostendit Glossa. dicens: Plangite reprobos, qui nesciunt cur plangantur. & infrà, Qui refugiunt pericula prævidere, quæ temporalem lætitiam perturbant.

Nos igitur Christianæ fidei professores, licèt indigni, Parisiis docentes, qui ex assumpto Gymnasio sacras scripturas, quamvis exiliter, secundum tenuitatem ingenii tamen, frequentius intuemur, attendentes in illis literis pericula novissimorum temporum, quorum similia licèt jam diebus suis instabant, sed nunc plurima videntur instare. Dicit enim Apostolus, 2 Thess. 3. Hoc autem scitote, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa. & infrà, super illo verbo, Ex his qui penetrant domos, dicit Glossa: Jam horum prænuncii quidam sunt, sed in fine plures venturi. Quòd autem Apostolus id propheticè prædixit, docet Glossa convenienter in 4. cap. super illo verbo: Coacervabunt sibi magistros. Glossa: Est prophetia sancti Pauli Apostoli, qui fuit præscius futurorum. Item infrà, 2 Thess. 4. ubi loquitur de eadem materia, dicit Glossa: Spiritus autem sanctus manifestè dicit (mihi in corde, dicit Glossa) quia in novissimis temporibus (Glossa, circa quæ modò amplius vigilandum est) discedent (Gloss. quidam verò volentes) à fide, (Gloss. quæ sibi Spiritus sanctus revelavit, ad instructionem & cautelam Ecclesiæ, non tam ut præmonita Ecclesia sollicita sit, ne ab hujusmodi hominibus circumveniatur.) Cum ergo ex tunc, scilicet ante mille CC. annos elapsos, præmonuerit Apostolus & prædicaverit, ut futura prædicta pericula vitarentur: constat, quòd nunc magis ac magis illis periculis appropinquantibus, multo fortius monendi sunt Christiani de illis vitandis, præcipuè cum & tunc, sive volentibus sive nolentibus ea audire, præcepit Apostolus prædicari. Postquam enim prædicta pericula prædicavit futura & vitanda, 1 Timoth. 4. consimiliter in 3. cap. subjungit, dicens: Testificor coram Deo Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, & per adventum ejus & regnum ejus, insta opportunè, importunè, argue, obsecra: id est, adjuva volentes, increpa asperis verbis resistentes, in omni patientia repugnantium & doctrina recipientium: id est, ita patienter sufferas repugnantes & doceas accipientes, dicit Glossa. Sic ergo patet, quòd necessitas impellat nos ad dicta pericula prædicanda, & ad sollicitandos prælatos super illis inquirendis, scribendis & prævidendis. In his ergò periculis exponendis, procedemus hoc modo. Primò ostendemus, quòd in Ecclesia Christi, multa & magna pericula sunt futura. Secundò, per cujusmodi homines sunt futura. Tertiò, quomodo habiles & idonei erunt ad pericula inducenda. Quartò, cujusmodi erunt qui inducent. Quintò, qualiter procedent in illis periculis inducendis. Sextò ostendemus, quòd qui non prævi-

derint

derint illa pericula, vel prævisa non prædicaverint, peribunt in illis: quoniam & ipsi parantes aliis multa pericula, in multis periculis seipsos constituent. Septimò ostendemus, in quibus periculis & ipsi erunt constituti. Octavò ostendemus, quòd qui non præviderint, aut prævisa non præcaverint, peribunt in illis. Nonò, ne quis dicat, de prædictis periculis nondum esse curandum, utpote adhuc remotis: ostendemus, per quæ signa intelligatur, illa pericula non esse longè remota, sed satis propinqua, & ideo eorum inquisitio & repulsio non sit amplius differenda. Decimò ostendemus, quorum est illa pericula prævidere & pronunciare, & à fidelibus repellere. Undecimò ostendemus, quam pœnam incurrent illi, qui pericula tenentur prævidere & prænunciare, & ab Ecclesia repellere, si non prævideant ea, & prænuncient & repellant. Duodecimò, ne videatur impossibile ea repelli, eo quòd sint propheticè prædicta: ostendemus, quòd ad tempus repelli possunt, si viriliter resistatur. Decimotertio ostendemus, qualiter repellenda sunt, sive qualiter repelli possunt. Decimoquartò, quia non repelli possunt dicta pericula, nisi cognoscantur illi qui pericula procurabunt: ostendemus, ubi poterunt homines periculosi inveniri. Decimoquintò ostendemus plurima signa, quædam infallibilia, quædam probabilia, per quæ poterunt prædicti homines cognosci.

Si quis verò physicus & subtilis disputator, contra ea quæ inferius dicenda sunt, duxerit opponendum, ut sic lectoris animum à simplicitate veritatis avertat, non ideo lector citò molliatur à sensu suo, sed ad nos recursum habere dignetur: quoniam parati sumus ad omnem objectionem circa istam materiam faciendam, opitulante Domino, respondere: non per disputationem & altercationem physicam aut sophisticam, quæ ad nihil utilis est, nisi ad subversionem audientium: sed potius per collationem Catholicam, quæ sola debet esse inter servos Christi, juxta doctrinam Apostoli, 2 Timoth. 2. dicentis: Noli verbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Glossa: Quia contentio nihil potest, nisi subvertere audientes, dum verbosus par vel superior videtur Catholico. Contentio etiam, minus stabilitis generat scrupulum. Solent enim in contentione opponi talia, elimato malevolentiæ argumento, ut moveant animas insipientium fratrum. & infrà: Nemo enim se patitur vinci, licet sciat vera esse quæ audit. Collatio autem inter servos Christi esse debet, non altercatio.

Protestamur autem ab initio, quòd omnia quæ hic dicuntur ad cautelam & instructionem Ecclesiæ universæ, non circa personam aliquam, nec circa statum aliquem per Ecclesiam approbatum, sed circa peccata malorum, & pericula Ecclesiæ universalis dicturi sumus: quæ non ex inventione nostra, sed ex veritate Sacræ Scripturæ collegimus. Supponimus nihilominus tamen omnino Ecclesiasticæ correctioni, si quid in eis visum fuerit corrigendum.

CAPUT PRIMUM.

CIrca primum capitulum, notandum quòd prædicit Apostolus, 2 Timoth. 3. quòd in finali Ecclesia multa imminebunt pericula Ecclesiæ universæ. Unde dicit Apostolus in his verbis: Hæc autem scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, &c. Gloss. dicit: Sanctis. Omnes autem, qui sunt in Ecclesia, non numero tantum, sed merito, Sancti dicuntur: & ita imminebunt Ecclesiæ universæ. Ne autem crederetur, quòd in extremis temporibus tantum, videlicet tempore Antichristi, immineant illa pericula, dicit Gloss. super verbo consequenter: Ex his sunt qui penetrant domos, quia & in primitiva Ecclesia quidam tales fuerunt, per quales instabunt pericula illa. Sed appropinquante finali Ecclesia, in majori multitudine venient: & hoc dicit sic: Jam horum prænuncii quidam sunt, sed in fine plures futuri sunt: nec dicas, In fine, id est, tempore Antichristi tantum: quia tunc temporis, Antichristi, aut similis persecutio imminet persecutioni, quæ fuit temporibus Joannis, ut habetur 1 Joan. 2. Scimus quia novissima hora est. Gloss. id est, Similis novissimæ, quia similis est futuræ persecutioni. Et ibidem: Nunc autem Antichristi facti sunt multi. Glossa: Cum quanto impetu & terrore audistis venturum Antichristum, cum tanta violentia & isti venient. Et 2 Thess. 2. dicit Apostolus de Antichristo: Mysterium jam operatur iniquitatis. Gloss. Jam apparet Antichristi impietas, sed mystica:, id est, pietatis nomine palliata, ut velint haberi ministri Christi, cum ipsi sint pseudochristi. Sic ergo patet pro parte, quòd ante finalem Ecclesiam, & etiam ante multa tempora, pericula imminebunt Ecclesiæ universæ.

CAPUT SECUNDUM.

Per cujusmodi homines futura sunt pericula novissimorum temporum.

CIrca 2. cap. videndum, per quos instabunt dicta pericula. Illi enim dicuntur amare seipsos, qui licèt velint alios corrigere, non tamen ab aliis hominibus volunt corrigi in factis suis, licèt aliquando perversis: unde tales amant se plus quàm veritatem, & ideo plus quàm Deum, qui est veritas, Joan. 14. unde Gregorius in Pastorali: Qui perversa vult agere, & ea cæteris vult tacere, ipse sibi testis est quòd se plus veritate vult diligi, quam contra se non vult defendi. Hic plus diligit se quàm Deum, qui plus quærit honorem suum quàm Dei honorem. August. de vita Christiana: Illi diligunt Deum, qui non aliud, quàm unde nomen Dei glorificetur, exercent. Illi ergo maximè, qui in statu perfectionis sunt, cum honorem suum temporalem, cum multorum etiam offendiculo appetunt & quærunt, plus diligunt se quàm Deum. Ex hoc autem perverso amore sui, quoniam est ex mala quadam radice, incident illi homines seipsos amantes, in varia genera peccatorum: ita quòd aliqui eorum fient cupidi pecuniæ, vel mundanæ gloriæ: alii fient elati contra Deum vel Dominum, videlicet quòd nolunt se subjicere prælatis, sive supponi: superbi de honoribus sibi impensis. Alii fient blasphemi in Deum per hæreses: alii fient inobedientes parentibus, id est, prælatis Ecclesiæ. Alii fient ingrati de bonis sibi impensis. Alii fient scelesti in gravibus peccatis perpetrandis, qui modum peccati transcendunt, & animas suas vel aliorum occidunt, illis qui corrigentibus mala pro bonis reddunt. Alii fient sine affectione, non compatiendo infirmis, scilicet peccatoribus, sed potius eis dedignantes. Alii fient criminatores: id est, aliis crimen imponentes, vel detrectantes, scilicet famam sanctorum maculare conantes. Alii fient incontinentes gulæ vel libidinis, non refrænantes malas cupiditates. Alii fient sine benignitate, nescientes aliis subvenire. Alii fient proditores: id est, secreta alterius revelantes, quæ occultanda noverunt. Alii fient protervi vel procaces, id est, quæ verecundè tractanda essent, de aliis hominibus inverecundè agentes. Alii fient cæci, Tim. 3. Non intelligentes quæ affirmant, neque de quibus agunt. Alii fient tumidi, id est, inflati corde. Alii fient voluptatum amatores magis quàm Dei: id est, carnales delicias spiritualibus præponentes; & hoc dicit Apostolus in his verbis: Et erunt homines seipsos amantes. Gloss. Et, pro quia; quasi dicat: Ideo erunt tempora periculosa, quia erunt homines in Ecclesia seipsos amantes, cupidi, elati, blasphemi, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, sine benignitate, proditores, protervi vel procaces, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei. Et sic exponit Gloss. sicut dictum est, de omnibus, aut his generibus peccatorum instabunt tempora periculosa: unde, 2 Tim. 5. post illa, Et erunt homines seipsos amantes, cupidi & elati, &c. subjungit Apostolus, Ex his qui penetrant domos: id est, ex his peccatorum generibus convenient aliqui in sectam illorum, qui penetrant domos, per quos penetrantes instabunt illa pericula, ut patebit. Qui autem sunt penetrantes domos, exponit Glossa sic: Illi penetrant domos, qui ad literam ingrediuntur domos illorum, quorum regimen animarum ad eos non pertinet, & rimantes proprietates, id est, secreta eorum: quod non potest fieri, ☞ nisi ingerant se ad audiendum confessiones peccatorum eorum: hoc enim est penetrare domos hominum peccatorum, scilicet rimari conscientias eorum, quæ eorum domus appellantur; Eccl. 33. Præcurre prior in domum tuam. Gloss. In domum conscientiæ nos recipiamus, in hanc domum intrat per ostium rector animarum, qui curam habet ab Ecclesia sibi commissam; cui præcipitur Prov. 27. Agnosce vultum pecoris tui. Gloss. Pastori ecce dicit, diligenter attende, de his quibus præesse contigerit, animos actusque singulorum considera, & si quid vitii reperis, statim emendare memento. Huic pastori debet ostium domûs aperiri per confessionem: juxta illud Boët. de Consolatione: Si medicum expectas, oportet ut vulnus detegas. Alienus, qui curam * habet in hac domo, recipi non debet; Ecclesiast. 11. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi: & in eodem: Admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine, & abalienabit te à viis propriis: & ideo de tali alieno dicit Apostolus, 1 Cor. 4. Tu qui es, qui judicas servum alienum? Domino suo stat aut cadit. Alienus autem sine metu conscientiarum, subditorum alienus non intrat per ostium domûs ejus, sed aliunde ascendit. Et ideo dicitur penetrare domum tanquam fur & latro: Joan 10. Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est & latro. Sic ergo habemus, qui sunt qui penetrant domos. Consequenter dicit

* fortè habeat.

cit Apostolus in eadem epistola, cap. 3. Et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis. Gloss. ad literam: Subdolis & versutis verbis seducunt mulieres, & per eas viros eorum: sicut diabolus prius Evam seduxit, & per eam Adam: & eodem modo viros seductibiles ad modum mulierum seducunt ad se, sive ad consilia sua adducunt. Sic enim exponitur hoc verbum seducere, Apoc. 20. Solvetur sathanas, & seducet gentes. Gloss. id est, à Christo ad se ducet. Similiter & mulieres viros seductibiles seducent, & tandem captivabunt eos: id est, in insulam redigent, obligantes scilicet eos ad vivendum secundum consilia sua. Captivari enim, est à propria potestate illius cui subest quis, in alienam redigi potestatem. Sic ergo habemus, per illos qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, instabunt pericula novissimorum temporum: & qui sunt penetrantes domos. Instabunt etiam pericula per pseudoprædicatores, Matth. 24. Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Pseudo autem prædicatores sunt omnes, qui prædicant non missi, quantumcunque literati sunt & sancti, etiamsi facerent signa vel miracula, Rom. 10. Quomodo prædicant, nisi mittantur? Gloss. Nisi missi. Nulla enim signa virtutum eis testimonium perhibent. Et sicut dicit Cyprianus: Siquis præposterè mandat martyres aliquando fieri, sed in lege Dei scripta non sunt quæ mandat: aut est, ut sciamus à Deo impetrasse quæ postulant. Missi autem non sunt, nisi qui ab Ecclesia rectè eliguntur. Sic nec à Deo vocantur, nisi qui rectè eliguntur, lx. q. vii. Nec quisquam assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Gloss. A Deo vocatur qui rectè eligitur. Ab Ecclesia verò eliguntur Episcopi, qui Apostolis successerunt: & parochiales, qui discipulis septuaginta duobus successerunt: & eorum loca tenent Septuagintaduo discipuli in novo Testamento. Unde Lucæ 10. in principio dicit Gloss. Sicut in duodecim Apostolis est forma Episcoporum: sic in Septuaginta duobus discipulis forma est Presbyterorum secundi ordinis, nec plures sunt in Ecclesia gradus ad regendum Ecclesiam constituti. Unde Coepiscopi, qui officium Episcopi usurpant in aliquo, ab Ecclesia sunt sublati, cum non nisi duos ordines inter discipulos Domini esse cognoverimus: id est, xii. Apostolorum & Septuaginta duorum discipulorum. Unde iste tertius ordo Presbyterorum ignoratur. Et quod ratione caret, extirpare necesse est. Ita legitur lxiii. dist. Si quis verò objiciat de Archidiaconis, aut de Vicariis, qui vicem aliorum exercent regendarum animarum: dicimus, quòd talem potestatem habent in Ecclesia, tanquam opitulatores: id est, opem majoribus ferentes. Unde Apostolus, 1 Cor. 12. Quosdam quidem proposuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, &c. infrà, exinde gratia curationum, opitulatores: id est, opem ferentes majoribus, ut Titus Paulo, & Archidiaconi Episcopis. Nullus ergo habet regimen animarum, nisi Episcopi & parochiales Presbyteri, aut eorum opitulatores: id est, eis opem ferentes, vel ab eis legitimè instituti, aut vocati. Sed dicet quis, Omnes prædicare possunt qui habent authoritatem Domini Papæ, aut Episcoporum dioecesium: cum dicatur extra: de hæreticis, cum ex injuncto. Quia verò qui prohibiti vel non missi per authoritatem à sede Apostolica vel catholico Episcopo susceptam, publicæ vel privatæ prædicationis officium usurpare præsumpserunt, excommunicationis vinculo innodentur. Unde videtur à contrario sensu, quòd authoritate sedis Apostolicæ, aut dioecesanorum, prædicare possunt. Respondetur, quòd de potestate Domini Papæ aut Episcoporum disputare non volumus. Verumtamen cum secundum jura tam divina quàm humana in una Ecclesia non possit esse nisi rector unus, alioquin Ecclesia non esset sponsa, sed scortum, 25. q. 1. sicuti in una essentia non debent esse plura capita, ne sit monstrum: extra. de offic. inter cætera. Quoniam in Ecclesiarum regimine officium prædicationis existat præcipuum, sicut ordo Prædicatorum præcipuus est: extra. de hæreticis, cum ex injuncto.

Si verò Dominus Papa concedit aliquibus personis potestatem prædicandi ubique, intelligendum est, ubi ad hoc fuerint invitati: quia etiam Episcopi, si non invitati fuerint ad hoc, ultra dioec. accedere non debent, super aliquibus ecclesiasticis disponendis, 9. q. 2. non invitati. Non enim vult princeps, per mandata Papæ præjudicium interdictioni alterius gravari: extra. de usu pallii ex tenore: extra. de offic. licet ff. ne quis in loco publico, l. ii. si quis à principe. Ne, quod absit, inde videantur nasci injuriæ, unde jura nascuntur: ut libri meminerunt cuncti. extra. de accusationibus. Qualiter & quando. Et secundum Apostolum, nullus debet gloriari in commissione alterius regiminis, 2 Cor. 10. Non gloriabimini in immensum ultra mensuram regulæ, quam nobis mensus est Deus. Gloss. id est, Ultra mensuratum mihi à Deo populum, cujus ego sum regula ad dirigendum. Non enim verisimile est, quòd Dominus Papa contra dictum Apostoli, personis infinitis vel pluribus concedat licentiam prædicandi plebibus alienis, nisi à plebanis ad hoc fuerint invitati, cum dicat, cap. 25. q. 1. Sunt qui dicunt: Quòd si Romanus Pontifex quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, detestari, quod absit, videtur,

videtur, non sententiam dare, sed magis errare convincetur: cum Apostolus plebi alienæ prædicare, ratione jam dicta, noluerit. Nolebat enim super fundamentum alienum ædificare, ut legitur Rom. 15. Sic autem prædicavi Evangelium, ne super alienum fundamentum ædificarem. Gloss. Non sumus immensum gloriantes in alienis laboribus. Gloss. Ubi alius fundamentum posuisset. & alibi: Non habentes spem gloriari in aliena re. Gloss. In commissis alterius regiminis. Item: Si una persona, vel infinitæ, haberent potestatem prædicandi ubique non invitati, cum hoc sit potissimum officium Episcoporum, jam erunt Episcopi universales infiniti: quod est contra jura, videlicet quòd aliquis Episcopus universalis Ecclesiæ dicatur, 29. distinct. Nullus autem Ecclesiæ. Item constat, omnibus illis qui prædicant ex potestate, deberi procurationem sumptus, 1 Cor. 9. Ordinavit Deus his qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Ergo si infinitæ personæ habeant potestatem in qualibet Ecclesia prædicandi, quælibet Ecclesia debebit infinitas prædicationes: quod absurdum est. Ecclesiæ enim quæ suos habent Apostolos, id est, Episcopos, & eorum opitulatores, id est, Archidiaconos & Archipresbyteros, quibus visitantibus eos debent impendere procurationes, secundum decreta Ecclesiastica: & fideles laici qui suos habent Presbyteros, quibus exhibent stipendia debita secundum ordinationem Ecclesiæ, ulterius gravari non debent, x. q. iii. cavendum. Et dum Episcopi mittunt prædicatores per diœceses suas, debent eis ipsi Episcopi, non Presbyteri, non fideles laici vitæ necessaria exhibere, extra. de offic. in or. inter cætera. Nec debent novi Apostoli in Ecclesia constitui, cum ipsa Ecclesia tam de Apostolis quàm de aliis ministris, olim per Apostolos & S. Patrum concilia instituta sit, & ad exemplar monstratum Moysi in monte Sina divinè extiterit ordinata, ut dicit beatus Dionysius in Ecclesia Hierusalem, cap. 5. Cum igitur hierarchia, quæ adinstar cœlestis hierarchiæ ordinata, &, ut dicitur ibidem, non sint nisi duo ordines, scilicet ordo perficientium, qui est superior, habens tres gradus, scilicet Episcopos, Presbyteros, Diaconos sive Ministros: & ordo perficiendorum, qui est inferior, habens similiter tres gradus, scilicet viros regulares, qui ibi Monachi appellantur, & fideles laicos, & catechumenos: nulli autem spiritui angelico licitum sit operari, præterquam ordinatum est à Deo, ut dicit Dionysius in cœlesti hierarchia, cap. 3. à Deo autem ordinatum est, ut nullus inferior exerceat officium superioris, vel influat super eum, sed contentus sit officio suo: relinquitur, quòd viri regulares qui à S. Dionysio Monachi appellantur, dum manent in ordine perficiendorum, qui est ordo inferior: superiorum, id est, perficientium officium, quod est purgare, illuminare, consummare, ut dicitur in Eccles. hierarchia, id est, officium docendi, prædicandi, sacramenta administrandi, nequaquam poterunt exercere: & ideo dicitur in 6. cap. Eccles. hierarchiæ, quòd monachus ordo non debet aliis esse prælatus: vel secundum aliam translationem, Monachus ordo non est aliorum addirectivus, scilicet per doctrinam & prædicationem. Unde supra hoc emanaverunt constitutiones Ecclesiæ, quòd monachi, sicut nec laici, quantumcunque scientiæ nomine glorientur, prædicare publicè non possunt, 16. q. 1. Adjicimus tamen cum suis concordantiis, licet ad officium prædicationis, id est, ad episcopatum, vel plebanatum per electionem canonicam possunt assumi, ut ibid. Sic vive. Non est ergo verisimile, quòd post prædictam tam sanctissimam hierarchiam liceat homini mortali destruere, præcipuè cùm dicit Leo Papa 25. q. 1. quæ ad perpetuam generaliter ordinata sunt utilitatem, per nullam commutationem varientur. Et sic non potest Romanus Pontifex destruere quod ab Apostolis & Prophetis dictum est: alioquin errare convincetur, ut dicit Urbanus Papa 25. q. 1. Sunt qui dicunt, Quomodo divinitùs ordinatam sanctissimam hierarchiam poterit quisquam mortalium immutare, aut etiam reversare: cum nemini prælatorum data sit potestas in destructionem, sed in ædificationem, 2 Cor. 10. etsi ergo aliis quàm regularibus viris posset committi prædicationis officium, videretur tamen ex jam dictis, quòd salva Ecclesiæ hierarchiâ, regularibus viris, dum in suo inferiori gradu perficiendorum manent, prædicatoris officium committi non possit. Ergo si viri regulares prædicationi se immisceant, videtur quòd non sint à Deo missi, & ideo pseudo sunt reputandi. Sic ergo patet ex prædictis, qui sunt penetrantes domos, & qui sunt pseudo; patet etiam, per quos instant vel instabunt pericula novissimorum temporum universæ Ecclesiæ.

CAPUT

CAPUT III.

CIrca tertium, ſcilicet qui homines apti erunt & idonei ad prædicta pericula, ac ad inducenda talia, prædicit Apoſtolus, quòd ipſi erunt homines habentes ſpeciem pietatis. Gloſſa: id eſt, religionis Chriſtianæ, propter quod periculoſi ſunt, dicit Gloſſ. Virtutem autem ejus abnegantes. Gloſſ. id eſt, Charitatem abnegantes non verbis, ſed factis. Dum enim ambiunt officia prælatorum, videlicet officium prædicandi, corrigendi, confeſſiones audiendi, ut dicetur infrà, Charitatem factis abnegant: quia charitas non eſt ambitioſa, 1 Cor. 13. Item cum non poſſunt ſuſtinere correctionem, ut dicetur infrà, charitatem factis abnegant: quia charitas omnia ſuſtinet, 1 Cor. 13. Hic autem dicit Apoſtolus in his verbis: Habentes ſpeciem pietatis, veritatem autem ejus abnegantes. Quòd autem in ſimulata religione decipiant, dicit Dominus, Matth. 7. Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem, &c. Gloſſ. Quia in humilitate ambulant, & falſa religione, ideo cavete ne vos dilanient blanditiis & ſimulationibus: nec eſt credendum operibus illorum, qui oſtentant in aperto, quæ bona eſſe videntur: nam illa faciunt ſimulando, videlicet ut ſancti videantur eſſe, cum non ſint. Unde ſequitur ibidem ſuper illo textu Evangelii: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Gloſſ. In conſpectu hominum ſimiles ſunt miniſtris juſtitiæ, dum jejunant, orant, eleemoſynas dant; ſed non ſunt eorum fructus, quia pro merito eis reputantur, q. d. ab operibus eorum manifeſtis quæ bona videntur, exterius cognoſci non poſſunt, quia ea prava intentione faciunt: ſed ab illis operibus quæ oſtendere non videntur, ſed occultare nituntur, eò quod immunda ſunt, & ad mundana tendunt, cognoſci poſſunt. Item quoniam ſimulatio ſinceritatis eos habiles facit ad decipiendum, aliàs dicit Gloſſ. ſicut illud 2 Cor. 7. In charitate non ficta. Gloſſ. Pſeudo ſimulant charitatem, ut decipiant, ut habetur, 2 Cor. 11. Nam hujuſmodi Pſeudoapoſtoli, operarii ſubdoli. Gloſſ. callidè ſub ſpecie religionis decipientes: & Col. 2. Nemo vos decipiat in religione angelorum. Gloſſ. Qui videntur quaſi nuncii ſecundum ſpeciem & humilitatem religionis, & ſunt quibus homines facilè poſſunt ſeduci: hi, quod ſub habitu religionis decipiant, dicitur Apocal. 6. ſuper illud: Et cum aperuiſſent quartum ſigillum, audivi vocem quarti animalis dicentis, Veni & vide: & ecce equus pallidus, &c. Gloſſ. Videns diabolus nec per apertas tribulationes, nec per apertas hæreſes poſſe, præmittit falſos fratres, qui ſub habitu religionis obtinent naturam rufi & nigri equi, pervertendo fidem: id eſt, tantam facient perſecutionem in Eccleſia, quantam fecerunt aperti tyranni, quos appellat rufum equum: & aperti hæretici, quos appellat equum nigrum. Unde perſecutio iſtorum æquiparabitur illis duabus perſecutionibus tranſactis: & ideo, quia ſub ſpecie pietatis decipient, plus poterunt nocere eccleſiæ Dei, quàm aliqui homines alii, hujus ſpeciem non prætendentes: quia ſicut dicit Greg. in paſtor. Nemo plus nocet in eccleſia Dei, quàm qui perversè agens, nomen habet ſanctitatis & ordinis: propter hoc plus nocere poterunt, quia erunt familiares inimici. Nam fideles Chriſti reputabunt eos amicos, recipiendo eos ſcilicet in domibus ſuis, revelando eis ſecreta ſua, per confeſſ. acquieſcendo conſiliis eorum, ut patebit infrà: quod nullus faceret, niſi reputaret eos amicos: ipſi autem econtrariò mittent eos in errorem, ut patebit infrà proximo capitulo. Unde conſtat, quòd erunt familiares inimici: imóque maximè periculoſi erunt, quia ſecundum Greg. Nulla peſtis efficacior ad nocendum quàm familiaris inimicus. Hi maximè & ſubitò nocebunt Eccleſiæ, quia videbuntur electa membra eſſe Eccleſiæ, quibus Eccleſiæ credantur. Unde ſuper illud Job. 30. Ad dextram Orientis, &c. dicit Gregorius: Ad dextram Orientis, illicò calamitates inſurgent: quia hi ad perſecutionem proſilient: qui electa membra Redemptoris eſſe credebantur: & ſunt extranei, qui perſecutionem repentè & illico mala inferunt. Et ſic patet, quàm apti & quàm habiles erunt illli periculoſi homines ad pericula inducenda.

CAPUT IV.

CIrca quartum, videlicet quæ & cujuſmodi erunt pericula eccleſiæ, quæ inducunt ſeductores prædicti, prædicit Apoſtolus 2 Timoth. 3. Quod ſicut Jannes & Mambres Magi Pharaonis, quorum conſiliis incitabatur Pharao rex Ægypti, & populus, propter ſimulatam eorum ſapientiam, quam & ipſi gloriæ & poteſtatis cupidi oſtentabant, falſa miracula faciendo, reſtiterunt Moyſi nuncio Dei, avertendo ſcilicet regem & populum, ne ipſi Moyſi aſſentirent: ita & iſti ſeductores poſteaquam per ſuam

ſuam ſimulatam ſapientiam & ſanctitatem, quam oſtendunt ad gloriam ſuam, principes & populos Chriſtianos ita ſeduxerunt, quod plenè acquieſcunt conſiliis eorum, hi avertent eos à conſiliis prælatorum eccleſiæ, qui per Moyſen ſignificantur, avertentes ſcilicet principes & populum, videlicet ut potius obediant eorum conſiliis, quàm prælatorum conſiliis: & hoc prædicit Apoſtolus in his verbis: Quemadmodum Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, & hi reſiſtent veritati, id eſt, veræ doctrinæ prælatorum, qui per Moyſen figurantur, avertentes ſcilicet principes & populum Dei à documentis & conſiliis prælatorum, & inducentes ad ſequendum conſilia ſua, ſicut Magi Pharaonis inducebant populum ad credendum magis eis quàm Moyſi: & tamen eorum conſilia valde periculoſa ſunt futura, quia finaliter in moribus erunt reprobi, & in fide corrupti: ut dicit Apoſtolus ibidem his verbis, Homines reprobi & in fide corrupti mente contra fidem. Gloſ. Corruptæ rationis, reprobi operibus. Tandem verò commemoratos principes & populum Chriſtianum dictis modis avertunt à conſiliis, & tandem ab obedientia prælatorum. Tunc ipſi facilius mittent eos in errores, tam contra bonos mores, quam contra fidem: & hoc prædicit Apoſtolus his verbis, Mali autem homines. Glo. in ſe & ſeductores. Gloſ. aliorum, qui hujus officii ſunt, dicit Gloſ. proficient in pejus ita: id eſt, ipſi dicto errantes à bono, & alios in errorem mittentes ipſo actu, dicit Gloſ. videlicet qui non tantùm perverſa docebunt, ſed etiam perverſi, quæ & qualia erunt pericula, quæ dicti ſeductores inducent: videlicet, qui avertent fideles à conſiliis & obedientia prælatorum, & poſtea inducent eos in errorem contra bonos mores & contra fidem eandem. Unde fideles eos audientes, peribunt: & ipſi ſicut fures, ut oſtendetur infrà: & fideles ſunt oves, ſed nomen ovium perdunt, quando ſeduci ſe permittunt. Veræ autem oves non audient, Joan. 10. Unde ſuper illud Ezechielis iij. Fili hominis cum ſcorpionibus habitas, dicit Gloſſ. In Evangelio dicitur, Non audient eos oves: qui ergo fures & latrones audierunt ovium vocabulum perdiderunt, & non quaſi oves perierunt, ſed quaſi viperæ & vulpes & ſcorpiones. Iſta autem ſunt pericula in generali, quæ per prædictos ſeductores inſtabunt. Ut autem ſpecialius ad pericula deſcendamus, dicimus, quòd per eos tanta poſtmodum erunt pericula, quòd juſti & fideles nullum fidele refugium invenient apud homines. Hier. 9. Unuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in fratre ſuo non habeat fiduciam: & non invenientur viri juſti, quibus cor ſuum audeant aperire. Micheæ 7. Noli credere amico, noli confidere in duce: ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Tandem verò procedente tempore tanta erunt pericula, quòd frater tradat fratrem in mortem, & pater filium, & quòd filii inſurgent in parentes, id eſt, prælatos, & morte afficient eos, ut dicitur Matth. 10. Et tanta erit tribulatio, qualis nunquam fuit ab initio mundi uſque modò, nec fiet, & quòd in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi, ut dicitur Matthæi 24. Hæc ſunt igitur pericula, quorum quædam inſtant, reliqua verò forſan non multum diſtant.

CAPUT V.

Circa quintum, quam doloſè prædicant illi ſeductores ad inducendum memorata pericula, prædicit Apoſtolus conſequenter, quòd licèt non habeant curam vel regimen animarum ſibi commiſſum, tamen authoritate propriâ, callidè ſubintrabunt domos ſingulorum, rimantes proprietates ſive ſecreta cujuſque: quod fieri non poſſe conſtat, niſi ingerant ſe ad audiendum confeſſiones. Cum autem fuerint ſecreta rimati, & proprietates hominum per confeſſiones, vel alio modo, tunc ſubdolis ac verſutis verbis primò ſeducent mulieres, & poſtea per eas viros earum, ſicut diabolus priùs ſeduxit Evam, & per eam Adam. Seducent etiam præter mulieres & viros, quos invenient ſeductibiles ad modum mulierum. Adeoque ſeducent eos, ut ſcilicet ad ſe ſive ad conſilia ſua ducent, quòd redigent eos in propriam poteſtatem quaſi captivos, videlicet procurantes, aut per juramenta, aut per vota aſtringendo, ut ipſis relictis prælatorum ſuorum conſiliis, qui eorum præſunt animarum regimini, & quorum conſilia debent requirere & mori & vivere, ut iſtorum potiùs conſiliis adhæreant, & ſecundum illa ordinent ſe & ſua, tam in vita quàm in morte: quamvis non poſſunt eas ſolvere, vel ligare. Et dicit hoc Apoſtolus his verbis: Ex iis qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis: ſecundum quod Gloſſ. exponit: Si bene ponderentur verba ejus, in hunc modum, penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, ad literam: Domos mulierum & virorum ſeductibilium ingrediuntur, & rimantur proprietates cujuſque, & captivas inducunt, id eſt, ſeducunt mulierculas, priùs eas & per eas viros earum, ſicut diabolus priùs ſeduxit Evam, & per eam, Adam. Item Gloſſ. Captivas

ptivas ducunt mulierculas, id est, viros seductibiles & ut mulieres seducunt, id est, à consiliis prælatorum suorum ad sua consilia ducunt: infrà enim exponitur hoc verbum Seducere, Apocal. 10. Solvetur Sathanas, & seducet gentes. Gloss. id est, à Christo ad se ducet. Item, conscientiæ fidelium domus eorum sunt, Ecclus. 32. Præcurre prior in domum tuam. Gloss. In domum conscientiæ nos recipiamus. In hanc domum non debet recipi alienus, Ecclus. 11. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi. Et Ecclus. 11. Admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine, & alienabit te à viis propriis. Huic alieno dicitur Rom. 14. Tu quis es, qui judicas servum alienum? Domino suo stat aut cadit. Sed in domum conscientiæ debet ille recipi, qui curam illius animæ habet; juxta illud Boëtii de Consol. Si medicum expectas, oportet ut vulnus detegas. Ipsa enim curæ commissio ostium est, per quod prælatus debet ingredi in domum: id est, in conscientiam sui parochiani; juxta illud Prov. 27. Diligenter agnosce vultum pecoris tui. Gloss. Pastori Ecclesiæ dicitur, Diligenter curam adhibe de his, quibus te præesse contigerit: animos actusque singulorum considera, & si quid vitii reperis, statim emendare memento. Constat autem, quòd animos actusque singulorum non potest agnoscere pastor, nisi per confessionem illorum. Necesse est ergo, quòd confessionem illorum audiat saltem semel in anno. Et hoc præcipitur in concilio generali, extra. de Poe. & reg. cap. 3. Ab hac ergo intentione confitendi proprio sacerdoti saltem semel in anno, non liberantur parochiani, quantumcunque alteri sacerdoti confiteantur: quoniam illi non possunt auferre periculum custodiæ animarum à proprio sacerdote, illius cujus audit confessionem, nec etiam ab alio cujus audit confessionem, nisi vicem gerat proprii sacerdotis. Qui enim aliter suscipit ad poenitentiam parochianum alterius, gravius sui periculo subjacebit, de pe. di. V. placuit. Illi ergo quibus non est cura commissa, non videntur intrare per ostium, sed aliunde: & sic videntur penetrare domos, & esse fures: juxta illud Joan. 10. Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur & latro est. Illos autem maximè seducent prædicti seductores, quos invenient instabiles & varios corde, & ideo nova semper desiderantes; & hoc prædicit Apostolus in his verbis, quòd seducuntur in his desideriis. Et ita exponit Gloss. sicut dictum est, si diligenter inspiciatur intimé. Ex hac enim seductione continget, quòd fideles Christi ab eis seducti, majorem eis reverentiam & obedientiam exhibent quàm propriis prælatis, licèt non possint eos solvere vel ligare: & ita facient claves Ecclesiæ contemni, & prælatos vilipendi, sicut Corinthii contemnebant veros Apostolos propter Pseudo, à quibus erant seducti, 2 Cor. 11. Nam si quis imperitus sermonis. Gloss. Corinthii præferebant pseudoprophetas Apostolis veris, causa accurati sermonis. Contemptus autem prælatorum à subditis magnum periculum est in utrisque: nam sequitur odium prælatorum in subditos. Unde super illud 1 Timoth. 3. Oportet Episcopum habere testimonium ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli: dicit Gloss. Ut non incidat in contemptum apud fideles, id est, subditos suos: & sic postmodum incidat in odium, id est, contra subditos suos. Postquam autem fecerint claves Ecclesiæ contemni & prælatos vilipendi, facilè poterunt inducere errores & pericula, secundum quod patebit infrá. Et ideo tam in textu quàm in Gloss. seductores appellantur, vel seducentes: id est, ad se ducentes, sicut exponit Gloss. supradicta, Apoc. 20. super id, Solvetur Sathanas & seducet gentes: & sic patet, qualiter & quàm astutè procedant dicti seductores ad periculum inducenda.

CAPUT VI.

Circa sextum, scilicet Qui non prævident pericula, peribunt in illis: sciendum, quòd qui pericula hæc non prævidebunt, transferentur proculdubio à civitate Dei in civitatem diaboli, & ibi captivi detinebuntur Esa. 5. Propterea ductus est populus meus captivus, quia non habuit scientiam Proverb 5. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine scientiæ suæ decipietur: quia, sicut dicitur 1 Thes. 5. Dies domini sicut fur, ita in nocte veniet. Glos. Dormientibus & imparatis illis, qui non providebunt pericula noviss. temporum, & qui non faciunt quæ sunt necessaria ad repellendum: qui enim prævident pericula & non laborant ut repellantur, videntur amare periculum.

CAPUT VII.

Circa septimum, videlicet, In quibus periculis sunt, qui hæc pericula procurabunt: quoniam unicuiquè mandatum est de proximo Eccles. 18. & Prover. 24. dicitur, Erue eos qui ducuntur ad mortem: ideo ne pericula illorum seductorum, per quos periclitantur alii, negligere videamur, quibus periculis præcipuè eruendi essent à prælatis Ecclesiæ: proponimus eis quatuor pericula ad prædicandum eis & docendum, in quibus ipsi seductores, qui procurabunt aliorum pericula, sunt constituti. Primum est, quoniam fures & latrones sunt: qui enim penetrant domos, & aliunde intrant in ovile ovium, scilicet congregationem fidelium (nam intrando per ostium, non penetrant) illi igitur qui penetrant domos, & per quos instant tempora periculosa, fures sunt & latrones, Joan. 10. Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, fur est & latro. Hi ergo fures sunt, quia potestatem prælatorum in subditos eorum usurpant, & eos à regimine & consiliis prælatorum avertunt, Joan. 10. Fur non venit, nisi ut furetur, alienam rem usurpando: & mactet, à fide retrahendo, à fidelitate quam debet prælato suo, & perdat. Glossa: In æqua damnatione.

Secundum est eorum periculum, qui Pseudoprophetæ sunt, sive falsi prophetæ: qui enim penetrant domos fidelium, non missi accedunt ad eos: si enim missi accederent, hostiarius eis aperiret, & non aliunde quàm per ostium, intrarent. Intrando autem per ostium, non penetrarent. Ergo si penetrant, non missi accedunt: qui autem non missi accedunt ad fideles CHRISTI, ut eis prædicent, & eos regant per doctrinam suam, Pseudoprophetæ sunt. Rom. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Glossa: Non sunt veri Apostoli, nisi missi. Nulla enim signa virtutum eis testimonium perhibent. Ergo qui prædicant, non missi, Pseudoprophetæ sunt, sive falsi prophetæ: & sunt lata porta, quæ ducit ad mortem: de quibus dicitur Matth. 7. Attendite à falsis prophetis. Glossa: quos paulo antè vocavit latam portam, quæ ducit ad mortem, hic prophetas falsos apertius dicit. Sunt ergo in maximo periculo, quia pseudo sive falsi prophetæ, & lata porta quæ ducit ad mortem. Item, quia falsi prophetæ sunt, ideo omnes illos qui eos reprehendunt, & qui eis non applaudunt, infamare conantur, ut super id Hieremiæ 23. A prophetis Hierusalem egressa est pollutio super omnem terram. Dicit Gloss. Non sufficit eis proximos lædere: sed quos semel oderunt, per totum orbem conantur infamare.

Tertium eorum periculum est, quoniam cum ipsi veniant in vestimentis ovium, tamen sunt lupi rapaces, ut legitur Matth. 7. Sicut enim oves possessoribus suis ministrant indumenta & alimenta carnalia, scilicet lac & lanam: ita & isti qui ad prædicandum Christi fidelibus non missi accedunt, prætendunt exterius, quòd accedunt ad ministrandum Christi fidelibus alimenta & indumenta spiritualia, videlicet doctrinam spiritualem & bona exempla: intrinsecus autem intendunt refici de bonis carnalibus eorum: sicut lupi accedentes ad oves ad hoc accedunt, ut de carnalibus earum reficiantur. Unde Actorum 20. super illud Pauli, Argentum & aurum nullius concupivi: dicit Glossa, quia in hoc cognoscuntur lupi, qui talia concupiscunt: & ideo dicitur Matthæi 7. Quòd venient in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Glossa: Quia in humilitate ambulant, & falsa religione. Item Glossa: De omnibus hoc intelligitur qui aliud habitu & sermone, aliud operibus ostendunt: nec hoc intelligendum est de operibus exterioribus quæ prætendunt, quia illa bona videntur: sed de illis quæ intendunt, non tamen illa prætendunt. Unde super illud in eodem cap. A fructibus eorum cognoscetis eos, dicit Glossa, In conspectu hominum similes sunt ministris justitiæ, dum jejunant, orant, eleemosynas dant: sed non sunt eorum fructus quia pro vitiis eis imputantur. Sunt ergo illi tales lupi rapaces, de quibus dicitur Joan. 10. Lupus rapit & dispergit oves, rapit alienos subditos usurpando, seu dispergit eos à Prælatorum doctrina & consiliis avertendo. Sunt ergo in magno periculo, cum sint lupi rapaces. Quartum est periculum eorum, quoniam finaliter corrupti erunt in fide, & finaliter deserent Christum, illi inter reprobos damnabuntur: sicut dicit Apostolus 2 Timoth. 3. de penetrantibus domos: Homines, inquit, reprobi, mente corrupti, contra fidem. Constat autem, quòd nullus reprobus est, nisi qui finaliter deserit Christum. Sunt ergo tales in periculis multis & magnis, non solùm in prædictis, sed in multis aliis. Sed hæc ad præsens sufficiant. Quòd autem prædictis periculis non terrentur, durum cor habent, & ideo finaliter maximè malè accidet eis. Eccles. 3. Cor durum malè habebit in novissimo. Item, quia in prædictis periculis sunt & nolunt deserere, tam periculosum statum amare videntur, & ideo in statu illo peribunt. Eccles. 3. Qui amant periculum, peribunt in illo.

CAPUT

CAPUT VIII.

CIrca octavum, videlicet quòd non longè remota sunt illa pericula novissimorum temporum, & quòd eorum inquisitio & repulsio non sit magis differenda, ex eo patet sic: quia sicut dicit Apostolus, 2 Cor. 10. Nos sumus, in quos fines seculorum devenerunt. Gloss. Quia in ultima ætate seculi sumus: post enim istam sextam ætatem, quæ est pugnantium: cum qua currit septima ætas, quæ est quiescentium: non est ventura ætas alia nisi octava, quæ est resurgentium. Ergo nos sumus in ultima ætate hujus mundi, & illa ætas non minus durabit quàm aliæ, quæ currunt per millenaria annorum: quia istæ jam duraverunt per 1264 annos. Verisimile ergo est, quòd nos sumus prope finem mundi, periculis novissimorum temporum propinquiores sumus, quæ futura sunt ante adventum Antichristi; præcipuè cùm dicatur Jacobi 5. Ecce judex ante januam assistit. Gloss. Veniet citò ad retribuendum. Item Joachim super Jerem. Omne tempus à 1200 ultrà æstimo periculosum. Item ad Hebr. 10. Adhuc aliquantulum modicum qui venturus est veniet, & non tardabit. Item Philip. 2. Scimus quia novissima hora. Gloss. id est, scimus quòd absque dilatione dies judicii veniet. Item Matth. 20. Circa undecimam verò horam exiit, &c. Gloss. Undecima hora ab adventu Christi usque in finem mundi: & certum est, quòd hujus undecimæ jam transacti sunt 1254 anni, tempus hujus anni relinquitur: ergo quòd in novissimis temporibus sumus, & illis valde propinqui, præter has prædictas authoritates, ostendemus per octo signa, quòd jam prædicta pericula instant.

Primum est, quoniam jam transacti sunt 55 anni, quòd aliqui laborabant ad mutandum Evangelium Christi in aliud Evangelium, quod dicunt forte perfectius & melius & dignius, quòd appellant Evangelium SS. sive * Evangelium æternum, quo adveniente evacuabitur Evangelium Christi: ut parati sumus ostendere in illo Evangelio maledicto: per hoc autem signum manifestum est, quòd prope est tempus Antichristi, de quo in psalmis: Constitue Domine super eos legislatorem. Gloss. Antichristum, legis pravæ latorem. Et in eodem: Auferuntur judicia tua à facie ejus, id est, Antichristi.

Secundum signum est, quòd illa doctrina, quæ prædicabitur tempore Antichristi, videlicet Evangelium æternum, prima suis ubi viget sacræ scipturæ studium positum fuit jam publicè ad exemplandum, anno Domini 1255. Unde certum est, quòd jam prædicaretur, nisi esset aliquid quod eam detineret: quid autem detineat, scitis: nempe imperium Petri & eorum qui loca Apostolorum tenent, scilicet Episcoporum. Nisi enim veniret primùm defectio, non veniet filius iniquitatis, 2 Thess. 2. Unde caveant Episcopi, ne dicti prædicatores pseudoprophetæ procurent eorum percussionem, id est, ablationem potestatis eorum, sicut significatur in Evangelio æterno.

* de quo consulat lector Anglus virum integerrimū pariter & doctissimum Doctorem Stillingfleet in tractatu suo de Fanaticismo Ecclesiæ Romanæ: ubi plura de hoc libri mōstro, à blasphemo Fratre mendicante conscripto, reperiet.

Tertium signum est, quòd sicut in Babylone reproba, postquam visa est manus scribens, Mane, Thecel, Phares, statim secuta est subversio ejus, Daniel. 5. Sic in Babylone dilecta dicitur Esaiæ 9. id est, in Ecclesia, cum jam visa sit dicta scriptura, quod propè sunt pericula ejus. Sed ista tria verba jam visa sunt scripta in Ecclesia. Scripta enim sunt in illo maledicto libro, quem appellant Evangelium æternum, quod jam in Ecclesia propalatum est, propter quod timendum est de subversione Ecclesiæ. Primum verbum est Mane, id est, numeravit Dominus regnum tuum: & conclud.it, ut exponitur Dan. 5. Ibi enim numeratur regnum Ecclesiæ, secundum Evangelium Christi, & concluditur in 1260 annis ab incarnatione. Item ibi invenitur Thecel, quod est appensum in statera & inventum est minus habens, ut exponitur Dan. 6. Nam ibi comparatur Evangelium Christi ad Evangelium æternum: id est, inventum est minus habens perfectionis & dignitatis, quàm Evangelium æternum: quantò minus lucet luna quàm sol, quantò minus valet testa quàm nucleus: & multæ tales ibi positæ sunt comparationes, quibus probatur minus valere Evangelium Christi quàm Evangelium æternum. Item in scriptura illa, id est, in Evangelio æterno invenitur Phares, quod interpretatur, divisum est regnum tuum à te, ut exponitur Daniel. 5. Nam ibi invenitur quòd Evangelium Ecclesiæ dividitur post prædictum tempus ab illis qui tenent Evangelium Christi, & dabitur tenentibus Evangelium æternum. Sic ergo certum est, quòd scriptura illa, Mane, Thecel, Phares, visa est in Ecclesia: unde nihil aliud restat principibus Ecclesiæ qui sedent in mensa scipturæ, nisi quod surgant de mensa ad obviandum subversionibus Ecclesiæ, secundum quod præcepit Dominus per Esa. 21. ubi loquitur de eadem materia, dicens, Comedentes & bibentes. Gloss. id est, sanguinem & carnem Domini nostri Jesu Christi, scilicet principes surgite & accipite gladium. Glossa: Sumite armaturam fidei & gladium spiritûs, quod

quod est verbum Dei, in quo possitis ignita tela diaboli extinguere: nihil etiam restat speculatoribus Ecclesiæ, id est, prælatis, nisi ascendere speculas, ut quodcunque viderint, annuncient, juxta præceptum Domini paulò post datum Esaiæ 21. Vade, pone speculatorem, ut quodcunque viderit annunciet q. d. Excita prælatos ad speculandum.

Quartum signum est, quòd appropinquante fine seculi & adventu Antichristi, quidam qui apparent in Ecclesia sanctiores, tamen faciant quod displicet Christo, corrigentur per aliquos: juxta visionem Joannis, de correctione Ecclesiarum, Apoc. 2. & 3. Ipsi autem correptores tradentur in tribulationem, & procurabunt ut ab omnibus odio habeantur, & ut aliqui ex eis occidantur: hoc est, quod dicitur Matth. 24. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: & tunc propè erit consummatio seculi. Hoc enim signum & tria sequentia, sunt de propinquis signis ipsius consummationis, & initia dolorum, quæ erunt tempora Antichristi; unde sequitur ibidem: Hæc omnia initia dolorum sunt, scilicet qui erunt tempore Antichristi.

Quintum signum est, quoniam appropinquante consummatione seculi, illi qui videntur sanctiores in Ecclesia reprehendentur de falsa sanctitate, & de sua præsumptione: propter quod multi, tam ipsi scilicet quàm eorum fautores, scandalizabuntur; & hoc dicitur consequenter Matt. 24. Et tunc scandalizabuntur multi.

Sextum signum est, quoniam appropinquante consummatione seculi, surgent in Ecclesia prædicatores, commendantes semetipsos contra Apostolum, 2 Cor. 1. Nos non audemus nosmetipsos inserere, aut comparare quibusdam qui semetipsos commendant. Gloss. Sicut pseudoprophetæ qui semetipsos commendant, non eos Deus, & excedentes se & gloriantes se ultra mensuram Ecclesiæ quâ mensus est Deus, 2 Cor. 10. Gloss. Ultra mensuratum sibi à Deo populum, qui gloriantur in prædicando plebibus suis, & isti sub specie sanctitatis multos seducent: id est, à consiliis prælatorum ad sua consilia ducent: & hoc est quod dicitur Matth. 24. Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.

Septimum signum est, quòd appropinquante consummatione seculi, quidam qui videntur in Ecclesia maximi zelatores fidei, & maximè amare Christum, dimittent Evangelium Christi, & adhærebunt Evangelio æterno, quod ex toto absorbet fidem Christi: unde refrigescit charitas, quia sermo Dei non custoditur. Joan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, &c. Et tunc implebitur signum, Matth. 24. Et quoniam abundabit iniquitas. Gloss. id est, infidelitas, refrigescet charitas multorum.

Octavum signum, quoniam appropinquante consummatione seculi, annunciabuntur necessaria signa propinqua consummationis seculi, ut sic intelligant metuentes Christum, propè esse consummationem seculi & dolorum, qui erunt tempore Antichristi: juxta illud Psal. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcûs, vel à signis annunciantis: tunc veniet consummatio. Unde Deus postquam illa annunciari præcepit, statim subjungit Matth. 24. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, & tunc veniet consummatio. Cùm ergo jam annuncientur signa prædicta, ut necesse est nunciari, quoniam jam apparent satis: apparet ex verbis Domini, quòd citò ventura est consummatio seculi. Qui hæc signa non vident esse jam in Ecclesia, dormire videntur: unde acquiescamus consilio Apostoli, 1 Tim. 5. Non dormiamus, sed vigilemus. Evigilate ergo justi, 1 Cor. 15. Et per signa prædicta quæ jam apparent, videbunt consummationem seculi prope esse: & dolorem qui erit tempore Antichristi, jam inchoari. Patet ergo, quòd non est amplius differenda speculatio & repulsio dictorum periculorum, præcipuè cum tempore Apostoli mandaverit ea Apostolus prædicari cum instantia, tam volentibus quàm nolentibus, tam repugnantibus quàm recipientibus: & causam subjungit, scilicet, Quoniam futurum erat ut multi sanam doctrinam non reciperent, sed volent illa tamen sibi prædicari quæ libenter audiunt: & hoc videmus temporibus istis, cum quidam homines sustinere non possunt, ut dictorum periculorum veritas prædicetur: hoc est quod dicit Apostolus, 2 Timoth. 3. Testificor coram Deo & Christo Jesu: id est, adjuro teste Deo Patre & Jesu Christo, qui venturus est judicare vivos & mortuos: Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, impera in omni patientia & doctrina. Unde Gloss. in prooemio sequitur: Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt. Gloss. Quasi onus sit eis, sed secundum sua desideria coacervabunt sibi magistros. Gloss. multos, qui eos doceant quæ volunt. Prophetia est S. Apostoli, qui fuerat præscius futurorum. In doctrina enim prædicitur instandum, ut quod contra hoc futurum erat præparetur Eccl. Tales enim prædicit futuros, qui pro desideriis doceri volunt, ut à magistris constantibus & veracibus ad hoc convertantur, qui hæc illos doceant quæ libenter audient, quia veritas aspera eis videbitur, ut relicta vera doctrinâ fabulis vacent, & ita * minam talibus, quales in theatris cantantur, & non tales adversus

* mancum est exemplar.

adversus Deum fingere potuisse illam insipientiam dolemus, & miramur audaciam. Et sic patet ex prædictis, quòd non sunt remota longè, sed propinqua, dicta pericula: & quòd eorum speculatio & inquisitio & repulsio non sint amplius differendæ.

CAPUT IX.*

CIrca nonum, videlicet quorum est inquirere & prævidere, & repellere dicta pericula. Sciendum est, quòd prælati, quibus dicturus est Dominus in judicio illud Hier. 13. Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? qui tenetur reddere damnum gregis, Gen. 31. Ego omne damnum reddebam tibi, quicquid furto peribat à me exigebas: quibus etiam dicitur, Prover. 33. Erue eos qui ducuntur ad mortem: & eos qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris, Vires non suppetunt, qui inspector cordis est, ipse intelligit, & salvatorem animæ tuæ nihil fallit. Ipsi, inquam, prælati, qui etiam speculatores sunt Ecclesiæ, (ut dicitur Ezechielis 3. Speculatorem dedi te domui Israel) debent ascendere speculas, & speculari utrum talia pericula, qualia dicta sunt, sint in Ecclesia. Nam sicut dicit Gloss. ibidem, Interest speculatoris, qui semper in alto stat, ut quicquid venturum est, longè antè prospiciat, & super periculo prudentes debent præmonere subditos de illis vitandis. Unde super illud Esaiæ 52. Vox speculatorum tuorum, dicit Gloss. Speculatores sunt, ut omnia prævideant & subditos præmoneant. Item super illud 1 Timoth. 3. In novissimis temporibus discedent à fide: dicit Gloss. Contra quos amplius vigilandum est, ut præmonita Ecclesia solicita sit, ne ab hujusmodi hominibus circumveniatur: Episcoporum enim officium est Pseudoprædicationibus resistere, ut dicit Gloss. 1 Timoth. 1. in principio, his verbis: Timotheo relicto in Asia episcopo, scribit Apostolus de officio episcopali: id est, quomodo pseudoapostolis resistat. Unde Apoc. 2. de hoc commendatur episcopus Ephesinus, à Domino his verbis: Scio, id est, approbo tua opera & laborem tuum: id est, ordinationem, quoniam non potes sustinere malos: & probasti eos qui se dicunt Apostolos, & non sunt: id est, missos se à Deo, ut facilius decipiant: & invenisti eos mendaces: & patientiam habes in malis, quoniam in dioecesibus suis celeriter conquirant, judicent & ulciscantur, absque impedimento alicujus etiam publico.

* Etiamsi necesse fuerit ipsius conjuncti per terrenas potestates, & sustinuisti propter nomen meum: id est, non pro humana laude. Item hæc est potestas episcoporum, ut in dioecesibus suis sedulò inquirant, judicent & ulciscantur absque impedimento alicujus etiam pub. & si necesse fuerit convocando, extra. de offic. ord. cap. 1. purgare enim debent dioeceses de malis hominibus undecunque sunt, ad instar præsidis provinciæ. ff. de offic. præsidis l. præses. Et hoc nullo obstante privilegio. c. ibi de crimine arguet. Item, oportet in provincia. Maximè autem debent purgare provincias suas ab hæreticis, & seminantibus errores, alioqui deponendi sunt, & alii eorum loco instituendi, qui hoc facere velint & possint: extra. de hæreticis. Excommunicamus, scilicet addicimus. Et sic patet, quorum est prædicta pericula inquirere & prævidere, & ab Ecclesia expellere: videlicet prælatorum, & quam poenam incurrant prælati Ecclesiæ tam in præsenti quàm in futuro, si ad repellendum prædicta pericula fuerint negligentes.

* Desunt aliqua.

CAPUT X.

CIrca decimum, videlicet quam poenam incurrant prælati, si contra prædicta extiterint negligentes: sciendum, quòd si hæc prædicta non fecerint episcopi, sanguis eorum qui in his periculis peribunt, de ipsorum manibus exquiratur. Ezech. 3. Sanguinem illius de manu tua requiram. Et præter hanc poenam, quæ erit in futuro, punientur etiam in præsenti, quia sicut Danieli viro desideriorum suorum, & stanti in gradu suò, dictum est, Dan. 10. Veniam ut doceam te quæ ventura sunt in novissimis diebus populo tuo: ita è contrario episcopis non stantibus in gradu suo, id est, negligentibus contra prædicta, corda eorum excæcabuntur, ut non possint intelligere dicta pericula, nec præcavere: & ideo peribunt in illis: hoc est illud Esa. 6. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude. Item in hoc præmonentur etiam speculatores Ecclesiæ, si non steterint super speculas suas, ad prævidendum & prænunciandum pericula Ecclesiæ: quoniam cum propter negligentiam suam ipso facto videantur dicere pacem & securitatem, tunc repentinus superveniet interitus super eos, & super

super subditos eorum secundum quod dicit Apostolus, 1 Thess. 5. loquens de ultimis temporibus: Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus. Has ergo pœnas incurrunt tam prælati quàm subditi eorum, si prælati ipsi in prædictis fuerint negligentes.

CAPUT XI.

EAdem prædicta pericula, ut sunt prophetata, licèt venient, poterunt tamen repelli ad tempus, si eis viriliter resistatur.

Circa undecimum, ne fortè prælati, quorum est ita pericula repellere, dicere possent: Ex quo ita futurum esse prophetavit Apostolus, non possemus pericula ista repellere: ideo occurrit illud Apostoli 2 Timoth. 3. dicentis: Quòd si prælati, quorum est defendere Ecclesiam, viriliter se opposuerint, resistendo viriliter istis seductoribus, manifestabitur eorum seductio & videbitur. Sicut enim Moses, non obstante offensa regis & populi Ægypti, quorum favorem habebant Magi prædicti, viribus illius resistendo, eos superavit: defecerunt enim in tertio signo, Exod. 8. & sic insipientia Magorum, quæ priùs ab Ægyptiis sapientia reputabatur, manifestata fuit per Moysen: & sic prælati Ecclesiæ, qui per Moysen figurantur, si viriliter restiterint illis seductoribus, non obstante offensa regum & principum & populi Christianorum, quorum favorem & gratiam malis artibus sunt adepti, secundum quod dicit Seneca ad Lucilium, Malis artibus popularis favor quæritur: proculdubio superabunt eos, & manifestabunt insipientiam eorum, quæ priùs sapientia putabatur. Et hæc prædicit Apostolus in his verbis: sed ultra non perficient. Gloss. Seducendo, quia in brevi deficient, superati è Catholicis: supple prælatis, quorum est Ecclesiam defensare. Insipientia enim eorum. Gloss. Quæ modò putatur sapientia, omnibus erit manifestata per bonos, supple prælatos, vel doctores: sicut etiam insipientia illorum, scilicet Magorum, fuit manifestata per Moysen, scilicet qui gerit typum prælatorum & Ecclesiæ; quin manifesta fiet insipientia eorum, quæ priùs putabatur sapientia. Cum enim Christiani principes & populi, qui dictis seductoribus suas commiserunt animas ad regendum, & etiam in eis ad ipsorum prædicationem & clamorem spem salutis suæ, q. essent eorum potestates spirituales, ponentes per exhortationem prælatorum & doctorum Ecclesiæ, advertent illos non habere potestatem animarum quam sibi usurpant, & ita cognoscent se esse deceptos; tunc relictis illis revertentur ad consilia & præcepta prælatorum suorum: & tunc apparebit insipientia prædictorum seductorum, quæ priùs sapientia putabatur. Et hoc dicit Aug. in Gloss. ibidem recitans authoritatem Senecæ, comparans illos seductores perdici, quæ ad clamorem suum congregat pullos alienos, quos non peperit: & facit eos divitias suas, id est, eos vendicat quasi suos. Sed tandem recognoscentes pulli, quòd non est mater eorum, derelinquunt eam · & tunc apparet insipientia ipsius perdicis. Et hoc dicit Gloss. in his verbis: Comparat istos seductores Magis Pharaonis, quos Hier. perdici insipienti aviculæ comparat, dicens: Clamavit perdix, & congregavit quæ non peperit, & fecit divitias non cum judicio, id est, temeré. In medio dierum ejus derelinquunt eam, & in novissimo erit insipiens ipse perdix. Similiter & isti per hunc modum manifestabuntur & apparebunt insipientes. Sic ergo apparet, quòd prædicta pericula repelli poterunt ad tempus, si prælati viriliter duxerint resistendum.

CAPUT XII.

CIrca duodecimum, scilicet qualiter sunt dicta pericula repellenda: sciendum, quòd sex sunt necessaria ad repellenda illa. Primum est, contemplari qui sunt qui penetrant domos, & utrum jam venerunt ad Ecclesiam Christi. Hoc autem præcipitur Esa. 21. Vade, pone speculatorem: id est, excita speculatores ad speculandum prædicta. Hoc boni speculatores diligenter faciunt: sed quod dicitur Esa. ibidem super speculam Domini ego sum stans jugiter. Secundum est, ut cum inventum fuerit, nescientibus indicetur. Unde Esa. 21. Postquam dictum est, pone speculatorem: statim subjungitur, Ut quodcunque viderit, annunciet. Tertium est, cum indicati fuerint, præcipere ut vitentur, ut dicit Apostolus, 2 Timoth. 3. Et hos devita: ubi loquitur de talibus. Quartum est, illis inhibere docendi licentiam, sive prædicandi: quia ut dicitur 1 Cor. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia prava: ipsi verò mala colloquia habebunt; quia sicut dicitur 2 Tim. 3. Jannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistent veritati. Quintum est, præcipere illis qui sunt de secta illa, ut deserant eam, quia tales finaliter deserunt Christum,

2 Timoth.

2 Timoth. 3. Homines reprobi, corrupti mente, contra fidem. Sextum est inhibere illis qui non sunt de secta illa, ne de illa fiant: quia secta illa non proficiet dicendo vel docendo, si insipientia illorum omnibus manifesta fiet. 2 Timoth. 3. Si hæc sex facta fuissent sufficienter, repulsa essent pericula prædicta.

Quantum ad penetrantes domos, vel quantum ad omnes Pseudo generaliter, sciendum est, quòd necesse est illos similiter vitari. Unde de illis dicitur Rom. ult. Rogamus vos fratres, ut observetis eos. Gloss. id est, discernatis, qui dissensiones & offendicula faciunt præter doctrinam, quam didicistis. Gloss. ab Apostolis. Et scilicet hic tangit pseudo quos in tota epistola cavendos esse monet. Et declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo suo non serviunt, sed suo ventri. Gloss. Aliis detrahunt, ut possint suum ventrem implere, & ita per dulces sermones seducuntur corda innocentium. Gloss. Compositis verbis suam traditionem commendant, quibus simplicium corda decipiunt. De otiosis autem & curiosis evitandis, quoniam & ipsi frequenter pseudo sunt, & ideo periculosi sunt toti ecclesiæ, & contra doctrinam Apostoli vivunt.

Notandum, quod dicit Apostolus, 2 Thessalon. 3. Denunciamus vobis in nomine Domini Jesu Christi: id est, Christi authoritate vobis præcipimus, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinaté. August. in lib. de Opere Monachi, ubi recitat hanc authoritatem Apostoli, ponit Inquietè, pro eo quod dicit Inordinaté. Et ita, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Ipsi enim scitis, quia non inquieti sumus circa vos. Gloss. Sicut illi qui aliena negotia curant, vagantes hac & illac: nec gratis manducavimus panem ab aliquo, sed in labore & in fatigatione nocte & die operantes. Sic ergo patet, quòd dicti periculosi homines sunt vitandi, & qualiter per hos & per prædicta pericula quæ per ipsos imminent, sunt repellenda. Sin autem breviori manu velint prælati Ecclesiæ prædicationem prædictis, & per contrarium pericula quæ ex eorum prædicatione sequuntur ab Ecclesia amovere, provideant ne tempore exigere aut recipere sumptus possint: quia proculdubio si non perciperent, non diu prædicarent: ut dicit Gloss. super illud 2 Corinth. 11. Ut amputemus occasionem his qui volunt occasionem. Gloss. Occasionem sumendi sumptus auferebat Apostolus pseudoapostolis. Sciebat enim, si non reciperent, non diu prædicarent. Duo enim sunt, quæ ipsorum prædicationi fomentum præstant: videlicet quia manibus otiosis vivere volunt de Evangelio: secundum etiam est, quod plurimum vivere volunt de curiositate, id est, de curando aliena negotia: quorum utrumque illicitum est. Quòd enim de Evangelio vivere non possunt, qui non sunt veri Apostoli, aut eorum potestatem non habent, ex eo constat, quoniam super illud; Nocte & die operantes, dicit Gloss. Tunc isti Pseudo magis debent vivere de labore, qui non habent hanc potestatem, scilicet vivendi de Evangelio. Item 1 Thess. 2. Nec aliquando fuimus in occasione avaritiæ, cum possemus oneri esse ut Apostoli Christi. Gloss. Apostolicæ potestatis debitum vocat onus propter Pseudo, qui illud onus indebitum importunè à plebibus exigebant. Hoc enim expressè dicit August. in li. de Opere Monach. loquens de quibusdam regularibus, qui vivere volebant de Evangelio, sic dicens: Isti autem fratres temerè sibi arrogant, quantum existimo, quòd hujusmodi habeant potestatem, scilicet vivendi de Evangelio. Si enim Evangelistæ, si ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum sunt, fateor habent. q. d. Si hæc officia non habent, nec vivendi de Evangelio potestatem habent, nisi qui plebem habent subjectam, ut ostensum est suprà. Item 1 Thes. 5. Rogamus vos fratres, ut noveritis, id est, ostendatis eos qui laborant inter vos, id est, in regimine vestri & doctrina, & præsunt vobis dignitate: & hoc in Domino, id est, in ordinatione Domini. Illis ergo solis debentur sumptus, qui præsunt in regimine animarum & officii dignitate. Quod autem de curiositate, sive de curando negotia aliena, eis non liceat vivere, patet per Apostolum dicentem, 2 Tim. 1. Non enim inquieti fuimus inter vos. Gloss. Ut illi qui aliena negotia curant, vagantes hac & illac. & infrà: Audivimus enim aliquos inter vos ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Gloss. De negotiis alienis, & sic pasci merentur, quod factum abhorret disciplina Dominica. Eorum enim Deus venter est, qui fœda cura necessaria sibi provident: isti dici possunt se immittere secularibus negotiis: quoniam ex tali causa utplurimum colligunt magnam pecuniam, contra Apostolum dicentem 2 Tim. 2. Nemo militans Deo, implicat se secularibus negotiis. Gloss. Illa negotia sunt secularia, cum quis occupatur colligendæ cura pecuniæ, sine labore corporis. Cura enim non manibus operatur. Hei modò utinam attenderent viri religiosi, qui se curiis principum ingerunt, quòd Petrus semel curiam principis intravit, & ter Christum negavit. Item quòd vivere tales debeant de labore corporis: imò etiam omnes Christiani, qui non habent aliud unde vivant, dum tamen sint validi corpore, non obstante, etiamsi vacent operibus spiritualibus

bus quæ sunt meliora, dicit Apostolus 1 Thess. 4. Operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Gloss. Nedum cogitetis æs, 2 Thess. 3. repetit idem dicens: Nam & cum essemus apud vos, hæc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet. Gloss. Aug. Quidam hoc dicunt de operibus spiritualibus debere intelligi, alioquin si opere corporali, ut est agricultura & hujusmodi, hoc intelligeretur, videretur esse contrarium Domino dicenti, Nolite soliciti esse, dicentes, Quid manducemus? sed superfluè cognoscant sibi & cæteris caliginem obducere, ut quod utiliter charitas monet, non solùm facere nolint, sed nec intelligere, cum in multis aliis locis Epistolarum suarum, quid hinc sentiat Apostolus, manifestissimè doceat Christianos corporaliter operari, ne compellantur egestate necessaria petere. Si quæratur cujusmodi periculum sit in pseudo, necessaria sumi mendicando, Respondemus: Quoniam illi qui de mendicitate vivere volunt, fiunt adulatores & detrectatores & mendaces & fures & à justitia declinantes. Unde Aug. 2 Thess. 4. super illud: Ut nosmetipsos formam vobis ad imitandum nos damus. Gloss. Aug. Seipsum dabat Apostolus formam his, qui tenues erant substantia in plebe, ut deberent libertatem amittere. & infrà: Qui enim ad alienam mensam frequenter convenit, otio deditus, aduletur necesse est pascenti se, cum religio vestra ad libertatem homines advocet. Ecce periculum adulationis. Item super illud 2 Thess. 5. Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos, &c. dicit Gloss. Sicut divitiæ negligentiam salutis pariunt, dum saturari quærit, justitiam declinat. Et Prov. 30. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, ne egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei. Gloss. Ne copia vel inopia rerum transeuntium, in oblivione decidam. Sed dices: Nonne opus perfectionis est omnia relinquere pro Christo, & postea pro Christo mendicare? Respondetur: Omnia pro Christo relinquere, & ipsum sequi, imitando in bonis operibus, opus perfectionis est Lucæ 18. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Gloss. Bene operando, non dicit mendicando. Nam hoc prohibetur ab Apostolo, ut suprà dictum est. Qualiter ergo vivendum est viro perfecto, postquam reliquerit omnia? Respondetur: Aut operando corporaliter manibus, aut intrando monasterium ubi habeat necessaria vitæ. De primo dicitur Lucæ 10. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Gloss. Ut manibus vestris, unde vivatis. De secundo dicitur Actorum 4. Erant illis omnia communia, & nullus inter eos egebat. Super quo edita est constitutio ecclesiastica 2. q. 1 vendentes. ubi dicitur de rebus Ecclesiæ: Episcopi & fideles dispensatores eorum, omnibus communi vitâ degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout meliùs potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Et ita si quis inveniatur in modernis aut futuris temporibus, qui hoc evellere nitatur, jam dicta damnatione feriatur. Hoc etiam constat esse verum, exemplo Domini, qui loculos habebat. Joan. 12. dicitur de Juda, Quia fur erat, & loculos habens. Gloss. Loculorum Domini custos, 12. q. 1. habebat Dominus loculos, à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus & aliis tribuebat indigentibus. Item tam Dominus quàm ejus discipuli, mulieres Christianas circumducebant, quæ illis & servitia exhibebant, & necessaria ministrabant, sicut dicit Gloss. 1 Cor. 9. super illud: Nonne potestatem haberem, mulierem sororem circumducendi? Postquam verò Dominus, qui Apostolis suis de loculis necessaria ministravit, ut dictum est, ab ipsis Apostolis corporaliter recessit per mortem & resurrectionem, ipsi ut ad imitandum se converterent: sed licèt Apostoli & prædicatores, necessaria & sumptum habere deberent ab illis, quibus prædicabant, nihil tamen ab eis quærebant, quia unde viverent non haberent. Unde super illud Joan. 21. Dicit ei Simon Petrus, Vado piscari: dicit Gloss. Post acceptum etiam sufflationis Spiritum, post verba, Etiam sicut misit me Pater, & ego mitto vos: subitò fiunt Apostoli, qui erant scilicet piscatores, non hominum, sed piscium, Sed sciendum est, non prohibitos fuisse, arte sua licita quærere, appellata integritate servatâ, cum unde viverent non haberent: & sic illis laborantibus adjecit Deus necessaria quæ promisit, oblata quæ recipiebant. Sciebant enim Apostoli, quòd non est dandum ex necessitate, vel ex tristitia, & ideo quærebant. 2 Cor. 9. Unusquisque prout destinavit in animo, non ex tristitia aut necessitate: Hilarem enim datorem diligit Deus. Gloss. Qui dat propter præsentem pudorem, aut ut tædio interpellantis careat, & rem & meritum perdit. Ideo contenti erant oblatis, & reliqua necessaria labore manuum quærebant. Unde Lucæ 10. super illud, Edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dicit Gloss. Sumptus ex prædicatione concedit, sic tamen, ut oblatis cibo & potu contenti sint: & rogati Apostoli recipere nolebant, timentes ne ipsos offerentes gravarent. Unde etiam 2 Cor. 8. dicit Apostolus, Cum multa exhortatione obsecrantes nos. Gloss. Cum timens eis assentirem, gratiam & communionem, quòd sit ministerii in sanctos: id est, obsecrant nos, ut liceret eis sua dare, non quasi propria: panis enim Apostolorum debet esse gratuitus. Unde super illud 1 Cor. 9.

Quis

Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? dicit Gloss. Lac gregis dicitur, quicquid à plebe præpositis datur. His verbis satis indicat Apostolus, non sibi usurpare ultra debitum, sed sicut constituit Dominus, ex Evangelio viventes panem gratuitum manducabant: & hoc etiam quòd recipiebant, non quærebant commoda sua, sed meritum & fructum donantium. Phil. 4. Non quæro datum, sed fructum. Quòd autem Dominus vel mendicaverit, vel ejus Apostoli, nusquam reperitur: nam quòd aquam petierit à muliere, non fuit mendicitas, cùm sit usus communis aquæ: nec bibere volebat aquam corporalem, cum nondum comedisset, sed miserat discipulos in civitatem, ut emerent cibos. Nec dicitur ibidem, quòd petebat ab ea aquam corporalem, sed spiritualem: sed admonebat, quòd ipsa peteret Spiritum Sanctum, ut dicit Gloss. ibidem. Item quòd Christus non poterat mendicare ab illis quibus prædicabat, patet sic, Constat enim, quòd ille pastor erat. Joan. 10. Ego sum pastor bonus. Item missus est ad oves quæ perierant domûs Israel: sive pastor sit, sive prædicator, sumat sumptus ab eis quos tanquam gregem pascit, non est mendicitas, sed potestas, 2 Tim. 2. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere. Ergo cum Christus esset pastor, & missus ad prædicandum: relinquitur, quòd ab illis quibus prædicabat, non potuit mendicare: imò qui dicit eum mendicasse, non dicit eum fuisse pastorem, nec fuisse missum à patre: & per consequens, non fuisse Messiam promissum in lege, nec filium Dei. Unde qui hoc dicit,* destruit fundamentum fidei Christianæ: & est non tantum hæreticus, sed hæresiarcha. Item dicit Dominus Lucæ 19. Zachæe festinans descende quia hodie in domo tua oportet me manere. Non fuit mendicitas, sed urbanitas. Sciebat enim dominus, quòd Zachæus, etsi nondum invitavit, invitandi tamen animum gerebat. Unde Gloss. ibidem: Non invitatus invitat, qui etsi nondum audierat vocem invitantis, audiebat tamen affectum. Quòd autem mendicare non liceat, expressum est in Jure humano, cap. de mendicantibus. validè. l. levita. lib. 2. & 31. q. 1. quomodo virginibus: ut dicit Apostolus ad Timoth. Vidua eligatur non minus lx. annorum. Imò scilicet ad hoc de eleemosynis pauperum sustentetur. 31. q. 1. Idcirco ætas præscribitur, ut illi tum accipiant pauperum cibos, qui jam laborare non possunt: & 80. dist. Pauperibus & infirmis, quòd debilitate faciente suis manibus laborare non possunt, victum & vestitum in quantum sibi possibile fuerit, largiatur. Igitur validis & potentioribus non debent dari eleemosynæ pauperum mendicorum, præcipuè quoniam quasi contemnendo præceptum Apostoli 1 Thess. 4. Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis: injustè petunt, & ideo non debemus iis dare, sed potius correctionem, Matth. 5. Qui petit à te, da ei. Gloss. Et si non quod petit, sed melius, cum injustè petentem correxeris, utilius panis esurienti tollitur, si de cibo securus, justitiam negligit: quoniam eidem panis frangatur, ut justitiæ seductus acquiescat. 5. q. 5. non omnis. Item si Clericus seipsum sustentare potest de opibus parentum, & eleemosynas pauperum recipit, sacrilegium committit: & per abusionem talium, judicium sibi manducat & bibit, ut legitur 16. q. 1. quoniam quidquam. Ita videtur, quòd validus corpore, qui de labore suo vel aliunde vivere potest, si eleemosynas pauperum mendicorum recipit, sacrilegium committit. Sed dicit quis, Quidam sunt regulares: qui licèt sint validi corpore, tamen illos Ecclesia diutius mendicare permisit, vel saltem dissimulavit, nunquid tales permittendi sunt perpetuò mendicare? Respondetur: Quòd non, cum faciant contra Apostolum & alias scripturas: & diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget. extra. de simon. non satis. Quapropter si etiam confirmatum esset ab Ecclesia per errorem, nihilo minus tamen comperta veritate revocari debet. Nam sententiam Rom. sedis non negamus posse in melius commutari. 25. q. 9. & sicut veritas sæpius exagitata magis splendescit in lucem, ita pernicies judiciorum vocat gravius & sine pœna: id est, cum majori gravitate: ita quòd non oporteat deinceps pœnitere condemnatus. Nam fructus divinus est justitiam sæpius recenseri. Ita legitur 35. q. 9. grave: & quòd dicunt aliqui majoris perfectionis esse, Monachos nihil habere in proprio, nec in communi, quàm nihil habere proprium, sed habere in communi, ut Monachi habent: contrarium igitur est veritati, cum dicat Prosper 12. q. 1. Expetit facultates Ecclesiæ possideri: & infrà, quo facto satis ostenditur, qui propria propter perfectionem debent contemni, & sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates quæ sunt perfectæ communes possideri. Igitur Ecclesiam regularem habere possessiones communes non impedit, nec diminuit regularium perfectionem. Sic ergo manifestè apparet quod dicimus, quod nec prædicatori nec alteri Christiano licet mendicare perpetuò, si aliunde potest habere necessaria vitæ sine peccato: & patet etiam per subtractionem mendicandi. vel necessaria vitæ quærendi subtrahitur pro pseudo usurpatio. Et sic patet qualiter pericula quæ instant Ecclesiæ, & qui penetrant domos,

* Vide ergo quantus impostor fuerit ille qui tueri ausus est mendicantium ordinem ab exemplo Christi. Fascic. Artic. Joh. Wiclefi 14. pag. 284.

mos, & per alios pseudo, & pannosos, curiosos, gyrovagos, possunt ab Ecclesia repelli.

CAPUT XIII.

Circa decimumtertium, ne dicat aliquis, Quomodo possunt isti seductores arceri à prælatis, & evitari ab omnibus, nisi cognoscantur: quomodo autem cognosci poterunt? & ut ubi invenientur, aut unde venient illi seductores prædicti, prælatos volentes inquirere, ne deviare possint, juvabimus, per scripturas Domino concedente hoc modo. Certum est, quòd isti seductores non erunt de Barbaris gentilibus aut Judæis: sed erunt de Christianis, cum dicat Apostolus de illis, 2 Timoth. 3. Habentes speciem pietatis. Gloss. id est, Christianæ religionis. Ergo constat, quòd erunt de Christianis. Item sciendum est, quòd quum inter Christianos sint aliqui apertè mali, aliqui verò mali occulti, qui videntur esse boni, non reperientur isti inter apertè malos. Attendite à falsis prophetis. Gloss. Qui in humilitate ambulant & falsa religione. Item, 1 Cor. 6. In charitate non ficta. Gloss. Pseudoprophetæ simulant charitatem, ut decipiant: relinquitur ergo, quòd erunt de apparentibus bonis, aliàs enim seducere non possent. Item cum inter occultè malos, apparentes bonos, quidam sunt semper vacantes studio literarum, quidam non semper vacantes: seductores isti reperiantur inter illos, qui semper vacant studio literarum: unde Apostolus de illis dicit ibid. 2 Timoth. 3. Et erunt semper discentes: & sequitur, Nunquam tamen ad scientiam veritatis venientes: intelligendum est de veritate bonæ operationis ducente ad vitam æternam, ad quam finaliter non pervenient. Quoniam etsi multa sciant vera, veritate significationis aut annunciationis, non tamen pervenient, & finaliter venient ad veritatem vitæ & bonæ actionis, de qua dicit Dominus Joan. 4. Qui facit veritatem, venit ad lucem: vel quod veritatem distinguit Anselmus in lib. de Veritate: imò finaliter resistent veritati, sicut Jannes & Mambres restiterunt Moysi, ut sequitur ibidem. Scientiam enim veritatis appellavit Apostolus viam, quæ ad vitam. Unde super idem, Nunquam ad scientiam veritatis pervenientes: dicit Gloss. Semper, &c. Gloss. id est, Semper ambulant, & nunquam ad viam perveniunt: nos autem semper ambulemus in via, donec eò perveniamus quò ducit via: id est, donec perveniamus ad vitam æternam. Sic ergo apparet, quòd inter illos invenientur, qui semper vacant studio literarum. Item quod inter literatos invenientur, dicit Gregor. in 13. mor. super illud Job. Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me. Sicut incarnata veritas in prædicatione sua pauperes idiotas & simplices elegit: sic econtrariò Antichristus ad prædicandum falsitatem suam, astutos ac duplices, & hujusmodi scientiam habentes electurus: id est, tales qui scientiam quam habent, in astutias hujusmodi convertunt. Item inter literatos quærendi sunt non quoslibet, sed inter illos quorum consilium reputatur pretiosum & maximum & optimum, quasi quis consulat Deum, sicut dicitur de Achitophel, quòd dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: & cum esset cum David, & cum esset cum Absalone: isti autem rectè significantur per Achitophel, qui prius fuit cum David, & postea adhæsit Absaloni: ita enim isti prius adhærebant Christo 2 Tim. 3. Habentes spem pietatis. Gloss. Eadem sacramenta nobiscum recipient: in fine verò erunt contrarii Christo, quòd à Christo recedunt & fide ejus, 2 Timoth. 3. Homines reprobi, mente corrupti contra fidem. Item ut vacantes studio literarum quidam obligati sunt tantùm ad præcepta Domini, & non ad consilia: quidam verò ad consilia & ad præcepta, utpote qui summam paupertatem, summam humilitatem, summam continentiam profitentur: & isti intra membra Ecclesiæ electa membra videntur. Inter ipsos autem invenientur seductores prædicti, qui Ecclesiam persequantur, potestatem Ecclesiæ sibi usurpando, & tandem fideles Christi in errorem mittendo, ut dictum est suprà: & hoc dicit Greg. super illud Job. 30. Ad dextram Orientis illicò calamitates insurrexerunt: quia hi ad persecutionem Ecclesiæ prosiliunt, qui electa membra Redemptoris credebantur. Sic ergo, quoniam illi qui ad consilia se obligant, & illa tria quæ suprà dicta sunt profitentur, electa membra esse creduntur Ecclesiæ: relinquitur secundum Greg. quòd isti seductores inter illos invenientur, qui ad consilia se obligarunt, & qui arctissimam paupertatem & continentiam & humilitatem profitentur. Item quòd isti seductores inveniri habeant inter illos, qui sanctiores & sapientiores in Ecclesia apparebunt, potest haberi per idem quod dicit Glossa super illud Matth. 2. Futurum enim est, ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum. Glossa: Quàm citò apparuit mundo, incœpit in eum persecutio, quæ figuravit persecutionem sanctorum: secundum Glossam istam, Illi qui in primo adventu opposuerunt se Christo,

attende.

Christo, sapientiores & sanctiores aliis videbantur, scilicet scribæ & Pharisæi: sic illi qui in fine testibus Christi, id est prædicatoribus veritatis, sapientiores & sanctiores aliis qui erunt in Ecclesia, apparebunt. Invenientur ergo seductores Christi isti inter Christianos, apparentes pii, studio literarum semper dediti, astuti & scioli, in consiliis dandis famosi: non tantùm ad præcepta Domini, sed ad consilia obligati. Et tales, qui sapientiores & sanctiores in Ecclesia apparebunt, propter quod electa membra Redemptoris esse credentur: & ideo vehementer & subitò nocebunt Ecclesiæ: quia non sunt ab ea extranei, sed quasi in visceribus Ecclesiæ, reputatione omnium constituti. Et hoc est quod subjungit Glossa prædicta, Et Job 30. dicens: Rectè asserit illos contra Ecclesiam illicò surgere, qui dum non extranei sunt qui persequuntur ab eis repentè & illicò mala fiunt. Nunc enim paulatim congregantur in Ecclesia, homines ficti & hypocritæ, sub specie religionis, ut pariant magnum populum de seipsis, & aliis sequacibus eorum, Antichristo venienti. Unde super illud 2. ad Timoth. 2. Nam mysterium jam operatur iniquitatis: dicit Glossa Augustini, sumpta de libro de Civit. Dei: Quidam putant hoc esse dictum de malis & fictis, qui sunt in Ecclesia tamdiu, donec pervenerint ad tantum numerum, qui Antichristi magnifaciat populum. Et hoc dictum esse mysterium iniquitatis: quia vident esse occultum. Sic ergo apparet, inter quos quærendi & inveniendi sint seductores prædicti.

CAPUT XIV.

Circa 14. caput, propter seductores jam factum, quoniam seductores prædicti, dicturi sunt se esse Apostolos, sive à Deo missos ad prædicandum & absolvendum animas per ministerium suum: juxta illud Apostoli, 2 Cor. 11. nam hujusmodi Apostoli sunt operarii subdoli, sunt transfigurantes se in apostolos Christi: ideo ostendemus quædam signa infallibilia, quædam verò probabilia, per quæ discerni possunt apostoli pseudo, à veris apostolis Christi.

1um Signum est, quòd veri Apostoli non penetrant domos, nec captivas ducunt mulierculas, peccatis oneratas, sicut faciunt quidam pseudo 2 Tim. 3. Ex his sunt qui penetrant domos, &c. Et hoc expositum est suprá. Illi ergo prædicatores qui penetrant domos, ut captivas ducant mulierculas, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

2um Signum, quòd veri Apostoli non decipiunt corda simplicium verbis compositis, quibus traditiones suas commendant, sicut faciunt pseudoprophetæ. Rom. ult. Per sermones dulces & benedictiones seducunt corda innocentium. Gloss. Compositis verbis traditiones suas commendant, quibus corda innocentium decipiunt. Adeò autem seducunt corda simplicium, qui faciunt eos ingredi sectam suam, quam religionem appellant: & qui pejus in simplicitate vivebant, post suum ingressum fiunt astuti, hypocritæ & pseudo, penetrantes domos unà cum aliis, & quandoque fiunt illis pejores. Unde Matth. 22. Væ vobis scribæ & pharisæi, hypocritæ, qui circuitis, &c. Illi ergo qui hoc faciunt, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

3um Signum est, quòd veri Apostoli si arguantur, patienter sustinent. 2 Cor. 12. Signa apostolatus mei facta sunt apud vos in omni patientia. Glossa: Patientiam commemorat, quæ ad mores prædicatoris pertinet. Qui ergo non sustinent correctionem, veri Apostoli non sunt, imò ostendunt se non esse veros Christianos. 1 Cor. 12. Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. Glossa: Humiliari debent Christiani, ut patiantur se argui, non adulationibus deliniri. Item tales ostendunt se esse carnales, non spirituales, licet spirituales se simulent esse. Gal. 3. Ergo factus sum inimicus vobis. Veruntamen dicens Gloss. Nemo carnalis vult argui se errantem: Illi ergo prædicatores, qui correctionem non sustinent, non videntur esse Apostoli veri, sed pseudoprophetæ.

4um Signum est, quòd veri Apostoli non commendant seipsos. 2 Cor. 4. Non enim audemus nosmetipsos inserere, aut comparare quibusdam, qui seipsos commendant quibusdam actibus, non Deus eos. Item veri Apostoli, etsi per bona opera sua reddant se commendabiles ad omnem conscientiam hominum, non ad oculos tantum: ut dicit Apostolus 2 Cor. 3. Commendamus nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum: non tamen commendant se in comparatione ad alios. Unde Gloss. ibidem dicit, Commendabiles non sine comparatione aliorum, ibi præferunt sibi virtutes aliorum: unde 2 Petri ultimo: Sicut & chariss. frater noster Paulus, secundum datam sibi à Deo sapientiam, scripsit vobis. Gloss. Primus Apostolorum oblitus sui primatus, & datarum sibi clavium, datam Paulo miratur sapientiam: quia mos est electorum, ut magis aliorum quàm suas mirentur virtutes. Unde Phil. 2. In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.

trantes. Qui ergo contrarium faciunt, dicentes statum suum, aut traditiones suas meliores esse aliis, etsi sint prædicatores, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

5um Signum est, quòd veri Apostoli non indigent commendatitiis literis, nec se ab hominibus per literas commendari. 2 Cor. 3. dicit Apostolus: Non indigemus commendatitiis, sicut quidam. Gloss. id est, pseudoprophetæ.

6um Signum est, quòd veri Apostoli non prædicant, nisi missi. Rom. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Gloss. Non sunt veri Apostoli, nisi missi. Nulla enim signa eis qui testimonium perhibent: qui autem sint missi, dictum est supra 2. cap. Qui ergo non missi prædicant, pseudo sunt.

7um Signum est, quod cum pseudo authoritatem à Deo non habeant, nomini suo vendicant. Unde 2 Cor. 10. super illud, Non enim audemus nos inferre aut comparare quibusdam: dicit Glossa, Pseudo non accepta potestate à Deo, sed usurpata, dominari volunt, nomini suo vendicantes authoritatem: & ideo, licèt fortè dicant se à Deo missos per præsumptionem, sicut hæretici dicunt: tamen nisi probaverint suam missionem, aut per spiritualem prophetiam, sicut Joannes Baptista, dicens, Ego vox clamantis in deserto, sicut ait Esaias propheta, Joan. 1. aut per miraculum, sicut Moyses, qui virgam vertit in colubrum, aut econtrario Exod. 7. excommunicari debent, donec cessent à prædicando. extra. de hæreticis, ex injuncto. Miraculum tamen non esset sufficiens testimonium missionis, cum fiant frequenter & à malis 1. q. 1. teneamus, & maximè in finali. At suspecta debent esse miracula, cum dicat Dominus Matt. 23. Surgent tunc pseudoprophetæ, &c. illi ergo qui nomini suo vendicant authoritatem, cum à Deo non habeant, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

8um Signum est, quòd pseudo prætendentes sapientiam in superstitione, traditiones suas religionem appellaverunt, quæ potiùs sunt sacrilegium: & aliorum jura sibi usurpant, gloriando in plebibus alienis. Unde Col. 2. loquens Apostolus de pseudo, dicit: Secundum præcepta hominum, quæ sunt rationem quandam sapientiæ habentia, in superstitione & humilitate. Glossa: id est, simulatâ religione implicat, ut religio appellaretur, cum sit sacrilegium: quia contra authoritatem, id est, contra Deum est, velle regere populum sine mandato plebani, Deut. 23. Ingressus es in vineam proximi tui. Glossa: id est, in Ecclesiam alterius Episcopi. Potest aliquis aliquos monere, vel corrigere totam plebem, quam non licet ei regere, vel magna negotia tractare. Et quòd non licet in diœcesi aliena constat, quia non licet ei qui præest jurisdictioni. Ad hoc facit, quod legitur 6. q. 3. Scriptum est, & 9. q. 2. per totum. Illi ergo prædicatores, qui traditiones suas contra Deum & divinas Scripturas, religionem appellant, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

9um Signum est, ex potestate quam habent, cum non sint Evangelistæ aut dispensatores sacramentorum, vivere volunt de Evangelio, non de labore manuum: contra illud 2 Thes. 3. Neque gratis manducavimus panem ab aliquo. Glossa: Tunc illi pseudo, multò magis vivere debent de labore, qui non habent potestatem hanc quam haberemus, scilicet vivendi de Evangelio. Et hoc expressiùs dicit Augustinus de Opere Monachorum, in his verbis: Isti autem fratres nostri temerè sibi arrogant, quantum existimo, quòd hujusmodi habeant potestatem, scilicet vivendi de Evangelio. Si enim Evangelistæ sunt, fateor habent: si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, bene sibi istam non arrogant, sed planè vendicant potestatem: si saltem habebant aliquid in hoc seculo, quo facilè sine opificio sustentarent istam vitam, &c. Quasi dicat, Si tales non sunt, non habent potestatem vivendi de Evangelio. Illi ergo prædicatores, qui non habent potestatem vivendi de Evangelio, aut dispensandi sacramenta, utpote quia plebem non habent, non possunt regimini animarum præesse. Vivere volunt de Evangelio, veri non sicut Apostoli, sed pseudo.

10um Signum est, quòd pseudoapostoli potiùs gaudent se commendare, quàm Dei doctrinam. Veri autem Apostoli econtrariò 1 Thess. 2. Neque quærentes ab hominibus gloriam, tangit pseudoprophetas, qui se potiùs quàm Dei doctrinam volebant commendari. Apostolus autem, qui non ad præsens, sed in futuro gloriam quærit se humilem faciebat, ut Dei prædicatio exaltaretur. Illi ergo qui se potiùs quàm Dei doctrinam commendari volunt, non sunt veri Apostoli, sed pseudoprophetæ.

11um Signum est, quòd veri Apostoli, propter Deum tantùm & salutem animarum prædicant, non propter temporale lucrum, 2 Cor. 4. Non prædicamus nosmetipsos. Gloss. Prædicatio nostra non ducit ad gloriam vel lucra nostra, sed ad gloriam Christi. Sed prædicatio Christi ad contrarium ducit. Unde super illud Phil. 1. Sive per occasionem, sive veritatem, annuncietur Christus. Gloss. Pseudo ex occasione evangelizantur, quærendo commoda sua ab hominibus, vel bonorum vel honorum vel laudis humanæ: quorum licèt volentes

volentes accipere injurias, non tantùm salutem quærentes ejus cui annunciant, quantum commodum accipere suum. Unde 2 Cor. 12. Glossa: Quia non quæro quæ vestra sunt, id est, divitias vestras in auro vel argento, sed vos. Glossa: Quia aliter non fieret, ut à sumptibus ita intelligerent, quia pecuniæ præponit eos, ut tandem cognoscerent affectum illius erga se. Illi ergo mali prædicatores, qui propter lucrum temporale, aut propter honorem mundanum, aut propter laudem humanam prædicant, non sunt veri Apostoli, sed pseudo. Sed quomodo scietur quando prædicant ad gloriam suam? Respondetur: Quando prædicant non vocati, 2 Cor. 11. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Gloss. Quod non possunt illi, qui non habent potestatem à Deo: talis enim si prædicat, suam gloriam quærit: & constat, quia à Deo vocatus non est, qui à Domino non habet potestatem, id est, ab Ecclesia. Hebr. 7. Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatus à Deo, tanquam Aaron. Gloss. A Deo vocatur, qui rectè eligitur ab Ecclesia.

12um Signum est, quia pseudo se simulant habere majorem zelum animarum, quàm earum rectores & pastores, licèt tamen earum curam non habeant: contra id quod dicit Gloss. super id 1 Thess. 2. Facti sumus parvuli inter vos, tanquam si nutrix foveat filios suos. Gloss. Alienos filios nutrit mulier pro mercede, non ex amore, proprios verò ex dilectione. Illi ergo prædicatores qui simulant se habere majorem zelum animarum, quàm earum rectores, non videntur esse veri Apostoli. Veri Apostoli non student eloquentiæ aut compositioni verborum: pseudo autem econtrariò, 2 Cor. 11. Nam si imperitus sermone. Glossa: Non erant eloquentes Apostoli, sed pseudoapostoli verba componebant. Item super eodem alia Glossa: Corinthi blanditiis auferri, 2 Cor. 7. In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros. Glossa: Dei ministri non adulantur hominibus, sicut pseudo: & ideo veri Apostoli non conversantur in curiis magnatum & principum, scientes id Matth. 11. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Gloss. Rigida vita & prædicatio debet declinare mollium palatia. Frequenter induti mollibus adulantes sunt. Illi ergo prædicatores, qui in curiis commorantur vel alibi adulantur, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

13um Signum est, quòd veri Apostoli non circumveniant homines, ut dent eis bona sua temporalia, sive in vita, sive in morte, 2 Cor. 7. Neminem circumvenimus. Glossa: Fraudulenta suarum rerum oblatione, ut pseudo faciunt, qui vestra blandè auferunt. Item Matth. 24. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, longas orationes orantes: qui vestrâ superstitione nihil intenditis, nisi ut prædam de plebibus faciatis: ut Lucæ 20. Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Gloss. Qui ut religiosiores appareant, prolixiùs orant, ut ab infirmis quibusque & peccatorum suorum conscientia perturbatis, quasi paterni, laudes & pecunias accipiant: quorum oratio fiat in peccatum: qui nec sibi nec aliis possunt proficere ad salutem: imò pro ipsis orationibus, cum per eas alios decipiant, magis damnabuntur. Per hoc enim, quòd aurum & argentum recipiunt, apparet, quòd non causâ salutis prædicant, sed causâ lucri, Matth. 10. Nolite possidere aurum neque argentum. Gloss. Si hæc habeant, non videntur prædicare causa salutis, sed causa lucri. Idem dicit Hier. super Malac. Quia quidam prophetæ pecuniam accipiebant, prophetia eorum facta est divinatio: id est, prophetia eorum declarata est non prophetia, sed divinatio: id est, non esse à Deo, sed à diabolo: & hoc legitur 1. q. 1. nunquam divinatio, &c. Illi ergo prædicatores qui circumveniunt homines, ut dent eis bona sua temporalia sive in vita sive in morte, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

14um Signum est, quòd pseudo, quando prædicatur aliqua veritas, eis insolita & aspera, irritantur, & latrant in contrarium. Unde dicit de illis Apostolus, Philip. 3. Vide canes: Gloss. Cognoscite eos canes esse, non ratione, sed consuetudine, contra insolitam veritatem latrantes: & ita bene canibus comparat, quia canes magis sequuntur consuetudinem quàm rationem: ita pseudoapostoli consuetudinem legis tenent, & contra veritatem irrationabiliter latrant & mordent. Item 2 Tim. 4. Secundum desideria sua coacervabunt sibi magistros. Gloss. Qui ea doceant quæ libenter audiant, quia veritas eis aspera videbitur. Illi ergo prædicatores, qui latrant contra veritatem insolitam, & eis asperam, & procurant ut veritas taceatur, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

15um Signum est, quòd veri Apostoli nolentibus recipere illos, nullam violentiam inferunt, sed eos dimittunt, ne videantur aliquod quærere terrenum, Matth. 10. Quicunque non receperint vos, exite foras de civitate eorum, & excutite pulverem de pedibus vestris, &c. Gloss. Ut ostendatis appetitum terrenorum non esse in affectibus vestris. Illi ergo prædicatores qui ut recipiantur ab hominibus, per lites contendunt, veri Apostoli non sunt, præcipuè cum dicat Apostolus 1 Cor. 11. Si quis videtur contentiosus inter vos, talem consuetudinem nos non habemus, nec Ecclesia Christi. 17um Signum

16um Signum est, quòd vel Apostoli principes, quorum notitiam sunt adepti, non provocant contra illos, qui eos recipere nolunt: secundum quod legitur in vita Simonis & Judæ Apostolorum: Iratus dux jussit ignem copiosum accendi, ut pontifices ibi præcipitarentur, & hi omnes qui Apostolos Christi obfuscare niterentur. Apostoli verò prostraverunt se ante ducem, dicentes: Obsecramus domine, ne efficiamur causa hujus interitus: & qui pro salute hominum huc missi sumus, ut vivificemus mortuos, viventes occidere videamur. Illi ergo prædicatores, qui principes eis favorabiles provocant, contra illos qui eos non recipiunt, aut quos odiunt, veri Apostoli non sunt, sed pseudo.

17um Signum est, quòd Apostoli Christi non eorum solum habent cognitionem quæ fecit Deus, sed de his quæ facturus est. Unde Apoc. 3. Animalia erant plena oculis, antè & retró. Gloss. Consequentes cognitionem de his quæ fecit Deus, & facturus est in fine mundi. Illi ergo qui dicunt se ignorare pericula finalis ecclesiæ, quæ prædicta sunt, aut non curant de eis: aut si ignorant, non habent oculos antè & retrò: unde non sunt veri Apostoli: ergo cum dicant se Apostolos, pseudo sunt.

18um Signum est, quòd veri Apostoli non cupiunt corporalia bona, quibus prædicant, per quod discernuntur à lupis: id est, pseudo. Actorum 20. Argentum & aurum nullius concupivi. Gloss. Per hoc cognoscuntur lupi, quòd talia concupiscunt. Et iterum: Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum erant ministrarunt manus istæ. Gloss. Exemplum operandi etiam episcopis in signum, quòd discernuntur à lupis: tales enim qui petunt ab eis quibus prædicant, aut alius petit nomine ipsorum, videntur committere symoniam, ad instar Gyezi: de quo legitur 3 Reg. 5. quòd petivit vestes à Naaman Syro, cui dominus ejus, scilicet Elizeus, dederat gratiam sanitatis, scilicet Naaman Syro, licet procurasset illas vestes, nesciente domino: unde dicit Gregor. Nazianzenus, 1. q. 1. Qui isti debetur. Sed dicet quis, Non potest prædicator ab his quibus prædicat sumptus petere, saltem mendicando? Respon. Si prædicator prædicat ex potestate, & tanquam verus pastor pascit gregem suum pabulo verbi Dei, sumptus potest percipere: sed tunc non est mendicitas, sed potestas. 2 Tim. 2. Laborantem agricolam oportet primò de fructibus percipere. Gloss. Castum Evangelistam non ad hoc evangelizantem, ut Evangelium vendat, securum facit: & vult ut intelligat, quòd necessaria sibi licet suscipere ab eis, quos tanquam gregem pascit, non est mendicitas sed potestas. Patet ergò, quòd prædicator valebat mendicare, nunquam in sacris literis reperitur. Sed mendicitas ab Apostolo omni Christiano prohibetur, & à Solomone abhorretur, & ab Aug. & aliis sanctis reprobatur, ut ostensum est suprà cap. 12. Sic igitur patet, quòd veri Apostoli bona temporalia eorum quibus prædicant, non cupiunt, nec etiam ea mendicant. Qui ergo petunt ab eis quibus prædicant, aut alius petit pro eis, non videntur esse veri Apostoli, sed pseudo.

19um Signum est, quòd veri Apostoli in tribulationibus patientes sunt nec reddunt malum pro bono. Unde Matth. 10. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Gloss. Qui locum prædicationis suscipiunt, in fratre non debent suscitare mala, exemplo Domini, de quo 1 Petri 2. qui cum malediceretur, non maledicebat, tradebat autem judicanti se injustè; qui ergo non tolerant, sed potius inferunt, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

20um Signum est, quòd veri Apostoli in primo adventu suo malè recipiuntur: sicut dicit Dominus Matthæi 23. Odio eritis omnibus propter nomen meum: sed postea vincunt, secundum illud 1 Joan. 5. Omne quod est ex Deo, vincit mundum. Illi ergo è contrario in principio lætantur, & bene suscipiuntur, in fine autem respuuntur, non videntur esse veri Apostoli, sed pseudo.

21um Signum est, quòd veri Apostoli non vadunt ad prædicandum illis, qui alios habent apostolos: quia non habent gloriari in plebibus alienis. Rom. 15. Sic autem prædicavi Evangelium, non ubi annunciatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem. Et 2 Cor. 10. dicit Apostolus: Non sumus in immensum gloriantes, aut in alienis laboribus errantes. Gloss. Ubi alius fundamentum posuisset. Item in eodem: Non habentes spem gloriari in aliena re: id est, in commissos alterius regimini, præcipuè cum dicat Greg. in Moralibus, Cum locus superior imperatur, is qui ad præcipienda hæc obedit, obedientiæ sibi meritum evacuat, sed hoc ex proposito anhelat. Item Aug. Honor debet te quærere, non tu honorem. Item Chrysost. Primatus fugientem desiderat, non abhorret. Illi ergo qui procurant & gaudent prædicare plebibus alienis, quod est officium honoris, præcipuè in conciliis & synodis & conventibus, necnon in curiis regum & principum & prælatorum, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

22um Signum

22um Signum est, quòd veri Apostoli, cum magnum fructum faciunt in Ecclesia, non tamen extolluntur. Ezec. 3. Fili hominis, dedi faciem tuam ut adamantem. Adamas quando attrahit ferrum, non inde extollitur nec mutatur. Similiter verus Apostolus, quando prædicatione suâ trahit peccatores, qui indurati sunt sicut ferrum, non inde extollitur. Lucæ 18. Cum omnia bene feceritis, dicite, Servi inutiles sumus. Psal. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Qui ergo de fructu, quem se in Ecclesia Dei facere dicunt, arroganter se jactant, dicentes: Nos illuminavimus Ecclesiam universam, quæ ante tempora nostra cæca erant, & extinximus flammam peccatorum in Ecclesia Dei: cum forsan magis promoverint hypocrisin, quàm veras virtutes, non sunt veri, sed pseudo: de quibus dicitur in Psal. Os eorum loquitur superbiam. attende.

23um Signum est, quòd veri Apostoli non quærunt favorem mundi, neque placere hominibus, Gal. 1. Si ad hoc hominibus placerem, id est, placere vellem, Christi servus non essem. Unde 1 Tim. 2. Non quasi hominibus placentes. Gloss. Placere quærentes, quia nec spiritum placentis habemus. Illi ergo prædicatores, qui quærunt favorem mundi, & ad hoc laborant ut hominibus placeant, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

24um Signum est, quòd veri Apostoli oblatis cibo & potu sunt contenti, nec quærunt cibaria lautiora. Juxta illud Matth. 10. Edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Gloss. Sumptus Evangelii concedit, ita tamen ut oblatis cibo & potu sint contenti. Illi ergo prædicatores qui licèt nec missi, nec prædicandi potestatem habentes, tamen offenduntur, quando non ministrantur eis cibaria lautiora, veri non sunt, sed pseudo.

25um Signum est, quòd veri Apostoli plus diligunt legem Christi, quàm proximi honorem: juxta illud Proverb. 7. Serva legem meam quasi pupillam oculi tui, & liga eam in digitis tuis, describe in tabulam cordis tui: & super illud Psalm. Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. Gloss. Charitas plus diligit legem Dei, quàm cupiditas millia auri & argenti: qui ergo videt legem Christi conculcari & tolli Evangelium per illud maledictum quod appellatur Evangelium æternum, negligit & contemnit, vel forsitan dissimulando consentit: & tamen pro honore suo temporalia conservando & quærendo lites suscitare & scandala incurrere non horrescit, non videtur esse Apostolus Christi, sed magis pseudo, si fuerit prædicator.

26um Signum est, quòd veri Apostoli non quærunt hospitia opulentiora, seu ubi meliùs procurantur, sed honestiora, & ubi gratulantiùs eis detur: & ab illis non recipiunt, quos credunt reputare majorem gratiam sibi fieri, si recipiantur munera eorum, quàm si eis munus daretur: juxta illud Matth. 10. In quamcunque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit: & ibi manete donec inde exeatis. Gloss. Testimonio vicinorum eligendus est hospes, ne ejus infamia prædicatio lædatur: nec est cursitandum per domos. Sed quis est dignus? Gloss. Qui scit magis accipere gratiam, quàm dare: hic est, qui libenter dat pro Christo, non pro alio commodo. Item veri Apostoli non recipiunt ab illis qui adhuc in peccatis suis jacent, sed ab emendatis. Unde 2 Cor. 7. Semetipsos primùm dederunt Domino. Gloss. Quia emendantes errores pristinos & morum vitia, Deo se voverunt, deinde fratribus sua obtulerunt. Aliter enim non erat accipiendum ab eis, quia munera excæcant oculos. Qui verò dant ubi non arguantur, justam causam ad dandum non habent. Illi ergo prædicatores qui quærunt hospitia, ubi meliùs pascantur, & recipiunt munera malorum divitum, ut eorum mala tegant, dolis illorum munera recipiunt: qui magis dant propter importunitatem animæ tollendam vel præsentem verecundiam, quàm propter Deum, Apostoli veri non sunt, sed pseudo: juxta illud 2 Cor. 9. Hilarem datorem diligit Deus. Gloss. Qui propter præsentem pudorem aut ut tædio interpellantis careat, & rem perdit & meritum. Unde qui talia respicit non quærit fructum, sed datum: quemadmodum idem Apostolus Phil. 4. Non quære datum, sed fructum.

27um Signum est, quòd veri Apostoli non laborant procurare aliena negotia, ut exinde pascantur: quia talium deus venter est. Juxta illud 2 Thess. 3. Audivimus quosdam inter vos ambulantes inquietè, nihil laborantes, sed curiosè agentes. Gloss. De negotiis alienis: & sic pasci merentur, quòd factum abhorret Dominica disciplina. Eorum enim deus venter est, qui fercula citra necessaria sibi provident. Illi ergo prædicatores qui talia faciunt, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

28um Signum est, quòd veri Apostoli non gaudent de miraculis vel aliis elegantibus, quæ facit Dominus per ipsos, ut de illis cupiant honorari: sed potiùs gaudent de salute quam à Domino expectant: juxta illud Lucæ 10. In hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis, sed quia nomina vestra sunt scripta in cœlis. Illi ergo qui gloriantur de miraculis suis vel suorum, & de hoc quòd per ministerium eorum salvantur multi, ut dicunt, non videntur esse veri Apostoli, sed falsi.

29um Signum

29um Signum est, quòd veri Apostoli nunquam quærunt gloriam suam in hac vita, sed gloriam Christi: juxta illud Johan. 7. Qui à semetipso loquitur, gloriam suam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, id est, à quo se missum dicit, verax est. Illi ergo qui quærunt ea quæ pertinent ad gloriam hujus mundi (quorum unum est, regnantibus assistere, juxta illud Boëtii de Consol. Qui in potentia extolli cupiunt, aut ipsi regnant, aut regnantibus adhærere cupiunt: alterum verò est, velle vincere, ubi non est præmium apud Deum. Unde super illud Galat. 5. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Gloss. Inanis gloriæ est, velle vincere, ubi non est præmium) qui, inquam, talia quærunt, nec videntur veri Apostoli, sed pseudo-prophetæ.

30um Signum est, quòd veri Apostoli fugiunt solennitates hominum, & salutationes, & convivia, & officia. Illi ergo qui amant & quærunt consortia & convivia & officia potentum secularium, non videntur esse veri Apostoli, sed pseudo.

31um Signum est, quòd veri Apostoli non frequenter conveniunt ad alienam mensam, ne adulatores fiant: secundum quod dicit 2 Thess. 3. super illud, Ut nosmetipsos formam daremus ad imitandum: ubi Gloss. Qui frequenter ad alienam mensam convenit, otio deditus, aduletur necesse est pascenti se, cum religio nostra Christiana ad libertatem homines advocet. Illi ergo qui ad alienam mensam libenter & frequenter cum otio corporali conveniunt, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

32um Signum est, quòd veri Apostoli non oderunt homines inimicos, & odientes eos: quam doctrinam dedit Dominus Matth. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: pseudo verò prophetæ proximos lædunt & diffamant: secundum illud Hier. 23. A prophetis Hierusalem egressa est pollutio super omnem terram, dicit Gloss. Non sufficit, eos proximos lædere: sed quos semel oderunt, per totum orbem diffamare conantur. Illi ergo prædicatores, qui odiunt illos quos inimicos reputant & eos diffamant, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

33um Quemadmodum pseudo cum examinantur seu probantur, utrum sint veri Apostoli vel mendaces, non patienter sustinent, sed potius illos, qui sic eos probare volunt, persequuntur, & ad persequendum illos qui per terrenas potestates simul se jungunt, etiam excitant, sicut fecerunt quidam pseudo in primitiva Ecclesia, contra episcopum Ephesinum, cui dicit Dominus Apoc. 2. Scio, id est approbo opera tua & laborem tuum, id est tribulationem: & quoniam non potes sustinere malos. Gloss. Quin emendes, vel expellas, & probasti eos qui se dicunt Apostolos, & non sunt nisi mendaces, & patientiam habes. Gloss. In malis quæ ipsi conjuncti per terrenas potestates ingerunt, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

34um Signum est, quòd veri Apostoli non vadunt prædicare eis, qui jam sunt per alios conversi: sed potius ad illos convertendos, qui nondum sunt conversi, ne super alienum fundamentum ædificent: sicut fecit beatus Paulus, Rom. 15. Ita laboravi, ut ab Hierusalem per circulum usque ad Illyricum repleverim Evang. Gloss. id est, plenè prædicaverim, in quo magna virtus Spiritus Sancti apparet, quòd tot gentes, id est gentiles, per me Evangelium receperunt. Sic autem prædicavi Evangelium, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem. Gloss. Non prædicarem per alium conversis. Item 2 Corinth. 10. Non sumus in immensum gloriantes in alienis laboribus. Gloss. Ubi alius fundamentum posuisset. Hoc enim esset in immensum gloriari. Item in eodem: Non habentes spem gloriari in aliena regula, sed in his quæ probata sunt. Gloss. Ab aliis prædicatoribus, quia his prædicabat Apostolus, quibus non erat annunciatum, ut gloriam suo labore quæreret. Illi ergo prædicatores, qui non vadunt ad convertendos, sed potius ad conversos, habentes proprios Apostolos, id est, Episcopos, & proprios sacerdotes, & ita gloriantur in plebibus alienis, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

35um Signum est, quoniam veri Apostoli, quando mittuntur, vadunt ad suam legationem, non ad alienam: sicut Paulus missus ad gentiles ivit, prædicaturus apud illos. Actorum 13. Segregate Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Juxta condictum Jacobi, Cephæ & Joannis, ad magisterium gentium profectus est. Sed illos prædicatores, qui stant supra pedes suos, * in qua spem situs unus tangitur circa: id est, illos prædicatores, qui minus habent de bonis terrenis, propter quod expeditiores sunt ad mittendum quocunque Domino placet. Illos, inquam, misit Dominus ad prædicandum, non orthodoxis, sed infidelibus. Unde Ezec. 2. Postquam statuit Spiritus Domini Ezechielem supra pedes suos, in qua * spem situs unus tangitur, dixit ei: Fili hominis, Ecce mitto te ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me: id est, ad Judæos hæreticos, & illas gentes qui aliquando fuerunt Christiani: sicut

* Deest aliquid aut vitiatur textus. Consule Ezech. 2. 1.

sicut sunt Ægyptii & Babylonii, & omnes qui tenent legem Mahometis. Tales ergo, si vadunt ad Orthodoxos, habent Apostolos, Episcopos suos, & Presbyteros suos, non invadunt in suam legationem, sed in alienam. Unde non sunt veri Apostoli, sed pseudo; & summè timendum est, ne per tales periclitetur Ecclesia, nisi expellantur ab ea. Sicut de Jona, qui cum à Domino missus fuisset in Niniven, quæ interpretatur speciosa, quæ ducit ad montem, videlicet infidelibus suprà dictis, non vadunt ad eos juxta præceptum Domini, sed aliorsum convertuntur, iter facientes in Tharsis, quæ interpretatur exploratio gaudii sive lætitia: id est, vadunt ad illos qui recipiunt eos lætanter & cum gaudio, & bene procurant eos, scilicet ad bonos & devotos Christianos; & ideo timendum est, ne navis in qua sunt, id est, Ecclesia periclitetur, nisi ipsi ejiciantur: & ideo non sine causâ dixit Apostolus de talibus pseudo 2 Tim. 2. Et hos devita. Gloss. id est, tales.

36um Signum est, quoniam veri Apostoli non jactanter loquuntur, nec sibi attribuunt nisi quæ fecit Deus per eos. Rom. 15. dicit Paulus: Non enim audeo loqui eorum aliquid, quæ per me non effecit Christus. Gloss. id est, ea loquor tantùm quæ per me, id est, ministerio meo Christus effecit. Illi ergo qui multa jactanter loquuntur, & multa sibi attribuunt, quæ per eos nec fiunt, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

37um Signum est, quòd veri Apostoli non intendunt nec innituntur rationibus logicis aut philosophicis. Illi ergo prædicatores, qui hujusmodi rationibus innituntur, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

38um Signum est, quòd veri Apostoli non amant carnaliter, sed odio habent quicquid eis obsistit in servitio Dei, Lucæ 14. Qui non odit patrem suum & matrem & filium & sororem & semetipsum, non potest esse meus discipulus. Glossa: id est, Qui non odit quicquid ei obsistit in servitio Dei, non est dignus discipulatu, nec potest in eo permanere. Cum ergo veri Apostoli sint veri discipuli Domini, relinquitur, quòd illi prædicatores qui nepotes & consanguineos suos, quantumvis indignos, promovent ad proventus & honores Ecclesiasticos, contra Dei voluntatem, vel aliud faciunt quod eis obsistit in via Dei, non sunt veri Apostoli, sed pseudo.

39um Signum est, quòd veri Apostoli non procurant sibi amicitias hujus seculi: qui enim est amicus hujus seculi, inimicus est Dei. Illi ergo prædicatores, qui sibi procurant amicitias hujus mundi, non sunt veri Apostoli, sed pseudo. Cum igitur veritas divinæ scripturæ sit infallibilis (Matth. 24. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt & Spiritus S. scilicet qui locutus est in Apostolo, ut ostensum suprà cap. 1. mentiri non possit) non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritûs Sancti inspiratu sunt locuti sancti Dei homines, ut legitur 1 Petri 5.) restat, ut omnes qui Ecclesiam defensare tenentur, surgant ad ejus defensionem: juxta illud Prov. 42. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Nec prætendat frivolas excusationes, quia sicut dicitur ibidem: Si dixerit, Vires non suppetunt qui inspector est cordis intelliget, &c. Quicquid enim perit in Ecclesia, propter defectum pastorum, totum ab eis in judicio exigetur, sicut confitetur Jacob ad Laban, cujus oves pascebat, Gen. 31. Ego omne damnum reddebam, quod furto peribat, à me exigebatur. Ezechiel. 3. Sanguinem ejus de manu tua requiram, dicitur pastori sive prælato. Si autem cætera prædictorum, prælatos & cardinales non moverent, hoc debet saltem movere: quoniam tum spiritualis Ecclesiæ potestas, quæ in prædicationibus exercendis, in confessionibus audiendis, in pœnitentiis injungendis maximè consistit, eis pedetentim subripietur: frustatim enim lupus comedit egenum, 3. q. 1. cap. 1. postquam ex toto translata fuerit ab ipsis prælatis ad illos qui jam ratione ordinis sui vel concessionis Apostolicæ illam sibi arrogant potestatem, profectò jurisdictio negotiorum forensium, & quæ ipsis prælatis in terra extitit, & possessio bonorum Ecclesiæ temporalium apud ipsos non diutiùs remanebunt. Cur enim habent carnalia bona Ecclesiæ, qui spiritualia bona non ministrant? 1 Cor. 9. Nescitis, quoniam qui in scrinio operantur, de scrinio edere debent: & qui altari deserviunt, cum altari participantur? Sicut enim corpus sine anima, sic corporalia sine spiritualibus diu non stabunt, 1. q 1. Si quis objecerit.

G ARTI-

ARTICULI SCHOLASTICORUM
Parisiensium contra Monachos, ex veteri codice.

PRimò dicimus, eos non esse admittendos ad societatem nostram scholasticam nisi de voluntate nostra. Quia societas non debet esse coacta, sed voluntaria & gratuita.

Secundò dicimus, eos non esse admittendos, quia societatem eorum experti sumus multipliciter nobis fuisse damnosam & periculosam.

Tertiò, cum ipsi sint diversæ professionis à nobis, quia ipsi regulares & non scholares, in uno officio scholastico conjungi vel commisceri non debemus: cum dicat Concilium Hispanum, Non arabis cum bove & asino simul, quod est, diversæ professionis homines in uno simul officio non sociabis, &c. Nam cohærere & conjungi non possunt, quibus sunt studia & vota diversa.

Quartò dicimus, eos non esse admittendos secundum Apostolum, quia ipsi dissensiones & offendicula faciunt, cum dicat Apostolus ad Romanos in ultimo capitulo: Rogamus, fratres, ut observetis, id est, ut discernatis eos qui dissensiones & offendicula faciunt propter doctrinam, quam didicistis ab Apostolis, & declinate ab illis. Hujusmodi enim Domino non serviunt, sed suo ventri. Gloss. Aliis enim adulantur, aliis detrahunt, ut possint suum ventrem implere, ut per dulces sermones & benedictiones seducant corda innocentium. Gloss. Compositis verbis suam traditionem communicant, quibus corda simplicium decipiunt.

Quintò dicimus, eos non esse admittendos, quia timemus ne sint ipsi de penetrantibus domos: quoniam in domos singulorum se ingerunt, conscientias & proprietates hominum rimantur, & quos seductibiles ad modum mulierum inveniunt, seducunt, & à consiliis prælatorum ad sua ducunt consilia: videlicet astringentes eos ad sua consilia vel actu vel juramentis, & tales præcepit Apostolus vitari, dicens, Et hos, &c.

Sextò dicimus, eos non esse admittendos, quia timemus ne ipsi sint pseudoprophetæ: quia cum ipsi non sint Episcopi vel parochiales Presbyteri, nec eorum Vicarii, vel ab eis specialiter invitati, prædicant non missi, contra Apostolum dicentem ad Rom. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Nulla enim signa virtutum eis testimonium perhibent, scilicet quòd possint propter hoc prædicare. Tales autem cum sint periculosi Ecclesiæ, debent vitari.

Septimò dicimus, eos non admittendos esse, quia curiosi, videlicet de curando negotia aliena & de operibus spiritualibus: cum tamen non sint Apostoli nec eorum successores, id est, Episcopi. Nec sunt de 72 discipulis Domini, nec eorum successores, id est, parochiales Presbyteri, nec eorum opitulatores, id est, Vicarii, ut dictum est suprà. Tales autem qui sic vivere volunt, præcipit Apostolus vitari, dicens 2 Thess. ultimo: Denunciamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi. Gloss. Per Christi autoritatem vobis præcipimus, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis: usque ibi, Et nolite quasi inimicum æstimare. Inspiciantur Glossæ, & invenietur quòd tales sunt vitandi, donec resipiscant à tali modo vivendi.

ARTICULI PAPÆ JOHANNIS 22.
contra Monachos.

I. QUòd Christus, in quantum homo viator, per successum temporis acquisivit sibi, & habuit in spiritali dominium proprium & immediatum vestimentorum, alimentorum, calceamentorum & aliarum rerum, partim ex collatione fidelium, partim per emptionem.

II. Est, quòd Christus nunquam consuluit Apostolis nec suis discipulis, abdicare possessionem dominii & rerum temporalium.

III. Quòd Christus non dedit aliam legem vivendi Apostolis quàm discipulis, per discipulos intelligens quoscunque fideles Christianos.

IV. Quòd Christus non præcepit Apostolis simpliciter abdicare ne possiderent aurum & argentum & pecuniam in zonis, & ne portarent calceamenta: sed solùm pro tempore viæ,

vitæ, quando ibant ad prædicandum, & quòd post reditum à prædicatione, poterant talia liberè habere & portare.

V. Quòd Apostoli in speciali & sigillatim proprietatem & dominium vestimentorum, alimentorum, caligarum & gladiorum habuerunt, & post missionem Spiritûs Sancti in eos factam: & quòd illa verba, Nos reliquimus omnia, &c. non sunt intelligenda quoad abdicationem proprietatis & dominii, sed quoad affectum tantum.

VI. Quòd Apostoli potuerunt habere in speciali & sigillatim dominia & castrorum & villarum, ac quorumcunque aliorum bonorum temporalium: quod nec reperitur, quòd Christus aliam legem vivendi dedit Apostolis, quàm quibuscunque aliis discipulis, ut dictum est.

VII. Quod Apostoli stante Evangelica perfectione, potuerunt habere in communi bona mobilia, ut agros & prædia: & quòd talia in Judæa non retinuerunt, nec fecerunt, quòd prævidebant in spiritu se transituros ad gentes.

VIII. Quòd Apostoli nunquam emiserunt votum abdicationis proprietatis & dominii rerum temporalium.

SERMO MAGISTRI WILHELMI de S. Amore, I.

Deus gratias tibi ago, quòd non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, velut etiam hic publicanus. Lucæ 19.

IN hodierno Evangelio proponit nobis Dominus in parabola duas personas, quasi duo specula vel exempla. Unum superbiæ, videlicet Pharisæum: & alterum humilitatis, videlicet Publicanum. In qua parabola possumus ad præsens considerare quatuor, ad nostram institutionem. Primò, quid signetur per pharisæum, & quid per publicanum: ibi, Duo homines ascenderunt. Secundò comparationem pharisæi ad publicanum, & eorum dissimilitudinem: ibi, Pharisæus autem, &c. Tertio Domini sententiam super meritis amborum, ibi, Amen dico vobis, &c. Quartò, fructum parabolæ, sive ad quid indicatur: ibi, Qui se exaltat, &c.

Circa primum, notandum, quòd pharisæi erant quidam religiosi apud Judæos, sicut apud nos sunt regulares: quorum quidam extrà in habitu, in austeritate vitæ, in observantiis spiritualibus & traditionibus suis, prætendebant sanctitatis speciem, quam non habebant in corde. Et isti erant hypocritæ. In habitu prætendebant sanctitatem, quia membranulas, in quibus scriptus erat Decalogus, gestabant in frontibus, quasi semper meditantes legem Dei. Et etiam gestabant eas in manibus, quasi operantes hujusmodi legem. Item habebant quadrata pallia, in quibus fimbriæ dependebant. Austeritatem vitæ prætendebant in his, quoniam in fimbriis illis ligabant spinas acutas, quibus sive ambularent, sive sederent, pungerentur, quasi sic commoniti retraherentur ad servitium Dei: ex quo apparet, quòd ambulabant discalceati: aliter enim ambulando, non pungerentur à spinis. Hoc dicit Gloss. Matth. 23. super illud: Dilatant phylacteria, &c. Isti autem, ut per hoc gloriam humanam assequerentur, non in claustris, non in solitudinibus habitare volebant, sed coetus & turbas hominum frequentabant. Unde Matthæi vigesimotertio: Amant primos recubitus in coenis, & primas cathedras in synagogis, salutationes in foro, &c. quod videtur contrarium religioni. Sicut enim piscis sine aqua vitâ caret, ita sine monasterio monachus, ut dicit Eugenius papa 16. q. 1. Placuit. Unde Hieronymus ad Paulum monachum: Si cupis esse quòd diceris, Monachus, id est solus: quid in urbibus facis, quæ solorum non sunt habitacula, sed multorum? Isti etiam, ut majorem gloriam apud homines obtinerent, præferebant traditiones suas legi divinæ. Unde dicit Dominus Matthæi 15. Quare transgredimini mandata Dei, propter traditiones vestras? Et ideo Pharisæi, id est divisi à populo dicebantur. Unde dicit Glossa Matthæi 3. super illud: Videns Joannes, multos pharisæorum venientes ad baptisma: scilicet, propter gloriam etiam majorem humanam, faciebant quidam eorum se scribas, id est legis doctores, ut in majori reverentia haberentur, tanquam magistri. Unde Matthæi 23. Amant vocari ab hominibus Rabbi, id est Magistri: dicitur de Pharisæis. Unde dicit Evangelium:

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt, Facite. Patet ergo, quòd aliqui Pharisæi similiter erant & Scribæ: quia non sedebant in cathedris, nisi Scribæ, id est, legis doctores, isti pejores erant aliis Pharisæis. Unde in uno eodemque sermone graviùs invehitur Dominus contra eos, comminans eis, & prædicens mortem æternam, dicens octies Matth. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ. Isti Pharisæi hypocritæ præcipuè procuraverunt mortem Salvatoris, exhibentes etiam ministros Judæ proditori ad capiendum Dominum Joan. 18. Judas cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, facibus & armis. Per prædictum Pharisæum qui fuit hypocrita, ut ostendetur inferiùs, significantur hypocritæ nostri temporis, & præcipuè illi qui habitu & gestu exteriori & ostentatione vitæ austerioris & specialibus observantiis per suas traditiones inventis,speciem sanctitatis & religionis prætendunt, ut ab hominibus laudentur & honorentur: videlicet falsi religiosi, quod ex eorum operibus conjicitur: patet Matt.7.A fructibus eorum cognoscetis eos: non dico ab illis operibus quæ ipsi ostentant, ut sanctiores videantur: illa enim bona esse apparent hominibus.Unde Gloss. ibidem: In conspectu hominum similes sunt ministris justitiæ, dum jejunant,orant, eleemosynas dant. Sed non sunt eorum fructus, quia pro vitio eis reputantur, videlicet propter vanam gloriam quam prætendunt: sed ab illis operibus cognoscuntur, quæ ipsi non ostentant, sed tamen ea faciunt ut mundi gloriam vel delicias assequantur. Sunt enim quidam illorum, voluptatum amatores magis quàm Dei, ut dicit Apostolus 2 Tim.3. Ad cognoscendum autem Pharisæos & Scribas hypocritas per ipsorum opera quæ sub pietatis specie machinantur, ponit Dominus quatuor signa infallibilia, quæ mentiri non possunt, dicens Matth. 23. Amant primos recubitus in cœnis, primas cathedras in Synagogis, salutationes in foro, & vocari ab omnibus hominibus Rabbi. Circa primum signum notandum, quòd illi primos recubitus in cœnis videntur amare, qui publicas cœnas Regum & principum & prælatorum sectantur: sedentes in capitibus mensarum, ut ab hominibus honorentur, & delicatè pascantur: quod in viris regularibus, & præcipuè in viris prædicatoribus, non bene sedet. Unde super illud Matth. 11. Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt: dicit Glossa, Rigida vita & prædicatio, id est, regularis, & prædicatores declinare debent mollium palatia, quæ frequentant mollibus indutis adulantes. Nisi enim adulatores essent, non diutiùs amarentur in curiis, cum sint manibus otiosi, ut dicit Glossa super illud 2 Thess. 3. Non quasi non habuerimus potestatem, &c. Glossa: Qui ad alienam mensam frequenter convenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se: cum tamen religio nostra ad libertatem homines advocet, videlicet ut liberè dicant veritatem, & non adulentur. Ideo Apostolus, licèt potestatem haberet vivendi de Evangelio, tanquam missus à Domino, ut ipse probat 1 Cor. 9. dicens: Non sum liber? non sum Apostolus? &c. volebat tamen potiùs vivere de labore manuum suarum 2 Thess. 3. Neque enim gratis manducavimus panem ab aliquo, sed in labore & fatigatione. Glossa: id est, in labore manuum, nocte & die laborantes. Glossa: Tunc isti pseudoprophetæ magis vivere debent de labore, qui non habent potestatem hanc quam nos habemus, scilicet potestatem Apostolicam: hanc enim habent soli Episcopi & alii rectores Ecclesiarum vel eorum Vicarii, ut dicit Gloss. super illud Psalmi: Pro patribus tuis nati tibi sunt filii. Hebr. 5. Nec enim quisquam sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Domino tanquam Aaron. Gloss. A Deo vocatur, qui ab Ecclesia rectè eligitur.

attende.

Item illi videntur amare primos recubitus in cœnis, qui ut splendidè pascantur in domibus divitum & potentum, curiosi existunt de negotiis eorum, & propter illa tradenda discurrunt: contra quos Apostolus 2 Thess. 3. Ipsi enim scitis, quoniam non inquieti fuimus inter vos, id est, curiosi, ut illi qui aliena negotia curant, vagantes hàc & illàc. Et infrà: Audivimus enim quosdam inter vos ambulare inquietè nihil operantes, sed curiosè agentes. Glossa: De negotiis alienis, ut hoc modo pasci mereantur: quod factum abhorret disciplina Dominica. Eorum enim deus venter est, qui hàc fœda curâ necessaria sibi provident, videlicet procurando negotia aliena. Sed tamen signum datum à Domino ad cognoscendum Scribas & Pharisæos hypocritas, est, quoniam amant primas cathedras in Synagogis. Primas cathedras amare videntur in Synagogis, qui in congregationibus, quæ fiunt in Ecclesia propter aliquas solemnitates, procurant ut vocentur ad cathedram prædicantis, plurimumque à Principe seculari, qui potestatem ad hoc vocandi non habet, non deferentes in hac parte Episcopis & aliis prælatis: nec expectant, quoad ab eis vocentur, sed per tales vocationes minùs canonicas se ingerunt ad prædicandum plebibus alienis: contra illud Apostoli Rom. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Nec enim Episcopus prædicare potest publicè plebi alterius Episcopi, 60. q. 2. Episcopus. nisi ab eo vel plebano illius plebis ad hoc invitatus, 7. q. 1. Episcopi vel Presbyteri. Qui enim ingerit se ad prædicandum populo, super quem à Domino non habet

habet potestatem, non Dei gloriam, sed suam quærit 2 Cor. 10. Qui gloriatur in Domino glorietur. Gloss. Quod non potest ille qui non habet potestatem à Domino: talis enim si prædicet, suam gloriam quærit Phil. 2. super illud: Sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur, &c. Glossa: Pseudoprophetæ ex occasione evangelizant, quærentes commoda sua vel pecuniaria vel honorum vel laudis humanæ. Tales prædicatores plus suâ prædicatione volunt commendari sapientiam aut eloquentiam suam, quàm ipsam rem prædicatam: sicut faciebant pseudoprophetæ 1 Thess. 2. dicit Apostolus: Neque quærentes ab hominibus gloriam. Gloss. Tangit pseudoapostolos, qui se potius quàm Dei doctrinam commendari volebant. Apostolus autem, qui non ad præsens, sed in futuro gloriam quærit, se humilem faciebat, ut Dei prædicatio exaltaretur. Unde 1 Cor. 1. Non in sapientia verbi, &c. Glossa: Qui Christi doctrinam verbis exornare vult, obscurat illam splendore verborum, ut non illa, sed ipse laudetur. Sed quare ita ostentant sapientiam & eloquentiam suam? hoc ideo, ut doctrina eorum præferatur doctrinæ secularium & simplicium prælatorum, sicut & faciebant pseudo 2 Cor. 11. super illud: Nam si imperitus servire. Glossa: Corinthii præferebant pseudoapostolos veris Apostolis, causa accurati sermonis: & quòd solâ ostentatione sapientiæ & eloquentiæ hoc faciant, & ut libentiùs audiantur. Ex hoc patet, quoniam non aliud prædicant quàm prælati, licèt magis ornatè, sicut dicit Gloss. super id 2 Cor. 11. Existimo me nihil ejusmodi à magnis Apostolis fecisse. Gloss. Quidam laudant pseudoapostolos, à quibus eadem compositis verbis audierant, quæ ab Apostolo incompositis verbis. Non enim erant Apostoli eloquentes, sed pseudo, componebant verba; ut dicit Glossa in eodem capite super illud: Nam si imperitum sermone, &c. Tales autem, quia periculosi sunt, jubet Dominus vitari. Lucæ 20. Attendite à Scribis, qui amant primas cathedras in Synagogis. Gloss. Duplici ratione jubemur attendere à vanæ gloriæ cupidine, ne vel eorum simulatione decipiamur, vel eorum exemplo ad amorem temporalis gloriæ inflammemur.

Tertium signum, datum à Domino ad cognoscendum Scribas & Pharisæos hypocritas, est, Quoniam amant salutationes in foro. Forum, ut dicit Isidorus, est exercendarum litium locus. Illi ergo Pharisæi, id est, regulares, qui procurant & amant ut vocentur ad consistoria principum & prælatorum, & eadem frequentant, sedentes ibi pro tribunali ad judicandum velut assessores existentes, ut eis litigantes reverentiam judicialem exhibeant, & salutent eos capite inclinato, salutationes in foro amare videntur, cum tamen secundum Apostolum eis non liceat: 2 Thess. 2. Nemo militans Domino implicat se secularibus negotiis, ut ei placeat cui se probavit. De antiquis & veris sanctis cantat Ecclesia: Contemnentes aulas regias perveniunt ad regna cœlestia. Ergo ab oppositis, Amantes aulas regias pervenient ad ignominiam infernalem. Unde dolendum.

Quartum signum est, quoniam amant ab hominibus vocari Rabbi: hoc signum videtur esse in illis Pharisæis sive regularibus, qui cum sint in statu perfectionis, & eis dictum sit à Domino: Nolite vocari Rabbi Matth. 23. & paulo pòst, Nec vocemini Magistri: in quorum primo prohibetur eis nominis Magistri desiderium: in secundo verò ipsum Magistri vocabulum: ipsi tamen nihilominus per multorum excommunicationem & per alia scandala procurant, ut Magistri vocentur. Sed dicet quis: Non appetunt magisterii nomen propter ipsum nomen, sed propter animarum salutem: videlicet, quia plus creditur de salute animarum magistris quàm non magistris. Sed quæro, quare est hoc? Respondebis: Quia in eis præsumitur major sapientia, & melius & discretius sciunt prædicare & docere. Sed vide quàm sit hoc longè à veritate. Magisterium enim & profunditas literarum indifferens est ad bonum & malum. Magni enim magistri fuerunt Arius & Sabellius, Eutyches & Nestorius in divinis literis: & tamen hæresiarchæ fuerunt. Item cum Apostolus sciret quid utile esset animabus: & sciret eminentiam sapientiæ & eloquentiæ, quæ in magisterio attenditur, utile esse profectui animarum: eis utique in prædicando necesse fuisse; cujus contrarium dicitur 1 Cor. 11. Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuncians testimonium Jesu Christi: nihil enim me judicavi scire inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in veritate 1 Cor. 4. Sed vide qualiter Apostolus confirmarat prædicationem suam: non utique per magisterium, non per ostentationem sapientiæ aut eloquentiæ, sed per humilitatem patientiæ, per miracula, per opera virtutum. 2 Cor. 12. Signa Apostolatûs mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, in prodigiis & virtutibus. Glossa: Castitate & cæteris operibus virtutum. Miracula tamen hodie suspecta essent, cum jam simus in novissimis diebus, aut prope novissimos dies: de quibus dicitur Matth. 24. Surgent pseudoprophetæ, & seducent multos. Et Marc. 13. Exurgent prophetæ, & dabunt signa & prodigia ad seducendum, si fieri

potest,

potest, etiam electos. Item, si non sufficit tibi exemplum Apostoli, ad ostendendum quòd prædicator propter magisterium suum non plus proficit animabus quàm alius, do tibi exemplum Christi: qui cum inter discipulos suos haberet quosdam magistros bonos & sanctos, videlicet Nathanaelem, de quo dicit Joan. 1. Ecce verè Israelita, in quo dolus non est: & Nicodemum, cui dixit Joan. 3. Tu es magister in Israel, &c. neutrum tamen legitur misisse ad prædicandum: sed alios discipulos simplices & imperitos misit, & ex discipulis Apostolos sive missos fecit. Matth. 10. Ecce ego mitto vos. Gloss. De discipulis missos vos facio. Sic ergo habemus quatuor signa prædicta, per quæ cognosci possunt scribæ & pharisæi, hypocritæ, id est fallò simulantes religionem exterius, quam non habent in corde.

Nunc restat videre, cujusmodi homines significantur per Publicanum. Publicani uno modo dicebantur, publica vectigalia exigentes: alio modo, sua mercimonia publicantes: alio modo, homines communi modo viventes, non se à communi vita hominum distinguentes. Per publicanum signantur homines seculares, qui etsi sint peccatores, tamen sanctitatem non simulant, sed se peccatores cognoscunt. Deinde tam apud Deum quàm apud homines humiliantur, & sibi ipsis indignantur, quod eis prodest. Esaiæ 63. Indignatio mea auxiliata est mihi. Nec erubescunt confiteri peccata sua, juxta illud Eccl. 4. Non confundaris confiteri peccata tua. Et ideo tales de facili veniam assequuntur. Psal. 30. Dixi confitebor adversum me.

Vide cujusmodi homines significentur per Pharisæum, & cujusmodi per Publicanum, quod erat prima pars Sermonis nostri. Secundò videndum est, comparatione sive controversia utriusque: & primò videamus superbiam Pharisæi, deinde humilitatem Publicani. Pharisæus superbus, ostentans se justum, primò jactat se de prima parte, quæ est declinare à malo: dicens se immunem esse à peccatis tam spiritualibus quàm carnalibus. Inter spiritualia, exempli causa, asserit se immunem ab injusta rerum alienarum ablatione, cum dicit: Non sum sicut cæteri hominum, raptores. Deinde asserit se immunem ab avara suarum rerum retentione, cum dicit, Injusti. Injusti enim sunt, qui res proprias avarè retinent, quæ debent pauperibus communicare. Eccl. 4. Declina aurem pauperi sine tristitia, & redde illi debitum tuum. Postea asserit, se immunem à peccatis carnalibus: & gratia exempli, ponit adulterium, cum dicit. Adulteri. Consequenter jactat se habere secundam partem justitiæ, quæ est facere bonum.

Primò asserit corpus suum sacrificare Domino per abstinentiam, cum dicit: Jejuno bis in Sabbato. Deinde jactat se sua bona dedicare Domino, cum dicit: Decimas do omnium quæ possideo. Circa superbiam & jactantiam observa quinque. Primò nota, cum deberet missam suam incipere à Confiteor, id est, orationem suam ab accusatione sui, Pro. 18. Justus prior est accusator sui: missam suam reversat, incipiens à Deo gratias, dicens in principio orationis suæ: Deus, gratias tibi ago, quòd non sum sicut cæteri hominum.

Secundò nota, quòd cum se de aliis peccatis immunem jactat, non tamen de hypocrisi: quoniam forsan non cognoscebat, esse se hypocritam. Talis enim est naturalis morbus: cui cum fuerit dedicatus, ignorat eum. Morbus eorum est, se esse sanctos apud Deum, sicut apud homines sancti deputantur. Unde Moralium lib. 15. super illud Job 20. Velut somnium avolans non invenitur dicit Greg. Hypocritæ, dum ab hominibus immoderatè laudantur, tales se apud Deum existimant, quales se gaudent hominibus innotuisse. Unde fit, ut de humanis favoribus hic exultent, & in futuro se habituros requiem omninò non dubitent.

Tertiò nota, quòd cum ipse Publicanum de nullo peccato arguat, hoc solùm reputat eum peccatorem, quoniam est Publicanus, & non Pharisæus: sicut ipse dicens, Veluti etiam hic Publicanus. Hic est enim mos hypocritarum, quòd omnes illos qui non sunt hypocritæ, reputant peccatores: unde & alios ad imitationem invitant. Unde Moralium 8. super illud Job 8. Si absorbuerit de loco suo, &c. dicit Greg. Utinam hypocritis perditio sua sola sufficeret, & nequaquam alios ad viam duplicitatis instigarent. Hoc namque uniuscujusque proprium esse solet, ut qualis ipse fuerit, tales sibi conjungi & alios velit, diversitatem vitæ defugiat, atque hoc imitandum imprimat quod amat. Unde apud hypocritarum sensum, simplicitas omnis in crimine est: apertas quippe mentes dijudicant, & puritatem cordis hebetudinem appellant.

Quartò notatur, quòd in omnibus, de quibus se jactat iste Pharisæus, mentitur. Primò mentitur in hoc, quòd se asserit non raptorem: imò certè raptor est, usurpando sibi titulum bonitatis, qui soli Deo convenit. Mar. 10. Nemo bonus nisi solus Deus. Secundò mentitur, asserens se non esse injustum: imò certè injustus est, proximum

inum scilicet publicanum teterrimè judicando. Rom. 14. Tu quis es, qui judicas servum alienum? Domino suo stat, aut cadit. Tertiò mentitur, dicens, se non adulterum: imò adulter est, propriam sponsam Domini sui, quam sibi soli retinuit, sibi usurpando, scilicet gloriam, quæ soli Deo debetur. Esai. 42. Gloriam meam alteri non dabo. Quartò mentitur dicens, Jejuno: imò certè solvit jejunium suum vilissimo pane, videlicet pane infernalis serpentis, scilicet pane vanæ gloriæ: de quo legitur: Serpenti pulvis panis ejus. Quintò mentitur, dicens, Decimas do: imò certè decimas non dat, sed reddit tanquam tributum suum ad quod tenetur: quia decimæ sunt tributa egentium animarum, ut August. dicit 16. q. 1. Decimæ. Malachiæ 3. Inferte omnem decimationem in horrea mea, ut sit cibus in domo mea. Mentiuntur ergo illi, qui dicunt decimas esse ceremoniales, & non deberi modò nisi secundum consuetudinem regiminis: cum dicit Aug. Qui sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, reddat decimas, & de novem partibus studeat facere eleemosynas pauperibus. 16. q. 1. Decimæ. Et Ambr. dicit: Quid est fideliter decimam dare, nisi ut nec minus nec pejus decima parte offerat de grano aut de vino, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de propria venatione sua? Sic ergo apparet, Pharisæum culpabilem esse de omnibus, de quorum contrariis se jactabat: & ita apparet superbia & hypocrisis Pharisæi.

Nunc videamus econtrariò humilitatem publicani, quæ apparet in quatuor. Primò, quia reputans se indignum, & despiciens seipsum, veretur accedere ad sacra. Unde dicitur: Publicanus stans à longè, quod est contra illos qui irreverenter appropinquant altari, dum missa celebratur. Non sic centurio Mat. 8. Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Et sic Petrus Lucæ 5. Domine, exi à me, quia homo peccator sum.

Secundò in hoc, quia oculos non audet ad cœlum levare, quasi judicans se reum apud cœli Dominum. Rei enim est, faciem non levare. 2 Reg. 2. dicit Abner ad Asael: Noli me sequi, ne compellar confodere te in terra, & non potero levare faciem meam ad fratrem tuum Joab. Quod est contra illos, qui fatentes se esse in peccato mortali, irreverenter aspiciunt corpus Christi: cum tamen Oza levita, quia pollutus tetigit arcam Domini, volens etiam juvare ne caderet bobus recalcitrantibus, mortem perpessus est. 2 Reg. 6, 7.

Tertiò, quia percutiendo pectus, sub quo est cor, detestabatur peccata sua, quæ ex corde procedunt, Mat. 20.

Quartò, quia non erubescit confiteri peccata sua, & ponere ante oculos misericordiæ Domini, dicens: Domine, propitius esto mihi peccatori: juxta consilium Eccl. 4. Pro anima tua non confundaris dicere verum: est enim confusio adducens gloriam. 1 Joan. 1. Sic confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & justus, ut dimittat nobis peccata nostra. Verè justum est hoc, propter verecundiam & erubescentiam, quæ est in confitendo. Unde Moralium 22. super illud Job 31. Si abscondi peccatum meum: dicit Gregor. Mirentur in Job alii integritatem justitiæ, mirentur viscera pietatis: ego non minus in eo admiror confessionem humillimam peccatorum, quàm tot sublimia gesta virtutum. Scio enim, quòd propter infirmitatis verecundiam plerunque gravioris est certaminis, peccata commissa prodere, quàm admissa vitare. Habitâ collatione Pharisæi & Publicani, sequitur sententia Domini super meritis utriusque, dicentis: Amen dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo, id est, ad cooperationem illius gratiæ. Ezech. 16. ubi dicit Dominus ad Judam: Justificasti sorores tuas ab omnibus abominationibus tuis: id est, q. comparatione abominationum tuarum. Ex hac humilitate Publicani, & superbia Pharisæi, potest argui, quòd justior est peccator humilis, quàm justus superbus: id est, qui se reputat justum: August. de Civit. Dei: Audeo dicere, superbis utile esse, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceat, qui jam interius sibi placendo ceciderat. Salubrius enim sibi Petrus displicuit, quando flevit: quàm sibi placuit, quando præsumpsit.

Ultimò, ad quid inducatur parabola ostendit, cum dicitur: Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur.

Exaltationem in præsenti sequitur humiliatio, id est, vilificatio in futuro. Esa. 14. Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altiss. Et sequitur: Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci. Sequitur: Et qui se humiliat in præsenti, exaltabitur in futuro. Job 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: supple, æterna: ad quam nos perducat, &c.

SERMO

SERMO II. MAGISTRI WILHELMI
In die Philippi & Jacobi.

QUI amat periculum peribit in illo: factus est sermo Domini in corde meo, quasi ignis æstuans.

Verbum secundò propositum scribitur in Jerem. qui propter verbum Domini quod annunciabat multa opprobria & tribulationes & ignominias sustinuit: & tandem prorupit in hæc verba, dicens, Factus est sermo Domini, &c. & subdit: Audivi multorum contumelias & terrores, Dominus autem mecum est tanquam bellator fortis. Hæc verba sunt ipsius prophetæ, & hæc verba pro me possum dicere: Ego scio Ecclesiæ quædam pericula imminere, & non potest fieri quin eveniant. Unde non possum tacere, sed oportet ut ea manifestem: sed quod possum dicere ex scripturis, scilicet quia non placet omnibus audire hujusmodi pericula: ideo quidam audientes me de his loqui, derident & detrahunt mihi: sed ego habeo veritatem mecum. Unde si me derident, hoc est ad utilitatem meam: & ideo non dimittam dicere veritatem, quæ est utilis toti Ecclesiæ. Ac ut possim ardentius ac diligentius facere, in principio oremus.

Qui amat periculum peribit in illo. Verbum istud scribitur in Eccles. in quo ostenditur, quòd illi qui pro posse suo amant & quærunt periculum, necesse habent perire in illo. Et hoc est quod dicit Esai. Propterea ductus est populus meus in captivitatem, quia non habuit scientiam. Anima enim sine scientia perit. Solom. In iniquitate sua morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur: peccator scilicet, qui non habet disciplinam, quia non habet scientiam de vitandis periculis, peribit. Omnia peccata mortalia pericula sunt: nec quælibet pericula, sed pericula mortis æternæ. Sed inter pericula parva & magna, illud periculum quod est duorum vel trium vel decem vel centum, hoc est magnum periculum. Sed periculum quod omnibus & toti Ecclesiæ imminet, maximum est periculum. Et ideo de tali periculo, quod est omnibus commune, maximè est curandum. Unde quidam mirantur, quare ego non prædicem de luxuriâ, superbia, avaritia & gulâ; sed de peccato hypocrisis specialiter. Et etiam detrahunt mihi apud magnates & in curia Domini Papæ; & dicunt quòd ego non prædico contra pompam mundi, nec contra luxuriam, sed contra hypocritas tantùm. Sed hæc est ratio, quare ego facio: quia si medicus aliquis esset, qui totum mundum haberet in cura sua, & videret quòd omnes ferè essent in una magna infirmitate, & duo vel tres ex omnibus haberent unam modicam infirmitatem, non reputaretur ille bonus medicus, nisi majorem curam & solicitudinem adhiberet illi gravi infirmitati omnium, quàm modicæ infirmitati istorum duorum vel trium. Sed & ita in hac parte dico, quòd omnia peccata mortalia, quotquot sunt, pericula sunt; sed tamen totus mundus hæc peccata non facit, quia in bonis religiosis non regnat luxuria, nec in bonis activis regnat avaritia; & sic de aliis. Et ideo à pari, aliorum peccatorum non est commune omnibus, sicut peccatum hypocrisis, quo ferè tota Ecclesia vel pro majori parte infecta: & ideo de tali periculo valde utile est prædicare, ut illi qui audiunt, ab hoc se possint custodire. Unde omissâ commendatione & laude S. Apost. Philippi & Jacobi, quorum hodie est festum, de istis periculis videamus. Circa hæc pericula, quinque possunt notari. Primò enim ostendendum est quòd hæc pericula debent venire. Secundò, quæ sint hæc pericula. Tertiò, per quos venient hæc pericula. Quartò, quibus modis illi mittent hæc pericula in mundum. Quintò, quomodo isti per quos venient, sint cognoscibiles.

Primò ergo videndum est, quòd hæc pericula debent venire & quòd debent venire, ostendo per authoritates, scilicet per Apostolum & ipsum Christum. Apostolus enim dicit ad Timoth. Hoc autem scito, quòd in novissimis temporibus instabunt tempora periculosa. Ergo pericula venient. Sed Christus dicit in Evangelio: Erit autem tanta tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi: & dicit hæc inter pericula quæ minatur debere venire ante ipsum Christum. Et posset hoc probari per alios testes: sed isti sufficiunt. Unde constat, quòd pericula venient.

Secundò videndum, quæ sint hæc pericula quæ venient. Dicam autem vobis, quæ sint hæc pericula: & nihil addam de meo, sed per scripturas ostendam. Unde dicit Jer. Unusquisque à proximo suo se custodiet, & in fratre non habebit fiduciam. Nonne hoc est magnum periculum? nec solùm corporis, sed etiam animæ: quia de salute animæ in nullo se potest homo certificare. De hoc periculo dicitur Micheæ 7. Noli credere amico,

amico, noli confidere in carne: ab eâ quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Nonne ergo hoc erit magnum periculum, quòd vir uxori suæ, cum quâ ipse est corpus unum, suum secretum manifestare non poterit? Unde Gloss. super illud: Noli credere amico: id est, pseudoprophetis, qui fingunt se amicos & non sunt. Pseudoapostoli sunt falsi prophetæ. Ad idem dicit Dominus in Evangelio Matthæi: Frater tradet fratrem in mortem, & pater filium. Insurgent filii in mortem patris. Nonne ergo istud erit magnum periculum? Et impossibile est hoc non evenire, quia Veritas hoc dicit: & ideo oportet quòd eveniant. Multa erunt alia pericula, sed ad præsens hoc dico vobis.

Tertiò videndum, per quos hæc pericula venient. Sed nunquid venient pericula per Principes & Barones primò? Certè non principaliter: tamen illi per quos venient, multos habebunt Principes & Barones pro se. Vel nunquid venient per milites armatos vel per burgenses bene vestitos? Certè non. Sed per illos qui prætendunt speciem sanctitatis exterius, intrà verò sunt pleni dolo & malitiâ. Et quòd ita sit, ostendo per Apostolum, qui, postquam enumeravit multa pericula ventura, dicit: Quòd per illos venient, qui plus de suo honore quàm de Dei laude quærunt: & isti erunt pleni peccato, & prætendentes speciem pietatis. Gloss. Id est, religionis. Sed quomodo scietur hoc, quòd plus honorem suum quàm Dei laudem quærunt? Unum signum est ad hoc, quòd plus se quàm veritatem diligunt: quia etiam non possunt pati, quòd veritas de ipsis dicatur. Unde dicit Greg. in Past. Qui perversa vult agere, & ad ea cæteros vult arcere, ipse sibi testis est, quando plus se quàm veritatem vult diligi: quoniam contra se non vult diligi. Et Apostolus dicit, Quòd amabunt plus honorem suum quàm veritatem, & nolunt quòd de eis malum dicatur. Unde super illud Apostoli ad Corinth. In charitate non fictâ. Gloss. August. Pseudo simulant charitatem, ut faciliùs decipiant. Ergo hæc pericula venient per illos, qui pietatem & charitatem simulant. Unde dicit Apostolus: Nolite seduci in religione Angelorum, scilicet in illis qui videntur esse Angeli, per honestam conversationem exterius. Angeli enim sunt nuncii Domini. Hi autem per speciem & sanctitatem religionis, facilè possunt homines decipere. Sic ergo patet per prædicta sanctorum, quòd pericula per illos evenient, qui foris speciem sanctitatis prætendunt, ad hoc ut faciliùs decipiant. Sed quoniam aliqui sunt qui meliùs credunt verbis Christi quàm Sanctorum, unde testimonium Christi ad hoc inducam, & veris sanctis ita credendum est sicut Christo: quia quod sancti dicunt, Christus dicit: quia sicut dicitur in Evangelio: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Sed ad majorem confirmationem videte quid Christus ipse dicit. Non loquitur de periculis quæ ventura sunt ante tempora Antichristi. Dicit enim sic: Multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos. Gloss. Qui in humilitate & falsâ religione ambulant, & isti multos decipient. Unde dicit Apostolus: Nam ejusmodi pseudo sunt Apostoli, operarii subdoli & transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non est mirum: ipse enim angelus Satanæ transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si transfigurant se ministri ejus in Apostolos, qui sunt ministri Dei. Super illud verbum subdoli, dicit Gloss. August. callidè sub specie religionis decipientes. Sed dicet aliquis, Bene videmus quòd pericula venient per tales, qui prætendunt speciem sanctitatis: sed tamen de bonis hoc non est verum. Bene concedo hoc: sed tamen istorum per quos venient pericula, erunt opera de genere bonorum. Nec miremini, quòd prophetas prædicatores voco. Quia dicit Gloss. Prophetas, id est, scripturæ explanatores. Quòd autem ipsi faciunt opera de genere bonorum, hoc dicit Dominus: A fructibus eorum cognoscetis eos. Gloss. Per fructus perdurabiles. Sed dicit Gloss. Quòd non debent attendi opera quæ ostendunt. Unde Gloss. In conspectu hominum similes sunt ministris justitiæ, dum jejunant, orant, eleemosynas dant: sed isti non sunt fructus eorum, quia hoc faciunt ut decipiant.

Sed tunc dicet aliquis: Nonne credendum est omnibus qui bene prædicant de peccatis? Certè non omnibus talibus est credendum. Quia dicit Dominus in Evangelio: Multi venient in die illâ, dicentes, Domine, nonne in nomine tuo prædicavimus, dæmones ejecimus, virtutes fecimus? & Dominus respondebit eis: Discedite à me qui operamini iniquitatem: & hæc dicet talibus in judicio; non ergo omnibus est credendum, qui benè de peccatis prædicant. Sed tunc adhuc dicet aliquis, Si videamus quòd benè prædicent, non est eis credendum? Si videamus quòd faciunt miracula & virtutes, nunquid credendum? Certè non. Quia Dominus, quando per tales bene facit miracula propter conversionem & utilitatem illorum quibus prædicant: tamen propterea non est eis magis credendum. Unde super illud verbum dicit Gloss. Maximè cavendum est ab his, qui miracula faciunt propter nomen Christi, quæ propter perfidos Dominus fecit: nec putemus ibi esse invisibilem sapientiam, ubi est invisibile miraculum: quoniam

mundo ergo & simplici oculo opus est, ut inveniatur sapientia inter tot deceptiones hypocrisis: & tales habebunt habitum sanctitatis. Unde super id Apoc. Apertum est quartum sigillum, & audivi vocem quartæ bestiæ, & dixit, Veni & vide: & ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi mors. Gloss. dicit, quòd Joannes ponit duas prophetias, & ponit triplicem persequutionem Ecclesiæ, signatam per triplicem equum, quem vidit: videlicet equum rubeum, nigrum & pallidum. Sensus est, & non verba: & dicitur ibi, quòd per equum rufum signatur persecutio facta per tyrannos, qui semper sævitiam suam exercuerunt in Apostolos & S. Martyres. Per nigrum equum signatur persequutio Ecclesiæ, facta per hæreticos, tempore B. Augustini & Hilarii: tempore enim illorum magnam sustinuit Ecclesia persecutionem ab hæreticis. Sed equus pallidus signat persecutionem Ecclesiæ imminentem per hypocritas. Unde dicit ibi Gloss. Videns diabolus per apertos tyrannos & manifestos hæreticos, se non posse proficere; mittit falsos fratres, qui sub habitu sanctitatis homines subvertant. In veritate diabolus per tyrannos Ecclesiam destruere conabatur, in hoc quòd Apost. & alios sanctos morti tradebant: sed in veritate in se magis Ecclesia exaltata est & sublimata. Sicut patet in Francia, in duobus locis, per mortem sancti Dionysii: Ecclesia apud sanctum Dionysium ditata est, & ipse Rex cum omnibus suis ad fidem conversus est. Hoc etiam patet in Ecclesia Romana, quæ per mortem S. Nicasii ditata est & sublimata. Unde cum videret diabolus, quòd per tyrannos fides Ecclesiæ multiplicaretur & confirmaretur, misit postea hæreticos: in quos sanctus Hilarius & sanctus Augustin. fidem defenderunt in tantum, quòd hæresis ablata est. Sed videns, quòd per istos duos equos nihil proficeret, ultimò misit equum pallidum, id est, hypocritas & falsos fratres, qui sub habitu sanctitatis Ecclesiam perturbent, & persecutio tertia hypocritarum major erit aliis duabus præcedentibus: sicut dicit August. in Gloss. super Psalterium, super primum Confiteor: Quid ergo faciendum est, cum non sit credendum habitui eorum, nec miraculis, nec jejuniis, nec orationibus eorum? Certè hoc idem quæritur in Gloss. Et respondetur: Quoniam ergo mundo & simplici oculo opus est, ut inveniatur sapientia inter tot deceptiones; magnum ergo est periculum, quòd pericula Ecclesiæ imminentia per tales evenient, quibus omnes credent. Gregor. Nemo plus nocet in Ecclesia Dei, quàm qui perversè agens, habet dignitatem vel honorem. Et Aug. dicit de falsis religiosis: Sicut non inveni meliores, quàm qui in monasterio profecerunt: sic non inveni deteriores, quàm qui in claustro defecerunt. Patet ergo, quòd pericula sint ventura, & quæ sint, & per quos venire debent, quoniam per illos quibus omnes credent: & in hoc maximè consistit periculum.

Quartò videndum est, quomodo venient isti qui pericula inducent. Et Apostolus ostendit in multis locis, quòd isti erunt qui non habebunt curam animarum, & per totum mundum prædicabunt & pugnabunt pro prælaturis & dignitatibus habendis: isti sunt falsi Apostoli, & qui prædicabunt non missi: quia sicut dicit Apostolus: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Ubi dicit Gloss. Non sunt veri apostoli, nisi sint missi. Duo enim tantùm genera prædicatorum missa sunt, videlicet duodecim Apostoli. Lucæ 10. & 72. discipuli: & dicit Gloss. quòd Apostoli sunt episcopi; discipuli presbyteri. Unde dicit Gloss. Apostolorum formam tenent episcopi, sed discipulorum formam tenent presbyteri. Verum est, quòd alii vicarii, sicut archidiaconi vicarii episcoporum, & illi possunt supplere vicem episcoporum. Unde Apostolus ad Corinth. Opitulationes. Gloss. id est, opem majorem ferentes, ut archidiaconi episcopis. Episcopus enim si non vult in sua diœcesi prædicare, potest alium vocare: aliter alius non potest in sua diœcesi prædicare: sicut nec ipse in diœcesi alterius, nisi vocatus: & de hoc habetur 9. q. 2. per totum: & in decreto Hortamur 6. q. 3. quia nullum officium episcopus extra suam diœcesin exercere potest, nisi requisitus: sic nec presbyter extra suam parochiam. Et quod dico de episcopis, intelligendum est de archiepiscopis & majoribus prælatis. Unde dicit & Apostolus: Qui vult prædicare non missus, sua prædicatio non est propter honorem Dei, sed se honorari quærit: quia non quem homines commendant, ille probatus est; sed quem Deus commendat, ille probatus est. Gloss. Qui prædicat non missus: talis enim non est idoneus, sed præsumptor & reprobus; & tales separantur à Christo. Unde super illud 1. Cor. 2. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Gloss. August. In Domino glorietur: quod non potest, qui non est missus: talis enim si prædicat, suam gloriam quærit. Sed isti qui sic prædicabunt non missi, quomodo poterunt decipere, cum ipsi bona dicant: quia videtur quòd fides ex hoc potius confortetur, quàm debilitetur? Et ad hoc ego dico, quòd quando prædicabunt, in suis prædicationibus tantùm laborabunt ad bene loquendum:

loquendum: & prædicabunt quòd ipsorum prædicatio ipsis laicis plus placebit quàm prædicatio prælatorum. licèt tamen ipsi non dicant aliud quàm prælati. Sed quia habebunt verba magis polita & ornata, ideo magis diligetur eorum prædicatio. Sic & Apostoli simpliciter prædicabant; sed pseudoapostoli tantùm circa ornatum verborum laborabant: quia charius audiebantur quàm Apostoli. Unde dicit Apostolus ad Corinthios: Existimo me nihil minus fecisse à magnis Apostolis. Gloss. Quædam faciebant pseudo, à quibus idem audiebant, sed verbis compositis, quod ab Apostolis; verbis incompositis. Et iterum: Horum nuncii jam quidam sunt, sed plures in fine futuri sunt. Et dicit August. super id: Etsi imperitus sermone, tamen non scientiâ. Gloss. Non erant eloquentes Apostoli, sed pseudoapostoli verba componebant. Gloss. Corinthii præferebant pseudo veris Apostolis, causâ accurati sermonis: quia Apostoli non nisi veritatem dicere curant, alii verò ornant verba sua. Unde super id, Non sumus quærentes ab hominibus gratiam. Gloss. Tangit pseudo, qui se magis quàm doctrinam Dei commendare volebant: Apostolus autem qui non ad præsens, sed in futuro gloriam quærit, se humilem faciebat, ut ejus prædicatio exaltaretur, &c. Gloss. August. Quia, quando multos Apostolus convertit ad fidem Christi, noluit quòd hoc attribueretur scientiæ & eloquentiæ hujus mundi, sed divinæ potentiæ & bonitati: sed multi sunt qui plus desiderant, quod dicatur de eis, Iste bene prædicavit: quàm quòd dicatur, Iste fructum faciendo feret Deo: sed Apostolus dicit, Non in doctis humanæ sapientiæ verbis, &c. Et per hunc ornatum verborum facient, quòd nobiles & magnates, laici & clerici etiam, pro magnâ parte eis obedient & adhærebunt. Unde & tunc erit tempus, quando subditi suos prælatos non diligent, nec prælati subditos: & ideo dicit Apostolus ad Timoth. Oportet Episcopum testimonium bonum habere ab eis qui foris sunt, ut non incidat in contemptum, in odium & in laqueum diaboli. Gloss. August. Ut non incidat in contemptum apud fideles: & ex hoc sequitur odium contra illos, & tunc erit magnum periculum. Sed nunquid isti facient plus? Certè sic. Unde dicit Apostolus in prophetia sua: & bene dico in prophetia; quòd hæc est prophetia Apostoli, quæ revelavit per Spiritum Sanctum futura. & ibi dicit Apostolus: Ex his sunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas: quia laborabunt ad hoc, ut sciant conscientias hominum, & primò muliercularum, & per illas, conscientias virorum. Sicut diabolus seducendo Evam, etiam ad se duxit Adam. Gloss. ad literam: Domos ingredientur: qui enim vult violenter intrare domum, non facit viam per quam locum intret, dummodò locum intret: franget ergo domos; sed quomodo? mediante securi? imò franget domum: id est, conscientiam. Quòd autem domus sit conscientia dicit Eccles. Præcurre prior in domum tuam. Gloss. In domum conscientiæ nos recipiamus. Ille autem frangit domum, qui in conscientiam aliter quàm per ostium intrat: ostium conscientiæ est ille, qui habet curam animarum: & qui aliunde quàm per illum in conscientias hominum intrat, latro est. Testimonium Domini: Qui non intrat per ostium, ille est fur & latro. De hâc domo, quam isti sic penetrabunt & frangent, dicitur alibi: Ne recipias omnem hominem in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi. Et est in Eccl. Non cuilibet conscientiam tuam manifestare debes in confessione: quia quidam sunt dolosi, qui plus de suâ laude quàm de salute animarum curant. Unde sequitur ibidem: Admitte alienigenam, & subvertet te, & alienabit te à viis propriis: scilicet, si confiteris illi qui non habet clavem de conscientia tua, nec ipse potest absolvere animam tuam: quia talibus plus credent homines quàm suis Episcopis, quàm suis Presbyteris. Isti ergo frangent domos; sed quare? Ratio hujus sequitur statim pòst: Et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis per varia desideria: quàndo scilicet subditos ex potestate sui prælati ducent: & hoc est satis magnum periculum. Et hoc dicit Apostolus & Sanctus Spiritus per ipsum. Sed nunquid plus facient? Certè sic. Quia, quemadmodum Jannes & Jambres restiterunt Moysi, sic & ipsi resistent veritati. Isti enim fuerunt duo incantatores, & restiterunt Moysi in Ægypto, & fecerunt miracula per incantationes suas, ita quòd non credidit rex Moysi: sic & isti veritati resistent. Sed postea quid? Erunt homines mali & corruptores fidei. Et erunt errantes & in errorem mittentes. Unde dicitur 1 Tim. 4. 1. Spiritus autem manifestè dicit, quòd in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes malignis spiritibus & erroribus. Unde super illud Psal. Constitue, Domine, legislatorem super eos: & est in primo Confiteor. Gloss. id est, Antichristum latorem parvæ legis. Nec solùm Antichristus faciet malam legem, sed etiam membra sua multas malas leges facient. De istis novis periculis jam habemus quædam Parisiis, scilicet librum illum qui vocatur * Evangelium sempiternum: & nos vidimus non modicam partem illius libri; & audivi quòd, ubicunque est, tantum vel plus contineat ille liber quam tota Biblia: & ibi enim docetur, quòd ipse non est Deus, & quòd sacramentum Ecclesiæ nihil est, & quòd

H 2 Evange-

Hæc quæ sequuntur eadem penè sunt quæ nobis antea in scripto Scholæ Parif. exhibita sunt.

*De quo (præter id quod supra annotatum est de tractatu viri omni laude majoris D. Ed. Stillingfleet, Decani S Paul. Lond.) Chaucerus etiam nostras in poemate suo Romantio de Rosa fol. 149. Edit. Lond. 1561. aliqua habet lectu digna. Qui autem istius libri infernalis historiam vellet, eam quærat apud Bulæum. tom. 3. historiæ Universitat. Parisiensis, aliosq; ab eodem Decano venerabili citatos, viz. Nic. Eymericum in Direct. Inquisit. &c.

Evangelium Christi non sit verum Evangelium: sed docetur ibi & dicitur, quòd ille liber sit Evangelium Spiritûs Sancti, & dicit esse Evangelium æternum: & dicitur ibi, quòd tantum per 50 annos adhuc Evangelium Christi prædicabitur. Nec sunt ista pericula hujus libri penitus nova, imò sunt 55 anni, quòd primò sunt inchoata; & ideo dicitur, quòd illi per quos hæc pericula venient, dabunt aliam legem vivendi, & aliter disponent Ecclesiam: quod est valdè execrabile & abominabile dictu: quia Ecclesia quæ tenet fidem Christi est disposita ad modum illius quem ostendit Dominus in monte, ubi dicitur: Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Hæc etiam Ecclesia ordinata est ad modum illius cœlestis curiæ: quia Dominus ostendit Apostolo Paulo Ecclesiam triumphantem, ad cujus exemplar & similitudinem ipse Ecclesiam militantem ordinavit. Dicit enim Dionysius in Hierarchia angelica, Quòd sicut illi sunt ordinati in Hierarchia angelica, quòd quidam gubernant, quidam gubernantur: sic & in Hierarchia Ecclesiastica esse debet. Quia quidam debent gubernare, quidam gubernari. Illi qui gubernant sunt vel Episcopi vel Presbyteri. Sed gubernandi sunt in triplici differentiâ: scilicet Christiani, catechumeni & religiosi. Unde & religiosi non debent gubernare, sed gubernari, in quantum religiosi. Verum est, si religiosus fuerit Episcopus, potest gubernare, vel si religio habet sibi curam animarum connexam. Sicut isti Canonici regulares, illi regere possunt & non alii. Unde quando veniet ad vos talis qui regi & non regere debet, & dicet alicui vestrûm, Committe te mihi & curæ meæ: dicas sibi, Tu non potes nec debes alios gubernare. Nec dico, quòd modò sint tales, sed aliquando erunt. Unde in tota scriptura non fit mentio tantum de aliquo vitio sicut de isto. Et ideo prædico vobis hæc, ut cum venerint, sciatis vobis cavere. Nec ego dico hic, vel in aliquo loco, nisi vocatus: & timeo valdè, quòd de istis vitiis pauci vel nulli prædicant: & qui de hoc prædicant, odio habentur, & sunt in periculo corporis.

Quintò & ultimò videndum, per quæ signa isti, per quos hæc pericula venient, cognoscantur: quia in hoc consistit tota vis, scilicet quomodo isti à veris prædicatoribus discernantur; quia visum est quòd non possunt cognosci in habitu, nec in sermone, nec in miraculorum operatione. Quomodo ergo cognosci debent? Dicam vobis quædam signa per scripturas, per quæ cognosci possint. Una autem via cognoscendi talis est. Primò videamus, an tales, per quos hæc pericula veniant, sint Saraceni vel Judæi vel Christiani: & dico, quòd nec erunt Saraceni nec Judæi; & hoc ostendo per Apostolum, qui dicit, quòd isti habebunt speciem sanctitatis & religionis, & utentur sacramentis nostris ad tempus. Unde super id 1 Joan. 2. A nobis exierunt, dicit Gloss. Quia eadem sacramenta nobiscum acceperunt. Relinquitur ergo, quòd isti nec sunt Saraceni nec Judæi: unde quærendi sunt inter Christianos. Sed inter Christianos sunt laici & clerici, religiosi & seculares. Satis constat ex prædictis, quòd non erunt laici nec seculares clerici, sed religiosi falsi; quia reges & magnates non erunt primò. Sed isti multos magnates pro se habebunt. Ergo erunt viri literati, & speciem sanctitatis prætendentes. Verum est quòd Parisiis sint multi viri literati, sed non omnibus æqualiter creditur. Si aliquis clericus cum cappa rubea & foraminata vel cappa manicata, incipiet vobis prædicare aliqua nova, non de facili crederetur: sed si haberet cappam clausam sicut Presbyter, magis crederetur sibi. si verò in habitu exteriori prætenderet aliquam speciem sanctitatis adhuc magis crederetur sibi, & facilius posset decipere & in errorem ducere. Unde oportet, quòd isti sint viri speciem pietatis prætendentes, satis ostensum est; sed erunt ut viri sapientes. Certè sic erunt magnam scientiam habentes: multùm enim erunt intenti studio. De quibus dicit Apostolus: Semper addiscentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Sed quomodo potest hoc esse, quòd semper discant, & in cognitionem veritatis non deveniant? Et ego dico, quòd Apostolus non loquitur ibi de veritate verborum vel de veritate sermonis; sed loquitur de veritate vitæ. Ad cognitionem enim veritatis viæ non devenient. Quia sicut dicitur in Joan. Qui facit veritatem, venit ad lucem; sed qui malè agit, odit lucem. Et de hâc veritate loquitur Apostolus, scilicet de veritate viæ, quia in veritate verborum & scripturæ bene habebunt notitiam veritatis. Ergo patet per Apostolum, quòd erunt viri literati. Item super id Job, Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me. Gloss. dicit, Ut Christus in suâ prædicatione idiotas & simplices elegit, ita econtrariò Antichristus ad falsitatem suam astruendam, duplices, astutos & hujus mundi habentes scientiam, electurus est, & postea occidet professores Christianæ fidei. Nec solùm Antichristus tales est electurus, sed etiam membra sua: quia Christus & membra sua, scilicet omnes unum sunt: ita Antichristus & membra sua unum sunt.

Nec mirum, si isti procurabunt quòd professores fidei Christianæ occidantur: quia dicitur in Apocal. Vidi bestiam ascendentem de mari, habentem capita septem, cornua decem. Et loqui ibi Joannem in figura: & Glossa dicit, Quòd bestia est Antichristus, & mem-

& membra sua, qui sunt unum: sicut Christus & membra sua. Et Joan. dicit: Jam Antichristus venit de mari, id est populo multo: dicit Gloss. habentem septem cornua. Gloss. id est universos principes: & cornua decem, quia principes opponent se decem præceptis: & ideo illi qui sunt in lege Christi, bene debent sibi cavere, quando viderint tales: quia illi erunt viri literati & docti: sed quanto doctiores & sapientiores, tanto magis timendi & præcavendi. Item ipsi facient illos occidi, qui hæc pericula prædicant & manifestant. Unde de eis dicitur in Apoc. Et cruciabunt cruciatu scorpionum. Scorpio est viva bestia, quæ blanditur ore & pungit caudâ: & illa punctura vix percipitur. Sed nisi citò remedia adhibentur, venenum hominem interficit. Sic & ipsi facient; unde dicit Gloss. quia per seipsos non tormentabunt, sed apud seculares principes accusabunt. Sic ergo patet, quòd erunt viri literati. Sed quia multi sunt literati, ideo adhuc sumus satis à remotis: Ideo accedemus propius, ut magis specificemus. Multi enim sunt literati Parisiis, ut jam dixi: sed quibusdam magis, quibusdam minus creditur. Et cum tales debent homines decipere: Unde oportet quòd prætendant speciem sanctitatis, ut dixi: quia aliter non possunt decipere. Unde etiam scriptura dicit quòd tales erunt, quòd reputabuntur esse membra; quia illi plus electa membra Christi credentur. Unde super illud Job, Ad dextram Orientis, dicit Greg. Hi ad persecutionem Ecclesiæ prosilient, qui electa membra Redemptoris credebantur. Et sic patet, quòd tales erunt qui perfecta membra Christi reputantur. Sed adhuc sumus à remotis; unde accedendum est magis propè. Quia ipsi erunt viri magni consilii: quia qui poterit eos habere in consilio suo, videbitur ei quòd habet consilium à Domino. Unde dicitur 3 Reg. 1. David habuit filium, qui vocabatur Absolon qui habuit consiliarium Achitophel: & iste Achitophel procuravit per consilium suum, quòd Absolon patrem suum David de regno ejiceret: & dicitur ibi, quòd fuerit cum patre & filio. Consilium Achitophel in diebus suis erat quasi consilium Domini, quando fuit cum David & cum Absolon. Per David Christus intelligitur, qui interpretatur manu fortis vel aspectu desiderabilis. Absolon interpretatur amaritudo. Achitophel interpretatur frater meus, eruens vel tractans vel cogitans. Per David ergo Christus signatur: per Absolon Antichristus, qui erit homo & creatura Dei, quia etiam diabolus creatura Dei est. Achitophel sunt isti, qui prius se conjungunt Christo, & postea sunt contra Christum: sicut iste Achitophel prius fuit cum David, & postea contrarius ei. Quamdiu enim isti erunt nobiscum, pro magnis consiliariis reputabuntur; sed postmodum opponent se fidei Christianæ: & ideo cum videbitis tales, nolite vos eis committere. Signa septem ad præsens ponam, quibus possint cognosci: licèt multa possim ostendere, tamen causâ brevitatis temporis hæc sufficiant.

Unum est, quia tales volunt vivere de Evangelio & de confessionibus audiendis. Quòd autem tales non sunt veri prædicatores, patet per Apostolum, qui dicit ad Timoth. Putantes quæstum esse pietatem. Gloss. Opus pietatis faciunt, id est, prædicant, ut lucra temporalia accipiant: quia pro quæstu prædicant, non fructu, quia ipsi volunt honorari & laudari. Item alia Glossa super id ad * Coloss. Quia veritas in dolo est, sive per occasionem sive per veritatem Christus annuncietur in hoc gaudeo. Pseudo ex occasione evangelizant, quærentes commoda vel pecuniaria vel honorum vel laudis humanæ. Veritas in dolo est, quando non prædicant nisi propter commodum temporale, dicit Gloss. tales enim tria commoda de hoc quærunt, scilicet de prædicatione: scilicet laudem & fructum & comedere & bibere. Ipsi enim bene prædicant de veritate; sed hæc tria quærunt. Sed dicet aliquis: Nonne, si ipsi prædicant, debent de Evangelio vivere? quia dicit Apostolus: Ordinavit Dominus, ut qui prædicant Evangelium de Evangelio debeant vivere. Et ego dico, quòd hoc verum est de illis qui prædicare tenentur. Quia si Presbyter vester, qui vos debet regere & docere, esset in tali statu quòd vestro subsidio indigeret, debetis sibi subvenire. Sed benedictus Deus, Ecclesia non est hodie in tali statu, quòd indigeat subsidio tali.

* Philip. 1. 18.

Item aliud signum, per quod cognoscuntur falsi prædicatores: si sint impatientes, & non possunt sustinere quod veritas de eis dicatur. Unde ad Philipp. Videte canes, videte malos operarios, videte contendentes. Canes, id est, pseudo, dicit Gloss. qui dicuntur canes. Quia secundum Augustinum: nam canis est, quòd si videt hominem alienum intrantem domum, latrat. Sic & ipsi si videant, quòd aliquis veritatem de eis prædicat, recalcitrant. Item aliud signum est ad hoc, scilicet si habeant verba pulchra & ornata, quibus multos ad partem suam trahunt. Unde super id 2 Cor. 7. Neminem circumvenimus: Gloss. fraudulentâ sui ablatione, sicut pseudo, qui vestra blandè auferunt. De hoc dicit Dominus in Matth. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, in longâ oratione. Glossa: Qui ex vestrâ superstitione nihil aliud quæritis,

ritis, nisi, &c. qui comeditis domos viduarum. Gloss. Qui ut religiosiores appareant, prolixius orant: & subdit: Quorum oratio est in peccatum.

Item aliud signum est: Quia veri prædicatores non illuc vadunt prædicare, ubi est abundantia prædicatorum: sed ubi nulli sunt, qui verbum Dei annuncient. Unde dicit Apostolus ad Rom. Sic prædicavi Christum, ubi Evangelium annunciavi, ne super alienum fundamentum ædificarem. Qui autem voluntatem habet prædicandi, debet ire ad Saracenos & infideles, ubi nullus est qui prædicet: & ideo quando videritis tales prædicatores, qui ibi prædicare desiderant, ubi est copia prædicatorum, & volunt ibi prædicare, ubi non est indigentia & penuria prædicatorum, sciatis eos esse non veros prædicatores.

Item aliud signum est, quia veri Apostoli patientes erant & contumeliam pro Christo sustinebant: quia ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quòd digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam pati. Unde dicebat eis Dominus in Marco: Ecce ego mitto vos tanquam oves inter lupos: quia agnus omnia quæ lupus sibi facit, sustinet. Glossa: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: non ad gaudia, sed ad passiones. Qui enim prædicationis officium suscipit, mala non debet inferre, sed sustinere: & hoc ipse Christus in se ostendit. Unde Petrus: Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum flagellaretur, non comminabatur, tradebat autem tradenti se injusté. Sed quando tales videbitis, qui nihil possunt sustinere, sed si irrogetur eis injuria vel violentia, current ad ☞ curiam Papæ, & impetrabunt literas excommunicationis: & ad principes seculares, ut illi qui eos molestant, incarcerentur: tales debetis falsos religiosos reputare.

Item aliud signum, quia Apostoli Christi in primo fuerunt valdè despecti, & exosi in tantum, quòd etiam occisi sunt. Sed nunc propter eorum occisionem & mortem, prælati Ecclesiæ grati & accepti sunt: quia dixerat hoc Dominus Apostolis: Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et. in Joan. Erit tempus, quando qui vos interfecerit, æstimabit se obsequium præstare Domino: quia illi qui occidebant S. Martyres, credebant benefacere, & propter Deos suos quos colebant. Unde si videritis aliquos, qui se dicant Apostolos Christi, etsi in primo sint grati & accepti, in fine verò cognitis eorum operibus sint despecti, signum est, quòd non sint veri Christi Apostoli, cum de illis econtrariò fuerit. Unde sicut dicitur 1 Joan. 3. Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Sed isti sunt in principio magis, quàm in fine.

Item aliud signum est, quia veri Apostoli non suum, sed Christi honorem quærebant: quia dicit Psal. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Dominus: Cum feceritis omnia quæ facere debetis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Sed quando videritis tales, qui suam gloriam & non Dei quærunt, quia nos illuminavimus Ecclesiam, & ejecimus homines de peccatis, & ostendimus viam veniendi ad vitam, talibus non credetis.

Prædicatoris cujusdam mendacis vanitas & jactantia.

Audivi quòd quidam religiosus in quadam civitate prædicabat, & dixit: Ordo noster valdè est exaltatus, quia ante ordinem nostrum totus mundus fuit in tenebris. Sed venit beata Virgo, & cecidit filio suo ad pedes, & jacuit ante ipsum per tres dies, & dixit ei Dominus ut peteret quod vellet: & ipsa tunc dixit, quòd vellet ut fieret unus ordo qui totum mundum illuminaret: & Dominus concessit ei; & ipsa tunc dixit cuidam qui faceret ordinem, & iste ordo noster est. Unde non est mirum, si sit exaltatus. Sed iste non fecit sicut Apostoli Christi, quibus dicitur, quòd debebant dicere, Quòd sint servi inutiles. Unde iste reprehensus fuerat, quòd hæc dixerat: & compulsus fuit ab episcopo, quòd diceret coram omnibus, se mendacium protulisse. Undè, charissimi, ab istis falsis Apostolis valdè est cavendum.

Jactantia isti-us præ[illegible]

Sermonis II. Wilhelmi de S. Amore Finis.

TRACTA-

TRACTATUS * MARSILII de Padua, de translatione Imperii, habens 12. Capitula.

* Claruit anno 1324.

PRimum capitulum est, de intentione narrandorum.
Secundum, qualiter Romanum imperium per 33. Imperatores permansit.
Tertium, quare orientales, videlicet Persæ, Arabes, Chaldæi & aliæ confines nationes, à dominio Romani imperii recesserunt.
Quartum, qui fuerint principales populi, qui seditionem hujusmodi ex antedictis occasionibus excitarunt.
Quintum, de principio & ordinatione translationis imperii de Græcis in Francos.
Sextum, qualiter Pipinus tempore Zachariæ Papæ de Majori domus in Regem Francorum extitit sublimatus.
Septimum, qualiter Pipinus Rex Francorum ad petitionem Ecclesiæ Romanæ, adivit Italiam, adversus Astulphum regem Lombardorum, ipsumque devicit, & temporalia Ecclesiæ Romanæ restituit.
Octavum, qualiter tempore Adriani Papæ Carolus magnus, urbis Patricius constitutus fuit, ipsique sedis Apostolicæ dispositio concessa fuerit.
Nonum, qualiter imperii Romani translatio de Græcis in Francos facta fuerit.
Decimum, qualiter imperium translatum fuit à Francis seu Gallis in Germanos.
Undecimum, qualiter Germani Electores Imperii fuerunt instituti.
Duodecimum est, Epilogus dictorum.

CAPUT I.

QUoniam in eo quem * *Defensorem pacis* habemus, tractatum fecimus de Romani & cujuslibet alterius principatus institutione, nova translatione, ac alia quavis circa principatum mutatione: diximusque per quem, & quomodo secundum rationem seu de jure fieri debet & potest: nunc autem in his perstringere volumus sermonem de sedis imperialis translatione, collectum diligenter ex Chronicis historiis quibusdam per venerabilem Landulphum de Columna, Romanum satrapam, conscriptum. Et quia ejus scripturæ in quibusdam nostra sententia dissonat, præsertim in quibus jura læsit imperii secundum sententiam propriam, absque demonstratione sufficienti. Dicemus igitur de Imperialis Romanæ sedis translatione, per quem vel quos & qualiter de facto processerit à Romanis in Græcos: deinde verò à Græcis in Gallicos, sive Francos: novissimè autem à Francis in Germanos. Antè tamen oportet attendere, quòd Romanum imperium in una sui significatione quinque significat. Monarchiam, seu Regalem principatum Romanæ urbis, sive civitatis tantùm: qualis fuit ab origine sua, quemadmodum ex sequentibus apparebit. In alia verò acceptione significat imperium Romanum universalem & generalem totius mundi, vel plurimarum saltem provinciarum monarchiam: qualis fuit Romanæ urbis totius orbis principatus, in ejus processu, secundum quam etiam acceptionem de ipsius translatione tractare propositum magis est nobis. A prioribus itaque secundum ordinem incipientes, narrabimus primò, Romanæ urbis sive civitatis originem, ejusque exordium exiguæ monarchiæ. Deinde augmentum ipsius, ad totius orbis monarchiam & principatum supremum: post hæc autem, ipsius translationem ex sede in sedem, seu ex gente in gentem, secundum tempora describemus. De Romanæ ergo urbis ortu & patria structuraque dicturi, ex probatis sumamus historiis, quòd Æneas post excidium magnæ Trojæ profugus, per mare Italiam petiit, & in ea Romanum imperium fundavit, in loco ubi Roma nunc est, & in eo, quia sibi complacuit, sementem Romani generis seminavit. Quod quidem semen processu temporis in plantam excellentissimam crescens, per universa climata ramos expandit: velut sinapis, quod ex minimo super olera reliqua mirabiliter exaltatur. Sub cujus quidem umbrâ, plantæ omnes: id est, Reges & Principes & tyranni, cum populis omnibus, in pacis pulchritudine quiescebant. Romani verò, qui ab Æneâ descenderunt, armorum exercitio, disciplina castrorum, usu militiæ, libertate quieta, justitiæ cultu, legum reverentia, finitimarum gentium amicitiis, maturitate consiliorum, gravitate verborum & operum obtinuerunt, ut orbem suæ subjicerent ditioni. Nam Romanus populus, à rege Romulo in Cæsarem Augustum per septingentos annos ita per universum orbem virtuose ac potenter arma circumtulit, ut omnia

* Edebatur in lucem Basil. 1522. & Francof. 1599. cum notis Gomari; unà cum hoc ipso tractatu.

Romæ origo.

omnia regna mundi suâ virtute anteiret: ita ut qui ejus magnifica gesta legunt, non unius populi, sed totius humani generis facta legere videantur: sic etiam ut ad constituendum ejus imperium humana virtus atque fortuna contendisse credantur.

CAPUT II.

IMperium Romanum à Julio Cæsare secundum quosdam, sed verius ab Octaviano Augusto, primo Romanorum Imperatore sumpsit initium. Nam secundum historiæ veritatem, Julius Cæsar licèt primus fuerit, qui sibi arripuit Romanorum monarchiam, tamen non fuit Imperator, sed potiùs reipublicæ violator & usurpator. Et propterea non ponitur in catalogo Principum Romanorum. Imperium autem usque ad magnum Constantinum per triginta tres Imperatores, & trecentos quinquaginta quatuor annos & quinque menses sine mutatione Romæ permansit. Constantinus verò prædictus imperii sui anno 7. sedem mutavit imperii, ipsam in Orientem transferens, apud Byzantium civitatem, Constantinopolim nunc nominatam: quæ etiam secundum imperialia jura Romæ veteris prærogativâ lætatur, ibique sedem imperialem statuit Constantinus, & Romam beato Sylvestro tunc Romano Pontifici, ejusque successoribus disponendam commisit. Et, ut in quibusdam narratur historiis, clericis quoque Romanæ urbis ad instantiam beati Sylvestri quasdam senatorias dignitates contulisse fertur. Ii verò, qui tunc Clerici Romanæ vocabantur Ecclesiæ, nunc Cardinales appellantur. Sed antè Sylvestrum simpliciter *Clerici seu Sacerdotes Romanæ Ecclesiæ* vocabantur. Qui tunc, quantum ad decorem & dignitatem, titulos non habebant: sed bene, quantum ad onus, videlicet officium prædicandi, mortuos sepeliendi, baptizandi & pœnitentias injungendi, titulos habuerunt. Hæc enim longè ante Sylvestrum à temporibus Cleti & Anacleti, Dionysii & Marcellini, fuerunt instituta. Sed à temporibus Sylvestri receperunt dignitatis titulos, & illam prærogativam, quam Senatus habebat tempore Constantini. Utrum autem convenienter aut non, ex nostro Defensore pacis videbitur intuenti. Cum iis autem attendendum, quòd Martinus Polonus ponit in Chronica sua * numerum Cardinalium: & dicit, quòd sint 52. videlicet † 6 Episcopi, 28 Presbyteri, & * 18 Diaconi; quorum quidam sunt assistentes summo Pontifici, ut Episcopi, qui domino Papæ in solennitatibus assident, & cathedris utuntur. Quidam sunt assistentes, ut Presbyteri, qui per septimanas missis & horis intersunt. Quidam verò sunt insistentes, ut Diaconi insistunt ministeriis. Ipsi namque Papam induunt, & ei circa altare deserviunt: sed secundum assignationes titulorum factas, primò per Cletum, postea per Anacletum, demum per Marcellinum plures inveniuntur. Sed in hoc, quantum ad præsens, vis non est. Quòd autem beatus Sylvester hos clericos primò nominaverit *Cardinales*, communiter dicunt historiarum scriptores. Antè enim, ut jam dictum est, vocabantur *Presbyteri* urbis Romæ, ut patet ex Ecclesiastica historia Eusebii. Et per id, quod legitur etiam de Novatiano Presbytero Romanæ Ecclesiæ, qui aspirans ad summam pontificiam, promotionem Cornelii Papæ nisus est impedire.

Julius Cæsar. — Roma duplex. — Vide Vallam in Fasciculo. — Cardinales.

* Pag. 31. Edit. Bas. 1559. † 7. Mart. Pol. * 16. id. qui efficiunt solùm 51. ut pag. 30. ejusdem libri; quod non animadvertit Gomarus.

CAPUT III.

TEnuit quoque Constantinus ejusque successores Imperatores Romani pacificè dominium Orientis, usque ad 20 annum Imperatoris Heraclii, quo tempore omnes Orientales populi à dominio Latinorum recesserunt. Sed quia causa, propter quam recesserunt, & modus per quem recesserunt, communiter ignorantur: idcirco conveniens judicavi causam & modum describere, quibus dicti Orientales se à Græcis & Latinis in dominio & cultu divinorum diviserunt. Causa siquidem, quare Orientales, videlicet Persæ, Arabes, Chaldæi & aliæ confines nationes à dominio Romani imperii recesserunt, fuit tyrannicus principatus Heraclii. Nam post magnam victoriam de Persis habitam, Heraclius Persas & alias Orientales nationes nimis crudeli dominatu premebat: propter quod rebellandi occasionem concorditer assumpserunt. Sed ut ab obedientia prædictâ recederent firmiter, ut nunquam ad eandem revocarentur amplius, consilio Mahometi tunc inter Persas divitis & potentis, diversum cultum assumunt, ut tam diversæ credulitatis & fidei sectæ ad pristinum dominium de cætero non redirent. A Jeroboam fortè sumentes exemplum, qui decem tribubus ipsum sequentibus diversum cultum tradidit, ut in pristinum dominium non redirent. Quod etiam, vel consimiliter Græci fecerunt. Volentes enim ab Ecclesiæ Romanæ obedientiâ separari, acceperunt diversum cultum

ſive ritum in Eccleſia miniſtrandi, & ſic in diverſos errores ſunt prolapſi ſcienter. Omnes enim eorum caloieri, qui conſervant & nutriunt ſchiſmata, vel ſunt Neſtoriani, aut Eutychiani, aut Jacobitæ, aut Hebionitæ. Sic ergo factum eſt de illis populis & nationibus in quibus jam dicta rebellio & inobedientia contigerunt. Nam ut talis eſſet rebellio duratura, ſchiſmata induxerunt: ut non ſolùm ab Imperio, ſed etiam à Chriſtianiſmo recederent, accipientes etiam communia quædam ex lege Moyſi, quædam ex lege Evangelii, ut patet in Alcorano. Unde attendendum, quòd quædam hæreticorum ſectæ multùm fuerunt familiares Mahometi & legi Saracenorum, ſicut in prædicto Alcorano continetur: velut Neſtoriani, quos Mahometes mandat honorari. Unde Richardus in Chronicis ſuis narrat, quòd quidam Monachus Græcus Neſtorianus, cui nomen Sergius, longo tempore inſtruxit Mahometem: & hinc eſt, quòd * Neſtoriani magna habent Monaſteria in dominio Saracenorum.

* Hodie autem, etiamſi longè latéque per Imperium Turcicum diſpergantur, nihilo magis faventur à Mahumetanis neque religionis ſuæ affines habentur, quàm quævis alia Chriſtianorum Secta.

CAPUT IV.

Cauſa igitur & modo præſcriptis, quibus Orientales à dominio Græcorum & Latinorum receſſerunt, videamus qui fuerunt principales populi, qui ſeditionem hujuſmodi ex antedictis occaſionibus excitarunt: qui etiam non ſolùm rebellionis & inobedientiæ ſumpſerunt audaciam, ſed cum hoc regiones Romani imperii & Imperatori vicinas hoſtiliter invaſerunt. De his Richardus in Chronica ſua, Martinus, Iſidorus & Aimoinus de geſtis Francorum, concorditer dicunt, quòd principalis gens in prædictam audaciam elevata, de Arabia & radice montis Caucaſi eſt progreſſa: quæ gens, ſecundum Hieronymum in Chronicis, Nabathea nominatur à Nabaoth primogenito Iſmaelis. Unde non Saraceni, ſed Agareni, ſive Iſmaelitæ dici deberent. Hæc natio devaſtans regiones Imperii, pervenit uſque in Syriam & Judæam: contra quam egreſſa eſt innumera militia Imperatoris Heraclii, quæ tota fuit cæſa per hoſtes, & fuerunt 15000. proſtratorum de exercitu Imperatoris prædicti. Verùm humanitatem hanc hoſtes feciſſe leguntur, quòd per legatos omnia ſpolia Imperatori remiſerunt. Heraclius autem ſpoliis recuſatis, in adjutorium accitis Alanis (qui dicuntur de montibus Caſpiis exiviſſe, ſecundum hiſtorias, ibidem per Alexandrum Magnum incluſi) exercitum reparavit, & infinitam pugnatorum multitudinem congregavit. Saracenis quoque duo duces præerant, qui 20000. pugnatorum in bellum inſtruxerant. Cumque uterque exercitus non procul ab invicem conſideret paratus & inſtructus, nocte quæ diem belli præceſſerat, in caſtris Græcorum 5002. pugnatorum exanimata ſubitò reperta ſunt in ſtratis ipſorum. Quo terrore ac metu percuſſa exercitûs reliqua multitudo, in diverſis fugit locis, totum imperium hoſtibus relinquens. Heraclius accepto nuntio tantæ cladis, diffidens ſe poſſe reſiſtere, præ triſtitia in morbum incidit: & quaſi deſperans in ægritudinem prolabitur animæ: ac ſecundum quaſdam hiſtorias Eutychetis commaculatur errore: & cum filia ſororis ſuæ, nomine Martina, copulavit ſe in matrimonio. Aliæ verò hiſtoriæ tradunt, quòd ante prædictum conflictum, prædicto fuerit maculatus errore. His peractis, multiplicatur exercitus Arabum & Nabathæorum ex diverſis provinciis affinibus, videlicet Chaldæis, Amonitis & Moabitis: quibus Mahometes adjungitur, qui tenebat in Arabia principatum, ut ſcribit Richardus in Chronicis. Hic Mahometes magicis artibus inſtructus, ut fertur, ſua (ut credo) cum prudentia verius, prætextu contemptus Imperii perſuadet eiſdem de modo vivendi ad ſuum augendum dominium, populumque multiplici ſuâ arte deludit & avertit à fide: aſſerens ipſos principatum tenere non poſſe, niſi à Chriſtiana fide ſe diverterent, & ſua documenta ſectarentur & ſervarent: ſimulans quoque aliquid divini numinis in ſe habere: ſicque quibuſdam præſtigiis per ipſum oſtenſis, homines fallens, tanquam propheta in dicto populo communiter habebatur. Quibus etiam ludibriis quandam nobilem & potentem viduam, nomine Cadigam, Grorozamæ provinciæ, ſeduxit intantum, ut eam ſibi matrimonio copularet: per quam illius regionis obtinuit principatum. Judæos etiam multos ſic decepit, ut ipſum crederent ſuum eſſe Meſſiam. Iis verſutiis, ſuâque potentia & ampliatione legis circa venerea & largis promiſſionibus circa futura, populos ſeducebat, & armorum potentia ad ſuam perfidiam compellebat. Lege enim datâ per Mahometem, populi qui arma ſumpſerant contra Imperium, ſi quas regiones occupabant, eas legem Mahometis credere compellebant: nolentes verò fateri, neci tradebant. Unde de

rabia intraverunt in Ægyptum, & ibi populum subverterunt. Deinde transeuntes in Africam, simile fecerunt. Inde etiam in Hispaniam venientes, eam in parte fidem pristinam dimittere coegerunt: & sic multiplicati sunt super numerum plus violentiâ belli quàm prædicatione sermonis.

CAPUT V.

MOrtuo ergo Heraclio, & imperio sic difformato potentia, quantum ad dominium Orientis remansit sedes Imperialis in Græcia apud Constantinopolim usque ad tempora Constantini VI. & Leonis filii sui per 33 Imperatores, computato Magno Constantino, & per 451 annos de Imperio Constantini: nam tantum à mutatâ sede de Roma in Græciam supervixit. Hoc tempore Leonis Papæ tertii, translatio imperii de Græcis ad Francos fuit æqualiter inchoata. Et quoniam historia hæc propter scribentium varietatem ignota est communiter, idcirco aliàs sciendum, quòd primitiva causa translationis hujus fuit discordia inter Imperatorem Leonem tertium & Romanam Ecclesiam circa venerationem Ecclesiasticarum imaginum. Leo enim tertius Imperator dicebat Christi & sanctorum imagines minimè venerandas; quia species idololatriæ videbatur. Gregorius verò tertius, qui tunc Romanæ præsidebat Ecclesiæ, affirmavit Christi & sanctorum imagines venerandas. In hoc siquidem proposito Leo Imperator prædictus perseveravit sic, quòd de Constantinopoli Romam veniens, omnes Christi & sanctorum imagines, quas Romæ reperit, abstulit, & secum Constantinopolim asportavit, easque per sententiam igne cremavit. Propter quod dictus Gregorius, prædictum Leonem anathematizare præsumpsit, & totam Apuliam, totamque Italiam & Hispaniam ab ejus obedientiâ separari suasit; & quantum in ipso fuit, hoc opere, quamvis minus debitè, adimplevit. Eidem etiam vectigalia, nescio quâ authoritate, sed bene quâ temeritate, solenniter interdixit: Romæque congregans Synodum, venerationem imaginum confirmavit, & violatores hujusmodi anathemate condemnavit. Demum Leo prædictus in hoc proposito moritur, eique successit in imperio filius ejus Constantinus quintus; qui ejusdem propositi cum patre, in nullo Romanæ favebat Ecclesiæ. Papa Stephanus secundus imperium Romanum de Græcis transferri in Francos aliqualiter ordinavit, veniente Pipino, Francorum postmodum Rege, qui dictum Pontificem supervixit. Et ideo quòd ab aliquibus dicitur, tempore Stephani translatum fuisse imperium à Græcis in Francos, intelligi debet, quòd fuit hujusmodi ordinata translatio, non tamen opere fuit consummata. Igitur hujus Papæ Stephani tempore, Imperii Romani translatio ordinata ad Francos fuit: quorum favores & beneficia jam Romani clerici sentiebant in multis.

Origo translationis Imperii. Veneratio imaginum à Gregorio 3. Pont. Rom. stabilitur contra Leonis Imper. edictum.

CAPUT VI.

PIpinus igitur prædictus Caroli Martelli filius, vir in rebus bellicis strenuus, catholicus & universorum morum honestate præclarus (secundum clericorum scripturas, sibi imperialem authoritatem usurpare quærentium) legitur à Zacharia Papa de Majori domûs, in regni Francorum excellentiam sublimatus. Quod siquidem Zacharias (ut aiunt) Regem Francorum Childericum, non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo quòd tantæ potestati erat inutilis, à regno deposuit, & prædictum Pipinum, Caroli Magni patrem, in ejus locum substituit: omnesque Francigenas à juramento fidelitatis, quo Childerico tenebantur, absolvit. Sed Aimoinus in gestis Francorum scribit, & veriùs, Pipinum per Francos legitimè in Regem electum, & per regni proceres elevatum: per Bonifacium quoque Remensem Archiepiscopum, inunctum Suessione, in monasterio S. Modardi. Childericus verò, qui tunc sub nomine regio in deliciis marcescebat & otio, fuit in monachum tonsuratus. Unde non illum Zacharias deposuit, sed deponentibus, ut quidam aiunt, consensit. Nam talis depositio Regis, & alterius institutio, propter rationabilem causam, non ad Episcopum tantummodo, neque ad clericum aliquem, aut clericorum collegium pertinet, sed ad universitatem civium inhabitantium regionem, vel nobilium vel ipsorum valentiorem multitudinem. Unde Aimoini recipiendus est sermo tanquam verus: clericorum verò scriptura in hoc rejicienda, tanquam Francis præjudicialis & falsa. Ut autem clarius pateat, quare & qualiter facta fuit à Græcis in Francos Imperii memorata translatio, Pipini prædicti Franciæ ac Germaniæ Regis historiam breviter prosequamur.

Lib. 4. c. 61.

CAPUT

CAPUT VII.

MOrtuo itaque Zacharia Papa, qui Pipino in regem sublimato consenserat, secundum quosdam (licet etiam absque ipsius assensu Francorum legitimus rex fuerit, ut in præcedentibus apparuit) prædictus Stephanus secundus natione Romanus ex patre Constantino, anno Domini 770, & ab urbe conditâ 1530. in summum pontificem sublimatus est, ut Aimoinus scribit in gestis Francorum. Gravatus autem à rege Longobardorum Aistulpho, venit in Franciam ad Pipinum regem, pro temporalibus Ecclesiæ Romanæ recuperandis, quibus eam Aistulphus spoliaverat. Huic autem Papæ Romano Pipinus ad milliare tertium occurrit, & usque ad palatium suum regium eum deduxit. Tunc Papa causam sui adventus regi exposuit, & injurias sibi per Aistulphum illatas plenius enarravit. Cui rex servire volens, & ipsius satisfacere voluntati, exercitum magnum parat, & cum ipso Papa in Italiam vadit: Aistulphus verò totis viribus regi prædicto obviat, & Ecclesiæ restituere temporalia contradicit. Pugna igitur inter ipsos committitur, in qua Aistulphus cum suis superatur, & sic ad Ecclesiæ Romanæ temporalia restituendum compellitur: qui datis obsidibus quadraginta, ex melioribus regni sui, Ecclesiæ temporalia sub juramento reddere promisit. Post hoc autem Pipinus Rex victor, in Franciam cum gaudio rediit, & Papa Stephanus Romam ad sedem Apostolicam remeavit. Aistulphus verò promissa non servavit. Ob quam causam rediit Pipinus in Lombardiam, adversus Aistulphum, ipsumque in Papia obsedit: & quod promiserat, adimplere coegit. Vadit deinde Pipinus Ravennam, ipsamque cepit: totamque Pentapolim Romandiolæ cum exarchatu, in quo est Bononia, cepit. Quæ omnia Ecclesiæ Romanæ scribitur contulisse de facto. His autem beneficiis Stephanus Papa allectus, & videns illius temporis Imperatoris imbecillitatem, procuravit Romanum Imperium de Græcis transferri in Francos: minimè reminiscens beneficiorum, per Imperatores Romanæ Ecclesiæ concessorum, in alienos atque remotos imperium transferre satagens, ut Græcis oppressis, Gallicis hæc parum curantibus, posset Papa Italiæ liberius dominari. Sic ergo scripturæ omnes recitantes, quòd tempore hujus Stephani Papæ, translatum sit Imperium à Græcis in Francos, debent intelligi, scilicet quòd tempore suo fuerit ordinata translatio. Tempore namque alterius Papæ, & Leonis tertii, fuit talis consummata translatio, ut ex sequentibus apparebit.

Lib. 4. c. 63. & seq.

Attende.

CAPUT VIII.

HOC itaque Papâ Stephano secundo mortuo, sub Ecclesiæ Romanæ protectore Pipino: atque Pipino eodem post 18. annum regni sui defuncto, filioque ipsius, à virtutum magnitudine Carolo Magno nominato, regnante pro patre, tribus pontificibus intermediis (quorum electionem & vitam causâ brevitatis omitto) videlicet Paulo primo, Constantino secundo & Stephano tertio: Adrianus primus natione Romanus, ex patre Theodoro, de religione violata, Anno Domini 795. & ab Urbe condita 1547. in summum pontificem eligitur, ecclesiamque Romanam annis 23. mensibus 10. diebus 18. gubernavit: Hic Carolum Magnum, qui tunc Franciæ ac Germaniæ regna tenebat, in auxilium Romaniæ Ecclesiæ, contra Longobardos imploravit. Mortuo enim Aistulpho Longobardorum rege, successit ei Desiderius filius ejus: qui patris sequens vestigia, temporalibus Romanam privavit ecclesiam, villas videlicet, civitates & castra, & reliqua Romanæ Ecclesiæ occupando, Romanos etiam novis tributis & vectigalibus opprimendo. Ob quam causam misit Adrianus legatum in Franciam, Petrum presbyterum cardinalem ad supradictum Carolum, ejus implorans auxilium. Hic princeps legatum gloriose suscepit, congregatoque procerum & prælatorum concilio, Adriani petitionibus censuit annuendum. Dicto igitur legato cum sperato favore remisso, Carolus Rex parat exercitum copiosum, ipsumque per mare ad juga montium, in Longobardiam non cum modica difficultate deducit. Veniens igitur in Liguriam & Æmiliam (quæ nunc Lombardia plana vocatur) in circuitu civitatis Papiæ sua tabernacula fixit: & castris circum circa dispositis, ut fidem sequamur historiæ, in eisdem natale Domini celebravit. Deinde verò exercitu relicto, Romam causâ devotionis accessit, ibique cum Adriano Papa pascha Dominicum simul egit: factaque solennitate paschali, ad castra revertitur circa Papiam, continuataque obsidione civitatem expugnavit. Desiderium Longobardorum regem cum uxore & filiis cepit, qui Caroli subjiciuntur potestati. Ibique

Carolus Magnus.

etiam

etiam omnes advenientes Italici, de singulis civitatibus ambasiatæ & nuncii, se Regis dominio subjecerunt. Quibus sic fœliciter expeditis, & inde Romam accedens, temporalia Ecclesiæ Romanæ restituit: simulque Ducatum Spoletanum & Beneventum eidem suâ libertate de facto donavit. Tunc Adrianus beneficiis temporalibus dicti Principis allectus, 153 Episcoporum & Abbatum Romæ concilium congregavit. Ibique cum universa Synodo, glorioso Principi Carolo Regi Franciæ jus & potestatem tribuit eligendi Romanum Pontificem & sedem Apostolicam ordinandi: dignitatem quoque patriciatûs eidem concessit, quâ olim quasi pater Principum videbatur. Insuper Archiepiscopos & Episcopos, per singulas provincias, ab eo investituram accipere definivit: & ut nisi à Rege laudaretur & investiretur Episcopus, à nemine consecraretur: omnesque contra prædicta facientes, anathemate maledixit; & nisi resipiscerent, bonis eos privari mandavit. Quorum nullam faciendi aut concedendi authoritatem habet Pontifex aut alter Episcopus seu Clericus, nisi demum Romani populi ordinatione atque mandato. Primâ siquidem concessione, potestate videlicet Romanum Pontificem eligendi, & sedem Apostolicam ordinandi, non fuit usus Carolus memoratus. Quod fortè fuit, quia pauci Pontifices fuerunt tempore sui regiminis, à concessione prædictâ, quod fuit spatium 40 annorum. Soli enim, prædictus Adrianus & Leo tertius, prædicti temporis spatio Romani Pontifices extiterunt, qui 44 annis & mensibus aliquibus Romanæ Ecclesiæ præfuerunt. ☞ Verùm nec ipsum Carolum, tali juri sibi competenti ex concessione prædictâ renunciasse, ab aliquo reperitur. De secundâ verò concessione, videlicet Episcoporum installatione, se aliquoties intromisit, ut ex ipsius gestis in plerisque locis apparet. His tamen juribus sibi competentibus renunciavit Ludovicus, ut fertur *: & ut propositum de translatione Imperii celerius prosequamur, plura magnificentiæ opera per Carolum gesta omittamus.

* Ego Ludovicus. dist. 63.

CAPUT IX.

MOrtuo igitur Adriano prædicto, regnante Carolo Magno, Ecclesiæ Romanæ defensore, Leo tertius natione Romanus, ex patre Aistulpho in Romanum Pontificem sublimatur, anno Domini 819. & ab urbe condita 1572. Hic Pontifex in Letania captus est in Roma, excæcatus & linguâ truncatus. Qui positus in custodia, nocte per murum evasit,& ad legatos Caroli Girundum Abbatem & Vingisum Spoletanum ducem cum fiducia magna confugit: ☞ & ut Richardus in sua Chronicâ scribit (cui credat qui vult) Pontifex restitutis sibi plenariè membris, oculis & linguâ, divinâ, ut dicitur, virtute ad prædictum Carolum, tanquam ad præcipuum Ecclesiæ protectorem, venit in Franciam: qui eum, quo decuit, cum honore suscepit, & cum ipso Romam accedens, injuriam Pontificis & Ecclesiæ Romanæ ultus est, justitiâ mediante. Aimoinus quoque in gestis Francorum, hoc magis copiosè describens dicit, Quòd postquam Rex appropinquavit ad locum qui dicitur Mimentanum, duodecimo lapide ab urbe Roma, Leo Papa, qui Regem præcesserat, cum magno comitatu occurrit eidem: ipsumque, cum esset urbis patricius, cum summa humilitate & honore suscepit: prandensque cum ipso in loco prædicto (ut verbis utamur historici) statim Papa ipsum cùm sua societate præcessit ad urbem; in crastino quoque, in gradibus basilicæ beati Petri Apostoli stans, missis obviam Romanæ urbis vexillis, ordinatisque per congrua loca tam peregrinorum quàm civium turmis, quæ venienti Regi ad laudem conclamarent, ipse Papa cum turmis & Episcopis equo descendentem Regem, & gradus Ecclesiæ ascendentem suscepit: factâque oratione, in basilicam sancti Petri psallentibus cunctis introduxit. Quod est factum 33 anno Regis prædicti. Post septem quoque dies Rex, concione vocatâ, cur Romam venisset, omnibus patefecit: & exinde ad ea propter quæ venerat facienda quotidie operam dedit: & quamvis gravia crimina opponerentur summo Pontifici: tamen quia nullus fuit probator legitimus, idem Pontifex coram toto populo, annuente Rege, in basilica beati Petri Apostoli Evangelium portans, ambonem conscendit, invocatoque sanctæ Trinitatis nomine, jurejurando ab objectis sibi criminibus canonicè se purgavit. Aliæ verò historiæ addunt, quòd tres Cardinales supra sancta Dei Evangelia ponentes manus, affirmaverunt, omnia esse falsa, quæ summo Pontifici opponebantur. Quæ quidem purgatio à toto clero & populo fuit solenniter approbata, & à dicto Pontifice legitimè confirmata. Eâdem die (ut scribit Aimoinus in gestis Francorum) quidam Abbas Zacharias nomine, cum duobus monachis, uno de monte Oliveti, & alio de Saba in Oriente, Romam venit, quem Patriarcha Hierosolymitanus transmisit, qui sepulchri Domini claves, & loci Calvariæ, ac civitatis Hierosolymitanæ, cum vexillis detulerunt. Quos Carolus benignè suscipiens, per aliquot dies eos honorando detinuit, humanéque tractavit. Deinde post aliquot dies cum muneribus magnis

Lib. 4. c. 89.

magnis, Regiam majestatem decentibus, eos in Palæstinam remisit. Tradunt quædam historiæ, quod ex illa legatione motus Rex, ad petitionem Constantini Imperatoris cum magno exercitu transfretavit, totamque terram Sanctam recuperavit, Rege Persarum assentiente, qui tenebat tunc in tota Syria & Palæstina principatum. Jam quoque per totum Orientem fama celebris gloriosi Regis Caroli pervenerat: sic, quòd dictus Rex Persarum, qui monarchiam in Oriente tenebat, ejus habere benevolentiam affectabat, & eidem per solennes nuncios & legatos pretiosa munera destinavit. Rex autem Carolus ubique victoriosus, terra Sancta recuperata, per Constantinopolim Romam rediit, ibique natale Domini cum Leone Papâ celebravit. Ipsa siquidem nativitatis die, cum Rex in Missa ante Confessionem beati Petri, surgebat ab oratione devotè: Leo Papa solenniter præordinatis quibuslibet ad tantam solennitatem necessariis, coronam Imperialem capiti ejus imposuit, & à cuncto Romano populo acclamatum est: *Carolo Augusto, à Deo ordinato, magno Imperatore, vita & victoria de cælo ministretur.* Hanc siquidem coronationem, per Leonem Papam, & Imperialium laudum acclamationem per populum, omnes historiæ ponunt. Post prædicta verò, more antiquorum Principum fuit adoratus, & ablato nomine Patricii, *Imperator Augustus* est ab omnibus acclamatus. Rexit autem Romanum Imperium 14 annis. Regna quoque Franciæ atque Germaniæ rexerat annis 33. quibus eum Regem solùm & Patricium invenimus ab historiis nominari: sed à tricesimo tertio anno, post Imperialem coronam, ipsum Imperatorem Augustum, omnes annales & historiæ, facientes mentionem de ipso, sine aliquâ varietate describunt. Quantum autem roboris, juris ac firmitatis habuit, quòd tunc de translatione Imperii factum fuit, per nostrum *Defensorem pacis* ultimò patêre potest omnibus evidenter. Duravit autem Imperii præscripta translatio, facta de Græcis in Francos, per septem generationes: videlicet per septem Imperatores, annis centum & duobus, quibus mansit apud Francos.

CAPUT X.

IMperator Arnulphus ultimus de genere Caroli Magni, effœminatus & remissus contra Berengarium tyrannum, qui tunc in Italia Romanam Ecclesiam impugnabat: quinimò ipsemet tunc erat Romanæ persecutor Ecclesiæ, ut Martinus Polonus scribit. Filio enim Arnulphi prædicti, qui nondum Imperialem benedictionem acceperat à prædicto Berengario Italiæ tyranno devicto, & apud Victoriam mutilato, genus Caroli defecit omnino in Imperio: & cœpit dictus Berengarius in Italia dominari, & Romana Ecclesia persecutionibus urgentibus vacillare: cum, quia dictus tyrannus eandem molestabat, tum quia Ecclesiæ non verus pastor, sed mercenarius præerat: Joannes videlicet Alberti filius, ut tradit Robertus Cremonensis Episcopus, magnus historiarum scriptor. Unde Cardinales ex communi concordiâ, anno à nativitate Christi 905. scripserunt Othoni duci Saxoniæ, qui vir magnæ potentiæ dominabatur super universam Almaniam, qui religiosus erat, fide catholicus, in consilio providus, in judicio justus, in commisso fidelis, in bellicis strenuus, & universorum morum honestate præclarus, ad Dei Ecclesiam devotus. Hujus ergo Principis Cardinales auxilium implorarunt, ut Ecclesiam Romanam, quæ procellis impellentibus multis modis vacillabat, protegeret atque juvaret. Qui magnum parans exercitum, in Italiam transivit, & cum Berengario pugnavit, ipsumque cum ejus exercitu in exilium misit. Postmodum verò Romam pergens, concilium Cardinalium congregavit, & de ipsorum concilio Papam noscens incorrigibilem, monuit, ut Papatui renunciaret. Quem induratum in castro sancti Angeli violenter inclusit, & Papatui ipsum renunciare coegit. Et factus est tunc Romanæ Ecclesiæ pastor, Leo octavus: qui allectus beneficio Romanæ Ecclesiæ per prædictum Othonem collato, tam de Berengario, qui vexabat eandem, quàm de reformatione Ecclesiæ factâ per ipsum, easdem dignitates Othoni concessit, quas Carolo contulerat Adrianus: factâque Synodo, & clero ac populo congregato, ipsum Othonem Imperatorem constituerunt, nullâ electione præcedente, quæ post annos 40 fuit instituta. Sicque facta fuit Imperii translatio de Francis seu Gallicis in Germanos. Habuit siquidem hic Otho primus ex ordinatione Imperium pacificè. Habuerunt etiam Imperium successivè filius atque nepos, sine contradictione.

CAPUT

CAPUT XI.

POst hæc autem mortuo tertio Othone sine filio, Gregorius quintus natione Teutonicus, de parentela Othonis in summum Pontificem assumitur. Cujus Pontificis tempore, Imperatoris Electores instituuntur, septem scilicet Principes Almaniæ, quatuor laici & tres clerici sive prælati, ut Martinus scribit. Quia enim prædicti Othones successivè quasi hæreditario jure obtinuerunt Imperium, fuit pro bono statu Ecclesiæ Dei & populi Christiani ordinatum utiliter, ut tantæ potestatis fastigium, quæ non debetur sanguini, sed virtuti, non per viam successionis, sed per viam electionis procedat, ut dignissimus eligatur ad dignitatem Imperii gubernandam. Fuit ergo institutum, ut septem proceres officiales Imperii Regem Romanum eligerent, per Romanum Pontificem imperiali diademate coronandum: quorum, ut dictum est, sunt tres prælati clerici, qui sunt Imperatoris cancellarii: videlicet Archiepiscopus Moguntinus, qui est cancellarius Germaniæ: Archiepiscopus Coloniensis, qui est cancellarius Italiæ: & Archiepiscopus Treverensis, qui est cancellarius Galliæ: & quatuor seculares Principes, qui serviunt Imperatori: scilicet Palatinus Rheni, qui est dapifer Imperatoris: dux Saxoniæ, qui est Mariscalcus ejus: Marchio Brandenburgensis, qui est camerarius ejus: & Rex Bohemiæ, qui pincerna ejus. Unde versus est:

Moguntinensis, Treverensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii sit cancellarius horum.
Est Palatinus dapifer, Dux portitor ensis;
Marchio præpositus cameræ, pincerna Bohemus.
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

Hæc autem ordinatio facta fuit anno 1004. ut gesta Germanorum tradunt.

CAPUT XII.

EX prædictis igitur evidenter apparet, tempore Pipini regis, & Stephani Papæ Romani, ordinatam fuisse translationem Imperii Romani de Græcis in Francos, ex occasionibus antè dictis. Tempore verò Adriani, primùm Carolum Magnum dispositorem Romanæ Ecclesiæ ac Romani pontificis electorem, & urbis Romæ patricium ordinatum: tempore verò Leonis tertii, Carolum Magnum Imperatorem Romanum effectum, & etiam ipsius tempore translationem Imperii realiter factam de Græcis in Francos. Demum verò processu temporis, post multas & jam præscriptas revolutiones annorum, tempore videlicet octavi Leonis Papæ, factam esse Romani Imperii translationem de Francis, seu Gallicis principibus in Germanos. Et postmodum tempore Gregorii quinti, electionem Imperatoris Romani septem principibus Almaniæ fuisse concessam: qui usque ad moderna tempora Imperatorem eligunt, ad solennitatem, non quidem propter necessitatem aliquam per Romanum episcopum coronandum. Sic ergo translatum est Romanum Imperium ad Germanos. Præmissa quidem omnia per Romanum pontificem attentata, & cum eis assentientibus consummata, quantum robur habeant in præsenti, ex nostro Defensore pacis, in 12. & 13. & finali capitulo liquidè patet, rationabiliter intuenti & attendenti.

FINIS.

AUREUM

AUREUM SPECULUM PAPÆ,

ejus Curiæ, Prælatorum & aliorum spiritalium, scriptum ante * 150. annos.

* i. e. ab hoc anno 280. & amplius.

REverendissimis in Christo patribus & Dominis Dominis sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Cardinalibus, nec non aliarum ecclesiarum patriarchis, metropolitanis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus prælatisque, ac etiam curiæ Romanæ officialibus universis, totique clericali cœtui per universum constitutis: P. minimus, & utinam inter discipulos veros Jesu Christi, planctum pro affectu, & dolorem, heu corde anxius qua voce intonare ipse debeam. Quis hominum non attendit tantam pestem, mortificantem animas, in populo Christiano gravissimè sævientem? En schismata, en hæreses & errores ubilibet infiniti! Verè durissima plaga Domini descendit in Israel, quam in se experitur his temporibus nostra ætas. Sed heu! vile aurum in tantum catenavit modò mentem Moysi, quòd nedum placare non curat indignantem animum, sed mala malis accumulans machinatur quotidie ad deteriora provocare. Mira supra omnem modum res agitur, ut inde exemplar omnis mali progrediatur, unde processerat sanctitatis omnis norma, & unde tota Christi Ecclesia Deo ædificante constructa sumpsit exordium, inde patitur jam ruinam: illic jugum suave Domini abjicitur, frangitur lex divina, juraque canonica pro salute humana per ora sanctorum Spiritus Sancti dictata respuuntur penitus, & quasi inania reputantur. Sicque tota Romana curia à planta pedis usque ad verticem capitis, patenter excæcata erroribus: ipsa errorum suorum veneno inebriavit omnes ferè mundi partes, ac si immensam Creatoris omnipotentiam Papa ad suum libitum posset limitare. Omnes quidem intus murmurant, nullus clamat. Et quoniam in extremis jam malorum laborantes sumus positi, in quos cuncti errores hujus seculi devenerunt: qua ergo ratione silere valeo, & non potius obmutescentibus aliis tam præsidibus quàm doctoribus, fortius exclamare? Nam etiam principes catholici seculares mutuis dissensionibus occupati, tantàm corruptionem sanctæ matris Ecclesiæ non advertunt. Vos tamen, qui pastores estis positi, & officii apostolici successores, cur tam longum periculosumque negligentiæ somnum agitis, & non celerius concurritis: obmutescitis, & non clamatis? Eja & eja, ô patres & domini, nunquamne ob perditionis ignominiam, gens sancta & regale sacerdotium voce estis prophetica nuncupati? Saltem jam ad hanc vocem meam pusillam, jam desides confluite. Quoniam securis est jam posita ad radicem arboris. Et exaltatis in altum vocibus, exclamate: Quia non nisi in multitudine clamantium, fugam hostes receperunt. Et ruina suo pondere nocivior, non nisi per multitudinem sublevatur. Ut igitur ego ipse viribus exiguus, militaturus sub vexillo Domini, & indutus fortitudine Jesu Christi, vestræ universitati occurrendo viam aperiam, & aciem adversus inimicos Domini * pugnæ ponam tria. Tria tanta mala germinantia, prosequenda à persequenda pro præsenti aggredior: quæ juxta posse conabor machina triplici, scilicet auctoritate sacræ scripturæ, ratione naturali, & jure canonico, dirigente Domino, conterere, evellere & radicitùs extirpare. Primò scilicet errores gravissimos curiæ Romanæ detegam circa provisiones beneficiorum & indulgentiarum concessiones, detectisque eliminando cum simoniacis, & eorum participibus condemnabo. Secundò, scripta minus catholicè scribentium quædam, quæ tantæ destructioni ecclesiasticæ causam præstasse videbantur, aut occasionem, tanquam hæretica, clarissimè reprobabo: & ibi fundamentum enervabo illius destructionis de simoniacis, quia prohibitis: & de prohibitis, quia simoniacis, quæ multos etiam communiter peritos videtur ponere in errorem. Tertiò, totam Romanam curiam erroneam, & in statu damnationis laborantem, ex verissimis fundamentis declarabo: nec non omnes qui à jure communi per exorbitantes gratias, beneficia ecclesiastica sunt adepti, Papæ plenitudinem potestatis pertractando. Et secundum hoc tres erunt partes, quas Lectori suadeo toto studio perlegere. Quoniam, qui ea quæ Dei sunt nesciunt, à Deo etiam nesciuntur: ad Corinth. xiv. Si quis ignorat, ignorabitur. Si quæ verò inconsueta fortasse reperiat, non tamen spero à veritate deviare, ardentius ponderet solicitus animus, & non de facili respuat: quemadmodum non intelligentium, imò verius detrahentium, didicit mordax lingua: correctionem tamen melius sentientium, cum humilitate postulo, in spiritu lenitatis. Nec prolixitatem charitas legentis arguat, quam utique expetebat infirmitas per universum ægrotantis,

tantis. Et ut tractandi materia legenti reddatur suavior, & elucidationem recipiat clariorem, fingo per dialogum Petrum & Paulum invicem disputantes. Insuper hoc proviso, quòd quæcunque jura allegavero propter melius veritatem dicendorum experiri cupientem, virgulam seu lineam rubeam ubilibet sub quotis seu allegatis protraham, ut legentem non impediat: quas lector cum signo hujusmodi rubeo, ut taliter designatas, pro suo libito faciliter poterit persaltare. Et sic tractatulus tam exercitatis in jure canonico, quàm non exercitatis, aptus patebit omnibus ad legendum: quem ad gazophylacium Domini offero in charitate viduæ, duo minuta offerentis. Quantum ad primum, hæc pars prima pertractabit naturam titulorum ecclesiasticorum, & quomodo quamplurimi sunt involuti provisionibus simoniacis: & continebit decem capitula. In capitulo primo ponitur definitio tituli, & ejus declaratio. In secundo capitulo, titulorum ecclesiasticorum ordo, ubi incidenter quædam utilia pertractantur, & differentia inter dignitatem personarum & officia assignatur: insuper inter canonicatum & præbendam. In capitulo tertio declarantur tria, quæ requiruntur ad hoc, ut titulus canonicè acquiratur: & unum eorum prosequitur. In capitulo quarto damnatur electionum per Papam facta reservatio, occasione cujus malè providetur Ecclesiis, & decipiuntur electi. In quinto capitulo diversi errores Romanæ curiæ circa provisiones & assecutiones beneficiorum & indulgentiarum, &c. deteguntur. In capitulo sexto ponuntur quatuor regulæ, quibus cognoscitur, quando provisio tituli est simoniaca aut canonica: & declaratur, quomodo in provisione simoniaca non datur titulus. In capitulo septimo declaratur multipliciter veritas secundæ & tertiæ regularum. In capitulo octavo declaratur multipliciter veritas quartæ regulæ: & datur ratio, quare non transfertur titulus, si datur simoniacè: & tamen si solum recipitur simoniacè, tenet. In capitulo nono declaratur, quomodo salvari non potest, qui beneficium per simoniam obtinuit, nisi illud dimittat secundò, de suspensione simoniaci in beneficio, & ipsius irregularitate. In capitulo decimo declaratur, quomodo officiales & vicarii Episcoporum intrantium per simoniam, & intrantium familiares sunt participes simoniæ: & omnes alii qui eis participant in his quæ spectant ad titulum, per simoniam acquisitum, sunt in statu damnationis, utputa recipientes ab eis beneficia, &c.

DIALOGUS PETRI ET PAULI, de insolentiis & erroribus Romanæ Curiæ.

CAPITULUM I.

In quo ponitur definitio tituli, & etiam ipsius declaratio.

PETRUS. Nunc restat tibi, ut quid de natura titulorum beneficialium est sentiendum, in medium edisseras, scilicet quid sit titulus, & unde habeat originem, &c. ut de corruptione Christianitatis latiùs appareat, quæ inde crevit, & quam non nisi solius Dei virtus sufficit reformare.

☞ PAUL. Ut tibi ad præmissa congruè respondere valeam, expedit æquivocationem termini prænotare. Et multipliciter capitur titulus in jure. Aliquando tantum valet, sicut signũ rei appositum, ut vexillũ, vel aliud soli principi permissum, de quo in textu & Gloss. *16. q. 6.* consuetudo. Secundo modo dicitur titulus, omnis causa acquirendi dominium: ut titulus pro emptorio, pro donato, &c. ut dicimus, quòd præscriptio in aliquibus requirit bonam fidem & justum titulum: in capitulo, Si diligenti, de præscriptis, &c. & capitulo *1.* lib. *6.* Et de his duobus modis non est ad propositum. Tertio modo dicitur Ecclesia: ut titulus sancti Petri. Et sic secundum Bern. qui hoc notat de cler. c. dudum ij. in Gloss. intitulari dicitur lxxx di. Episcopi. quòd singuli clerici per singulos titulos sunt ponendi, id est, Ecclesias. Unde dicitur in Ordinationibus clericorum, quando vocatur, dicitur talis ad titulum talis plebis. Quarto modo dicit, quòd titulus tantum valet, quantum clericatus vel canonicatus: & sic dicitur quis intitulari, id est, incanonicari vel inclericari: & sic dicitur lxx. di. ab Episcopis, quòd nullus debet ordinari sine titulo. Gloss. ibidem, id est, sine Ecclesia vel beneficio. Sed hæc dicta sunt impropriè.

PET. Ergo dic propriè definiendo quid sit titulus.

PAUL. Ad tuum propositum potest sic describi: Titulus ecclesiasticus est, jus spirituale ex electione, confirmatione, institutione, collatione vel receptione canonicâ consentienti

ſentienti proveniens, ad præſidendum alicui Eccleſiæ, monaſterio vel capellæ: ſeu ad aliquod divinum officium tantùm, aut divinum officium vel aliud miniſterium eccleſiaſticum, circa aliquod vel in aliquo eorum exercendum. In hâc deſcriptione jus ſpirituale ponitur pro genere, & exprimit cauſam formalem definiti: hoc aggregatum quod ſequitur, disjunctivè captum, ſcilicet ex electione, confirmatione, &c. loco differentiarum conſtitutivarum ſpecierum. Et exprimit cauſam efficientem, quòd adjungitur in deſcriptione, ibi conſentienti. Exprimitur ſubjectum ſeu cauſa materialis: quod ideo ponitur, quia ad hoc ut quæratur alicui titulus, neceſſe eſt ut conſentiat. ut in c. quam ſic. de cler. & c. ſi tibi abſenti. de præben. libro ſexto. Quòd autem adjicitur, Ad præſidendum alicui Eccleſiæ, & c. cauſa finalis denotatur, ſeu objectum formale, circa quod tale jus verſatur. Et intellige illud, ad præſidendum, cum effectu, ſcilicet cum debitis divinis officiis & aliis ſervitiis requiſitis ad impendendum in præbendis. Et quia quidam ſunt tituli tantùm ad divinum officium exercendum deſtinati, quos vocamus beneficia ſimplicia: aliqui verò non tantùm ad divinum officium, ſed etiam cum hoc ad talia ſervitia impendenda, ſive circa curam & ſalutem animarum, ſive aliarum rerum eccleſiaſticarum: & talia dicuntur dignitates, perſonatus & officia: ad quod utrumque denotandum, ponitur in deſcriptione ultima particula. Et iſte eſt finis, propter quem dantur & ſunt inventi tituli eccleſiaſtici. Ex quo ſequitur, quòd qui non poteſt illa exercere, propter quæ inventi ſunt tituli, non eſt capax beneficii: & per conſequens, nec titulus etiam per Papam licitè poteſt ſibi conferri, niſi neceſſitas aut tanta utilitas reipublicæ ſuadeat, quæ ſuâ pietate æquiparetur illi fini, propter quem titulus eſt inventus. Ex quo infero, pro prima ſagitta in errantes, Quòd pueri, qui non ſunt apti ad divina officia peragenda, ſcilicet horas canonicas, ad quas quilibet beneficiatus ratione tituli tenetur, etiam non exiſtens in ſacris, ex præcepto Eccleſiæ xci. di. c. 1. & ſe. xcij. di. c. fi. de. cele. miſſ. dolentes. Et ſecundum omnes communiter doctores (præter Pe. & Ab. qui dixerunt, per alium talia poſſe fieri: in quo communiter reprobantur) non ſunt capaces de jure communi, in titulum beneficiorum eccleſiaſticorum, quantumcunque ſimplicium. De hoc eſt caſus in c. ſuper ordinat. de præben. Ubi tamen B. in Gloſſ. in v. pueri. vult contrarium, dicens quòd textus qui dicit, quòd pueri non ſunt idonei, &c. intelligitur, id eſt, infantes ante ſeptennium: poſt ſeptem verò annos poſſunt habere ſimplicia beneficia. Idem tenet poſt eum Jo. An. in c. ſi eo tempore. de reſcrip. & c. ex eo. de elec. lib. 6. Et multi ſcribentes poſt eos, communiter tali ratione: Quia, ex quo tales poſſunt ordinari ad minores ordines, & per conſequens ordinati poſſunt deſervire Eccleſiis: ergo poſſunt etiam ad ſtipendia eccleſiaſtica intitulari. Ar. in c. cum ſec. apoſt. de præben. Salvâ reverentia eorum, non adverterunt quòd magna eſt differentia inter ea quæ ſpectant ad ordinem & ad titulum: Quia ſpectantia ad minores ordines, ut portare cereas, urceolum, canes expellere de Eccleſia, &c. illa ſunt ordinis, & poſſunt bene facere pueri: non autem illa contrà, quæ ſpectant ad titulum, ut ſuprà. Et ſi quandoque pueri infra xiv annos ſciunt talia quæ titulus exigit, communiter tamen neſciunt: jura autem debent adaptari ad ea quæ communiter accidunt. de deſpon. in pu. literas, non ad ea quæ raro veniant. Et ideo ſtilus curiæ obſervat, cum mandatur provideri de quantumcunque ſimplici beneficio, ſcribitur, Si talis ſcit legere & conſtruere & cantare, &c. Quia propter officium datur beneficium, de reſcript. Quia per ambitioſa. lib. 6.

PET. Quare ponis in deſcriptione tituli illam clauſulam, Ex electione proveniens: cum tamen ex electione nullum jus quæritur in beneficio: & per conſequens nec titulus, quamvis jus ad rem tribuitur? Hæc autem multum differunt, ut de conceſ. præben. c. ult. lib. 6.

PAUL. De jure Canonico, electio Romani Pontificis etiam à duabus partibus Cardinalium facta, dat ſtatim titulum. xxiij. di. in nomine Domini. De elec. c. licet. Conſuetudo tamen Romanorum Pontificum quæ potius ſolito uſu quàm jure roboratur, eſt, quòd ante conſecrationem & coronationem non ſcribunt pontificatum in datis, ut refert Jo. An. ſuper datis. lib. 6. ſuper verb. Pontificatus. Nam dicit expreſsè tex. in dicto c. licèt ille abſque ullâ exceptione ab univerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, &c. De aliorum autem inferiorum electionibus eſt ſecus: quamvis alii ſtatim poſt electionem, jure concedente, recipiunt adminiſtrationem in tribus caſibus: quorum primus in c. nihil. de electis. Secundus eſt eodem titulo, c. indemnitatibus. §. ſi verò. & §. cæterùm. lib. 6. Tertius in Imperatore, ſecundum Hug. & Jo. 93. di. legimus. Non tamen talis adminiſtratio dat titulum. In confirmatione verò etiam datur titulus: nam in electione initiatur ſpirituale conjugium, quemadmodum ſponſalia de futuro: in confirmatione ratum, in conſecratione intelligitur conſummatum. De tranſlat. prælat. Hæc autem accumulativè ponuntur, inſtitutio, collatio, receptio in deſcriptione prædicta:

Quia, quamvis unum sæpe recipitur pro alio, diversa tamen sunt: ut no. in c. cum in illis. De præben. lib. 6. Et quodlibet illorum dicit titulum ecclesiastici beneficii. Nam instituere, est jus canonicum in Ecclesia vel ecclesiastico beneficio tribuere, ut no. in Gloss. 2. in c. autoritate, de institutis. Et habet fieri à patrono in præsentatione præcedente, ut de jure pat. c. consultationibus, cum similibus. Collatio autem est, quam facit prælatus jure proprio, sine alicujus facto. ut in c. Si tibi absenti: &c. Statutum: de præben. cum concor. Provisio autem est genus ad illa, secundum alios est species. Recipere verò in canonicum & fratrem, quandoque titulum tribuit, ut no c. illorum, de præben. in Gloss. ult. & in c. capitulum Ecclesiæ sanctæ crucis: de rescript. Et subditur hæc dictio, Canonica, in descriptione præmissa, quæ determinat omnia præcedentia: quoniam si institutio, collatio, &c. canonica: id est, si non esset facta secundum canones approbatos, & regulas traditas per sanctos patres, non acquireretur aliquis titulus, ut inferius apparebit: sed talis esset fur & latro, ut dicit Salvator in Evangelio Joan. x. Qui non intrat per ostium, &c. & jura multa consonantia.

CAPITULUM II.

De ordine Titulorum.

PET. Nunc de ordine titulorum te expedias, veluti promisisti.

PAUL. Hic est advertendum, quòd quemadmodum est in cœlesti hierarchia, quòd sub potestatibus, quæ indistinctè præsunt, ponuntur principatus, quæ singulis provinciis distribuuntur: & sub his angeli, qui singulis hominibus ad custodiam deputantur, ut patet in 2. Sententiarum, dist. 9. ita etiam est in prælatione Ecclesiæ militantis, ut apud aliquem esset prælatio indistinctè in omnes: & sub hoc essent alii, qui in diversas provincias diversam reciperent potestatem: Consequenter sub his alii, ad singula officia deputati. In hac prælatione, quamvis Salvator noster gloriosissimus, prædicatorem post se aliis prætulit, tamen Romanam Ecclesiam quasi matrem omnium Ecclesiarum esse voluit: ex eo, quia Petri & Pauli præsentia ipsam decoravit qui eam ambo sub eodem tyranno, suo gloriosissimo sanguine decorantes, consecrantes tam sua præsentia quàm venerando prætulerunt triumpho, ut legitur xxii. di. sacrosancta: & de elec. fundamenta. lib. 6. Et ideo successores Petri, quamvis omnes indistinctè exercent clavium potestatem: tamen propter corporalem præsentiam, qua non possunt esse ubique, superna dispositione Romanam Ecclesiam in titulum sunt sortiti, & Romani pontifices appellantur. Secunda verò sedes post Romam, est Alexandrina, beati Petri nomine, in qua beatus Marcus Evangelista, beati Petri discipulus, fuit primus episcopus: & per beatum Petrum illuc missus, qui ipsum in episcopum ordinavit: ut habetur ex Chronica, de Consecrat. & lxvi. di. §. porrò. & xxii. di. sacrosancta. xxiv. q. 1. cum beatissimus. Tertia verò sedes apud Antiochiam, ejusdem beati Petri apostoli honorabilis: quam illic, postquam Romam veniret, xi. annis (ut dicunt Chronica) rexit: & deinde recedens Ignatium episcopum constituit, & illic primum nomen Christianorum exortum est. Primò enim omnes fideles dicti fuerant Fratres, vel discipuli: sicut legitur Actuum xi. Sed postquam Apostoli fecerunt concilium Antiochenum, dicti sunt Christiani, ut dicit Gloss. c. Sacrosancta, suprà allegata. Et hac auctoritate, Alexandrina Ecclesia secundum locum censetur habere à prima. Sed postea in concilio Constantinopolitano, quando Acatius hæreticus, prætendens se patriarcham Constantinopolitanum, pro eo quòd excommunicaverat & deposuerat patriarcham Alexandrinum & Antiochenum, fuit depositus à Gelasio Papa, ut dicit Glossa, i. c. quâ traditione. xxii. di. & tunc Ecclesia Constantinopolitana, quæ non fuit de principalioribus sedibus, secundum locum obtinuit à sede Apostolica, tertium Alexandrina, quartum Hierosolymitana: ut in c. ult. xxii. di. in qua Hierosolymitana primus archiepiscopus beatus Jacobus Alphæi, qui & Justus dicebatur, & secundum carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro & Jacobo Zebedæi & Johanne Apostolis est ordinatus. lxvi. di. §. porró.

PET. Antequam tractatum divertas ad alia, videtur omnino, quòd non Romana, sed potius Hierosolymitana, caput esse debeat ecclesiarum: quam ultimum locum inter principaliores sedes habere asseris, cum ipsa Hierusalem civitas per præsentiam Salvatoris nostri, & per effusionem sui gloriosissimi sanguinis, quem ibi in ara crucis salutis nostræ victimam obtulit, sit consecrata, & non immeritò dignior aliis est censenda.

PAUL.

PAUL. Si locus appellaretur Ecclesia, probabiliter affirmares, quòd Hierosolymitana esset dignior quàm Romana. Verùm quia non locum, sed congregationem fidelium Ecclesiam appellamus, non illa utique erit dignior, propter defectum fidei Christianæ. Non enim gentem propter locum, sed locum propter gentem Dominus elegit: ut legitur 2 Maccab. 5. Electio verò Dei gentem sanctificat ac dignificat, ex quibus ædificatur Ecclesia, non aliquis locus terrenus. Unde potes videre, quanto Dei mysterio actum sit, ut Petrum non Hierosolymis dimiserit successorem, ubi Christus exinanitionem suæ fidei præviderat in proximo affuturam: sed in Romanis partibus ubi eam præviderat ampliandam, & infinitorum martyrum sanguine consecrandam. Cum enim persecutione crebrescente Romæ, beatus Petrus de Roma fugere voluisset, juxta præceptum magistri, Matth. 10. Cum vos persequentur in civitate istâ, fugite in aliam, &c. occurrit ei Christus extra portam civitatis: cui Petrus stupefactus dixit, Domine, quò vadis? Cui tum Christus respondit, Vado Romam iterum crucifigi; & statim ab oculis ejus disparuit. Petrus ex hoc dicto se intelligens tanquam alterum Christum, quia ejus in terris ibi Vicarium, ibi crucifigi debere, reversus est, & ibi ad finem vitæ remansit (Qui fil. sint le. per venerabilem) Nusquam enim Christi Vicarius plus Ecclesiæ ædificandæ conferre potuit, quàm in urbe Romana: quia tunc & diu pòst, quasi totius orbis dominium tenuit. Et sic congruentissimè, quod alibi non fieret, ab eodem fonte pro spiritualibus causis & temporalibus in orbe duplex rivulus regiminis emanaret: & ut regna Romano imperio subjecta, eo citius fidem Christi susciperent, quo suam dominationem eandem fidem cernerent recepisse: sic insuper prædicatores fidei Christianæ eò fidem liberiùs & securiùs prædicarent, quò forent imperiali potentiâ communiti, &c. Unde Paulus ob hoc dixit ad Festum, sicut legitur Act. 25. Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet judicari; & sic evasit mortem corporalem.

PET. Jam video apertè, quòd Romana Ecclesia aliarum omnium rationabiliter esse debeat mater & magistra. Progredere ulterius ad alios titulos explanandos.

PAUL. Prædicti tituli sunt principalium sedium patriarchalium: Aquilegiensis verò & Gradensis, nomen primatis seu patriarchæ sibi acquisierunt, qui tamen sunt secundum aliquos metropolitani, prout etiam sunt Cantuariensis & * Bitiniensis Archiepiscopi. Etiam dicuntur aliquando primates & metropolitani, ut xxij. di. à mensura civitatum, in quibus sunt cathedræ episcopales: & dicitur ab archos Græcè, quod est princeps Latinè, quasi princeps episcoporum: & ipsi, ac etiam episcopi qui vices Apostolorum gerunt, non nisi in civitatibus & locis insignibus intitulantur, lx. di. c. i. & c. episcopos. Inde est, quòd in Jure canonico non dicitur civitas, nisi ibi sit episcopalis, aut alterius superioris titulus, seu Ecclesia cathedralis. Postea alii sunt inferiores tituli Ecclesiarum parochialium, & alii tam in Ecclesiis cathedralibus quàm conventionalibus, &c. ad diversa officia seu ministeria ecclesiastica, ultra divinum officium exercendo instituti: ut sunt, ad quæ exercenda tempore Apostolorum fuerunt electi septem discipuli, Stephanus, &c. quando erant eis omnia communia, juxta illud dictum ab Apostolis, Act. 6. Non est æquum nobis relinquere verbum Dei & ministrare mensæ. Considerate igitur, fratres, ex vobis viros boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus. Sed proh dolor! modernis temporibus Apostoli per contrarium dereliquerunt verbum Dei & ministrant mensæ. Hinc est etiam, quòd multiplicatis redditibus Ecclesiæ, & postquam ad proprietatem devenimus dictorum officiorum, nomina quasi ad sola temporalia commoda translata videntur: & non officia, sed beneficia nuncupantur, ex eo quòd unusquisque communiter quærit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, & amplius temporalia obtinenda, quam divina ministeria exercenda. Et quoad istos titulos, tam quoad ipsorum ordinem, quàm officia tenenda, est diversarum Ecclesiarum consuetudo. Nam etiam aliquæ Ecclesiæ plures habent hujusmodi titulos quàm aliæ, de jure communi. Archidiaconus, quia est quasi oculus Episcopi, est primus. Postea Archipresbyter, & in aliquibus Ecclesiis dicitur Decanus: postmodum primicerius, & apud aliquas Ecclesias dicitur scholasticus: deinde thesaurarius, &c. xxx. di. perlectis.

* In notitiâ Episcopatuum quam edidit Aubertus Miræus Par. 1610. nulla occurrit diœcesis sic appellata: mentio quidem fit Bisiniani Episcopatûs inter Calabros; sed videtur hic alius ab illo.

PET. Dixisti suprà, quòd tales tituli dicuntur dignitates, personatus & officia: quæ est differentia inter ista?

PAUL. Unum sæpe recipitur pro alio, tamen differentia consuevit assignari. Nam dignitas habet administrationem rerum temporalium, cum jurisdictione vel nomine dignitatis, habet prælationem in Ecclesia, in choro & aliis: licèt non habeat administrationem temporalium vel jurisdictionem vel quia de consuetudine habetur pro dignitate: personatus autem prærogativam habet in choro, capitulo, processionibus, optionibus, vocibus plus quam canonici: sed non tantum, quantum dignitatem habentes. In Anglia personatus vocatur Ecclesia parochialis. Officium cognoscitur ex administratione rerum, sive prærogativa

rogativa in choro vel capitulo, ultra alios sui ordinis. Vel habet onus sive prærogativam honoris, vel quia sic habet Ecclesiæ consuetudo pro simplici officio: Canonicatus autem sive canonia est jus spirituale, principaliter ad exercendum divinum officium in Ecclesia, propter quod continuè peragendum dati sunt fructus à fidelibus: qui secundum aliquos dicuntur Præbendæ, quia præbentur agentibus divina officia, & secundum B. in c. cum M. Ferrariensi de constitut. laicus potest habere præbendam, sed non canoniam, quod est jus spirituale non cadens in laicum. Sed salva reverentiâ, aliud est fructus præbendæ, aliud præbenda, scilicet jus percipiendi fructus: quod est spirituale, ut in c. dilecto, de præbend. & essentialiter idem est quod canonia: quia eodem jure quo teneor ad officium, debeo facere omnia accessoria ad hoc spectantia, & sine quibus principale non potest fieri: sicut sustentationis fructus percipere, pastorem eligere, pro bono communi consulere. Et ita canonia & præbenda non differunt essentialiter, sed respectu divini officii, quod est principale, dicitur canonia: respectu fructuum, quod est accessorium ad divinum officium, dicitur præbenda. Et hoc idem jus, scilicet canonia & præbenda, est titulus. Et tale jus sive titulus, usitato vocabulo dicitur beneficium: & ita accipit denominationem ab accessorio, & non principali, ut prius dixi. Quia homines communiter ordine præpostero magis quærunt temporalia commoda, quàm spiritualia. Et ita quilibet titulus est canonia, capiendo canoniam generaliter: id est, jus canonicum sive spirituale. Aliò modo canonia in communi usu loquendi & specialiter, est titulus distinctus in Ecclesia, contra dignitatem, personatum & officium. Et dicitur usitato vocabulo Canonicatus: & licèt cancellaria & stylus curiæ habet, quòd scribitur in literis gratiæ, scil. sibi dictos canonicatum & præbendam assignantes, &c. tanquam essent diversa: non tamen nisi in illum finem scribitur, ut uterque effectus, scilicet spiritualis & temporalis sive accessorius, actualiter suo jure respondeat, &c.

CAPITULUM III.

In quo declarantur tria, quæ requiruntur ad hoc, ut titulus acquiratur: & tertium eorum prosequitur.

PET. Declara, si placet, particulariùs de institutione seu provisione canonicâ, de quâ dicit tua definitio: ut queam intelligere, quando quis justè aut injustè agens, contra salutem quærit seu obtinet ecclesiasticum beneficium.

PAUL. Aliud est injustè quærere, aliud injustè quæsitum retinere. Nam multi injustè quærunt beneficia ecclesiastica, quæ tamen quæsita justè tenent. Alii autem econverso justè & canonicè quærunt, sed quæsita quandoque injustè detinent. Alii injustè quærunt, ac etiam injustè quæsitum, cum periculo salutis detinent. Alii verò sunt justè ☞ & canonicè quærentes, & canonicè quæsita retinentes. Sed isti quarti, maximè hoc tempore, nulli sunt aut rari.

PET. Imò, sicut te aliqualiter intelligo, promoti in curia Romana his temporibus, docente fama publicâ vel potiùs infamiâ, tales quarti sunt quasi nulli. Sed rogo prosequere ulterius: quoniam offert se salubris materia ad tractandum.

PAUL. Diligenter debes animadvertere, quòd ad assecutionem canonicam alicujus tituli sive beneficii ecclesiastici, requiruntur principaliter tria. Quædam debent antecedere, quædam mediare, quædam verò sequi. Antecedentia sunt, sicut personæ promovendæ postulatio, electio, præsentatio vel debita examinatio, &c. Mediantia sunt, institutio, collatio, provisio, receptio, ut in descriptione præmissâ. Sequentia sunt, investitura & in possessionem realis inductio, quæ secundum dist. post Hosti. & alios canonistas, super regul. beneficium, de reg. jur. lib. 6. differunt. Quia institutio est juris alicujus beneficii verbalis collatio: investitura verò institutionis seu collationis confirmatio: Missio in possessionem est præcedentium, scilicet collationis & investituræ executio. Per institutionem tribuitur jus proprietatis: per investituram declaratur & confirmatur illius juris collatio, ut in c. Cum ex injuncto, de hæreticis. Per inductionem in possessionem tribuitur jus possessionis & actualis administrationis, ut in c. ad hæc: & c. ut nostrum, de offic. archi. Et ut evidentius hoc clarescat, adverte: Factâ enim institutione verbali ad ipsius declarationem & confirmationem, jure vel consuetudine inducta est quædam solennitas: quæ quandoque fit per annulum, aliquando per librum, quandoque per birreti impositionem, &c. ut in c. auctoritate, de institut. Gloss. 2. de his quæ fiunt à ma. per ca. ex ore. c. fi. quo facto, illius juris spiritualis taliter acquisiti, datur quasi possessio: ut cum assignatur

assignatur canonicatus, possessio fit, assignando stallum in choro & vocem in capitulo, & sic de aliis: quia talia propriè possideri non possunt, ut in c. cum Ecclesia: de causa poss. & propriè, sed quasi possidentur. Habita verò possessione, in illis effectibus spiritualibus, non per hoc est possessio acquisita in corporalibus pertinentiis ad titulum: sicut sunt, villæ, prædia, decimæ & alia corporalia, quia sunt diversa. Sed necessaria est primò realis conductio in possessionem corporalem, quam facit gratiarum apostolicarum subexecutor, vel archidiaconus in ecclesiis cathedralibus de offic. archi. ad hoc. &c. ut nostrum. xxv. di. prælectis. Demum omnium corporalium separatorum ab invicem apprehensio corporalis: prout notari consuevit post Innoc. c. in literis. de restit. spo. &c. quam etiam confirmatus vel provisus auctoritate propria potest adhibere, si non est contradictor, secundum Jo. An. in c. transmissam. de elect. Investitura tamen est absentis institutio: sed institutio est præsentis, secundum aliquos doctores, qui hoc not. in dicto c. ex ore. & de concess. præben. proposuit.

PET. Nunc breviter dic de his quæ canonicam debent tituli provisionem antecedere, quid unumquodque sit: & an ad hoc, ut sit provisio canonica, personæ provisæ valor, ut electio canonica necessaria requiratur.

PAUL. Brevibus verbis multa quæris: nam jura nova & antiqua longioribus titulis diffusa prolixique processus doctorum scribentium vix poterant explicari.

PET. Non te occupare desidero ut plenam de his doctrinam tradere debeas: sed ut tempus restet, ad alia saltem de secundo modo quo breviori poteris, percurre.

CAPITULUM IV.

In quo damnatur electionum reservatio: occasione cujus male providetur Ecclesiis, & decipiuntur electi.

PET. Videtur nec postulatio, nec electio hodie locum habere, imò vix personarum examinatio, ad minora beneficia, pro forma taliter qualiter observatur. Nam electionibus prælatorum videtur esse derogatum per regulas Cancellariæ, quas Romani pontifices in sua promotione pro se reservant, in quantum eis uti volunt, quòd rejectis plurium Ecclesiarum electionibus in Romana curia hodie practicatur. Ex quo videtur, quòd ad hoc, ut canonica fiat provisio, non oportet ut capitularis electio antecedat.

PAUL. Errore gravi deciperis. Ad omnem enim justitiæ actum duo debent concurrere: scilicet rectæ rationis judicium, quo discernitur, an hoc fieri expediat, vel non: exigitur pariter auctoritas sive potestas faciendi. Non enim dare vel facere possumus, nisi ad hoc potestatem habeamus. Nec judicium dici potest, nisi vim coactivam habeat: eo quòd judicium tantum ad unum determinatur. Hæc quidem determinatio in speculativis fit per veritatem primorum principiorum, quibus resisti non potest: & in rebus practicis per vim imperativam in judicante existentem. Et ad hoc, secundum beatum Thomam super quarto Sententiarum, dis. xviii. sunt duæ claves vicario Christi, & cuilibet prælato Ecclesiæ traditæ, quæ non distinguuntur in essentia auctoritatis, qua utrumque ex officio suo sibi competit: sed comparatio ad actus quorum unus alium supponit, sicut voluntas præsupponit judicium rationis. Quomodo ergo dictos reservatores justificare poteris, cum Papa ad suum libitum non potest ad aliud, vel aliter facere in spiritualibus, quàm exigunt dictæ claves? Alioqui clavis errando nec claudere potest nec aperire, ut dicunt Glossantes. Quicquid enim aliter faceret, quàm rectæ rationis judicium exposceret, non virtute clavium hoc fieret sed potestate propria: & per consequens, non valeret, sed quædam umbra taliter appareret in opere, & nulla veritas in effectu. Quid namque fore potuit illa vis, ad reservandum prælatorum electiones, &c. rationis judicium determinans, & non potius ad errandum: quæ scilicet causa reservandi, & non verius graviter oberrandi. Arbitrium itaque Papæ nudum propriè non sufficit. Non enim sola voluntas Papæ regere debet claves Ecclesiæ: sed potius econverso, ad hoc sunt sibi traditæ, ut secundum ipsas debet dirigi & alios regulare.

PET. Audivi à Curiensibus mihi dici, quòd reservationes hujusmodi pro honore curiæ facit Papa. Idem certi prædecessores sui fecerunt: non tamen in tantum practicabant, sicut nunc dictus honor conversus est in errorem.

PAUL.

PAUL. Mirabile regentium Christi Ecclesiam judicium, ad eligendum potiùs honorem curiæ, quàm salutem totius Germaniæ & Italiæ, &c. Quis namque modus unquam aptior inveniri potuit ad providendum Ecclesiis & conventibus de pastore, aliisque beneficiis conferendis, quàm is, qui tot centenis annis diligentissima sanctorum patrum providentia masticatus, & jure canonico declaratus est? Et quid sceleratius magisque erroneum, quàm eo contempto, scandalosè & inutiliter providere taliter qualiter Ecclesiis, ac per hoc Ecclesiam Christi pervertere, & quamplurimas simplicium animas Christi fidelium sic damnare? Dic, quæso, unde sibi hæc potestas, clavibus Ecclesiæ prorsus contraria? Nonne approbati canones latè improbant & expresè, Papam mutare non posse, vel ejus contrarium facere quod per prædecessores suos rationabiliter statutum est, absque causa evidenti & urgenti? 25. q. 4. per totum, de consang. & affin. non debet. Quia si voluntariè violat canones, Spiritum Sanctum dicitur blasphemare, cujus instinctu ac dono sunt editi, eo. cap. & q. violatores. Quæ potuit esse causa, urgens necessitas, aut reipublicæ æqua vel major utilitas, subtilitas, decreta generalis concilii immutandi, formasque electionum, &c. per hujusmodi reservationes respuere, studiosè utique discurrenti ingenio, causasque singulas percunctanti non apparet, quàm quòd fiat capitularis electio juxta formas generali concilio approbatas, ut in c. quia propter. de elec. Et certus sum, Papam aliter facere non posse sine causa, ut dictum est.

PET. Hoc utique pro causa hujus à magnis intellexi, quoniam quandoque duo, interdum tres vel quatuor electi fuerunt in eadem Ecclesia: & inde nonnunquam suscitata fuerunt odia litesque graves cum multo Ecclesiarum incommodo atque damno. Expediebat igitur talis reservatio Romano Pontifici, ad talibus obviandum.

PAUL. Cur ergo cessante causâ hujusmodi, non reservatio cessat, saltem quoad electores eorum, qui concorditer & sanctè sunt electi? quoniam etiam & in his practicatur, res utique graviter est suspecta. Et quomodo talibus, quæ non communiter accidunt imò rarò, expediebat ponere talia remedia, per quæ tam gravibus erroribus via patet, quos inde multipliciter experimur. Nulli dubium, quin hæc reservatio sive regula detestanda, pluribus & gravibus erroribus viam aperuit, inferius declarandis. Nec hoc est ambigendum, quòd nisi hæc fuissent, nunquam talia emanassent. Dato enim, sed non concesso, quòd tales electiones in discordia communiter evenirent, nonne etiam hoc casu jura sufficienter & salubriùs providerunt? Et si bene perpenditur, dicta reservatio non adimit simpliciter electionem capitularis, sed sub conditione: quia in reservatione dicitur: In quantum ea uti voluerimus; & sic tacitè admittit, ut capitula pastorem sibi eligant. Sed electionis approbatio à Papæ dependet voluntate: qui quantumcunque electi in concordia illuc venerunt, fatigati gravibus laboribus & expensis, intentionibus frustrantur, sic decepti.

CAPITULUM V.

In quo diversi errores Romanæ curiæ circa provisiones & executiones beneficiorum, indulgentiarum, &c. deteguntur.

PETRUS. Quid ergo valent jura, multis vigiliis magnâque maturitate & solicitudine sanctorum patrum inventa, præsertim de electionibus: cum tamen Papa pro suo libito contra electionem quantumcunque canonicam, de Ecclesiis disponit & monasteriis? imò inutiliter membranas occupant. Doctores verò ac seculares ea legentes, inani labore se consumunt.

PAUL. Si sic Papa faceret, ut asseris, erroneum sine dubio censeretur. Nec error suus hujusmodi excusationem haberet: quia nequaquam immutare posset, quæ instinctu Spiritûs Sancti pro utilitate totius universalis Ecclesiæ multis temporibus, pro vigili solicitudine sanctorum patrum conciliorumque generalium sunt digesta: nisi subesset causa valde rationabilis & evidens, aliquando contrarium faciendi.

PET. Nunquid sub nomine rationabilis causæ includitur pecunia?

PAUL. Absit hoc, Petre, & valde absit à Christi Vicario, quod tanta dementiâ insaniret, abjecta perfectionis Apostolicæ disciplinâ: cujus cathedram decet, non vendere, sed regere & fideliter dispensare.

PET. Miror, Paule, nimium, si hoc tu ignoras, quòd ferè nedum totus mundus scit, sed ruinam maximam & corruptionem ex hoc patitur & est passus, & scandalizatus per ea quæ fiebant in Romana curia continuè, & nunc fiunt. Te namque certifico, si

etiam

etiam per inspirationem Dei notorium esset, de aliquo facta electio, & persona quantumlibet utilis, docta atque sancta, nisi dederit pecunias, vel de solvendo prius pacta fuerit, quasi supervacua pro sua confirmatione, aut aliàs pro quocunque Ecclesiastico beneficio laborabit.

PAUL. Ignorare non possum, Petre: sed doleo plus quàm stupeo, quòd tam gravissima plaga, Deo permittente, propter peccata nostra, sævit in populum Christianum: multo dolore quassantur præcordia. Heu quoties tot & tantos errores in Ecclesia conspicio Christiana?

PET. Nonne totum hoc sua venalitate tota curia Romana propagavit, cum sic exorbitantes promoventur episcopi inutiles, idiotæ, scandalosi, ambitiosi, subditis violenti, aliisque beneficiis ecclesiasticis, tam curatis quàm non curatis, sine differentia discretionis personarum: & inaniter præficiuntur, lenones, coci, stabularii equorum & pueri? Tot ibi fiunt pactiones, tot quotidie interveniunt solutiones, quot sine omni timore & verecundia tractatores seu mediatores simoniæ, quasi forum constituentes publicum. Jam pro signatura Papæ super tali beneficio vel gratia, debes tantum: jam pro dispensatione super talibus incompatibilibus, tantum: pro tali indulto, tantum: pro absolutione à tali excommunicatione, vel irregularitate, tantum: pro talibus indulgentiis, tantum, &c. publicè paciscuntur & forisant. Et ille plus diligitur, qui astutiori solicitudine, & majori astutia plures simplices decipit, & plures denarios scit venari. Tot & tantæ fiunt etiam exorbitantes gratiæ: sed revera multò verius dicerentur mercantiæ, quæ nunc fiunt: & appellantur de die obitus, nunc dies obitus cum declaratione, nunc perpetuum silentium, nunc clausula anteferri, vel antelationis: nunc de proprio motu Papæ, nunc de clausula cæterorum quæ tollit jus quæsitum. Nunc fiunt anticipationes datarum, nunc datæ Cardinalium conceduntur, nunc datæ Papæ: jam revocantur, jam immutantur, jam ad certum tempus duraturæ limitantur, jam renovantur, jam prælati de una Ecclesia ad aliam transferuntur, jam beneficiis suis propter pecuniam spoliantur. In omnibus his tota devotio consistit, ut denarius acquiratur.

PAUL. Res multùm miranda, sed magis est formidanda, quòd facta Romanæ curiæ, & hæc tam perniciosa exemplo deliria, ludo scaccorum assimilantur. Quisnam tam simplex esse poterit, qui non intelligat, ex avaritiæ radice procedere? quis tam justus, qui in bonum tam exorbitantia facta interpretari valeat: Quis tam sanctus, ut non expavescat, vel non scandalizetur: imò toti clero ambitionis datur materia, via gravibus & plurimis litibus aperitur, quam omnia jura fugere conabantur. Et non dubium, quin homicidia ex hoc etiam consequantur.

PET. Imò certum est. Nam vix contingit vacare beneficium ecclesiasticum, ubi duo, tres, quatuor, vel sex, ad impetrandum non concurrant: & sæpius ipsi, vel amici eorum, hac occasione se armis invadunt bellicis, & mutuò se occidunt. Currunt quoque ribaldi ad curiam, sicut ad forum publicum: & ubi duo vel tres conveniunt, pro prima vel secunda salutatione se suscipiunt. Quantum jam valet data Papæ, quantum Cardinalium, quantum proprius motus Papæ, quantum tales indulgentiæ, &c. Quomodo ergo errores esse non debeant, ubi Christus, vera lux, non illuminat: sed cæcitas avaritiæ corda venalitate obfuscat? Quid enim propinquius totius Ecclesiæ destructioni?

PAUL. Planè non regitur sic Ecclesia, sed destruitur, ut ait Bernardus scribens super Cantica, sermone lxxviii. Non est hoc custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: non est instituere, sed prostituere: non est pascere gregem Dominicum, sed mactare & devorare; dicente Domino de illis: Qui devorant plebem meam, sicut escam panis. Nec rectores, sed destructores dici debeant, tam promoventes quam promoti.

PET. Ex his, ut apparet mihi, resultat unius membri veritas supra cap. iii. distinctionis jam præmissæ, quòd omnes sic promoti ad titulos, sicut eos injustè acquisierunt, sic semper cum salutis periculo detinent sic quæsitos. Sed redeundo ad propositum, jam declara, qui sunt qui justè quærunt titulos, & quæsitos justè tenent.

CAPITULUM VI.

In quo dantur quatuor regulæ, quibus cognoſcitur, quando proviſio tituli eſt ſimoniaca aut canonica: & declaratur, quomodo in proviſione ſimoniaca non datur titulus.

PAUL. In hac materia te breviter per quatuor regulas expediam, tota memoriâ perpetuò retinendas. Quarum prima ſit iſta: Juſtè intitulari quærit, qui intentione principaliſſimâ honorem Dei aut ſalutem proximi, finem conſtituit: & demum per media debita & canonica, de quibus ſuprà dictum eſt, ſcilicet canonicam electionem, legitimam patroni præſentationem aut ſufficientem perſonæ examinationem, & intervenientibus aliis requiſitis, de quibus ſuprà, obtinere quærit. Non enim ſufficit bonum finem intendere, niſi per modos & vias licitas & honeſtas fiat: hoc enim neceſſariò requiritur ad quemlibet actum ordinatum: & dico tam in ſuſcipiente, quàm in conferente. Secunda regula eſt iſta, quòd quantumcunque recipiens beneficium, honeſto fine motus intitulari queat ad beneficium eccleſiaſticum, per media debita & canonica: ſi tamen eo ignorante vel ſciente, conferenti per aliquem offertur pecunia, & conferens non habito reſpectu principaliter ad electionem canonicam, præſentationem aut valorem perſonæ, ſed ad pecuniam, aut favorem humanum, aut preces carnales, aut obſequium, &c. & propter hoc confert beneficium eccleſiaſticum, aliàs non facturus, nullum jus per hoc in dicto beneficio eccleſiaſtico eſt recipienti acquiſitum. Quòd hoc ſit verum, præter id quod inferius latius apparebit, videre poteris ex eo: quia quàm citò ad notitiam poſſidentis devenerit talis collatio, tenetur dimittere beneficium, ut in c. ex inſinuat. de ſimo. & ipſum ſine nova collatione non poterit obtinere; ut ibidem. Tertia regula, quantumcunque promovendus ad aliquem titulum eccleſiaſticum ſive beneficium, finem intendat bonum, utpota prædicare, ruinam Eccleſiæ reformare, & multa bona facere: ſi tamen in acquirendo non incedit per media debita juris, ut ſuprà, ſed per pactiones, ſolutiones, preces carnales, obſequium, promotiones, Principum adulationes, &c. & conferens, ut ſic etiam ſibi confert, ſcilicet propter pecunias principaliter & preces, &c. ut ſuprà: & partim propter Deum, ſeu virtutes perſonæ conjunctim, nec iſte confert titulum, nec ille ex tali collatione aliquod jus acquirat. Quarta regula: Licèt promovendus impetrando beneficium eccleſiaſticum, intendat finem principaliter inhoneſtum, utpota honorem temporalem ſeu mundanum, aut propter delicatam vitam deducendam, aut propter conſanguineos promovendos; ſi tamen eſt aliàs canonicè electus, aut idoneus juſto examine repertus, & per talia media canonica intitulari quærit, & conferens, ut ſic motus, ſibi conferat, quamvis ipſe recipiens propter depravatam intentionem peccat mortaliter, tituli tamen facta collatio tenet. Et idem eſt dicendum, ſi recipiens, quantum in eo fuit, proviſionem per ſimoniam obtinere conabatur, & voluit: conferens tamen non intuitu pecuniæ, ſed intuitu virtutum perſonæ contulit, &c. Et per has concluſiones ſeu regulas, ſi eas debitâ maſticatione conſideraveris, de infinitis caſibus in hac materia es expeditus. Nam aliquando quis quærit beneficium canonicè, & etiam quæſitum juſtè tenetur: ut dicitur prima regulâ. Aliquando juſtè quærit, ſed quæſitum injuſtè tenet: ut dicit ſecunda regula. Quandoque verò injuſtè quærit, & quæſitum tamen juſtè tenet: ut dicit quarta regula. Interdum autem juſtè quærit, & quæſitum cum peccato mortali, & ſalutis ſuæ detrimento tenet: ut dicit tertia regula.

PET. Valde horribilis & ſupra modum terribilis hæc tua videtur ſententia: & ſi bene adverto, non ſolùm promotos his temporibus in Romana curia, ſed quaſi totius mundi clerum videntur hæ regulæ condemnare. Quod quia non veriſimile eſt, quòd tanta multitudo beneficiatorum pereat, ut ſunt multi valentes theologi, ac utriuſque juris profeſſores, aliique viri literatiſſimi, tam promoventes quàm promoti, non tibi, tanquam in ſingulari opinione laboranti, conſentio: & maximè, quia in ſecunda & tertia regulis videris nimium delirare.

PAUL. Profectò, Petre, ſi quis ſolicitæ conſiderationis animo, quod dictum eſt amplectitur, non tam terribilis apparebit hæc ſententia, quàm vera: nec ſingularem me in ea reputo, quam notoria dicta Salvatoris, & ratio approbavit, necnon etiam Eccleſiæ inſtituta: nec multitudo errantium ac error multitudinis, ejus poterit veritatem aliquatenus immutare: & potius conſequendus eſt Chriſtus, qui eſt vera via & veritas, quàm tumul-

tumultus errantium quantumcunque peritorum. Audi canonem: Quia non minus ardebunt, qui cum multis ardebunt. ii. q. 1. multi.

PET. Rationabiliter utique hæc dixisti: sed ostende quæso hoc ex dictis Scripturarum, aut nominibus: ut si forte verum inveniam quod asseris, periculum damnationis evitabo.

CAPITULUM VII.

In quo declaratur veritas secundæ & tertiæ regularum multipliciter.

PAUL. Considerare oportet primò, Petre, Salvatoris dictum in Evangelio Johannis x. ubi dicitur: Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium: huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt. Quid autem sit ostium, quid ovile, & quæ oves, nobis dubitantibus cum Apostolis, exponit ibidem dicens: Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium: per me si quis introierit, salvabitur.

Conclude tu à contrario sensu: Si non per me introierit, damnabitur. His diligenter pensatis, considerandum est, quòd sicut ostium materiale est medium inter intrantem ovile, & aperientem: ita secundum rationem doctorum, & intellectum verum & per multa jura approbatum, Christus, qui est verum ostium (ut dicit textus Evangelicus) debet esse medium inter intrantem ovile, id est, titulum Ecclesiasticum: & inter aperientem, id est, conferentem. Hoc est dicere, quòd Christus debet esse causa collationis in conferente, & etiam receptionis in suscipiente, quod uterque facit propter Christum. Unde, si conferens non confert purè & principaliter propter Christum, sed propter aliam causam temporalem, ostium sine dubio non est apertum. Ex quo sequitur, quòd iste non intrat: & per consequens, non acquirit. Præterea conferens propter aliam causam, quàm propter Christum principaliter, utputa propter pecunias, propter consanguinitatem, obsequium, preces carnales, favorem patriæ, vel linguagii, timorem humanum (qui non cadit in constantem virum) vel favorem: ut adulationes mendacii, lenocinii, vel cujuscunque peccati, non solùm sibi conferendo titulum, sed dando causam aliunde ascendendi, facit ipsum furem & latronem; & per consequens, suæ damnationis participem. Patet hoc ex eo, quia ascendens aliunde est fur & latro, ut dicit Christus. Et ad idem est 1. q. 1. ordinationes. Ergo ex tali collatione non habet aliquod jus in beneficio: & per consequens, non aliquem titulum. Ex quo titulus non est aliud quàm jus spirituale in aliquo beneficio: ut suprà definitum est. Consequentia tamen videtur esse nota ex eo, quia si talis haberet jus sive titulum in beneficio, faceret fructus suos, & contrectaret rem suam, non alienam: & per consequens, non esset fur: cujus contrarium est veritas Evangelica. Confirmatur hoc argumentum optimè per c. gratia. 1. q. 1. Idem est dicendum, si confert partim propter pecuniam, vel aliam causam temporalem, & partim propter Christum: ita scilicet, quòd nec collaturus esset propter pecunias tantùm, nec solùm propter Christum, sed propter utrumque simul: sine dubio talis per ostium non intrat, & per consequens non habet titulum. Quomodo autem ratione naturali hoc probetur, patebit inferius, cum tractabitur de plenitudine potestatis Papæ. Præterea, jure canonico talis nunquam potest agere veram pœnitentiam pro peccatis, quamdiu non dimittit titulum seu beneficium taliter acquisitum: ut 1. q. 1. Si quis dator. & 1. q. 1. ordinationes, &, c. si quis neque sanctis: & ibi expressa per beatum Gregor. & c. siquidem. & 1. q. vii requirentis. Item ad idem est c. nisi cum pridem. de renuncia. quia necessariò sunt talia dimittenda, quæ etiam post peractam pœnitentiam impediunt executionem ordinis, aut beneficii retentionem: ut ibi, & in c. inquisitionis: de accus. Et dicit Gloss. ejusdem c. nisi cum pridem, super verbo illius: quòd simoniacus & intrusus non habent titulum, sed sint fures & latrones. concor. in hoc casu Jo. Teu. Vin. & Jo. Faven. & Jo. An. ibid. Item nec etiam salvari talis poterit, nisi pro viribus omnia restituat sic percepta Ecclesiæ, in cujus ignominiam talia sunt perpetrata, ut xvii. q. iv. si quis, matr. xxvii. q. 1. si quis rapuerit. Et de simo. c. de hoc. cum si. Quod utique non procederet, si illi fuisset aliquod jus quæsitum.

PET. Non sequitur, quod ultimò intulisti: nam suspenso ab officio, & etiam excommunicato, excommunicatione durante, subtrahuntur proventus beneficii: ut in c. pastoralis: & perceptos tenetur restituere: & tamen nihilominus retinet titulum beneficii illius.

PAUL. Ignorantia juris te decipit. Nam excommunicatus aut suspensus ab officio non perdit fructus ipso facto: & ideo ratione tituli, quem habet durante excommunicatione, fructus perceptos non restituit, nisi per sententiam judicis subtrahantur; quod innuit Inno. in dicto c. pastoralis. Translatio autem tituli in ipso collationis initio vitiatur modo suprà dicto, propter quod tenetur omnia restituere. Quæ enim malè inchoantur principiò, nunquam peraguntur bono fine, 1. q. 1. principatus.

PET. O Paule, cum exultatione animi jam tua dicta recipio, taliter declarata. Jam verè conspicio quamplurimos quotidie graviter delirare: veruntamen dic etiam specialius circa alias regulas, ut ipsarum veritas clarius patefiat.

CAPITULUM VIII.

In quo declaratur veritas quartæ regulæ: & datur ratio, quare non transfertur titulus, si datur simoniacè: & tamen si solùm recipitur, simoniacè tenet.

PAUL. Aliqualiter procedendo retrogradè, prius quartam regulam in ordine tibi taliter declarabo. Quilibet enim titulus beneficialis institutus est effectivè & finaliter, propter aliquod officium vel ministerium ecclesiasticum, ut honor debitus referatur Creatori: & ad hoc sunt fructus beneficiorum à fidelibus assignati, ut suprà circa definitionem tituli sufficienter audivisti. Si ergo aliquis perverso isto ordine suum honorem vel commodum temporale, &c. finem principaliter constituit, id quod debetur Deo sibi usurpando, quantum in eo est, Deo subtrahit: & per consequens, in aspectu ejus qui suam intentionem perversam clarissimè intuetur, est fur judicatus. Præterea talis illud temporale plus eligit, & per consequens plus diligit, quod sibi principalius finem constituit. Ex quo sequitur, quòd ipse suâ intentione à recta charitate recedit, cum illud quod est per se bonum & diligibile, dimittit: & bonum transitorium, quod est bonum per accidens, eligit: quod non nisi in ordine ad Deum debet diligi: & per consequens, veræ dilectioni contrarium faciens, peccat mortaliter, quia repugnat veræ charitati. Non nego tamen, quin propter temporale commodum assequendum, non tamen principaliter, licitum est beneficium ecclesiasticum postulare, seu prout est quoddam adminiculum ad salutem, vel in quantum proprio fini non deroget: propter quem illud beneficium est institutum: Et licèt hoc in actu suæ intentionis non habeat tunc quando promoveri quærit vel desiderat: sufficit enim quòd hoc habeat in habitu & virtute, scilicet quòd potius vellet eligere carere tali beneficio, quàm aliter facere, quàm secundum quod finis exigit, propter quem est tale beneficium finaliter & principaliter institutum.

PET. Usque nunc unam partem quartæ regulæ sufficienter ostendisti; placeat etiam modicum dicere de secunda. Quæ enim potest esse ratio, quòd mala conferentis intentio totum debet inficere titulum, ut dicebatur suprà in secunda & tertia regulis? Puta, cum confert principaliter propter pecuniam vel aliam rem temporalem: & tum mala recipientis voluntas hoc non potest vitiare, ut dicit secunda pars quartæ regulæ: cui dicto videtur expressè contradicere c. ult. de sim. ubi gloss. & doct. sentiunt quòd mentalis simonia non est simonia.

PAUL. Hæc est hujus ratio. Nam titulus beneficialis sive jus dependet ab actu conferentis, & non à recipiente, qui quoad hoc habet se purè passivè. Si ergo fundamentum actûs conferendi est infectum, id quod inde sequitur nullum est in effectu: fundamentum autem conferendi est sic, quoad hoc: quia potentia conferendi est ligata lege divinâ. Nam intentio Christi in Evangelio est, quòd verùm ostium aperiatur, & quòd non rumpatur foramen, ut suprà: alioqui si secus fieret, factum non valeret. Si ergo ea quæ contrà fiunt, debent pro infectis haberi, ut dicit regula juris, lib. 6. si hoc est verum de jure humano, fortius utique de divino. Et de hoc inferius latius apparebit. Quotiescunque ergo aliquod temporale, vel aliquod peccatum in recipiente existens, est causa collationis, ut adulatio, mendacium, lenocinium, aut aliud genus peccati, quo est data occasio conferentem præcisè movens, ut tale beneficium conferat, non alias collaturus: quia causa hujusmodi non est sufficiens movendi virtutem clavium ad actum conferendi, si tamen ea conferens nihilominus movetur, titulum non confert expeditè: qui non confertur, nisi virtute clavium; sed solùm quædam umbra apparet in opere, sed nulla veritas in effectu. Absit enim, quod Christianus dicat talem in peccando intrare per ostium Christi,

Christi, qui est via, veritas & vita: cum omne peccatum sit tortuositas, falsitas & mors. Si conferens movetur in conferendo virtutibus personæ, quia tunc Christus est ostium, titulus collatus tenet: quamvis recipiens, intendens illum simoniacè consequi, peccet: tamen postquam pœnituerit, & licitè beneficium recipiet & alia exercebit. Quod asseris mentalem simoniam non esse simoniam, dictum videtur derisorium: cum simonia vocalis nunquam esset simonia, nisi quia subordinatur mentali simoniæ. Non enim intentio verbis, sed verba intentioni deserviunt; de verbor. sig. in his. &c. intelligentia. Bene fateor, quòd non est peccatum criminale, id est publicè punibile per Ecclesiam. Nec obstat c. ult. de simo. quod loquitur, ad resignationem acquisitorum simoniacè non teneri, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente utraque acquiruntur: quod intelligitur, quando conferens, quamvis spem de aliquo recipiendo habuit, tamen nihilominus fuisset collaturus: vel quando de mala intentione pœnituerit, antequam contulit: vel quia non concluserat animo, quamvis recipere proponebat: vel loquitur in foro judicii contentiosi.

PET. Efficax est certè ratio: mihi tamen ex ea oritur hoc dubium. Nam liquet ex determinatione sanctorum doctorum, ac etiam Ecclesiæ, quòd quantumcunque propter pecuniam vel aliam rem illicitam, quis conferat sacros ordines, vel corpus Christi conficiat, vel baptizet, &c. dummodo intendat finem quem intendit Ecclesia, collatio taliter facta tenet, & recipiens recipit characterem, propter quod sacramenta etiam taliter collata non debent iterari.

PAUL. Potentia, ô Petre, ad efficiendum talia, non sic limitatur, quæ est indelebilis character, impressus animæ, quando adhibita forma statuta verborum, cum materia necessariò requisita, & intentione faciendi, sequitur effectus sacramenti. Illa autem quæ sunt jurisdictionalis exercitii, & in quibus character non imprimitur, nec certum de necessitate requirunt ordinem, facilius impediuntur. Unde nec ab hæreticis excommunicatis suspensis exercentur: & tamen ab eis collata sacramenta, vel confecta, non carent effectu. xxxii. di. ad hoc. quamvis executionem non conferant, qua etiam soli carent.

PET. De quarta regula & secunda, per omnia jam contentor: in quibus clarè conspicio, paucissimos habere justos titulos: & heu! infinitam multitudinem beneficiatorum, gravi damnationis præcipitio laborare. Progredere, si placet, ulterius, ad tertiam regulam, quæ videtur multum dura: & quoniam non solùm clerus, sed & populus per ipsam videtur magnis periculis involutus: igitur hoc loco edisseras, Utrum episcopi, & superiores eis abbates, & omnes alii quicunque beneficiati, sic promoti ad titulos ecclesiasticos, ut dicit tertia regula, aliquo modo salvari poterunt absque hoc quòd renuncient suis titulis taliter acquisitis: & utrum illa quæ faciunt, ratione hujusmodi tituli de jure subsistant.

CAPITULUM IX.

In quo declarantur duo. Primum, quomodo salvari non potest, qui beneficium per simoniam obtinuit, nisi illud dimittat. Secundum, de suspensione simoniaci in beneficio & irregularitate.

PAUL. Ni scripturæ & scripta doctorum me decipiant, veritas utique hoc cogit dicere, quòd tales, nisi renuncient, laborant quotidie in statu propriæ damnationis: nec aliquod aliud est remedium. Aliter enim, ut suprà dictum est, non poterunt agere pœnitentiam pro peccato sic commisso. xiii. di. nervi, &c. Ad hoc autem scriptura & jura canonica, ut evitetur sermonis prolixitas, non expedit allegare: quoniam concors in hoc omnium est sententia, & jura sunt valdè plana, & inferius plus patebit. Dicunt enim doct. Ray. Ulri. Jo. in Summis suis, & alii: Quòd si aliquis scit, vel credit, sibi collatum beneficium principaliter propter obsequia, sive preces carnales à se vel ab alio interpositas, debet resignare: quia hujusmodi preces, seu obsequia, succedunt loco pretii. Aliqui tamen volebant hoc esse verum, si ille non fuerit dignus, ut refert Gloss. in c. tuam in Domino: de æta. & qua. Secus dicunt, si dignus: quia tunc solùm pœnitebit de intentione corrupta. Sed salva reverentiâ, error est: quia tituli translatio non dependet à dignitate vel indignitate, seu pœnitentia recipientis. Si enim recipiens esset

quantumcunque dignus, & conferens non dignitatem personæ attenderet, sed preces aut promotiones Principum, vel aliud hujusmodi, nullus esset titulus, ut dictum est suprà. Sicut enim teneretur resignare, si adeptus fuisset per pecuniam, quantumcunque fuisset dignus: sic etiam eâdem ratione, si per preces, obsequia, vel aliquod aliud temporale, quia ista succedunt loco pretii. Hoc efficaciter probant verba beati Gregorii, in can. si quis neque. 1. q. 1.

PET. Concedo tibi, ubi ista succedunt loco pretii: ut, quia dominus qui tenetur alicui pro suo servitio sibi exhibito, dat ecclesiasticum beneficium pro satisfactione &c. aut cum prælatus dat consanguineo suo beneficium eo animo, ut domus sua vel parentela per hoc magnificetur, & per hoc ipse fiat potentior: qui illam gloriam sive potentiam sibi comparat per hujusmodi spiritualia, redditur his casibus simoniacus. Sed quando Episcopus suo nepotulo donat præposituram sive custodiam ecclesiasticam, &c. non habito respectu an per hoc ipse magnificetur vel sua progenies, sed quia est suus consanguineus: qui si non fuisset sibi ita propinquus, ei tale beneficium non dedisset: videtur quòd illa sanguinis propinquitas loco pretii succedat.

PAUL. Quoniam apud conferentem dicta consanguinitas non ordinatur in aliud, veluti in alio casu præmisisti: & ob hoc quanquam conferens hoc casu non dicetur simoniacus, quia nihil intendit per hoc accipere pro spirituali beneficio: tamen qui purè propter propinquitatem dat, aliàs non facturus, nullum transfert in eum titulum, ut superius est expressum.

PET. Perge nunc ad secundam quæstionem.

PAUL. Quo jure aut quâ ratione putas ut valeant facta per non habentem titulum: cum tam jure divino quàm canonico, nullam administrandi, utendi vel dispensandi recepit potestatem? Dicimus enim communiter in jure canonico, quòd omnis simoniacus ratione defectûs tituli justi, sive sit simoniacus in ordine sive in beneficio, est suspensus ab officio, ipso jure. 1. q. 1. reperiuntur. de accusa. inquisitionibus. Veruntamen de simoniaco in beneficio, doctores quoad hoc videntur differentes. Nam Innoc. & sequaces dicunt, simoniacum in beneficio curato vel dignitate occultum esse quoad se suspensum, non quoad alios. Secus de notorio. Goffr. verò, & Hosti. in suis summis, tit. de Simonia, quòd sive sit occultus sive notorius, sit suspensus, quoad alios. per c. dudum ij. de elec. Ubi dicitur, quòd talis decipit animas subditorum: simoniacus tamen occultus in simplici beneficio est suspensus, quoad se tantùm. Si verò est notorius, tunc etiam est suspensus, quoad alios. ut in c. quæsitum. de temp. ordi. Idem videtur sapere Gloss. in c. per tuas. ij. de simo.

PET. Hæc materia solidâ eget expeditione, quoniam quotidie practicabilis necessaria est, opinionibus hinc inde vacillantibus, nec usque modò sufficienter per aliquem expedita. Ad occurrendum igitur multis animarum periculis, in ea parte extende.

PAUL. Ad habendam ergo veritatem in hac materia, sic distingue. Aut loquimur de simoniaco in ordine aut in beneficio. Si primùm, quoniam ordo duo respicit, scilicet Deum, vel ea quæ immediatè Dei sunt, sicut divinum officium, xxi. di. cleros. xxv. di. perlectis. Secundò respicit hominem, scilicet in quantum sibi confertur. Primo casu, sive sit notorius sive occultus, est suspensus tantùm, quoad se, directè: quoad alios, indirectè. Quia alii possunt audire divina simoniaci manifesti, quousque toleratur: per ea quæ leguntur & no. in c. vestra. & in c. ulti. de coha. cle. & mu. Prohibemur enim solùm audire divina ab eo, ut verecundiâ tactus à peccato corrigatur. xxxij. di. ad hæc. ad finem. Si autem ordo respicit hominem, aut recipitur à simoniaco simoniacè, aut non simoniaco: si primum recipiens non habet executionem ordinis sic suscepti 1. q. 1. quibusdam. de simo. tanta. & c. penult. imò perdit executionem aliorum, non simoniacè receptorum. Si recipit à simoniaco, non tamen simoniacè, recipiens ordinis duntaxat recepti non habet executionem, cum nihil dat quod non habet. 1. q. 7. Diabertum. Et dico, sive sit simoniacus in ordine sive in beneficio, non dat executionem: & per consequens, ordinati ab Episcopis simoniacis in dignitate episcopali, non dico solùm in ordine episcopali, sed qui ad regimen Ecclesiæ per simoniam sunt ingressi, nullam ab eis recipiunt executionem. 1. q. 3. ea quæ. quia fur censetur: de elec. dudum ij. Idem no. per doc. in c. per tuas. ij. de simo. Si verò recipitur à non simoniaco, sed simoniacè recipiens caret executione omnino sicut si recepisset à simoniaco, ut suprà: & conferens simoniacè suspensus est triennio à collatione, quoad se tantùm, si est occultum. de simo. c. penult. Si autem loquimur de simoniaco in beneficio, in titulo ecclesiastico, de quo ad propositum; tunc aut consideratio est quoad Deum sive divinum officium: & sic quantumcunque notorius, dum tamen toleratur, est suspensus quoad se directè, quoad alios indirectè, ut suprà eâdem ratione. Excipiuntur in jure canonico baptismus & corpus

pus Chriſti, quæ conferuntur tempore neceſſitatis ſimoniaci. xxxij. di. ad hoc. Si autem quoad alios fit conſideratio, hoc dupliciter: aut loquimur in ſpiritualibus actibus, ut ſunt excommunicare, abſolvere, conferre beneficia, &c. aut loquimur in temporalibus, ut eſt emere, donare, alienare & ſimilia facere in temporalibus. Si primo modo, quia ritè & efficaciter non poſſunt exerceri talia ſpiritualia, nec in virtute Dei ſpecialiter ſive Spiritûs Sancti, ut 1. q. 1. ſic populus, cum multis ſeq. Talis autem ſimoniacus in beneficio, cum non habeat juſtum titulum, per conſequens caret virtute tali ſpirituali quæ datur homini in juſto titulo. Ex quo talis, quoad iſta ſpiritualia executionem non habet, dicitur non ſolùm ſuſpenſus quoad ſe, ſed etiam quoad alios: & hoc, ſive ſit occultus ſive manifeſtus, ſive toleratus per Eccleſiam ſive non. Non enim talis tolerantia dat ſibi jus exercendi talia, ſive coloratus titulus, vel opinio hominum communis: quæ non exercentur, niſi ut dictum eſt: quia Deus opiniones hominum non curat, cum omnia ejus ſunt clara. 1. q. 1. Spiritus Sanctus. xxxij. di. erubeſcant. xxiv. q. iij. Deus. Et opinio Hoſt. & Goff. procedit, de qua ſuprà. Si verò loquimur de ſimoniaco in beneficio, quoad temporalia, vel etiam quoad actus merè civiles, ut judicare, procurare, &c. tunc dico, quòd ille coloratus titulus & communis opinio adjuvans, validat omnia quæ fiunt, quamdiu talis toleratur ab Eccleſia, quamvis immiſcens ſe peccet. De elec. nihil eſt, & no. de reſti. ſpo. in literis. Et ſic eſt ſolùm ſuſpenſus, quoad ſe, ad talia exercenda: ſed non, quoad alios. Et ſic procedit opinio Inno. Jo. An. & aliorum ſeq. Et hoc operatur publica utilitas, quòd ea quæ per talem putativum judicem vel prælatum fiunt, valent. Quemadmodum dicimus de excommunicato occulto, per ea quæ no. in c. exceptionem. de except. &c. ad probandum. d. ſen. & re. judic. Conſtat autem, quòd ſi ſuſpenſus ab officio exerceat ea quæ ſunt ratione officii & officio accidunt: ſicut ſunt excommunicare, abſolvere, beneficia conferre vel ordinum executionem, &c. nulla ſunt ipſo jure, de conſue. cum dilectus, & ibi. per Jo. An. plenè. de exceſ. præla. c. ult. & in c. cùm inter. inde ſen. & re. judi. lib. 6. propter quod determinant doct. communiter, quòd nullo modo debent recipi ordines à talibus, quia executionem ordinis dare non poſſunt. 1. q. 1. reperiuntur: & in c. tanta. de ſimo. imò potius excommunicationem ſuſtinere debet: de hoc in Gloſſ. or. & etiam per Innoc. in c. per tuas. ij. de ſimo. Et probatur etiam in c. inquiſitioni. de ſen. exco. Inſuper eſt communis regula in jure canonico, quòd ſuſpenſione durante, ingerens ſe divinis, & miniſtrans in ſuis ordinibus, ſicut prius, efficitur irregularis. xi. q. iij. ſi quis Epiſcopus. ſecundum Innoc. & in c. niſi cum pridem. de renunc. de ſen. & re judi. cum æterni. & de ſen. exco. c. 1. &c. is qui. lib. 6. per Jo. An.

PET. Prædictis videntur expreſsè nova jura obviare, quibus dictatur, quòd quotieſcunque ſententia, &c. fertur à jure vel ab homine, Epiſcopi non intelliguntur ſuſpenſi, niſi ſpecialiter exprimantur: ut in c. ſi compromiſſorias. §. porrò. de elec. & in c. quia periculoſum. de ſen. ex. lib. 6.

PAUL. Jura præmiſſa locum ſibi vendicant in ſuſpenſionibus latis per modum ſententiæ, cum verbo Suſpendimus, &c. ab alicujus virtutis exercitio vel actu: qua ſuſpenſione ſublata vel relaxata, nulli repugnat exercere talem actum, qualiter non eſt in ſimoniaco: ex eo, quia quantumcunque tolleretur per prælatum ſuſpenſio, & ageretur pœnitentia quantacunque, perſeverante illo in beneficio per ſimoniam acquiſito, ſemper impeditur executio. per c. niſi cum pridem. §. in tua de renunc. & in c. inquiſitionis. de accu. cum ſimo. Præterea c. quia periculoſum, &c. præſupponit executionem pontificalis officii in Epiſcopis, à qua non debent ſuſpendi, niſi exprimatur in favorem pontificalis officii, & etiam ſubditorum. Illi autem qui quærunt titulos epiſcopales per ſimoniam, frequenter non ſunt Epiſcopi, ſed inferiores prælati vel canonici: igitur jura non obſtant. Epiſcopus enim jam conſecratus, eo ipſo quòd per ſimoniam aliquam ſedem Epiſcopalem vel Archiepiſcopalem ſeu Patriarchalem,&c.nanciſcitur, poſito quòd non eſſet ſuſpenſus per aliquam ſententiam canonis vel hominis, nihilominus ipſa notorietate facto capitali infamis: & per conſequens, irregularis Epiſcopus non eſt pro quolibet capitali crimine deponendus de jure communi: ut in c. ſi quis Epiſcopus. l. di. Et licèt quodlibet tale infamat, ut patet vi. q. 1. infames, &c. omnis. iij. q. 4. §. porrò. maximè tamen crimen ſimoniæ non ſolùm in ordine, ſed etiam commiſſum in adipiſcenda pontificali dignitate, &c. quia iſta tria parificantur, crimen hæreſeos, læſæ majeſtatis & ſimoniæ. xv. q. 3. ſanè: quilibet enim infamis eſt irregularis: ut no. Guil. in ſpec. ti. de le. §. juxtà vir infamis. & Jo. An. poſt eum. idem Jo. Teu. &c. Et hoc ſufficit, ſive ſit infamia facti, de accu. Epiſcopus. ij. q. 3. §. hinc colligitur. lxxxi. di. tantis Daniel. Nam talia crimina, ex quibus oritur hujuſmodi infamia ſeu irregularitas, etiam poſt peractam pœnitentiam, etiam in occultis impediunt ordinis executionem: ut dicunt prædicti doct. Unde conſueverunt aliqui notare, in c. ex tenore, & in c. ult. de temp. ordi. aliquas in

hac

hac materiâ regulas. Prima, quòd crimen enorme, quantumcunque occultum, etiam post peractam pœnitentiam, impedit ordinis executionem, & fortius impedit promovendum, nisi cum tali prius dispensetur: multò magis, si est publicum. Secunda regula: Mortaliter peccans, si est occultus, post peractam pœnitentiam, licet administratur & exequatur, & ad superiora ascendit: quia deleto peccato, deletur sequela peccati. Tertia regula, quòd publicè mortaliter peccans, hoc non potest propter scandalum subortum; propter quod eget dispensatione superioris: & tamdiu irregularis est, quamdiu cum eo non est dispensatum. Quarta regula est, quòd omne peccatum mortale, quantumcunque occultum & leve, ante pœnitentiam facit hominem irregularem, quæ irregularitas cum sua radice tollitur per pœnitentiam. Hæc secundum Jo. de lig. Idem no. i. dist. In summa.

CAPITULUM X.

In Quo declaratur, quomodo officiales, vel vicarii Episcoporum, vel aliorum intrantium per simoniam & familiares, sunt participes simoniæ: & omnes alii, qui participant in his quæ spectant ad titulum per simoniam acquisitum, sunt in statu damnationis, ut canonici, &c.

PET. Si comes est mihi ratio, clarè inspicio excommunicationes, institutiones, beneficiorum collationes, absolutiones, &c. in spiritualibus per simoniacos factas, non valere, veluti per suspensos: & stupore magno totus intra me commoveor ad tantam cæcitatem eorum, episcopatus, abbatias, aut alia beneficia ecclesiastica ambientium, quòd tanto studio properant: pro certo non aliud quærunt, quàm se laqueis suspendere æternæ damnationis. Sed quomodo tenendum sit etiam de vicariis, aut officialibus simoniacorum hujusmodi, an excusari valeant, quæso pro salute plurimorum jam edicas.

PAUL. Scriptum est: Nihil dat quod non habet: & nullus plus juris in alium transferre potest. quàm ipse habeat: ut dicit regula juris lib. vi. Cum ergo simoniaci nullum jus obtineant in beneficiis per simoniam acquisitis, prout satis superius est ostensum: quomodo executionem transferre possunt in aliquem, à qua & ipsi sunt suspensi? revera non video, nisi quòd ipsorum officiales & vicarii injustæ executioni se immiscent: nec eos à statu damnationis valeo excusare, quamdiu persistunt in officiis. Nam tales scientes fore simoniacos, ac verisimiliter præsumentes, eis in crimine simoniæ participant.

PET. Ex dictis, ut apparet, hoc inconveniens videtur inferri, quòd non simoniacorum hujusmodi officiales, verùm tota ipsorum familia, quinimò prælati & canonici illius Ecclesiæ, qui talem reciperent pro episcopo, prælato aut canonico, & sibi sua communicant consilia & auxilia, ex eodem capite in statu damnationis videntur laborare. Et quod gravius, fateri contrà oportet, quòd tota illa diœcesis, à qua sui status recipit sustentamenta, simili periculo subjacet: quoniam horum quilibet obediens participare videtur in crimine simoniæ.

PAUL. Omnes quippe, Petre, condemnare non audeo: nec etiam omnes valeo excusare. Sed ut brevi sermone perstringam, quid in hoc habeat veritas, hanc distinctionem diligenti animo ponderabis. Aut notorium est, puta per confessionem aut per sententiam judicis aut per evidentiam facti, talem esse simoniacum: aut non est notorium. Si primo modo, aut loquimur de familiaribus, aut de aliis. Si primum, dico, si tales familiares ejus suum impendunt servitium in his quæ spectant ad hujusmodi titulum per simoniam acquisitum, sive in spiritualibus, induendo eum pontificalibus, portando crucem, aut curvaturam ante eum, & quæcunque in Ecclesia vel extra disponendo vel ministrando, ut archiepiscopo vel episcopo: in temporalibus, ut procurando bona mensæ episcopalis, aut aliud quodcunque officium vel servitium in sua curia exercendo: omnes tales peccant mortaliter, quia participant in crimine simoniæ criminoso. Secus est, si procurarent sua bona patrimonialia sibi, vel in alio honesto servitio deservirent, quod non esset ratione simoniaci tituli. Si autem loquimur de aliis extra suam familiam, hoc dicunt: aut tales sunt personæ, quarum requiritur consilium, aut auxilium activè seu

ſeu cooperativè ad aliquid faciendum, quod incumbit ratione hujuſmodi beneficii ſeu tituli, ſicut ſunt prælati & canonici Eccleſiæ, & alii quorum interdum requiratur conſenſus, interdum conſilium, interdum auxilium reale: & tales omnes quotieſcunque dederint conſilium ut conſilium, aut talem pro epiſcopo, prælato, aut canonico receperint, ſive etiam ab eis illa ſuſceperint quæ ratione hujuſmodi tituli conferuntur, ut plebanias, & alia jura, beneficia eccleſiaſtica, aut auctoritatem audiendi confeſſiones, aut licentiam prædicandi & ſimilia, ſine dubio participes ſunt ſimoniæ. Si autem ſunt perſonæ inferioris ſtatûs, ſecus eſt: quia non activè, ſed potius paſſivè ſe habent ad hujuſmodi ſimoniacum ſuſtinendum, quorum reſiſtentia nullum effectum faceret. Hoc verum eſt, ſi non recipiant ab eo beneficia & ſimilia: quia jam hoc facto in vitium ejus conſentirent. Excipio tamen articulum neceſſitatis, in quo licet baptiſmum & corpus Chriſti à talibus recipere: ut in c. ad hoc verò. xxxii. di. §. porró. Ratio pro prædictis eſt hæc. Quandocunque aliquid prohibetur, prohibentur omnia quæ ſequuntur ex illo: de conſti. nam concupiſcentia. Cum ergo prohibita eſt emptio & venditio beneficii eccleſiaſtici jure divino, ut inferius apparebit, prohibita eſt conſequenter illius empti executio: & per conſequens, non poteſt dare beneficia, nec diſpenſare ſacramenta. Si ergo aliquis ſpontaneè recipit à tali aliquid illorum, jam conſentit in id quod eſt illi prohibitum: & per conſequens, eſt particeps peccati ipſius. Si verò crimen ipſius non eſt notorium, ſed ſolùm manifeſtum, ſive famoſum, ante penè occultum, inter quæ, quoad hoc non facio differentiam: quæ conſiſtit, quando eſt publica fama quòd talis ſit ſimoniacus, non tamen eſt evidens factum, ſed nec notorium omnibus, aut majori parti, ſed ſolùm paucis, vel etiam ſi non eſt fama: Et tunc aut loquimur de ipſis paucis ſcientibus, aut de illis non ſcientibus, ſed ſolùm credentibus. Si primum, aut illi ſcientes poſſunt hoc judicialiter convincere legitimè, aut non. Si primum, & hoc tunc potiùs debuerunt facere circa confirmationem, vel proviſionem, ſi fuerunt præſentes per c. conſtitutus: de appell. cum ſi. Si non fuerunt præſentes, tunc circa ipſius receptionem debuerunt excipere, & ipſius poſſeſſionis apprehenſionem elidere. per. c. accedens: de accu. Sed cum iſta facere neglexerunt, in ſuum & Eccleſiæ diſpendium: verùm. quia turpius ejicitur quàm non admittitur hoſpes: Nihilominus non debent dormire in hoc, ſed pro amotione ſui laborare.

PET. Graviter per hanc diſtinctionem me involvis. Qua fronte pro amotione hujus perſonæ apud eum laborandum videtur, qui hoc modo illum voluit promovere? Dic ergo in hoc conſultius, aut etiam quid executoribus, vel etiam ſubexecutoribus exorbitantium literarum, ſcientibus, aut etiam canonicis vel capellanis eſſet conſulendum, ut damnationis evaderent labyrinthum, quibus ſcribitur ut tali provideant, vel talem recipiant in prælatum, &c.

PAUL. Æſtimo, quòd ex præmiſſis poſſes edoceri. Nam cum ſimonia eſt lege divinâ prohibita, prohibentur omnia per quæ poſſit ad ipſius effectum perveniri: ut ſunt receptio & proviſio per regulam juris, cum quid. De re. jur. lib vi. unde ex quo principale ſc. proviſio nulla eſt, ut ſuprà: nec acceſſorium, ſed receptio, aut recepti proceſſuum fulminatio non eſt per regulam acceſſorium: libro vi. Et talis proceſſuum fulminatio non eſt divina celebrare volenti formidanda, ſcilicet in privato propter ſcandalum evitandum, dummodo conſtet de ipſius ſimoniaca proviſione. In quo caſu quilibet prædictorum potius deberet excommunicationis ſententiam ſuſtinere, quam utique cœleſtis curia non approbat, ſi non eſſent ad obviandum alia remedia, quàm ſic providendo vel recipiendo talibus Papæ obedire. probatur de reſti. ſpo. literas. de ſen. exco. inquiſitionem. & ibidem etiam per Innoc. &c.

PET. Et ſi quiſpiam, vel alicujus viduatæ Eccleſiæ capellanum poſtulanti ſe recipi, objiceret vitium ſimoniæ, & per conſequens ex hoc contractam irregularitatem & infamiam, & ob hoc causâ hujuſinodi ad curiam deveniret: nonne Papa de ſuæ poteſtatis plenitudine in eo hæc omnia poſſet extinguere & totaliter abolere? quo facto, obtineret jam intentum.

PAUL. Hunc caſum, Petre, in facto intellexi viros alicujus Eccleſiæ formidaſſe. Sed ignorantia juris tibi, Petre, in hoc dubium, ſicut & illis incuſſit hunc timorem. Clarè namque in hoc jura videntur contradicere, ſolicitè intuenti, cum talis nullo modo veram poſſit agere pœnitentiam in beneficio ſic obtento, ut ſuprà eſt oſtenſum. Et poſt quantamcunque pœnitentiam, non ſolùm impeditur beneficii retentio, ſed & ordinis executio: de accu. inquiſitionis. Imò ſi diceretur, quòd talis purgatio ſimoniacè non procedit eodem fonte ſeu cauſa, quia proviſio ceſſit: ſed Papa rationabilius ad diſpenſandum movebatur, & ad purgandum priora. Reſpondeo, quòd juris præſumptio eſt in contrarium, & de jure, quæ contrariam ſibi non recipit probationem: quoniam nec probari hoc poſſet. Simile de ſpon. Is qui.

PET.

PET. Nonne minus malum esset Papæ in talibus obedire, quàm excommunicationem, inhabilitationem, prævaricationem beneficiorum, &c. fortasse ab eodem sustinere?

PAUL. Probabiliter & scholasticè dici posset, quòd nec excommunicatio Papæ, &c. teneret in hoc casu. Et quamvis ex justa causa lata de jure teneat, si tamen intolerabilem errorem contineat, aut falsitatem causæ manifestam, non teneret, per ea quæ le. & no. in c. per tuas. & in c. sacro. de sen. exco. & c. ti. venerabilibus pe. lib. 6.

PET. Redeundo ad propositum tuæ distinctionis, dic de illis qui sciunt aliquem esse simoniacum, sed convincere non valent liquidè, quid juris sit.

PAUL. De ipsis loqui possumus dupliciter, secundum quod tales ipsis simoniacis contingit dupliciter participare: aut enim participant eis in talibus ad titulum per simoniam acquisitum spectantibus, in quibus de necessitate juris compelluntur, &c. aut loquimur de participatione in voluntariis nobis. Exemplum primi, ut sibi consulere in capitulo requirenti auxilium præbere, aut injunctum mandatum ab eo recipere, & executioni mandare, vel etiam secum cantare, &c. & tunc, aut ista fieri mandat in privato, & tunc enodatur silentio vel alio bono modo: quia qui scit eum habere non ingressum canonicum, plus certiorari non debet. Si autem hoc fit coram aliis, & non occurrit aptus modus excusandi se aut fortè ab illo non recipitur: obediendum est sibi, quamdiu toleratur ab Ecclesia. xi. q. in eorum. xv. q. ult. c. ult. vel qui fecit auctoritate juris, non peccat. xxiv. q. iv. qui peccat. Illa autem juris necessitas non excusat eos qui scientes, factum legitimè convincere valentes non resistunt, quia se voluntariè tali necessitati submiserunt. Si autem loquimur de his quæ nobis sunt voluntaria, utputa tali simoniaco servire, ut tali promoto, aut ab eo beneficia seu præbendas aut decimas recipere, aut aliqua hujusmodi, nullo modo licet: quia videremur sic illius turpitudinem facto approbare, ut suprà. Idem dicas de illis per omnia, qui licèt non habent certam scientiam, habent tamen probabilem credendi causam ex verisimilibus conjecturis seu suspicionem vehementem. Hoc probatur per c. inquisitioni. de sen. exco. cum si. Causa probabilis credendi colligitur ex qualitate personæ promotæ, dispositione curiæ & publica fama, &c. Et hæc pro primo Tractatu sufficiant, Domino adjuvante.

SECUNDA PARS PRINCIPALIS HUJUS TRACTATUS,

in qua multipliciter destruuntur scripta & dicta erroneæ & minus catholicæ Sorbonæ, cum præsertim in jure canonico, quæ videntur dare causam seu occasionem multis erroribus in Dei Ecclesia, & præsertim circa simoniam. Et continet quinque capitula. In primo capitulo arguitur, quòd Papa possit recipere pecuniam pro beneficiis ecclesiasticis: & plura jura ad hoc & dicta doctorum adducuntur, quæ dicta damnantur, & ad jura respondetur. In secundo capitulo, auctoritatibus sacræ scripturæ reprobatur prædictorum doctorum sententia: & probatur quòd Papa non potest recipere pecuniam in aliquo casu pro beneficiis: & quòd hoc etiam quoad Papam, est realis simonia. In tertio capitulo probatur id, quod immediatè suprà ex jure canonico auctoritate Generalis Concilii ponitur. In quarto capitulo convincitur idem quod immediatè suprà rationibus multipliciter, dato quòd nulla esset lex scripta. In quinto capitulo destruitur communis distinctio de simoniacis quia prohibitis, & de prohibitis quia simoniacis, ex jure canonico. Secundò declaratur, quòd nulla sunt simoniaca secundum sui naturam, ad intentionem illorum. Item quòd nulla sunt simoniaca quia prohibita, sed sunt ideo lege divina & etiam canonica prohibita, quia peccata simoniaca.

CAPITULUM. I

In quo arguitur, quòd Papa possit recipere pecuniam pro beneficiis ecclesiasticis: & plura jura & dicta doctorum ad hoc adducuntur, quæ dicta damnantur, & juribus respondetur.

PET. Non me quæso relinquas in ambiguo. Nam scripturæ rationes & jura superius adducta meam invincibilem mentem ligant. Econtrà video tot & tantos scribentes in jure canonico, etsi* injustas, simoniæ vitium in Romana curia excusare. Si tibi contra tantam doctorum multitudinem adhæsero, eos videbor arguere de errore, quod non licet secundum honestatem. Si contrarium fecero, præmisso non potero suffragari.

* Si ita habet vera lectio, tum verbum videtur esse, licèt novum pro [injustam ducis.]

PAUL. Conferantur quæstiones contrariæ adinvicem, scripturæque canonicæ debitè

bitè ponderentur: & quid in hoc veritas habeat, utique relucefcet: vel fortè videbitur, fi fumus diverfi tantummodo, non adverfi.

PET. En primum & maximum fidei meæ argumentum. Nam B. in gloff. or. de offic. dele. in c. experte: in gloff. ij. ponit hanc communiffimam diftinctionem fimoniæ, dicens, quòd quædam funt fimoniaca, quia prohibita, fcil. conftitutione Ecclefiæ. Quædam prohibita, quia fimoniaca de fui naturâ,quæ fcil. novo & veteri Teftamento prohibita funt ut, emere vel vendere facramenta. Hanc diftinctionem repetit de pact. cum pridem. in glo. fuper v. illuc pactionis. de jure jur. & fi Chriftus. in glo. quædam. & in, aliis. de fimo. Ad idem eft glo. or. in c. falvator. 1. q. iii. fuper v. judicem. Hanc diftinctionem recipiunt communiter doctores, fcribentes in jure canonico. Et fummiftæ, Ray. Wil. Jo. in fumma de cafibus, fuper ult. Bart. Pifanus, Hofti. &c. Simoniaca quia prohibita dicuntur, quæ folùm funt fpiritualia ex conftitutione Ecclefiæ, quæ à natura non fuerunt fpiritualia, quia non fuerunt ficut tituli beneficiorum ecclefiafticorum: & dicunt talia jure pofitivo inducta: quia tempore Apoftolorum non fuerunt decanatus, archidiaconatus & cætera. Sic fimiliter dicunt, ea vendere vel emere eft fimonia: eò quia conftitutione Ecclefiæ, emptio vel venditio talium eft prohibita. Et ideo dicuntur fimoniaca quia prohibita: & ideo dicit B. in c. cum pridem. præallegato, quòd excufat auctoritas Papæ, qui habet in talibus difpenfare.

PAUL. O Petre, quantam animarum multitudinem catervatim tranfmifit & tranfmittit ad infernum hæc fuperftitialis & damnanda diftinctio; quæ multis eft occafio, & viam aperit ad ruinam damnationis æternæ; folus novit, qui nihil ignorat. Quantum autem erroris aut veritatis habeat, inferius apparebit.

PET. Et qua temeritatis audacia afferis, omnes homines à veritate deviaffe: cum jura plura videantur fovere præmiffam diftinctionem, etiam ipfius fautoribus fuffragari? Quis enim dubitat titulos ecclefiafticos jure pofitivo inductos? Nam folus papa facit dignitates, inftituit prælatos,&,c. xxii. diftin. omnis. & in c. perlectis. xxv. di. Sed Papa recipit pecuniam pro talibus, & voluntas Papæ habetur pro jure: Infti. de jur. naturali. §. fed quòd principi. ix. q. iii. cuncta per mundum. &, c. per principalem. Unde fola voluntate tacita vel expreffa tollit jus, ut in Cle. quoniam. immuni eccle. de concef. præben. Unde propofuerunt. de cog. fpi. c. 1. lib. vi. item, Si doctor vel magifter in urbe Romana doceat, recipiendo pro doctrina immunitatem habeat, five percipiat falarium, five non, ut ff. de execu. tu. in l. græca fi duos. §. amplius. & ideo dixit Goff. & alii, quòd fimonia non habet locum in curia Romana, ficut nec lex Julia de ambitu, ff. ad l. Juliam de ambitu. l. una.

PAUL. Concordat namque in hoc famofus canonifta Hofti. in c. 1. ne præla. vi. fu. fub annuo cenfu, &c. Notando dicebat, quòd in fimoniacis, quia prohibitis, auctoritas & fcientia Papæ excufat vitium. per Gloff. ii. c. ex parte. de offi. dele. cum concor. Idem repetit in fumma c. ti. ne præla. vi. fu. §. in fumma. dicens, quòd l. Julia. ff. de ambitu, quæ punit eum qui fe eligi facit ad aliquam dignitatem, feu adminiftrationem, & in civitate Romana non vendicat fibi locum: quia princeps ibi eligit magiftratum, qui folutus eft lege. Ideo Jo. An. poft Goff. & Hofti. notavit in c. 1. de fi. & communiter alii dicunt ibidem, quòd Papa poteft vendere titulum ecclefiafticum: & omnes quotquot funt in hoc graviffimo errore concurrentes, habent refugium ad dictum c. ex parte 1. de off. dele. & ad dictam l. de ambitu. & ibi fuas hauriunt probationes tales quales. Sed falva tot & tantorum reverentiâ, uvas acerbas comederunt, fecundum fententiam beati Hieron. fuper Efaiam, fcripturas facras aliter intelligentes quàm veritas habet: & xxxvii. di. vino inebriantur. Quantis autem malis & hæreticis deliramentis paraverunt ingreffum hæc incauta fcripta & erronea, quotidie experimur tam in capitibus quàm in membris: cum tamen leges civiles adductæ pro contrario, & quæcunque fimiles, loquantur de dignitatibus & officiis fecularibus. Sicut enim multum inter fe differunt fpirituales res & temporales: fic etiam inter fe poteftates, dignitates, & officia ac jura fpiritualia & fecularia: ut in c. folite. de ma. & obe. Et ergo ab uno eorum ad aliud, non oportet femper valere argumentum. Nam ficut res temporales, in quantum ufui noftro deferviunt, funt in poteftate noftra, & ideo vendi & emi poffunt: fic fimiliter jura & officia & dignitates ordinatæ ad gubernationem, feu difpenfationem, quandocunque talium naturæ non repugnat quòd vendantur, fed foli conftitutioni principis. Sed contrarium eft: Spiritualia quæ in nullius dominio funt, nifi folius Dei, ficut funt virtutes fpirituales, quarum naturæ repugnat venditio, 1. q. 1. gratia. cum nullum pretium eft, quo æftimari poffunt: fic etiam jura, officia, dignitates quæ difponunt, vel inquantum verfantur objectivè circa talia, funt ejufdem naturæ, vel funt ipfæmet virtutes fpirituales: imò quilibet titulus ecclefiafticus eft quædam fpiritualis poteftas feu virtus ad exercendum aliquos actus fpirituales.

CAPITULUM II.

In quo auctoritatibus sacræ theologiæ vel scripturæ reprobatur prædictorum doctorum sententia; & probatur quòd Papa non potest pecuniam recipere pro beneficiis, & etiam quòd quoad Papam est realis simonia.

PET. Contentor utique de his quæ dixisti. Verùm si de mentibus simplicium conaris hunc errorem evellere, necesse habes prius curiensibus Romanæ curiæ sufficienter reprobare & penitus destruere hujus propositionis sententiam, in assensu quorundam eorum, aliorum verò in effectu firmiter radicatam: scilicet dicentium, quòd in simoniacis quia prohibitis, Papa potest facere, vel etiam dispensare, quòd venditio & emptio non sit peccatum.

PAUL. Quamvis falsitas dictæ propositionis firmata videatur multis scripturarum auctoritatibus, sanctorum doctorum expositionibus & canonum institutis: tamen quia scripturæ, &c. non expresè Papam nominant, forsan creditur ab errantibus, ipsum etiam sacris legibus non ligari. Igitur dicta falsitas principaliter declaratur penes tria, quæ Papæ habent restringere potestatem: scilicet lex divina, jus naturale, quod est lex omni creaturæ rationali indita, & auctoritas totius Ecclesiæ militantis, sanctis Conciliis generalibus, præsertim quatuor principalibus dedicata: scilicet Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino & Chalcedonensi. xv. di. Canones, & c. sicut. & sequen. Quoad legem divinam, patens scriptura est Matth. 10. ubi Salvator instruens Apostolos docuit omnes apostolici officii successores, dicens: Euntes autem prædicate, dicentes quòd appropinquavit regnum cœlorum: infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate: nolite possidere aurum neque argentum & pecuniam. Et non est dubium, quin secundum expositores, hoc dixerit non solùm de expressis in Evangelio, scilicet curatione infirmorum, suscitatione mortuorum, &c. sed omnia etiam alia dona sua gratuita, & effectus ipsorum sive ministerium, eâdem ratione includere voluit, sicut quodlibet exercitium potestatis ecclesiasticæ vel ipsammet potestatem. Quis enim dubitabit potestatem conferendi beneficia ecclesiastica, & ipsius potestatis actum vel officium, esse donum à Deo gratis acceptum, dicente Domino: Quodcunque ligaveris super terram, &c. & per consequens, gratis donandum vel dandum? Præterea ad idem, alibi legimus Christum dixisse Joan. 10. Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: de hoc suprà satis dictum est capitulo septimo, quod hic repete. Præterea etiam alibi scribitur Matth. 21. Mar. 10. Luc. 19. Et cum Jesus venisset Hierosolymam, intravit in templum Dei, & ejiciebat omnes ementes & vendentes in Templo, mensasque nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit, & dixit eis: Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Quo facto Salvator in materiali templo, secundum omnes doctores; verùm fortius in spirituali, quod est sibi plus acceptius (quia materiale est propter spirituale: & eadem causa prohibitionis est, quoad templum spirituale, quæ ad materiale, scilicet: quia domus mea domus orationis, &c. Et sicut dicit canon 1. q. 3. ex multis, exponens hæc verba Evangelica dicens, Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis: illud quoque in eodem facto solicitè considera, quòd per totum textum sancti Evangelii nunquam legitur Dominum tantâ severitate, tam districta censurâ peccantes corripuisse, cum non solùm eloquio increpans, verùm etiam facto flagello de funiculis verberans) omnes eliminavit de templo: apertè demonstrans, quòd tales negotiatores non sicut cæteri sunt corripiendi peccatores, sed à templo, id est, à sancta Ecclesia longius sunt projiciendi. Et ultrà subjungit: Nam sicut per columbarum venditores, illi denotantur qui sacramenta manûs impositione vendere conantur, sic per nummularios, ecclesiastici beneficii venditores designantur, qui domum Dei, teste Evangelio, speluncam latronum efficiunt: hæc ibi. Sic etiam beatus Augustinus intelligitur, cujus verba canon 1. q. 3. Salvator, sibi in auctoritatem adducit. Ubi subjungitur: Pensandum verò est, qua pœnâ mulctentur, qui jam Deo & Ecclesiæ suæ oblata vendunt & emunt, si cum flagellis à templo Dei ejecti sunt, qui Deo offerenda vendebant vel emebant. Si Deo offerendorum venditoribus & acceptoribus dictum est, Vos fecistis domum Patris mei domum negotiationis & speluncam latronum: quid dicetur de Ecclesiæ jam oblatorum venditoribus vel emptoribus? Qua ergo

ergo audacia excusatores simoniacæ hæresis putant se verum dicere, Papam nedum dispensare posse sed etiam tollere, ut simoniaca quia prohibita, & pro episcopatibus vel quibuscunque beneficiis ecclesiasticis pecuniam recipere, non video: nisi fortè pertinacitatis cæcitate vel cæcitatis pertinaciâ astruant, Christum non potuisse Papæ legem ponere: vel quòd Papa possit pro suo libito Evangelium immutare: vel forsitan sanctos doctores minus bene fecisse, dictum Evangelicum exponentes: & Ecclesiam Romanam hujusmodi intellectum approbantem, non solùm in prædictis canonibus, sed in multis capitulis aliis delirasse. Præterea nonne etiam in veteri Testamento legimus Balaam prophetam hujus criminis damnatione reprobatum, quando ad Balach regem Moabitarum proficiscenti, Angelus Domini evaginato gladio adversus eum in via apparuit? Num. 22. Præterea nonne legimus Giezi filium Elizei percussum leprâ, eò quòd pro effectu doni Dei gratuiti, scilicet sanitate impensâ per Elizeum ipsi Naaman, accepit argentum & vestes? de quo 4 Reg. 5. c. Et ex quo in veteri lege sic punitum sit hoc genus peccati, quanto magis puniendum est hoc tempore Evangelii, cum sint jam talia dona gratuita magis nota quam tunc erant? Præterea etiam aliud non omittam, ne videatur tibi, quoad hoc genus peccati, aliter de effectu sacramenti Ecclesiæ, & aliter de titulo beneficiali sentiendum: utputa tanquam circa secundum, & non primum, valeat dispensari. Allegatur factum Simonis Magi, quod nobis in hac materia quotidie adducitur pro exemplo: ut videatur, pro quo beatus Petrus Apostolus tantâ maledictione Simoni Mago exprobravit: legitur enim Act. 8. capitulo: Cum autem vidisset Simon quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Ex quo constat, quòd Simon gratiam non emere voluit gratificantem seu justificantem, quæ datur virtute sacramenti: sed potestatem sacerdotalem seu episcopalem, quam quilibet successor Apostolorum habet, seu prælatus Ecclesiæ, etiamsi sit in peccato mortali: & non solùm potestatem ordinis sacerdotalis emere voluit, sed etiam jurisdictionis quæ datur in isto titulo, Cuicunque manus imposuero. Et Simon Magus non emit hanc potestatem, sed eam emere voluit, & pro ipsa habenda pecuniam obtulit. Quid Apostolus respondit? Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimas donum Dei pecuniâ possideri. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.

PET. De his contentus quilibet esse debet intelligens. Verùm imperitus canonista nec sic sibi probatum reputat, nisi etiam autoritas Canonis adducatur. Quid etiam igitur est sentiendum ex vigore generalium Conciliorum, de quibus præmisisti, in medium jam proponas.

CAPITULUM III.

In quo probatur idem quod suprà, ex jure Canonico, auctoritate generalis Concilii.

PAULUS. Quantum autem ad statuta generalis Concilii, de quibus & eorum auctoritate, habetur 15. di. Canones, & per totum: hæc est quasi omnium doctorum concors sententia, quòd Papa non potest tollere vel dispensare contra ea quæ generalibus quatuor maximè principalibus Conciliis sunt definita. Unde dicit ille fœlicissimus Papa Gregor. in c. sicut. c. di. Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia hæc suscipere & venerari me fateor, & ipsa totâ devotione complector, ac integerrimâ approbatione custodio. Quia in his velut in quadrato lapide constructura sanctæ fidei consurgit, & cujuslibet vitæ ac communis actionis norma consistit. Cum itaque dare vel permittere pecuniam pro fructibus primi anni, ut conferatur episcopatus, vel quicunque alter titulus magni vel parvi beneficii, vel etiam pro signatura supplicationis, sit in Chalcedonensi & generali Concilio prohibitum, uno de quatuor principalibus Conciliis, quæ prohibitio canonizata est, & habetur 1. q. 1. Si quis Episcopus: ut ibi habetur in superscriptione ex concilio Chalcedonensi: & probat hoc idem Canon 1. q. 3. Salvator, nisi alioquin. & c. ex multis, & c. pervenit: qui canones ad probandam illicitam pactionem seu mercationem in beneficiis quibuscunque ecclesiasticis & aliis spiritualibus, referunt se ad dictum Concilium dicti c. si quis. Et ibi in c. ex multis: dicitur, quòd hæc sententia invenitur in secundo capitulo Chalcedonensis concilii. Et nisi hoc scelus esset fidei canonicæ contrarium, non tantâ execrationis severitate fuisset à sanctis patribus proscriptum & damnatum, quòd etiam hæresis nuncupatur. 1. q. 1. Petrus. & c.

M 2 cum

cum omnes, &c, c. eos qui. In quo dicitur, Tolerabilior est Macedonii & sequacium impia hæresis, qui asserunt Spiritum Sanctum creaturam, & servum Patris & Filii. Isti autem venditores & emptores spiritualium efficiunt Spiritum Sanctum servum suum: quod sic probat: Sicut enim vendens vendit id quod possidet: sic & emens emit, volens esse dominus ejus quod emit, &c. Et consequenter ibi probatur, quomodo tales sunt blasphematores Christi, cum illis Judæis dicentibus, In Belzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia: Matth. 12. & traditores, cum Juda qui Christum tradidit: Matth. 26. Quod nisi etiam esset contra statum universalis Ecclesiæ, quid putas quòd tanta solicitudine sanctorum patrum fuissent tot solennia Concilia, totque Canones prohibitionis super hoc prodiissent, & sanctorum doctorum (quoad hoc) tanta copia scripturarum, necnon tot decretales epistolæ ad diversas partes mundi emanassent, ut liquet hæc omnia intuenti, si Papa contrarium posset facere pro suo libito voluntatis?

PET. Ex quo quæso capite glossator Bern. & quamplures alii hanc scribendi sumpsere audaciam? & ut jam conspicio, non sine gravi animarum periculo apparent contra divinæ legis eulogia, Papæ laxantes potestatem, & legibus civilibus conantes humana ratione determinare contrarium Evangelicæ veritati. Ut igitur magis ac magis hujus erroris falsitas appareat, ad roborandum prædicta rationibus jam ostende.

CAPITULUM IV.

In quo convincitur idem rationibus quod in duobus præcedentibus capitulis multiplicatur.

PAULUS. Quantum ad tertium, scilicet jus naturale, intrando hanc materiam profundius, gratia majoris contemptus & opprobrii tanti sceleris, cesset gratia argumenti, cujuslibet legis scriptæ prohibitio, adhuc ipsum vivens ratio abhorrebit. Ubi pro clariori intelligentia advertendum est, quòd circa personam Papæ, vel potius circa gerenda per ipsum, considerari expedit, unde sibi hæc tanta potestas quam habet, & propter quid est? Et apud Christianum non est dubium, eam causativè & principaliter non esse ex homine, sed solùm dispositivè, in quantum electionem canonicam, tanquam dispositionem prævìam, sequitur spiritualis potestas, efficiente Christo. Juxta illud Matthæi xvi. Quodcunque ligaveris super terram, &c. Et hæc potestas sunt illæ claves, quas Christus Petro promiserat, inquiens: Tibi dabo claves regni cœlorum, &c. Quare autem hæc autoritas sive potestas Apostolica dicebatur Claves in plurali, dictum est suprà, prima parte, capitulo quarto. Hanc potestatem seu clavem, Magister Sententiarum in 4. dist. 18. sic describit: Clavis est potestas ligandi & solvendi, qua ecclesiasticus judex dignos recipere & indignos excludere debet de regno Dei. Aliter etiam præconsiderandum est, quid est Papæ datum: secundò, quis dedit: tertiò, cui datum est: quartò, propter quid datum est. Ex his consideratione debitâ masticatis, clarè juris propositi veritas lucebit. Quia non est rem perfectius cognoscere, quàm per suas causas: quia sicut se habet res ad esse, ita se habet ad cognosci. Pro primo igitur notando constat, in Papa, etiam à jure potestatis magnitudinem esse nullo humano ingenio acquisibilem: alioquin potius hujusmodi potestatis virtus fuisset in philosophis quàm in Papa. Nec etiam habetur per assuefactionem, quemadmodum virtutes morales & virtus scientiarum acquiruntur: quia plures contingeret, maximè devotos Monachos & studentes, habere hanc virtutem. Nec inest à natura specifica, quia sic omnis homo eam haberet. Nec ex complexione corporum accidit, quemadmodum accidentia corporalia sequuntur complexiones: quia multi essent ejusdem potestatis. Et breviter, jura etiam de electione Papæ supervacuè laborarent. Nec etiam est ab hominibus principaliter, s. ex electione: quia electio nihil dat quod non habet, nec etiam posset tali potestate aliquem effectum spiritualem efficere, sicut absolvere, cum ad hoc humana virtus non sufficit, & nihil agit ultra propriam virtutem, ut dicunt philosophi. Igitur necesse est dicere, talem potestatem esse donum Dei: & quia sine aliqua commutatione vel prètio, pugnat pretii æstimatio, dicitur gratuitum: non tamen gratificans, sive gratia, quod est idem. Si enim, inquit Apostolus, gratia ex meritis est, jam non est gratia: sed quia non datur gratis, sed propter merita: & quia per naturam acquiri non potest, dicitur supernaturale. Et quia ad

ad perfectionem spiritus humani sive animæ servit per se, & principaliter, dicitur & est spirituale. Causa autem materialis, sive subjectum capax, etiam requiritur: ut sicut humana potestas, quoad esse sui, ex quatuor generibus causarum constituitur, sic etiam habet cognosci. Et ergo referendo singula singulis, potest sic notificari & describi: Potestas Apostolica est donum Dei, gratuitum per se, non gratificans humanæ naturæ, supernaturaliter infusum per se & principaliter ad perfectionem humanæ animæ vel animarum destinatum. Hoc donum & alia dona gratuita, & eorum exercitia, sive actus pariter & effectus, jussit Salvator gratis dare: Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date.

Præterea adhuc prænotandum est, quòd sicut Deus est causa productiva omnium citra se, sic etiam causa finalis omnium. Et ita omnia sunt & agunt propter ipsum, & desiderantur propter ipsum: solus ipse est sui ipsius gratia, & ens liberrimum, ut habet videri per Philosophum primo Metaphysicæ, & in multis locis philosophiæ. Insuper, sicut omnia agunt propter illum finem, sic etiam appetunt ulterius & ulterius perfici, & se sibi assimilari & appropinquare, in quantum unumquodque secundum suam naturam potest. Imperfectius autem se appetere horret quælibet creatura Hinc est quòd aliquis dicitur plus vel minus perfici, de quanto plus vel minus assimilatur vel appropinquat in ordine perfectionalis lineæ, ipsi Deo ultimo fini. Et habet alibi videri: hæc incidenter dico, propter finem descriptionis Apostolicæ potestatis. Sic etiam est in genere accidentium. Accidentia quæ plus faciunt assimilari vel appropinquari ultimo fini, perfectius subjectum perficiunt, & sunt perfectiora. Unde accidentia spiritualia, ut sunt virtutes morales, scientiæ & dona supernaturalia, sunt longè perfectiora accidentibus corporalibus: ut nigredine, albedine, &c. Spiritualibus adhuc differentibus. Nam aliqua eorum plus faciunt fini assimilari, quàm alia: ut potestas Apostolica, vel ecclesiastica, quæ solùm datur militantibus sub lege Evangelica, quæ est super omnem legem. Verùm, quoniam hæc potestas convenit bonis & malis prælatis, non ita perfectè assimilat Deo summo bono, sicut gratia gratum faciens, sive charitas, quæ est omnium accidentium perfectissima, & finis, ut dicit Apostolus primæ Corinthiorum 13. Major autem horum est charitas. Hæc enim non solùm Deo assimilat, sed unit & incorporat sibi, ut legitur prima Johannis 4. Qui manet in charitate, in me manet, & ego in eo. Et hæc quamvis sit ultimum in genere perfectionis accidentium, tamen in omni operatione ordinata & meritoria debet esse primum: quia finis est primum in intentione & ultimum in executione: ut in ædificatione castri, cujus finis est secura ab insultibus inimicorum habitatio: cujus habitationis amore non solùm ædificatio, sed omnia quæ ad ædificationem juvant & administrant, amore finis principaliter intenti, diliguntur. Ad propositum, potestas ecclesiastica quamvis spiritualiter per se perficiat, est tamen conferenda & retinenda amore finis, propter quem est à Domino destinata: quia est ministerialis virtus ad ipsam charitatem seminandam & conservandam in corpore Christi mystico. Ad propositum principale redeundo, certum est, hanc Apostolicæ potestatis gratiam esse donum Dei gratuitum, seu gratis datum, & gratis dandum: quia hæc est ejus natura, ut dictum est. Cum ergo aliquid pro ipsa, vel ipsius actu recipitur, &c. natura ipsius gratiæ, quantum in emente vel vendente est, tollitur: quia venditio excludit gratitudinem, ut dicunt etiam leges civiles. ff. de contrahen. empt. l. ij. §. sine pretio. l. c. empti fides, &c. Secundò arguitur. In vendente hujusmodi dona Dei, duo est considerare, quæ concurrunt in tali commutatione. Unum, quod est: suum quodque est sibi & cuilibet homini naturale, scilicet benevolentiam exhibere alteri. Hoc lex naturæ rationalis dictat. Aliud verò, quod non est suum, sed Dei specialiter: scilicet tale donum, quod est sibi commissum ministrare gratis, ut suprá. Cum ergo recipiens vel petens pecuniam pro actu, sive exercitio dictæ suæ potestatis aut recipit pro primo quod est suum, pro benevolentia: aut pro secundo, scilicet actu potestatis: aut pro utroque, & quocunque modo, sic est contra ordinem naturæ facere.

Si enim recipit pro alieno, peccat multipliciter. Primò, contra naturam doni: item contra fidelitatem ministerii sibi commissi: item nobilem rem pro vili commutat: item rem in alium finem ordinat, scilicet pecuniam, quàm illa res fuit destinata. Si verò vendit benevolentiam, quam naturaliter gratis exhibere debet, ipsius benevolentiæ contra se provocat autorem, ut justo judicio, hujusmodi ingrato nulla benevolentia fiat. Et quia legem naturæ pervertit vendendo id quod ex ordinatione summæ sapientiæ gratis exhibere debet, derogat ipsi sapientiæ divinæ: quia alium suis donis nititur dare ordinem, vendendo illa quæ naturalis ordo vendi prohibet; acsi sic non esset bene ordinatum: & per consequens, per auctorem ordinis rerum justissimè puniendus. Præterea

sumendo

ſumendo rationem à cauſa efficienti principali, arguitur ſic: Cum enim ipſe auctor omnium divitiarum nullo indigeat, quia omnia ſunt ſua, omnia habet, cum ſit ſummè dives: non indiget ſuorum donorum tali commutatione vel venditione, pro alio bono quocunque: nec etiam voluit ea dare, niſi gratis; quia hoc ſuæ repugnat liberalitati, cum ſit ſummè liberalis: nec voluit ea ſervari apud eos quibus dantur, quia hoc repugnaret divinæ ſummæ magnificentiæ: & dicunt philoſophi: Bonum quanto plus commune, tanto plus divinius. Et quia naturaliter omnis artifex diligit opus ſuum, maximè tamen Creator hominis, quem fecit Dominus ad imaginem ſuam, repugnare videretur ejus pietati & naturali juſtitiæ, uni ſe velle communicare & non alteri: nec decet honorem ſuum & magnificentiam minui ſed augeri. Et etiam ex quo contractus venditionis propter indigentiam hominum inventus eſt, mercator ſpiritualium donorum facit ſummè divitem Dominum egere & tali lucro indigere, & per conſequens maculat gloriam ſuam. In eo autem quod iſto modo diſponit, detrahit ipſius ſapientiæ quæ alio modo diſpoſuit. In eo autem, quòd non vult ſua dona dare gratis, detrahit ipſius ſummæ liberalitati. Et quia apud ſe ſervat tale donum, & aliis non communicat, detrahit ſuæ magnificentiæ, & minuit ſuum honorem & gloriam, occultat pietatem patris ad filios adoptionis, negat fructum ſalutiferæ redemptionis, pactum infringit divinæ promiſſionis, dilectionem creaturæ ſubtrahit ſui conditoris, propter quæ omnia Majeſtatis divinæ ſummus honor & gloria ſe exinanire voluit, & uſque ad effuſionem ſanguinis & mortem turpiſſimam ſibi filius Dei non pepercit. Præterea attende etiam, cui datur hæc poteſtas ſpiritualis, quæ ex præmiſſis eſt donum Dei gratuitum: & quod miniſtrari debet aliis, & gratis, ſine aliqua commutatione. Quid aliud concluditur, quàm quòd is cui datur, non dominus, ſed miniſter eſt dictæ poteſtatis ac diſpenſator ſive executor, vel etiam inſtrumentum per quod illa poteſtas ſive doni virtus ſpiritualitatis habet exercere operationem? hoc Salvator notabiliter expreſſit Matth. 10. Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes ipſorum poteſtatem habent eorum: non ita autem eſt in vobis; ſed quicunque voluerit fieri major, erit ut miniſter: & quicunque in vobis voluerit fieri primus, erit omnium ſervus: Nam & Filius hominis non venit ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis. Idem Lucæ 22. Simile eſt autem, ſicut in aliis virtutibus organicis: ponatur enim, quòd potentia viſiva debeat ex ſe actum videndi producere: ſed organo oculi utitur pro inſtrumento, inſtrumentum autem ex ſe non poteſt.

Ex quibus colligitur, quòd talis nihil habet ibi dominii, ut ſcilicet quòd poſſit aliter pro voluntate ſuâ facere, quàm nudum miniſterium exhibere, per nudum verbum. Non excludo cognitionem cauſæ, &c. ſed ſolùm voluntatem ſine cauſa ſimpliciter in conferendo, non in cui dando. Cum ergo confirmare electionem, providere de epiſcopatu, abbatiâ, prioratu, canonicatu, plebaniâ, aut de quocunque beneficio eccleſiaſtico, eſt ſine dubio actus poteſtatis Apoſtolicæ, ſeu operatio propria doni Dei gratuiti, ut dictum eſt (pone enim pro poſſibili, quòd illa virtus ſeu poteſtas tollatur ab eo) amplius quicquid faceret, ut Papa, non valebit, ut notum eſt.

Similiter ſuper pluralitate beneficiorum diſpenſare, vel quomodolibet aliter abſolvere, &c. quotieſcunque Papa vel alius recipit pecuniam, pretium, obſequium vel favorem, &c. pro actu hujuſmodi conferendi, diſpenſandi, abſolvendi, aliàs non facturus hoc: non videtur jam, nec eſt nudus miniſter ſive executor dictæ poteſtatis Apoſtolicæ; ſed pro libito ſuo ſic faciens, uſurpat in eo ſibi dominium: & per conſequens, injuriam facit vero domino.

PET. Fac me clarius hoc intelligere quod immediatè nunc diſtixi. Non enim videtur pecunia recipi pro poteſtate Apoſtolicâ: quia illa non poteſt transferri in alium de Papa, niſi ipſe deponeretur; nec pro actu ſive exercitio poteſtatis ejus: quia illud eſt citò tranſiens, non permanens. Datur ergo pecunia pro beneficio reali, ſcilicet epiſcopatu, præpoſitura, &c. quod nec eſt poteſtas Papæ ſpiritualis, nec actus ejus.

PAUL. Reſpondeo ad hæc, primò philoſophicè, quòd talis ſeparatio non poteſt eſſe in cauſis ſibi invicem eſſentialiter ſubordinatis: quoniam vendito uno, venditur reliquum. Quemadmodum poſitâ tali poteſtate, cum tali actu dandi tanquam cauſâ efficiente, neceſſariò ponitur cauſa finalis ſeu objectum formale, movens virtutem ad actum, ſcilicet id quod datur, & econtrariò. Vel aliter, & groſſius, ſic reſpondetur: Certum eſt quòd Papa non habet aliquod dominium, quòd poſſit ordinare vel quomodocunque diſponere in beneficiis vel in rebus eccleſiaſticis, niſi tali jure, ſcil. ſpirituali poteſtate, ut dixi, nullam penitus habet diſpoſitionem in eis, ſicut nec alia privata perſona. Ergo dans alicui beneficium eccleſiaſticum, dat ſeu transfert in eum id quod ſuum eſt, in tali beneficio: & quia ſuum nihil eſt niſi poteſtas ſpiritualis, quâ ſibi illud beneficium ſubjicitur,

citur, & non aliter, ergo talem potestatem spiritualem sibi dat: & quia intuitu pecuniarum, igitur, &c. Nullus enim bonus emptor emeret aliquam rem, nisi jus illius rei quo venditor eam possideret, transferretur in eum. Et allegamus quotidie, quòd nemo plus juris in alium transferre poterit, quàm ipse habeat. de reg. jur. 1. regula. lib. 6.

Præterea talis venditor tituli beneficii ecclesiastici, vendit non suum sed alienum, ad quod ipse solùm est minister seu instrumentum. Igitur pretium quod inde recipiet, non erit suum, sed ejus cujus res venditur, scilicet Dei. Et quia in ejus utilitatem non convertitur, qui cum sit honestissimum & sufficientissimum bonum, utique illo non indiget, quod solum propter nos creavit: ergo si in privata commoda convertitur, res contrectatur aliena invito domino.

PET. Consueverunt pro hoc respondere in curia, hujusmodi sanctorum canonum Glossatores: quòd talis pecunia convertitur pro bono communi & reipublicæ necessario: scilicet primò fuit pro ædificatione castri sancti Angeli, Capitolii Romani, pro egestate armorum: in finem, ut bona temporalia Ecclesiæ, civitates, castra, villæ, &c. per tyrannos occupata, ad possessionem Ecclesiæ reducantur, possessa teneantur, & inimicis Ecclesiæ fortius resistatur: quòd non esset Ecclesia Romana in bonis, interdum etiam in personis, periculum pateretur.

PAUL. Profectò hæc simoniaca objectio excusare non videtur, sed potius paciscentium turpitudinem allegare. Putasne victimare filium in conspectu patris: & quâ ratione creditur ordine perverso obsequium præstandum Deo, cœlestibus terrena, & spiritualibus temporalia hoc modo præponendo? Præterea & idcirco quartum & principaliter, à fine propter quem, rationem sumendo arguitur sic: Quotiescunque aliquid sic eligitur, appetitur, donatur propter aliud, illud aliud, propter quod fit, magis eligitur, appetitur, diligitur, &c. per regulam consequentem physicam: Propter quod enim unumquodque tale est, & ipsum magis tale. Quis enim dubitabit, terminum viæ ad quam attenditur, esse appetibiliorem, quàm ipsam viam, cum via nec esset, nec desideraretur, nisi propter talem terminum attingendum, ad quem illa via ducit seu dirigit? Sed certè episcopatus, abbatias, prioratus, præposituras, canonicatus & quæcunque alia beneficia, quæ sunt per se primò fundata pro laude & gloria Dei & spirituali profectu Christi fidelium, ut suprà patet, dans seu concedens talia seu personas de uno loco ad alium transferens, &c. propter pecuniam habendam, sive talis pecunia ordinatur in finem, ut releventur, ditentur & sublimentur propinqui, parentelæ suæ, in finem & effectum, ut bona temporalia etiam ecclesiastica defensentur, &c. ut dicit tua præcedens objectio, ut etiam facti veritas jam longo tempore declaravit prædicta. Conclude ergo ex præmissis necessariò, quòd pecunia plus eligitur, appetitur & diligitur: & per consequens, parentela vel bona temporalia, etiam ecclesiastica, quàm honor, laus & gloria Dei, & profectus spiritualis proximi & Christi. Nisi fortè velles iterum dicere, quòd talia beneficia non sunt per se & principaliter pro honore Dei, &c. quia tunc, quamvis consequentia esset bona, tamen minoris assumptum esset falsum. Cui objectioni respondent sufficienter canones, quoad primum minoris illius dictum, 1. q. 3. Salvator. & c. ex multis. &, c. res Ecclesiæ, & alii plures, talia dona esse Dei: ideo, quia à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur. Ecce finis principalis: quemadmodum à Deo gratis accipiuntur, ideo gratis dari debent. hoc in c. Salvator. Et etiam ubi, quæso, legimus Christum tantâ solicitudine injunxisse Petro curam tantam de castris & bonis temporalibus? quantâ maturitate etiam usque ad trinam interrogationem & responsionem fuit illud dictum, Pasce oves meas? Aut quomodo potestate ligandi & solvendi sibi tradita, voluisset Christus Petro ditare consanguineos suos, qui dixit: Veni separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam, & inimici hominis erunt domestici ejus? Item: Qui amat patrem suum aut matrem suam plus quàm me, non est me dignus. Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus, Matth. 10. & alibi legitur cuilibet menti cultæ valdè notabile: Qui non odit patrem & matrem propter me, non potest meus esse discipulus. Si ergo non discipulus, quomodo summus Apostolus erit? Non ergo videtur negandum fuisse antecedens: & per consequens, nostri argumenti illatum consequens concedendum & fatendum.

PET. Ligat me fortiter argumentum hoc, veruntamen ex eo resultat dubium. Videtur inferri posse, quòd non liceat aliqua temporalia vendere vel commutare. Ratio, quia finis primò & principaliter omnium est Deus, & omnia agunt propter ipsum, ut dictum est: non licebit ergo ea in alium finem ordinare: & per consequens, rem temporalem, ut equum, villam &c. non licebit pro pecuniis, nec econverso pecunias pro ipsis dare. Alioquin sequi videtur, quòd villa seu pecunia plus diligitur quàm Deus, qui est finis illorum. Imò videtur ex præmissis, quòd bona temporalia beneficiorum non possent vendi:

vendi: quia talia purè propter Deum tanquam finem principalem, & per se primò sunt deputata.

PAUL. Res temporales sicut dupliciter se habent, ita dupliciter considerantur: primò, inquantum sunt naturales & naturalium operum productivæ: vel etiam inquantum sunt essentiales causæ & effectus inter se. Et hoc modo considerando, res temporales non sunt in potestate nostra, quin placeant vel displiceant nobis: exercent enim suas operationes, ut secundo Ethicorum circa principium: & ut sic sumptæ, neque commutari per nos eorum natura potest, nec etiam vendi vel emi possunt. Alio modo considerantur, prout inter se sunt causæ & effectus per accidens, prout una aliam perficit accidentaliter. Una enim quæque res secundum naturam suæ speciei est sic perfecta, quòd non plus perficitur: accidentaliter tamen plus & plus perfici potest. Unde equus est causa per accidens perfectionis hominis, quia perficit hominem accidentaliter: homo enim ex se indispositus est ad movendum se in brevi tempore per longum spatium: sed quando equo utitur, defectus humanus seu imperfectio suppletur. Sic suo modo vestimento, castro, &c. Et hoc modo considerate in quantum defectus humani supplementa & utilia sunt, in potestate nostra est eis uti vel non: & per consequens, commutari pro alio utili. Omnia enim ista ad usum humanum sunt creata, dicente Propheta: Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Sic etiam bona temporalia beneficiorum, quamvis sunt data Deo prima animi destinatione, non tamen per se & immediatè sunt destinata seu ordinata, quantum est ex parte materiæ donatæ in eum usum. Quod patet, quia prout sunt naturalia, non sunt in potestate nostra: & per consequens, sic dari non potuerunt. Ergo prout utilia homini, sic ordinari in Deum res per se non possunt, quia Deus non utitur, nec potest uti eis: quia hoc est perfectionis accidentalis, & imperfectionis utentis, ut dictum est: quia sunt remota à Deo: ergo oportet dici per accidens, scilicet in quantum actu, sive ministeriali usu, aut usuali ministerio suo disponunt aliquem ad finem ab ipso donante destinatum: & habent se ad spiritualem perfectionem, sicut candelabrum sustentans candelam se habet ad lumen: & sic potest fieri eorum commutatio pro alio sustentante vel utili.

PET. Potest adhuc contra prædicta fortiter objici, sicut aliqui dicunt, putantes bene se utique respondere, quòd Papa non recipit pecuniam pro beneficiis, sed pro fructibus pro se reservatis.

PAUL. Si hoc est verum, fateri oportet, quòd omnis cui Papa confert beneficium, non habeat titulum beneficii, nec debet episcopus dici talis Ecclesiæ præpositus, vel canonicus, &c. nec debent exercere ea quæ sunt officii illius beneficii: & quia quilibet talis gerit se nomine, re & facto, pro tali beneficiato, cujus beneficii fructus hoc modo, scilicet emptionis, percipit. Ergo quilibet talis, & taliter beneficium de manibus Papæ recipiens est fur & latro.

Insuper Papales literæ super talibus provisionibus confectæ, patentissimè declarant contrarium, ubi providendo personæ instituuntur, & institui mandantur. Instituere autem est jus canonicum in Ecclesia vel ecclesiastico beneficio conferre, ut in c. frequentibus. de insti. Qualis autem hujusmodi literarum sit veritas, quibus scribitur: Quia vitæ & morum honestas, & literarum scientia, aliaque laudabilia virtutum merita nos inducunt, ut tibi ad gratiam reddamur liberales, &c. totus de hoc mundus est repletus. Et mirabile esset, quòd Papa daret pro L. florenis fructus annui census, qui aliquando CCCC. floren. etiam ad tempora vitæ darent. Nullus modus esset melior laicis mercatoribus lucrandi bona temporalia, quàm iste quem curia Romana adinvenit. Et quia eis non venditur, non quidem propter incapacitatem personæ, quia laicus bene potest uti bonis ecclesiasticis, quia eis locari possunt fructus decimarum. ut in c. ij. de loca. & conduct. Ergo necesse est dicere quòd non solùm fructus beneficiorum, qui sunt accessorii ad titulum, venduntur, sed illud merè spirituale & principale, scilicet titulus seu potestas exercendi tale ministerium in Ecclesia, propter quod sunt tales fructus deputati. Hoc clarè expressit canon, Si quis objecerit. i. q. iij. Ubi dicitur: Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.

PET. Si debitè te intelligo, videntur hæc repugnare prius dictis, ubi dicitur, quòd fructus beneficiorum possunt vendi, &c.

PAUL. Si bene ponderantur prædicta, patet sic jam solutio. Vel etiam potest sic dici, quòd prout talis res est spiritualis, seu ad talem finem, puta honorem Dei destinata, nullo modo potest vendi. Secus, prout est usualis & ad humanam indigentiam: quia sic solùm per accidens ordinatur in Deum, sed primo modo per se. Vel, si placet, aliter & physicè: quia quilibet actus humanus est adinstar operationis in

rebus

rebus naturalibus, in quibus eſt dare quatuor genera cauſarum, ad eſſe ſeu ad ſubſtantiam rei concurrentium, quæ ſunt: efficiens, finis, materia, forma. Sic etiam eſt in actibus humanis, ut in propoſito. Ille qui donat talia bona Eccleſiæ, eſt efficiens. Deus, propter quem, vel tale officium eccleſiaſticum, propter quod dat, eſt finis: à quo eſt denominatio rei. Actus donandi eſt forma, quæ dat tale eſſe rei. Res quæ donatur, eſt materia. Ex his reſultat res, ſcilicet donum Dei, compoſita ex materia, ſcilicet ejus quod datur, & forma, ſcilicet actu donandi, tanquam ſuis principiis intrinſecis, & ſic ſubſtantialibus. Et dicitur, quòd talis res donata ad honorem Dei, prout materia, actus donandi, conſtituens cum ipſa ſubſtantialiter ſive eſſentialiter donum Dei: & ſic certè per ſe & principaliter ordinatur, & etiam immediatè ad honorem Dei: & ſic nullo modo poteſt vendi: quia nulla eſt res mundi, quæ illi fini præeligi debeat: nec ſic poſſunt ab invicem ſeparari materia & forma: quia ſtatim deſineret eſſe donum Dei, ſive res ſpiritualis. Sic loquitur c. proximè allegatum. Sic etiam loquuntur jura ſuperius allegata, ſcilicet c. Salvator. &, c. ex multis. 1. q. iij. quæ dicunt, quod ſicut res à Deo fidelibus, ita res à fidelibus Deo datæ, dicuntur dona Dei. Alio modo dicta res donata poteſt conſiderari, quamvis reſpectu illius actus donantis habet ſe per modum materiæ: tamen reſpectu hominis, vel alterius rei, poteſt ſe habere per modum actus, ſeu formæ: ſcilicet in quantum humanæ vel alterius rei perfectibilis accidentaliter: & ſic eſt in poteſtate noſtra, ea perfici vel uti, vel non: & per conſequens, emere vel vendere.

PET. Opinio quippe de contrario in me jam ſufficientiſſimè eſt extructa, per hæc tua dicta quæ grato animo recipio: & errores in hac materia, quibus olim cum aliis errantibus ipſe adhæſeram, penitus ſunt remoti. Revertere nunc ad illius communis diſtinctionis ſententiam, de ſimoniacis quia prohibitis, & prohibitis quia ſimoniacis: breviter pertractando quæ præ dictis erroribus videntur miniſtraſſe occaſionis fundamentum & fomentum.

CAPITULUM V.

In quo primò deſtruitur prædicta diſtinctio de ſimoniacis quia prohibitis, ex jure canonico. Secundò declaratur, quod nulla ſunt ſimoniaca ſecundum ſui naturam, ad intentionem illorum. Item quod nulla ſunt ſimoniaca quia prohibita.

PAUL. Mirari ſufficienter revera non valeo de tot & tam famoſis doctoribus ſcribentibus in jure canonico, quos communiter in præmiſſa diſtinctione concordes reperio, hunc graviſſimum & periculoſiſſimum errorem non vidiſſe: & prædicta nedum non eſſe fundata aliquo textu juris canonici, vel etiam aliqua ratione fulcita: imò non ſolùm contra Evangelium, &c. ſed contra ſolidos textus ejuſdem Canonicæ facultatis videntur apparenter laborare, videlicet contra ſcripta ſolenniter canonizata ſanctorum doctorum, ſcilicet Gregorii, Auguſtini, &c. divinæ legis ſcripturas tractantium, ut aliqualiter tactum eſt c. Salvator, & alia ſupra. ubi habentur verba beati Auguſtini Evangelium exponentis, quo prohibetur omnis talis venditio: quæ prædicti minus cautè ſcribentes aſſeruerunt ſimoniaca, quia prohibita conſtitutione Eccleſiæ. Præterea, nonne habentur vana, ad textum beati Gregorii Evangelium tractantis in canone, Sunt nonnulli, 1. q. 1. ubi ad declarandum modos ſimoniæ, adducit ad probandum dictum prophetæ juſtum virum deſcribentis, Iſaiæ 33. cap. Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere: & ibi ipſam ſic exponit: Tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non ſolùm nullam pecuniam, ſed nec etiam humanam gratiam requirit. Et niſi etiam hoc intelligeretur de beneficiis, quæ etiam non minus ſunt divina, ut ſuprà: malè etiam Papam hanc auctoritatem exponendo ad ſuum propoſitum allegaret, in c. etſi quæſtiones: de ſimo. præterea c. in Eccleſiæ corpore. eo. ti. quod emanavit ex Concilio Lateranenſi, expreſſè legitur: Quicunque acceperit pecuniam pro epiſcopis, abbatibus, prioribus, ſeu quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis ponendis in ſede ſeu introducendis in Eccleſiam, ſive pro ingreſſu religionis, pro ſepulturis, pro benedictionibus nubentium, &c. In primo dicit canon ille: Qui dederit vel receperit vel conſenſerit, partem ſe cum Simone non dubitet habiturum. In alia dicit: Sciat ſe cum Giezi portionem habiturum. Idem 1. q. iij. Si quis, & multis aliis. Quod niſi

talia emere vel vendere fuisset damnatum lege naturali vel divinâ, in personis Giezi vel Simonis Magi: quomodo hoc posset esse verum quod ibi dicitur, nisi vendere vel emere beneficia Ecclesiæ esset peccatum ejusdem speciei, scil. simoniæ vel Gieziæ, cum peccatis illorum? quòd scilicet sic est: Si unum similium sic individuorum est lege divinâ seu naturali prohibitum, omnia similia sunt prohibita: quia idem est de similibus omnibus judicium, ut in c. inter cæteras. de re. permu. in c. inter corporalia. de transla. præla. Si autem non sunt ejusdem speciei, quomodo constitutio Papæ vel concilii posset efficere, quòd is qui non peccavit eodem peccato vel eâdem specie peccati cum Giezi vel Simone, debeat magis cùm eis portionem habere, quàm cum homicidis, &c. aut cum eis similem damnationem incurrere, cum tamen non similiter cum eis peccavit? Cum dissimilium causarum dissimiles debeant esse effectus. Præterea ad idem: Quomodo posset credi hoc esse verum, quòd factum quod secundum naturam sive speciem non est peccatum simoniæ, idem propter constitutionem Papæ fiat simonia? quia eâdem ratione, quod de se non est adulterium vel homicidium, &c. posset esse potestate tale: quod est utique erroneum dicere. Nomen quidem posset habere simoniæ ex constitutione Papæ, quia etiam posset vocari alba vacca, sicut quidam vocabant colorantes. ut in c. in tantum. de simo. Sed si causæ essendi simoniæ ad factum non concurrunt, non potest Papa naturam rei aliter quàm est appellare, ut in Can. plerique 14. q. 3. aut unum peccatum de sua specie in aliam transferre. Præterea legitur etiam in prædictis capitulis, non satis. & in c. cum Ecclesiæ: quòd nec sub obtentu cujusquam consuetudinis, reatum suum quis tueatur: & adjicit; Quia diuturnitas temporis non minuit peccata sed auget. In alio dicit, quòd tanto graviora sunt peccata, quanto diutius infœlicem detinent animam alligatam. & in c. in tantum. & in c. sicut. de simo. Et sequitur, quòd consuetudo in talibus non excusat. Ex quibus, si bene perpenditur, constat hæc esse divino vel naturali jure prohibita: cui consuetudo contraria quantumcunque diuturna derogare non potest, sicut juri positivo potest. ut in c. ult. de consuet. sicut aliis pluribus non solùm est derogatum, sed plura sunt abrogata. 4. di. 3. §. leges, & c. statuimus. de treu. & pa. & c. 1. Et manifestè textus loquitur in c. ex diligenti. de simo. quòd talis simonia in beneficio, de qua ibi casus, divinis ac humanis legibus dignoscitur contraire. Bern. & sequaces exposuerunt divinis, id est, canonicis: non tamen est verum, sed stat propriè, prout lex divina distinguitur contra canonicam: quia si Papa voluisset dicere canonicis, sicut communiter utitur in aliis capitulis isto termino, ita leviter dixisset canonicis, sicut divinis. Ar. decre. ad audientiam. de deci. & multis aliis rationibus in juribus convinci posset, hanc distinctionem, quoad illam partem, de simoniacis quia prohibitis, non posse subsistere: quæ propter brevitatem omittuntur, contra illos qui dicunt titulos ecclesiasticos non esse spiritualia de sui natura, ex constitutione Ecclesiæ sic vocata, quia ad similitudinem spiritualium.

PET. Non aliquid, quæso, relinquatur ambigui, sed etiam quoad aliam partem distinctionis jam descende. A nonnullis etiam dicitur ex scribentibus, beneficia non esse spiritualia de sui natura, sed ex constitutione Ecclesiæ sic vocata: quia ad similitudinem spiritualium sunt redacta.

PAUL. Ut penitus evacuetur, videndum est primò, quæ sint illa verè spiritualia, quæ de sui natura talia. Si dicitur, sicut ab illis dicitur, quod sacramenta Ecclesiæ: & illud non est verum, quòd essent de sui natura spiritualia, ut patet ex definitione sacramentorum: quæ est, Sacramentum est sacræ rei signum: vel aliter, Est invisibilis gratiæ visibilis forma, secundum beatum Augustinum & Magistrum sententiarum in quarto di. 1. Hæc autem visibilis forma, cum sit ens corporeum, non potest esse essentialiter vel secundum sui naturam spirituale, sed solùm per accidens. Præterea sacramenta non sunt spiritualia, nisi per sacramenta: sed quòd sunt sacramenta, non est hoc secundum naturam eorum, sed ex institutione legis, ut notum est. Præterea solùm accidentia spiritualia, sicut sunt virtutes, dona & scientiæ, sunt essentialiter & secundum sui naturam spiritualia, ut notum est: & in his non committitur simonia, quæ est divinâ lege prohibita. Quia nec etiam deliberatio seu electio voluntatis emendi vel vendendi cadit super talia. Quia si quis vellet talia emere, nec etiam posset quis vendere: quia voluntas non est impossibilium, ut patet tertio Ethicorum. Ergo necesse est dicere, quòd simonia committatur in his quæ sunt per accidens spiritualia: scil. quæ de se sunt corporalia, ut sacramenta & eis annexa, ut vasa, vestimenta, &c. Similiter virtutes corporales, ministerium sive actus membrorum corporalium circa talia, verè & essentialiter sunt spiritualia: ut cantare, legere, conferre, absolvere: vel eis annexa, ut decimæ, &c. Et hæc omnia non quidem secundum sui naturam sunt spiritualia, sed per accidens: quia ad aliquod spirituale verum consequendum, fovendum vel augendum, lege divina vel canonicâ (non curo, quia hoc non diversificat speciem spiritualium) ordinata, vel quia diversificant spe-

cies

cies ad ſpiritus ſeu animæ perfectionem accidentalem. Quia hoc importat iſte terminus prædicamenti qualitatis Spirituale, qui formaliter connotat ſpiritualitatem, ſecundum quam anima perficitur. Et hæc ratio etiam omnibus ſpiritualibus convenit, non ſolùm ſacramentis. Præterea conſuevit à prædictis dici, quòd venditio ſacramentorum de ſui natura eſt ſimoniaca, ideo quia lege divina prohibita: & non peccatum, quia prohibita. Ex quo infertur, quòd oporteret dicere, quòd ante prohibitionem legis divinæ non fuerunt peccata: & per conſequens, non ſimoniaca. Ex quo ſequitur, quòd Simon Magus non peccavit iſto peccato. Quia antequam Petrus maledixit ei, non fuit hoc peccatum prohibitum: niſi tunc prohibitio ejus fuit facta, quando maledixit ſibi, dicens: Pecunia tua ſit tecum in perditionem. Et ſequitur etiam, quòd Petrus injuſtè ſibi maledixit, ex quo non peccavit: & per conſequens, Simon non commiſit tunc peccatum ſimoniæ, ex quo adhuc lege non fuit prohibitum.

PET. Rationabiliter poteſt dici, quòd in veteri Teſtamento fuit prohibitum in perſona Giezi.

PAUL. Dicam de Giezi ſimiliter, ſicut de Simone: ſimiliter etiam de Balaam propheta, qui fuit ab Angelo correptus pro eodem peccato, quia pretium prophetiæ ſuæ acceperat, & tamen nullam legem receperat de prohibitione peccati iſtius.

PET. Per ſacramenta datur gratia: etiam ſic ratione gratiæ eſt peccatum, ea vendere. Non ſic eſt de beneficiis.

PAUL. Tunc ſequitur, quòd quia ſacramenta novæ legis ſolùm conferunt gratiam, & nova lege inſtitutâ eſt quòd etiam tunc primò incœpit peccatum ſimoniæ. Ex quo ſequitur, quòd Giezi, qui præceſſit novam legem, non peccaſſet hoc peccato, cujus contrarium ſcripturæ prætendunt. Præterea arguitur, quòd omnia ſpiritualia inquantum talia, ſunt ejuſdem ſpeciei. Res dicuntur ejuſdem ſpeciei dupliciter, aut de ſe & ſecundum naturam propriam, aut ſecundum aliquod accidens: hoc eſt dicere in Logica, aut per ſe, aut per accidens. Sacramenta alia non ſunt ſpiritualia per ſe, quia per ſe eſſe ſeu dici præſupponit de omni, & ſemper, ut patet primo Poſteriorum. Planum autem eſt, quòd ſacramenta non ſemper fuerunt talia, quia ante inſtitutionem legis: non ergo ſolùm per accidens ſunt ejuſdem ſpeciei: quia in eo quòd conveniunt in aliqua qualitate eis communi, ſunt ſimilia inter ſe: ut homo albus, equus albus, in eo quòd conveniunt in albedine, ſecundum quam ſunt ſimiles, dicuntur ejuſdem ſpeciei, non ſimpliciter, ſed per accidens, ſecundum id accidens in quo communicant. Vel logicaliter, illa dicuntur ejuſdem ſpeciei per accidens, quæ ſignificantur univocè per aliquem terminum communem accidentalem, vel de eis prædicabilem: ut per illum terminum Albus, qui eſt de tertia ſpecie prædicamenti qualitatis. Sic in propoſito: Omnia illa quæ non ſunt per ſe ſive ſecundum eorum naturam ſpiritualia, ſed per accidens, ut loca, ædificia, veſtimenta, vaſa, actus & operationes corporales: ſeu officia quæ exercentur organis corporalibus, ut legere, conſecrare, pronunciare in epiſcopum, ſupplicationes ſignare, ſacramneta conferre, &c. quamvis inter ſe differunt ſpecie ſicut equus & aſinus, tamen in eo conveniunt, & ſunt ſimilia ſecundum illam denominationem accidentalem: quia omnia dicuntur ſpiritualia propter officium quod habent ex inſtitutione ad eſſe, & ſimpliciter ſpiritualia per accidens ſunt ejuſdem ſpeciei. Et quia ille terminus [Spirituale] prædicatur de his univocè, habes quòd omnia ſunt ſimilia.

PET. Videtur quòd ſpirituale non univocè, ſed æquivocè, vel amphibologicè dicatur de ſacramentis & aliis ſacramentalibus. Nam ſacramenta per prius & potiori ratione debent dici ſpiritualia, ex eo quòd propinquius ſe habent ad gratiam, ſive merè ſpirituale, ſ. quod ſignificant ex inſtitutione, & efficiunt gratiam. Alia autem quæcunque ſacramentalia non ſignificant, nec efficiunt gratiam.

PAUL. Nec ſacramenta, inquantum ſigna ſunt gratiæ, dicuntur ſpiritualia: quia ſic omne habens rationem ſigni, ut circulus ante tabernam, &c. eſſet ſpirituale. Nec etiam inquantum efficiunt quod figurant: quia ſic quodlibet habens rationem cauſæ efficientis, eſſet ſpirituale: & ſic de aliis conſiderationibus. Ergo neceſſe eſt dicere, quòd ſunt ſpiritualia, quia ad aliquem effectum ſpiritualem ordinantur. Vel ex aliquo ſpirituali principali, ſive ſit cauſa, inſtrumentum vel actus, ſive per ſe, ſive per accidens. Præterea dicit Philoſophus ſecundo de Anima, quòd actus diſtinguuntur per objecta, & potentiæ per ſenſus, cauſæ vel virtutes per actus: quæcunque virtutes vel actus circa idem objectum verſantur, formaliter ſunt ejuſdem ſpeciei: ſed omnium ſpiritualium rerum conſtat eſſe objectum formale, ſ. eſſe ſpirituale. Ergo omnia ſpiritualia loca, cœmiteria, ædificia, ut Eccleſia, capella, veſtimenta, caſulæ, vaſa & calices, actus

ſeu officia miniſtrorum eccleſiaſticorum circa talia, ut archidiaconorum, cuſtodum, canonicorum & c. prout concurrunt ad eundem finem, & ad idem objectum conſiſtunt, ſunt ejuſdem naturæ vel rationis. Et per conſequens, ex oppoſito venditio vel emptio eorum ſunt peccata ejuſdem ſpeciei, per regulam Topicam: Sicut oppoſitum in oppoſito, ſic propoſitum in propoſito. Ex quibus inferri poterit, quòd recipere vel dare pecuniam pro aliquo ſepeliendo in cœmiterio vel Eccleſia, non eſt minus ſimonia, quàm vendere ſacramenta. Et tamen per unum quis plus peccat quàm per aliud, propter circumſtantias aggravantes, ut patet infrà. Item dare vel recipere pecuniam pro beneficio eccleſiaſtico, quantumcunque ſimplici, non eſt minus ſimonia quàm vendere vel emere corpus Chriſti. Item iſta non differunt ſecundum ſpeciem peccati, dare indulgentias propter habendam pecuniam, & vendere quæcunque ſacramenta, vel ſpiritum propheticæ. Præterea nec iſta minus differunt ſpecie, recipere vel dare pecuniam pro officio audiendi confeſſiones, vel pro licentia conferendi vel recipiendi ſacrum ordinem, quàm vendere verum Deum pro triginta argenteis, ſicut Judas ſimoniacus & traditor fecit. Præterea nec etiam aliud eſt peccatum, dare beneficium eccleſiaſticum alicui propter conſanguinitatem, ut inde parentela ſua magnificetur, &c. vel preces carnales, ſeu amicitiam, vel obſequium: quàm vendere pro pecuniis. Infertur, quòd nulla ſunt ſimoniaca ideo quia conſtitutione Eccleſiæ prohibita. Item nulla ſunt ſimoniaca, quia lege divina prohibita ſunt: quia ante legem divinam erant ſimoniaca ex natura rei. Ex præmiſſis etiam colligitur, quòd nulla ſunt ſimoniaca ideo quia conſtitutione Eccleſiæ prohibita: imò econverſò propter hoc ſunt prohibita tam divina lege quàm conſtitutionibus Eccleſiæ, quia peccata ſimoniaca. Sequitur inſuper, quòd nulla ſunt ſimoniaca ideo quia divina lege prohibita: patet: quia antequam expreſſa prohibitio illius peccati fuit, ſive Eccleſiæ promulgatio, ſicut in maledictione Simonis magi, &c. prius utique hoc peccatum commiſerat. Quia aliàs oporteret inferri, quòd prius fuiſſet punitus quàm peccaſſet: quòd eſt inconveniens. Sequitur ergo, illud peccatum, ex quo prohibitionem legis præceſſit, non eſſe ſimoniacum quia prohibitum. Nec iſta dicitur prohibitio legis, ſed potius pœnæ pro tali peccato manifeſtatio. Patet ergo, quòd omne peccatum ſimoniæ eſt prohibitum, quia de ſui natura peccatum, etiamſi nulla lex eſſet præter naturalem rationem. Et eſt ideo ſimoniacum, quia emptio, ſive voluntas emendi quælibet ſpiritualia, eſt actus ejuſdem ſpeciei cum peccato Simonis magi. Et ad hunc ſenſum, quælibet emptio talium eſt prohibita, quia ſimoniaca. Venditio autem talium etiam dicitur ſimoniaca, capiendo generaliter: & ita uſus obtinuit: propriè autem dicitur Giezia à Giezi: vel Balaamia à Balaam: qui fuerunt venditores doni Dei gratuiti.

PET. Giezi non vendidit aliquid ſpirituale, quia recepit argentum & veſtimenta ab illo, quem pater ſuus Elizeus curavit à lepra corporali. Recipere autem pro ſanitate corporali, quæ eſt accidens corporis, differt ſpecie ab actu recipiendi pro re ſpirituali: ex quo actus diſtinguuntur per objecta, ut dixiſti. Et per conſequens, venditores ſpiritualium non convenienter dicuntur Gieziтæ, ſicut emptores dicuntur ſimoniaci.

PAUL. Dupliciter aliquid dicitur ſpirituale. Uno modo, in quantum effectivè ſeu objectivè terminatur ad aliquod ſpirituale, ut dictum eſt. Alio modo, habendo reſpectum ad ſuum principium, à quo procedit: puta quod competit alicui ex quodam ſpirituali dono, vel officio: & ſic actus ſanandi corpus miraculosè, quemadmodum fecit Elizeus, fuit effectus ſpiritualis doni Dei gratuiti.

PET. Graviſſimæ mihi videntur dictæ concluſiones, imò errori ſunt vicinæ. Nam non eſt ſceleratius delictum, quod eſt gravius vindicatum 24. q. 1. auferimus. Et in quo major fuerit culpa, major exercetur vindicta. L. di. quia in tua. Sed graviori pœna punitur venditor vel emptor ſacramentorum, quàm beneficiorum vel aliorum inferiorum ſpiritualium: de accu. ſuper his, & c. inquiſitionis. de ſimo. tantam. 1. q. 3. pervenit. Si ergo quoad pœnam ſunt diverſa, ergo erunt diverſa quoad culpam: quia juxta qualitatem delicti debet eſſe plagarum modus, & per conſequens, diverſa erunt peccata quoad ſpeciem.

PAUL. Quòd peccatum aliud eſt culpabilius vel magis puniatur quàm aliud, provenit non ſolùm ex natura actûs, ſed quandoque propter circumſtantias aggravantes, quæ ſunt in duplici differentia. Quædam tranſmutant in aliam ſpeciem peccati. Exemplum. Si furtum fit in ſacro loco, vel de re ſacra, jam non dicitur ſimpliciter furtum, ſed propter illas circumſtantias actus dicitur ſacrilegium. Sic vendere vel emere rem ſacram, jam venditio eſt ſimonia: ubi ſi non eſſet res ſacra, non eſſet ſimonia. Et tales circumſtantiæ ſunt de neceſſitate confeſſionis ſacramentalis: de

pœni.

pœni. di. v. consideret: ubi clare habetur de eis. Aliæ autem sunt circumstantiæ aggravantes peccatum, sed non transmutantes in aliam speciem: scilicet dignitas personæ, vel res circa quam peccatum committitur; de quibus dantur metra:

Aggravat ordo, locus, peccata, scientia, tempus,
Status, conditio, numerus, mora, copia, causa.

Et licet æquè omnia dicuntur spiritualia, tamen quia unum propinquius perficit spiritualiter, ut sacramenta, per quæ immediatè confertur gratia, quàm alia remotiora: igitur plus peccat vendendo sacramenta, quàm alias res spirituales; quia illud quod propinquius fini & magis diligibile, minus diligit: & per consequens, à charitate plus distat. Et sic etiam quanto sacramentum est excellentius, ut corpus Christi, plus peccat illud vendendo, quàm alia sacramenta. Magis autem, vel minus, non diversificat speciem.

PET. Quid respondebitur communiter dicentibus, quòd tituli sunt inducti & inventi jure positivo? ut in principio hujus secundæ partis allegavi superius.

PAUL. Planè dicendum est, hoc non esse verum. Inducti enim fuerunt in veteri Testamento, Numer. 18. ubi Dominus commisit spirituale ministerium Aaroni sacerdoti & Leviticæ tribui, dicens: Tu autem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii, excubabuntque Levitæ ad præcepta tua & ad cuncta opera tabernaculi. Tu autem & filii tui custodite sacerdotium vestrum, & omnia quæ ad cultum altaris pertinent. Et quia propter officium datur beneficium, paucis interpositis subdit: Ego dedi tibi custodiam primitiarum mearum: omnia quæ sacrificantur à filiis Israel, tradidi tibi & filiis tuis, pro officio sacerdotali legitima sempiterna. idem Deut 14. & in aliis locis. Ecce quomodo jus sacerdotii in tabernaculo committebatur Levitis & alia ad cultum divinum exercendi: quod idem est in specie cum jure tituli, quo nunc exercentur spiritualia in Ecclesia. Quamvis in accidentalibus, seu accessoriis, ut in ceremonialibus, &c. sit differentia, sicut & nunc omnes tituli ecclesiastici sunt ejusdem speciei, sed solùm diversificantur penes accessoria: à quibus accessoriis frequenter recipiunt denominationem. Nam præpositura, cantoria, archidiaconatus, custodia, & sic de aliis, circa idem objectum principaliter versantur, & ad eundem finem, scilicet divinum officium peragendum in Ecclesia, accessoriè habent exercere aliqua ultra alios circa divinum officium, sicut res Ecclesiæ custodire, in choro præcinere, &c. quamvis illa nomina titulorum non fuerunt tempore Apostolorum, vel antè in veteri Testamento: fuerunt tamen similia diversis ceremoniis vel officiis correspondentia. Et hæc sufficiant pro secundo tractatu, Domino annuente.

TERTIA

TERTIA PARS HUJUS TRACTATUS, IN QUA EX veris fundamentis declaratur, Romanam Curiam fore erroneam, & in ſtatu damnationis laborantem, cum omnibus qui exorbitantes gratias à jure communi, & beneficia Eccleſiaſtica ſunt adepti. Et declaratur plenitudo poteſtatis Papæ, & habet quatuor capitula. In primo capitulo oſtenditur de omnibus officialibus dictæ curiæ & aliis Curtiſanis, qui impendunt aliquod ſervitium pro gratia ſimoniacè obtinenda, ſive circa ſupplicationes, literas, ſive lites, ipſos eſſe ſimoniæ participes. In ſecundo capitulo declaratur, quomodo cardinales non poſſunt excuſari à participatione ſimoniæ: & quantum ipſorum negligentia & taciturnitas eſt culpabilis & nociva. In tertio capitulo, objicitur pro latitudine poteſtatis Papæ, & ſolvitur & declaratur plenitudo poteſtatis Papæ. Et condemnatur multiplicatio gratiarum, cum illis qui ſunt conſecuti beneficia per exorbitantes gratias. In quarto objicitur pro plenitudine poteſtatis Papæ, diſtinctio, per quam cognoſcitur, circa quas & quomodo conſiſtit dicta plenitudo poteſtatis Papæ: & quæ ſunt diſpenſabilia, & quæ indiſpenſabilia, declaratur.

CAPITULUM I.

In quo oſtenditur, ut ſuprà in ſumma capitulorum.

PET. Jam clarè videtur, quòd executoribus ſimoniæ eſt ſublata executio; & fundamentum, quo videbantur innixi, radicitùs extirpatum. Ut mihi videtur, hæreſis eſt aſſerere, quòd Papa licitè poſſit pro ſpirituali titulo recipere pecuniam: & multò magis hoc facere in effectu: propter quod videtur mihi, Paule, quòd tota Romana Curia eſt in via damnationis, per ea quæ ſuperius demonſtraſti. Omnis enim Curtiſanus ipſo facto ſui officii videtur particeps ſimoniæ: etſi dicam, non tamen fortè impropriè, fautor hæreticæ pravitatis.

PAUL. Si hujus rei quæris evidentiam, hoc attende. Sicut enim eſt in actu meritorio, de quanto aliquis magis vel propinquius juvat ad conſummationem illius actûs, de tanto (cæteris paribus) magis meretur: quia in omnibus bene ordinatis, de quanto aliquid fini propinquius, de tanto in primo ordine perfectionis laudabilius: ut patet 1. Ethicorum. Dico, cæteris paribus, quia vidua duo minuta offerens plus aliis magis offerentibus meruit, Luc. 21. Sic eſt è converſo in actu turpitudinis & demeritorio, per cujuſcunque factum, officium ſive miniſterium magis promovetur actus ſimoniacus, quò fini ad ipſius effectum propinquius pervenitur, cæteris paribus ſine dubio magis peccat. Sic dicimus de homicidio, per ea quæ leguntur in c. ſicut dignum de homi. ubi habetur caſus de beato Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo. Ratio hujus habet ſe per oppoſitum, ad rationem præcedentem. Quia in perſecutione actus vel effectus ſimoniaci, in ordine actuum concurrentium, ipſum actum vel effectum præcedentium, de quanto actus effectui propinquior, de tanto inordinatior, quia magis diſtat à vero ordine, in ipſum exercendo pejus eligit, quia ſine electione & voluntate ipſum non exercet. Ex quo ſequitur, quòd minus diligit: & per conſequens, plus diſtat à vera & ordinata dilectione ſeu charitate, & ita plus peccat.

PET. Fiat Curtiſanus in factis Romanæ Curiæ, exempli gratia, ut hujus concluſionis experiamur plenius veritatem, & per hoc tam ipſius quàm eorum confeſſio ſalubrius conſolatur.

PAUL. Si enim in gratiis ſive indulgentiis obtinendis aliqui ſunt qui ad obtinendum juvant, ut ſupplicationes ſcribentes, & ſcriptas deferentes ad eos qui ulterius promovent & porrigunt ad ſignandum. Aliqui verò ſunt, vel aliquis, qui providet, quem exprimere non oportet, ad majorem notitiam declarandam. Tertii ſunt, qui in proviſione ſimoniaca, facta ad effectualem ipſius conſummationem habendam ſua ſervitia impendunt: utputa datarius, qui datam apponit. Secundò, defertur ad regiſtrum ſupplicationum. Tertiò, ibi regiſtratur. Quartò, regiſtratæ portantur ad cancellariam. Quintò, per vicecancellarium diſtribuuntur abbreviatoribus. Sextò, per ipſos conficiuntur minutæ, & ſolvitur quod taxatur. Septimò, ad ingroſſandum ſcriptoribus diſtribuuntur. Octavò, taxantur. Scriptæ verò, taxatæ & ſolutæ, in cancellaria judicantur, & interdum cancellantur. Nonò, ad bullandum portantur: tandem regiſtrantur, & juramenta

menta in camera fiunt pro annatis, & etiam solutiones pro pacatis. Et hi omnes secundum ordinem, & quicunque alii, sicut sunt solicitatores seu procuratores literarum hujusmodi, vel scriptores processuum, & generaliter quicunque aliquid servitii impendunt, ut tales literæ effectum habeant, peccant mortaliter: quia omnes participes sunt simoniæ.

Vide quot viis & modis (ut aliquando scriptum est pro [viis & modis]) Curia Romana sustentatur ex Ecclesiasticorum seu Clericorum crumenis: quibus decurrendum est stadium decem aut plurium Officinarum Simoniacarum & rapacium, priusquam in munere suo considere queant.

PET. Mira res igitur est, quòd extractis literis non solùm cum peccato unius sed multorum primò, tunc ad lites pervenitur: cujus contrarium raròaccidit, in quibus odia excitantur, & homines se consumunt gravibus laboribus & expensis, & quòd hoc in cor præsidentium non ascendit.

Venatio lucri ex litigantibus.

PAUL. In his quæ ad lites hujusmodi, aut potius ad consummationem effectûs simoniaci concurrunt litigantibus auxilia, similiter aliam lineam, quàm præmemoratam poteris facere per hunc modum. Nam scribitur commissio, in qua auditori committitur, ut citet, & justitiam faciat. Secundò, manus apponitur, ut appareat de mandato Domini Papæ. Tertiò, auditori præsentatur: qua humiliter recepta, notario assignatur, citatio decernitur, demum citationis fit executio: postea ad actus judiciales observandos, solicitatorum, procuratorum & notariorum concurrit diligentia, & communia patrocinia advocatorum. Demum auditoris fertur sententia: quæ cum executioni demandatur, tunc perfectissimè simonia consummatur. Hæc dearticulatè dico, ideo quòd nullus Curiensium se credere debeat excusatum. Et dixi notanter, quòd per cujuscunque factum propinquius vel magis pervenitur ad effectum peccati, cæteris paribus, ille plus peccat ex ordine suprà dicto. Nam stat bene, primum vel secundum, in prosecutione facti magis peccare, ut patet, quàm ultimum, ex aliis circumstantiis peccatum aggravantibus: puta, quia scribens supplicationem vel datam, &c. est episcopus, vel doctor, vel religiosus, vel plura exercens officia: & sic de aliis circumstantiis, de quibus plenè in Can. consideret. de pœn. di. v. de quibus dantur metra:

Exaggeratio corruptionum in Curia Romana.

Quis, quid, ubi, per quod, quoties, cur, quomodo, quando,
Quilibet observet animæ medicamina dando.

PET. Contingit, Paule, sæpius quòd una persona plura exercet officia, sicut unus abbreviator scribit supplicationem minutam & grossam, & in causa solicitat. Sic etiam procurator quamvis unum exercet officium, tamen plures causas fovet & procurat. Similiter advocatus & auditor. Præterea, etsi est unica causa & non plures, tamen in ea interpolatim plures actus exercentur. Dic quid tibi videtur hic? an illorum quilibet pro officiis, omnibus actibus & causis simul sumptis, unum tantum peccatum mortale incurrat, vel pro quolibet illorum singulariter aliud & aliud sit peccatum?

PAUL. Attende in hoc dictum Philosophi 5. Physicorum, ubi innuit, quòd quilibet actus mensuratur penes terminum à quo, & terminum ad quem. Si igitur terminus à quo est unus numero, & terminus principalis ad quem est diversus numero: actus oportet esse diversos, & è converso. Unde si duo concurrent ad eundem effectum in numero, puta ad occidendum hominem unum, quamvis idem sit numero effectus amborum, tamen duo sunt actus: & per consequens peccata è converso, licèt eadem persona in numero, tamen quia pluribus causis distinctorum numero effectuum ministrat, tot verè peccata committit, quot erunt supplicationes, literæ aut causæ, quibus ministrat ad distinctos fines inducendos ordinatè. Et ideo non sufficit confitenti dicere, Ego fui notarius vel procurator, &c. in talibus causis vel factis, &c. sed necesse habet, si recordari potest numerum dicere: Tot supplicationes, minutas, literas scripsi, in provisionibus per simoniam obtentis: vel in tot causis, tale officium, à principio usque ad finem ipsarum exercui, &c. Hinc est, si una persona exercet diversa officia vel in unò officio multos actus, tunc si hæc omnia concurrunt ad eundem effectum inducendum, omnia illa intermedia erunt unus totalis actus: & per consequens, unum peccatum. Hoc tamen verum, quod de quanto plura exercet officia, vel in eodem officiò plures actus, tanto peccatum illius plus aggravatur. Sufficit tamen ad mortale unus actus.

PET. Inter illos, plures arguit mortale: an primus, scil. ad dicendum contra commissionem, vel secundus ad libellandum assignatus, & sic de aliis, & quodcunque eorum assignatur, eâdem ratione erit quilibet eorum peccatum. Et sic necesse habes dicere, quòd quilibet actus prohibiti seu illiciti negotii partialis est mortale: vel ex adverso oportebit asserere, quòd nullus eorum sit peccatum. Præterea in actibus illicitis corporeis, in quibus naturaliter cadit successiva interruptio, pro quolibet debito est unum: ut in l. foramen. ff. de servitut. prædi.

PAUL.

PAUL. Cum enim peccatum potenter & radicaliter existat in anima, quod est aversio voluntatis à bono incommutabili ad bonum commutabile, communiter in actu exteriori, sive corporeo, tanquam ab ipsa voluntate imperato: ideo quàm citò voluntas consentit tali negotio prohibito peragendo, jam etiamsi nullus actus consequeretur, peccatum est nihilominus in voluntate perpetratum: sed non nisi peracto negotio, actibus corporeis dicitur consummatum. Unde stante eodem consensu voluntatis, sine interruptione à principio negotii usque ad finem, quamvis naturaliter illi actus partiales integrantes negotium interrumpunt, tamen quia eis non correspondet iteratio voluntatis, saltem habitualis, non possunt dici plura peccata, sed unum. Quia idem est terminus à quo, s. eadem voluntas: & terminus ad quem, etiam idem omnium mediorum. Secus esset etiamsi in prosecutione, vel antè, mutaretur voluntas ad contrarium, & postmodum voluntatem resumeret in prosequendo: & tunc, quotiescunque mutatam voluntatem resumeret, totiens peccaret. Nec illa intermedia essent unus actus, quamvis ad eundem effectum tenderent, sed diversi, propter diversum terminum à quo, s. mutatione voluntatis, vel etiamsi finis per se daretur cuilibet actui speciali.

CAPITULUM II.

In quo declaratur, quomodo Cardinales non possunt excusari à participatione simoniæ: & quantum eorum negligentia & taciturnitas est culpabilis & nociva.

PET. Modò non est mentio facta de dominis Cardinalibus officia non habentibus. Ideo nunc expedit, ut etiam à tanto sopore lamentabilis negligentiæ congruis persuasionibus excitentur.

PAUL. Si animadvertitur mente solicita, quanto mysterio à cardinibus vel quatuor cardinalibus virtutibus, quibus pollere debent (scilicet prudentiâ, temperantia, fortitudine & justitia) Cardinales sunt nuncupati, & ad construendam conservandamque sacro Christi sanguine fundatam ecclesiam, superna providentia instituti (magnum quippe & arduissimum est eorum officium) profectò destrui non deberent exemplis avaritiæ: non obdormire tantam ruinam in ipsa Ecclesia Dei, & prostitutionem sceleratissimam necnon divisionem hæreticam Christi sponsæ admittere. Nam certò certior sum, quòd præter hæc quòd cum Simone Mago colligunt, non solùm prædictorum omnium in curia Romana peccatorum sunt participes, verùm omnium malorum quæ fiunt ubique in Dei Ecclesia: de quanto ea aut reformare, aut prædictis provisionibus exorbitantibus & inutilibus (quæ sunt infinitorum malorum radix & fomentum) contradicere cum effectu negligunt; aut consentiunt in errores impiorum, negligentiam, desidiam detestabilem, vel consensum, noscuntur sine dubio redundare.

PET. Injuriosè, & rectè non videris dicere, quòd Cardinales cum Simone colligunt: cum tamen sine solutione pecuniæ à Papa obtinent quod intendunt.

PAUL. Ignosce mihi, Petre, hunc errorem, quo me fateor oberrasse. Non enim debui dicere cum Simone, sed cum Giezi habent partem, cum sine ipsorum consilio de episcopatib. &c. non fiunt hujusmodi provisiones: qui non solum assensu & consilio, sed etiam ad ipsas cooperantur per effectum, cum * mutua servitia, &c. à tali recipiunt turpiter contrahente. Et dato quòd non consulant ad talium provisiones, vel etiam simoniacas solutiones; & etiam cessent omnia alia: tamen ab assensu tacito & habituali nullatenus excusantur, ex quo præsentes sunt & silent: & ut eis incumbit ex officio, realiter non resistunt. Tales enim vocat scriptura canes mutos, non valentes latrare 43. di. sit rector. Quid enim prodest illi, suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? 83. di. quid prodest. Ubi beatus Gregorius exponens hoc in sequenti capitulo, dicit: Consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit: & ita verificatur illud: Error, cui non resistitur, approbatur. Nec caret scrupulo societatis alienæ, qui manifesto facinori desinit obviare, c. di. error, & 23. di. qui potest. Non etiam ignorantia eos tueri poterit: quæ cum in ipsis laicis intolerabilis existat, quanto magis in his qui præsunt, nec excusatione est digna nec veniâ: ut in c. si laicus 38. di.

* Fortè, minuti.

PET. Hoc enim de se est evidens, quòd ex quo in episcopis & in aliis inferioribus damnatur ignorantia: fortius in Cardinalibus, qui habent pro tota congregatione Christianæ fidei consulere & permaximè vigilare, non est aliquo modo admissibilis ignorantia scripturarum.

ſcripturarum. Unde dicit beatus Thomas, in ſcripto ſuper quarto Sententiarum, di. 18. quòd quilibet officium ſeu beneficium recipiens, ad cujus miniſterium debitè exequendum non habet competentem ſcientiam, peccat mortaliter. Idem notat Inno. & ſequaces, in c. cum in cunctis, de ele. &, c. Omnes 38. di. Et ideo poterit eſſe adhuc alia & efficacior excuſatio: ſcilicet, quia ſi aliqui eorum, vel aliquis, vellet tantæ ruinæ reformationi intendere, aliis nolentibus, ne fortè ſine profectu, aliorum odiis & fortaſſe etiam ſtatus ſui periculo ſe exponeret, oportet eos ſub diſſimulatione pertranſire.

PAUL. Fortiſſimè talibus excuſationibus incuſas: & obſtat directè dictum Apoſtoli ad Galatas ſecundo, pariter & exemplum, ubi gloriatur Paulus dicens: Quòd cum veniſſet Cephas, caput Apoſtolorum (id eſt, Petrus) Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat, &c. & Salvator Matth. 16. Cum enim dixiſſent Apoſtoli, Scis quia Phariſæi audito hoc nomine ſcandalizati ſunt nimis? ait: Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt, &c. Non enim Elias pertimuit Achab principem, quærentem ipſum occidere, cum dixit ſibi ad faciem: Non conturbo ego Iſrael, ſed tu & domus patris tui. 3 Reg. 18. Tales enim de profectu correctionis deſperantes, non innituntur Dei potentiæ, ſed propriæ: cum alius ſit qui rigat & qui plantat: & alius qui incrementum dat. Si enim ſperarent in Domino, mutarent fortitudinem, & non deficerent: Iſaiæ 40. fortitudinem inquam propriam, in fortitudinem divinam. Cum enim quiſpiam de viribus diffidit propriis, quaſi propria fortitudine ſe exuit, & Dei fortitudine ſe induit: & tum ipſius nititur poteſtati, qui eſt protector omnium ſperantium in ſe. Qui enim ſic confidit in Domino, ſicut mons Sion non commovebitur in æternum. Quod propheta non ambiguit, cum dixit: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? & etiam, In Domino tranſgrediar murum: & alibi: In Deo ſperavi, non timebo quid faciat mihi homo. Sed quid eſt aliud dicere, quoniam tales diffidendo de Dei auxilio non ponunt Deum adjutorem ſuum, non reputant mori lucrum, quod tamen reputavit Apoſtolus ad Philippenſes: Vana ſe excuſatione ſubtrahentes, trepidaverunt ibi timore ubi non erat timor. Et ex quo ſic, ſtatum timentes amittere quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti: Et idcirco quia ſacrificium juſtitiæ Deo non offerunt, meritò non poſſunt ſperare in Domino: ſed, proh dolor! oportebit eos tabeſcere in errore.

PET. O fœliciſſima Apoſtolorum tempora, primitivæ eccleſiæ: dum etſi unus erat malus inter duodecim: nunc autem inter duodecies duodecim nullus aut vix unus bonus. O quanto periculo fluctuat Petri navicula, prædicatio Pauli contemnitur, & doctrina Salvatoris non curatur! & quòd in Curia Roman. Eccleſiæ, quæ eſt omnium Eccleſiarum caput, à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt ſanitas.

CAPITULUM III.

Tertiæ partis hujus Tractatus: in quo convincitur, pro latitudine poteſtatis Papæ, & ſolvitur & declaratur plenitudo poteſtatis ipſius, condemnatur multitudo gratiarum, cum illis qui ſunt conſecuti beneficia per exorbitantes gratias.

PET. Adhuc reſtat tibi diſcutiendum in hac materia, quoniam Gloſſ. ordinariæ ſonant quòd conditor canonis vel legis poteſt mihi dare rem alienam, & tutus ero, ut dicit Gloſſ. 2. in c. vigilanti de præſcrip. per l. Lucius ff. de c. vict. &c. de quadrien. præſcrip. bene à Zenone. & per totum. Gloſſ. verò in c. per principale. 9. q. 3. idem dicit. Et plus ſuperadditur, quòd Papa poteſt alicui beneficium recipere, remittit 19. di. in memoriam extra. de offi. dele. dilectus: de conceſſ. præben. quia diverſitatem. Et poteſt epiſcopum deponere, ſed non omnes: quia ſic univerſalem eccleſiam turbaret. Horum occaſione præmiſſorum, & etiam Gloſſ. in c. à nobis de deci: Quidam notaverunt, quòd Papa poſſet unum epiſcopum deponere ſine cauſa, ſed non omnes, ne videretur ſtatum Eccleſiæ univerſalis immutare, quòd non poteſt. Nonnulli etiam famoſiſſimi canoniſtæ videntur aſſerere, quòd Papa poſſet etiam contra jus naturale diſpenſare. Gloſſ. or. dicto c. à nobis. Inn. in c. cum ad monaſterium de ſta. mo. & ſequaces dicentes, quòd Papa in voto continentiæ poſſet diſpenſare. Item etiam contra juramentum.

16. q. 3. auctoritate item, quoniam etiam Gloss. innuit, quòd posset contra divinam legem dispensare: ut in c. proposuit. de concess. præben. in eo quòd dispensare posse videtur contra Apostolum, ut promoveantur ad sacros ordines bigami. 33. di. lector. Hæc allegata, maximè videntur Papæ laxasse potestatem. Necesse igitur habes de mentibus simplicium & errantium excutere, quicquid erroris in animis non bene intelligentibus est seminatum occasione præmissorum.

PAUL. Non est quippe necesse dicere aliquid, si non exuberasset tanta cupiditas, ambitio & omnium malorum radix avaritia, quæ corticibus jurium contenta & errore, ad medullam non sinit pertingere veritatis. Sed ut etiam in his cæcitati cupidorum & ambientium penitus occasio subtrahatur (ut utar verbis Apostoli) hic primò quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Et quis est iste fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? quem recommendat Salvator Lucæ 12 quem utique prudentem & fidelem esse oportet. Infidelis autem est, qui dimisso communi bono, amplectitur privatum. Imprudens verò est, qui sine discretione & sine causa dispensat. quia huic dicetur: Serve nequam, redde rationem villicationis tuæ: Jam non poteris ultrà villicare. Lucæ 16. circa principium: Servus enim qui non facit voluntatem Domini, plagis vapulabit multis. Cum autem secundum Gloss. or. 1. q. 1. requiritis: in verb. pro tempore: dispensatio est communis juris relaxatio, facta cum causæ agnitione, ab eo qui jus habet dispensandi: necesse diversa pensare habet qui dispensare vult, cum à jure communi non est facile intuitu alicujus recedendum. 61. di. juramentum: & contrarium facere non est populo consulere sed nocere: nec præstare regnum, sed augere discrimen, ut ibidem. Eo minus adhuc Salvator dispensatorem assumpsit: suprà etiam Apostolus, f. prout dispensatio est quædam commensuratio ad singula: prout dicit beatus Thomas in secunda parte secundæ, 97. ar. ult. & Jo. An. post eum in novella. c. de multa. de præben. Inde gubernator familiæ dicitur dispensator, qui dispensat & distribuit singula singulis, laborem & etiam pretium. Ad hoc autem, ut dispensatio utroque modo valeat & teneat, necessario requiritur unum de duobus: aut dispensandi necessitas, aut publica utilitas. Jura sunt ad hoc multa, dicto c. requiritis. cum multis sequ. & 78. di. si cognita concor. &c. de aliis. dicunt jura, ut prærogativa meritorum, &c. ad ista requirantur. Necessitas enim & utilitas inducunt dispensationem, ut in c. exposuisti. de præben. Cum ergo hæc dispositio sit fundata lege divina, quia hoc ad fidelem & prudentem dispensatorem pertinet, ut suprà: & etiam ratione, quoniam hoc dictat legalis justitia, cujus est necessitati & utilitati publicæ consulere, quæ non est sine prudentia, quæ hæc considerat, ut patet 6. Ethicorum. Ex quib. sequitur, quòd Romanus pontifex pro libito contrarium facere non potest: nam dicit Bern. 3. de Consideratione. cap. 23. quod si faceret, non dispensare esset sed dissipare. Et hoc est quod volunt doctores communiter, & gloss. or. Quòd si Papa dispensat cum aliquo, sive in pluralitate incompatibilium beneficiorum, sive in voto, &c. & causa rationabilis non subest, talis non est tutus quoad Deum, ut in c. non est. de voto & vo. redemp. & in c. dudum. de elect. secundum Hosti: & alios. Dico, si certum est, quòd rationabilis causa non subsit dispensandi. ☞ Certum enim est, quòd talis dispensatio, vel potius ficta provisio, nullius est momenti. Declaratur, quòd omnes qui obtinuerunt beneficia per exorbitantes gratias, & præjudiciales aliis, dato quòd non dederunt pro eis pecunias, nisi dimittant beneficia taliter acquisita, certi sunt de sua damnatione. Ex quo sequitur, quòd omnes qui per exorbitantes gratias, & præjudiciales aliis, sunt adepti aliquod beneficium, sicut sunt dies obitus, perpetua silentia, proprii motus, clausulæ antelationis & similes, cum quibuscunque clausulis derogatoriis juri alterius, dato quòd non dedissent pro eis pecunias, sed solùm posito quòd aliis præjudicatum est sine causa & necessitate, per eas in jure sive in beneficio jam quæsito, sive ad rem inquirendo, nisi dimittant beneficia taliter acquisita, & egerint pœnitentiam, certi sunt de damnatione. Patet etiam hoc ex eo. Nam clarum est, quòd habens beneficium ecclesiasticum sine institutione canonica, possidere non potest. ut dicit 1. regula, de re jur. li. 6. Et quia etiam constat, quòd per hujusmodi gratias quæ à jure communi exorbitant, non est ingressus canonicus, imò contra canones, contra jus divinum & naturale, ex quo fit cum injuria aliorum: igitur quilibet talis est malæ fidei possessor, quæ ullo tempore non præscribit. Ex his ulterius sequitur, quòd gratiarum mutatio & multiplicatio est realis deceptio & damnatio animarum. Objectio. Præterea, quòd Papa sine rationabili causa & evidenti non potest immutare, vel ejus contrarium facere, quòd per prædecessores suos rationabiliter statutum est, ut probatum est suprà, prima parte hujus Tractatus, cap. 3. Præterea, ratione pro prædictis sic arguitur: Quandocunque Papa facit aliquid contra legem divinam vel naturalem, dispensando super incompatibilibus, innocentes deponendo, vel transferendo prælatos, & sic de aliis quæ

habent

habent fieri virtute clavium Ecclesiæ, quotiescunque non subesset necessitas aut communis utilitas, ex tali dispensatione nullus exequitur effectus, sed solùm quædam umbra apparet in opere, sed nulla veritas subsequitur in effectu. Quod sic probatur. Nam quilibet actus seu operatio producitur ab aliqua virtute seu potentia, quam in agibilibus potestatem seu legem appellamus: hoc utique notum est ad sensum & intellectum. Sed nullus actus, in quantum contrarius juri divino militans, producitur ab aliqua potentia: Ergo nullus, inquantum talis, in re est aliquis actus: & per consequens, nullus est effectus. Consequentia de se nota est, quia regulariter penes secundum modum secundæ figuræ. Minorem sic declaro: Omnis potentia qua Papa potest aliquid facere, aut est virtute legis divinæ, aut naturalis sibi; hoc est dicere: aut facit ut vicarius Christi, & sic non facit virtute sua, sed Christi: aut non facit ut homo, vel animal, &c. non potest dici, quòd virtute legis divinæ possit dispensare, &c. sine causâ: quia cum causâ secunda non agit nisi in virtute prioris, sic oporteret concedere, quòd Christus dedisset sibi hanc potestatem contra se & suam legem faciendi, qui tamen ipsum voluit esse fidelem, & ob hoc prudentem, ut suprá. Et sequitur, quod lex Dei esset sibi contraria, & infinita inconvenientia sequerentur. Habetur ergo pro constanti, quòd vigore legis Christi non est potentia. Non etiam potest ut homo: quia sic non oporteret currere pro beneficiis ad Papam vel alios, si naturalis virtus humana sufficeret ad ea dispensanda. Præterea non est dubium, quamlibet virtutem humanam esse subordinatam Dei potentiæ, in genere causæ efficientis. Cum igitur causa inferior non potest influere aliquam actionem vel virtutem causæ superiori se, sed econverso: igitur, &c.

PET. Hæc ratio cogit invincibiliter ad assensum. Sed sensus exterior mihi contrarium indicat experimentum. Nam videmus ad experientiam, quòd quantumcunque Papa excedit limites legis divinæ in providendo, &c. spiritualia dispensando, sive pro illo recipit pecuniam, sive alio modo: tamen nihilominus, quàm citò ore pronunciat aliquem in episcopum alicujus Ecclesiæ, statim habetur pro tali proviso, & communiter recipit possessionem, & ea exercet quæ talis habet exercere. Similiter cum supplicationi apponit calamum, signando per Fiat, &c. mox illi beneficium est affectum, ita quòd talis suo tempore illud consequitur in effectu, cujus tamen contrarium tua ratio nititur demonstrare: & ideo apparet, quòd sit plus fantastica & sophistica quàm realis.

PAUL. Rusticanam profectò æstimationem videris habere. Nam cum rurali hebetudini prædicitur de ineffabili bonitate cœlestis patriæ, & si dicitur quòd ibi non comedemus, nec bibemus, non cadit in mentem rusticam quòd ibi est omnis plenitudo. Non mirum, quòd umbram in opere sensu perceptibilem sequeris cum errantibus, & non facti veritatem quæ non nisi ratione intueri poterit efficaci. Quia enim potentia vel virtus Dei, qua Papa dispensat spiritualia, est merè spiritualis, non corporalis (quemadmodum est potentia ad proferendum verba, vel ad scribendum) similiter ipsius actus & effectus proprius est merè spiritualis, nullo sensu perceptibilis, utitur tamen ad exercendum proprium effectum pro instrumento, natura humana & ipsius membris corporalibus. Si igitur debeat tibi aliquid prædictorum spiritualium ad sensum innotescere, oportet non aliter quàm per signa corporalia judicare, quæ illorum sunt vestigia, sive signa: sicut actus pronunciandi sive supplicationem signandi, quoad conferentem, aut possessionem corporalium, sine quibus talia spiritualia non sunt apprehendenda, quoad recipientem. Quando ergo Papa facit quod est contrarium scripturæ vel rationi, actus illius potentiæ divinæ, virtute cujus hoc deberet, conquiescat: & per consequens, sua pronunciatio vel scriptura, quæ deberet esse signum actus illius spiritualis, nulla in re habet correspondentiam ex parte signati, sed solùm apparet significare, & nihil significat in effectu. Nec etiam stat ibi pro se: quia actus proferendi vel signandi supplicationem ex sui natura, non potest talem effectum causare, ut notum est: sicut nec tu in alio homine privato, & per consequens, nec stat ibi naturaliter pro se, nec significativè pro alio, sed solùm est quædam umbra in opere, sed nulla veritas sequitur in effectu, ut dicit tex. c. quando, de consue. Et sic errantes, possessionem apprehendentes disponunt de rebus in veritate nullum jus habentibus. Et ex istis patet intellectus allegatorum, quæ erroribus favere videbantur. Nam si sic glossatores voluissent intelligere, quòd Papa posset recipere beneficium uni, sine causa rationabili, & dare alteri cum injuria, vellent beneficia esse perpetua. lv. di. præcepta. lxx. di. sanctorum. Et no. de fi. presby. veniens. cum omni audacia dicerem, quòd se non intellexerunt, nec hoc potest concludi ex dicto c. per principalem, nec ex aliquo alio. Ex quo patet, quòd puerilite

dicitur, quòd Papa potest unum Episcopum deponere sine causa, sed non omnes. Nec est illud recitatione dignum, quòd hic dictum est, Papam licentiam habere pueriliter & sine prudentia agendi, quem prudentem esse oportet, ut dicit Apostolus. Et etiam est contra textum c. intra corporalia. de translat. ubi dicitur, quòd non humanâ sed divinâ potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem vel cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur. Sed intelligendum est, quòd quacunque causa dispensare non potest solus, sine generali Ecclesiæ Concilio: ubi ex dispensatione sua discoloraretur status universalis Ecclesiæ. Secus, ubi hoc non timetur. Et sic intelligendæ sunt gloss. or. & alia scripta doctorum*.

* Plenitudinē sc. potestatis Papalis in dispensationibus irregularibus in fumum evanescere; quicquid boent reboentq; Canonistæ Aulici in contrarium.

CAPITULUM IV.

Tertiæ partis hujus Tractatûs, in quo objicitur pro plenitudine potestatis Papæ: & ponitur distinctio, per quam cognoscitur, circa quæ & quomodo consistat dicta plenitudo: & quæ sunt dispensabilia, & quæ indispensabilia, declaratur.

PETRUS. Peregrina juri apparent quæ dixisti, cum Princeps non teneatur suâ lege: c. de le. digna. Nam licet conditorem constitutionis ex certa scientia contra suam constitutionem dispensare, sine causæ cognitione: aliàs non. de. confirm. uti. vel inuti. ad nostram. Item glo. in c. si gratiose. de rescript. lib. 6. Nota, quòd solus Papa sub conditione & ad tempus, sicut vult, potest beneficia concedere seu conferre. allegat. 7. q. 1. pastoralis. de fi. presby. veniens. In his quæ vult, est apud ipsum pro ratione voluntas instituentis. de jure naturali. §. sed & quod Principi.

PAUL. Glossam pro illo allegato intellige, quòd Papa potest conferre ad tempus sicut vult: id est, sicut debet velle, si necessitas suaderet. Et etiam hoc intendunt jura, per gloss. allegata. Ut de hoc scire valeas labyrintho, expedit te notare, quòd inter ea quæ sunt pro humana vita dirigenda statuta, quædam sunt quorum sola voluntas constituentis est causa, quia scilicet sic Principi placuit: & hæc dicuntur jura propria merè positiva, ut quòd sententia non teneat nisi per sedentem lata, vel quòd sacri ordines celebrentur per interstitia quatuor temporum, &c. & in talibus apud Principem est pro ratione voluntas: & in talibus jura loquuntur allegata superius, & similia. Alia autem sunt, quorum causa non est sola voluntas, sed dictamen rationis cogit, aut lex divina. Et ista tunc habent super modum præmissorum ad jus canonicum. Impossibile est ergo tollere veritatem consequentis, nisi etiam tollatur veritas antecedentis. Quia consequens includitur in antecedente, & necessariò sequitur ex antecedente, ut patet primo & secundo Priorum. Si igitur debet tolli jus canonicum per hujusmodi causas inductum, necesse est ut per easdem causas in contrarium agens dissolvatur, scilicet si suadet ratio aut lex divina: per regulam, omnes res. de re. jur.

PET. Videtur per hoc in Papa negari plenitudo potestatis, quæ est supra jus commune. Cum etiam Petrus in administratione major fuerit Paulo Apostolo, 80. di. in illis. Et ideo videtur nonnullis doctoribus non esse juris, si contra Apostolum Paulum Papa valeat dispensare.

PAUL. Absit quempiam dicere, quòd aliquid hujusmodi valeat sine causa. Cum enim in veteri & novo Testamentis non contineatur nisi veritas doctrinæ, fidei & moris contra legem naturæ & gratiæ: quâ ratione Papa pro libito posset dispensare? cum Christus non venerit legem solvere aut prophetas, sed adimplere, Matth. 5. Fateor, quòd in bigamia posset dispensare, & contra jus naturale, secundum intentum prius dictum, scilicet ipsum exemplum in casu, quem ponit Innoc. & communiter Doc. in c. cum ad monasterium. de sta. mo. sed si tota Christianitas, vel aliqua ejus pars, vel provincia esset in periculo, nisi monachus fieret Rex & regnum in suum recipiat suis hæredibus relinquendum, quia habebat fortè ante * monachatum filios: & quia fortè non est qui sciat regnum regere: quo casu, quilibet debet se totum in holocaustum Deo offerre, ut sibi serviat in eo in quo ei plus placet. Sed præ omnibus placet creaturam spiritualem rationabiliter & temporaliter conservari, pro qua & ipse animam posuit: & hoc casu dispensare potest ut proprium habeat. Similiter super continentia, quia dicunt illi de regno: Quia si debent dare regnum, volunt quod recipiat talem Reginam in uxorem, alias dabunt

* Sicut multi hodie pòst. Vide Centum Gravamina, & multa alia scripta huc spectantia in Fasciculo.

bunt eam infideli. Et hoc casu non debet etiam tantum diligi contemplatio hujusmodi monachi, contra majus bonum: & ejus continentia non debet credi, quod Deus non velit provisionem sui vicarii Christianitati hoc modo providere. Aliter enim, quod pro charitate institutum, militaret contra charitatem: ut dicit Hugo, Jo. Teu. & beatus Thomas in scripto super quarto Sententiarum, & dominus Hugo cardinalis. Unde pro magna guerra sopienda, aut pro cultu Dei ampliando, si essent pauci fideles, ut fuit tempore Abrahæ, aut pro vitanda strage animarum, posset dispensare, ut etiam moniales contraherent: & ita etiam concedit Magister sententiarum. Quamvis beatus Thomas * in secunda secundæ, 88. q. ar. 16. scripsit, quòd in voto religionis solenni non potest fieri dispensatio, quia illi castitas essentialiter est annexa. Secus dicit in voto solennizato per susceptionem sacri ordinis: quia illi continentia non est annexa essentialiter, sed ex statuto Ecclesiæ. Hic tamen attende diligenter, quòd si non subesset causa, aut fortè esset minus urgens quàm ut prædicatur, aut si insufficiens, & Papa nihilominus dispensaret cum moniali aut monacho sic contrahendo matrimonio, non esset matrimonium sed adulterium. Richardus verò de media villa, quarto Sententiarum. di. 38. q. 8. 1. ar. dicit Quòd dispensatio potest accipi dupliciter. Uno modo, pro juris laxatione, ut dictum est: alio modo, pro juris declaratione. Et hoc respectu dicimus Papam dispensare super jure naturali vel divino, declarando vel interpretando. Primo modo dicit nullum votum esse dispensabile, quia vovens obligatur Deo, cujus voti expletio est sub præcepto, juxta illud prophetæ: Vovete, & votum reddite Domino: primum, scilicet Vovete, est consilium: secundum, scilicet Reddite votum Domino, est præcepti. de vo. & vo. redempt. magnæ.

Quid si cœlum ruat?

* B. Thomas ergo & Mag. Sent. hac de re dissentiunt; quidni igitur aliis ab utroque dissentire liceat?

Sed secundò dicit quædam vota dispensabilia, quædam non. Illa namque dispensabilia non sunt, quæ dignam compensationem habere non possunt: ut votum Christianæ religionis, quod emittitur in baptismo: hoc servare enim est ad salutem necessarium. Alia verò fiunt supererogatione, id est, ad majus bonum agendum: & talia sunt dispensabilia. Quia potest inveniri causa rationabilis, scil. profectus majoris boni vel vitatio mali. Et hoc modo proprietas vel continentia in monacho, non est simpliciter bona: quia majus bonum invenitur. Secus de dilectione Dei.

PET. Gratâ mente optatæ institutionis hoc Speculum in tuis dictis recipio, quo se spirituales, maximè moderni temporis, valeant intueri. Quamobrem Tractatulus hic Aureum Speculum non immeritò poterit appellari: qui etiam succedit pro Chronica posteris ad cautelam, quoad gesta in Ecclesia his temporibus, Papâ * Bonifacio IX. natione Neapolitano, annis tunc ferè 15. Romanæ Ecclesiæ jam præsidente, & schismate in Ecclesia tunc jam ab annis † 18 perdurante.

PAUL. Reformet unigenitus Dei Filius suam Ecclesiam, secundum ejus gloriam, genitricisque suæ gloriosissimæ ac totius cœlestis curiæ. Amen. Audax manus ad calamum, supra vires scribens arripuit negotium: Anno currente nativitatis ejusdem Domini millesimo quadringentesimo quarto. Et eodem Domino tunc dirigente, sic compleverit, consulens toto desiderio ad obviandum malis universis pro Ecclesiæ Concilio generali, &c.

* 15. annus Pontificatûs Bonifacii incidit in annum D. 1404. ut infra.

† *Al. xxviij.*

EXPLICIT DIALOGUS PETRI ET PAULI, DE INSOlentiis & erroribus Romanæ Curiæ: * 1467. Cæterùm in processu Joannis Huss. sæpe fit hujus Aurei Speculi mentio.

* Quid sibi vult hæc annorum designatio, cum tam clarè patet librum fuisse absolutum 1404, nescio; nisi nobis indicet exemplar aliquod transcriptum fuisse ex priore, isto anno; vel fortasse excusum.

DE

DE SEPTEM STATIBUS ECclesiæ, in Apocalypsi mysticè descriptis: & de Authoritate Ecclesiæ & de ejus Reformatione.

Vixit hic Jacobus ante 233. annos Erfordiæ, & scripsit multa alia, in quibus mediocriter momordit Papam, ejusque spirituales, &c.

COLLECTUM DOCTORIS JACOBI de Paradiso Carthusiensis, scilicet in quodlibeto statuum humanorum.

LIBET præter ea quæ dicenda sunt specularitet, conformiter de sanctis revelationibus Johannis in Apocalypsi ostensis, à præmissis non alienis quædam referre. Ipse enim Johannes post visionem specialiter septem Ecclesiis & eorum Angelis, id est, Episcopis exhibitam, sanctum stylum suum vertit ad generalem Ecclesiæ universalis statum describendum, à temporibus Apostolorum usque ad secundum Christi adventum, in sexto & septimo capitulis, quem statum nomine septem Sigillorum signavit. Quæ septem sigilla, agnus, id est, Christus occisus aperuit.

Et apertio sigillorum non est aliud, nisi statuum Ecclesiæ manifestatio usque in finem seculi.

Aperto primo sigillo, visus est à Johanne equus albus, id est, status Ecclesiæ tempore Apostolorum purissimus, propter Baptismi gratiam per eos prædicatam & vitæ sanctimoniam quæ illo tempore viguit in numero fidelium, ut Actorum Apostolicorum testatur historia: Erant, inquit, illis omnia communia. In quo statu Simon Magus cum omnibus suis successoribus erat ejectus & damnatus: qui proh dolor! hodie in universo penè orbe, sua semina venenata in medio tritici superseminavit, & (ut vereor ego) sinenda crescere usque ad messem, cum paterfamilias dicturus sit: Colligite zizania & alligate ea in fasciculos, ad comburendum ea.

In apertione secundi sigilli, vidit Johannes equum rufum; in quo signatur secundus status Ecclesiæ, qui est status sanctorum martyrum tempore tyrannorum, scilicet Principum & Imperatorum gentilium, à tempore Neronis usque ad tempus Constantini à sancto Sylvestro baptizati. In quo statu multa millia sanctorum stolas suas in sanguine agni, scilicet Christi, rubricaverunt, Christi passionem imitati. Nam ut litera ibidem dicit, sumpta est pax de terra, & datus est sessori equi illius gladius magnus.

In apertione tertii sigilli, id est, in tertio statu Ecclesiæ, vidit Johannes equum nigrum; qui est scelus hæreticorum Ecclesiam persequentium, niger in vitiis, in quo nulla claritas lucet veritatis nec albedo æquitatis. Et qui sedebat super equum nigrum, scilicet diabolus regens hunc equum, habebat stateram in manu sua, scilicet perversam scripturæ expositionem, flectens eam faciliter ad quamcunque partem desiderat, sicut hæretici facere consueverunt. Et hoc tempus erat tempus Arii & aliorum, ut in Ecclesiastica narratur historiâ: in quo concurrebant Sancti Doctores prius dicti, justam libram, id est, rectam expositionem manibus suis gestantes: quod ita esse prætetita secula non ignorant.

In apertione quarti sigilli, visus est equus pallidus; id est, in quarto gradu viguerunt hypocritæ, falsâ religione palliati. Et qui sedebat super illum, nomen illi mors; id est, æterna damnatio illis debetur. Unde & infernus sequebatur eum, ut dicit litera. Et data est sessori illius equi potestas super quatuor partes terræ; id est, à Deo permissa interficere gladio iniquitatis & dolositatis: fame, id est, carentia verbi Dei: morte, id est, doctrina mortifera (coacervabunt enim sibi homines illius temporis magistros prurientes auribus, loquentes eis placentia) & bestiis terræ; id est, unient se Principibus, ad se fortificandos in viis suis, & hoc super quatuor partes terræ; id est, in omnibus mundi finibus abundabit scelus hypocritarum. ☞ In quo statu, ut arbitrari possum, hodie laboramus. In omni enim genere hominum, fictæ sanctitatis viros & fœminas videmus, quorum aut deus venter est, aut famam aucupant laudis humanæ, & præ aliis honorari & venerari volunt, præcellere cæteros in mundi sapientia, in doctrinæ præstantia, in operum externorum excellentia: cum tamen plures vacui cernantur in veræ virtutis, scilicet humilitatis, refulgentiâ: quod, quàm verum sit, à considerante studia hominum, ad quos fines tendant, palpari potest: sub colore enim honestatis militat omnis penè actio humanæ conversationis, etiam in his qui animabus lucrandis deserviunt. Ideo enim pallidi coloris equus

equus describitur, quasi speciem præferens mortificatæ carnis, ad ostendendum hominis exterioris sanctitatem: nec tamen planè spem habens albedinis aut puritatis.

In apertione quinti sigilli, vidit Joannes sub altari Dei animas occisorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, vindictam petentes de iis qui habitant in terra. Et dictum est illis, ut quiescerent adhuc modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi. Qui status quintus, credendus est partim competere animabus sanctis, jam exutis corporibus: partim etiam sanctis adhuc in hac vita degentibus, etiam tempore pacis Ecclesiæ: qui licèt materiali gladio non trucidantur, tamen seipsos mortificatione desideriorum carnalium quotidie mactant, quasi videntes se ubique hypocritis & fictis hominibus sive religiosis sive secularibus circumseptos, tædio affecti, longitudine temporum & acerbitate hypocritarum ubique prævalentium, orant dissolvi & esse cum Christo. Et verè molestiorem statum, quoad quotidianam internam & externam pugnam tam diuturnam, in hoc tempore pacis intelligere & sentire possunt: hi se in innocentia vitæ conservare volunt, qua illi priores sancti: qui licèt acerbiori, quoad pœnarum genus, celeriori tamen, quantum ad tempus, suam vitam finierunt.

Isti igitur duo status immediatè præcedentes videntur concurrere in unum tempus, scilicet modernum: licèt non in unum, quoad actiones in tempore uno agendas. Non latuit hoc genus hypocritarum sanctum Paulum, 2 Corinth. 3. inter cæteras pestes novissimorum temporum, ubi ait: Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; & aliis etiam locis similibus.

In apertione sexti sigilli, quod nihil aliud est quàm manifestatio sexti statûs in Ecclesia, vidit beatus Johannes magnum terræmotum fieri & solem denigrari, sicut cilicinum saccum, & lunam sanguineam, & stellas cadere super terram, & cœlum recedere sicut librum involutum, &c. vide Apocal. 6. circa finem. In quo designatur tempus Antichristi, qui impugnaturus est Ecclesiam. In quo tempore fiet magna commotio secularium contra Ecclesiam. Et Sol, id est, Christus alios illuminans, vilissimus reputabitur à reprobis, sicut saccus cilicinus vilescit, & opinio Christi pro nihilo reputabitur, dominantibus reprobis & deficientibus electis: quia nullum signum Deitatis ostendet, adjuvando suos. Imò Christus dicetur peccator & seductor & dignus pœnitentiâ, quia saccus cilicius est habitus pœnitentium. Et tunc Luna, id est, congregatio fidelium, fiet sicut sanguis: quia sanguis multorum effundetur, aut vilis reputabitur & contemnetur, sicut sanguis conculcabitur. Et stellæ cadent in terram: id est, multi prælati & doctores adhærebunt Antichristo & suis terrenis promissionibus, ad instar ficorum qui non firmiter adhærent ramis arborum. Et cœlum (secundum literam recedet sicut liber involutus: id est, sancti, qui pluviam verbi Dei spargere consueverant & justitiam Dei annunciare aliis debebant, occultabunt doctrinam præ nimietate persecutionum Antichristi: sicut liber involutus, continens in se & contegens veritatis scripta à notitia hominum: quia celabunt sapientiam suam, annunciare non audentes, & fugient à conspectu hominum. Et montes, id est, alti in virtutibus: & insulæ, id est, sancti, tribulationum fluctibus turbati, de locis suis movebuntur: id est, separabuntur à cæteris perversis. Et Reges, principes, tribuni, fortes & divites, servus & liber, abscondent se in speluncis & petris montium: & dicent montibus & petris, Cadite super nos & abscondite nos a facie sedentis super thronum & ab ira agni: id est, majores de Ecclesia, seculares & spirituales, petent suffragia Angelorum & aliorum sanctorum, ut protegantur eorum orationibus, ne & ipsi deficiant in illis persecutionibus Antichristi, sicut & reprobi, & ne similes aliis efficiantur, negantes Christum, ut evadant iram agni, id est, damnationem æternam, ne & ipsi acerbitate pœnarum vincantur sicut cæteri. Et quis poterit stare, scilicet in tantis tormentis, seu etiam voluptatibus non vinci? Quasi diceret: Nisi adjutus precibus sanctorum, nemo potest firmiter stare in confessione veritatis.

Deinde in capitulo septimo, post acerbitatem persecutionum, vult consolationem fidelium de prohibitione persecutorum innuere, & de adjutorio Angelico, ne persecutiones tantum quantum velint, inardescant: & ne noceant terræ, mari neque arboribus; id est, habitantibus in hac vita: quoad usque sancti Angeli, custodes fidelium, signent servos Dei in frontibus eorum; id est, prædestinatos distinguant à non prædestinatis.

Et Johannes audivit numerum prædestinatorum; 144000 signati. Et vidit turbam magnam, quam nemo dinumerare poterat, ex omnibus gentibus, tribubus & linguis: ut ex tribubus filiorum Israel & gentibus fiat unum ovile & unus eorum pastor. Ecce quàm magna fidelium consolatio post prænunciationem persecutionis Antichristi!

Deinde circa finem septimi capitis, ponit Johannes septimum & ultimum statum Ecclesiæ, cessante persecutione Antichristi, & eo occiso, in visione apertionis septimi sigilli, ejus

ejus qualitatem exprimit dicens: Factum est silentium in cœlo, quasi media horâ: id est, Pax reddetur Ecclesiæ, ut libera fiat sanctis prædicatio. ad confortandum fideles, & ad pœnitentiam agendam illorum qui deviaverunt: hoc fiet parvo tempore, secundum Bedam, Hieronymum & Danielem, per 45. dies.

Quanto autem tempore mundus post hoc stabit, puto neminem scire de communi lege. Ideo Danielis 12. quòd ipse dixit Angelo: Domine mi, quid autem post hoc? Et ait ei angelus: Vade, Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad tempus præfinitum. Posuit tamen Angelus, quamdiu duratura esset persequutio Antichristi, scilicet dies * 1290. qui dies complent numerum annorum: scilicet tres anni cum dimidio, quibus Antichristus regnabit. Quo mortuo, dabuntur electis 52. dies pro pœnitentia, qui additi ad primos, faciunt dies mille trecentos triginta quinque. Quos etiam Angelus in eodem capite circa finem enumerat, dicens, Beatus qui expectat: id est, perseverare potest, præ acerbitate persecutionis: & pervenit, scilicet pœnitendo, ad dies 1335. Et credo, secundum intellectûs mei parvitatem & temporum ac hominum nostri temporis qualitatem, quòd hodie currunt ea quæ dicta sunt in quarta & quinta visione, quæ durabunt usque ad adventum Antichristi, licèt etiam habitudines aliorum trium statuum possunt in parte aliqua nostris temporibus intervenire: scilicet equus albus partialis rufus, scilicet persecutione tyrannorum: & niger, id est, hæreticorum pravitas, in quibusdam saltem partibus. Ut ante nos fuit persecutio Bohemorum, quoad articulos fidei & Ecclesiæ contrarios: unde sequebatur magna sanguinis effusio, tam in clero quàm in vulgo: tamen præ omnibus temporibus universaliores erant & majores. Sicque noster status mixtus est cum aliis: licet multitudo & magnitudo hypocrisis spiritualem sibi vendicat nominationem. Et, ut verum fatear, non habeo aliquas apparentias in sacris literis in infallibilibus rationibus, quòd status nostri temporis generaliter reformari debeat aut possit, dietim impœnitentiis hominum crescentibus, sicut & in processu rerum naturalium & elementa & elementata viribus suis decrescunt. Imò verisimiliter opinabile mihi est, statum præsentem continuandum, imò pejorandum, usque ad sextum statum, scilicet Antichristi: cum experientiâ docente agnoscimus, hos magis contraniti reformationi generali Ecclesiæ quos magis deceret conatu toto ad reformationem tendere, cupiditate & primatu honorum eos ad hoc impellente. Etsi quandoque conatus Deum timentium ad reformandum operam dare intendat; tamen in hoc mundo celebriores & potentes viros, plus Ecclesiasticos quàm Seculares, videmus se fortiter opponere, adhæsionem sibi attrahentes principum & potentum secularium, quorum multitudo aut potentia scintillam inchoatam extinguit. Unde & Deus justo suo judicio vilescere facit statum religiosorum & Ecclesiasticarum personarum. Inde & bella ac lites in pluribus mundi partibus invalescunt, impugnanturque viri spirituales tam à secularibus quàm à spiritualibus: quod & Johanni in dictâ Apocalypsi revelatum est, c. 13. in quo de impugnatione Ecclesiæ, sub figura duarum bestiarum, duplex genus persequutorum Ecclesiæ depingitur. Una ascendit de mari, id est, de tempestuosa hujus seculi procella: scilicet principes seculares, atque laici, Ecclesiam bonorum impugnantes. Alia ascendit de terra, id est, quæ deberet stabilis & immobilis persistere: per quam (secundum Glossam) intelligitur malitia clericorum, & cupiditas prælatorum Ecclesiam impugnantium: quod quàm latè & clarè pateat, nemo, qui sensum habet, ignorat. Nam post reditum filiorum Israel de captivitate Babylonicâ, ex filiis Israel primitus exierunt iniqui ad Reges gentium, qui conturbabant populum suum, ut Maccabæorum in principio testatur historia. Et licèt Ecclesiæ Dei sufficienter provisum sit in doctrinis, quoad modum conversandi, tam quoad Ecclesiasticam dignitatem, quàm quoad religiosorum monasticam conversationem, per canonum ac jurium determinationem, nec non per sacram Theologicam facultatem: tamen parva, seu nulla certa istorum fit executio. Legitur quidem in cathedris: sed cum venitur ad praxim, tunc canitur canticum illud, Modicum ibi, modicum ibi. Et processu temporis, & frequentia multitudinis sic opposita, jurium robur accipiunt: ut si quis oppositum dicere aut facere velit, velut insanus æstimetur, sicque Dei justitia fit humana æstimatione injustitia, & defenditur vitiositas multitudinis, & laudatur peccator in desideriis animæ suæ: sicut olim fecisse Sodomitas Scriptura in Genesi testatur.

* Debet esse 1283.

Hoc latissimè hodiè patet in Simoniaca pravitate. Arbitror enim homines in statu ecclesiæ præsentis tandem ante adventum Antichristi, ad infimum gradum virtutum, imò ad profundum vitiorum perventuros, ut de meritis eorum exigentibus digni erunt filium perditionis ductorem iniquitatis ipsorum suscipere: ut sicut in Apocalypsi dicitur, Qui in sordibus sint, sordescant adhuc. Et ut dicit Christus Matthæi 24. de temporibus novissimis: Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum: ut sic

Deus

Deus in pœnam ponat eis offendiculum, & tradat illos in desideria cordis eorum. Ad Roman. 1. Ut procedant de vitio in vitium, ducente eos filio iniquitatis. Continuabitur enim iniquitas hominum vitiosorum, cum auctore omnium malorum. Ideo in profundum malorum, ut puto, tunc homines sunt futuri.

Non tamen inficior, quin semper justi perseveraturi sunt, nec defecturi filii salutis usque ad consummationem mundi: secundum Christi promissum Matthæi ultimo, Ecce ego vobiscum sum, &c. licèt secundum magis & minus: tum autem, ut ego puto, in minimum numerum, secundum dictum Christi: Veniens Filius hominis, putas inveniet fidem in terra? Non quidem, ut non inveniat, sed in paucis inveniet. Æstimo enim, ante adventum filii perditionis, in prælatis Ecclesiarum oppositum reperiri prælatis primitivæ Ecclesiæ, scilicet Apostolorum: ut sit in illis cupiditas, ambitio, superfluitas, voluptas, negligentia, proprius amor & alienatio timoris Domini: quorum opposita clarissimè patuerunt in patribus primitivæ Ecclesiæ. In clericis verò & Deo sacratis populis, immunditia, amor lucri temporalis, defectus prædicationis, corporis cura, vestium mollities, dissolutio morum & conformitas vitæ secularis: ut tunc fiat sacerdos sicut populus, secundum vocem prophetæ. In religiosis verò tunc erit inobedientia, superiorum proprietatum usurpatio, vitæ dissolutio, transgressio statutorum à patribus sanctis editorum, & votorum ipsorum transgressio: solus habitus & tonsuræ ostensio, & nihil aliud nisi imago quædam depicta religionis: quod etiam hodie clarè speculantibus in multis locis religionum reperitur, obstinato animo publicè defendentium suas iniquitates, scilicet etiam contra substantialia religionum militantes: simplicitas enim, puritas & paupertas voluntaria exulabunt tunc à religosis: quorum etiam multi reperiuntur hodie præcursores. Quis sapiens, & intelliget hæc. Erit tunc status secularium, tam principum quàm subditorum, penè in omnibus confusus, studentes injustitiæ, rapaces, violenti, incompassivi, quæ sua sint quærentes, innocentibus non parcentes, dolosi, fraudulenti, honorum secularium cupidi, avari, omni timore Dei destituti. Laici verò criminosi, luxuriosi, mendaces, perjuri, prælatis inobedientes, divitiarum amatores, voluptatum sectatores, vilificantes omnia quæ ad Dei cultum pertinent, & Dei cultores contemnentes. Hæc & multa alia etiam innumerabilia tunc reperientur, tam in præambulatoribus Antichristi, quàm & in Antichristo: ut conformia fiant præcedentia sequentibus, & finis status præcedentis, quoad malitiam, fiat par malitiæ status sequentis. Quemadmodum in alterationibus naturalibus fieri docet Naturalis philosophia, ut gradus ultimus formæ accidentalis corrumpendæ fiat penè similis primo gradui formæ generandæ, videlicet de immutatione aeris in ignem: id est, de generatione & corruptione.

Reformationem autem generalem ecclesiæ extremè necessariam fore nostris temporibus, mores corrupti totius orbis prænunciant: cum revera penè omnis caro corrupit viam suam. Sed quomodo eam fore possibilem in effectu fieri, nondum est positum ad praxim: licèt aliquoties per Concilia generalia sit attentatum. Et licèt quædam decreta in hunc finem prodierunt ab iisdem Conciliis, tamen tanta resistentia altæ dignitatis personarum tam spiritualium quàm secularium facta est, ut vidimus, quòd totum negotium lugemus infectum: & cum tempus pariendi advenisset, vires non habuit parturiens. Tanta denique crudelitate debacchati sunt, ut non tantùm prolem sanctam, scilicet reformationem necare contendant: sed & matrem, scilicet authoritatem conciliorum, & eorum convocationem occidant, prout res in prospectu declarat. Per quorum tamen conciliorum authoritatem, major esset spes ad viam reformationis obtinendam.

Hæc verò via reformationis, si esset possibilis, aut immediatè fieret à Deo per inspirationem, aut ab hominibus (neque enim videtur alia via danda). Quis dubitat de potentia Dei, si velit corda pontificum & principum secularium illuminare, ut quilibet se reformet? Sunt autem corda hominum in manu Dei, ut quocunque voluerit, vertat ea, secundum scripturæ veritatem. Sed hactenus sine medio agere Deus non consuevit, ne supervacuè videatur Scripturæ sacræ & intellectuum illuminatio etiam humanitus concessa. In his, sicut & in aliis, per media agere consuevit, secundum Dionysium. Est tamen alia via emendandi vitia humana, scil. à Deo per peccatorum † & castigationum inflictionem, quam scriptura sacra testatur in libro Judicum, cujus etiam meminit David sanctus dicens: Cum occideret eos, quærebant eum & revertebantur, in diluculo veniebant ad eum. Quanquam non semper hæc via pœnarum profuit perversis, dicente Jeremiâ: Percussisti eos, nec doluerunt: attrivisti eos ut acciperent disciplinam, &c. ejusdem 5. cap. Quod fortè etiam modernis temporibus videtur in multis habere locum. Et in alio loco per Jeremiam dicit Deus: Interfeci & perdidi populum meum, & tamen à viis suis non sunt reversi: ejusdem 15. cap. Has pœnas possemus imaginari graves pestilentias,

† Fortè addendum, punitionem.

hæreticorum violentias, infidelium invasiones in Ecclesiam, captivitates Christianorum per gentilium nationes, fames, & hujusmodi, quas in prophetis legimus comminatas: videlicet in captivitate Babylonica filiorum Israel post eorum peccata. Si verò per homines erit spes reformandi, hæc maximè residet apud præsidentes, tam ecclesiasticos prælatos quàm principes terræ, qui non solùm verbis persuasivis, sed & comminationibus pœnarum, vim haberent coactivam, ad reformandum primò se voluntariè, deinde alios sibi subjectos. Legimus in sacris literis, reformationem Ecclesiæ quoad unam progeniem, factam per reges sanctos, scilicet David, Ezechiam & Josiam, qui ab idolorum cultura filios Israel compescebant, & ad Domini legem conservandam homines revocabant.

Etiam tempore Constantini Imperatoris, tempore beati Silvestri Papæ, legimus Ecclesiam ab errore hæreticæ pravitatis conservatam, & errores multos extinctos. Et tempore Concilii Nicæni, similiter antiquorum conciliorum convocatorum, multæ hæreses invaluerunt, rabie persecutionis prohibente ne fideles convocari possent ad errorum extirpationem. Hic simili modo verendum, ne si nostris temporibus longo tempore differretur conciliorum convocatio, impediretur Ecclesiæ reformatio. Nisi enim in primitiva Ecclesia sanctorum Apostolorum & seniorum fuisset factum Hierosolymis concilium, de observatione legalium, error damnabilis invaluisset apud fideles: prout testantur Acta Apostolorum, 15. cap. Cum igitur teneamus, per potentes & præsidentes, tam spirituales quàm seculares, possibilem fore Ecclesiæ reformationem, tam in capite quàm in membris: aut ergo per unum hominem, aut per multos: non per unum, quantacunque refulgeat morum venustate, aut scientia, aut alia dignitate, etiam fortè si miraculis claresceret (nam legimus plures tales fulsisse, quorum tamen temporibus Ecclesia non fuit reformata, etiam schismatibus continuatis) neque etiam, ut puto, per solum summum Pontificem: nam de facto tot sunt editi canones decretales & constitutiones per eosdem, & tamen in cassum membranas occupant, nullâ sequente reformatione. Item, quia palpabiliter cernitur, ipsam ejus curiam maximâ indigere reformatione, sicut omnia ☞ clamaverunt ultimò celebrata generalia Concilia: Quam suam curiam si non potest aut non velit reformare, quam sub alis suis contegit: quomodo credendum est, quòd tam latè diffusam reformare possit Ecclesiam? Etiam per constitutiones, per quas creditur reformari Ecclesia, debent moribus utentium approbari, & debent edi cum consensu eorum qui debent eis uti: aliàs non erunt acceptabiles, nec fortè dignæ acceptari, quia caput sine membris nihil novi edere potest, de quo in prioribus non est mentio facta.

Item quia diceretur eidem: Prius medicinam vulneribus tuis dispone, tanquam capiti: quo sanato, & membris facilius edes medicinam: quare Medice cura teipsum. Quin prius ejicies trabem de oculo tuo, deinde festucam de oculo fratris tui: aliàs in præpostero ordine nihil proficies. Sale enim infatuato nihil conditur. Ideo justo Dei judicio minus sunt acceptabilia sua decreta, nisi seipsum & suos reformaverit. Et hanc profectò potissimam reor causam deformationis Ecclesiæ, quia cernitur in capite vulnus quod necesse habeat antè curari. Nam dicit unus de eis: Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Et Paulus dicit: In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum. Et talia innumerabilia in libro de Cura pastorali beati Gregorii continentur. Unde mihi vix credibile videtur, posse Ecclesiam generalem reformari, nisi curia Romana fuerit antè reformata. Quod tamen quàm difficile sit, cursus temporum præsentium manifestat: cum nulla gens aut natio fidelium tantam ☞ resistentiam faciat reformationi ullius Ecclesiæ, sicut natio Italica, & alii eis applaudentes spe promotionis aut lucri, aut temporalis commodi, aut timore amissionis ☞ dignitatum ligati. Contremiscunt enim solo auditu congregationis generalis concilii, cum sciant per experientiam, quòd Concilia generalia palpare nesciunt, sed corrigere & emendare sine personarum acceptione: cum ibi congregentur de omnibus mundi partibus qui vitiis non parcunt, nec amore nec timore seducti. Et facilius invenitur veritas passionibus humanis seclusis. Imò nec veritati patere potest aditus, oculis rationis per passiones obnubilatis: præsidentesque ex parte Papæ conciliis quia vident contra dominum suum, & contra se negotium conciliorum disponi quid aliud agere existimandi sunt, quàm ut tota authoritate decretis conciliorum obicem ponant, aut per dissolutionem conciliorum, aut per discordiarum seminationem: sicque opus totum redditur infectum, ac per hoc itur in antiquam sylvam, scilicet erroris & tenebrarum. Quod quàm verum sit, nullus ignorat, nisi inexpertus temporum præteritorum. Clarè enim probat hoc tragœdia, nostris temporibus in Basileensi Concilio practicata: quod hi norunt, qui rem oculis subjecerunt. Et ex hoc ortum est vulnus, nescio quando curabile,

curabile, contra authoritatem Conciliorum Generalium, ut abscedentibus Papa aut suis præsidentibus à loco Concilii, vel differentiâ exorta inter patres ejusdem, censeatur Concilium dissolutum: resideatque in personam Papæ, de plenitudine potestatis, authoritas dissolvendi aut transferendi generalia Concilia: prout Eugenius olim Papa de anno Domini 1437 fecisse comprobatur. Hocque venenum effusum est per eum in Ecclesiam, per adversarios Conciliorum indelebiliter observandum, & literis aureis in gestis Conciliorum annotandum: ad quod refugium habebunt, ut fulcimentum sui erroris, ut subterfugere valeant correctionem & reformationem: ita ut etiam modernis temporibus frontosè aliarum scientiarum viri dogmatizare audeant, In quolibet Papa residere plenitudinem potestatis, non solùm super quolibet membro singulari ecclesiæ, sed & super totam ecclesiam conciliariter congregatam, ad libitum ipsius disponendi, decretandi, dissolvendi, transferendi, corrigendi, authorizandi: ut nullus ei audeat dicere, Cur ita facis? Et sic totaliter nituntur suffocare authoritatem Conciliorum, contra decretationem ab omnibus acceptam, in Constantiensi, Basileensi generalibus conciliis publicè promulgatam, & contra pragmaticam Sanctionem super hoc editam atque factam. Talesque sic dogmatizantes, & eis consentientes, arbitrantur se obsequium præstare Romanis pontificibus. Sed non advertunt quantum saluti adversantur eorundem. Nam saluberrimam misericordiam & medicinam ejusdem proscindunt, scilicet fraternam correctionem: & capiti Ecclesiæ morbido non patiuntur adhibere medelam, quod quantæ sit crudelitatis, nemo sanus ignorat: ut Augustinus testatur in regula sua. Si enim singulis membris medicina est parata, cur capiti denegatur? Cum hoc magis indigeat sanatione, quàm alia: quia eo ægrotante, omnia membra ægrotare videntur.

Nisi fortè quis insaniens ad hunc errorem prorumperet, quòd diceret Papam impeccabilem & indeviabilem, quasi jam extra terminum viatorum volentes eum collocare. Non recensent Petrum primum Papam fuisse reprehensum à Paulo, uno singulari, & sibi inferiore: ad Galatas 2. Et Ecclesiastica historia, & Speculum historiale & certa ac indubitata experientia manifestat, eum & in fide & moribus similem esse posse cæteris peccatorem, ex vertibilitate liberi arbitrii nondum confirmati. Auferre igitur à Papa correctionem, imò potestatem deponendi, est maximæ impietatis: & ipsum statuere in plena audacia peccandi, & per consequens furioso dare gladium, ut seipsum sine resistentia interimat. Mittunt igitur Papam in foveam damnationis, & cum eo damnantur, qui eum subesse Ecclesiæ universalis correctioni contradicunt. Quo igitur pacto talis universalem Ecclesiam solus reformare valeat, qui & ipse infirmitati subjectus est, indigens per se reformari? Ut pono, quòd sit aliquis talis. Et quomodo filius Ecclesiæ censeri potest, qui matri suæ obedire contemnit, & quem Ecclesia corrigere pro suis excessibus non potest? Et si non filius Ecclesiæ, quomodo erit hæres promissionum Ecclesiæ per Christum factæ? prorsus enim se ab hæreditate paterna alienum pronunciat, qui se filium ecclesiæ negat. Ponere igitur se supra totam Ecclesiam, aut supra generalia concilia legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentantia, non est aliud quàm totam spem reformationis Ecclesiæ auferre, & uni homini peccabili se committere, qui & se & ecclesiam per devia erroris ducere potest. Inde infertur hoc inconveniens, quod Christus ecclesiæ suæ, post suam ascensionem, insufficienter providit, committens eam uni, qui eam in damnationem inducere potest: pro qua & ejus salute ipse de cœlo descendens proprium sanguinem fudit, & animam suam ponere dignatus est in mortem. Et quis regum temporalium peregrè proficiscens, in omnem eventum absolutè & sine correctione committet populum suum uni ad gubernandum, sine omni conditione, & sine omni contradictione singulorum, ne aliter facere auderet, quàm ille præcepturus esset, sive bene sive male? & non potius populus in unum congregatus incarceraret aut deponeret illum perversè regnum gubernantem? Sic de sponsa, commissa per sponsum peregrinantem uni militi, qui eam stuprare vellet, deberetne ei ex commissione generali sponsi obedire? Quis hoc nisi insanus diceret? sic simili modo, in Papa & Ecclesia. Et quid mirum, si universalis ecclesia congregata argueret Papam ac etiam puniret si incorrigibilis esset? cum etiam asina prophetam legitur arguisse, voce hominis loquens, Num. 22. Et Apostolus dicit sibi & sui similibus datam potestatem in ædificationem & non in destructionem. 2 Corinth. 10. Et quis auderet asserere, quòd correctio fraterna, in Evangelio expressa, non haberet locum in Papa, cum & ipse frater sit censendus? Et si Ecclesiam scandalizaret per publica crimina, aut ad malum filios Ecclesiæ traheret, aut per ejus desidiam aut negligentiam oves sibi commissæ in præcipitium ruerent, quòd nullam deberet aut posset habere correctionem, qui eum monerent semel, bis aut ter: & postea eo indurato, possent procedere ad depositionem ejus, alio utiliori substituto: aliud dicere, persuasum mihi videtur esse impium & iniquum. Et nisi in futuro concilio celeri remedio provideatur huic veneno,

P 2 recenter

recenter introducto, de authoritate Conciliorum supra Papam, cujus contrarium dogmatizant aliqui, & maximè de curia Papæ & ejusdem assentatores; clarum est quanta inconvenientia inde sequantur. Primò, quia datur Papæ audacia impunè peccandi & disponendi omnia negotia Ecclesiæ ad libitum suum. Secundò, quia datur subjectis in toto orbe occasio vilipendendi, imò contemnendi omnes constitutiones, ordinationes & mandata Papæ. Videntes enim Romanos Pontifices non curare decreta sacrorum canonum, pro libito dispensare ea, & contravenire eisdem, quid aliud quàm justo Dei judicio permittuntur subditi, ne & ipsi stent in obedientia constitutionum Papalium, & murmurent, dicentes: Tu prius patere legem, quam tulisti? Minimus enim in regno cœlorum vocabitur is, qui solverit unum de his mandatis minimis, & docuerit: vox est Salvatoris. Sicque derisioni pateat apud mentes secularium sedes Apostolica, ut inpræsentiarum est videre: nec censuræ ecclesiasticæ per spirituales judices latæ hodie curantur. Cum enim pastor per abrupta graditur, necesse est ut in præcipitium grex sequatur. Tertiò sequitur, quòd si in antea fieret convocatio Concilii generalis, totius Germaniæ Principes & prælati, Doctores ac Magistri se subducerent à Concilio. Ex quo enim tota dispositio Ecclesiæ in mente unius peccabilis hominis residere debet (ut olim Papa Eugenius decrevit irritare decreta Conciliorum, transferens de plenitudine potestatis Concilium ad Ferrariam) supervacua esse videtur multorum congregatio, ubi unus solus contra aliorum vota debet & potest authorizare: maximè cum causa exigeret quòd negotium Papam tangeret. Mox enim excitaretur discordia, & recederent præsidentes, & fieret dissolutio Concilii. Et quomodo in Concilio Constantiensi, non obstante Papæ recessu & suorum, decretum fuit, integrum mansisse Concilium: cujus tum oppositum fuit practicatum in Concilio Basileensi: & quis in antea frequentaret Concilia? Revera Jeremias, si adesse possit, iteraret suos Threnos, dicens: Viæ conciliorum lugent, eò quòd non sunt qui venient ad solennitatem. Exinde ludibrio ducerentur concilia: maximè quia videmus, quòd omnia quæ tantis laboribus, impendiis in retroactis Conciliis elaborata sunt, penitus irritantur, & tanquam pulveres ventis obnoxii conculcantur. Fontale verò principium omnium illorum malorum, secundum Apostolum, est cupiditas, quæ sibi vendicat locum penè in omnibus clericis: quoniam secundum Jeremiam, à maximo usque ad minimum omnes avaritiæ student. Ad quam satiandam non reperiunt Ecclesiastici viri commodiorem opportunitatem, quàm in adipiscendis dignitatibus & beneficiis ecclesiasticis. Et hic sentiunt conferri per Papam, qui sibi per hæc attrahere consuevit penè totam Ecclesiasticorum virorum cohortem. Ideo adhærentiam copiosam sibi parit per horum provisionem.

Sed quia generalia Concilia per sua decreta saluberrima providere voluerunt, ut secundum sacrorum canones veteres, ab inspiratione Spiritûs Sancti emanantes, beneficia ecclesiastica & judicia debito ordine procedere possint, de Annatis non solvendis, de electionibus secundum canones faciendis, & de reservatis gratiis extirpandis, de beneficiis per locorum ordinarios conferendis, de causis in provinciis judicandis secundum Concilium Nicænum, & aliis multis: quibus auditis cupiditatum servi totis viribus se opposuerunt, & decreta & concilia detestati sunt, confugeruntque ad sedem Apostolicam, quæ libenter favit eisdem, eodem morbo laborans: quæ sub occasione abundantiæ, (qua necesse haberet summus Pontifex, ne egeret pro sua curia sustentanda) omnia irritavit, relabens in antiquum morem, à Canonibus improbatum: quasi non esset alter modus providendi curiæ & sedi Apostolicæ, quàm iste improbatus. Sicque abusus iste revixit, & beneficia venduntur, & potentes magis timentes sacculos, & minus idonei beneficia pinguiora reportant, aliis dignioribus repudiatis: sicut etiam Synodus Basileensis per organum Juliani Cardinalis sancti Angeli, legatis Domini Eugenii Papæ dedit pro responsis, anno Domini 1435. in responso quod incipit, Decret. Et ut lucidius de authoritate speculari valeamus, apprehendamus viam resolutoriam contra personam Papæ. Prima resolutio ostendit nobis naturam ejus absolutè, in qua par est omnibus rebus naturalibus ex materia & forma compositis, nil ei amplius tribuens quàm alteri elemento & elementato, scilicet simplici atque mixto, scilicet lapidi & ligno. Secunda resolutio ostendit ipsum animal sensitivum, in potentia sensitiva decoratum, in qua passiones fundantur, scilicet ira, timor, amor, cupiditas, gaudium, spes, dolor, ut declarat philosophus 7. Physicorum. Et quantum ad hanc resolutionem, circumscriptâ ratione, est ipse & alii homines, non aliud quàm bestia & animal brutum. Tertia resolutio ejus ostendit hominem rationis capacem, qui legibus divinis & humanis est informabiliter ad imaginem Dei conditus, à bono malum discernens. Et quoad hoc similiter nihil habet Papa ultra alium hominem simplicem. Quarta residet resolutio contra papatum, quæ competit ei ex electione canonica per illos facta, quibus de jure competit potestas eligendi, per quam traditur

Resolutio personæ Papæ.

ditur simul authoritas & ministerium super membra Ecclesiæ à Deo principaliter, licèt ministerialiter ab electoribus & instrumentaliter, secundum quod Apostoli undecim Matthiam elegerunt, dicentes: Ostende quem elegeris, &c. quasi dicerent: Quem tu divinitùs elegeris, illum ostende tu nobis per hanc sortem. Igitur Deus est principalis elector & collator authoritatis Apostolicæ, homines verò solùm judicatione: cum non potest aliud signum divinæ electionis haberi, quàm, præmissâ scilicet Spiritûs invocatione, pluralitas vocum & consensus plurimorum. Et sic hæc resolutio præsentat nobis Christi vicarium à Deo electum. Et inde surgit authoritas Papæ, ut habeat potestatem dispensandi ministeria & dona Dei, secundum Paulum 1 Corinth. 2. Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Fluit igitur & emanat hæc potestas à Deo, secundum quod Regulæ divinitùs traditæ docent dispensandum. Aliter enim vicarius fidelis non debet negotia principalia committentis disponere, quàm ut revera scit ipsum principalem velle: alias non esset fidelis dispensator, sed crudelis dissipator: cum conformes debeant esse actus principales actorum & instrumenti quod ab actore dirigitur. Qui vicarius si Regulam principalem constituentis egreditur & transgreditur, jam resilit ab illa parte resolutionis, & labitur ad inferiores partes, scilicet hominis aut bestiæ. Unde, ut sic, non est ejus vicarius. Dicit enim Paulus 2 Corinth. 2. Si quid donavi propter vos in persona Christi, glorior ac si Christus donasset, conformans se in donatione sua Christo, scilicet vice & authoritate Christi: quasi ipsius & Christi esset eadem donatio & dispensatio. Si igitur exit Papa has regulas Christi, jam induit personam hominis aut bestiæ. Inde est, quòd si contraria Christo jubet, in peccatis dico mortalibus, hic non agit ut Papa, sed ut bestia, ratione non participans. Igitur non est inobediens censendus, qui ei in talibus non * obtemperat: saltem dico directè contrariis Christo. In cæteris indifferentibus sibi judicium relinquitur, ut fideliter prudenterque dispenset, ut justa ratione æstimet, Christum scilicet velle, si ipse per se adesset. Ideoque Paulus hanc resolutionem non ignorans, dicit ad Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Ponit inquam in abstracto [potestas] non in concreto [potens] quia potens potest esse non à Deo, quia officium potestatis semper justum est, quia ordinatum secundum regulas Dei rationabiliter institutum, licèt potens eâ abutitur. Ideo Deus dicit per Oseam: Ipsi regnaverunt, & non ex me, &c. Et Johan. 19. dicit Christus Pilato: Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi data esset desuper. Potestas igitur justa erat, sed ille eâ abutebatur, injustè Christum condemnando. Unde subdit Paulus: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Non dicit, qui potenti, in concreto, resistit, abutente suâ potestate, Deo resistit: imò talis sic resistens contraria Deo præcipienti, non Deo resistit, sed ei se conformat. Non igitur tanta potestas in omnem eventum data credenda est Papæ, quòd omnia ad libitum suum disponere habet, postposito respectu ad Deum constituentem. Non enim sunt dona propria, sed Dei, ad cujus honorem & utilitatem debemus omnia mensurare. Non enim putandus est Deus, quòd in homine indistricto suum arbitrium strictum posuerit, quia nec de alio homine puro arbitrandum est. In cujus exemplum inspiciamus primùm Papam, qui cum in vera fidei confessione Christum Dei filium pronunciasset, dictum est ei à Christo: Beatus es Simon Bar-jona. Cum verò à vera Dei regula, quoad Christi passionem impediendam (quanquam piè illud visus fuisset sensisse) ei dixisset, Absit à te, Domine, non erit tibi hoc, respondit Jesus Petro: Vade post me, Satana, scandalum mihi es: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum, Matth. 16. Ecce qualis mutatio facta est in eodem homine, non persona mutata, sed habitu mutato, de beatitudine in Satanam. Et si simile contingeret in persona Papæ, cur non simile sibi attribueret in appellatione, cum ipse successor sit Petri? Non inde potestas culpatur, sed vitium personæ, in reprobum sensum mutatæ. Cur ergo quis audeat dicere, Papam non posse corrigi aut deponi per Ecclesiam conciliariter congregatam: cum tunc non censetur agere ut Papa, sed ut vitiosus, degenerans de dignitate Papali, si incorrigibilis existit & scandalizat Ecclesiam? sicut Petro dictum est, Scandalum mihi es: cum dixit Christus Matth. 18. Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris. Et væ homini illi per quem scandalum venit. Si unum ex pusillis scandalizans talem pœnam meretur: quid de illo qui totam Ecclesiam scandalizat? Et quis erit executor pœnæ, nisi ille vel illa, de quo dixit Christus: Dic Ecclesiæ, tanquam superiori te. Quia Petro Papæ hoc dixit tanquam inferiori Ecclesiæ; quem utique non ad inferiorem misit, sed ad judicem superiorem, secundum divini & humani juris dispositionem. Neque verò, quia ministeriale caput super singula membra est constitutus, ideo nobilior & dignior dicendus est totâ Ecclesia universali; quia & Papa est censendus inter membra Ecclesiæ, cujus principale & essentiale

* Vide infra Epistolam Rob. Episc. Linc.

essentiale caput est Christus: secundum illud ad Ephes. 4. Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput nostrum Christus, ex quo totum corpus connexum & compactum, &c. sumus enim omnes Christiani, tam Papa quàm alii, corpusque Christi & membra ejus. Unde oportet & ipsum Papam subjectum esse legibus Christi & totius corporis Christi, quod est Ecclesia: ad Ephes. 4. Nec mirum; quia etiamsi Angelorum eminentia aliud doceret, quàm Ecclesia sancta Catholica decertasset, secundum Sancti Spiritûs inspirationem quam residere in universali Ecclesia non est dubium, anathema essent censendi: ad Gal. 1. Quantò magis, si homo mortalis & vertibilis de malo in bonum, & econverso, passionibus & erroribus diversis subjectus, aliter doceret, anathema esset dicendus? Sed * Papa, cui nunquam legimus tantam assistentiam indeficibilem divinam pollicitam esse sicut toti Ecclesiæ, Christo dicente: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi, Matth. ultimo: neque Petro tanta adfuit assistentia incommunicabilis, quum & ante passionem Christi & post ejusdem passionem legitur cecidisse à veritate. Scimus etiam, Christo teste, ipsum esse vitem, omnesque alios palmites: inter quos & Petrus Papa erat connumeratus: de quibus palmitibus dicit: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, agricola tollet & in ignem mittet, & ardebit. Et per quem potius tollendus est palmes, nisi per Ecclesiam universalem, cum & Papa sit palmes in vite? Johan. 15. Hæc omnia quæ præmissà sunt, in istum finem militant, ut sciamus per unum hominem defectibilem Ecclesiam reformari non posse. Et quòd Ecclesiæ universali conciliariter congregatæ, Papam esse inferiorem non dubitemus. Et quòd authoritas Ecclesiæ integrè servanda est super omnem, quacunque præfulgeat, dignitatem, etiamsi Papali, in his quæ ad fidem & ad schismatis extirpationem & ad generalem Ecclesiæ reformationem pertinent in capite & in membris. Secundò, Concilium punire potest & debet quemlibet etiam Papam, qui contumaciter statutis & præceptis ejus obedire contempserit, ad alia etiam juris remedia, si opus fuerit, recurrendo. Ex præmissis infertur: si universalis Ecclesia, tam in capite quàm in membris debet reformari, oportet hoc fieri per totam Ecclesiam conciliariter congregatam, à capite incipiendo. Neque enim spiritus mendax credendus est fuisse in ore omnium illorum celeberrimorum virorum in Constantiensi Synodo congregatorum, qui hoc sanxerunt per decretum Frequens, licèt quidam ex Italica natione, de collateralibus Papæ, molestè illud tulerunt: postea tamen omnes consenserunt de superioritate Concilii generalis super Papam, licèt inimicus homo iterum superseminaret zizaniam.

Quid ergo? putamusne Ecclesiam posse recipere reformationem generalem? Et quidem ad hunc statum devenire, ut omnia vitia tollantur ab Ecclesia? Ego judico impossibile humano modo: quia nunquam ab exordio mundi fuit hoc possibile, ab Abel, à quo cœpit, usque ad nostra tempora. Semper enim Satan mixtus erat cum filiis Dei, & sagena evangelica trahit pisces bonos cum malis, & virgines fatuæ mixtæ sunt cum prudentibus, & zizania crescit cum tritico usque ad messem. Conandum quidem est, ut singula eradicentur: sed omnia simul est impossibile extirpare. Sicut dicimus de peccatis venialibus, quorum nullum dandum est, quin sit devitabile; sed non omnia simul. Sed est alia reformatio, de qua quæritur, ut scilicet ea quæ sint decolorativa statuum & personarum tam secularium quàm spiritualium ad rectam formam perducantur: ut reformatio pacis inter regna & principes, extirpatio hæresum & schismatum, simoniacæ pravitatis à Curia Romana & ab omnibus Ecclesiæ prælatis, & concubinariorum repressionis: visitatio effectualis & utilis clericorum, provincialia & synodalia Concilia, idoneorum prælatorum, clericorum & parochialium Ecclesiarum rectorum institutio & ad ordinum promotiones, & legitima admissio eorum qui vita, scientia & ætate sunt apti. Quid quod ad sacrorum ritum pertinet legitima executio, & quantum ad divini cultûs honorem in Ecclesiis spectat solers circumspectio? In religionibus amputatio dissolutionum, excessuum, evagationumque restrictio, tam in clericis quàm in religiosis honestas habituum & tonsurarum, observantiarum regularium custodiæ, disciplinæque monasticæ in omnibus pervigil observantia: adulteriorum & cujuslibet impudicitiæ compressio, Ecclesiarum frequentatio, divini verbi sedula tam propositio quàm auditio, sabbatorum sanctificatio. Et ut cum severitate debitâ coerceantur divinatores, incantatores, arioli, aruspices, somnia observantes, carminibus illicitis insistentes & benedictionibus superstitiosis ac necromanticis artibus operam impendentes: Altaria aut Ecclesias in conventiculis locorum, sub spe miraculorum aut sacrorum erigentes propter turpem quæstum: abusiones communitatum, civitatum, provinciarum villarumque à fide & bonis moribus alienas cohibere, & omnes pravas consuetudines & magis corruptelas sanæ doctrinæ repugnantes, in Ecclesiis Cathedralibus, collegiatis & conventibus quorumcunque monasteriorum ac Ecclesiarum prohibere. Et quis omnia enarrare ac enumerare sufficiat, quibus Ecclesia

Reformandorum recensio.

moderni

modernis temporibus cernitur deformata? Putamusne hæc omnia aliquando posse reformari?

Persuaderi mihi videor quòd nec ætas nostra nec futura hæc patietur: cum non habeam rationes probantes quomodo illud fieri possit. Primò, propter inveteratam & insolitam consuetudinem, quæ difficilè curatur: secundò, propter potentium tam in scripturis quàm in altis dignitatibus resistentiam: tertiò, propter avaritiæ morbum, qui ubique invaluit, maximeque in altis sedibus, qui nullo modo patientur sibi auferri honoris, fastûs, divitiarum & voluptatis amplitudinem. Et qui amplius insistere deberent reformationibus, pompis amplius delectantur, fingentes ipsis colores sub specie defensionis Ecclesiasticæ. Et ideo eos oporteat abundare, ne status eorum vilescat: & ut habeant armatam militiam, qua compescere valeant violantes bonorum ecclesiasticorum detentores, Et ideo oportet, ut dicunt, eos fulcitos esse pluralitatibus beneficiorum atque dignitatum: sed timendum est ne lateat anguis in herba; fingentes excusationes in peccatis, magis ut quæ sua sunt quærentes quàm Dei. Nam veram puto sententiam beati Hieronymi super Jonam, scilicet quòd Rex Ninive novissimè audivit sermonem Jonæ: quia difficilè potentes, nobiles, divites; & multò his difficilius homines eloquentes credunt Deo & aures accommodant verbo Dei: excæcatur enim mens eorum. Concordat huic sententiæ Apostolica doctrina 1 Corinth. 1. Non multi potentes. non multi nobiles, non multi sapientes secundum carnem, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes. Æstimo igitur mundum dietim decrescere in pravis moribus, salvâ divina dispositione cujus consilium nemo novit, usque ad profundum delictorum, quousque veniat filius perditionis, qui cooperabitur delictis seculi & fortificabit omnes operantes iniquitatem, ut fiat supra modum peccator obnoxius peccatorum. Posset quidem fieri universalis reformatio Ecclesiæ per prædicta, sicut & jamdudum factum est: quæ si ad executionem ponerentur, nullâ alia reformatione indigeremus. Sed sicut de decretis sanctorum patrum veterum factum est: sic fiet & de novis, nullâ super his facta executione. Neque diffiteor partiales fieri posse locorum reformationes, sicut & jam per gratiam Dei in multis monasteriis fiunt: sic & prælati, quorum Deus corda tangeret, possent se & suos à malis cohibere: cum Deus novit qui sunt sui, & quos præscivit & prædestinat conformes fieri imagini filii sui, à voraginibus peccatorum, in quibus multitudo præambulat, potest præservare. Recensentes veteres historias, ex serie sanctarum scripturarum scimus, quando iniquitas hominum invalescebat, Deus eis posuit modum, aut totum mundum perimendo, paucis exceptis propter speciem conservandam, ut in diluvio: aut in posteris nationibus, propter juramentum Noæ factum, ne amplius diluvium faceret, particulares generationes delendo, ut in Pharaone submerso cum omnibus suis: perversam multitudinem filiorum Israel contra Deum & Moysen rebellantium in deserto, per 40 annos delendo: ut de tanta multitudine, scilicet 603550, solùm duo homines intraverint in terram promissionis, ut Num. 14.

Attende.

Exod. 38. 26.

Deinde cum iterum tempore Jeroboam multiplicati fuissent, & idolis servissent per 200 annos, Deus tradidit decem tribus in captivitatem Medorum & Persarum usque ad præsens: generationem autem Judæ & Benjamin tradidit in captivitatem regis Babylonis per 70 annos. Post reditum verò de captivitate, per Esdram & Josuam filium Josedech sacerdotem & Nehemiam, qui reædificaverunt templum, & emendati sunt usque ad tempora Maccabæorum, & usque ad Christum. Nec leguntur idola coluisse, saltem ut plures: donec Christum occiderent, & usque ad tempora Titi & Vespasiani Romanorum Principum, qui eos in excidio Hierusalem miserabiliter trucidarunt, ac aliquos vendiderunt. Sicque semper pœna secuta est culpam. Quid ergo pro nostris culpis passuri sumus, quæ utique, ut timendum est, modò * impar est præteritorum culpis? Et licèt idola manufacta non coluntur à Christianis, tamen idola mentalia fabricata frequentius coluntur; scilicet avaritia, quæ est idolorum servitus: ventris voluptas, quæ est idolum ventris: (quorum, inquit Paulus, deus venter est) idolum superbiæ, Beelzebub & Baal & cætera. Quorum cultura quanto occultius, tanto amplius frequentatur. Gaudet quidem nostris temporibus, scilicet nunc de anno Domini 1449. Ecclesia de unico & indubitato pastore, scilicet Nicolao Papa quinto: sed luget de conculcatione decretorum in transactis conciliis edictorum, & videt quomodo contraria decretis practicantur. Suadendum tamen totis conatibus videtur, quòd illud decretum Frequens, de Conciliis generalibus continuandis non aboleatur: per quod vulnus de superioritate Papæ supra Ecclesiam per Eugenium olim Papam inflictum, sanari potest. Licèt enim plures contradicent, tamen per gratiam Dei penè totus orbis viros insignes in se continet, qui ab authoritate Ecclesiæ, per futuram atque nostram generationem non recedent, atque in ea vitam etiam finire gaudent, propter efficaces rationes id concludentes. Quibus nulla ratio

** Fort. impares sunt.*

Ætas hujus Scripti.

ratio humana * desecuta à passionibus resistere potest: præsertim cum Deus suam indefectibilem assistentiam nulli singulari personæ mortali legatur pollicitus esse, sicut toti Ecclesiæ, Ecce ego vobiscum, &c. Nec etiam primo summo Pontifici, qui & ante missionem Spiritûs Sancti & pòst legitur errasse: licèt Christus ei dixit: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficeret fides tua. Hoc tamen in persona Ecclesiæ sibi dixit. Qui cupit hanc veritatem de authoritate Ecclesiæ clarè intueri, abstergat crassam nubem passionum & cupiditatum de Ecclesiis suis, & mox clarius luce meridianâ mutabit affectum, & pronunciabit ita esse. Nam & doctrina philosophi in Politicis idem sentire videtur, quòd pluralitas sapientium certius indicabit: & in toto orbe per regna, communitates, civitates atque omnes provincias, concilium plurimarum provinciarum esse validius quàm unius: sicut & Apostoli Spiritu pleni, notabilia Ecclesiæ negotia, in quod decernebat non Petrus solus, ut Actorum 6. 12, 17. & per totum quasi textum. Notabiliora verò negotia ac utiliora in Ecclesia invenire non possumus, quàm hæresum extirpationem, schismatum eradicationem & Ecclesiæ generalem reformationem, tam in capite quàm in membris: in quibus tribus, præfertur authoritas Ecclesiæ personæ Romani Pontificis.

Quicquid igitur in salvo præsentis tractatuli dixi de habitudine statûs Ecclesiæ usque in finem seculi, lector meus benevolus suscipiat æstimativè dictum. Cum enim prophetiæ spiritus hodie abest doctoribus, nunc authoritas aut infallibilis ratio occurrebat, quibus contraria possem probare, relinquens in his Ecclesiæ suæ statum Deo ad disponendum, secundum ordinem suæ excellentis sapientiæ. Omnia enim scimus agi propter electos, quibus omnia cooperantur in bonum, sive bona sive mala, sive prospera sive adversa, ut filii prædestinationis exerceantur, purgentur & probentur: filii verò perditionis affligantur & puniantur, sicut aurum & palea in eodem igne, scilicet æqualiter pœnam sentiant: sed aurum purgatur & palea consumitur. . Manet enim dissimilitudo passarum in similitudine passionum, ut dicit Augustinus lib. 1. de Civitate. Unde non qualia quisque patiatur, sed qualis patitur, advertendum est. Quæcunque verò de authoritate universalis Ecclesiæ per generalia Concilia repræsentante dicta leguntur, novit tanquam indubitata hucusque me posuisse. Nec fateor me facilè recedere à decretis, nisi per informationem efficaciorem universalis Ecclesiæ, aut sanius me sentientis: cujus judicio me semper pariturum submitto, nihil pertinaciter in his propter parvitatem defendendo, sed me Ecclesiæ judicio submittendo.

WOLF-

WOLFGANGUS WISSENBURGIUS pio Lectori S.D.

VISUM est, pie Lector, historiam, unde Appellationum harum & scripti Heymburgensis fluxerit occasio, paucis delibare. Nam ipsa nonnihil facit non modò ad hujus scripti elucidationem, verùm etiam totius negotii caput, ejusdemque (quod hic inprimis spectamus) contestationem. Vel hinc enim disces, non modò vetustiori ætate fuisse, qui ferventi adhuc veritati, & quæ tum primùm impetebatur, sua ferre testimonia, etiam sanguine proprio non dubitarint: verùm etiam posterioribus seculis, cum jam ferè collapsa & tantum non sepulta videretur veritas, atque adeò nullus ferè locus παῤῥησίᾳ reliquus esset, bonos aliquot excitatos esse viros, nec obscuros aut ima de fæce (id quod cavillantur hodie) hominum, qui Papisticæ tyrannidi sese opponerent: & quantum licuisset, etiam non sine rerum & vitæ discrimine irent obviam: nisi cœlesti placuisset Patri hujus bestiæ internecionem in aliud referre tempus. Res autem sic habet. Cum Æneas Sylvius, Pius secundus Pont. factus, sub triplici corona rerum potiretur, Nicolao de Cusa, creato Cardinali, Brixinensis episcopatus per Papam additur, non (quod boni pastoris erat) ut pasceret & regeret commissam Ecclesiam (id quod potuisset sanè præstare, si tam fuisset pius quàm fuit doctus) sed ut Romano more in commendis (ut vocant) haberet: hoc est, ut deglubatis & depilatis ovibus, ex eo proventu ditesceret: nec quicquam curaret aliud quàm ut à Romana non deficerent obedientia. Quod cum Sigismundus, Dux Austriæ, non ferendum esse putaret (grave enim sibi videbatur in Germania fieri, quod Galli & Itali cæteraque nationes non pauca, magna cum jactura & rerum & animarum experiuntur) sua præsertim ditioni, Cardinali sese opponit. Crudescente itaque dissidio, ad arma ventum est. Cardinalis captus custodiæ mancipatur. Pontifex, ob læsam majestatem in sua creatura, valdè commotus Sigismundum fulmine ferit. Dux gravissima censura, & quæ non modò Principi verùm etiam toti mundo eo formidabilis erat tempore, constrictus, solutionem meditatur: quam cum à nemine nisi ipsomet Pontifice posse impetrari non ignoraret: Gregorium hunc Heymburgensem, jureconsultissimum virum, oratorem & legatum suum ad Pium Pontificem mittit, ut ejus facti rationem redderet: ac si fieri posset, justa excusatione illi satisfaceret: sic sperans experturum reipsa, quod Pontificis nomine promittebatur. Orator autem cum vidisset Papam nulla satisfactione posse moveri, causæ fortassis bonitate fretus, & quòd magna familiaritate in Friderici Imp. aulâ aliquando Æneæ Sylvii esset usus, vehementius instabat, absolutionem sui Principis urgendo. Tandem cum intelligeret, Pontificis pertinaciam nulla æquitate posse frangi: hanc Principis sui interposuit Appellationem, atque ad valvas Ecclesiæ Florentinæ publicavit. Quam, etsi mutilatam (uti mihi videtur) tibi damus, optime lector, hoc tamen qualicunque specimine te fraudare noluimus, ut hujus tyrannidis immanitatem, velut in brevi compendio cernere possis, à qua nulla Majestas, nulla authoritas, nullum jus, nulla innocentia, nulla æquitas, nulla denique ratio quantumcunque firma, tuta esse potuit. Nam mox Pontifex concitatior factus non modò in Ducem verùm etiam in ipsum Oratorem, ceu exagitata quædam vipera, virus suæ maledictionis effudit: & fulminationis suæ literis ita persequitur, ut Bohemiam (quæ tunc sola ex toto orbe Christiano Papæ minas contemnebat) patriam sibi quærere cogeretur. Id quod ex epistola Pii Papæ, hic etiam subjecta, & ad magistratum Nuremburgensem scripta, facilè intelliges. Heymburgensis igitur, cum aliud non haberet quod ageret contra Pii impietatem, quo tum suæ consuleret famæ, ac nomen (quod semper habuit bonum, vel ipso Sylvio teste) tueretur, à data Pontificis sententia ad futurum provocat Concilium: non quòd speraret Papam mutaturum sententiam, aut provocationem eam recepturum: quem non ignorabat jam antea collectâ synodo Mantuæ illiusmodi Appellationes damnavisse: & ita appellantes, notarios ac testes & adhærentes omnes excommunicasse: sed ut tam suæ ætatis hominibus, quàm toti posteritati suam testatam faceret innocentiam: quoque in veritatem & esset & fuisset animo, declararet. Eadem quoque causa, cum libellum quem hic sub finem adjunximus ac alia non pauca scripsit: quæ brevi fortassis etiam lucem videbunt. Interea Dux pacem & reconciliationem redimere cogitur: Plutone, ut plerisque est suspicio, intercedente. Hæc igitur lege & æquo animo judicato, pie Lector: & satis claro disces exemplo, id quod inprimis hac editione spectamus, Papas Rom. nunquam non suos habuisse antilogos à Domino missos: qui pravis illorum constitutionibus, aut si mavis Canonibus, ut ipsi vocant, non modò contradicerent, verùm etiam (quantum licuit) pro viribus obluctarentur. Vale.

In com. dictor. Alphon. Reg. lib. 3.

GREGORII HEYMBURGENSIS
Appellatio prima, interposita pro parte Domini Sigismundi Ducis Austriæ.

IN nomine Domini Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quòd anno à nativitate Domini 1460, indictione octava, die verò mercurii 13. mensis Augusti, hora meridiei, vel quasi, pontificatûs sanctissimi in Christo patris ac domini, domini Pii, divina providentia Papæ 2. anno ejus secundo, in oppido Isbruk, in mei notarii publici testiumque infrà scriptorum ad hoc specialiter vocatorum, rogatorum & requisitorum præsentiâ personaliter constitutus Illustrissimus Princeps & Dominus, Dominus Sigismundus, Dux Austriæ, animo & intentione provocandi, seu appellandi, quandam papyrum, schedam, notam provocatoriam seu appellatoriam in se continentem, quam ibidem in manibus suis tenebat, & in medium produxit, mihique assignavit, necnon per me publicè legi fecit, ac sibi apostolos seu literas testimoniales per me dari petiit & postulavit: necnon alia fecit, ut in prædicta provocationis seu Appellationis schedula continebatur, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

Cum æterni tribunal Judicis eum reum non habeat, quem judex humanus iniquè condemnat, eò quòd ejus judicium infallibili innititur veritati: humanum verò judicium tum falsis suggestionibus, tum errore aut fragilitate, nonnunquam verò gratia & favore pervertitur: & idcirco varii recursus & refugii remedia à majoribus nostris in subsidium oppressorum salubriter sunt inventa. Nos itaque Sigismundus, Dei gratiâ Austriæ, &c. Dux, Comesque Tirolis, oppressionem nostram cunctis Christi fidelibus, præcipuè verò Principibus secularibus advocantias & protectiones Ecclesiarum & Prælatorum habentibus innotescere cupientes, hinc ordimur, quòd Principatus noster vetustissimus & solidissimus Comitatus Tirolis, ab antiquissimis annis, etiam antequam in nostrum & inclytæ stirpis Austriæ dominium seu ditionem pervenisset, inter varias suas advocantias, hæreditario ac perpetuo jure sibi affixam habuit advocantiam Ecclesiæ Brixinensis, cujus vigore potestatem habuerunt singuli Comites Tirolis pro tempore in fortias, castra, terras & homines ipsius Ecclesiæ in dicto comitatu & ejus confiniis situatas, quantum ad civile dominium attinet, si tuitionis & protectionis omnium hominum ad comitatum ipsum pertinentium, seu ipsi Comiti & principi subjacentium immediatè, sive aliis personis Ecclesiasticis vel secularibus ad ipsum comitatum spectantibus, coloniæ vel emphyteuseos, aut alio quovis jure attineatur. Ipse quoque episcopus Brixinensis, nunc existens Cardinalis tituli sancti Petri ad vincula, in exordio introitus sui in Ecclesia Brixinensi, interveniente Domino fratre archiepiscopo Saltzburgensi, Metropolitano suo, Nobis hujusmodi advocantiæ jus recognovit, despondendo sese erga nos gerere velle per omnia, sicuti prædecessores sui erga Nos & antecessores nostros hactenus tenuissent: quando etiam, ut ipsa advocantia circa nos & principatum nostrum sincerius & solidius firmaretur, inter nos actum & conditum est, quòd nos omnia episcopalia & capitularia ipsius Ecclesiæ castra, terras atque jura sub protectionis nostræ clypeo diligenter conservare dignaremur: exceptis illis quæ sub alieno, & non principatu nostro consistunt. Quod etsi inter nos simultates & differentiæ suscitarentur, forma data est, quibus cognitoribus illæ discutiantur, ne alter alterum coercitiva interdictione distinguere cogatur, sed coram receptis juxta formam compromissi omnia determinentur. Cardinalis verò quietem publicam ipsius principatus ac propriam facere non valens (quo spiritu ductus, nescimus) nulla causa urgente, sed nec ulla suspicione prævia, contra nos confinxit, qualiter vitæ suæ insidiati simus: & in quandam fortiam Ecclesiæ Brixinensis secessit, suggerens se inibi metu potentiæ nostræ latitare, & ob id ecclesiasticum interdictum fulminandum esse censuit. Deinde Papa Calixtus suis delationibus permotus, edicta pœnalia contra nos emisit: à quibus cum provocemus ad eundem sincerius informandum, & tota provincia comitatus nostri Tirolis status utriusque s. Ecclesiastici & secularis, nobis adhæreret: & interim annus, qui Appellationi prosequendæ à jure præfixus est, laberetur, Papa ipse ex hac vita migravit. Succedens postea Papa Pius nobis alterum terminum concessit, Appellationem nostram per hoc tacitè admittendo. Deinde Cardinalis ipse prioribus injuriis in nos renovatis novas accumulavit, deferens nos, qualiter castra nostra

nostra quæ in feudum ab Ecclesia Brixinensi dependerent, recognoscere nollemus, & metallarias seu mineras & salinas ad se spectantes detineremus. Item, nos Mantuam applicuimus, Apostolico conspectui nos præsentantes: ubi ipsi cardinali obtulimus omnia illa feuda recognoscere & suscipere, ac fidelitatis debitum in potestate, prout quondam genitor noster fecisset erga prædecessores suos, cum adjectione clausulæ: quòd siqua plura feuda tenerentur, illa ipsa etiam suscepta & recognita habeantur. Cumque feuda hujusmodi particulatim fuerint declarata, nos etiam illa singulatim & expressè in feudum accipere vellemus: & de aliis simultatibus si forent, juxta * compromissi jamdudum inter nos conventi, omni cunctatione semota, experiri. Porrò si quid differentiarum subesset, quæ per viam compromissi decîdi non possent, seu deberent, illa per compromissarios ad competentem judicem mitterentur: quæ omnia Cardinalis ipse refutat, contra fœdus pactum & conventum, ut præfertur. Insuper aliarum provinciarum positionem in nostrum principatum accersere tentavit, offerens illam spontaneam investituram feudorum nostrorum. Sed, Deo propitio, neminem invenit, qui sibi tantæ factionis adjutor esse vellet: ex adverso autem innocentiam nostram super criminationibus ipsius Cardinalis ostendimus. Quia constabat Cardinalem ipsum tempore conficti metus sui in monasterio Wilten, juxta locum nostræ Ducalis residentiæ, & aliis patulis locis, officium pontificiale exercuisse, ubi nemo invitis nobis, nec momento securus persistere posset. Et aliàs tam clarè deteximus, quòd Cardinalis ipse suam contra nos infamationem tam petulantem subterfugere volens, dixit se nostram præsentiam non devitasse. Nos autem illicò literam manu sua scriptam produximus, ubi nos palàm nominavit: nec tamen correptus fuit, nec reprehensus. Suam verò in nos sentiens audaciam impunitam, majora molimina continuò in nos & subditos nostros sæviendo est ausus, & fortias Ecclesiæ variis machinis bellicis instruxit, arcibus suis custodes præfecit exteros, audaciæ plerunque assuetos, victualia ingessit, quorum usus in pace minimè consuetus, sed obsidionis tempore plurimùm aptus, & urgente fame gratissimus est obsessis. Quanquam nulla tunc esset hostilis incursionis suspicio: sed vehementius inhærentes, misimus fidelem nostrum P. &c. ne ullam novitatem attentaret, sed viam amicabilis tractatûs amplecteretur: & omnia prius per nos oblata renovavimus. Omni tandem via concordiæ deficiente, obtulit idem consiliarius noster inducias biennales, ad ultimum saltem annales, ut interim differentiæ illæ aut amicabili concordia terminarentur, aut saltem per viam compromissi arbitrali judicio subjicerentur: quæ omnia Cardinalis ipse refutavit, spem ponens (ut creditur) in certis armigeris, qui tunc comitatum Goriciæ nobis finitimum invaserunt: & cum ipse Cardinalis à suis admoneretur, ne ullum adparatum hostilem ostenderet, ne pacem publicam perturbaret, contra jura provinciæ comitatûs Tirolis, quòd aliquando exitium ei immineret, siquidem hostis patriæ judicaretur; Respondit, nihil vereri: oportere sibi esse armigeros & homines qui non modò unam vallem, sed plures replere valerent. Cum ergo ipse Cardinalis patientia nostra tam insolenter abuteretur, totusque populus Comitatûs nostri audaciam ejus fastidiret, ac nonnulli populi pararent ideo ausus suos vi propria comprimere: nos veriti ne furor popularis in ipsum indiscretius irruens, aliquibus mali periculum afferret, tandem via regia & sub ordinaria divina, cohortes & turmas instructas * misit ad hæc omnia possidenda. Quibus applicantibus subitò Cardinalis ipse de capituli Brixinensis Ecclesiæ gremio, & alios de latere suo ad nos misit, pacem postulans. Illico pacis tractatores deputavimus, & pax subitò conclusa est. Videns quippe cardinalis neminem audaciæ suæ favere, nec quenquam à fide nostra deficere, spe sua frustratus, omnia in manibus nostris reposuit. Sed absit à nobis, ut propter audaciam prælati bona Ecclesiæ usurpemus. Omnia etenim castra ad manus capituli tradidimus, ea lege, ut talibus rectoribus tutanda committantur, qui Ecclesiæ, Nobis & principatui universo grati ac fideles conspicerentur: ut ita pax, tranquillitas & unanimis concordia per universum principatum omnesque populos ejus, in utroque statu Ecclesiastico & seculari conservaretur, & vitaretur seditio; & omnis tumultuationis suspicio caveretur: pro damnis autem, & interesse nostro, castrum nostrum Transfers, quòd ipse à nobis pro certa florenorum summâ tenuit pignoratum, cum tenuissimis pecuniarum summulis retinemus impensam: quæ tamen omnia usque medietatem expensarum, damnorum & interesse non attingunt.

Hanc compositionem nedum Cardinalis evulgavit: verùm etiam postea extra territoria nostra, & in urbibus amplissimis degens ratificavit.

* Fort. compromissum, &c. aut viam compromissi.

* Fort. misimus.

Post hæc omnia dominus noster sanctissimus Papa, monitorium pœnale contra nos emisit, quo præcepit hæc omnia rescindi & in eum statum reponi, quo fuissent in vigilia Paschæ. Nos rati sanctitatem suam malè informatam, ad ipsum melius informandum misimus aliquando, ad promovendum, potestatem dedimus egregio utriusque juris doctori Laurentio de Blumennaw, consiliario nostro: quòd sanctitas sua recusavit audire ipsum, iterum audientiam postulantem: tandem provocare volentem minis affecit, carcerem comminando sibi pro apostolis: ipsumque ad nos redire parantem arrestari fecit, hæresis suspicione ipsum innocentissimè maculare volens, eò quòd sanctitatem suam de facti qualitate, in qua etiam Rom. pontifex sæpe fallitur, de mandato nostro voluit informare. Demum ad nos proficiscentem persequi fecit: hodieque nobis incertum est, an persequentium manus aufugerit, aut insidiatoris dicti laqueos inciderit. Hoc verò certum est, quòd securitas experiendi de jure, nobis & nostris in curia Papali penitus adempta est. Cum itaque sanctitas sua omnem spem consequendæ justitiæ sustulerit à nobis, ideoque ad ipsum melius informandum provocare non possumus, quia aures ejus in nos obsurduerunt, & indignatio pro libitu succensa est: ideoque ad futurum Romanum pontificem appellamus, qui de gestis antecessoris sui de jure habet cognoscere: item ad generale Concilium instituendum, vel institutum, prout ex forma sanctorum & catholicorum decretorum sacri Constantiensis Concilii, * innovatis per sanctissimum Basileense Concilium de tempore in tempus præfinitum jure celebrari debet. Et ne quisquam putet nos hanc nostrâm appellationem subterfugiendi juris causâ interposuisse, offerimus & protestamur, quòd vias naturalis juris nullo pacto volumus declinare. Et inprimis, si sanctissimus dominus noster causam nostram, in qua se suspectum reddidit notoriè, alteri non suspecto velit delegare, nos illius delegati instituendi medium subire non detrectabimus, uti vetustissima juris civilis tradidit doctrina. Et hoc modo sedis Apostolicæ illibata manebit autoritas. Quia illius authoritate, materia sola priore suspicione semota, causa terminabitur. Item, etsi sanctitas sua se putaret non esse suspectam, nos super hac doctrina promittere parati sumus, ut juris Canonici traditio docet. Sed & cum ipso Cardinali simili via experiri offerimus, ne quis putet translativam submittere constitutionem. Insuper ad ipsum eundem Rom. pontificem, si adjungere sibi velit personas nobis non suspectas, quorum consilio causam agat, provocamus: ipsiusque judicium, si in universali Concilio præsederit, non declinandum. Postremò quascunque vias quibus nobis & nostris securitas causæ prosequendæ dabitur, & suspicionis metus auferetur, in hujusmodi causæ prosecutione amplecteremur. Quæ omnia si nobis denegabuntur, tandem ad universum Salvatoris & Domini nostri Jesu Christi proprium, & quicunque nostræ oppressioni misereri velit, an justitiam inferioris etiam contra superiores in ipsos incandescentes ament, omnesque justitiæ & innocentiæ fautores appellamus & provocamus, ac ad ipsos concurrimus, apostolosque primò, secundò & tertiò, instanter, instantius & instantissimè petimus, si quis sit qui dare velit, aut possit: & à te notario publico saltem testimoniales pro nobis & subditis nostris, Ecclesiasticis & secularibus, ac adhærentib. & fautoribus: subjicientes nos & illos interdictioni & cognitioni illorum, quos suprà nominavimus: & promittentes nos juri modò præmisso parêre. Quæ si nobis denegata fuerint, Dominum æternum Judicem, & omnis justitiæ & innocentiæ fautores contestamur, per nos non stare, quo modo Papa est. Cujus status si humilietur, atque à suo decore ornatuque ceciderit, omnium prælatorum statum cadere & contemni consequens est: quemadmodum si pendentis cujusdam catenæ supremam partem quis fregerit, tota in terram corruet: ita ordo hierarchicus ecclesiæ velut quædam * catena est: cujus si primum atque supremum caput contemptibile fiat; omnes alii contempti erunt.

* Fort. innovatorum vel innovati.

* Catena quidem est & ferrea: sed non adeo fortis ac dura quin eam Reges & Principes irritati & oppressi facile disrumpent, suum cuique Ecclesiæ jus asserendo ad exemplum Regis Henrici octavi & mentem Tractatûs sequentis.

GREGORII

GREGORII HEYMBURGENSIS

Confutatio Primatûs Papæ, ante annos * cxx. scripta, nuncque primum edita. * Ab hoc anno 150. & amplius.

SCienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi: Jac. 4. Ubi Glossa: Magis peccant scientes & non facientes, quàm si nescirent: licet ipsa boni ignorantia magnum sit peccatum; cum scriptum sit, Ignorans ignorabitur: ignorantibus enim, tanquam virginibus fatuis, Christus dicet, Nescio vos. Hoc utique verùm est de ignorantia affectata, secundum Glossam ubi suprà, scilicet cum quis non vult nec scire, nec discere, cum possit. Neminem igitur ignorare decet, quæ sunt publica: nemoque excusatur in negligentia, boni ignorantiam prætendens, saltem eorum quæ scire tenetur: multò minus, scientiam habens.

Damnabilis igitur scientia prælatorum & doctorum, quam in opere nihil boni sequitur, imò opere doctrinæ repugnatur, cum impugnatio veritatis agnitæ, quæ peccatum est in Spiritum S. tales redarguat: & si non corrigat, damnabiliter involvat. Ex iis Prælatis & doctorib. scientia præditis, eloquentia fulgentibus, opere perversis, & suæ scientiæ verius divinæ contradicentibus, constituta est Ecclesia carnalis, quam Joannes Apocalyp. 17. cap. meretricem magnam, sedentem super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui inhabitant terram, de vino prostitutionis ejus, vocat.

Videamus statum præsentis Ecclesiæ, cujus caput totum mundum humiliare satagens, imperium suppeditans, offerens beneficia venalia, vinum prostitutionis hujusmodi quibusdam huic capiti familiaribus, adhærentibus Ecclesiasticis, dulce principibus & secularibus, primùm quidem acerbum, sed assuefactione sophisticatum propinat. Qui quadam pravâ, non dico consuetudine, sed corruptelâ inebriati, putant omnem talem prostitutionem ex divina institutione ortam: quia sophisticè ille prostitutor ex commissione ovium Apostolo facta, ejus se dicit vicarium, imò Christi, plenitudinem potestatis se accepisse gloriatur.

Cujus contrarium ipse ex verbis Christi sciens, tamen iniquè scientiæ contraveniens peccatum quod scienti & non facienti, secundum verba assumpta est, usquequaque non erubuit: ac per hoc peccatum accumulans, totum mundum sibi subjecit. Et sic hæc meretrix sedet super aquas multas: id est, populos, secundum expositionem angeli, eodem capite. Sedet enim oligarchiæ totius mundi dominium usurpans, mentiensque, sibi tanquam Christi vicario & Petri successori, à Domino plenitudinem potestatis esse collatam, ut ridiculosè videri potest Tit. de jurejuran. & de sent. & re. judi. & novissimè in libello quodam Eugenii quarti, pleno erroribus, qui incipit, Deus novit, &c.

Hac usurpatione potestatis in Ecclesiæ sanctæ discrimen, secularis & imperialis dignitatis præjudicium, & totius mundi inquietudinem, idcirco tantum invaluit, quòd nemo doctorum ausus fuit contradicere: aliis tacentibus ob spem promotionis ad beneficia, aliis ob metum perdendi jam adepta.

Liberius fuit à multis annis de potestate Dei quàm Papæ prædicare, vel disputare: omnes enim vino dictæ meretricis inebriati, dulcedine mulcebrosa tacti, adulantes sacram scripturam exponunt, in confirmationem erroris retorquentes.

Quod quia Imperatores, Reges, Principes & communitates, vel propter ignorantiam ex studii & scientiarum inassuefactione provenientem, vel propter nimiam lasciviam mundanam eos occupantem (quam in eis laureatus poeta de Laude vitæ solitariæ, tractatu 4. in principio deplorat) videre non potuerunt: ad tantam servitutem deducti sunt, ut credere compellantur fidem hanc esse de necessitate salutis, Papam scilicet habere tantam sibi à Christo collatam plenitudinem potestatis, ut possit omnia quæ in terris sunt disponere pro libitu voluntatis suæ: nec quisquam ei audebit dicere, Cur ita facis? Cum etiam (ut terminis utar suorum adulatorum) ipse Papa angelis habeat imperare. Franc. Petrarcha de vita solitaria lib. 2. Sect. 4. cap. 2. Edit. Bas. 1581.

Et nunc Reges intelligite, secundum prophetam, erudimini qui judicatis terram; attendite & videte peccatum gravissimum: quia scientes episcopi Romani bonum non faciunt, imò veritati Evangelii contradicunt in facto. Evangelium enim Lucæ 22. ostendit, Christum nec Apostolis nec Petro aliquam plenitudinem potestatis vel dominatûs tradidisse, imò dominatum & potestatem verbo & exemplo prohibuisse, dicens: Reges gentium

gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic.

Ubi Origenes, Hieronymus, Chrysostomus & Basilius concorditer loquentes sentiunt, quòd principes seculares non contenti tantùm habere subditos, sed etiam dominando eis utuntur: vos autem non sic, scilicet vos Apostoli & mei successores: sed vestrum est servire, ministrare & pascere verbo & exemplo. Quare vestras utilitates negligatis, & inferiorum procuretis, & mori pro salute inferiorum non recusetis, non turpis lucri gratia, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo, ut inquit Petrus in prima Canonicâ cap. 2.

Putet fortasse quis, quòd concesserint Christus & Petrus Papæ dominatum in populo, qui prohibent ipsum inter Apostolos & in clero? Audiat beatum Bernardum libro de Considerat. tract. 4. ad Eugenium Papam: Quod (inquit) habuit Petrus, hoc dedit, solicitudinem. (ut prædixi) super Ecclesiam. Nunquid dominationem? Audi ipsum: Neque ut dominantes, sed forma facti gregis ex animo. Ne autem dictum sola humilitate putes, verùm etiam veritate, vox Domini indicat in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.

Planum est, quòd Apostolis interdicitur dominatus. Igitur tu usurpare audes, aut ut dominus Apostolatum, aut ut Apostolus dominatum? Planè ab utroque prohiberis. Si utrumque simul habere velis, perdes utrumque: alioquin non te de numero illorum putes exceptum, de quibus conqueritur Dominus sic: Ipsi regnaverunt, sed non per me:

Oseæ 8. 4. Principes extiterunt, sed non cognovi eos.

Paulus quoque 2 Tim. 2. Nemo (inquit) militans, id est, in spiritualibus (secundum Glossam beati Ambrosii) se implicat secularibus: & quid Apostolus velit, primæ Corinth. 6. ostendit, scribens non Petro, non clero, sed universitati fidelium: Secularia, inquit, judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Textum suprà scriptum exponentes Ambrosius & Augustinus, in Glossa, sic inquiunt: Super judicia constituite contemptibiles: id est, minoris meriti, quàm sunt presbyteri & sacerdotes. Qui autem spiritualibus dotati sunt, secularibus implicari non debent, ut dum non coguntur inferiora disponere, valeant superioribus deservire. Hæc est Glossa, etiam sumpta de Moralibus Gregorii.

Ad hunc intellectum loquitur Bernardus primo de Consid. capite 2. ad Eugenium Papam, & alios Romanos episcopos, dicens: In criminibus, non in possessionibus potestas vestra: propter illa enim non propter has, claves accepistis regni cœlorum, prævaricatores exclusuri, non possessores. Ut sciatis, inquit, quia filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata. Et subdit: Quænam tibi videtur major dignitas & potestas? dimittendi peccata, aut dividendi prædia? Habent hæc infima & terrena suos judices, reges, principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in messem alienam extenditis?

Ex quibus patet, fabulam & figmentum esse, quod in Decretalibus pontificum Romanorum scribitur, quòd à Christo habeant plenitudinem potestatis sibi collatam: & hujusmodi dominium, ut & Regibus & principibus in temporalibus præfecti sint. Attende.

Ridicula est etiam probatio, quam adulatores Paparum ad id consueverunt adducere, ex cap. de ma. & obe. de lunâ & sole. Nam quamvis luna recipiat lucem à sole, non tamen motum & influentiam: ita, quamvis reges & temporales domini per lunam ☞ designati recipiant & recipere debeant lumen doctrinæ à Papa & suo clero, per solem designatis, non tamen eis ex hoc dominari concessum est.

Imò similitudo bene intellecta efficit contrarium. Nam illa duo luminaria, scilicet sol & luna, sic creata sunt, ut sol præsit diei, luna nocti: sic Papa & clerus præsunt diei, id est, doctrinæ spirituali & orationi, ad impetrandum divinam misericordiam, ut notatur ad Hebr. 2. Illa autem quæ Dei sunt lux & dies sunt: quibus præesse debet Papa, sub metaphorâ solis. Quæ autem mundi, tenebræ & nox sunt: quibus præesse debet Imperator, sub metaphorâ lunæ.

Sicut igitur sol, quanquam illuminat lunam, nullum tamen dominium habet in eam: sic Papa & clerus, etsi luce doctrinæ debeant Imperatorem & seculares illuminare, nullum tamen datum est eis dominium à Christi institutione in eos, sicut nec magistro in discipulos.

Ad hunc sensum scribit Apostolus 2. Corinth. 10. dicens: Testem invoco Deum in animam meam, quòd parcens vobis, non veni ultra Corinthum, non quia dominamur fidei vestræ. Ubi Gloss. Quare dicit, non quia dominamur? quia cum dixit parcens vobis, ne fortè indignarentur designato dominio, ideo dixit, Non dico, vobis parcens, quia dominemur, sed quia adjutores gaudii & emendationis vestræ simus, in qua est libertas non dominium.

Imò

Imò non esset expediens spirituales doctores, Papam & suos habere dominium vel coactivam potestatem: nam compulsis & invitis nihil vel modicum prodest fides, & quæcunque exhibitio virtutis. Constat enim coacta servitia Deo non placere. Idcirco nec Judæi nec Pagani ad susceptionem fidei per ullam legem à Christo datam compelluntur sub pœna præsentis seculi.

Si verò Christus dedit Papæ (sicut seipsum fallendo decretare solet) plenitudinem potestatis in Christianos Reges, quare non in Judæos? quòd si sic, culpa ejus grandis est, quòd saluti eorum, tanquam potestatis plenitudinem habens, non providet.

Dictis alludit Chrysostomus in suo Dialogo, qui etiam de dignitate sacerdotali intitulatur, li. 2. cap. 3. inducens supra allegatum dictum Apostoli, Non dominamur fidei vestræ, dicens: Hi qui foris sunt judices seculares, malignos quosque cum subdiderint, ostendunt in eis plurimam potestatem, & eos invitos à prioris vitæ pravitate compescunt. In Ecclesia verò non coactum, sed acquiescentem oportet ad meliora converti: quia nec nobis à legibus data est talis potestas, ut autoritate cohibeamus homines à delictis: & in personas omnium sacerdotum hæc dixit.

Subdens aliam causam sui dicti, inquit: Nec si nobis data esset talis potestas, haberemus unde exerceremus hujusmodi potestatem, cum Dominus noster Jesus Christus non necessitate & violentia submotos à peccato, sed propria voluntate se sponte abstinentes remuneraturus sit.

Sed si aliqua coertio contra hæreticos necessaria fuerit, per fideles principes à Deo potestatem habentes exerceri potest & debet, ad nutum sacerdotis: & non imperium, ut dicit Bernardus, ubi suprà, cum ex scripturis sanctis nullum habet sacerdotium secularem principatum.

Imò talem assumere, clerum Christus non solùm, ut patet ex præmissis, verbo præcepti vel consilii prohibuit, verumetiam exemplo suo quod clero specialius debet esse disciplina morum, apertè demonstrat, quando non solùm à se suisque discipulis exclusit seculare dominium, verumetiam seculari potestati voluit suos subjicere: imò sese exhibuit ipsi potestati judiciali subjectum. Nam filius hominis non venit judicare mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum: Joannis 12.

Et Johan. 18. ad Pilati quæsita respondit, dicens, Regnum meum non est de hoc mundo: probat: Nam si regnum meum, &c. Quem locum exponentes sancti, primùm beatus Augustinus dicit, Per hæc verba Christus Judæis & Gentibus opportunius apertiusque respondit; quasi diceret, Audite Judæi & gentes, non impedio dominationem vestram in hoc mundo, quid vultis amplius? Venite credendo ad regnum meum, quod non est de hoc mundo. Chrysost. super eodem passu: Non privat, inquit, Christus mundum sua præsidentia & prælatione, sed ostendit regnum suum non esse humanum & corruptibile.

Item Augustinus supra dictum [Tu dicis, quia Rex sum ego] inquit: Non quia se Regem timuit confiteri, sed ita liberatur, ut nec se Regem neget, nec Regem talem se esse fateatur, cujus regnum putetur esse de hoc mundo. Dictum est enim [Tu dicis] id est, Carnalis carnaliter loqueris.

Ex quibus patet, quòd Christus mundanum Regem se esse negavit verbo. Vide quomodo Christus Rex esse voluit, imò fugit utique Joan. 6. Et per beatum Augustinum & Chrysostomum super eodem passu. Et Lucæ 12. dicitur quòd Christus rogatus per quendam de turba ut diceret fratri, ut divideret secum hæreditatem, respondit: Homo, quis me constituit judicem? &c.

Super quo beatus Ambrosius: Bene terrena declinat, qui propter divina descenderat: nec judex dignatur esse litium & arbiter facultatum, vivorum mortuorumque habens judicium, arbitriumque meritorum. Et subdit: Meritò refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestium gestiebat corruptibilibus occupare. Hæc ille. Ex quibus patet quomodo Christus refutavit temporalem potestatem atque mundanum dominium.

Restat nunc videre quomodo se suo exemplo seculari potestati subjectum exhibuit: per illud innuens, cunctos fideles, tam clerum quàm laicos, subesse debere realiter & personaliter judicio coactivo Principum hujus seculi. Dixit enim Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Et Gloss. interlinearis: id est, pecuniam & tributum. Super quo Chrysost. Tu, inquit, cum audieris, Redde quæ sunt Cæsaris, &c. scito dictum in omnibus quæ pietati concordant.

Et beatus Ambrosius in Epistola contra Valentinianum, quæ intitulatur, ad plebem: Solve, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Tributum Cæsaris est, non negetur. Et rursus Matth. 17. Christus jussit solvi didrachma pro se & pro Petro: super quo Origenes: Filius, inquit, Dei, qui nullum opus fecit servile, quasi habens formam servi, quam propter hominem suscepit, tributum dedit.

Unde

Unde patet, Si Christus suos vicarios & Petri, qui se præferunt cunctis mortalibus, voluisset habere exemptos, pro se & Petro didrachma non solvisset. Ad hunc sensum loquitur beatus Ambros. in epist. cujus titulus, De tradendis basilicis: Tributum, inquit, petit Imperator, non negetur: agri enim tributum solvunt. Subdit: Solvimus quæ sunt Cæsaris, Cæsari: tributum Cæsaris est, non negetur.

Et beatus Bernardus in epist. ad archiepiscopum Severum: Sunt, inquit, qui suggerunt subditis suis superioribus rebellare. Christus aliter jussit & gessit: Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Quod ore loquutus est, mox opere impleri curavit. Conditor Cæsaris non cunctatus est Cæsari reddere censum. Exemplum enim dedi vobis, ut & vos ita faciatis.

Consequens est videre, quid in hac materia Christus commiserit suis Apostolis. Puto nihil aliud nisi quod verbo & exemplo docuerit. Ait enim Apostolus ad Tit. 3. Admone illos quibus prædicas subditos esse principibus & potestatibus: non dixit, Episcopis. Ubi beatus Ambrosius: Admone, quasi diceret, etsi habes tu imperium spirituale de spiritualibus, tamen admone illos subditos esse regibus & principibus, quia Christiana religio neminem privat jure suo.

Quod dixit pro tanto Ambrosius, quia etiam fideles regibus malis & infidelibus docuit Apostolus subesse: quemadmodum dixit idem Apostolus primæ ad Timoth. ultimo, ubi Glossa (secundum beatum Augustinum) Sciendum quosdam prædicasse, communem omnibus in Christó libertatem esse: quod de spirituali libertate, qua Christus nos liberavit, utique verum est, non de carnali, ut illi intellexerunt. Ideo inquit Glossa Augustini: Hic contra eos loquitur Apostolus, jubens servos suis dominis subditos esse. Ideo causam addit Apostolus: Ne blasphemetur nomen Domini, quasi aliena invadentis: & lex Christiana quasi injusta contra leges prædicet civiles.

☞ Qua igitur conscientia præsumit quis sacerdos, etiam Papa, absolvere fideles Imperii vasallos à juramento fidelitatis & ab obedientia, ad quam Christus & Apostoli unumquemque adstringunt, potissimum salvâ fidei pietate? & si Papa cum lege sua oligarchica poterit dispensare, cum lege divina non poterit, sine erroris nota.

Unde Apostolus ad Roman. 13. quo in hac materia nihil manifestius: Omnis, inquit, anima (id est, homo) potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. Nam principes non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem male feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit. Ideoque ex necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ecce Apostolus neminem excepit, neque Petrum, neque suos successores.

Petrus hoc idem sensit in 2. capitulo primæ Canonicæ: Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, scilicet constitutæ in principatu. Quem intentum aperit dicens: Regi tanquam præcellenti, &c.

Quibus omnibus comparatis, & adjunctis Patrum expositionibus, clarissimè patet, quid Christus tradiderit Apostolis potestatis, & quid Apostoli suis successoribus: certè nihil aliud in scripturis sacris reperiri clarè poterit, nisi quòd sint subjecti regibus & principibus, non quòd dominentur.

Nec doctrina apostolica præmissa, facta verbo, caret facto & exemplo. Nam ut habetur Actorum 25. Paulus à sacerdotum judicio ad Cæsarem appellavit, dicens, Ad tribunal Cæsaris sto. Glossa interlinearis: Quia hic est locus judicii: nec putandum est Apostolum hoc metu mortis fecisse, qui jam pro veritate mori deliberaverat, ut Actorum 21. Quis autem demens æstimabit Apostolum suo verbo tantum crimen admisisse producendæ vitæ suæ gratiâ, ut omne sacerdotium indebitè subjecerit suo exemplo & doctrinâ jurisdictioni principis secularis? Maximè, quia non compellebatur ascendere Hierosolymam ad tam præjudiciale mendacium toti sacerdotio faciendum. Apostolum igitur credendum est sensisse in opere quod protulit ore, secundum imitationem sui magistri Christi, qui se vicario Cæsaris in judicio subdidit, ac ei illam potestatem judicandi desuper datam, non solùm permissam, dixit.

☞ Quibus omnibus summatim recollectis, patet luce clarius, sacerdotio nullam potestatem, multò minus plenitudinem potestatis mundanæ & temporalis, à Christo collatam: imò verbo & exemplo Apostolis, & per consequens Apostolorum successoribus, esse interdictam.

Hæc

Hæc præmissa nostri Papæ sciunt; id est, scire deberent: quæ si nesciunt, eorum ignorantia peccatum non elevat sed aggravat. Imò ex sacra Scriptura per Sanctos exposita, oppositum ejus deducere non possunt: & tamen suis fabulosis decretationibus, quoad præsentem materiam, oppositum scribunt, & ad practicam multis annis, ad Imperii, imò totius Christianitatis inquietudinem & desolationem ponunt & posuerunt. Peccatum igitur est eis: quia juxta assumptum verbum, Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi.

SEQUITUR SECUNDA principalis Pars.

Porrò primitiva Ecclesia, præmissa sciens, & ob hoc nullum seculare dominium sibi vendicans, sanctis moribus & doctrinis Ecclesiam ædificavit, & Imperium Romanum ad fidem Christi & sui sacerdotii reverentiam induxit.

Sed postquam effrænata cupiditas ac fastus dominandi Ecclesiam modernam & carnalem effecit, miris sophisticationibus reverentiam Imperatoris convertit in debitum privilegium, & immunitatem à devotis Imperatoribus concessam in dominium: & sic paulatim in usum usurpatorium plenitudinis potestatis processit. Quod videre poterit quivis clarissimè, intueri volens Chronicas & Speculum historiale.

Nam revera à beato Petro usque ad sanctum Sylvestrum, tempore Constantini Magni, in hac materia temporalis dominii nulla fuit quæstio trecentis ferè annis. Sublimati enim in Papam non ad temporale dominium sed ad martyrium trahebantur 300 ferè annis. Hujus Ecclesiæ gloria fuit, non purpura, non divitiæ, non equus albus, non fastus, non dominatus: sed Ecce! nos reliquimus omnia & secuti sumus te, Domine: sperantes ex hoc non acquirere sedem temporalis eminentiæ, sed sedem judicantium duodecim tribus Israel, juxta Christi promissum.

Sed à tempore Sylvestri, qui fuit 34. Papa à Petro, incepit Ecclesia mixta. Sanctus enim Sylvester Constantini * donationem pro usu notariorum qui gesta martyrum describerent, & pauperum, non in dominium, sed usumfructum acceptavit: & ut mixtura in sede Paparum Romanorum appareat Ecclesiæ sanctæ & carnalis; tertius post ipsum Liberius Romanorum Papa, dictus Leo, non de tribu Juda, hæreticus Arianus factus est: & nisi surrexissent sancti doctores, Hieronymus, Eusebius, Ambrosius, Augustinus, quorum meritis & doctrina Ecclesia fuit illuminata, utique pro tunc abusu temporalium fides Romana, sed non Petri, defecisset.

* Mirum est hunc hominem probum nondum vidisse istius fictæ Donationis fraudem.

Ab hoc tempore usque ad tempora Othonis primi, habuerunt Papæ ab imperio multam reverentiam & devotionem, sic quòd Imperatores, ex devotione & reverentia in principio promotionis eorum, alii legatione, alii personis propriis se præsentarint Papæ, ejus benedictionem petentes, & recommendantes se suis orationibus ad Imperii gubernationem & statum salutarem. Et, si aliqua hæresis surrexisset, sicut multæ illis temporibus surrexerunt, cum de mandato vel supplicatione diversorum Imperatorum concilia sacra celebrata sunt, in quibus ab Ecclesia aliquando Papæ accusati coram imperatoribus, canonicè sunt purgati, quando adhuc nullum dominium Papa sibi usurpabat.

Sed sub imperatorum privilegiis & dominationibus ita reverenter habiti sunt Papæ, ut etiam quidam Imperatores ex devotione à Papa coronari voluerunt. Ex tunc insolescere incipientes, plures ab Imperatoribus depositi sunt: utputa Joannes 12. quia lubricus & incorrigibilis fuit, ab Othone primo deponitur, & Leo 9. substituitur: communique voto statuitur, quòd nullus Papa fieret, nisi de consensu Imperatorum. Othonum itaque tempore, quia Imperium fuit validum, insolentia Paparum fuit refrænata. A quibus cum voluntate Romanorum & Imperii procerum constituti sunt Electores Imperatoris. Non autoritate Papæ, quia nihil ad eum pertinebat nisi reverentia devotionis.

Papæ depositi ab Imperatoribus.

Post tertium Othonem inceperunt cogitare Papæ subtiliter, quomodo Imperatores devotos & reverentiales facerent suos subjugales: & non erat eis modus convenientior & Imperio periculosior, quàm corrumpere Electores, saltem spirituales, & ponere in seditionem, ut electio fieret per discordiam, & sic necessariò haberent partes ad Papam & ad ejus sedem recurrere. Unde multa schismata in Imperio Papis agentibus orta sunt.

ſunt. Quibus non obſtantibus, Henrici Tertii temporibus adhuc per Reges & Principes providebat ſedibus Epiſcopalibus, & per Epiſcopos cum ſcitu Principum, aliis beneficiis.

Unde, cum Cardinales grave ſchiſma trium Paparum procuraſſent, quidam Eremita ſcripſit Imperatori, in hæc verba:

Imperator Henrice,
Omnipotentis vice,
Una Sunamitis
Nupſit tribus maritis,
Diſſolve connubium,
Et † triforme dubium.

† Al. reforma.

De hoc ſchiſmate dicitur vigeſima tertia diſtinctione, In nomine Domini. Ille Henricus collecto exercitu ſe tranſtulit ad Italiam, & captis tribus Papis, ductiſque Romam, fecit Synodum, & ſynodaliter omnes relegavit, & ſubſtituit Clementem Secundum, & compulit Romanos jurare ad vitandum de cætero ſchiſmata, & quòd nemo ſine conſenſu Imperatoris in Papam aſſumatur.

☞ Quod factum Cardinales & Papa ægrè ferentes, timenteſque ſe optatum dominium in Imperium conſequi non poſſe niſi procuratis diſſenſionibus in Germanica natione tunc potentiſſima, concitaverunt Rodolphum ducem Suevorum & Burgundiæ contra Henricum Quartum, mittentes coronam auream Moguntino & Colonienſi, dantes eis in mandatis, ut contra Henricum conſtituerent Regem Rodolphum: & ſequutum eſt inter eos bellum graviſſimum, in quo victus eſt Rodolphus; qui exſpirans ſuis aſtantibus dixit: Juſſio Apoſtolica & petitio Principum me fecit juramenti tranſgreſſorem: videte igitur manum † abſciſſam, qua juravi Domino meo Henrico, non vitæ nec gloriæ ejus inſidiari.

† Al. vulneratam.

Quo victo, Moguntinus de Papæ mandato & Saxonum adjutorio alium ſuſcitavit Henrico adverſarium. Conſtituit Regem Hermannum Knoflock: contra quem cum Henricus pugnaret, à Gregorio ſeptimo excommunicatus eſt. Quod ægrè ferens Henricus (ſicut meritò) collecto exercitu Gregorium de Roma ad Franciam fugat: & Wippertum Ravennæ Epiſcopum Papam conſtituit, quem Clementem nominavit: & factum eſt ſchiſma, videlicet Papâ procurante.

Mandantibus etiam Papis & ſpiritualibus Electoribus exequentibus, bella Saxonum contra Imperatorem facta ſunt: in quibus tanta ſtrages Chriſtianorum & Almanici ſanguinis facta eſt, ut etiam ipſi Gregorio, horum malorum procuratori, horrenda videretur: & nefas ſuum confeſſus, omnem proceſſum contra Henricum & ſuum famulatum retractavit. Succeſſor autem ſuus Paſchalis * 100. poteſtate uſurpatâ par, ſed malitiâ major Gregorio, Principes contra Henricum IV. concitavit, immò ejus proprium filium, quem etiam contra patrem fecit per multos Epiſcopos Rheni in Regem coronari & vocari Henricum V.

* Quid ſibi vult iſte numerus non aſſequor: nec jam licet authorem vel typographum conſulere. Paſchalis hic fuit ejus nominis ſecundus; poſt Gregorium, tertius; Papa (ſi rectè numerent Papographi) 167. ſed nihil horum quadrat in numerum centeſimum: aliunde ergo ſolvendum eſt myſterium.

Henricus igitur Quintus cum exercitu grandi Romam veniens, & Papæ benedictionem & coronationem devotione conſuetâ petens, requiſitus eſt à Papa ut præſtaret juramentum fidelitatis. Et hic primus in Chronicis reperitur exegiſſe juramentum ab Imperatore. ☞ Rex autem jurare nolens dixit, Imperatorem nemini jurare debere, cui juramentorum ſacramenta ab omnibus ſint exhibenda.

Factâ igitur contentione, quis eorum videretur major, contra Evangelium Chriſti Luc. ☞ 22. ut ſuprà: irruerunt Romani, & factum eſt prælium duriſſimum in domo S. Petri, quale prius non eſt auditum. Prævaluit exercitus Regis, repleta eſt domus ſanctificationis morticinis, profluxit ſanguis in Tyberim, viſi ſunt ibi Cardinales trahi nudi funibus in colla miſſis, * Papamque ligatum. Nec ſolvi potuit, niſi promiſſione præcedente, quòd Papa dimitteret de cætero libertates Imperii & Imperatoris intactas, præcipuè de inveſtiturâ Epiſcopatuum & Abbatiarum per virgam & annulum, authoritate & conſuetudine à Carolo Magno habitas & continuatas per 300 annos ſub 63 Apoſtolicis Epiſcopis. Habentur hæc in ſumma ſparſim lib. 27. Speculi hiſtorialis, cap. 10.

* Mala Latinitas, ſed res obſervanda & advertenda, præmium ciendi filium in Patrem.

Ex quibus patet, quæ fuit Cardinalium Paparumque intentio, quamvis animoſitate Imperatorum jure repreſſa. Cautelosè tamen ſub Lothario & Conrado Decretum compoſitum eſt: in quo quamvis ſint cum ſanctorum authoritatibus, Paparum † fœnum & * paleæ

† Al. fraſca.

* paleæ multæ mixtæ, tanta tamen à † quibusdam ei datur reverentia, ut Evangelium putetur esse contentum in eo.

* Aliqua pars Decreti dicitur palea, & hic autor lepidè addit fœnum. Similes habent labra lactucas. † Hoc quidem obtinuit, detento in tenebris Papisticis mundo: luce verò Evangelii caliginem istam perrumpente, nôrunt omnes, nisi qui ultrò claudunt oculos, librum Decretorum adeo non cum Scripturis Sacris esse conferendum iisve æquandum, ut non mereatur ultimum Apocryphorum locum, nec eodem die cum Evangelio recenseri.

Et extunc carnales Papæ ex decreto, quasi libro authentico, plenitudinem potestatis, non tamen ex Evangelio assumere præsumpserunt in tantum, ut Adrianus Secundus Friderico primo petitam, more prædecessorum suorum, benedictionem negaret. Qui strepam equo, Papâ desidente, sinistram tenuit: cum dextram, ut voluit Papa, tenere debuisset. O Deus, quanta superbia? Die sequenti valde punita est sedes Romanorum, factâ cæde à Teutonicis, qua major antè non fuit audita uno bello.

Hoc Friderico residente in Almania, mortuo Adriano, ortum est schisma magnum per electionem Cardinalium, sed sedatum per optimum Fridericum.

Demum Innocentius Tertius composuit Decretales, pro majori defensione plenitudinis potestatis. Unde mortuo isto Friderico, Innocentius Quartus & sui successores disposuerunt cum electoribus Imperii, quòd semper in discordia eligerentur duo vel tres Imperatores in eum finem, ut cujus partem Papa foveret, sustineret Papales usurpationes, & cogeretur ad jurandum & resignandum Papæ jura imperialia, & collationes Episcopatuum, Abbatiarum & cæterorum beneficiorum: quæ, Imperio existente unito, semper contra Papas, ut suprà patet, defensa fuerunt.

Et hoc totum, quod ab hujusmodi partialibus imò schismaticis Regibus extorquere poterant, lib. 6 Decretal. & Clementinis pro juribus à Christo collatis conscribi fecerunt: & sic diviso vel vacante Imperio ad ulteriora processerunt, reservantes sibi omnes electiones & dignitates, quantumcunque canonicè dispositas: imò collationes beneficiorum, nihilo minus gravantes Episcopatus & beneficia cum annatis & cæteris simoniacis exactionibus, pro confirmationibus, quæ aliàs ad Imperium pertinebant: ut sic Papæ exhauriant thesauros mundi, quasi Imperio non contenti sint usurpato. Et meritò nostri Papæ se possunt dicere & scribere vicarios Christi & Petri, præmissis attentis: quasi ab eis acceperint totum ausum gloriandi de plenitudine potestatis, quem tamen ausum Paulus insipientiam dixit, 2 Cor. 2.

Prædicta epilogizantes videre poterunt, quid intersit inter Christum Dominum & Vicarium suum.

Christus enim regnum mundanum exclusit;
Vicarius illud ambit.
Christus regnum fugit oblatum;
Vicarius se ingerit, ut habeat negatum.
Christus se negavit constitutum secularem judicem:
Vicarius præsumit judicare Cæsarem.
Christus se subdit Cæsaris vicario;
Vicarius Christi se præfert Cæsari, imò toti mundo.
Christus appetentes primatum reprehendit;
Vicarius de primatu & jam cum tota Ecclesia contendit.
Christus in die Palmarum in asino equitasse legitur;
Vicarius pomposo equitatu non contentus est, nisi dextra strepa ab Imperatore teneatur.
Christus discordes Judæos & gentes in unum regnum Ecclesiasticum congregavit;
Vicarius Germanos olim concordes sæpe seditionibus conturbavit.
Christus innocens patienter injurias pertulit;
Vicarius reus Ecclesiæ & Imperio injuriari non cessat.

Quod abolere & reformare sacrum Concilium Basileense satagens, & Christi præsentem Vicarium ad aliqualem formam vitæ Christi reducere cupiens, impeditur usque nunc. Nam in reformatione incepta, quia curiam Papæ tetigit, ventum validum contra se commovit, ita ut navicula Petri videatur quasi fluctibus absorpta: quæ cum mergi non possit, fluctuat.

Quod fit, quia hi qui primò contra insolentias Eugenii fuerunt in ipso & cum ipso sacro Concilio ferventissimi, ita quòd electionem ejus etiam publicè declararunt invalidam, & ad ejus usque depositionem, nisi humiliatus fuisset, errorésque suos retractasset, processerunt; per eum corrupti jam contra ipsum sacrum Concilium, unà secum erro-

res ejus approbantes, sine fœdere bellant: primatumque, quem sacro Concilio prius catholicè ascripserunt, ipsi nunc erroneè ascribere non verentur.

Meretrix enim suprà descripta tot habet amatores, ne dixerim adulatores, de vino prostitutionis ejus inebriatos, ut sponsa Christi unica, & ejus repræsentativum Concilium, inter mille vix poterint unum verum amatorem habere.

Propter unum enim capitosum hominem, aliàs in errore de spiritu libertatis aberrantem, tamdiu reformationi Ecclesiæ Romanæ se opponentem, totam Ecclesiam perturbantem, errores carnalium Paparum, de quibus dictum est, sequentem, imò plus potestatis quàm aliquis suorum prædecessorum usurpantem, pro primatu supra generalia Concilia contendentem, ebrii & cæcutientes videntur omnes fore & spirituales & seculares: specialiter Almani, de quibus plus miserandam est.

Ii enim ultra bonum honestum quod à sacris Conciliis provenire consuevit, bonum superutile à sacro Concilio Basileensi recipere potuissent: videlicet, exactionum diversa genera, quoad clerum, evadere: libertates Imperii jure belli justissimè acquisitas & Germanico sanguine manutentas, sophismatibus Apostolicis subreptitiè usurpatas recuperare quivissent.

Expergiscimini igitur ebrii, abstergendo pulverem, juga colli gravissima solvendo, postponendo damnabilem neutralitatem, 34. q. 1. Schismatis quidem, quod dicunt, fundamentum. Qui Canon bene inspectus potius reprobat neutralitatem, sicut & omnes Germaniæ universitates reprobarunt ipsam rationabiliter, & sacrum Concilium adhuc cum navicula Petri fluctuans resarciendo, eo quòd sufficienter recollecto, si quæ de facto processerunt dijudicando, reformationem ante ejus dissolutionem faciendo.

Qua ritè facta, impleatur illud quod de carnali Ecclesiâ prophetatum est Apoc. 14. Cecidit Babylon magna & odibilis, quia de vino fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores, id est, Simoniaci, de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.

Audite omnes qui aliquem zelum bonum habetis, & intelligite vobis dici quod sequitur ibidem: Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum ejus, ne de plagis ejus accipiatis, quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum: & alia quæ ibi ponuntur. Ex quibus sic planè dictis non restat de cætero excusatio per ignorantiam Regibus & Principibus & communitatibus quibuscunque.

Apoc. 18. 4, 5.

Quin videntes ingratitudinem Paparum, quibus data sunt gratiosa temporalia & privilegia ab ipsis divis Imperatoribus pro usu pauperum & personarum Ecclesiasticarum, quæ converterunt in abusum, adeò ut eos qui donationem gratiosam fecerunt, pro beneficiis redigant in vilem servitutem, meritò corrigantur per sacrum Concilium, ut refrænetur audacia eorum per manum validam Imperatoris, qui plus in hac re patitur.

☞ Nam eximius Rex Angliæ, Franciæ, Dux, Marchio, non astringitur Papæ quocunque juramento: factus Imperator jurare tenetur secundum Decretales eorum fabulosè fictas: ita ut supremus Monarcha magis servilis conditionis quàm quicunque ejus inferior fieri censeatur.

Hæc pro admonitione eorum, quorum interest, rudi stylo, ut melius possint intelligi, commemorasse sufficiat.

FINIS.

PII

PII SECUNDI PAPÆ EPISTOLA, qua Gregorius Heymburg. denunciatur excommunicatus. Ea continetur inter Æneæ Sylvii Epistolas numero 415 *.

PIUS Papa II. Dilectis filiis Burgimagistris & senatui oppidi Nurenberg salutem & Apostolicam benedictionem. Salvator humani generis in hunc veniens mundum ut ex mortalibus genitus, Dei filios & sibi ipsi in summi patris sui regno cohæredes efficeret: unum ex omnibus fidelibus in eum credentibus regnum constituit, idque unam ipsius Ecclesiam nuncupavit, cujus ipse caput esset & regnator sempiternus. Visibilem verò humanis oculis præsentiam sui per admirabilem ad Patrem omnipotentem ascensum mundo subtracturus, Petrum Apostolorum principem, ejusque legitimos successores vicarios sibi cum plenitudine potestatis ad propria gubernatorem Ecclesiæ substituit, tribuens omnimodam per temporalem successionem vicariis ipsis in terris ac in cœlis omnia ligandi solvendique potestatem: præcipiensque districtè ipsos audiri, & in eorum jussionibus permorari. Quia siqui transgressores veneno imbuti eos non audirent, hujusmodi omnes pro exclusis à suo regno, ejectisque à sancta Ecclesia, inter ethnicos & publicanos, cum perditionis & mortis filiis voluit computari. Cum enim nullum regnum, ut ipsius Domini nostri verbis didicimus, in se divisum stare possit: quonam modo sacrosanctum stabit Ecclesiæ regnum, si illi qui Christi supremi Regis vicario parère contemnunt, de regni non valeant sorte depelli? Adversus hoc inquassabile fundamentum & Ecclesiæ firmam petram, hæresis quædam à parvo tempore citra sensum visa suboriri pullulavit: quæ sub ovium vestibus lupos rapaces intrinsecus celans, sub Appellationis specie Ecclesiæ satagit unitatem convellere. Nam siqua Christi unicus vicarius, canonibus sacris etiam & juri scripto inhærendo decrevit statuitque, & servari ut dignum est præcepit, calumniatores malevoli & perversi subterfugere justitiam præsumentes, per ludibria frivolarum Appellationum ad futurum Concilium, ceu ad id quod nusquam est, ac supra Christi vicarium esse aut reperiri nequit, obedientiam quæ est de necessitate Ecclesiæ & salutis universorum improbè declinant ac temerè. Hanc igitur diabolico spiritu & instinctu novitatem exortam considerantes, in totius Ecclesiæ catholicæ non tantum enervationem sed eversionem, in Mantuano conventu sæpe & multum discussam, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, pluriumque aliorum præsulum & peritorum, qui aderant, maturo consilio & consensu, illiusmodi Appellationes damnavimus. Atque ita Appellantes, notariosque ac testes, & adhærentes omnes excommunicavimus, læsæque majestatis hæreseos crimina & pœnas eo ipso illos definivimus incidisse, prout in Apostolicis literis superinde confectis plenius continetur. Cæterùm his omnibus non obstantibus, quidam ex patre diabolo mendaciorum artifice natus, Gregorius de Heymburg. nomine, avaritiæ contaminatus illuvie & superatus ardoribus, quæ est servitus idolorum, de mense Augusti proxime præterito, à nostra solenni declaratoria sententia, quâ Senis existentes, impium Sigismundum ex Principibus Austriæ, ob notorium sacrilegium propter hostilem persecutionem in personam dilecti filii nostri Nicolai, tit. S. Petri ad vincula, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Episcopi Brixinensis, & rapinam bonorum Ecclesiæ illius, perpetratum, juris scripti pœnas declaravimus incurrisse, à nobis ad futurum Concilium improbam, nefariam, temerariam, seditiosam denique Appellationem dictavit. Et illius interpositionis per dictum Sigismundum factæ, ipse dictator in originali instrumento Florentiæ ad valvas Ecclesiæ affixo, testis inscribitur. Quod quia loquax ille, præsumptuosus & præceps, mendax atque turbulentus, temerarius ob istud facinus excommunicatus existit, criminaque & pœnas incidit læsæ majestatis atque hæresis, adeò ut ultra execrationem honore omni & bonis jure sit privatus: Devotiones vestras in Domino requirentes, admonemus, hujusmodi pestiferum hominem pro tali excommunicato habeatis & privato, ab vestrisque civibus omnibus haberi mandetis: ipsumque non solùm vitetis sed procul ejiciatis ab oppido & dominio vestro: & bona quæcunque habet apud vos, tam mobilia quàm immobilia, fisco vestro applicetis: & alia omnia faciatis, quæ contra hæreticos de jure canonico fieri mandantur. In quo vos nobis ostendetis exhibebitisque catholicos, sicut plenè confidimus, & Deo gratos cives, in talem perniciosum Ecclesiæ Christi persecutorem, vos fideles & sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientes ostendendo. Nobisque in hoc eò magis devotiones complacebunt, quantò scimus plurimùm esse Deo carum, & Ecclesiæ suæ parentelæ, ac inprimis necessarium, quòd profugus iste pestiferque sacrorum contemptor ab omni expellatur conversatione & consortio Christianorum. Facite nobis quid egeritis per literas vestras rescribatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xviij. Octobris, M CCCC LX. Pontificatûs nostri anno tertio.

GREGORII

* In editione operum Æn. Sylvii Basil. 1571. hæc epistola est 400. sed hic auctor sequutus est editionem Nurenburg. 1481. (vel aliquam aliam ei conformem) in qua est 415. ut hic. Secundum autem utramq; alicubi emendantur commissa hîc errata.

Attende quàm dura patitur vir probus & Principis sui causam agens à Tyranno Papâ, qui Dei Ecclesiæq; nomina in os suum assumit, utriusq; tamen leges sceleratè violat.

GREGORII HEYMBURGENSIS

Appellatio à Papa variis modis ad Concilium futurum: sed præsens respondet criminibus sibi objectis à summo Pontifice.

VIS consilii expers mole ruit suâ. Vim temperatam in sublime provehit Deus. Papa Pius jampridem per breve Apostolicum non testatum, sed annulo piscatoris obsignatum, fertur excommunicasse Gregorium Heymburg. nunquam evocatum, contra legem Dei: qui damnaturus protoplastum prævaricatorem, præmisit vocationem dicens, Adam ubi es? Similiter & Cain fraterno adhuc sanguine madentem, interrogans dixit: Ubi est Abel frater tuus? Sodomorum quoque flagitia, antequam sulphuris exureret igne: Descendam, inquit, & videbo an clamorem, qui ad me pervenit, opere compleverint. Papa verò Pius, vi solâ fretus, omni consilio neglecto, quàm tenuem telam orsus, quam debilem texit rationem, quæso videte. Salvator (inquit) noster, Petrum Apostolorum principem ad gubernationem Ecclesiæ substituit, &c. Quis ignorat omnibus Apostolis Jesu esse præceptum, ut eant in orbem, prædicaturi fidem, baptismum & salutem? Quis nescit passim omnibus esse promissum, ligatum esse in cœlis, quod ipsi ligarent in terris: & solutum esse quod solverent? Sed quod Cephæ singulariter dictum est, Tibi dabo, &c. Hoc ait Hieronymus esse factum, ut schismatis tolleretur occasio: & Ambrosius in Pastorali suo dicit, quod nedum Petro trinâ rogatione interrogato, an amaret? ac ternâ responsione subsequente, amare se, teste ipso interrogatore Jesu, traditas sibi esse claves, sed & omnibus Apostolis unà contraditas. Apostoli quoque post ascensionem Domini convenisse, ac Petrum sibi principem constituisse, & Antiochiæ in cathedram collocasse referuntur: nihil tamen de potestate universis Apostolis à Salvatore datâ & ipsorum omnium universali missione diminuerunt. Ergo & hodie catholica exorat Ecclesia, sese per Apostolos ipsos continua protectione custodiri: quos Salvator ipse vicarios tanti operis constituit præesse pastores, horum legitimos successores constat esse universalia Concilia, Christianæ fidei firmamenta, quæ Pontificum actiones pro tempore saluberrimis doctrinis instruxerunt, errores emendarunt. De quibus summus ille Pontifex Gregorius scribit: Quisquis illa destruere tentaverit, seipsum destruit.

Dissipat rationes Papæ ex authoritate S. Patrum.

Nimium concedit, sed satis cautè: nisi totus mundus jamdiu stertisset, esset mirandum homines illos qui adeò vociferantur Sanctos Patres, Sanctos Patres, non animadvertere voluisse quod dicit S. Cyprianus in expositione Vocis Christi S. Matth. 16. Sicut me misit Pater, &c. in tractatu de simplicitate Prælatorum, ubi dicit disertis verbis —— hoc fuisse & cæteros Apostolos, quod fuit Petrus, pari consortio prædictos & honoris & potestatis; cui concinit S. Hieronymus in Epist. ad Evagrium: ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ sive Eugubii, ejusdem meriti & ejusdem est sacerdotii.

Sed quorsum hæc? Eò certè pertingunt, ut convellatur illa superstitio, in qua Papa Pius factionibus Cardinalis Cusani astruit, Concilium supra Papam non esse, dum dicit (ut ejus verbis utar) Ad futurum Concilium, quod supra Christi vicarium esse nequit. Videte ergo quam vim omnis consilii extorrem Papa inferre tentavit. Nam si omnes Apostoli missi sunt à Domino Jesu dicente illis, Ite in orbem, &c. Quodcunque ligaveritis, &c. Quos constat conciliariter postea esse congregatos, ac ipsum Cepham in messem Domini misisse: quis dubitat, concilia sacra vicem Christi gerere, quæ & cœtui Apostolico successisse comprobantur? Siquidem * orbis major est urbe. Subdit Papa Pius, rem illam in conventu Mantuano sæpe ac multum esse discussam: quasi concilium habuerit procerum, uti sacræ leges jubent in rebus novis constituendis: quas tamen pro nudo libitu plus evomuit quàm edixit. Profectò si quidem ipse conventum Mantuanum nuncupat conventum Regalium & Principalium oratorum illuc transmissorum: in illo certè nihil de iis ne cogitatum quidem extat. Dicitur autem Papa Pius cum Cardinalibus suis ita decrevisse. Cur hoc? Nisi quia voluit Papa ipse abuti potestate suâ, id est, tributum Talliam imponendò, & sub velamento militaris expeditionis in Turcam instaurandæ, facultates Germaniæ illius quæ est inter Coloniam Agrippinam & Austriam, ac rursus inter Daciam & Alpes, quæ Germaniam ab Italia discriminant, medullitùs exhaurire.  Nam ex illis solis finibus oratores Mantuæ ad tractandum convenere. Illi quippe soli videbantur apti Papæ, quos luderet: Brabantia, Hollandia, Gelria, cum circumjacentibus reclinarunt, clam illis quos suprà nominavi. Utcunque res acta sit, nullus illorum interfuit tractatibus nostris: ergo vim suam extorrem esse voluit à sensu illorum, quorum æra concupivit. Hinc profectò non ineptè nec supinè Papa ipse, negatis sibi pecuniis quas solas ardebat, suam ratus lædi majestatem, vim astu conceptam, totius consilii expertem

* S. Hieronymi verba in Epistola suprà citatâ.

expertem adhibuit: ac inprimis ſuam dimenſus poteſtatem, ſimul & Imperatoris noſtri ſplendorem ante oculos ponens, putavit neminem reſiſtere poſſe vel audere conatibus eorum. Veruntamen ſuam poteſtatem ſtupendo, quæ latior eſt quàm hodie ſit Imperii gloria Romani, quæ quondam Caucaſi montis limite coarctata, dehinc fracto Caucaſi limite per totum orbem vires ſuas terrâ marique exporrexit; nunc autem Auguſtorum deſidiâ anguſto limite cingitur, nihil profectò ſuis machinationibus in hiſce partibus quas Imperialis tituli ſplendor illuſtrat, obſtare poſſe rebatur, niſi fortaſſe totius orbis Chriſtiani conventus cieretur, quod univerſale Concilium nuncupamus. Hanc ſanctiſſimam Chriſtianorum conventionem, libertatis alumnam, Papa velut iliacam horrens paſſionem, illam prævenire credens, vaniſſimo decreto, antequam naſceretur, condemnavit, ſed condemnando potius judicavit. Cum enim ſedulò vetat, profectò magis timere deprehenditur. Nam quòd veteri ſilentio reſtinxit litura, hoc totum invida damnatio vivificavit! non aliter quàm qui latentes vires calcis aquæ rigantis & gelidæ ſuperfuſione obruere cupiens, invitus ac nolens exuſcitavit. Prudentius Solon ille Athenienſis, legibus ordinatiſſimè compoſitis, interrogatus, Cur nihil ſeverius in paricidas ſtatuiſſet, qui tamen ſicariis longè immaniores eſſent? reſpondiſſe fertur: Ideo ſe reticuiſſe, ne vetando admonuiſſe videretur. Hunc locum prælati capeſſite, qui libertatis veſtræ certiſſimum eſt refugium, dignitatiſque firmamentum: infirmos rumpite caſſes & inanes laqueos diſſipate, qui ſcholaſticis datis operam diſciplinis: Seculi verò principes, & viri militares, ad bellaque doctiores, quibus eſt diſciplina, ſed quando proficiſcimini editiora loca hoſtibus intercipere? Hunc eminentiſſimum locum univerſalis Concilii, quæſo, antè capite, unde vobis ſit proſpectus liberior, fortior & intentior propugnatio, tutelâque ſecurior. Quòd ſi Papa hoc tale tantumque aſylum interceperit, hoc roboris vallum fortaſſe demolitus fuerit ſeu obruerit, antequam emineat vel oriatur, vos abjecto clypeo exarmati tandem, pretii venalitate, hoc eſt, tributorum penſitatione, animas veſtras cogemini redimere: pecuniaque veſtra, ſub velamento militaris expeditionis adverſus Turcas inſtaurandæ, in damnatum & ſceleſtum uſum convertetur, ſcilicet in ſubſidium Fernandi, ex damnato complexu quondam Alfonſi regis Aragonum connixi, contra Renatum regni Siciliæ hæredem legitimum, & inclytum Johannem Calabriæ principem, Chriſtianæ nobilitatis ac militaris gloriæ decus & ornamentum & exemplar imitabile. Et idcirco dicit Papa, Gregorium Heymburg. ex diabolo natum: quia non ex damnato coitu ſed legitimo conjugio progenitus: quorum oſor eſt Papa, fautor baſtardorum pro quibus longiſſimam, & ferè quaſi trium horarum prolixam fecit orationem, dum Fernandi baſtardi laudes * Mantuæ perſonaret.

* Extat quædam Æn. Sylv. Oratio illic habita in volum. Epiſtolarum. Epiſt. 397. alia autem hæc videtur, quàm illi hic exprobrata.

Quòd verò ſubdit Papa Gregorium Heimburg. avarum, mendacem & turbulentum nuncupando, benedictis ſi certaret bona audiret: ſed cum certet maledictis, alium quærat qui reſpondeat. Ego ex illo grege non ſum; quippe cui facultates pro meritis minimè reſpondent; qui plura ſuffragia liberaliter impendi, quàm honoraria ſuſceperim: & libertatis amator pluſ ſemper fui quàm blanditiarum, quæ mendaciis & avaritiæ minimè convenire poſſunt: ſed ipſe aliquando audiet quid geſſerit, qualem vitam egerit, & quid apud * Comas: ſed reprimo me, pergens ad illius Decreti vanitatem, in quo vetantur oppreſſi, vel opprimendi, ad Concilium provocare, quod non eſt, & quod (ut ait) ſupra Papam eſſe nequit. Jam ſuprà oſtenſum eſt, cœtum Apoſtolicum fuiſſe ſupra Petrum: & nunc affirmo, quòd ſicut ad ſedem Apoſtolicam vacantem appellari poteſt, ſic ad Concilium quod nondum eſt congregatum, ritè appellatur. Quia poteſtas Eccleſiæ immortalis eſt, quemadmodum ipſa Eccleſia: quæ etſi nunc diſperſa eſt, aliquando habet congregari; & hoc nunc maximè opus eſſe nemo dubitat, qui calamitates Eccleſiæ intelligit & cognoſcit: cujus ſi ſe Papa partem eſſe fateatur, ſe utique minorem illâ fateri neceſſe eſt: ſiquidem orbis eſt major urbe. Papa autem hoc vetando, quid aliud agit quàm quod cauſatur adverſus nos, quòd ejus imperium truculentiſſimum non ſuſtinemus: quòd facultates noſtras, tam noſtro quàm majorum noſtrorum ſudore & ſanguine partas, in ſuas delicias effundere negamus: velut ille, qui ex vulneribus à ſe injectis retractum accuſavit telum, quod parcius corpore ſuſcepiſſet. Hoc dominicum in ſervos extat imperium, quod in nos exercere cupit. Hoc eſt ſervile ſervitium, quod à nobis exigit: non filialis reverentia, quibus certè nec peculium relinquere curat. Nemo ſanæ mentis hoc non percipit, nullus emunctæ naris homo non olfacit quorſum

* Non opus eſt divinatione ſcire quid ſibi vult hic autor: quin legat Lector Epiſtolam Æn. Sylvii ſuo ipſius genitori inſcriptam de muliere quadam noſtrate, cui ſe ingenuè fatetur nimis familiarem fuiſſe; citra ullam facinoris deteſtationem; patremque orat recordari qualis ipſe gallus fuerit: decima quinta eſt epiſtola lib. 1. inde conjicies unde ſibi ſumpſit ſpurios laudandi argumentum. Hiſtoriam hic vir olim juvenis ſcripſit ſatis laſcivam de amoribus Euryali & Lucretiæ, (Epiſt. 114.) cujus poſtea cum, cum ſenex fuerit, pœnituit. (Epiſt. 395.) De vitiatâ verò amaſia ſuâ Britannicâ ne gru quidem pœnitentiæ: noluit fortaſſe S. Auguſtinum imitari pari culpa irretitum: vel peccatum veniale & leve (ſcilicet) deleverat illi è memoria ſuus Pœnitentiarius ſecretè.

tendat

tendat hæc tàm gravis exactio. Quod verò me loquacem facit vir omni picâ dicacior, quid dixerim? nisi Horatii verbo respondisse velim, dicentis:

Horat. Ser. lib. 1. Sat. 3.

—Ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas?—
Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius? hinc tibi contrà
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus & illi.

Fateor quippe me ventositati verborum pro tempore operam dedisse: at non ita, ut civilis & canonicæ traditionis præcepta contempserim: quæ ille ne unquam quidem olfecit, nuda verbositate contentus. Porrò siquid tale vitium apud me deprehendit, ineptè tamen idipsum mihi exprobravit, quo ipse potissimum turget: mihi satis est didicisse civiles sententias: & quicquid præcipuum habet ratio & industria, & quicquid sacra tradunt utriusque juris instituta, hisce literis & floribus exornare possim, & in illo grege me esse profiteor. Ipse in numero sit illorum, qui putant hæc omnia vi & artificio rhetorum contineri. Ergo si Papa ob id facinus me excommunicatum dicit, quis erit ejectior ipso, qui præter verbositatem nihil habet in se virtutis? Subdit & læsæ majestatis crimine me irretitum: credo eum culicibus & muscis has leges edidisse, aut animalibus quæ in tabidis corporibus nasci solent: uti aranearum telas in occursum fragiles, leges Concilii atomis æquavit: quas si culex, aut quod imbecillius animantium inciderit, evolvere se nescit: si quid autem validiorum animantium incurrerit, penetrat atque disrumpit. Neque enim rete ficedulis aut coturnicibus contextum, aptum est vincire vulturem vel aquilam. Irretiat ipse Reatinos suos, & eos quos servili metu constrictos habet: mecum erit, Deo duce, libertas Diogenis & Catonis. Nec satiatus est Papa convitiis vulgaribus, quin etiam hæreticum me audeat nuncupare. Siquidem hæresim voluit sectam vel sententiam nuncupare, ut Cicero noster Catonem rectè appellat: hæreticus sum ego, qui aio Concilium orbis Christiani fore supra Papam: hæreticus est Papa, qui contrariam sectam fovet. Videte quòd nihil gravius in eum dico, qui tamen abjecta rationis & consilii moderatione, cuncta in me pro libitu jussit scribi. Postremò nec adhuc satiatus Papa convitiis, mandat bona mea confiscari: quæ utinam tanta essent, quòd rapacibus viris hiatum ponere possent. Ego inter bonos conversari volo, qui virtutes meas opibus suis foveant, & pluris faciant suffragia mea, quàm locupletivam quam ex mea ruina sperare possent. Majori etiam utentur consilio, quàm Papa fretus est in procacitate sua. Pollicetur tandem eis Papa, qui res meas invaserint, Catholicorum hominum operas impendisse. Maximè ridiculosum esset hoc verbum, nisi ipsius Papæ ineptia jam antea vobis comprobata esset: dum ipse incestuosos complexus, & vitia honestati publicæ inimica, Mantuæ tam copiosè & loquaciter personavit. Expugnatis tunc aranearum telis, & infirmorum retium vinculis nodisque dissolutis, ad remedium morbi introducti, quo adversus superiorem truculentiam & amarissimas leges se tuetur innocentia, stylum convertere depropero. Et inprimis planè constat, semper & ubique ab inferiore ad superiorem ritè provocari. Nemo enim tam obtusi cordis est, qui non in seipso periculum fecerit, à sensualitatis fragilitate ad intellectualis potentiæ discursum esse provocandum. Sed & qui morbo aut vitio animi tenetur, ut nesciat cernere verum, si lapsus fuerit in vitium, defæcato tandem animo ad se rediens, ad animum irâ, odio gratiaque vacuum provocat, quò certius de rebus dubiis consultet atque decernat, & vim suam gravitate consilii moderetur. Ideo laudata est illa mulier, quæ à temulento rege Philippo, ad eundem sobrium provocavit. Sit ergo mihi gradus primus, ab irato Papa qui me lacessit, ad eundem mitem factum appellare: & ab oratore topico, ad eundem si ventositate abdicata, si musis relegatis, ad sacras leges se converterit: ubi discet, neminem indemnatum rebus aut fama spoliare, nec quenquam inauditum condemnare. Deinde quia scriptum est, Papam omnes judicare, ipsum autem à nemine judicandum: quod & ego fateor verum quantum attinet ad sedis ipsius & Papalis potestatis plenitudinem: sed non ita, ut sub inimico & suspecto judice quisquam cogatur famam aut res suas decertare. Ad eundem itaque provoco, si se juxta boni viri arbitrium astrinxerit judicaturum. Et is sit Appellationis meæ gradus secundus. Si verò causam delegare malit viro non suspecto, rursus ad eundem Papam, seu quem deliget, provoco & appello, & hunc tertium appellationis meæ modum offero, meque tali judicio sisto. Et in summa, Papali cognitioni ea lege me submitto, si suspicionis causa tollatur è medio. Et hic quartus ordo omnem tollit tergiversationis notam, quam mihi injicere possit Cusana procacitas, cujus ductu hæc omnia diriguntur. Quæ omnia

omnia si Papa contempserit, quid restat, nisi ad universalem Ecclesiam provocare, prout à senatu ad populum Romanum sæpe reperimus Appellatum? Nec objiciat mihi Papa, Ecclesiam non esse congregatam: quoniam id ipsum factionibus suis impeditur & disturbatur. Apud me nulla mora, culpa nusquam, cum non per me, sed per ipsum stet, quo minus fiat. Si quis enim in jus vocatum vi eximat, contumaciam removet citato, sed omne vitium & crimen in se transfert. Papa metum intulit mihi, ipse sibi justitiam indixit: qui se convitiis suis adversus me suspectum reddidit, qui se sapientis arbitrio astringere declinavit. De suspicione experiri recusat, nec judicem suspicione carentem delegare dignatur: quique universale Concilium conciere negat, hic si adversum me quicquam attentaverit, adversus ipsum provoco, gradatim atque alternatim, ut præmisi: & testimonium ejus rei postulo, & de metu justo protestor coram vicinis. Quo cessante, prosequor, si opus erit, & opportunitas concedatur: prout juris publici ratio poscit, salvo jure addendi, omnibusque remediis moribus & lege introductis.

HERMANNI RYD DE REEN
Tractatus de Vita & Honestate Clericorum.

PRÆFATIO.

HUMILIS religio Christiana ac dilectio fraterna volunt nos insimul hortari ad currendam viam mandatorum Dei corde dilatato, eo quòd unicuique mandavit Deus de proximo, prout legitur in Ecclesiastico. Ideo coactus sum, charitatis impulsione impellente, in hoc libello quædam utilia de vita & honestate clericorum, ad utilitatem legentium scribere: his præsuppositis, quæ in superioribus de castitate clericorum & statu prælatorum sunt præmissa. Et quamvis initium salutis, sit culpam suam simpliciter confiteri, & non inniti propriæ prudentiæ, sed seipsum ad suscipiendam majorum suorum disciplinam attentum accommodare, illorum videlicet, quos diutina approbatio authenticos fecit, quibusque doctrinæ ac vitæ sanctitas, certaque miracula rectum perhibent veritatis testimonium: de quorum sententiis tam sequentes quàm præmissos carpsi flosculos; qui veritatis zelo prius mortem & omnia supplicia pati voluerunt, quàm levissimum proferre mendacium: tamen temporibus jam currentibus periculosis, multi reperiuntur clerici, qui rationibus & sententiis patrum non vincuntur, sacram scripturam non recipiunt, & sanctorum patrum canones vilipendunt: teste beato Ber. in libro ad Eugen. Papam. Hi sunt, qui viros intelligentes ac catholicos, gravitatem criminum clericorum pensantes, ac contra eorum perfidiam vigilanter clamare nitentes, exosos habent & derident: immò fantasticos, ac pacis turbatores, ac erroneas conscientias habentes asserunt: ut patet 1. q. 1. per totum: & qui pro extirpatione vitiorum talium clericorum zelo bono laborant, ac veritatem in canonibus sacris expressam, quam quilibet intelligens publicare tenetur, allegant: tantis detractionibus, sibilis, risui ac contumeliis à suis & cæteris prælatis exponuntur, quòd tandem tacere & dissimulare coguntur inviti: sicque verificatur illud beati Hieronymi dicentis in libro de Norma vivendi v. c. Nulla in mundo tam crudelis bestia est, quemadmodum clericus vel sacerdos malus. Nam corrigi non patitur, nec veritatem unquam audire potest. Et ut breviter dicam, omni malitia pleni sunt. Hæc deplanxit coram sacro Concilio Constantiensi humilis ac devotus * Episcopus Civitatensis, in hæc verba: Quid dicam, aut ultra adjiciam de statu clericorum? Nam, ut video, populus iste duræ cervicis est, & in iniquitatibus suis venditus & in sceleribus suis pertinax. Vocavi eum, & non erat qui audiret. Esa. 65. Si verò luxuriam, avaritiam, superbiam, simoniam, ac cætera clericorum vitia profundius tractare præsumpsero, fantasticus ac præsumptuosus totaliter promulgabor, atque de mendacio arguar, & effundam sermonem (contra doctrinam Sapientis) ubi non est auditus. Sed væ mihi, Isaia teste, si tacuero: populus enim iste, scilicet ordo sacerdotalis & clericalis, ad iracundiam provocans est: & filii mendaces, nolentes audire verbum Dei, qui dicunt videntibus, Nolite videre: & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia: videte nobis errores, cesset à facie vestra sanctus Israel. Propterea quia reprobastis verbum meum, & sperastis in tumultum, erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens de muro excelso. Quoniam subitò, dum non speratur, veniet contritio ejus, & comminuetur, sicut

Scripsit hic autor tractatum 4. Capitulis constantem (ut in fine secundi cap. hujus tractatus monet) de castitate clericorum, &c. dignissimũ qui in lucem ederetur, si reperiri posset.

* Vide Catal. test. veritatis. col. 1839.

Isai. 30. 9. &c.

ſicut conteritur lagena figuli contritione valida. Narraverunt iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua. A veritate enim tales auditum avertunt, & ad fabulas convertuntur, 2 Timoth. 4. Sed ut teſtatur ſanctus Auguſtinus lib. Confeſſ. 10. Si beata vita gaudium eſt de veritate, cur ergo odium veritas parit, quòd nolunt hujuſmodi convinci quòd mali ſunt & falſi: & quodcunque amant, volunt eſſe veritatem. Amant enim aliquando nocentem, vel tacentem, ſed odiunt redarguentem. Quanquam hæc ita ſunt, nunquid plus timebo horum offenſam quàm hanc beati Chryſoſtomi formidandam ſententiam in canone expreſſam: Quiſquis metu cujuſlibet poteſtatis, veritatem, quam liberè pronunciare oportet, occultat, iram Dei ſuper ſe provocat, eò quòd magis hominem quàm Deum timet. Uterque enim reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium loquitur. Quoniam & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat. Sed ſi Eſaiæ ſententiam adverto, horum offenſam non timebo. Ait enim; Clama, ne ceſſes, quaſi tuba extolle vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum. Cujuſcunque igitur ſtatus ſit ac conditionis exiſtat, ſi alios, cum poteſt, ab errore non revocat, ſeipſum errare demonſtrat.

Cap. 58. 1.

Vulgatum eſt philoſophi dictum, compita occupans atque ſemitas: Amicus quidem Socrates, amicus Plato, ſed magis amica veritas. De Socrate quidem parum, de veritate multum curandum eſt. Quinimò duobus exiſtentibus amicis, ſanctum eſt præhonorare veritatem. Sed heu! ut olim dixit in templo Romanorum quoddam idolum: Qui veritatem loquitur, caput ejus frangitur. Quanquam verum ſit ſapientis dictum, dicentis: Nihil tam deeſſe prælatis, quàm quòd nemo ſit qui veritatem eis dicat. Unde & ſanctus Ambroſius, ſuper illo verbo Apoſtoli 1 Corinth. iv. Vos nobiles, nos autem ignobiles, ſic dicit: Qui veritatem ſine adulatione prædicant, gratias apud homines non habebunt. Unde apoſtolus * Corinthiis ſcripſit: Inimicus factus ſum vobis, vera dicens vobis. Et Terentius: Obſequium, inquit, amicos, veritas odium parit. Jam enim proh dolor! ubique corruit veritas, non in deſertis tantùm, ſed & in plateis, & ingredi non poteſt. Si in deſerto quis caderet, conqueri non poſſet, quia ſublevantem non haberet. Si quis in plateis corruerit & ſublevatus non fuerit, juſtam querelam movere poteſt. O error cæcus. Nam ſi ſubditi intelligentes prælatorum ac rectorum leviter ſaltem negligentias & vitia tetigerint, ac ſacrorum canonum & divinorum eloquiorum teſtimonia adduxerint, tot indirectis increpationibus, injuſtis gravaminibus, depreſſionibus, humiliationibus ac contumeliis afficiuntur, imò tanquam fantaſtici & cauteriatas erroneaſque conſcientias habentes, contemni, & non audiri dicuntur. Quod etiam ex hoc, præ humana infirmitate interdum commoventur ſe defendendo, à quo contrà prælati ſibi occaſionem ſuſcipiunt eoſdem quaſi juſtè deprimendi & humiliandi. O nimis ſtupenda & verè culpanda væſania. Quid perniciosius, quidve à ſalute remotius, quàm illos deteſtari & illorum hortamenta in fabulas convertere, qui eos ſatagunt ad ſalutem reducere: & ſe lethaliter vulneratos, ſanos æſtimare? Tales ſunt prælati & rectores, qui diſtrictè aliorum vitia reprehendunt. Sed cum ipſis vel leviter reſiſtitur, vel cum culpa eorum redarguitur, mox ad hæreticorum fructum, qui ſecundum Origenem ſuos reprehenſores perſequuntur, ſe conferunt, & tanquam carnales diſſenſiones fructificant: fructus enim carnis ſunt diſſenſiones, inimicitiæ, æmulationes & hujuſmodi, ad Galatas 5. Non ſolùm autem eos perſequuntur verbis, ſed etiam, ſi detur copia, vel levis fuerit occaſio inventa, ſine miſericordia addunt & gladium ſeparationis. Hoc modo Semeias Hieremiam prophetam Maaſiæ pontifici detulit, dicens: Dominus dedit te ſacerdotem pro Jojada, ut ſis dux in domo Domini ſuper omnem virum arreptitium & prophetantem, ut mittas eum in nervum & carcerem. Et nunc, quare non increpas Hieremiam Anathotiten? Hierem. 29. Ecce falſus propheta verum prophetam vocat arreptitium; nec mirum: nam & alius ſuus prædeceſſor nuncupabatur væſanus à dicentibus ad Jehu: Quî venit væſanus ille ad te? 4 Reg. 19. Hoc modo doctores catholici, ac intelligentes viri, cum fractis capitibus inſani à talibus rationibus judicantur & apertè nuncupantur, quemadmodum dictum fuit Paulo à Feſto præſide, Actuum 26: Inſanis, Paule, multæ te literæ ad inſaniam convertunt. Hinc & ipſe Dominus appellatur furioſus Marci 3. Exierunt diſcipuli tenere eum: dicebant enim, quoniam in furiam converſus eſt. Scribæ verò & phariſæi dicebant, quia Beelzebub habet. Ipſi verò Apoſtoli Actor. 2. muſto madere deputantur: quia alienati à carne & mundo ſcribarum & Phariſæorum vitia reprehendebant. Sententia eſt Petri Bleſenſis in Epiſtola, quòd damnatiſſima eſt hæc erubeſcentia, quæ à minore, ſicut à majore, doctrinæ beneficium audire contemnit. Longè aliter affectus fuit ſanctus Aug. cum dixit: Ego enim ſenex, & tot dierum ac annorum epiſcopus, à puero nondum anniculo paratus ſum edoceri: & habetur in can. 28. q. 3. ſi habes. c. 1. apertè datis intelligi,

* Eſt ad Galat. 4. 16.

telligi, neminem qui vera & debita intentione adjecta docet, fore contemnendum. Unde & idem Augustinus, ut habetur d. 38. dicit: Nullus episcopus propter opprobrium senectutis, altitudinem dignitatis vel nobilitatem generis, à parvulis & cæteris minimis eruditis, si aliquid fortè salutis aut utilitatis suggesserint, audire, inquirere aut addiscere negligat. Qui autem rebelliter vivit, & discere atque agere bona recusat, magis diaboli membrum quàm Christi esse ostenditur: & potius infidelis quàm fidelis esse dignoscitur: ut probatur ibidem. Redite igitur prævaricatores ad cor, & monita salutis à quibuscunque, sive junior fuerit sive senior, gratanter admittatis. Nam, ut ait Hieronymus, Magnum dilectionis indicium est, quemcunque hominem in quibuscunque etiam minimis vitiis reprehendere. Utinam igitur contra vitia omnis creatura apertè clamaret. Nam ex quo Deum non timent, fortè homines revererentur.

Nam, ut ait Chrysostomus super epistolam Pauli: Si habenti pecunias & non largienti, Dominus supplicium comminatus est: is qui valet & scit proximum commonere, & non facit, quomodo non majoribus suppliciis puniretur? Sed non habeo sermonem, inquis, nec prædicare possum, qui missus non sum. Sed non est opus sermone neque eloquentiâ: si videris aliquem fornicantem, ac statutis ecclesiasticis divinisque præceptis non obedientem, dic ad eum: negotium malignitatis aggressus es: non erubescis? non confunderis? malum namque est quod agis. Si videris aliquem ad convivia, comessationes, ebrietates pergentem, etiam tunc similiter age. Hæc ille. His & similibus orthodoxorum patrum sententiis permotus, veritatem præhonorare volens, non majorem facturus gratiam pacis, honoris & favoris, amore veritatis, ad ipsius primæ veritatis honorem, tam ea quæ præmissa sunt, quàm etiam ea quæ sequuntur, tempus in otio redimens, scribere cogitavi. Nec adverto, si fortè aliquibus hæc minus fuerint grata, dummodo tamen piis mentibus hæc ipsa sint accepta. Veritatem igitur meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impios, & veritas liberabit me à maledictione linguæ iniquæ: cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

CAPUT I.

Quòd multum distat inter fictum & verum Clericum.

ET quia magna & mirifica est dignitas Clericorum, & non minima portio in corpore mystico Christi, imò ut signata signis concordent, quia de sorte sunt Domini, & ad ejus ministerium certis characteribus designati: ideo necesse est inprimis, ut tales sint in vita & moribus, quales apparent foris in signis & characteribus. Sic enim gloriosus pater sanctus Hieronymus sentire videtur in epist. * sic dicens: Oportet, inquit, hoc omnino nos esse, quod videmur: singula quidem insignia virtutes in nobis esse repræsentant, virtutes pollicentur, virtutes clamant; clamat corona paupertatem, vestis sacerdotalis honestatem, clamat status puritatem, clamat officium devotionem, clamat studium contemplationem: & imò nisi virtutibus polleamus, mentitur caput, mentitur habitus, mentitur cultus, mentitur officium, mentitur & ipsum studium. Ac per hoc non sumus clerici nisi ficti, quia mendaces. Et hominem mendacem odit Deus, Proverb. 6. c. Et licet scribitur, Omnis homo mendax: non tamen scribitur, quòd omnis homo mendacium. Seculares quidem homines mendaces sunt, quia mendacium dicunt: sed ipsum mendacium non sunt, quia in vivendo difformiter suo habitui non contradicunt. Si ergo Deus perdet homines omnes qui loquuntur mendacium, quomodo, putas, perdet eos qui sunt ipsum mendacium? Nam Deus odit mendaces propter mendacium, quod magis odit, quia peccatum: per regulam, propter unumquodque tale, & ipsum magis tale. Hi namque clerici qui tales sunt, postquam Deo militare cœperunt, diu nutriti in croceis, demum stercora complectuntur, & in carne consummantur postquam spiritu inceperunt: & non advertentes quòd in sortem Domini electi sint, secularibus studiis & rebus se denuò implicant & immergunt: & post Dei cultum, servire rursum nituntur in hoc mundo Pharaoni, id est diabolo, dæmoniorum regi & tenebrarum principi, in palea vanitatis & superbiæ, in luto carnalitatis & luxuriæ, & in latere continuæ iniquitatis & malitiæ. Hi sunt quibus sol occidit in meridie.

* Fecerat autor bene si nobis indicasset locum: ista enim Corona de qua hic mentio, vix occurrit inter S. Hieron. opera genuina; utinam viderem ubi: quis enim percurreret omnes Epistolas S. Hieron. talis coronæ gratiâ; quæ cum reperiretur ne unius quidem pili æstimatur?

Sicut enim tripliciter radius solaris * auram retrahit consolatione, scilicet terra, luna & nube: sic Christus Sol justitiæ, amoris sui radios ab hujusmodi clericis retrahit propter tria. Primò, per interpositionem terræ mundialis, videlicet avaritiæ: &

& hic est pulvis injectus qui oculum excæcat. Secundò, temporalis ambitionis & vanitatis nube: quoniam eorum prævaricatio major est omnium hominum. Ideo de quanto eorum peccatum gravius est & periculosius, de tanto vitium eis magis accrescit. Et quia in laboribus hominum non sunt, eleemosynis fidelium dilatati, & cum justis non flagellantur, miseria defectus, victus & amictus. Ex quo eleemosynis proviti & redditibus sufficienter, & aliunde eis opes occurrunt, modò per hypocrisin, modò per gladium spiritualem, quem vibrant in homines pro causis pecuniariis: unde multa lucrantur, ut patet manifestè: Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua, propter quietem eorum, tam corporis quàm animi, in quærendis vitæ necessariis. Ideo sequitur: Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Quid est, ex adipe? nisi ex nimia suavitate vitæ clericorum, qui nec corporaliter laborant manibus, ut alii fideles, pro victu & amictu: neque spiritualiter, pœnitentiam agentes pro se & suis benefactoribus. Propterea concludit postea consequenter, cum dicit: Transierunt in affectum cordis. Quid hoc, nisi ambientes gloriam & honores? Dicit ultra: Cogitaverunt & locuti sunt nequitiam: in hypocrisi, simulatione, cautelis & dolositatibus, atque cavillationibus juris se tueri, aliquosque supplantare, premere & decipere, malamque vitam eorum colorare & cooperire soliti. Ex illis omnibus tunc sequitur, Iniquitatem in excelso locuti sunt: hoc est, in potestate & audacia, ratione gladii spiritualis & status clericalis. Inde est, quòd posuerunt os suum in cœlum, & lingua eorum transivit in terra. Et licet multis modis hoc interpretatur & exponitur: tamen totum in idem redit, si quis debitè advertit. Ad nostrum autem propositum sic intelligitur, quòd ponere os in cœlum, hoc est, se propter auctoritatem ecclesiasticam & privilegia ejusdem, ostentare & elevare ultra omnes: licet lingua eorum transivit in terra: hoc est, desiderium eorum est, pro his spiritualibus habere terrena quocunque modo, scilicet vi, dolo, fraude & hypocrisi. Et infinita plurima possent dici de vita modernorum clericorum ad prædicta confirmanda: sed causa brevitatis hæc sufficiant.

Tertiò luna voluptatis & carnalis concupiscentiæ: & hic est humor concretus, visum impediens. Hanc caliginem deplanxit Hieremias Threnorum 3. dicens: Quomodo obtexit caligine, &c. Ab his vitiosis sacerdotibus & clericis, qui id quod habitu & tonsura prætendunt, moribus non ostendunt, Salvator, tanquam à falsis prophetis attendendum docet Matth. 6. Ea enim quæ audacter in secreto faciunt, publicè reprehendunt: abstinentiam aliis prædicant, sed comessationibus, crapula & incontinentia ipsimet maculantur, & rarò ipsi jejunant. Sed delicatus magister est, inquit Hieronymus, qui pleno ventre de jejunio disputat. Accusare avaritiam & latro potest. Quomodo enim hospitalitatis exhortator esse poterit, qui domum propriam hospitibus clausit? 42. dist. Quod enim quisque juris in alium statuit, ipse eo uti debet Extra. de constitut. Cum omnes (juxta illud Catonis, Patere legem quam tuleris) propter hanc duplicitatem rectè Redemptoris voce increpantur, Matth. 23. Væ vobis hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò sunt plena ossibus mortuorum & omni spurcitia: sic modò rectores ecclesiarum, sacerdotes ac clerici plerique à foris quidem apparent hominibus justi, intus verò pleni sunt rapina & iniquitate. Omnia enim opera sua faciunt in Ecclesia propter lucrum avaritiæ & favorem vanæ gloriæ, teste Apostolo: Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, quod bene rapinam sonat, aut certè * furtum habetur vanæ gloriæ, Salvatore dicente: Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, Matth. 6. & 23. Hi sacerdotes & clerici à veritate deficiunt. Nam idolorum cultores sunt facti: avaritia enim est idolorum servitus, ad Ephes. 5. Hos sub ovina pelle cavendos Dominus præcipit, Matth. 6. Ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos. Qui tales sunt, cum cœperint aliquibus tribulationibus, persecutionibus & tentationibus hæc ipsa illis subtrahi vel negari, quæ isto velamine sunt secuti vel cupiunt consequi: tunc necesse est ut appareat, utrum lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua, ut dicit sanctus Augustinus. Salvator etiam tales specificat, dicens Joan. 10. Mercenarius, & cujus non sunt oves propriæ, cum viderit lupum venientem, fugit. Iniquitate etiam pleni à Domino dicuntur, in quo nomine vana gloria exprimitur, ut patet suprà in *. Nulla major est iniquitas quàm spoliare Altissimum honore & gloria, quæ sunt sibi simpliciter, & reservatione propria: Apostolo ad Timotheum dicente, Soli Deo honor & gloria: quæ ipsi in se retorquere conantur. De hac iniquitate Job dicit: Si vidi solem in-
Cap. 31. 26. cedentem clarè, & osculatus sum manu mea, quod est iniquitas maxima. Hi se glorificare volunt, non Deum: propter hanc vanam gloriam clerici à veritate vitæ deficiunt. Nam vera vita est, omnia in gloriam Dei facere, Salvatore dicente: Sic

luceat

luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est: Matth. 5. Econtrà autem hi omnia ecclesiastica officia faciunt, ut se glorificent. Unde beatus Gregorius in Moralibus, super illo Job, Spes hypocritæ sterilis quia peribit: de talibus sic dicit: Quid in cunctis operibus suis hypocrita sperat, nisi honoris reverentiam, laudis gloriam, à melioribus metui & justus ab omnibus vocari? Hi operaturi laudes suas cogitant, laudati verò has tacitè secum in cogitatione versant: gaudentque se præcipuos in humana æstimatione claruisse, aliisque non inferiores sed prælatos esse: cumque favoribus apud semetipsos intumescunt, sæpe mirantur taciti etiam quod sunt. Sed hi, quomodo veri sacerdotes & clerici esse possunt, qui gloriam ab hominibus quærunt? Non igitur est mirum, quòd ille qui prosternit aurum tanquam lutum, ut in Job legimus, de vitio in vitium cadere procurat: ut qui in sordibus sunt, amplius sordescant. Cesset igitur omnis fictio, si quis vult gaudere de vero & regali sacerdotio cum Christo. Sed mirum refero, licet luce clarius videtur. Antiquitùs, ut ubique legitur, mali clerici & sacerdotes fuerunt hypocritæ: quod est dicere, simulatus, justus in veritate non existens: quibus valdè erat infestus Salvator, ut patet in Evangelio, cum sæpe eos redarguit, contra eos prædicavit, & etiam quodammodo imprecatus est, cum dixit: Væ vobis hypocritæ, &c. Moderni autem clerici pejores sunt illis hypocritis, qui licèt mali sunt & pessimi prævaricatores pro majori parte, non tamen talia in occulto hominibus nescientibus, ut hypocritæ fecerunt. Utinam foret ita bonum, ut justi coram hominibus apparerent, ne homines in eis scandalizarentur. Sed aliter est negotium: quoniam minus verecundantur laicis, gloriantes de malitia eorum & malè actis. Quot publicos fornicatus sive fornicarios videmus? imò quòd pejus est, tales & hujusmodi sic vivere permittuntur publicè ab eorum prælatis, solùm quòd omni anno porrigant certam quotam pecuniarum officialibus eorum. Quid fœdius posset audiri: taceo, tunc videri? Neque hoc celari potest, cum publicum est, & omnibus constat. Cæterùm quot simoniaci publici? intantum etiam, quòd ipsam simoniam celare non potentes, pro subterfugio fingunt alios terminos simoniam exprimentes, sperantes hoc nomine Simonia non audito, ipsam simoniam considerari non posse: dicentes, Ordinatio Ecclesiæ est aut statutum. Alii subtilius evadere conantes, dicunt Papam fore de plenitudine potestatis, qui in talibus potest dispensare, admittere & ordinare: cum simonia sit quia prohibita, & tunc peccatum: Papa autem prohibente, aut aliter ordinante, statuente ac ordinante, cessat tale delictum. Quod valdè est erroneum asserere. Quia peccatum non surgit ex nomine, sed ex mala deordinatione. Ubi incommutabile bonum, aut ordinatum ad illud, appretiatur commutabili pretio: sicut conatus est Simon Magus, quod quidem semper est peccatum, sive Papa approbante, sive relaxante qualitercunque: quod omnino speratur non fieri à tanto patre. Ergo deliramenta sunt quæcunque excusationes. Et quia multo plures deordinationes publicæ clarent in clero moderno, tam religiosis quàm secularibus omnibus attendere volentibus: ideo vitandæ prolixitatis causâ, rescindo relationem. Relinquitur tamen inde manifestum, modernos clericos pejores multo esse ipsis hypocritis.

CAPUT II.

Quid requiratur à veris Clericis.

Regale igitur ac verum sacerdotium dignum duxi jam admonendum, ut intelligat statum suum, nominisque sui interpretationem. Id testatur beatus Hieronymus, epistola * 24. ita dicens: Clericus, qui servit Ecclesiæ, interpretetur vocabulum suum, & nominis interpretationem, ut mereatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, Latinè sors appellatur: propterea vocantur clerici, quia de sorte sunt Domini. Ipse enim Dominus est sors, id est, pars clericorum. Et quia ipse est pars Domini, vel Domini partem habet, talem debet se exhibere, ut possideat Dominum, & possideatur à Domino, ut probatur di. 25. cleros. Magna igitur est dignitas clericorum, quòd sunt de sorte Domini: & mirifica possessio, quòd possident Dominum. In hujus dignitatis signum clerici coronam deferunt, ut testatur venerabilis Hugo, in libro de Sacris, parte secunda, c. 4. Signaculum itaque primum est corona clerici, quia signantur ad potestatem sortis ministerii divini: cui servire, regnare est. Corona quippe regale decus designat, secundum illud 1 Petri 2. Vos estis regale sacerdotium. Coma autem capitis clerico in modum

* Vide locum: est Epist. ad Nepotianum.

modum coronæ tondetur, & summitas capitis desuper denudatur: ut per hoc detur intelligi, quòd ad regiam potestatem assumitur, & ut revelata facie gloriam Domini contempletur. Monendi igitur sunt clerici, ut à mundanis negotiationibus sint sequestrati, & divinis ministeriis mancipati, nobili vita ac regia præditi, venusta gravitate maturi (juxta dictum Psaltis: In populo gravi laudabo te, &c.) & divinorum secretorum jugiter contemplativi. Quare beatus Hieronymus Epistola * 34. ubi suprà, eos redarguens ait: Negotiatorem clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Nemo enim militans Deo, implicat se negotiis secularibus. 2 ad Timoth. 2. Inhonestum igitur & turpe clericis, deferre in capite signaculum regium, & suo nomine profiteri divinum ministerium, & sua tonsura testificari se esse contemplatores arcanorum Dei, si serviunt peccatis & conculcantur à Satana à secularibus causis & negotiis absorpti. De talibus dicitur Threnorum quarto: Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Magna ergo diligentia debent clerici suum statum custodire. Multum enim indecens est, si cum corona regia sit corona superbiæ, quam Dominus confringet: ut habetur Esaiæ 2. Væ coronæ superbiæ. Excellentia enim sacerdotalis officii hoc exigit, ut sicut cæteros præcellunt dignitate, ita & præcedant sanctitate. Tales admonet Apostolus 1. ad Timotheum: constituendos presbyteros per civitates, qui sine crimine sint, non superbos, non iracundos, non incontinentes aut cæteris irretitos vitiis. Spirituale hoc in ordinatione presbyterorum innuitur, cum episcopus ponens manus super capita eorum, invocat Spiritum Sanctum super eos: & manus inungit, ut videlicet cognoscant se accipere gratiam consecrandi & opera misericordiæ exercendi. Super utrumque humerum stolam accipiunt, ut intelligant se esse munitos per arma justitiæ à dextris & à sinistris, ut nec adversa eos frangant, nec prospera extollant, secundum sententiam Hugonis, ubi suprà. Tenentur ergo esse clerici sanctitate puri & immaculati, ex quo sunt ministri Creatoris & Salvatoris sui. Eis enim dicitur Levit. 21. Sancti erunt Deo suo: & sequitur: Qui habuerit maculam, non afferat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, aut claudus: & reliqua, quæ sequuntur. Quod exponens beatus Gregorius secundo libro Pastoralis c. 11. dicit: Cæcus est, qui supernæ contemplationis lumen ignorat: claudus, qui viam vitæ tenere non valet: & sic consequenter, ut ibidem exponit. Mundamini igitur, qui fertis vasa Domini. Esa. 51. Sacerdotes enim & clerici ornamentis virtutum debent esse decori. Si enim omnes Christi fideles debent esse ornamento virtutum fulgidi & arma lucis induere, & operam tenebrarum abjicere, ad Rom. 13. multo amplius minister Dei, sacerdotes & clerici, justitia debent esse induti; juxta illud Psal. Sacerdotes tui induantur justitia. Scientia etiam cœlesti debent esse præditi nec secretorum Dei ignari, scientes reddere rationem de fide cuicunque poscenti: juxta dictum beati Petri apostoli in sua canonicâ. Ne dicatur eis illud Esaiæ 56. Speculatores ejus cæci omnes, &c. Gravitate etiam morum debent esse maturi, absque levitate mundiali, ex quo laudatores & ministri Dei sunt. In populo enim gravi laudabo te, inquit Psal. Unde narrat sanctus Ambrosius lib. primo de Officiis, de seipso loquens: Meministis quendam per amicos mihi commendatum, in clero à me non esse receptum, eo quòd gestus ejus plurimùm dedeceret. Alterum quidem, cum in clero reperirem, meministis me dicere, ne unquam præiret: quia velut quodam verbere insolentis incessus oculos meos feriret. Nec fefellit sententiam. Uterque enim ab Ecclesia recessit. Levitas igitur secularis & gestus histrionicus & vestitus curiosus amplius inhonorant clericum quàm honorant. De talibus Hieronymus ad Eustochium virginem, epistola 84. Sunt de hominibus mei ordinis, qui ideo ad presbyteratum & diaconatum ambiunt, ut licentius mulieres videant. Et his est omnis cura de vestibus si bene oleant, si pes laxa pelle non vacillet: crines calamistri vestigio rotantur, digiti annulis radiant. Tales igitur cum videris, sponsos magis æstimato quàm clericos. Alii ad sacerdotium anhelant, ut inopiæ cedant & miseriæ: quia in statu servili & abjectionis esse abhorrent, laborare recusant præ pigritia, mendicare erubescunt validi, quia nihil daretur eis: facti autem sacerdotes, provisi beneficiis aut aliis titulis, ab illis omnibus redimentur. Alii, ut rabbi vocentur, aut domini: nam in simplici statu nullius reputationis cum essent, nec respectus fiebat de eis, facti sacerdotes cervices erigunt, vestes longas deferunt, honores ab hominibus exigunt, tanquam debitum eis reservatum. Nec putant se tunc plus debere humiliare & pœnitentiam agere: sed imò primos accubitus ambiunt, votiva ut debitum exquirunt, eleemosynas à fidelibus expetunt; hypocrisi, dolo, vi & fraude, modis quibuscunque. Alii ut præemineant dignitatibus, divitiis, ut suos consanguineos exaltare valeant, qui prius ignobiles aut degeneres, postea inter alios ingenui videantur. Et isti sunt sacerdotes Baal, qui ad majores tendunt honores per ambitionem. Baal enim superior interpretatur. Et istis sacerdotibus malignus spiritus suam desponsavit

* Epist. ad Nepotianum.

desponsavit primogenitam filiam, quæ Superbia nuncupatur: quæ quanta mala huic mundo intulit, nullus ignorat. Alii verò, propter corporis suavitatem, ut luxuriari liberius valeant, ad sacerdotium aspirant: qui tunc fiunt sacerdotes Beelphegor, illi servientes, hoc est, diabolo, in mundo petulanti: quibus idem malignus spiritus suam secundam filiam, scilicet Luxuriam desponsavit, de qua omnis* disornatio & impudicitia procedit: quæ similiter causa est, ut eleemosynæ non in suos usus deputentur. Illi autem qui terrena ambiunt, sunt verissimi sacerdotes Dagon diaboli, quod sonat piscis tristitiæ. Piscis namque requiescit in aqua, ideoque significat inquietos per curiositatem, qui adinstar piscis perambulant semitas maris: id est, curias magnatum & negotiatorum, per calliditates, dolositates & similia: ut aurum cumulent & argentum. His idem Dagon diabolus desponsavit tertiam suam filiam, quæ Avaritia vocitatur. Sub istis malis sacerdotibus omnes sui complices comprehenduntur. De castitate autem clericorum, superiori tractatu in quatuor capitulis distincto, sufficienter est tractatum. Sed & de morum gravitate in sermonibus infrà scriptis, de tribus panibus ac reliquis quæ sequuntur, satis habetur expressum, quæ hic superfluum judico repetere. Quare ad reliqua persequenda transeamus.

Malorum sacerdotum conjuges; quas fovent salvo cœlibatu.

* Fort. disordinatio: utraque vox parũ Latina.

CAPUT III.

Quòd modernus Status Ecclesiæ multipliciter est vitiosus.

Modernus igitur status Ecclesiasticus, præmissis & sequentibus in eo deficientibus, ex correlativa sequela valdè est periculosus. Nec unquam fuit ab initio mundi usque nunc, ut puto, in tanto periculo, sicut inpræsentiarum cernitur. Fuerunt bene majores persecutiones ac vexationes Ecclesiæ: sed tunc semper affuerunt viri sancti & devoti, qui gratiâ Spiritus Sancti præditi fideles consolabantur, erudientes & confortantes. Modò autem videtur Ecclesia in securitate posita: sed de talibus sanctis viris nullibi percipitur. Ideo Ecclesia quotidie in fidelibus & regnis decrescit, in personis propriis tabescit, non obstante quacunque libertate. Prius autem cum libertas non tanta fuit, sed dictis sanctis viris provisa Ecclesia quotidie crevit & augmentabatur: ut volens scrutari historias apertè videbit. Ista partim notavit beatus Bernard. tempore suo, sermone 34. ubi sic dicit: Olim prædictum est & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima, amara Ecclesia prius fuit in nece martyrum, amarior pôst in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos quisquam potest: ita invaluerunt & multiplicati sunt super numerum. Et subdit: Intestina & insanabilis plaga est Ecclesiæ, & imò in pace ejus amaritudo amarissima. Sed in qua pace? Est pax, & non pax: pax à paganis, pax ab hæreticis: sed non est pax profectò à filiis. Et concludit; vox plangentis Ecclesiæ in tempore isto: Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Et hoc quàm periculosum sit, idem ipse ibidem tangit, dicens: Si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & arescerer: Si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò quem ejiciat Ecclesia Sancta, in quo abscondat se? omnes amici, & tamen inimici: omnes necessarii & tamen adversarii: omnes domestici, & tamen nulli debitè pacifici: omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Melius enim esset paucos fore bene facientes, quàm multos malè: hi tamen in clero qui mali sunt, hodie, proh dolor! nimis invaluerunt, & multiplicati sunt super numerum: Psalm. 39. Unde idem beatus Bernard. alio in loco ita lamentatur dicens: Dilatari videtur Ecclesia, & cleri sanctissimus ordo super numerum multiplicatus est. Verùm, Domine Jesu, etsi multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam, dum nihil minus appareat, quàm numero defecisse. Unde idem exponens illud Psalm. 72. In labore hominum non sunt, &c. Ad oculum, inquit, apparet, cum cuncti status aliquid habeant laboris & voluptatis clerici inter hæc novo quodam artificio distribuentes, totum quod delectat in quolibet elegerunt, & totum quod molestat respuerunt. A militibus enim receperunt superbiæ fastum, amplam familiam, equorum phaleras & nobiles apparatus: à mulieribus pelles rubricatas, collo pendentes, & alia hujusmodi: à rusticis fructus agrorum & horrea plena, laboratorum sanguinem bibunt in omni dissolutione: juxta prophetæ dictum: Væ vobis qui vescimini sudoribus pauperum. Et subdit idem beatus Bernard. Sed bene cavent militaris loricæ pondus, muliebrem declinant verecundiam. Omnes rustici & agricolæ victum sibi labore acquirunt, hi deliciis affluunt: & tamen adveniente fructuum tempore, promptuaria eorum plena sunt tritico, & vinum uvæ bibunt meracissimum, inde incrassantur

incrassantur & impinguantur ac dilatantur. Ecce autem quid concludit ibidem? O clerice, diligenter ausculta: Restat, ut sint in laboribus dæmonum, qui in laboribus hominum non fuerunt.

His beati viri verbis generaliter apparet superbia, luxuria & avaritia clericorum. Superbia denique clericorum generaliter apparet in tribus, videlicet incessu, statu & habitu, & communiter in omnibus eorum moribus & motibus. Sed ut apertius dicamus, apparet proh dolor! & nimis apparet in pretiositate, & superfluitate & in indecenti scissura vestium, in ornatu domorum, ciborum & potuum. De his, cum conveniunt, tractant: cum soli sunt, qualiter ea augmentent, cogitant: plus intendunt istis quam animabus commissis. Non curant, si subditi eorum annuatim, ut tenentur, communicent, an confiteantur: si clerici eorum familiares vestes & coronas debitas deferant, an celebrent, an jejunent, an etiam officium dicant. Nobile vinum & delicatum panem pro se diligenter procurant. Sed quale vinum, & ut triticeus sit panis, ut debet, pro sacrificio altaris, non advertunt. Bene autem & solicitè cavent, quòd nihil eis aut de censibus aut servitiis detrahatur, ut habeant unde pretiosè vivant. Contra hos impingit beatus Bernardus sermone 33. super Cant. dicens: Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo: honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Inde, quomodo quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frænis, in sellis & calcaribus: plus calcaria quàm altaria fulgent: inde mensæ splendidæ in cibis & scyphis: inde comessationes & ebrietates: inde cithara & lyra: inde redundantia torcularia & promptuaria ex hoc in illud. Per hujusmodi volunt esse, & fiunt Ecclesiarum rectores & episcopi, præpositi & decani, archidiaconi & scholastici, & similes illis. Hæc ille.


Confirmat hoc venerabilis Hugo de sancto Victore, libro secundo de Claustro animæ, dicens: Hi sunt, quorum thalamus ornatior est Ecclesia, mensa apparatior altari, scyphus calice pretiosior, equus missali charior, cappa pulchrior casula, camisia delicatior alba, femorale nitidius corporali. Ecce quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Hi quamvis tales, ut diximus, existant, accedere tamen ad sanctum altare non verentur. Unde idem Hugo in eodem libro antè præmisso sic dicit: Accessit ad Jesum Petrus, accessit & Judas: accesserunt discipuli, accesserunt & milites crucifigentes eum. Accedunt & perversi sacerdotes, qui ea quæ offeruntur in mensa Christi, offerunt etiam in mensa diaboli: ipsa est alea: in illa Deum invocant, in illa legem Dei perjurant. Nec sciunt, nec discunt, vacantes otio, comessationibus & ebrietatibus student, ut terrenis inhiant, terrena sapiunt: assidui in plateis, in Ecclesia rari: tardi ad investigandum culpas peccatorum, periti ad investigandum vestigia leporum: velociores ad congregandum canes, quàm ad vocandos pauperes: libentius porrigunt panem cani quàm pauperi: plures serviunt eis ad mensam quàm ad missam: famulos ac famulas secum habere volunt, sed clericos veros nolunt. Ecce, ut prædictum est, quomodo obscuratum est aurum, & mutatus est color optimus? Non est jam dicere, Ut populus sic sacerdos: imò pejor est sacerdos quàm populus.

CAPUT IV.

Quòd status Clericalis, si perfunctoriè geritur, est periculosus.

ATtende & ausculta ô sancta mater Ecclesia: consilioque prudentis mulieris Abigail considera & recogita quid facias, ut ista emendentur, ne verus David de talibus & eorum prælatis vindictam sumat. 1. Reg. 25. Attendite & vos prælati verbum domini Guidonis Prioris & inceptoris ordinis Carthusiensium in suis meditationibus, ubi sic inquit: Horresce inscrutabilia Dei judicia super te, quisquis es rector vel pastor constitutus super alios, & nescis quare ipsi non fuerunt super te? Talis ergo ad illos esto, quales vides illos debuisse ad te esse, si essent super te. Si aliquando quorumcunque de plebe subjectorum vitia sunt corrigenda, attendamus, ne fortè excedat mensuram correctio nostra. Aliud est enim velle lædere, aliud velle corrigere: illud est enim crudelitatis, hoc autem charitatis. Irascendum est peccanti, si tamen ei creditur expedire. Indue tu eum prius, quem judicare vis aut corrigere. Et sicut tibi expedire senseris, si ita sis, sic ei facito. In qua enim mensura mensus fueris, remetietur tibi: Et in quo judicio judicaveris, in eo judicaberis. Nam & Christus prius induit hominem, quàm judicaret.

Hæc

Hæc pro tanto dico: quia plerique rectorum ac sacerdotum, illorum peccata etiam minima, severâ correctione insequuntur, quos privato odio ducti, justitiæ zelo corrigere se putant: cum tamen pro eo id sæpe contingat, quòd vel eisdem suis pastoribus & prælatis adulari volunt: vel quia eorum etiam vitia publica & scandalosa reprehendunt. Amor enim & odium in judicibus hujusmodi rationis judicium nescit: hi qui contra Apostoli præceptum dominari volunt in clero, nec tamen forma gregis ex animo fiunt: hi superbia tumidi plebem subjectam despiciunt: eo se putantes meliores, quo inter cæteros videntur altiores. Sed non est æquum, ut ait quidam, quòd leo pascat oves: & non est tutum, quòd qui adhuc vitiosus est, vitiosis principetur. Ridiculosa enim contemplatio est, vulpes inter gallinas. Sed pastore ac rectore superbo & iracundo nihil magis ridiculosum & impudicum. Illa verò gallinas, hic autem animas conturbat ac perdit. Hi sunt, qui aliis strictas imponunt leges, alligantes vulgo onera gravia & importabilia, & tamen digito suo nolunt movere ea: cum tamen nemo debeat aliis legem ponere, quam ipse qui statuit, negligit observare: extra. de præben. Quod enim quisque juris in alium statuit, ipse eo uti debet: Extra. de constitutionibus. Cum omnes. Sed hi prælati, qui in omnibus seipsos quærunt, quomodo alios corrigere poterunt aut reformare? Sic enim plerique prælati alios corrigere ac reformare volunt, ut tamen ipsi in suis permaneant pravitatibus. Sed nisi tales seipsos primò correxerint ac reformaverint, impossibile est eos alios reformare aut aliquid boni facere. Quomodo autem reformare poterunt deformati? Si verò dixerit quis: Ego non facio, sed Deus per me facit; verum quidem est quod dicit: perpendat tamen, quod Deum non decet, nec ipse vult aliquid facere, saltem directè, nisi per media bene disposita. Primò ergo, ô rectores Ecclesiarum & prælati, per quos corrigenda ac reformanda est Ecclesia, projicite à vobis prævaricationes vestras quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum, Ezechielis 18. 31. Non omnis (ait Dominus Matth. 7.) qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est. Ex hoc infallibili verbo patet, quòd non, prout quidam putant, sufficit dicere: Ego sum Christianus, ego sum episcopus, ego sum Abbas, Præpositus, Prior, Decanus vel similis: sed oportet quemlibet facere, quæ ad suum pertinent statum, si vult habere partem cum Christo: propter quod Isidorus, in libro Ethic. inquit: Non se glorietur Christianum, qui nomen habet & facta non habet. Ubi autem nomen sequutum fuerit opus, certissimè ille Christianus est: quia factis Christianum se ostendit, ambulans sicut ipse ambulavit à quo nomen traxit. Eodem dicendum est modo de quibuslibet prælatis, rectoribus & pastoribus Ecclesiasticis, qui secundum doctrinam & exemplum beati Ambrosii in suo Pastorali, actione ostendere debent, quales sunt nomine. Aliàs enim bene esset eis, si nunquam pastores forent facti, imò si nunquam fuissent nati. O si hæc doctorum verba, unà cum verbis Salvatoris prædictis, in trutina diligentis considerationis bene ponderarentur, heu pauci veri pastores & prælati reperirentur! Consilio enim malignantium rectores & prælati hujus temporis decepti dicunt & non faciunt: Matth. 23. Eorum quoque exemplo omnes plebes & subditi communiter iterum atque iterum declinaverunt, simul inutiles facti sunt & corrupti, & non est qui faciat bonum: Psal. 13. & 72. Quòd talis prælatus inutilis sit ruina populi, tangit magister Nicolaus Gorram super Psal. 107. super illo verbo, Fecerunt sibi vitulum in Horeb. Vitulus lascivus juvenis est prælatus, voluptatibus deditus: hic formatur quotidie in calvaria, scilicet in Ecclesia, in qua Dominus crucifigitur à talibus idolorum formatoribus. Hi fabricatores & adulatores adorant rectorem vel prælatum suum, ut idolum, ut ab eodem exaltentur: & variis consolationibus carnalibus permoti, voluntati propriæ dimittantur. Zach. 11. O pastor, † ô idolum derelinquens: quia oculos habet & non videt veritatem scripturarum & pericula animarum. Aures habet & non audit clamorem pauperum & confessiones peccatorum. Os habet & populo non prædicat. Unde dominus * Joannes de Villa Abbas, episcopus Bituricen. de talibus prælatis sic dicit: Rogavit aliquando Dominus Petrum naviculam à terra reducere pusillum: insinuans, quòd tu quicunque Petri vicarius es, tibi commissos ad gubernandum debes à carnalibus desideriis & terrenorum amore abstrahere. Si verò tu terræ adhæres, & gibbosus es & ad terram incurvatus, quomodo alios à terra reduces? Dicitur tibi, Duc in altum. Sed quomodo ducis in altum, qui descendis in profundum vitiorum? Oportet enim ducentem præcedere. Dixit Dominus Simoni, Duc in altum: dicitur episcopo, Duc in altum: & statim pòst dicetur sacerdotibus, Relaxate retia in capturam. Nisi enim navis Ecclesiæ ducatur in altitudines à præsule, sacerdotes in capturam non laxant retia, sed victimas in profundum declinant. Unde Oseæ quinto: Audite hoc sacerdotes, vobis erit judicium: quoniam laqueus facti estis speculationi, & quasi rete expansum super Tabor,



† Et idolum, derelinquens gregem.

* Forrè hic est ille Joh. de Abbatis Villa, de quo Trithemius circa A. D. 1230. vide etiam Simleri epit. bibl. Gesneri.

victimas declinastis in profundum. Tabor interpretatur Luna veniens, & significat Ecclesiam, in quam venit gratia. Sacerdotes verò qui dati sunt ad speculandum, facti sunt laqueus diaboli, & sicut rete ad rapiendas animas. Ideo judicium erit eis durum: Duc in altum & laxa rete; hoc est, prius ascendas & postea laxes. Cum enim laxaveris rete & ascenderis, apprehendes piscium multitudinem copiosam. Si enim sacerdos ascenderit ad virtutum fastigium, multos trahit de profundo vitiorum. Luceat ergo, ô prælati & sacerdotes Christi, lux vestra coram hominibus, & sic proficietis. Nam in nocte laborantes nihil capitis. Unde Psalm. Facta est nox: id est, obscuritas peccatorum, in prælatis & sacerdotibus. Et in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ, de persona in personam decipientes, id est, dæmones: & catuli leonum, id est, diaboli malorum ministri rugientes, ut rapiant & quærant à Deo escam sibi; horum quærere est desiderare: quibus esca datur, cum à Deo permittitur. Si hæc se habent sic, ut præmissum est, omnino beatus est, ut inquit beatus Bern. qui legem dilexit, & cathedram curæ pastoralis ac ecclesiastici regiminis non affectavit. Quicunque igitur prælatus vel presbyter existens (etiamsi Papa vel Episcopus) hæc præmissa attendas, nec tibi de multitudine peccantium impunitatem facias criminum; nec eo minus ardebis, quo cum multis: ut dicit sanctus Augustinus in homilia de pœnitentia; & habetur extr. de simonia. Audiant & intelligant tales prælati sententiam beati Joannis Chrysostomi, ut habetur 40. di. multi. in fi. Quicunque, ait, primatum desiderat in terra, inveniet confusionem in cœlo. Non enim inter servos Dei computabitur, qui tractaverit de primatu. Sed & ipsi formatores idolorum, talium ambitiosorum prælatorum, de quibus superius, allegans sententiam magistri Nicolai Gorram, tractavi, ut se verissimos idololatras intelligant, intrent in cubiculum cordis sui, *dicant quid crebrius in mente revolvant, astutius investigent, diligentius affectent, ardentius amplexando, timendo, honorando, amando, hoc Deum sibi constituant. Et quia ex abundantia cordis os loquitur, Lucæ 16. attendant, an ad replendum animam Deo vel bursam auro: aut ut major, plus authenticus, magis auditus, cæteris gloriosior vel sanctior videatur, libentius & eloquentius os revolvunt, & ut ait Sallustius de controversia contra Tullium: Cum plenissimè jam constet de rebus, quid mihi tractaturo de præmissis opus est amplioribus verbis? Si enim tales se justificare & excusare voluerint, populus ultimatò expectat & attendit facta, non verba: conversationes, non excusationes. Ex fructibus enim illorum cognoscetis illos, inquit Christus. Plus enim oculis creditur quàm verbis, ut ait Seneca. * Beatius igitur esset in hac vita, domino sub inferiori gradu irreprehensibiliter famulari, quàm alta indebitè appetendo, tam damnabiliter in profundo demergi. dist. l. de his. Casum igitur appetit, qui ad summi loci & gradus fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum, ut ait beatus Gregorius: & habetur di. 52. solicitudo. Extr. ne clerici. Non enim in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis quæritur regnum Dei. Extr. de temporibus ordinandorum, c. ad aures.

CAPUT V.

Quòd communis status Sacerdotum & Clericorum est similiter periculosus.

NOlunt plerique sacerdotes & clerici intelligere, ut bene agant, qui Deum non timent nec homines verentur: qui, ut diximus, aut notorii fornicatores sunt, aut ambitiosi, aut simoniaci, aut bibuli, aut avari, aut negotiorum secularium tractatores, aut aliàs apertissimè pessimi. Utinam tales saperent & intelligerent, & novissima providerent, ac perpenderent si per latam viam multi de populo euntes, ad mortem secundum verba Christi deducuntur: nunquid profundius Presbyteri corruunt, qui ad arctam viam strictius obligantur, si per spatiosam portam incesserint? Qui in statu presbyterii tepidus est, nec calidus nec frigidus, proculdubio, prout in Apocalypsi scribitur, à Domino evometur. Unde magister * Gerardus Grote in epistola ad quendam sacerdotem scribit in hæc verba: Væ omnibus presbyteris & clericis, Christi militibus, si non legitimè certaverint. Nisi enim quis legitimè certaverit, non coronabitur. Attende (precor) tu miles Christi presbyter & clerice, si contra Christi jussa in ordine servis, proculdubio diabolo servis & cum eo punieris. Si prout Christus Imperator jubet, cum presbyter sis, militare desideras, scias hæc te non posse complere, nisi cum operum bonorum labore, non tantùm sacrorum verborum frequentia, & nisi cum pœnis & periculis. Utinam abesset communis presbyterorum otiositas, mundana conversatio & mundi inquinatio, exuerentque veterem hunc

* Dicitur, ni fallor, Gerardus Magnus Daventriensis, in Epit. bibl. Gesneri, qui claruit A. D. 1384.

hunc hominem cum actibus suis, & novum induerent, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis: & non conformarentur huic seculo, sed renovarentur spiritu mentis in agnitionem Dei. Ad hoc perficiendum, tanta requiritur solicitudo & prudentia, ut totum hominem requirant, ut omne tempus occupent. Augustinus ad Valerium scribit, & habetur in canon. d. 40. ante omnia. Nihil est beatius apud Deum, Episcopi, presbyteri aut diaconi officio, si eo modo militetur, quo noster Imperator Deus vult & jubet: nihilque in hac vita laboriosius, si debeat quis in illo officio secundum Deum militare, interposita tamen frequenter ineffabili suavitate, de qua Evangelium dicit: Jugum meum suave est, & onus meum leve. Econtrà verò dicit, in hac vita, & maximè hoc tempore, nihil facilius & levius, hominibusque acceptabilius esse Episcopi, presbyteri, diaconi, aut similis officio, si negligenter, perfunctoriè aut adulatoriè res agantur. Sed tunc, dicit, apud Deum nihil esse miserabilius vel damnabilius. Datur igitur sacerdotibus & clericis duorum electio: aut ut negligenter & adulatoriè ad complacentiam communem presbyterorum suorum agant, & erunt miserrimi & damnatissimi: aut ut eundem statum secundum jugum Christi perficiant, quod esse non potest sine magno labore & periculo rerum temporalium, & honorum aut pœnarum hujus mundi. Necesse est ergo, ut hæc duo sacerdotes & clerici habeant, laborem videlicet & periculum: si duo prædicta, videlicet miseriam & damnationem perpetuam effugere velint. Sic decipit tales communis modus placendi hominibus in vanitatibus. Quapropter ait Dominus: Sinite eos, nam cæci sunt & duces cæcorum. Nam verè istis temporibus, hi clerici raptoribus & meretricibus sunt magis cæci. Nam hi cognoscunt se errare, sperantes se aliquando ad Deum convertere: isti autem nunquam talia cogitant, imò eos taliter vivere decere putant, ratione statûs eorum. Quapropter meretrices & similes peccatores præcedunt eos in regno Dei, ut ait Christus. Ideo ait idem Dominus, Facite ea quæ dicunt, scilicet secundum legem Christianam & traditionem Dei & sanctorum: secundum opera autem eorum nolite facere. Sed heu! sunt jam presbyteri, qui nec benefaciunt nec benedicunt: imò benedicentibus aut benefacientibus contradicunt, & ultra hoc eos persequuntur, subsannant & derident. Ideo multò deteriores sunt hi illis Pharisæis & hypocritis, quos Christus illo tempore pejores omnibus judicavit, velut suprà in exordio hujus tractatûs est ostensum. Unde contrà jam ad ultima mala videmur pervenisse, imò quasi ad ultimum refrigerium charitatis. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, à majore ad maximum, omnes avaritiæ student. Quoniam si aliqui inveniuntur, qui à publicis peccatis se subtrahunt, ut luxuriâ, simoniâ, &c. hujusmodi, & tamen adeò avari efficiuntur, quòd amaritudo semper occupat cor eorum: nec putant altius in virtutibus ascendere debere: sed eis sufficere si non sint ita publici transgressores ut alii. Insuper & illis eisdem tantus furor cupiditatis inhæret, quòd etiam perversis societatibus non verentur conjungi, palpantes malitiam eorum, ut ipsi pacifici maneant & quæstum obtineant, dicentes: Quare irritabo homines quos non habeo regere, aut qui regi nolunt? dimittantur suis affectibus uti, fortè veniet tempus emendationis: hoc non alia causâ faciunt, nisi ut ipsi maneant pacifici & in quæstu non deficiant. De his multa forent dicenda: sed quia sunt incorrigibiles, sufficit tantum dixisse. Ex quo enim convinci non poterunt de publicis, de omnibus aliis, licèt apertis attendere volentibus, se omnino tuentur. Alii verò sic student avaritiæ, sub pallio honestatis, volentes beneficiari, magistrari, Rabbi vocari, honorari, dominari, molliter vivere, imò leviter & abundanter temporalibus frui absque omni defectu, quantum possibile est: hæc sunt mala quæ Christus, Apostoli & Prophetæ in novissimis temporibus futura esse prædixerunt, quæ jam videmus impleta. Nullum ergo manus horum peccatorum moveant, * putans communem modum presbyterorum nunc vivendi, qui jam sordidissimus est, sibi sufficere ad salutem, & molliter ac dulciter vivere secundum seculum, & æternam vitam posse sine labore & periculo temporalium bonorum & honorum consequi. Nam, ut prius dictum est, In labore hominum jam clerici non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia in iniquitate sua. Lavet ergo justus manus suas in sanguine horum peccatorum. Nam, ut testatur beatus Augustinus, in libro de Baptismo: Si oportet omnem hominem utentem ratione, in eis quæ fidei sunt spiritualiter intelligere, ut spiritualis fiat: aut saltem laborare ad hoc, ut spiritualis efficiatur: si hoc necessarium est omni homini ratione utenti, quanto magis necessarium est ad salutem presbyteris qui aliis debent exemplum esse, & per vitam suam bonam vitæ spiritualis præbere formam? Fœlix igitur est qui effugit & disrumpit vincula consuetudinis clericorum & sacerdotum moderni temporis, & projicit à se jugum ipsorum. Quoniam qui in cœlis habitat, irridebit eos & Dominus subsannabit eos: fœlicior autem est qui currit ad civitatem refugii, ad loca in quibus fervescit charitas Dei, in quibus vivitur secundum canonicas sanctiones; dignè Deo ambulantes:

* Fort. putant.

ad Ephes. 4. donec in eis formetur Christus, ut possint cum eo dignè conversari, & ignita tela diaboli, mundi & carnis, spiritualibus fidei doctrinis & charismatibus & noscere & repellere. Nec mirum quod hic suadeo: quia jam sacerdotes & clerici vitiosi omnino sunt homines, videlicet seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, incontinentes, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes quidem speciem pietatis, virtutes verò ejus abnegantes. Ex his sunt, qui penetrant domos viduarum, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis. Quemadmodum autem Jannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem; sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & aliorum fuit, 2 Timoth. 3.

CAPUT VI.

Qualis debeat esse Sacerdos.

NEcesse est ergo, præmissis sic stantibus, dominium sacerdotum moribus & vitâ clarescere, quatenus in eo, tanquam in speculo, plebs commissa & eligere quod sequatur, & videre possit quid corrigat. Sicut dicit beatus Gregorius in Registro: Isti enim de quibus prædixi, concupiscentiis exterioribus occupati & ligati, & sic consequenter divino amoris igne carentes, ad supernum amorem, per prædicationis officium verbis quæ frigido corde proferuntur, inflammare nequeunt auditores, atque ad ejus desiderium accendere. Juxta illud beati Gregorii in Homilia: Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. In gravibus enim peccatis tales positi, dum suis gravissimè premuntur, aliena quomodo diluent? Nam, ut inquit idem beatus Gregorius, cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. De hoc multa dicit beatus Gregorius in Pastorali: Si opus doctrinæ sacerdoti incumbit, lavari debet, ne prædicatio sordescat vitæ sterquilinio. Unde in Prov. 25. 4. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Argentum est eloquentia sacerdotum: & hæc rubiginatur per vitæ immunditiam, per intentionem sinistram: sicut si quis quæstum quærat aut inanem gloriam: quibus ablatis, egredietur vas purissimum; id est, opus purum. Et quia exaltatus es, ô sacerdos, per gloriam, descendas ultra per humilitatem. Recordare quàm fragilis sis per naturam, & prius retia lava. Timuit aliquando Petrus Domini præsentiam: sed modò sacerdotes & clerici præfatorum criminum conscii, ad Divinæ majestatis præsentiam erecto collo, pingui cervice armati currunt, & gravari non timent. Nam ibi Divinæ majestatis præsentia est, ubi est corpus Jesu Christi: Angelorum gloria, ubi sunt Ecclesiæ sacramenta & sancta pertractantur mysteria: hoc quidem credimus; sed tanquam obstinati in malitia, peccare non desistimus. Unde Hier. 11. Quid est quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferunt à te malitias tuas? quasi diceret: Nequaquam, sed potius accumulabunt. Petrus autem, quia se indignum cognovit Domini præsentiâ, ab ipso audire meruit: Noli timere, ex hoc enim eris homines capiens; quasi diceret, quia fuisti humilis, vitæ tuæ erubescens maculas, confessionem verecundiæ non reprimens, sed potius detecto vulnere remedium quærens, ex hoc eris homines capiens. Ab hac humilitate remoti sunt, qui lotis tantummodo manibus & labiis, polluto autem corde tractare sancta non verentur. Sed præter infernalem damnationem nulla gravior est ea, quæ ab hujusmodi temeritate ac cæcitate, cæterisque peccatis se non defendere quàm maximè meretur superbia, ingratitudo & incuria, ut homo profundius cadere permittatur. Nec est absonum, isto tempore vitiis multiplicatis, quòd olim erant lignei calices & aurei sacerdotes: jam verò res ista, proh dolor! in contrarium versa est, aurei & argentei facti sunt calices, lignei verò sacerdotes, ut dicit Wilhelmus in Rationali divinorum. Meritò ergo temporibus istis verissima illa * Malachiæ sententia impleta est, qua ait: Et nunc ad vos mandatum meum, ô sacerdotes, si volueritis audire, & si volueritis ponere super cor vestrum, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: Mittam in vobis egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor. Et post pauca: Et scietis, quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum cum Levi, dicit Dominus exercituum: Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei timorem meum, & timuit me, & à facie nominis mei pavebat: lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus. In hac pace & æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Et post paululum: Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos

Durandi dictum mordax.
* Cap. 2. 12.
Vers. 4, 5, 6.
Vers. 8, 9, &c.

mos

mos in lege: Irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum: propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, & accepistis faciem in lege. Quare ergo despicit unusquisque vestrûm fratrem suum, violans pactum fratrum vestrorum? Transgressus est Juda, & abominatio facta est in Israel & in Hierusalem: quia contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit, & habuit * simulacra dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculo Jacob, & offerentem munus Domino exercituum. Sacerdotibus talibus contemptibilibus per vitam reprobam, & humiliatis à Domino fit mensa Christi coram ipsis in scandalum, in laqueum & in retributionem. Obscurati autem sunt oculi eorum, ne videant veritatem scripturarum & suam miseriam, & dorsum eorum semper incurvatur ad malum operandum. Unde alibi in persona diaboli ad peccatores loquentis, per prophetam * dicitur: Incurvare ut transeamus. Qualis autem esse debeat vita clericorum, Isidorus docet, & habetur 23. d. His igitur clericis lege patrum cavetur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus se abstineant: non spectaculis, non pompis intersint: publica fugiant convivia: privata, non tantùm pudica, sed & sobria colant. Usuris nequaquam incumbant, nec turpium occupationibus lucrorum & fraudibus cujusquam studium appetant: amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant: secularia negotia officiaque abnuant: honoris gradus per ambitionem non suscipiant: pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant: dolos & conjurationes fugiant & caveant: odium, æmulationes, obtrectationes atque invidiam fugiant: non vagi oculis, non effrænes linguâ, aut petulanti fluidoque incessu aut gestu incedant: sed pudorem ac verecundiam mentis simplici habitu incessuque ostendant: obscœnitatem & membrorum & verborum sicut & operum penitus execrentur: viduarum ac virginum frequentationem fugiant: contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant: castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant: * senioribus quoque debitam præbeant obedientiam: neque ullo jactantiæ studio semetipsos attollant. Postremò, doctrinæ, lectionibus, psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, exercitio jugi incumbant.

* Vulg. edit. filiam.

* Isai. 51. 23.

* Corriguntur hic aliqua sphalmata crassiora secundum Decretum Gratiani Parisiis editum An. Dom. 1519. necnon ejusdem editionem Plantinianam 1573. miror autem quo pactò hic subrepta sunt hæc verba [aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur] præsertim cum hic autor de corruptelis Romanis ex instituto queratur, eaque verba in utraque editione Decreti conspiciantur.

Tales enim esse debent, qui divinis cultibus sese mancipandos student: scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent. Hæc Isidorus sanctus. Competit igitur vitam ducere sacerdoti angelicam: quia à Malachia angelus Domini nuncupatur. Unde Maccab. * Elegit sacerdotes sine macula, qui mundarent sancta. Magna macula est in sacerdote, si vanitatibus vacat. Baruch 3. Ubi sunt qui in avibus cœli ludunt? & sequitur: Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Scribitur 3 Regum 17. 4. quòd Dominus præcepit corvis ut pascerent Eliam, & ministrabant ei panem & carnes. Per * corvos significantur sacerdotes, qui debent esse nigri per pœnitentiam & despectionem, & crocitando provocare ad vitam æternam. Greg. in Regist. Redemptor noster à sacerdotis officio non quærit aurum sed animas. Sacerdos legendo divinas scripturas, sæpiusque meditando populum doceat: sed illa doceat, quæ à Deo didicit, non ex proprio corde aut humano sensu: sed quæ Spiritus Sanctus docet. Prosper libro 2. de Vita contemplativa: Nihil prodest sacerdoti justè & castè vivere, si suorum neglexerit corrigere errata subditorum. Heli enim sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est: quia licèt eos delinquentes admonuit, tamen non ut oportebat arguit. Ambrosius super Lucam: Religionis insignia sunt sacerdotis arma, ut scilicet eò melius corrigere possit delinquentes. Nam, ut dicit Chrysostomus: Si sacerdotes peccaverint, totus populus convertetur ad peccandum. Unusquisque enim Christianus reddet rationem pro peccato suo: sacerdotes autem non tantùm pro suis, sed etiam omnium populorum peccatis.

* Lib. 1. c. 4. v. 42.

* Longè melior ratio reddenda est, ut sacerdotes corvi sint, quàm hæc inepta, ex colore & voce volucris voracis sumpta.

Sed ut dicit beatus Bernardus in Epistol. In nonnullis sacerdotibus reperitur cultus plurimus vestium, virtutis autem nullus aut exiguus.

Sed, ô sacerdos Dei altissimi, cui placere gestis? Mundo an Deo? Si mundo, cur sacerdos? si autem Deo, cur ut populus, sic sacerdos? Si enim vis placere mundo, quid tibi prodest sacerdotium? Non enim potes duobus dominis servire. Volens itaque placere hominibus, Deo non places. Si non places, non placas.

CAPUT

CAPUT VII.

Quæ sit causa quòd status clericalis est tam vitiosus.

Unde autem tanta deformitas ac dissolutio in clero ortum acceperit, jam breviter perstringere curabo. *Non dico eliguntur, sed jam ingerunt se ad sacerdotium homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, avari, ambitiosi, blasphemi, incontinentes, protervi, tumidi, arrogantes, pertinaces, voluptatum amatores, amorem mundi & carnis plus & magis habentes, quàm Dei benedicti in secula: habentes quidem speciem pietatis, virtutem verò ejus abnegantes. Ex his sunt * qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur desideriis. Quemadmodum autem Jannes & Mambres restiterunt Moysi, sic & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed ultrà non proficient, insipientia eorum manifesta est omnibus, 1 Timoth. 3. Nam jam sacerdotes & clerici omnem Dei metum postponentes, ut mimi aut scurrones vivunt, & scurrilia loquuntur: ea quæ increpant vitia loquuntur, & à se removeri non sinunt.

*Eandem cum præcedentibus canit cantilenam.

Mores plurimorum clericorum istius temporis.

Concubinas in pluribus locis non verentur palàm secum fovere in domibus, ut spurcitiam seminent, ne fructus eorum marcescant: de quibus potius gloriantur quàm erubescunt: inebriantur, malè loquuntur, cum tesseris ludunt: vix autem unquam statuta jejunia Ecclesiæ jejunant, juramenta violant, privilegiis clericorum se tuentur, non ad virtutes exercendas sed ut liberius absque metu vitia contineant, & mala malis accumulent: convivia quotidiana diligunt, bibunt ad vomitus, pugnant, rixantur, stultiloquia fantur, mentiuntur, instabiles, nullum bonum propositum habentes: indevotè, corruptè & malè orant: imò multi nihil orant: inconfessi celebrant, præcipuè multi pharisæi: confessa produnt, justè viventes odiunt, & verbis ac factis quantum possunt persequuntur: devotos contemnunt & derident, justis obloquuntur, viduas & pupillos cum citationibus & banno lædunt: interdictis eorum parochias confundunt, & pauperes cum eisdem opprimunt: cum incautis contendunt, ut eis maledicatur. Unde occasionem citandi & tribulandi sumunt & exercent. Emunt & vendunt velut mercatores temporalia & spiritalia: licet circumlocutionibus simoniam cooperire intendunt. Simoniacè beneficia & sacros ordines possident, & suscipiunt seu assequuntur. Hæc & alia sunt causa totius mali in clero: quia admittuntur ad sacros ordines inscia vita & ætate, aut in omnibus his omnino non provecti, sed inscii & inhabiles ut de cæteris taceam, quòd nec verba canonis intelligant, nec quæ sunt verba consecrationis sciunt. Ita etiam ordinantur in vita perversi, quod non solùm antè & pòst, sed etiam eodem die quo ordinantur, ludere, inebriari, fornicari, jurare, maledicere, & breviter, omnem turpitudinem exercere non verentur. Plures reperiuntur tales, qui ante vigesimum quartum annum ordinati sunt, & celebrant: & licèt discreti videantur, verum est ut malè agunt & perversè, bene autem facere nesciunt, imò nolunt. O quantum in hoc ordinatores, sive ordinatorii & promotores essent reprehendendi: etiamsi hoc ignoranter faciunt, ut infrà dicetur. Quanta autem sit deordinatio in appetitu beneficiorum, dignitatum ac prælaturarum, manifestè videtur: quia in hac nec Deus timetur, nec homines verentur, solùm quòd habeatur. O quot & quàm gravia in literis gratiosis committuntur aperta mendacia? In hujusmodi enim literis dicuntur omnibus clarere virtutibus: cum tamen constet eos omni spurcitia fore plenos. Sed quare hæc? certè, ut puto, imò quia talium promotores prece, pretio, obsequio aut affectione corrupti sunt: de quibus beatus Hieronymus in quadam epistola ita conqueritur, dicens: Quidam non quærunt eos in Ecclesia Dei columnas erigere, quos agnoscunt posse prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis delibuti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit. Et ut deteriora taceam, quidam ut clerici fierent, muneribus impetrarunt: hæc ille. O quàm bene esset factum, sicut olim sancti patres sanxerunt, si non nisi diligentissimè probati & approbati promoverentur, juxta consilium Apostoli: Omnia probate, quod bonum est tenete. 1 Thess. 5. Unde magister Henricus Bock super 3. Decretalium, c. grave: sic dicit: Proh dolor! nonnulli prælati nostri temporis contra hoc sæpe attentant, quòd personas in conferendis beneficiis acceptant ratione consanguinitatis, minus ponderantes dictum sancti Hieronymi ad Fabiolam: Multa, inquit Hieronymus, facere nos cogit affectus: & dum propinquitatem recipimus corporum, corporis & animæ offendimus creatorem. Unde Bern. dicit: Interdum episcopus nepotulo suo duo millia animarum concredit, cui non committeret duo pira.

Obiter nota hunc virum non fuisse è Protestantibus.

Periculum literarum commendatitiarum incautè datarum.

Dictum egregium Bernardi.

Pueri

Pueri enim ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas dignitates, & de ferula transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores, quòd virgas evaserint, quàm quòd principatum meruerint. Malum hujusmodi maximè ex ambitionis vitio procedit. Testatur illud * Rubertus Salisburgensis, aliàs Carnotensis, in suo Policrat. lib. vii. c. xvii: Sicut, inquit, de horto deliciarum oriuntur quatuor flumina, quæ irrigant & fœcundant universa: sic de horto Ecclesiæ, & medio domùs Dei erumpunt omnia vitia, quæ confundunt & destruunt omnia. Ibi enim omnia currunt ad pretium, domusque Dei fornicatoribus est commissa. Hæc est domus Simonis leprosi, in qua Simon disponit omnia: omnes habentes recipit, nec recusat ex illis aliquem. Et quia Simon omnes habiles ad ecclesiasticas dignitates assumit, & concurrentibus sanctorum patrum exemplis clamore conductitio omnes approbat & confirmat: & imò frustra alicui titulum indignitatis opponit, sic ambitio excæcat universos. Si enim dicatur, quòd ignobilis non est promovendus: respondit Simon, quòd nec Petrus patritius fuit, nec sanguine gloriosus, sed piscator inglorius. Si puer: jam ostendit, seniores populi à Daniele puero fuisse condemnatos: si illiteratus, respondet, Nec scholas frequentasse leguntur Apostoli. Conjugatus est: & Apostolus unius uxoris virum præcipit eligendum. Si dicas, quòd cum injuria matrimonii suam reliquit uxorem: respondet, Ecce Joannes à nuptiis ad apostolatum traditur revocatus, ut dicit Hieronymus: istis & multis similibus sic se habentibus, non est mirabile, quòd olim erant lignei calices & aurei sacerdotes. Sed propter hæc & similia quæ diximus & dicemus, jam proh dolor! tempore jam currente, res in contrarium versa est. Nunc enim sunt aurei & argentei calices, & lignei sacerdotes, utinam non putridi vitiis. Unde enim jam tanta nequitia laicorum, nisi de scandalosa vita clericorum? Sententia est beati Joannis Chrysostomi, quòd clerici nullam debent habere maculam, nec in verbo, nec in opere, nec in cogitatione, nec in facto, nec in opinione, quia ipsi sunt pulchritudo & virtus Ecclesiæ. Si ipsi mali sunt, totam perturbant & deturpant Ecclesiam. Si videris, inquit, arborem pallentem foliis, scias vitium esse in radice: ita si laici malè vivunt, scias sacerdotium ejus non fore sanum. Melius igitur esset Domini sacerdotium paucos habere ministros qui possent dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles qui pestifera vita ordinationi grave onus inducunt, ut dicit Magister sententiarum in 4. d. 24. c. Tales. Unde autem malum istud in clero inoleverit, ut in principio hujus capituli diximus, luce clarius constat.

* Fuit hic Johannes Sarisberiensis: cujus in policratico (loco citato) occurrunt verba hujusce sententiæ vim præ se ferentia, vide librum & locum: est enim quasi nulla hæc citatio præ verbis ipsius Authoris.

Nam ubique in Christianitate ad dignitates sacerdotii, administrationes, beneficia, regimina, judicia & officia in ecclesiasticis eliguntur & præsentantur homines inidonei, inscii & indevoti, ut illud quod in libro Regum 2. de Jeroboam legimus, quòd constituit extremos populi in sacerdotes, & quicunque volebat implebat manus ejus, & fiebat sacerdos excelsorum. Neque assumuntur aliqui qui sunt viri sapientes, zelum Dei habentes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui odiunt avaritiam: quales ad consilium Jethro sacerdotis Madian pagani Moyses, vir Deo plenus, in Judaismo constituit, & elegit principes populi tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos, qui populum omni tempore judicarent. Exod. 18.

Sed nunc, ut dixi, quasi per totum mundum conquæruntur & attenduntur munera, servitia adulatoria, lucra, commoda, honores, favores & affectiones carnales. Et sic secundum studiosas & perversas voluntates, spiritualia in ecclesiasticis pro vilibus temporalibus commutantur, & promoventur in pastores & sacerdotes majores & minores, hominum & animarum causa, penitus ad illos pascendos ignari, mali, impotentes, scilicet in bene agere: ita quòd similiter indispositos circa curam jumentorum nemo de mundo vellet habere * pastores ovium atque porcorum: tam inhabiles idiotæ & dyscoli in Levitas & sacerdotes, & etiam in episcopos ordinantur, in ministerium & officium divinorum, ita ut rusticus consimiliter indispositos circa ruralia nollet habere in servitium & culturam agrorum. Et tales, sic inhabiles promoventes, manifestum est oves Christi non diligere, nec in charitate manere, ac per hoc in statu salvandorum non esse. Quomodo enim oves Christi diligant, qui eas in medio luporum rapacissimorum constitutas, scientes & volentes paralytico, aut cæco vel torpore acidiæ languido custodiendas tradunt atque committunt? Nonne potius sunt ovium proditores, & ipsarum crudelissimi occisores, pro quibus vivificandis pius mundi Salvator est occisus? Nec solùm incidit in hujusmodi reatum homicidii, qui sciens & volens tradit animas custodiendas impotenti, ignoranti vel negligenti: sed ut in pluribus, qui eas committit tali curandas, de quo penitus ignorat qualis sit, in potentiâ, vita, scientia & voluntate curandi. Et si contingere possit esse unum idoneum, non est hoc, si accidat, præscientis munus, sed fortunæ. Si autem ignotus fuerit minus idoneus, hoc ipsum meritò imputabitur præficienti: quia ne talem præficeret, solicitè debuit præcavisse: sicut si sagittans in locum

* Vide Serm. Rob. Lincoln. infrà; è quo videntur hæc quæ sequuntur, esse desumpta, vel ad imitandum saltem proposita authori.

locum per quem novit esse hominum consuetum transitum & frequentem, aliquem occiderit, licèt ignorans: hujusmodi ignorantia non excusat, sed magis est reus homicidii perpetrati: quia antequam sagittam emitteret, ne fortè quisquam ibi præsens foret, diligenter debuit considerasse. Ideo dicit Chrysostomus de dignitate sacerdotum: Qui ordinat indignos, eisdem poenis subjacet, quibus illi qui indignè sunt ordinati, etsi dicant se eorum vitia ignorasse. Unde apostolus ad Timotheum: Manus citò nemini imposueris, ne communicaveris peccatis alienis: hoc crimen gravius efficitur quando excusatur. Cur eum promovit quem ignoravit? Sic illud quod putabatur esse excusatio fiet accusatio: hæc Chrysostomus. O cum quanto timore & tremore ecclesiasticorum officiorum & beneficiorum deberent concuti collatores, ne fortè pro vivificatoribus ovium, exponant eos occisoribus, ac per hoc in tremendo judicio cum homicidis damnabuntur. Et quid necesse est singula clericorum vitia quasi minus nota publicare, cum de his experientia luce clarior mundum repleverit universum? Ideo propter multitudinem luxuriæ, cætera vitia, avaritia atque simonia, hæresi infecta, & hæc maxima mala, imò hæresis & perfidia, quasi jam peccatum non reputatur. Cum tamen nulla consuetudo, vel peccantium multitudo, aut juris corruptela aliquem possit excusare. Nam diuturnitas temporis ac peccantium multitudo peccatum non minuit, sed auget. Verba sunt beati Ambrosii, & sumuntur extra. de simo. Omne enim malum & peccatum publicum & scandalosum, & cum hoc inverecundè & impudenter contaminatum sapit hæresim. de poen. di. vi. c. 1. in fi. & d. l. & lxxxii. plurimos.

Prætaxatis sic se habentibus, quis audet consentire, quotus inter sacerdotes modernos, nisi meliores efficiantur, posset quis salvari? Ait beatus Ambrosius in quodam sermone: Ex inordinata & indisciplinata sacerdotum multitudine hodie datur contemptui nostræ redemptionis venerabile sacramentum. Nam qui debuerant esse vicarii Apostolorum, facti sunt socii Judæ & præambuli Antichristi. Item Hieronymus in epistol. 1. Infirmorum corda de mali presbyteri vita percutiuntur, securiores existentes prolabuntur licentius in peccatum. O quàm vera sunt hodie ista! Et ideo non mirum si Deus semper benedictus, hujusmodi quotidie humiliat & deinceps humiliabit. Sequitur correlatum ex præmissis, quòd hi qui sic vitiosi sunt & in omnibus semetipsos quærunt, quomodo alios corrigere, regere ac reformare possint, ut ipsi tamen in suis pravitatibus permaneant? Sed nisi tales rectores ac clerici semetipsos primò correxerint ac reformaverint, impossibile est eos, alios corrigere aut reformare vel aliquid boni facere. Quomodo enim reformare poterunt deformati? Si verò dixerit quis, Ego non facio, sed Deus per me facit: verum quidem dicit, ut etiam * superius dictum est: Perpendat tamen, quod Deum non decet nec ipse vult aliquid facere, saltem directè nisi per media debitè disposita: sicut facit in regimine universi, teste beato Dionysio, in libro de Cœlesti hierarchia. Primò ergo sacerdotes & clerici, per quos condiendi sunt populi, projiciant à se prævaricationes suas, quibus prævaricati sunt: & facite vobis cor novum, & spiritum novum: Ezechielis 18. Et si Æthiops potest mutare pellem suam, & pardus varietates suas, sic & vos potestis benefacere, cum didiceritis malum: Hierem. 12. Derelinquat ergo impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & timeat illum qui corpus & animam potest mittere in gehennam ignis: Lucæ 12. Videantque clerici quomodo cautè ambulent. Audiant etiam verbum illud Esa: 28. viri illustres, qui dominantur super populum Dei: dicit enim sic: Dixistis enim, percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: ideo flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos. Nam de consuetudine peccandi fecistis vobis necessitatem: Oseæ 13. c. & de peccato in peccatum caditis & ruitis. O vos sacerdotes & clerici, quia jam satis abundeque exposui, quòd estis causa ruinæ populi, jam tandem ad cor redite, & verbum summi ac primi pastoris post Christum diligenter advertite, qui vos dicit genus electum fore & regale sacerdotium, ad regendum mundum in spiritualibus positum. Vos ergo ipsos primùm regite. Videte vosmetipsos, qui alios debetis instruere & reformare: vestra peccata prius condemnetis, qui alios judicare debetis. Impium est enim in alio corrigere & arguere quod adhuc aliquis non reprehendit in seipso: sententia est Isidori in libro de summo bono. Hypocrita, quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras, ait Christus Matth. 7. Ejice primò trabem de oculo tuo, & tunc veniens erues festucam de oculo fratris tui. Nunquam malitias aliorum perfectè eradicare poteritis, nisi prius vestra malefacta studueritis condemnare. Prosper de vita contemplativa lib. 2. Tamdiu peccata sua quis, quæ flere debet, ignorat, quamdiu aliena considerat. Nunquam fiet reformatio morum in

* Pag. 137.

in seculari populo, nisi fiat prius in ecclesiastico. Nam dum pastor per abrupta graditur, necesse est ut in præcipitium grex ducatur: sententia est Gregorii in Pastorali. Nisi igitur reformetur Ecclesiæ & status clericorum, semper sic est & erit deformitas in posterum. Nam (ut dicit Chrysostomus in tractatu de symbolo) nunquam surgit defectus populi, nisi ex defectu scientiæ & bonorum operum prælatorum & clericorum. Exemplum ponit ibidem de arbore cum pallentibus foliis, sæpius hic dictum. Concordat dictum Hieremiæ 10. Quia stultè egerunt pastores, & Dominum non quæsierunt: propterea non intellexerunt, & grex eorum omnis dispersus est. Ipsi igitur prælati, & ecclesiarum rectores, primò judicent seipsos, si alios desiderant corripere & emendare. Nam Regis ab exemplo totus componitur orbis. Si sic fecerint, misericordiam à Domino consequentur: & implebitur illud scriptum, Proverb. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit ea & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Sed dicet quis: In vanum laboras scribendo & recitando hujusmodi: nemo enim est qui attendat: nosti qualis sit clerus modernus: inter mille non invenitur unus, qui vivit vita sacerdotii sui. Insuper inter mille millia non unus invenitur, qui propter honorem Dei simpliciter & salutem animarum factus est ecclesiasticus: ut patet in * Apologo: & secundum principium uniuscujusque rei, erit ejus medium & finis: teste natura rei, & testante tota turba sapientum. Et si principium malum fuit, quomodo finis bonus erit? juxta regulam communem legis, quæ dicit, quòd impossibile est ut bono peragantur fine, quæ malo principio sunt inchoata. Quomodo ergo tu conaris contra impossibile?

Attende.

* Quinam sit hic Apologus & cujus sit, dignum esset ut quæratur.

Verum (timeo) loqueris: & licèt quasi nullus videatur verus clericus in vita sua & moribus, & totus status clericalis quasi prophanatus est: cum tamen credamus esse tempus Gratiæ, sperandum erit Christum Dominum aliquos sibi hinc inde servare, qui non flectant genua sua coram Baal, Dagon, sive Beelphegor (de quibus suprà) justitiam servantes, donec idem Dominus noster Jesus Christus dignetur auferre malum à clero, aut totaliter destruere eos, & novum eligere ad beneplacitum suæ voluntatis, ut sæpe visum est in similibus factis. Græci enim primò fuerunt optimi Christiani, & perversissimi facti sunt. Suscepit Christus benedictionem ab eis, & dedit Romanis, qui modò jam devenerunt ad pejora, ut per longum dictum est. Cum autem Domino placuerit auferre hoc malum, ex quo diu stare non potest: eliget iterum sibi gentem peculiarem, facientem voluntatem. Et hoc est quod pronunciat beata Brigitta in suis revelationibus, quòd Christus sumet benedictionem à clero Romano, & dabit alteri genti facienti voluntatem Domini. De hoc tamen nemo assertivè dicere potest, quod Deus in sua potestate posuit. Sed sufficit nobis scire, quòd Deo displicent mala, quæ potens est avertere, quando sibi videtur expedire. Idcirco si hæc recitatio non valebit illis ad emendationem, spero quòd valebit ad aliquorum consolationem: qui cum viderint se habere socios in lamentatione horum, consolentur inde, laudantes Deum, & sperantes illos habere participes gratiæ Christi. Et hæc mihi sufficiant.

CAPUT VIII.

De qualitate ordinandorum ad Sacerdotium.

Superioribus ut sequentia consentanea sint atque accommoda, conclusurus tandem sermonem succinctè perstringam de qualitate ad statum clericalem assumendorum: pro cujus declaratione, hanc primò præmitto conclusionem: Quòd hi qui volunt regulariter ac religiosè secundum religionem Christianam vivere, atque in Ecclesia Dei columnas sacerdotii regalis erigere, studeant summopere doctrinæ evangelicæ se conformare legique perfectæ libertatis, quod est verbum Dei, omnes instinctus motusque suos, desideria atque voluntates, sermones & omnem habitudinem corporis extrinsecam tanquam infallibili regulæ coæquare. Juxta illud 2 ad Corinthios decimo: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi: studeantque per ostium illud, quod est Christi, intrare, & non aliunde tanquam fures & latrones ascendere; qui de seipso dicit: Vulpes foveas habent & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet, Matthæi nono. Sicque fiet debitus dirigendi & erigendi in gradu quocunque ecclesiastico modus, dum in fundamento ponitur Christus. Dico igitur, inspiciendum & imitandum tutissimum illud exemplar, Ecclesiam primitivam, jam triumphantem. Ipsa est modus, de quo legitur in Exod. Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Est

Præclarè dictum.

enim diligenter inſpicienda & imitanda: ad Philippenſes 3. Imitatores mei eſtote fratres, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Illa namque Eccleſia primitiva lucens erat ſicut lux mundi, & in ea luminaria lucentia, & verbum vitæ continentia: quia docti fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates, Danielis 12. Sed heu! jam non attendimus ad hæc præclara luminaria: non aſpicimus ad illa primitiva exemplaria, non ſumus imitatores ſanctorum in promotione ordinandorum ad ſtatum clericorum. Nam primi illi ſacerdotes ac levitæ humiles erant, mites, diſcreti, ſobrii, caſti, prudentes, dociles atque benigni, contemptores omnis avaritiæ & ſecularium negotiationum. Nos verò ſuperbi, crudeles, indociles, ſingulares, pertinaces, incontinentes, avaritiæ & quæſtûs ſub ſpecie pietatis amatores, & vanitatum ſeculi præcipui ſectatores, ſpeluncamque latronum facientes domum Dei. Nam ut dicit ſanctus Hieronymus: Quicunque lucra de religione Chriſtiana ſectantur, quicunque beneficia eccleſiaſtica propter redditus & proventus, & non propter ſalutem animarum impetrant & lucrantur, ſpeluncam latronum Domum Dei facere conantur. Sententia eſt beati Ambroſii, 12. q. 1. Aurum habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut pauperibus eroget & in neceſſitatibus ſubveniat. Et ſi ultra victum & veſtitum neceſſaria clerici recipiunt, profectò, ſecundum Bernardum, ſacrilegium committunt, & ſacrilega crudelitate ſurripiunt, ut dicit idem in Floribus lib. 4. c. 21. & mortaliter peccant, & tenentur ad reſtitutionem, ſecundum ſanctum Thomam, ſecunda ſecundæ, q. 43. articulo ſecundo. Hieronymus, 12. q. 3. Gloria epiſcopi eſt pauperum opibus providere: ignominia ſacerdotis eſt propriis ſtudere divitiis. Sic primus paſtor poſt Chriſtum in Eccleſia primitiva confidenter dixit ad Chriſtum: Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Et illud in actibus Apoſtolorum, argentum & aurum non eſt mihi. Sed proh dolor! in contrarium res eſt jam converſa. Nam per totum mundum à maximo uſque ad minimum omnes avaritiam ſequuntur: à propheta, à religioſo ſimul & laico uſque ad ſacerdotem cuncti faciunt mendacium, Hieremiæ 8. Unde Hieronymus 16. q. 1. Quicquid habent clerici, pauperum eſt, & domus illorum omnibus debent eſſe communes. Ambroſius in lib. de Officiis 8. dicit, Quòd maximè peccant & mortaliter & ſunt in ſtatu damnationis æternæ, qui ſciunt Chriſtianum, & præſertim Eccleſiaſticum egere, & ſibi non ſubveniunt cum auxilio eleemoſynæ. Hoc tamen obſervato, quòd ſit honeſtæ & virtuoſæ vitæ. Si ſecus fuerit, tunc cum pigro dilapidandus eſt cum ſtercore boum, teſte Sapien. Vix enim retinebunt nomen Chriſti, vel presbyteri, ſi pauperibus Chriſtianis & clericis non diſtribuant patrimonium Jeſu Chriſti. 12. q. 3. * Gloria epiſcopi. Huic autem formæ propoſitæ ordinandi & aſſumendi in ſtatum clericalem imprimantur, ut prius, quòd temporalia contemnant, nec illa in aſſumptione ſacrorum ordinum intendant. Nam, ut ait Ambroſius, Intentio & finis operi tuo nomen imponit. De his autem qui temporalia lucra intendunt, ſanctus Bernardus ſic inquit: Clerici hujus temporis nullius videntur eſſe ordinis: non enim ſunt milites ad pugnandum, licèt in ſignis militaribus ſe oſtentant: non laborant ut ruſtici, ſed fructus per ruſticos laboratos exquiſitè tollunt: non clerici ad prædicandum & orandum: tranſibunt igitur ad locum ubi nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat. Quare? Quia à via regia primitivæ Eccleſiæ nimis exorbitant. Illi enim primitivæ Eccleſiæ ſacerdotes & levitæ, propriam abnegantes voluntatem, Dei uſque ad mortem adimplere ſatagebant. Nunc verò in Eccleſia ſimulata multi, imò quaſi omnes, propriam voluntatem uſque ad contemptum & offenſam Dei facere non verentur. Olim clerici pro animarum ſalute ad grandia ſe pericula expoſuerunt: jam verò pro ſalute vitæ mortalis, iniquè innumerabiles populos ad pericula æternæ damnationis moderni clerici exponunt. Olim unus de juſtis magis judicavit mori, quàm quòd totus populus periret: hodie verò potius unuſquiſque eligit totam Eccleſiam pati graviſſimum diſpendium, quàm ſubire momentaneam mortem pro gloria Dei, aut confuſionem. Olim omnia ſuperimpendebantur pro ſalute hominum æterna: jam verò clerici omnia & ſingula ad ſua torquent lucra. Quinimò ſcripturæ ſacræ, cenſuræ Eccleſiaſticæ, poteſtates, auctoritates, quæ olim data erant in ædificationem electorum contra reprobos, jam facta ſunt contra electos armatura reproborum.

Authoris querelæ de ſuæ ætatis clero.

Olim multitudinis credentium erat cor unum & anima una, unus ſpiritus & una fides. Jam verò non facilè invenies duos ſibi invicem in Chriſto confidentes, imò teterrimum chaos ortum eſt in Eccleſia moderna per noſtros Phariſæos: inter quos non modica eſt diverſitas in jam dictis: ſed unus nititur melior eſſe alio, ſanctior, approbatior. Minores fratres ſe ſanctitate præferunt & juſtitia: Prædicatores, ſcientia & doctrina: Auguſtinenſes, Carmelitæ, Antonitæ, Benedictinenſes, Bernarditæ & omnes alii ſibi mutuò contrariantur, obloquuntur & perſæpius perſequuntur. In quibus vera animorum diverſitas,

— Fratrum concordia rara.

diversitas, non unitas invenitur. Inde surgunt tot scandala & maledictiones in populo: & tamen nullus prælatorum est qui advertat. Et si aliquis advertat, nullam tamen curam adhibet, aut contradicit. Igitur jam propheticum illud impletur, Hieremiæ 9. Unusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam. Quia omnis frater supplantans supplantabitur: & omnis amicus fraudulenter incedit, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquitur. Olim clerici induti virtute ex alto, & sapientia, cum timore Dei ambulabant in omni sanctitate & veritate. Jam verò omni pravitate dehonestati absque timore Dei ambulant in hypocrisi & fictione. Inter illos enim olim virtus & veritas maximè * pollebat: vitium autem se, non nisi in abditis occultabat. † Jam verò quasi in capite omnium platearum & viarum veritas & virtus habent se nec in angulis occultare. Olim in consortio sanctorum virtus & veritas liberum & prosperum habebant accessum, & peccata dignam sui habebant ultionem: hodie verò omnis malitia & iniquitas libertate potitur, & accipit promotionem: veritas verò & virtus, quæ olim super omnia * vincebat, jam in risum crucifiguntur, conculcantur & ostentui habentur. Illud verò quòd à spiritu Dei repletis grande reputabatur vitium, jam nullum iniquum, imò honestas judicatur. Sic veritas vitæ, doctrinæ & justitiæ nostram dijudicat simulationem: quòd videlicet obliti sumus Domini Dei nostri qui fecit & creavit & nutrivit & exaltavit nos: propter quod traditi sumus in direptionem & conculcationem gentium, & tanquam sal infatuatum quod ad nihilum valet jam nisi quòd ejiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et meritò hæc patimur: quia peccavimus in fratrem nostrum, Dominum nostrum Jesum Christum, quem vendidimus, & adhuc vendere non cessamus in suis charismatibus & sacramentis. Et quia pro his reparandis ultimum hoc ordinavi caput, de qualitate ordinandorum, præsuppositis his quæ extr. e. ti. habentur expressa, profundæque humilitatis jacto fundamento ut fidele ministerium Christo & suæ Ecclesiæ exhibeat. Regale sacerdotium, omne bonum fortunæ, naturæ & gratiæ in ejus cultum studeat convertere, & indigentiam proximorum, & ad gloriam ejus Christi Domini nostri & suæ Ecclesiæ: etiamsi opus esset cum detrimento vitæ mortalis propriæ plusquam lucrum temporale attendendo, juxta illud Philip. quarto: Quæ fuerunt mihi lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimenta feci, ut Jesum lucrifaciam. Rursum ministerium Christi, & totam vitam Christi contemptibilem à mundo, & pœnalem præponderantem in se sentire, diligere & præacceptare: juxta illud Philipp. 2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: ipsius crucis gloriam mundanis valdè horribilem verbo & exemplo prædicare, juxta illud pri. ad Corinth. 1. Nos autem prædicamus crucifixum, gentibus stultitiam, Judæis & Græcis * Dei virtutem & Dei sapientiam. Porrò adhuc & verè humile ministerium Christi est, omnem altitudinem dominandi sive libidinem extollentem se super omnem gradum subjectionis pro peccatis, & debitum, abjicere pro Christo instar Christi, juxta illud Matth. 20. Quicunque inter vos voluerit fieri major, fiat vester minister: id est, pari modo se habeat, & inferioribus intendat, quòd non ipse sit dominus, sed magis dominus Jesus Christus. Et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: id est, intendat ut non sibi servitium, subjectio, timor, honor vel gloria impendatur, sed magis Domino nostro Jesu Christo.

* Fort. pollebant.

† Non dubito quin hæc male cohæreant: sed sequor ego exemplar, & tu, lector, attingis authoris mentem.

* Vincebant.

* Sc. credentibus.

Item adhuc verè humile ministerium Christo exhibendum est, verè cognoscere proprium delictum, quantum sit injustum, & quantum offenderit propriam animam, quantave sit offensa contra dominatorem tantæ Majestatis infinitæ, & tantum proportionabiliter continuo labore, & quantum Deo displicet detestari. Ad hanc veram recognitionem propriorum delictorum pervenerat olim ille latro, qui in cruce compunctus dicebat ad alterum Lucæ 23. Nos digna factis recipimus. Ad hanc pervenerunt filii Jacob, qui olim pœnitentiam agentes, dicebant Genes. 42. 21. Meritò patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. Ad hanc pervenerat olim ille, qui post periculosum lapsum ex profundo clamavit: A peccato meo munda me, quoniam facinus meum agnosco. Ad hanc pervenerat olim ille piscator, qui visa multitudine piscium in navi, consideransque dignitatem Domini sui, tremulus exclamavit: Exi à me Domine, quia peccator ego sum. Et est sententia sanctorum, & revera (ut dicit Sapientiæ 13) Vani sunt omnes homines in quibus non subest hæc scientia Dei. Vereor ne fortè deficiente hac scientia simus illi de quibus dicit Apostolus ad Timoth. 3. Semper discentes & nunquam ad præmissam veritatis scientiam pervenientes. Totis igitur studiis & conatibus ad hanc veram limpidæ veritatis cognitionem ad sacerdotium assumendi pervenire studeant, ut sic prius humiliati, exaltari, atque in throno sacerdotalis culminis per scientiarum agnum humillimum

mum, in ligno crucis oblatum & maledictum exaltari merentur. Exprimitur idipsum Apocalypf. 3. Qui vicerit, dabo ei sedem in throno meo. Glossa: Qui vicerit mundum per charitatem, carnem per virginitatem, diabolum per humilitatem, huic congruit sedere in throno sacerdotalis culminis.

Cautiones sanctæ de sacris ordinibus initiandis.

Sed heu! modò datur paucis corona clericalis, nisi victis à mundo per cupiditatem, à carne per voluptatem, à diabolo per ambitionem. Sed væ illis qui tales coronant & taliter coronantur, cum solis victoribus corona debeatur. Psal. Similes illis fiant qui faciunt ea. Sapien. 14. Quia idolum maledictum est: id est, sacerdos vel prælatus inutilis, & ipse qui fecit illud.

Quia ille quidem operatus est: illud autem cum esset fragile lignum, deus cognominatus est. Nisi primò hujusmodi fundamentum jaciatur ad exemplum Ecclesiæ primitivæ, periculosè quis ad sacerdotii gradum se ingerit, approbante idipsum beato Gregor. in suo Pastorali: Eo ipso ad pastorale seu sacerdotale officium indignus quis efficitur, si ex appetitu ad hujusmodi afficiatur. Sicut enim is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, est sacris altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel importunè se ingerit, est proculdubio removendus. Nemo enim assumit sibi honorem, ait Apostolus, nisi vocatus à Deo tanquam Aaron. Teste enim beato Gregorio in suo pastorali, Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Et imò summopere caveant hi, per quorum manus ordinandi sunt transituri, quòd nec prece nec pretio, interveniente aliquo pacto, inidoneos admittant: Et ubicunque possunt, insufficientium promotionem impedire studeant. Unde enim clarâ luce tot scandala videmus in populo, nisi ex ignorantia & malitia sacerdotum? quia legis Dei ignari, ad sacerdotium passim sine diligenti scrutinio vitæ & scientiæ admittuntur. Sed, ut ait sanctus Gregorius, ab imperitis pastorale magisterium qua temeritate suscipitur? quando est arduum regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nescit vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nunquam spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non verentur nec metuunt: & dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Inde fit, ut dum pastor per abrupta graditur, necesse est ut ad præcipitium grex sequatur. Videant hi, qui ad examinandum ordinandos sunt deputati, ne participium habeant in peccatis alienis. Ascendatur igitur ex adverso, & murum pro domo Israel se opponant, doleantque super contritione Joseph. Justus ut sis (ait Seneca) non solum non nocebis sed & nocentes prohibebis. Nequaquam igitur metu cujuslibet potestatis vel odii veritatem occultent. Qui si errori consenserint, iram Dei super se graviter provocant. Si igitur viderint aut deprehenderint in examine aliquem insufficientem & indignum per vitam reprobam, ore rotundo ei audenter dicant: Negotium malignitatis aggressus es, non erubescis? non confunderis?

Quia igitur tu repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, ait dominus Oseæ quarto. Ignorantia sacerdotum nec excusatione digna nec veniâ, ait Leo papa. Unde Hieron. super illud Aggei 2. Interroga sacerdotes legem: Si sacerdos de lege requiritur, & respondere nescit, sacerdos non est. Vilissimus enim computandus est, nisi præcedat scientiâ qui aliis honore est præstantior. 1. q. 1. vilissimus. Unde Esaias in personâ Domini loquitur, dicens: Propterea populus meus captivus ductus est, & infernus dilatavit animam suam, quia sacerdos ejus scientiam non habuit. Nam ad omnem in sacris ordinibus promovendum, etsi non eminens, tamen competens requiritur scientia, ut scilicet quæ necessaria sunt ad sui ordinis executionem promptissimè sciat. 38. d. per totum. Qualis autem debeat esse ordinandus, ostendit Apostolus ad Timoth. ita dicens: Oportet episcopum (ubi secundum Glossam etiam interpretatur sacerdos) irreprehensibilem esse, unius uxoris virum: id est, non * bigamum, sobrium, prudentem, pudicum, ornatum s. virtutibus, hospitalem, doctorem, non violentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum. Si cui placet hanc Apostoli sententiam diligenter videre expositam, legat exordium tertiæ partis summæ Raymundi, usque ad capitulum 18. inclusivè: & Guilielmum in apparatu ibidem. Nam amor brevitatis, ea quæ prolixè habentur ibidem exposita, hic ea recensere vetuit. De vitâ autem & scientia in ordinando requirenda, in aliis tractatulis præmissis & sequentibus, fastidiosa lectori, æstimo satisfactum. Sequitur corollariè, præmissis in suo vigore stantibus, quòd nec aliqua consuetudo mala, quæ juris est corruptela, potest promovendos, promotos & promoventes in hujus operæ mediatores à culpa mortali excusare. Talis enim consuetudo, quæ tractu temporis per incuriam invaluit, peccatum non minuit, sed auget. Ambrosius extr. de simonia. Probationem hujus suprà posui, ex dictis Chrysostomi elicitam, super illo verbo Apostoli, Manus nemini citò imposueris. Sapient. 3. legitur, quòd vani sunt omnes homines, in

Cap. 5. 14.

* Ridiculè autem ista vox exponitur à recentioribus de pluralitate beneficiorum: etiamsi eorum plurimi plus peccant contra istum sensum conjugii, quàm Mahumetani contra naturalem & sanctum ejus usum.

Consuetudo mala juris corruptela.

in quibus non est scientia Dei. Vanum dicitur, quod in suum finem non ordinatur, ut colligitur ex 2. Physicorum. Vani igitur sunt omnes præmissi ordinatores & ordinati, & vanitati subjecti: quia debito fini, id est, Christo non sunt subnixi. Scientia etiam quam ordinandi habere tenentur, non duntaxat in hoc finaliter constituitur, quòd ordinandus in levitam vel sacerdotem, sermonem Latinum proferre sciat, vel syllogismorum aut enthymematum nodos aliqualiter dissolvere: sed si de lege requisitus sciat respondere, seu inter lepram & lepram, vitium ac virtutem discernere & periculis animarum corporaliter & spiritualiter occurrere. Sancti viri corpus virtutibus ædificaverunt, inquit Boetius libro 4. prosa 6. Hæc sententia ordinandis potest applicari, in quibus requiritur bene docendi sufficientia, rectè vivendi diligentia, justeque agendi promptitudo & benevolentia. Soli enim hi honore & reverentia digni sunt. Ethic. 4. Sicut enim anima incomparabiliter corpus excedit, 9. Ethicorum, ita animi nobilitas in repudio vitiorum diligenter est promovenda. Mores enim virum ad intra perficiunt. Non sufficit ingenii subtilitas, sed etiam requiritur vitæ laudabilis probitas: ingenii acumen vel tarditas præmium vel pœnam in futuro non collocat. Sententia est Magistri in sententiis libro 2. d. 32.

Non, inquam, sufficit plura verbis dicere: sed requiritur, ut qui placet, sermonibus placeat & moribus: & quod docet verbis, confirmet exemplis.

Unde Tullius in Paradoxis: Vita factis est illustranda. Ideo Plato & Aristoteles & innumera sapientum turba plus ex moribus Socratis quàm ex verbis traxerunt insignia probitatis. Recurrant ergo ordinatores ad hanc intellectûs pulchritudinem, & specialiter ad morum dignitatem.

Nam secundum Senecam epistola 72. Virtus regna & provincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberosque dispensat: in his refulget bonum, quod perficit intellectum: voluntatem reficit & totum hominem simpliciter reddit perfectum: ex primo Ethicorum. Quod bonum, ut Plato inquit, si corporalibus oculis videri posset, omnes in amorem sui violenter traheret. Non igitur, ut sciamus quid sit virtus, scrutemur: sed ut boni efficiamur, 2. Ethicorum: Scientia ordinanda est in virtutum acquisitionem. Virtute verò nihil amabilius: quam qui adeptus fuerit, ubicunque gentium existat, à nobis diligendus est. Tullius libro tertio de Natura deorum: Scientiam habentes, & vitam voluptuosam eligentes, bestiales esse videntur: quia vitam pecudum eligunt. Unde Hieronymus contra Jovinianum: Vitam triplicem philosophi ponunt, videlicet contemplativam, activam & voluptuosam. Unde per quendam sapientem egregiè dicitur,

Tantùm virtuti datur æternalibus uti;
Eloquiis claris quicquid mihi philosopharis;
Si virtute cares, velut arbor inutilis ares.

Quam autem scientiam quærere debet Christianus philosophus, ostendit sanctus Augustinus in Enchiridio, circa principium libri ita dicens: Non * est metuendum Christiano, si deviaverit in numero electorum, de motu quidem & ordine ac de effectibus, si de figura cœli, de generibus & naturis animalium, fructuum, lapidum, fontium, fluminum, montium, de spatiis locorum & temporum, de signis imminentium tempestatum & consimilibus scientiis & rebus, quæ nec omnia philosophi gentium invenerunt: satis est Christiano, creatarum rerum causas, sive cœlestium sive terrestrium, sive visibilium sive invisibilium, non nisi bonitatem Dei credere. Et post pauca: Quæ cum ita sint, quando nobis ille Maronis versus placet,

* Bone Deus! quàm aliena hæc à verbis Augustini! vide loc. cit. cap. 9. ubi sic ait---nec metuendum est — ne aliquid de vi & numero elementorum, de motu atque ordine & defectibus Syderum — fruticum, &c. ex hoc autem loco conjice, lector, quàm egregium exscriptorem se præstiterit, qui primus in lucem protulit hunc tractatum; huic asino, quicquid tibi antea molestiæ fuit, acceptum refer; qui ut sibi parceret, nollet exactius curare quid prælo commisit, nec vel ipsum Augustinum consulere: quin uno ictu ipsum, hunc autorem, & unumquemque lectorem injuriâ afficeret.

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas:

Causæ igitur, ut ex his colligitur, rerum bonarum ac malarum, quantum scire satis est, quæ nos perducit ad regnum, ubi erit vita sine morte, veritas sine errore, fœlicitas sine perturbatione, à promovendis sunt cognoscendæ. Hæc de ordinandis ea ratione

tione dico, quia secundum sententiam Valerii Maximi libro 2. Memorabilium factorum, talem affectum induere debent ordinandorum examinatores, atque cum eo dicere: Non possum adduci ut credam urbi utilem, quem domi scelestum cerno. Quid enim prodest fore foris strenuum, si domi malè vivitur? Id ipsum dicit Apostolus, docens domui suæ præesse scientem ordinandum. Sed ut tandem verbis finem faciendo, paucis multa concludam, Attendite, vos emeriti milites, & præcones Jesu Christi, & columnas argenteas super bases aureas erigere satagite, ut abscondamini à facie sedentis super thronum, & ab ira agni. Apoc. 6. Quoniam veniet dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare? Corrigite mores pravos primò in vobis, & exemplum aliis præbete, ut quemadmodum vos facitis, & ipsi faciant in operationibus suis, & non sint omnia quæ prædixi abscondita ab oculis vestris. Quærite igitur justum, quærite mansuetum, siquo modo abscondamini in die furoris Domini. Soph. 2. ut ex sententia respondere possint interrogati, dum ab eis à pontifice inquiritur, Estne dignus? estne justus? atque veraciter dicant, dignus est: dico dignus est, justus est. Hanc veritatem in prioribus expressam, ut abscondamini ab irâ agni, Idem ipse agnus Dei, Dominus Jesus Christus qui tollit peccata mundi, inspirare dignetur: qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in secula seculorum semper benedictus, Amen.

Explicit exiguum, quod tangit vitia cleri,
Et grave facinus, miseros variosque labores.
* *Nostræ scriptoris dant nomen † initiales,*
Est de Reen natus, Ryd ipse cognominatus.

1467 † Magdeburgi.

* Fort. nostri: sed neutiquam respondent literæ nomini.
† † Nos Magdeburgenses non curāmus quantitātem syllabārum, modò sit oratio congrua (vide ep. Smetii Joh à Korenput, præfixam prosodiæ) hæc autem fuit congruentissima; cum rhythmatus sit poeta ut monachus, arguit verò autor ut theologus probus & eruditus.

INCIPIT

INCIPIT HOMILIA BEATI Volkuini Abbatis in Sedichenbech, ubi inter cætera miracula ibidem per eum facta, Deo cooperante, perpetuum silentium imposuit * ranis, quæ fratres æstivo tempore nimium solebant inquietare.

* Miraculum secundum ranarum—quæ veterem in limo nunquam cecinere querelam. Virgil. Georg. 1. ne monachorum studia interpellarentur. vide Scalam cœli & Scholam Eucharistiæ.

EVANG. SECUNDUM MATTHÆUM.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo, & supervenit inimicus homo, & superseminavit Zizaniam, & reliqua.

HOMILIA BEATI VOLKUINI ABBATIS.

DOMINUS Jesus Christus, Filius Dei vivi, Salvator noster & Magister doctrinam suam more humanæ disciplinæ plerumque proponit & informat, ut fideles suos dociles reddat, benevolos & attentos. Sicut enim facultas aliqua liberalis regulis suis utitur, quibus multum in compendium redigat, ut rudes & impoliti sensus audita facilius capiant & certius teneant: sic divina doctrina pro regulis quasdam assumit parabolas, sententiarum multiplicatione gravidas ac foecundas, quibus auditores suos persuadeat, dociles reddat & capaces, quatenus ex paucis multa, ex brevibus prolixa excitari valeant & inveniri & commentari. Cum autem moralis doctrina maximè versari soleat circa duo, videlicet quid eligendum, quid cavendum: convenienter hæc duo simul præsens parabola exprimit, ut per alterum ad electionem, per alterum ad cautelam invitet. Ecce prætaxat tibi bonum semen. id est triticum, ergo eligendum. Subjungit & zizaniam, ergo respuendum. Præmonstrat tibi satorem boni seminis, ergo imitandum. Commemorat tibi satorem mali seminis, inimicum hominem, ergo vitandum. Quod audi expressius, attende spiritualius Dominum nostrum Jesum Christum boni seminis seminatorem. Intellige bonum semen, gratiam: Inimicum hominem, diabolum: zizaniam, peccatum: Agrum verò cor humanum. Audis homo te habere agrum, imò teipsum esse agrum? Da operam, stude conducere agricolam: quia necesse est ut colaris, necesse est ut colonum experiaris. Ecce duo sunt tantùm: ambo se offerunt, invicem adversarii, invicem inimici: nihil commune habent, nullâ societate junguntur: ambo pro agro tuo litigant, certatim sibi vendicare contendunt. Alter Deus semper benedictus, alter diabolus est: Deus gloriosus & semper benedictus se offert cum suo semine, id est, cum sua gratia: diabolus cum zizania, id est, cum peccato. Quis tam demens, tam insipiens, tam mentis inops, qui zizaniam præponit frumento, qui agrum suum malit malo semine quàm bono seminari? Cave ergo tibi à satore zizaniorum, qui non seminat nisi super monte Gelboe, ubi nec ros, nec pluvia descendit. Elige tibi agricolam Christum, qui te ferentem fructum purget, ut fructum plus afferas: qui te facit agrum primitiarum, tanquam vallem Gethsemani, id est, pinguedinis: de qua prodeunt gramina spiritualium donorum, virens herba virtutum, seges uberrima meritorum. O quàm bonum, ô quàm salubre semen est gratia Dei, quæ rectè semini comparatur, quoniam seminarium est & origo virtutum.

Cum enim in terra bonorum mittitur, statim germinat, per consensum liberi arbitrii. Inde virens herba consurgit, id est, motus virtutum: consequitur spica cum granis: id est, fructus boni operis, per usum virtutum procreatur. Nota quòd in naturalibus istis sic se habet generatio sive procreatio, ut nihil procreari possit sine his duobus, videlicet calore & humore. Unde ethnicus ait, Vapor humidus omnes res creat, id est, vapor & humor. Similiter in natalitio seminali duo hæc concurrunt, scilicet calor & humor: sed

sed utrumque est gratia. Ipsa enim calefacit, ipsa humectat: calefacit, dum inflam ad appetendum: humectat, dum resolvit & habilitat ad satagendum. Quid igitur a dum est, dum culta est terra? jactum est semen, prodit germen, seges assurgit, profic messem: non tamen securus sis, non segniter agas, quia messis tua adhuc in herba hoc est, quamdiu foris est, in campo est sub dio, necdum in horreo, necdum in nario: hoc est, quamdiu præsens vita agitur. Summâ ergo opus est diligentia, sum custodiâ, ne messis tua pereat: quia multa emergunt pericula, circumstant detrim Si enim venerit grando, conterit: si fulgur, exurit: si turbo, conquassat: si æstus, sumit: si tempestas, subvertit: si avis, vel locusta, devorat: si denique bestia, co cat. Hæc sunt, ô homo, maximè tu spiritualis, aut religiose vir cujuscunque status, te pro messe tua spirituali incessanter solicitare debent. Timendum est itaque tibi ne niat grando tempestatis graviter, & inimici sementis, ne coruscatio dolosi fratris & improvisè suffodientis, ne ventus inanis gloriæ, ne æstus carnalis immunditiæ, ne pestas pusillanimitatis & impatientiæ, ne avis curiositatis & extollentiæ, ne locusta a tionis & inconstantiæ atque hypocrisis, ne bestia crudelitatis & injustitiæ. Propter pericula monet Solomon diligenter agrum cordis custodiendum, & messem virt Omni, inquit, custodiâ custodi cor tuum. Ecce ager: quoniam ex ipso mors, ex pericula & vita procedit, ecce messis. Non ergo dormiat cor tuum, ne perdas cor tu Vigilet mens tua, ne pereat messis tua.

Causa enim perditionis est iste torpor dormitionis. Unde & subditur: Cum au dormirent homines, venit inimicus homo & superseminavit zizania. Ut dictum inimicus est diabolus, qui primas inimicitias inter Deum & hominem, inventor ma doli artifex conflavit. Venit enim in paradisum, observavit hominem: & quia eu sui custodiâ dormientem invenit, agrum suum zizaniis corrupit, & factus est vile fr tum, & solitudo dedecoris, quod ante tulerat fructus honoris & honestatis. Heu, h quisnam vacat locus à zizaniis ejus? profectò non paradisus, non vel ipsum cœlum e pyreum, non apostolorum collegium. In empyreo enim peccatum superbiæ, in p diso culpa inobedientiæ, in apostolorum collegio seminavit traditionem Judæ ex ra avaritiæ & invidiæ. Quid putas nunc facit in monasterio? an fortè nescit ibi viam, intrare non audet? Quandoquidem non est sanctorum locus, quem non triverit pes e ubique gyrat, ubique seminat: & maximè id facere conatur inter religiosos, inter c strales, quia esca ejus electa. Attende claustralis, observa diligentius, quia nusquam deest iste inimicus. Ab ejus enim zizaniis non vacat chorus, non capitulum, non refec um, non dormitorium: In choro tibi seminat sementem vagationis & somnolentiæ: in pitulo, litis & contumaciæ: in refectorio, gulæ & petulantiæ: in dormitorio, scurrilitat impudentiæ: si sic tibi illudit intus, quid faciet foris? Quid inquam in foro, in pla in platea, in palatio? In foro vis esse negotiator, in placito causidicus, in palatio cu lis. Exclamare hic libet, ô res confusa! ô res monstruosa! ô monachum! ô laicu monachum veste, laicum actione: Ecce res confusa. Quid est res monstruosa? m strum est unum corpus, plurima capita: vel unum caput, plurima corpora habens. quidem monachus es, id est, unius custos, ab unitate censeris: id est: ab unius custodia una lege, ab una professione tanquam unum corpus bene ordinatum sub uno capite. alia est facies negotiantis in foro, alia declamantis in placito, alia degentis in palatio, conversantis in monasterio. Ecce quatuor facies istæ, non elephantorum, sed dracon Quid igitur, monachus es & causidicus, negotiator & curialis? Ergo unum corpus q tuor facies habens, monstrum te monstras. Nolo præterire clericum, canonicum plebanum. Veniant in medium: agnoscat uterque monstrum suum. O clerice, canonice, tu qui plures præbendas, beneficia, altaria, commissiones, oblegia, dignita prælaturas, provisiones, &c. tu qui plures habes Ecclesias, an ignoras quia sub corpore plura capita, vel sub uno capite plura corpora tibi constituis, & monstrum facis? Bicapitalis, vel tricapitalis es, dum tu duas vel tres præbendas, aut plures, duas vel tres Ecclesias, tu duo vel tria aut plura beneficia tenes, &c. Deinceps tibi plura succreverint beneficia, plura succrescunt capita: & quo plura creverint capi aut corpora, deformius monstrum coram Christo & Ecclesiâ apparebis: & inde def mis, quia Christo conformis non es. Omne enim illud quod extra formam est, forme esse necesse est. Redi ergo ad formam. Imprimaris formæ, ut conformes Sic enim admonet: Sancti, inquit, estote, quia ego sanctus sum. Et petro manc omnibusque in Petro: Sequere me; acsi diceret, imitando mihi conformis effice ergo conformitas imitationis est, imitatio verò unitæ tanquam formæ quæ imitan est. Insinuat hoc Dominus loquens & præcipiens Moysi, & in Moyse cunctis Eccle rectoribus: Omnia, inquit, facias ad exemplar, quod tibi in monte monstratum

hoc est, ad formam, ad unitatem, ad conformitatem: & hoc in monte id est, in Christo. Extra hunc montem præcipitium est, digressio est, in digressione distortio est, in distortione dissimilitudo, in dissimilitudine deformitas, in deformitate undique monstrum invenitur: quoniam ipsa deformitas monstrum est. Ergo si extra hunc montem es, extra formam es, extra uniformitatem es. Quoniam ipsa forma, ipsa uniformitas in monte, hoc est in Christo, est. Si igitur uniformis non es, distortus es, dissimilis es, deformis es. Si ergo deformis, ergo monstruosus. Omne enim membrum, quod suo capiti vel corpori non congruit, quod à conformitate recedit, monstrum facit. Eja ô sacerdos, qui sacer esse debes quia sacra das & dispensas, adverte nunc diligenter, excute cor tuum, & cape ne capiaris: primus prophetarum Adam carnale factum de præsenti intelligens, sub specie sui & mulieris, in Christum & Ecclesiam, tanquam sponsum & sponsam, de futuro vaticinium eructavit: Hoc, inquit, nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea est. Exponens autem apostolus ait, Sacramentum hoc magnum est in Christo & in Ecclesia. Nota quòd dixit singulariter, Hoc nunc os & caro, tanquam de una: & ossibus meis & carne mea, tanquam de uno.

Non enim ait pluraliter, Nunc hæc ossa & carnes, neque, ex ossibus nostris & carnibus nostris, tanquam de pluribus. Quare hoc? Quia nisi unum caput est, unum corpus, unus sponsus, una sponsa, unus Christus, una Ecclesia. Sic & Apostolus idem exponendo commendat, unum Christum, non plures: unam Ecclesiam, non plures. Unde & idem Apostolus expressius adhuc de eodem: Despondi vos, inquit, uni viro virginem castam exhibere Christo; uni viro, tanquam uni capiti, unam virginem, unum corpus. Vides nunc, ô clerice vel sacerdos, quia Christus monstruosus non est. Summa enim & ordinatissima conformitas in ipso est, cum sit unum & unicum caput unius & unici corporis. Sed vis breviter noscere quò tendo? Attende igitur. Non ignoras, non dubitas, quin Christi vice fungaris in Ecclesia, cujus personam geris & prætendis, & nomine & dignitate: inde etiam honoraris. Certè cum ad aliquam Ecclesiam vocaris, cum ab episcopo præsentaris, tibi illa traditur, tibi desponsatur, tibi in anima tua committitur cum curâ animarum. Ergo jam sponsus es, quia sponsam habes. Nam qui sponsam habet, sponsus est. Sed hæc in figura & in sacramento Domini tui. Non enim ô clerice seu sacerdos, tu veritas es, sed figura: non res, sed sacramentum. Tu figura es Christi: Ecclesia tua, aut beneficium tuum, sive præbenda tua, figura Ecclesiæ illius est. Tu capitis, illa vel istud corporis. Cave ergo, ne sis figura mendax, imago fallax. Tunc enim vera figura eris, conformis imago eris, si sis unus unâ contentus curâ Ecclesiastici beneficii: unus unâ contentus Ecclesia: quemadmodum Christus unus sponsus unâ contentus sponsa, unum caput uno * contentus corpore. Quod ergo amplius est, monstrosum est. Si quis enim vult pingere vel sculpere imaginem veri hominis, & illam pingit vel sculpit bicorporem vel tricorporem sub uno capite, vel è converso, nonne potius imago illa monstrum † reputabit quàm hominem? Sic & tu, clerice aut sacerdos, qui plures curas beneficiorum, plures habes Ecclesias: tu, prælate, qui plures tenes dignitates: tu canonice, plures præbendas: tu clerice, plura beneficia, magis prænotas, magis repræsentas monstrum quàm Christum. Ergo, ut dixi, figura es mendax, imago fallax. O Domine Jesu, qualia & quanta monstra tu vides in Ecclesia tua! quando fugabis? quando purgabis? quando remedium appones? multiplicata enim sunt mala nimis in clero. Quisnam locus sanctorum, qui non habet monstrum? habet parochia: habet canonia: habet clericatus: habent & ipsa monasteria: habet parochia monstrum, sacerdotem duarum vel trium Ecclesiarum, tanquam sub uno capite duo vel tria corpora gestantem: habet canonia monstrum, canonicum duarum vel trium præbendarum: habet clericatus clericum duorum, trium aut plurium beneficiorum, monstrum suum: habent denique monasteria monstrum suum, tanquam Janum bicipitem, monachum negotiatorem. O verè ridendum & deforme monstrum, monachum negotiatorem! Quæ enim communicatio religioni & negotiationi? Quæ convenientia claustro & foro? Etymologia hujus nominis [claustrum] hodie mutata est. Olim sanè claustrum dicebatur à claudendo, hodie potius à claudicando dicitur. Dudum quippe à claudendo propriè dicebatur: quoniam viri claustrales non solùm corpore, sed & corde intus manentes, omnes sensus suos ab appetitu seculari, ab omni concupiscentia temporali strenuè clauserunt: hodie verò rectiùs à claudicando dicuntur: quoniam viri claustrales rebus temporalibus inhiant, quasi in utramque partem claudicant, dum servire Deo volunt & mammonæ: religioni & ambitioni; polo simul & foro. Quocirca talibus voce illius legalis Eliæ in Regum libro loquentis sacerdotibus & levitis Baal rectè dicitur: Usquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini illum: si autem Baal, sequimini eum. Baal superior,

* Fort. contentum.

† Fort. reputabitur quàm homo: vel imaginem illam.

vel devorator interpretatur. Sacerdotes ergo Baal sunt ambitiosi, cupidi & gulosi. Multi sunt ejus sacerdotes, quia multi eum colunt. Quid est in duas partes claudicare? In duas namque partes claudicare, est simul cœlestia & terrena appetere, Deo servire simul & mammonæ. Ideoque in neutra parte rectè incceditur, quia nemo potest duobus dominis æquè servire. Unde Ecclesiasticus: Væ duplici corde, labiis scelestis, & peccatori ingredienti duas vias. Hinc Hieronymus dicit: Delicatus nimis es miles, si vis in præsenti gaudere cum mundo, & in futuro regnare cum Christo. Baal ergo sequuntur, qui honores & divitias quærunt in statu clericali, ut sint aliis superiores, ut vivant in deliciis carnis. Verùm & tu, canonice aut clerice, jam attende unde appellaris, unde nomen acceperis, & experire quòd ratio tuæ appellationis mutata sit. Unde canonicus, nisi à canone, id est, regula, sive à norma rectè vivendi? hinc certè tibi nomen datum est. Sed hodie, proh dolor! hæc interpretatio exufflata est. Quis enim canonicè, id est, rectè & regulariter vivit? Siquidem rara avis in terris hodie, Canonicus à canone vitæ. Unde ergo? Audi unde. Est namque canon vitæ, ut dictum est; & est canon pecuniæ, videlicet alicujus pensionis certæ. Unde solet dici, Solve mihi canonem meum: id est, pensionem meam: id est, statutam pecuniam meam. Eja ergo, ô canonice, invenimus canonem tuum, à quo derivaris: id est, à canone pecuniæ, non à canone vitæ: id est, à canone regionis, non à canone religionis. Quis jam in mundo ambitiosior quàm canonici? Statim cum idiota canonicus efficitur, neminem sibi similem æstimat: stans in altum ut stultus, alium clerum despicit: inde insolescens & se exaltans, unde humiliari debet. Meritò ergo dici potest, Mutatum est aurum optimum, juxta prophetam: & in quo? Responderi potest, in scoriam perversitatis, quæ sibi desponsavit filias Belial, Superbiam scilicet & Avaritiam atque Luxuriam. Habet ergo Avaritia canonem suum, habet & canonicum suum: hunc canonem servant canonici, & hanc regulam practicant moderno tempore: huic solerter invigilant, dum student avaritiæ, diligunt munera, manus semper habentes contractas ad dandum, porrectas verò ad accipiendum. Ad hunc canonem, ad hanc sortem pertinent clerici. Nam à sorte dicti sunt, dum turpis quæstûs cupidi idolum avaritiæ conflant, in domo Domini vendentes & ementes ut cæteri laici: imò quod deterius est, & mutuum dantes, & inde aliquid sperantes vel certè statuentes. Tales à sorte justitiæ, à sorte hæreditatis Dei se longè faciunt, de qua tamen & nomen acceperunt. Quid sibi vult ista adversa diversitas, quòd volunt esse clerici, & aliud cupiunt videri? nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutros se ostendunt? Nam neque pugnant ut milites, nec ut clerici evangelizant. Quæro ergo, cum ista fistulâ cœlesti, sancto Bernardo Clarevallensi, cujus ordinis sunt? Cum utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt. Unusquisque, inquit, in suo ordine resurget: isti in quo? An qui sine ordine peccaverunt, sine ordine peribunt? aut si summè sapiens Deus veraciter creditur à summo usque deorsum vel inordinatum relinquet, vereor non alibi ordinandos, quàm ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. O miserandam sponsam talibus creditam paranymphis, qui assignata cultui ejus proprio retinere quæstui & incestui non verentur. Advertite ergo, ô sacerdotes & clerici: Redite ad cor, recognoscite ministri Dominum, paranymphi sponsum, judicate si verè sitis sacerdotes Domini, sicut & vocamini ministri Dei nostri, ipso testante per Esaiam: Sacerdotes, inquit, vocamini ministri Dei nostri. Sed utinam Domini: habet enim Beelphegor sacerdotes suos, Dagon suos, Baal suos. Beelphegor serviunt, hoc est, deo tentiginis, qui incurvantes se ad quamcunque luxuriam, scortum nutriunt in domo sua, etiam plusquam laici fœtore libidinis vaporantes. De hoc in Numeris Dominus conqueritur: Initiatus est populus meus Beelphegor: quod tam durè punitum est, ut Dominus juberet principes populi suspendi contra solem in patibulum, sicut ibidem legitur. Si sic ergo punitur peccatum subditorum, quid erit de peccato rectorum? In Levitico quoque legitur, quòd filia sacerdotis, si deprehensa fuerit in adulterio, flammis exuretur: quia violavit nomen patris sui. Si igitur vetus lex ita abominatur adulterium filiæ sacerdotis, cui tamen concedit uxorem habere & filiam: quantò magis abominandum est in nova, cui nec habere * licet legitimam. Proh dolor! & proh pudor! hodie meretrix antiqua, quæ habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, fornicatione & immunditiâ, qua mirabiliter inebriat sacerdotes & clericos: de qua in Apocalypsi: Vidi mulierem ebriam de sanguine virorum & de sanguine martyrum Christi. Mulierem mollem dicit emollientem luxuriam carnis, ebriam de sanguine suorum scortorum sive scortatorum. Hæc est illa sanguisuga, quæ sugit sanguinem ministrorum Dei & martyrum Dei, qui martyres Christi esse debuerant & fiunt martyres † diaboli, in honorem ejus & obsequium carnem & sanguinem consumentes: Cum vidissem, inquit, homines, miratus sum. Quis non miretur & horreat & obstupescat

* Utinam hic Abbas legisset epistolam Hulderici in calce hujus Antilogiæ positam.

† Lege dialogum Poggii contra hypocrisin; ubi martyrium illud bellè depingitur.

obſtupeſcat ſacerdotem Domini, miniſtrum Dei, calice epotato ſitibundum, & potare fæces de calice Babylonis. Veni, dicit meretrix iſta, inebriare uberibus meis, quæ non dulcedinem lactis habent: ſed ardorem ignis. Sedebit, dicit * Aggæus, ſeparator in Azoto, hoc eſt, in igne uberum. Separare nos cupit ab igne Deus: id eſt, abſtrahere à fervore carnis. De ubere ignis ſugens ignem ſugis, quomodo non ardebis? Nutrix cum infantem ſeparare voluerit, amarum ponit in ubere, quo guſtato retrahitur puer: faciam, dicit Dominus, ſicut meretrix: Ecce ego cibabo eos *, & dabo eis potum aquam fellis. Abſinthium eſt peccati enormitas: quoniam qui fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Si autem ſacerdos fornicatur, non ſolùm in ſuum, ſed etiam in corpus Chriſti peccat. Quidnam ergo majus, quid enormius quàm in nocte tractare filiam Veneris, & de die filium Virginis? Audent ſacerdotes carnem agni immaculati contingere & intingere manus ſuas nefarias in ſanguinem Salvatoris, quibus paulò ante carnem meretricis tractaverant? Dominum majeſtatis & puritatis auctorem dum impuriſſimi corde & corpore ſuſcipiunt, & quaſi in ſentinam corruptionis projiciunt. Nec verentur aſtare angelum Domini, qui fecet medios & diſperdet eos. Quis eſt laicorum ita vilis, ut in vigilia Paſchæ ſuam velit tangere uxorem, corpus Domini ſuſcepturus? Miſer autem ſacerdos, qui quotidie eſt in Paſchâ, qui filium † Dei occidit & jugulat diebus ſingulis, totâ nocte eſt in amplexibus Veneris, & pendere ad iſta ubera meretricis non deſiſtit. Talibus loquitur Hieremias: Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas? Certè non, imò augebunt. Si indignè homo tractans, inquit * propheta, carnes ſanctificatas in ſummitate pallii ſui, & de ſummitate tetigerit aut pulmentum aut panem aut omnem cibum, nunquid ſanctificabitur? Et dixerunt ſacerdotes, Non: & ſi pollutus in anima contigerit unum ex his, nunquid contaminabitur? & dixerunt, Contaminabitur. Ex hoc patet, quòd corpus Domini polluit qui ad altare indignus accedit: † fœditatem & vilitatem cum impuro corde & corpore contingentium puriſſimum filium Virginis, manna candidum cibum Angelorum breviter & terribiliter pronuncians. Pſalm. ait: Diſperierunt in Endor, hoc eſt, in fonte carnalis generationis ô periculum, ô dedecus, ô confuſio faciei! quod quaſi pro ſentina adjungit, Facti ſunt ut ſtercus terræ. Digna planè comparatio. Sic enim eos reputari juſtum eſt, qui ſerviunt Beelphegor, hoc eſt, deo tentiginis. Audi nunc de ſacerdote Dagon. Talis utique, qui cupiditati ſervit & avaritiæ. Dagon ſonat idem quod piſcis triſtitiæ: piſcis namque quieſcit in aqua, ideoque ſignificat inquietos per curioſitatem, qui adinſtar piſcis perambulat ſemitas maris: id eſt, ſubtiliores & doloſiores negotiationes mundi hujus. Et dum ſemper inquirunt, ſemper triſtitiam inveniunt. De talibus in lib. Regum dicitur: Tulerunt Philiſtini arcam Domini, & poſuerunt eam juxta Dagon: hi ſunt, qui religionem Dei ſui, ſacrum corpus Domini venale exponunt, qui ſunt ſocii Judæ, qui mortem Domini ſibi lucrativam eſſe deſiderans vendidit Dominum. Imò magis vilipendentes quàm Judas, qui Dominum non minus quàm pro triginta denariis dedit: ipſi autem pro tribus denariis.

* Eſt Zachar. 9. 5.

* Deeſt [abſinthio] Jer. 25. 15. vel Jer. 9. 15. ſed in neutro loco nec ullo alio reperio quod Dominus dicitur dixiſſe.

† Malè ſerviunt hæc authoris propoſito, ſi aliter accipiantur quàm loquitur Apoſtolus, Hebr. 6. 6.

* Vide locum: Aggæ. 2. 13.

† Locus clarus pro tranſubſtanciatione: eo utimini vos qui dogma defenditis, ſed quæ ſimul dicuntur, ne ſpernatis: verba non bene cohærent, ſed ſenſus patet.

Proſtratus eſt autem Dagon abſciſſo capite, & palmis ſuper limen. Unde propter hanc cauſam ſacerdotes Dagon non calcant ſuper limen uſque in hodiernum diem. Limen, quod eſt ingreſſus & egreſſus domûs, ſignificat ingreſſum & egreſſum vitæ hujus: quod illi calcare nolunt, qui ſe nudos intraſſe & nudos exire debere de mundo non attendunt. Unde Hieronymus: Facilè contemnit omnia, qui ſe in brevi cogitat moriturum. Pœna autem iſtorum eſt, quòd mures ebullientes de terra corrodunt exta & viſcera eorum: hoc eſt, dæmones bona facta eorum conſumunt. Quomodo enim non conſumantur facta, cum etiam eorum conſumantur corda? Sicut enim poeticè dicitur, quòd vultures jecur Titii corrodunt & conſumunt, & tamen ſemper reviviſcit: ſic cor avari cura temporalis rodit & abſumit, & tamen ſemper de novo quaſi reviviſcens ad eandem redit. Unde cupido rectè congruit quod de Titio poeta dicit: ſic jecur inconſumptum Titii ſemper renaſcens non perit, ut poſſit ſemper perire jecur. Ignis itaque cupiditatis vaſtat cor & excæcat, quod ignis charitatis illuminare debuerat. Unde Pſalmiſta: Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem: ſupercecidit ignis cupiditatis, & non viderunt ſolem charitatis. Ergo cum tales cæci ſint, facilè capiuntur ab hoſtibus, quia neſciunt quò vadunt. Cujus ratio bene in Joſue aſſignatur, ubi dicitur: Non poterit Iſrael reſiſtere adverſariis ſuis, & ſubjungitur cauſa: Quia pollutus eſt anathemate Jericho, id eſt, mundi. Iſrael, id eſt, vir videns Deum, dum inhiat temporalibus, facilè capitur ab inimicis. Ergo ut inimicis reſiſtere poſſimus, paupertatis amatores ſimus, in qua charitas locum habet, & ſine quâ nunquam vincitur inimicus. Sed quia hanc non amat ſacerdos * Dagon, id eſt, piſcis triſtitiæ, ſemper jactatur fluctibus philargyriæ, donec meritò inde capiatur reticulo divinæ ſententiæ, & ſic captus projiciatur in * cacabum infernalis coquinæ, ubi coquetur ſine fine. De ſacerdote Baal, quis ſit, ſuperius dictum eſt. Sacerdotes

** Monachalis & affectata proſequutio metaphoræ uſque ad ſtoliditatem.

namque Baal sunt, qui ad majores tendunt honores per ambitionem. Baal enim superior interpretatur. De istis legitur in lib. Regum, quòd inscindebant se cultellis, cultris & lanceolis, ut deum suum sanguine placarent. * Inscindere se lanceolis & cultris hoc est, sanguinem & sudorem effundere pro honoribus habendis. Tribus istis generibus sacerdotum diabolus tres filias suas, quas habet, desponsavit: Superbiam videlicet, Avaritiam & † Luxuriam: Superbiam sacerdotibus Baal, id est, ambitiosis & dominari volentibus: Avaritiam sacerdotibus Dagon, id est, cupidis & curiosis: Luxuriam sacerdotibus Beelphegor, id est, impudicis & libidinosis. O prophana & detestanda connubia! Quid enim ex his nisi monstra generantur? Tales monstruosas nuptias & enorme genus patitur speciosa sponsa Christi Ecclesia, non habens maculam aut rugam. Sed quamdiu patietur? donec messis veniat, id est, tempus judicii, & colligantur zizania, id est, finem accipiant multifariæ seductiones & iniquæ suggestiones inimici hominis, id est, antiqui hostis: ex talibus siquidem zizaniis dicta conflantur connubia, * generantur monstra, universa pullulant mala, quibus multum arctatur & comprimitur frumentum, id est, religio Christiana. Sed nunquid quasi potestatem exercens, hæc seminat diabolus? nequaquam. Non enim seminare posset, nisi homines locum darent. Unde & subditur: Cum dormirent, inquit, homines. Ergo si vigilarent, seminare non valeret. O periculosa, ô pestifera dormitio, & omnimodè ut mors evitanda, quæ inimico dat locum seminandi! Porrò dormire est opus Dei segniter agere, propriæ voluntati deservire, quotidianum demere servitutis pensum: consuetudine potius quàm ex devotione bajulare: & quod pessimum est, sicut frequenter accidit, etiam bonum fastidire: hoc propriè dicitur acedia, & mortalissima est. ‖ Acedia enim est debilitas animæ, quâ anima febre & amaritudine peccati debilitata respuit bonum suave & verè dulce, & conculcat illud. Unde in Proverb. Anima satiata conculcabit favum mellis. Unusquisque ergo in vocatione quâ vocatus est in ordine, in dignitate quâ assumptus est, solerter vigilet: caveat hanc dormitionem, si cupit aut si vult cavere frumenti sui perditionem. Vigilet ergo subditus, vigilet & prælatus. Vigilet subditus obediendo, reverendo, honorem semper fugiendo: his tribus modis se habere debet bonus subditus ad prælatum suum. Obediendo foris, reverendo intus: obedientiam præstando præceptis, reverentiam servando in præcordiis. Tertium est, ut honores atque dignitates nunquam appetas. Subditus enim ambitiosus prælatum suum nunquam revereri, nunquam verè diligere potest, quantumcunque foris obediens appareat. Ex eo enim quòd dignitatem concupiscit, non est dubium quin mortem ejus desideret, cui post mortem successurum se sperat. Quòd si in tali casu fortuna honoris, quam aspirat, ei obvenerit, quâ mente, quâ fronte retinere poterit, quod tam diuturna cordis latratio conquisivit? Et nimirum tanquam alteri Achab Dominus in futuro dicturus est: Occidisti insuper & possedisti. Quid de illis qui in scandalum Ecclesiæ sibi sumunt honores, non vocati à Domino, sicut Aaron? sed sicut * Alcimus Aaronita, per violentiam intrusi episcopatus hodie, abbatiasque & prælaturas occupant. Nonne verius latrones, quàm pastores dicendi sunt? Cæterùm alii precibus & adulationibus, alii promissis & muneribus, alii obsequiis, alii prætextu consanguinitatis cathedram pestilentiæ passim sibi vendicare contendunt. Sed quod turpius sonat, multi †† lenones majoribus meretrices nutrientes aut adducentes, qualicunque modo ad beneficia prætextu illius promoventur. Quid abominabilius, quid detestabilius coram Domino majestatis? Quomodo Ecclesia Dei inde exaltari posset? nequaquam, sed potiùs deprimitur, & continuè annihilatur in rebus & personis, ut clarissimè quotidie cernitur. Quoniam hi omnes non per ostium, id est, per formam canonicæ electionis aut promotionis intrant, sed ascendunt aliunde. Quid est, aliunde? id est, undecunque injustè, indirectè, extraordinariè, permixtim, per fas & nefas, seditione, seductione, dolo, fraude, prece & pretio. Isti ergo se palpant in errore, & blandiuntur sibi in comminatione Abacuch dicentis: Væ illis qui ædificant civitatem in sanguinibus & urbem in iniquitate. Isai. 9. 10. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Civitatem namque in sanguinibus ædificant, qui consanguineos suos indignos exaltant in Ecclesiis: vel qui nobilioris ortûs intuitu, non vice dignioris, quoscunque præficiunt curæ pastorali, aut alii officio seu beneficio ecclesiastico in Ecclesia Dei. Urbem autem in iniquitate ædificant, qui, ut dictum est, munere vel promisso sive parentum auxilio, favore & gratiâ, vel aliis modis supradictis, aut quocunque temporali interveniente, ecclesiasticæ dignitatis apicem, officium aut beneficium adipiscuntur. Sycomoros, inquit, succiderunt. Sycomorus ficus fatua interpretatur, ficus dulcedinem habet: qua illi rectè exprimuntur, qui vitæ spiritualis dulcedine præeminent, & tamen parvipenduntur ab iniquis & malè viventibus, & quasi fatui reputantur. O vir spiritualis, simplex, dulcis, non reputes, si à malis ficus fatua reputeris. Si te vocant ficum fatuam, voca illos prudens absinthium. Malo planè, malo esse ficus fa-

tua,

* Ut loquitur Abbas, sic interpretatur & applicat: sensus autem noster ... displicere debet.

† Hâc lege impossibile e[st] hujusmodi sacerdotibus, vivere cœlibes, eum tales habeant sponsas: tacitum autem noretur, hæc non à nostris objici, sed à beato Volcuino Abbate.

* Ferendi sunt hujusmodi tropi, quia inest quædam analogia dictis ad res.

‖ Acedia est vox Græca: nec melius reddi aut describi possit, quàm per incuriã aut segnitiem: non opus fuisset tanta ambage interpretationis isti bono viro, si Græca intellexisset: hoc autem tempore pauxillum sermonis Græci nimium erat Abbatibus & Monachis Latinis.

* De quo Egesippus de excid. urb. Hier. l. 2. c. 13. traditur autem illius historia 1 Maccab. 7. 9. &c.

†† Esto, quòd ranis hic Abbas silentium imposuerit (ut in titulo est hujus Homiliæ) sunt tamen aliquæ ranæ (quarum mentio est Apocalyp. 16. 13.) quibus difficile erit os obturare ne coaxent: quibusque adeo non hoc dicto silentium indicatur, ut eo magis obstrepant.

tua, quàm prudens absinthium. Et ergo si ficus es; securè dic illis cum Paulo, Pro minimo mihi est à vobis ut judicer, * ab humano die, dummodo ficus sim. Malis enim displicuisse præconium virtutis est. Nullam habet auctoritatem sententia, ubi qui damnandus est, damnat. Ex quo ergo animo, ut ait Sapiens, ferenda sunt imperitorum convitia, & ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemptus: probat iste dies probatum verbum Job, deridetur justa simplicitas. Quid ergo? an laudatur iniquitas? Audi David: Laudatur, inquit, peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Sic ab utroque audivimus, sic hodie fieri videmus in civitate Domini. Quia revera & justi simplicitas deridetur, & versipellis dolositas laude attollitur. Proverbium nimis verum:

* aut

Nemo placens hodie, nisi turpis noverit esse.

Hic verè opus est patientiâ, cum sic auditur laudari fraudulentia. Quis enim major cruciatus bonorum, quàm dum sic vident venerari malos quasi justorum sint operum? Consoletur ergo justos quod sequitur in eadem sententia prophetæ: Et cedros, inquit, immutabimus. Qui sunt * isti cedri, nisi superbi & superciliosi, in primatibus gloriam suam, non Domini quærentes? qui non præsunt ut præsint, non forma facti gregis, sed dominantes in clero. Isti sunt cedri, qui sycomoros, id est, ficus fatuas succidunt: hoc est, illos qui in suavitate spiritûs & delectatione virtutum Domino serviunt: ideoq; eos derident & fatuos vocant: illos *, inquam, succidunt, dum à potestate suscepta, falsa accusatione dejiciunt, vel à suscipiendâ, quantum prævalent, prohibent & ne promoveantur, impediunt. Sed isti cedri tandem immutabuntur, non in melius quidem, sed in deterius, quando privatos potestate temporali, duplici contritione conteret eos Dominus: id est, corporis & animæ damnationis æternæ intolerabili tormento cruciabit. Ubi quæso judicium? ubi justitia? ubi veritas? ubi lex? ubi ratio? Nonne terras dimiserunt, & in cœlum provectæ sunt? Ubi jam quæritur probitas & dignitas per virgam florentem, sicut electus erat Aaron; per actum sortium, sicut electus erat Matthias Apostolus in locum Judæ Iscariotis traditoris Domini; per vocem de cœlo, sicut Nicolaus? Ubi jam est communis consensus in eligentibus? Nonne statim eriguntur partes ex diverso? Unde rectè in typum Ecclesiæ conquerentis scissuram uteri sui, de collisione & de certamine filiorum sub specie Rebeccæ, Genesis dicit: Concepit Rebecca, & collidebantur in utero parvuli; quæ ait: Quare necesse fuit concipere, si sic futurum erat? sic Ecclesia filiis abundat: sed dum necessitas imminet, qui ei prospicere debeant, contentionibus eam affligunt, & quasi viscera matris rumpunt, dum unanimitatis consensum scindunt, & his quibus prodesse consulendo debuerant, occasio ruinæ fiunt. O ambitiose, si intelligeres quantum periculum regiminis est, non sic utique ambires illud. Tria consideres circa regimen, plena formidine: quæ si diligenter attenderis, refrænabunt te à præsumptione ambitionis tuæ. Hæc inquam sunt: Vitæ brevitas, ambitionis pœna, periculum subditorum. Vitæ brevitas patet, quia omne gaudium præsentis vitæ adinstar puncti. O quàm amarissima mors illorum, qui in honoribus sunt constituti, qui gloriam transitoriæ potestatis amplectuntur? quàm durè misera & miserabilis illa anima à carnis contubernio avellitur? quia nimirum cum nimio dolore amittit, quod cum tanto amore possidet. Unde * Ecclesiasticus: O mors, quàm amara est memoria tua homini injusto, & pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cujus viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum! Hinc Boetius: Chara est præsens fortuna, nec fida manendi: & cum discesserit, allatura dolorem. Adverte nunc pœnam ambitionis, id est, amoris dominandi. Exemplum petatur à capite ambitiosorum, id est, Lucifero. Dixit enim in corde suo: * In cœlum conscendam, supra astra cœli exaltabo solium meum: hæc dicens irreparabiliter cecidit. Ex hoc ideo fortè inquit beatus Bernardus: Quia omnino intolerabilis est superbia, velle dominari: ergo casus irreparabilis causa est culpa ambitionis. O pœna horribilis! O ambitio detestabilis! pro qua Lucifer factus est umbrifer, tam gloriosus quàm inglorius, tam decorus in gloria quàm squalidus ignominia: Signaculum denique Dei similitudinis factum est spectaculum teterrimum æternæ caliginis. Si ergo angelico decori propter amorem dominandi non pepercit Deus, quid tibi, ô homo, pro culpa ambitionis tuæ retributionis expectas, putredo & vermis? ô ambitio, præsumptio nequissima, quæ homines nequissimos facis, quos inflas & inficis: sicut & illum nequissimum fecisti, à quo primo inventa es. Rectè eam præsumptionem vocat Ecclesiasticus, quia cœlestia etiam tentat corda. Johannes Chrysostomus: Superbia natione cœlestis est, cœlestes appetit mentes, & ad proprios revolat hortos. Apponit in gloriam & puritatem hominis irrumpere, quem de gloria & puritate Angelorum erupit. Si quis à te quæreret, ô ambitiose, Nunquid præferre vis te Creatori tuo? sine mora responderes: Nequaquam, absit hoc à me. Ergo erubesce dolose

* isti

* Mirum est ni hic bonus Abbas ob simplicitatem suam Christianam durissimè tractatus fuerit.

* Cap. 41. 1, 2.

* Isai. 14. 13.

Bernardus fistula Paradisi—fistula dulce canit: Abbas Abbatem demulcet.

dolose & mendax, quia quod verbo negas, facto clamas. Audi fistulam paradisi, sanctum Bernardum personantem: Si dominari appetis, præesse contendis, Creatori tuo te præferre conaris, qui gloriam dominandi fugit & erat subditus principibus suis. Vides jam, ambitiose, præsumptionem tuam nequissimam, quam tegere, quam dissimulare non potes. Igitur detumesce, punge vesicam tumoris acu divinæ formidinis, comprime & collide follem ambitionis quasi quodam saxo virtute humilitatis, ne te involvat turbo extremæ ultionis, & cum apostata angelo ventilet in profundum tartareæ voraginis. Restat nunc videre tertium errorem, plenum scilicet in regimine subditorum periculum. Certè quamdiu subditus es, unam animam habes, ad unam rationem teneris, & utinam ad illam sufficeres. Verùm cùm præficeris, cum pastoris officium suscipis, non jam unam, sed plures animas habere incipis: quia quot subditos habueris, tot quasi animas solus habes. Beatus Gregorius est qui dicit: Qui in regimine est, quot subditos habet, quasi tot animas solus habet. Constat ergo, quia prælatus quot animas hic procurat, ad tot rationes ante tribunal Christi se obligat. Cautus itaque sit, fidelis & prudens, & omnibus solerter prospiciat tanquam suæ, quia omnes suæ sunt. Nam quotquot per negligentiam perierint, totidem animarum sanguinem de manu ejus Dominus requiret. In pastoris etenim caput redundat, quicquid ovis oberrat. In Numeris siquidem sic habes: Initiatus est populus meus Beelphegor: iratusque Dominus dixit, Tolle cunctos principes populi, & suspende contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel. Ecce aliis peccantibus: principes jubentur suspendi: hac quidem jussione datur intelligi, quòd culpa subditorum in perniciem redundat prælatorum. Si enim subditos peccantes non corripiunt, in conspectu veri Solis justitiæ, omnibus videntibus, æternæ mortis cruciatibus punientur. Non enim solùm offenditur Dominus de culpa subditorum, sed & de culpa prælatorum, quorum exemplo & continentia populus debuerat emendari. Unde præcepit Dominus ipsos principes, id est, ipsos sacerdotes suspendi contra solem, ut quorum publica culpa, publica sit & pœna. Super eundem locum Origenes: Hoc si scirent homines, principatum non ambirent: non sic desudarent ad culmen honoris, si scirent ita in se puniri facta subditorum. Sed ita est. Imò quia ita est, quàm durum ergo manet judicium hos qui præsunt, quibus potenter & abundè propinabitur de miseria supplicii, qui tam ardenter ambierunt gloriam dominii. Affirmat hoc Ecclesiastes, dicens quòd homo homini dominatur in malum suum. Sed de hoc malo & de hoc periculo non curant illi, quos cæcat ambitio dominandi, sicut pulvis candida oculos ursi, qui tanquam cæci palpant in meridie, & quasi phrenetici pergunt quò intereant. Ecce formido, ecce periculum in regimine de periculo subditorum. Ergo, ut dixi, hæc tria semper antepone oculis contra ambitionem: Vitæ brevitatem, ambitionis pœnam, periculum subditorum. Audisti, quomodo vigilandum sit prælato. Quatuor sunt in quibus tenetur subditis prælatus: videlicet, exemplum bonæ conversationis, pabulum sanctæ prædicationis & etiam temporalis sustentationis, & diligens executio officii, & suffragium devotæ orationis. De primis duobus dicit Dominus Petro: Petre amas me? pasce oves meas: quasi diceret, Petre tu non quæris tua in Ecclesia, sed mea, & sic amas me: pasce ergo oves meas, pasce inquam verbo, pasce exemplo, pasce bonorum subsidio. Unde ter dixit Dominus Petro, Pasce. Sic ergo vita & scientia necessaria sunt prælato: hæc sunt mala granata cum tintinnabulis, in tunica hyacinthina sacerdotis legalis. De diligentia officii dicitur in Proverbiis: Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. In Hieremia dicit Dominus: Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes & plantes. Ut evellas consuetudines pravas, & destruas opera prava, & disperdas circumstantias peccatorum, & dissipes occasiones peccandi, & sic ædifices in fide subditos firmando, sic ædificium est firmum: & plantes, faciendo proficere in bono, sicut crescit & proficit planta. Debet etiam orare pro subditis. Unde orante Moyse, Israel vincebat Amalech. Sed heu! heu! Domine, qui te placare debuerant magis quàm alii, ad iracundiam provocant & offendunt. Jam de eis dici potest: Cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur: de quibus conquerens Hieremias dicit: Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos: item: Ablatus est populus meus gratis, dominatores ejus iniquè agunt. Quis est hodie Moyses, qui se Domino opponat pro populo, & dicat: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ: Quis est hodie David, qui ingemiscat & clamet, Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi? Isti qui oves sunt, quid fecerunt? avertatur, obsecro, manus tua contra me. Unde Bernard. Non est qui prævideat, non est qui occurrat, non est qui eripiat. Non est qui prævideat, quia cæci sunt, duces cæcorum: juxta illud Esaiæ: Speculatores ejus cæci omnes, non est qui occurrat,

occurrat, quia non est qui opponat se murum pro domo Israel: sunt enim tanquam mercenarii fugitivi.

Non est qui eripiat: quia impotentes sunt opere & sermone. O quàm necessarii essent hodie circumspecti vigiles, qui solerter ambirent civitatem: quia multùm dormitur in urbe: ideoque datur locus inimico suo spargendi zizania. Verùm quantumlibet isti vigiles, id est isti pastores sint providi, alacres & expediti: quia tamen per se multitudini minus sufficiunt, bonis subditis indigent, qui coadjutores eorum sint, assumpti in partem solicitudinis, qui curam invicem fraternæ salutis gerant, qui observare noverint Satanam, ubi & quando seminat: ut deprehensa zizania pastori nuncientur, & nunciata juxta ipsius consilium cum prudentia opportunè colligantur. Unde rectè subjungitur: Accedentes autem servi patrifamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti, &c. Servi isti, sunt subditi prudentes ac pii, qui non suæ tantùm, sed etiam alienæ salutis curam gerentes, de fraternis profectibus ut de suis gaudentes, de aliorum malis ut de suis dolentes, juxta illud Solomonis: Festinanter discurrunt ut suscitent amicum, id est fratrem dormientem, quem inimicus soporatum inveniens, agrum ipsius adulterino semine corrumpit. Ubi tales servi, ibi pax & securitas. Quia (ut ait Sapiens) Frater fratrem adiuvans, quasi civitas munita. O rara avis in terris hodie, talis frater in congregatione. Si autem talem inveneris, dignum eum judica cibari auro & potari balsamo. Res siquidem in contrarium profecta est.

Multi enim sunt qui de ruinis aliorum gaudent, de tribulationibus aliorum hilarescunt, fraternis profectibus invident, invicem mordentes, invicem provocantes. Inter quos (ad verecundiam ipsorum dico) etiam plusquam civile bellum geritur vel agitur: dum juxta illud prophetæ, homo homini insidiatur, & vir fratrem suum venatur in mortem: & illud Ethnici vatis:

Seditione, dolis, intus pugnatur & extra.

Isti sunt maledicti agri zizaniorum, de quibus diabolus metit & colligit fasciculos æternæ mortis. Sunt autem & alii honorati quidam & religiosi, sed minus discreti, habentes zelum bonum, sed non secundum scientiam. Si fortè aliquem fratrem graviori peccato præoccupari contigerit, insolentius objurgant, impudentius accusant, medicinam Samaritani dimidiantes, qui simul infudit vinum & oleum. Isti sine oleo compassionis infundunt vinum severitatis. Porrò tunc isti dicunt patrifamiliâs: Vis imus & colligimus ea? Quando peccante aliquo fratre, statim indiscretè persuadent prælato, circa talem utendum esse ferro abscissionis, non differendum propter timorem, ne suo exemplo corrumpant bonos: quia indignus est inter eos conversari, sectantes Judæorum crudelitatem, qui clamabant, Crucifige, crucifige: non servantes in hoc Pilati discretionem, qui consulendo persuasit, Dimittamus emendatum. Quid autem prudens paterfamiliâs indiscretis servis sic persuadentibus respondeat, audiamus: Non: ne fortè eradicetis simul & triticum: acsi patenter dicat, ne malum, quod modò in isto vel in illo est, nimis incircumspectè nimis austerè persequendo, perdatis bonum quod futurum est fortè resipiscendo. Quis enim scit, si convertatur & ignoscat Deus, & relinquat isti suam benedictionem? potens est enim Dominus Deus de vasis iræ facere vasa gratiæ, de vasis contumeliæ & dedecoris, vasa honoris & honestatis. Iste modò in tenebris est: quid scis, si ei crastina dies gratiæ illucescat? Econtrario tu modò in lumine es, in sole es: quid scis, si tibi idem lumen gratiæ, eundem solem justitiæ, nox alicujus mortalis culpæ cras intercludat? Nescis enim, ut ait Job, qua via habitet lux, aut quis locus tenebrarum sit; ut unumquodque ducas ad terminum suum: Ergo qui stat, quoniam cadere potest, videat ne de se præsumendo cadat. Et qui malus, quantumlibet malus sit, non desperet antè, quamdiu superest dies, quoniam resurgere potest. Unde subditur: Sinite utraque crescere usque ad messem: quasi dicat, malum patienter sustinete, bonum æquanimiter sufferte usque ad messem: id est, usque ad maturitatem, usque ad rei evidentiam, usque ad peccati recognitionem, & tunc dicam messoribus, &c. Tunc, hoc est, quando evidens & recognitum fuerit peccatum, dicam messoribus, id est, pœnitentibus, qui rectè messores dicuntur, juxta illud in Canticis, messui myrrham meam cum aromatibus meis: quoniam tanquam messores colligunt & separant pretiosum à vili, fruges à zizaniis: hoc est, virtutes à vitiis, voluntatem carnis à voluntate spiritûs: & hoc, falce quadam discretæ examinationis. Quid inquam dicam? Colligite zizania: id est, commemorate & recogitate peccata cum integritate veræ confessionis, & alligate ea in fasciculos

culos disciplinæ moderatæ castigationis ad comburendum, quasi quodam igne zelo ferventissimæ compunctionis. Consumptis itaque zizaniis primò, quia egressus vitiorum operatur virtutum ingressum, congruè sequitur tritici inductio: hinc ergo trahi potest argumentum, Quòd peccati dimissio naturaliter prior sit quàm gratiæ infusio. Congregate, inquit, triticum, ô messores, ô pœnitentes: sic enim post consumptionem zizaniorum, id est, peccatorum, monet prælatos: Congregate, inquit, triticum, annonam virtutum in horreum meum, hoc est, in meam provisionem, in meam tuitionem pastoralis providentiæ. Ad hoc certè tenentur prælati *, ad hoc sunt ordinati, ut fruges virtutum in proficientibus pervigili cura conservent, & orientia zizania vitiorum cautâ instructione & opportunâ curatione & correptione extirpent: de utroque, quomodo executi fuerint, in die judicii rationem justo Judici Christo reddituri. Ecce, autore Domino, prout dare dignatus est, præsentem parabolam in moralem transfudimus intellectum, secundum statum metendi: quam Dominus explanans discipulis suis, anagogicè magis eam disputavit, referens ad statum retribuendi. Quapropter curiosus lector nullam hinc inde suspicetur dissonantiam, nullam adversam diversitatem, sed magis advertat omnimodam consonantiam, summamque & quasi naturalem convenientiam, qualem nimirum causa habet ad suum effectum, moralitas ad anagogen, meritum ad præmium, gratia ad gloriam: quam nobis præstare dignetur verus pastor & summus, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat unus gloriosus & sempiternus Deus in secula seculorum semper benedictus. Amen.

* Verum quidem est: sed aliud illis triticum, aliud horreum curæ sunt; quicquid à zizaniis periculi sit.

Explicit Homilia beati Volkuini Abbatis.

EPISTOLA

EPISTOLA DIVI HULDERICI

Augustensis Episcopi, adversus constitutionem de Cleri cælibatu, planè referens Apostolicum spiritum: quam (cum Æneas Sylvius tituli sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, ac Senensis episcopus, in sua Germania, cum Augustæ Vindelicæ mentionem facit, incessat) libuit hic subjicere: judicium esto apud lectorem, veri & publicæ utilitatis amantem: Transimus, inquit, Campidonam & Memmingam illustria oppida, Augustam Vindelicam : sanctus Udalricus huic præsidit, qui Papam arguit de concubinis, ad Lycum fluvium jacentem, qui vixit anno nongentesimo, ætatis suæ lxxxiij.

Nonnulla affert Bellarminus (Tom. 2. lib. 1. de clericis cap. 22.) contra authoritatem hujus Epistolæ; quæ tum demum valebunt eam confictam fuisse probare, (ut Cardinali visa est) cum Æneas Sylvius argui poterit mendacii (is enim hujus epistolæ meminit pag. 1053. editionis op. Basil. A.D. 1571.) vel liquidò constare poterit Bellarminum natum fuisse ante istum Æneam Sylvium; vel eo magis fuisse infallibilem, etiam cum Papa fuerit. Vanum autem esse quod Bellarminus in epistolæ præjudicium congerit, omnino patet ex multis antiquis MS. quæ in variis locis epistolam, qualis hic est, exhibent; etiamsi aliquando Volusiani nomen præ se tulisse perperam MS. unum hic in Anglia repertum est: pertinaci autem isti Cardinali os obturabit Bertoldus Constantiensis presbyter, qui ad annum 1079. in Appendice ad Hermannum Contractum (inter Urstitii Scriptores Germ. editos Francof. 1585.) hujus Scripti meminit: quod ut nostris est notissimum, ita Bellarmino potuit esse, nisi fictiones & nescio quid cum Staphylo suo somniasset contra Magdeburgenses, &c. & secum statuisset nihil omnino credere quod faceret contra Ecclesiam Romanam, quantumvis sanum, verum & integrum foret. Vivat ergo Huldericus hic, ejusque Epistola, ad opprobrium inimicorum humani generis.

Hæc est rescriptio sancti Hulderici Episcopi, in qua Nicolao Papæ, de continentia clericorum non juste, sed impiè; non canonicè, sed indiscretè tractanti, ità respondit : Nicolao Domino & patri pervigili, sanctæ Romanæ Ecclesiæ provisori, Hudericus solo nomine Episcopus, amorem ut filius, timorem ut servus.

CUM tua, ô Pater & Domine, decreta super clericorum continentiam nuper mihi transmissa, à discretione invenirem aliena, timor quidã turbavit me cum tristitiã : timor quidẽ propter hoc, quòd dicitur, pastoris sententiam sive justam sive injustã timendã esse. Timebam enim infirmis scripturæ auditoribus, qui vel justæ vix obediunt sententiæ, ut injustam conculcantes, liberè onerosa imò importabili pastoris prævaricatione præcepti se obligarent. Tristitia verò vel compassio, dum dubitabam, qua ratione membra cavere possent, capite suo tam gravi morbo laborante. Quid enim gravius, quid totius Ecclesiæ compassione dignius, quàm te, summæ sedis pontificem, ad quem totius Ecclesiæ spectat examen, à sancta discretione vel minimum exorbitare? Non parum quippe ab hac deviasti, dum clericos, quos ob continentiam conjugii monere debebas, ad hanc imperiosa quadam violentia cogi volebas. Nunquid enim meritò communi omnium sapientum judicio hæc est violentia, cum contra Evangelicam institutionem ac sancti Spiritus dictationem, ad privata aliquis decreta cogitur exequenda? Cum ergo plurima veteris ac novi Testamenti suppetant exempla, sanctam, ut nosti, discretionem docentia, tuæ, rogo, ne grave sit Paternitati, vel pauca ex pluribus huic paginæ inserseri. Dominus quidem in veteri lege sacerdoti conjugium constituit, quod illi postmodum interdixisse non legitur. Sed in Evangelio loquitur: Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, sed non omnes hoc verbum capiunt: qui potest capere, capiat. Quapropter Apostolus ait: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Quòd etiam juxta prædictum Domini non omnes hoc consilium capere posse consideras, sed multos ejusdem consilii assentatores, hominibus, non Deo

 pro

pro falsa specie continentiæ placere volentes, graviora vides committere, patrum scilicet ☞ uxores subagitare, masculorum ac pecudum amplexus non abhorrere, ne morbi hujus aspersione adusque pestilentiam convalescente, nimirum status labefactetur Ecclesiæ totius: Propter fornicationem, dixit, unusquisque suam uxorem habeat. Quod specialiter ad laicos pertinere, iidem mentiuntur hypocritæ: qui licèt in quovis sanctissimo ordine constituti, alienis revera uxoribus non dubitant abuti. Et quod flendo cernimus, ☞ omnes in supradictis sæviunt sceleribus. Hi nimirum non scripturam rectè intellexerunt, cujus mamillam quia durius pressere, sanguinem pro lacte biberunt. Nam illud Apostolicum, Unusquisque suam habeat uxorem, nullum excipit verè, nisi professorem continentiæ, vel eum qui de continuanda in Domino virginitate præfixit. Quod nihilominus tuam, pater venerande, condecet strenuitatem, ut omnem qui tibi manu vel ore votum faciens continentiæ, postea voluerit apostatare, aut ad votum exequendum ex debito constringas, aut ab omni ordine canonica authoritate deponas: & hoc ut viriliter implere sufficias, me omnesque mei ordinis viros adjutores habebis non pigros. Verùm ut hujus voti nescios omnino scias non esse cogendos, audi Apostolum dicentem ad Timoth. Oportet, inquam, Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum: quam ne quis sententiam ad solam Ecclesiam verteret, subjunxit: Qui autem domui suæ præesse nescit, quomodo * Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Similiter, inquit, diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, & suis domibus. Hanc autem uxorem à sacerdote benedicendam esse, sancti Sylvestri Papæ decretis scio te sufficienter docuisse. His & hujusmodi sanctis scripturæ sententiis, regulæ clericorum scriptor non immeritò concordans, ait: Clericus sit pudicus, * aut certè unius matrimonii vinculo fœderatus. Ex quibus omnibus veraciter colligit, quòd Episcopus & diaconus reprehensibiles notantur, si in mulieribus multis dividuntur: si verò unam sub obtentu religionis abjiciunt, utrumque, scilicet Episcopum & Diaconum sine graduum differentia, hic Canonica damnat sententia: † Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat: si verò rejecerit, excommunicetur: & si perseveraverit, dejiciatur. Sanctus quoque Augustinus, sanctæ discretionis non inscius: Nullum, inquit, tam grave facinus est, quin admittendum sit, ut devitetur pejus. Legimus præterea in secundo Tripartitæ Ecclesiasticæ libro historiæ, quòd cum Synodus ‖ Nicæna hæc eadem vellet sancire decreta, ut videlicet Episcopi, Presbyteri, Diaconi, post consecrationem à propriis uxoribus vel omnino abstinerent, vel gradum deponerent: surgens in medio Paphnutius, ex illis Martyribus quos Maximus Imperator, oculis eorum dextris evulsis, & sinistris suris incisis, damnavit, contradixit, honorabiles confessus nuptias, ac castitatem esse dicens connubium cum propria uxore: persuasitque Concilio, ne talem ponerent legem, gravem asserens esse causam, quæ aut ipsis, aut eorum conjugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius (licet nuptiarum expers) exposuit: Synodusque ejus sententiam laudavit, & nihil ex hac parte sancivit, sed hoc in uniuscujusque voluntate, non in necessitate dimisit. Sunt verò aliqui, qui sanctum Gregorium suæ sectæ sumunt adjutorium: quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo: ignorant enim, quòd periculosum hujus hæresis decretum à S. Gregorio factum, condigno pœnitentiæ fructu postmodum ab eodem sit purgatum. Quippe cum die quadam in vivarium suum propter pisces misisset, & allata inde plus quàm sex millia infantum capita videret, intima mox ductus pœnitentia, ingemuit, & factum à se de abstinentia decretum, tantæ cædis causam confessus, condigno illud, ut dixi, pœnitentiæ fructu purgavit: suoque decreto prorsus damnato, Apostolicum illud laudavit consilium, Melius est nubere quàm uri: addens ex sua parte, Melius est nubere, quàm mortis occasionem præbere. Hunc forsitan rei eventum si illi mecum legissent, non tam temerè, credo, judicarent, Dominicum saltem timentes præceptum: Nolite judicare, ut non judicemini. Inde Paulus dicit: Tu quis es, qui judicas alienum servum? suo domino stat, aut cadit: stabit autem; potens est enim Dominus statuere illum. Cesset ergo sanctitas tua cogere, quos tantùm deberet admonere: ne privato, quod absit, præcepto, tam veteri quàm novo contrarius inveniaris Testamento. Nam, ut ait sanctus Augustinus * ad Donatum, Solum est quod in tua justitia pertimescimus, ne non pro lenitatis Christianæ consideratione, sed

* Argutissimè & ad rem.

* Hæc sunt illa Isidori verba, quæ omissa antea fuisse notavi pag. 141. vide Gratian. dist. 23. part 3. cap. His igitur.

† Dist. 31. cap. omnino confitemur. & dist. 28 c. siquis docuerit: verba autem sunt quinti Canonis eorum qui dicuntur Apostolici.

‖ Dist. 31. part. 4. & 5.

Rescissum Gregorii decretum de cælibatu, ob infantium crania è piscinâ pro piscibus extracta: horribilis hæc narratio: sed quid ad eam Bellarminus? (eod. loco suprà citato.) esse scilicet falsissimam; nullum extare vestigium harum rerum in Gregorii operibus: dignum dolio operculum; quasi hæc celari potius quàm in vulgus prodi, in sacerdotum cœlibum dedecus, Pontifex nesciisset expedire. Si Breviarium (quod vocatur) compertorum in Monasteriis, conventibus, &c. anno 1538. à Visitatoribus, jussu Henrici 8. compositum, possem exhibere, non tam veri dissimilem esse hanc historiam constaret: cum id verò nequeam, adeas, Lector, præfationem Balei ad Acta Rom. Pontificum, in qua illius Breviarii specimen reperies: quo lecto mecum dices, utinam hæc essent, ut Bellarminus ait, falsissima.

* Epist. 127.

ſed pro immanitate facinorum cenſeas coercendum: quod te per ipſum Chriſtum ne facias, obſecramus: ſic enim peccata compeſcenda ſunt, ut ſuperſint quos peccaſſe pœniteat. Illud & Auguſtini volumus te recordari, quod ait: Nihil nocendi fiat cupiditate, omnia conſulendi charitate: & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Item de eodem: In timore Chriſti, in nomine Chriſti exhortor, quicunque non habetis temporalia, habere non cupiatis: quicunque habetis, in eis non præſumatis. Dico autem, non ſi iſta habetis damnamini: ſed ſi in iſtis præſumatis, damnamini, ſi propter talia magni vobis videamini, ſi generis humani conditionem communem propter excellentem * unitatem obliviſcamini. Quod nimirum poculum diſcretionis ex illo fonte Apoſtolicæ hauſeritis prædicationis: Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem: alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem: ubi & ſubditur: Qui habent uxores, tanquam non habentes: & qui utuntur mundo, tanquam non utantur. Item dicit de vidua: Cui vult nubat, tantùm in Domino. Nubere autem in Domino eſt, nihil in contrahendo connubio, quod Dominus prohibeat, attentare. Jeremias quoque ait: Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt. Quod Hieronymus exponens, Poteſt, inquit, & hoc illis virginibus convenire, † quæ jactant pudicitiam ſuam, & impudenti vultu præferunt caſtitatem, cum aliud habeat conſcientia: & neſciunt illam Apoſtoli definitionem de virgine, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quid prodeſt corporis pudicitia, animo conſtuprato: ſi cæteras virtutes, quas propheticus ſermo deſcribit, non habuerit? Quas quidem, quia te aliquatenus habere videmus, & quia diſcretionem, licet in hac re neglectam, in aliis tamen vitæ tuæ conſtitutionibus eam honeſtè conſervatam non ignoramus: hujus intentionis pravitatem citò correcturum non deſperamus. Et ideo non quantâ poſſumus gravitate, iſtam licèt graviſſimam negligentiam corripimus & judicamus. Quanquam enim ſecundum vocabula, quæ uſus obtinuit, ſit Epiſcopatus presbyterio major: tamen Auguſtinus * Hieronymo minor eſt, & à minori quolibet non eſt refugienda vel dedignanda correptio: præſertim cùm is qui corripitur, & contra veritatem, & pro hominibus niti invenitur. Neque enim, ut ait ſanctus Auguſtinus ad Bonifacium, quorumlibet diſputationes, quamvis catholicorum & laudatorum virorum, velut ſcripturas Canonicas habere debemus: ut non liceat ſalva honorificentia, quæ illis debetur, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi fortè invenerimus, quòd aliter ſenſerint quàm veritas habeat, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Quid autem veritati magis contrarium poteſt inveniri, quàm hoc, cum ipſa veritas de continentia loquens, non unius hominis, ſed omnium planè, excepto numero profeſſorum continentiæ, dicat: Qui poteſt capere, capiat; quòd iſti (unde neſcitur) inſtigati dicant: Qui non poteſt capere, feriatur anathemate. Quid verò per homines fieri poteſt ſtolidius? quid divinæ maledictioni obligatius, quàm cum aliqui vel Epiſcopi videlicet, vel archidiaconi, ita præcipites ſint in libidinem, ut neque adulteria, neque inceſtus, neque maſculorum (proh pudor!) turpiſſimos amplexus ſciant abhorrere, quòd caſta clericorum conjugia ſibi dicant fœtere, & ab eis non veræ juſtitiæ compaſſione clericos ut conſervos rogant vel moneant continere, ſed ut ſervos jubeant ac cogant abſtinere? Ad cujus imperii, ne dicam conſilii, tam fatuam, tamque turpem addunt ſuggeſtionem, ut dicant: † Honeſtius eſt pluribus occultè implicari, quàm apertè in hominum vultu & conſcientia cum unâ ligari. Quod profectò non dicerent, ſi ex illo & in illo eſſent, qui dicit: * Væ vobis phariſæis, qui omnia facitis propter homines. Et per † Pſalmiſtam: Quia hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Dominus ſprevit eos. Hi ſunt homines, qui prius deberent nobis perſuadere, ut in conſpectu ejus, cui omnia nuda & aperta ſunt, erubeſcamus peccatores eſſe, quam in conſpectu hominum * mundi eſſe. Licèt ergo merito ſuæ pravitatis nullius conſilium mereantur pietatis, nos tamen memores humanitatis divinæ, eis conſilium authoritatis nunquam à pietate † vacantis, per viſcera miniſtramus charitatis. Dicimus nempe: Ejice primum, hypocrita, trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies ut ejicias feſtucam de oculo fratris tui. Illud quoque rogamus eos attendere, quod Dominus dicit de meretrice: Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in eam lapidem mittat: quaſi diceret: Si lex jubet, ſi Moſes jubet, jubeo & ego, ſed competentes legis miniſtros exigo. Attenditis, * quid additis: attendite quæſo

Mat. 19. 12.

* Vanitatem: in editione Georgii Calixti Franc. 1653. quæ mihi potior videtur lectio, licèt etiam in Catalogo teſt. verit. (edit. 1608) ſcribatur ut hic: in neutro appingitur locus Auguſtini; ex quo dirimenda eſt controverſia.

† Emendatur hic aliquid juxta Calixtum, qui inſpexerat locum S. Hieron. in Comment. ſupra illa verba Jeremiæ 7.

* Hieronymus Auguſtino prælatus.

† Nec deſunt hodie, qui fornicationem conjugio præſtantiorem eſſe contendunt in ſacerdotibus; ſtante Pontificis decreto: mirum eſt null'am eſſe vim factam mandato Dei ſeptimo, ſicut & ſecundo, quarto, decimoque apertè tacta eſt, in catechiſmis Bellarmini, Petri Caniſii, &c. ubi confunduntur, & longè aliter proponuntur quàm à Deo data ſunt. ex eorum autem ordine mutato ab antiquis quibuſdam patribus ſe minimè tueri poſſunt hujuſmodi homines: nec conjugii ſacerdotalis contemptus & inſultus aliò ſpectant, quàm ut iſti Canonicè etiam (ubi cætera facere viderentur) peccent: ſed attende authorem. * Mat. 23. 5. † Pſ. 52. 6.

* Studeamus, Calixt.

† Avocantis, id.

* Qui audītis, id. Sed in Barpt. Weſthemeri Conciliatione Scripturæ & Patrum (edit. Tiguri 1552, ut monet Epit. Geſneri biblioth. nullus enim locus, nullum tempus ipſi libro affigitur) in qua habetur hæc epiſtola, ſic ſe habet hæc clauſula —— Attendite quid additis, attendite quæſo & quid eſtis.

& quid estis: quia si teipsum, ut ait scriptura, perspexeris, nulli unquam detraxeris. Significatum est nobis etiam de quibusdam eorum, qui tanta apud se intumescant elatione, ut gregem Domini, pro quo boni pastores animas non dubitant ministrare, isti verberibus absque ratione præsumant laniare, quorum sententiam S. Gregorius deplorans, ait: Quid fiet de ovibus, quando pastores lupi fiunt? Sed quis vincitur, nisi qui sævit? quis verò persecutorem judicabit, nisi qui dorsum suum ad flagella patienter ministravit? Operæ pretium est autem, ut audiatur, quo fructu tantum Ecclesia Dei scandalum, tantum clerus despectum & ab ipsis Episcopis, & ab eorum infidelibus patiatur. Nec enim eos infideles dicere dubitaverim, de quibus Paulus Apostolus dicit ad Timoth. (1 Tim. 4. 2.) Quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere. Hic est autem, si diligenter inspiciatur, totius eorum manipulus zizaniæ, totius † conventus insaniæ, ut dum clerici licita unius mulieris consortia, Pharisaico devicti, quod absit, furore, relinquere coguntur, fornicatores & adulteri & aliarum pravitatum turpissimi ministri cum ipsis efficiantur, qui hanc in Ecclesia Dei hæresim, sicut cæci duces cæcorum machinantur; ut videlicet illud impleatur quod Psalmus eis, utpote eorum præscius erroris, taliter imprecatur: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Quia ergo nemo, qui te, ô Apostolice, novit, ignorat, quòd si tu per tui decreti sententiam, tantam futuram esse pestilentiam solidæ discretionis claritate perspexisses, nunquam quorumlibet tam pravis suggestionibus consensisses. Debitæ tibi subjectionis fidelitate consulimus, ut vel nunc ad tanti scandali ab Ecclesia Dei propulsionem evigiles, &, quâ nosti discretionis disciplinâ, pharisaicam ab ovili Dei extirpes doctrinam, ne scilicet unica Domini Sunamitis adulterinis diutius usa maritis, gentem sanctam, regale sacerdotium, per irrecuperabile à suo sponso Christo * videlicet avellat divortium, † dum nemo sine castimonia * non tantùm in virginali flore, sed etiam in conjugali † habita conjunctione, visurus sit Dominum nostrum: qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

† Proventus, Calixt.

* Videat avelli.
† Cum. idem
* Quæ non tantùm. id.
† Habitat. id.

Inventa est hæc Epistola in quadam Bibliotheca oppidi Veteris aquæ, Germanicè Altwater, in Hollandia, inferioris Germaniæ provinciâ.

¶ De qua vide tertiam partem Examinis M. Chemnitii pag. 509. editionis Genev. 1634 & Centuriat. Magdeburg centur. 9. column. 309, 310. edit. Basil. 1624.

Finis Antilogiæ Papæ.

E. B.

E. B. Lectori candido S.

OB argumenti novissimi affinitatem, visum est tractatulum sequentem adjicere, è penetrali Bibliothecæ Collegii Corporis Christi in Illustrissima Academia Cantabrigiensi desumptum, & ab Episcopo Norwicensi, D. Josepho Hallo, in librum suum De Cleri conjugati honore, insertum: quippe quod vir ille doctissimus & piissimus in usum nostratium edidit, id ego aliis profuturum & acceptissimum fore arbitratus sum. Cave igitur, bone Lector, ut intelligas ultima typographi nostri verba: nondum enim finis est Antilogiæ Papæ; etiamsi Wissenburgii collectanea absolverimus: habemus quamplurima alia tecum communicanda. Agmen, ob ætatem, ducit Anonymus hic Rotomagensis; qui visus est optimo præsuli ætatem 500 annorum excedere: quis autem qualisve fuerit hic autor, nondum compertum est: hæc fortasse celavit ob istorum temporum pericula quæ quidvis flagitiosum potius in Clero, quàm Conjugii Sancti statum ferre voluerunt. In Eclogâ V. C. Thomæ James videre est, Manuscriptos aliquot libros Rotomagensis P. in Bibliothecis nostris Cantabrigiensibus delitescere. Utinam tandem aliquando in lucem ederentur: digniores enim ex titulis videntur, quàm ut semper clausi putrescant in pluteis, aut vermibus fiant escæ. Schedulam hanc ne exteris periret aut nostris sit ignotior, huc transtuli; ut optimo cuique ansam credendi præbeat, Udalricum illum Sanctum, in coacto cœlibatu Sacerdotum improbando & damnando, non fuisse solum. Vale.

ROTOMAGENSIS ANONYMI

Tractatulus de eadem materia, ex MS. antiquo celeberrimæ Bibliothecæ Coll. Corp. Christi in Cantab. olim à Josepho Hallo Episcopo Norwicensi excerptus.

ROTOMAGENSIS ANONYMUS:

An liceat Sacerdotibus inire Matrimonia.

SCIRE volui quis primus instituit ne Sacerdotes Christiani inire deberent matrimonia. Deus an homo? Si enim Deus, ejus certè sententia & tenenda & observanda est cum omni veneratione & reverentia. Si verò homo, & non Deus, de corde hominis & non ex ore Dei talis egressa est traditio: Ideoque nec per eam salus adquiritur si observetur, nec amittitur si non observetur. Non enim est hominis salvare vel perdere aliquem pro meritis, sed Dei proprium unius est, scilicet, quod Deus hoc instituerit, nec in veteri Testamento nec in Evangelio, nec in Apostolorum Epistolis scriptum reperitur, in quibus quicquid Deus hominibus præcepit, insertum describitur. Traditio ergo hominis est & non Dei, non Apostolorum institutio. Quemadmodum & Apostolus instituit, ut oportet Episcopum esse unius uxoris virum. Quod minimè instituisset, si adulterium esset quòd Episcopus haberet simul & uxorem, & Ecclesiam, quasi duas uxores, ut quidam asserunt. Quodque de Scripturis sanctis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur qua dicitur. Sancta enim Ecclesia non Sacerdotis uxor, non sponsa, sed Christi est, sicut Joannes dicit, Qui habet sponsam, sponsus est: hujus inquam sponsi Ecclesia sponsa est, & tamen huic sponsæ licet in parte inire matrimonia ex Apostolica traditione. Dicit enim Apostolus ad Cor*. Propter fornicationes, inquit, unusquisque uxorem suam habeat, & cætera, usque [volo omnes homines esse sicut meipsum, sed unusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic]. Non enim omnes habent unum donum, virginitatis scilicet & continentiæ, sed quidam virgines sunt & continentes, quidam verò incontinentes, quibus concedit nuptias, ne tentet eos Sathanas propter incontinentiam suam & in ruinam turpitudinis corruant. Sed & sacerdotes quoque alii quidem continentes sunt, alii verò incontinentes, & qui continentes sunt, continentiæ suæ donum à Deo consecuti sunt; sine ejus dono & gratia continentes esse non possunt. Incontinentes verò hoc donum gratiæ minimè percipiunt, qui cum intemperantia suæ conspersionis, tum etiam animi infirmitate per carnis desideria diffluunt. Quod nullo modo facerent, si continentiæ gratiam & virtutem à Deo percepissent. Sentiunt enim & ipsi aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem eos in lege peccati, & quod nolunt agere cogentem, qui de corpore mortis hujus liberantur gratia Dei. Hac itaque eos lege captivante, & carnis concupiscentia stimulante, aut fornicari coguntur aut nubere. Quorum quid melius sit, Apostolica docemur authoritate, qua dicitur melius nubere quàm uri. Quod melius est, id certè eligendum & tenendum est. Melius est inquam nubere, quia pejus est uri. Quia melius est nubere quàm uri, conveniens est incontinentibus ut nubant, non ut urantur. Bonæ etenim sunt nuptiæ, sicut Augustinus ait in libro super Genesin ad literam, in ipsis commendatur bonum naturæ quo incontinentiæ regitur pravitas, & naturæ decoratur fœcunditas. Nam utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur non est bonum. Imò verò non propter illud malum culpabile est bonum, sed propter hoc bonum veniale est illud malum: quoniam id quod bonum habent nuptiæ, & quod bonæ sunt nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur,

* 1 Cor. 7. 2, &c.

attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera vel cum altero * concubatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benignè suscipiatur, religiosè educetur. In Sacramento, ut conjugium non separetur, & demissus aut demissa ne causa prolis alteri † conjugatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Hanc autem regulam nuptiarum, & hoc tripartitum bonum instituit æterna veritas ordine decenti & lege æterna, contra quam quicquid fit, vel dicitur, vel concupiscitur, peccatum est. Quod in libro contra Faustum Manichæum Augustinus testatur, dicens, Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum contra æternam legem. Æterna lex est divina voluntas, sive ratio ordinem naturalem perturbari vetans, conservari jubens. Quicquid igitur ordinem naturalem perturbari jubet, conservari vetat, exercere nuptias & earum tripartitum bonum, fidem, scilicet, prolem & Sacramentum eos habere prohibet, & regulam illam æternæ veritatis qua naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas, eos solvere præcipit, &c. quibus naturalis ordo peragitur, abominari jubet. Hoc inquam mandatum naturalem ordinem conservari vetat, perturbari jubet, & ideo contra æternam legem fit, & peccatum est: peccant enim qui mandatum tale instituunt, quo naturalis ordo destruitur. Nam etiam ut videtur, minimè credunt quòd de Sacerdotum filiis assumat Deus ad ædificandam supernam Civitatem, & ad restaurandum Angelorum numerum. Si enim crederent, nunquam tale mandatum instituerent, quia scienter & nimia temeritate id efficere conarentur, ut superna Civitas nunquam perficiatur, & Angelorum numerus nunquam repararetur: si enim superna Civitas de filiis etiam Sacerdotum perficienda est, & si Angelorum numerus de ipsis etiam reparandus est, qui hoc efficere conatur ut nulli sint, quantum in ipso est, & supernam civitatem destruit, & Angelorum numerus ne perficiatur efficit. Quo quod perversius potest fieri? Hoc enim fit contra voluntatem & prædestinationem illius, qui quæ futura sint fecit. Fecit enim prædestinatione quæ futura sunt in opere. Quicunque ergo id efficere conatur ut non faciat Deus in opere quæ fecit in Prædestinatione, ipsam Prædestinationem Dei conatur evacuare. Si ergo Deus fecit in Prædestinatione ut filii Sacerdotum futuri sint in opere, qui hoc efficere conatur ut non futuri sint, in opere destruere molitur facta Dei quod fecit prædestinatione, & ita prædestinationem Dei nititur evertere, & voluntatem Dei contraire quæ æterna est. Voluit enim Deus ab æterno & ante seculum omnes homines creare in seculo, certo quidem ordine quo præcogitavit & prædestinavit eos se creaturum. Nihil enim inordinatè facit, nihil in seculo creat, quod non ante in prædestinatione suæ mentis * procedente omnia seculo disponendo præordinaverit. Quæcunque ergo in hoc seculo ab ipso creantur, Prædestinationem mentis prædisponentem ac præordinantem omnia necessariò sequuntur, quòd impossibile est non fieri quod Deus ab æterno voluit & præordinavit fieri. Necesse est igitur omnes homines eo ordine creari, quo voluit ab æterno & præordinavit. Alioquin non sicut voluit Deus neque sicut præordinavit omnes homines sunt creati, sed quod hoc inconveniens est, necesse est illos creari, sicut voluit ab æterno & præcogitavit atque præordinavit, quòd omnia quæ voluit fecit, & nihil unquam fecit * quæ non voluit ab æterno & præcogitavit decreto certo & incommutabili. Quia nec ejus voluntas irrita potest fieri, nec præcogitatio falli, nec præordinationes commutari. Quæ cum ita sint, necesse est ut sicut Laici, ita etiam Sacerdotes de quibus homines creantur, ad ipsos creandos ministerium exhibeant divinæ voluntati & Præordinationi. Parentes non sunt authores creationis filiorum, sed ministri. Qui si ministerium non exhiberent, voluntatem Dei & præcogitationem si possibile esset irritam facerent, ordinationique resisterent. Quod si scienter facerent gravius utique delinquerent, si nescienter minus, non solùm in Deum Patrem, sed & in cœlestem Jerusalem sanctorum omnium matrem, quòd quantum in ipsis esset illos creari non permitterent, ex quibus ea ædificanda & cœlestis patriæ * dantia sunt præparanda. Sed ab hoc delicto defendit eos † in potentia, quod non possunt voluntati Dei resistere & præordinationi contraire. Voluntas enim Dei & Prædestinatio Lex æterna est, in qua omnium rerum cursus decretus est, & paradigma est, in quo omnium seculorum forma depicta est, quòd nulla ratione aboleri potest. Huic igitur ministerium non exhibere malum est, quod exhibere bonum est & maxime cum bona fit voluntate. Quod tum fit, cum parentes conveniunt causa gignendæ prolis, non appetitu exercendæ libidinis. Gignendæ prolis dico, quia & præsens Ecclesia multiplicetur, & cœlestis Civitas fabricetur, & electorum numerus compleatur, quorum nihil potest fieri sine conventione tali. Si enim primi parentes Sanctorum omnes aut continentes permansissent aut virgines, nullus Sanctorum ex eis esset

* Fort. concumbatur.

† Fort. conjungatur: & dimissus, &c.

* Fort. præcedente omnia secula.

* quod

* Fortasse erat in MS. —— damna sunt reparanda; sancti enim homines illic supplent angelorum lapsorum locum; ut paulò ante innuit hic author. utcunque est, non dubito hic esse mendum, vel Latinitatem miseram.

† Fort. impotentia.

esset natus in seculo, nullus gloria & honore coronatus in cœlo, nullus adscitus in Angelorum numero. Sed quia inestimabile bonum est, quòd Sancti nati sunt in seculo, quod gloria & honore coronantur in cœlo, & quod adsciti sunt in Angelorum numero, ex eo parentum fœcunditas beatior prædicatur, & conventus sanctior. Sic ergo melius fuit eis tales filios genuisse quam non genuisse, talemque fructum nuptiarum protulisse quam sine fructu continentes, aut virgines extitisse. Quamvis bonum sit quibusdam continentes esse, vel virgines, illis, viz. quos Deus voluit ab æterno, & præordinavit ita creandos esse in seculo, ut continentia vel virginitate permaneant: sicut enim voluit ab æterno, & præordinavit quosdam, ita creandos esse in seculo, ut fructum nuptiarum faciant & filios generent, ita etiam voluit & præordinavit ab æterno, quosdam ita creandos esse, ut in continentia vel virginitate permaneant. Et sicut illi ad creandos filios voluntati Dei & præordinationi ministerium exhibent, ita & isti ad conservandam & continentiam & virginitatem voluntati Dei & præordinationi ministrant. Ac per hoc & illorum fœcunditas & istorum virginitas bona est atque laudabilis, quæ si non ministerium exhiberet voluntati Dei & præordinationi, nec bona esset nec laudabilis. Omne enim quod voluntati Dei & præordinationi contrarium est, nec bonum est nec laudabile. Si ergo voluit Deus & prædestinavit alios futuros virgines, alios nuptiarum fructum facientes. Si enim omnes essent virgines, nullus Sanctorum qui vel nascitur vel nasciturus sit, in hoc seculo natus esset vel nasciturus. Nec ipsi etiam virgines essent, quia nati non essent. Ex fœcunditate enim illorum orta est istorum virginitas. Magnum igitur bonum est fœcunditas, de qua sancta præcessit virginitas. Quia autem virgines esse debeant, & qui nuptiarum fructus facientes, docet eos verbum quod Deus seminat in cordibus illorum. In aliorum enim cordibus seminat verbum bonæ fœcunditatis nuptiarum fructum facientis, in aliorum verò cordibus seminat verbum virginitatis; * ipsi virginitatem servare desiderant: In quibus verò verbum nuptiarum seminat, ipsi facere nuptiarum fructum appetunt.

J. H.

* Deest (opinor). pars clausulæ; Illi ergo in quibus seminat verbum virginitatis, &c.

De hoc ipso argumento, sanctitate scilicet conjugii sacerdotalis, extat Scriptum aliud vetustum, nervosum valdè & egregium, in secundo tomo Martyrologii Johannis Foxii nostratis, historici doctissimi pariter & integerrimi; repertum in quodam Manuscripto antiquo Volusiani nomen præferens, sicut & illa prior epistola, quæ rectius tribuitur S. Udalrico. Eò igitur remitto lectorem; ubi rem argumentis solidissimis & invictissimis rationibus confirmatam videbit.

AD
SEVERINUM BINNIUM

Lovanienſem Theologum, Epiſtola commonitoria ſuper Conciliorum Generalium editione ab ipſo nuper adornata.

Per quendam Theologiæ candidatum ex Magna Britanniâ.

Hac editione ſecundâ ſuo nitori reſtituta: ſublatis quamplurimis mendis craſſiſſimis, quibus prior ſcatebat editio, vel per oſcitantiam typographorum, vel Authoris doctiſſimi abſentiam; cujus impenſis in publicum prodiit An. Dom. 1624.

Si amicus Bellarminus, amicus Binnius; magis amica veritas.

SEVERINO BINNIO
Pontificio Theologo

Salutem ab Authore ſalutis.

INdefeſſos labores & lucubrationes tuas, in Conciliorum editionem inſumptas *(Doctiſſime Binni)* non eſt inter nos cordatus quiſquam, & antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſus, qui non ſummopere, idque ſumma cum tua laude, comprobet. Quorum quidem numero nomen ego meum lubens adſcribo: ita tamen ut ea me libertate non exuam, quam dictat conſcientia, reſque ipſa hic poſtulat: Haud itaque gravatè feres (ita ſpero ac mihi ſpondeo, immò ſcio,) ſi pro officio humanitatis, multoque magis pro fraterna charitate, & Chriſtianæ veritatis amore de paucis te liberius admoneam, aut (ſi mavis) familiarius conſulam.

Diligentia, varia lectio, doctrina multiplex, necnon in multis, fidelitas tua, admodum elucent, meritoque laudantur: In aliquibus tamen (ignoſce ἀληθεύοντι, imò agnoſce) ſinceritas, candor & veritatem ſtabiliendi potius quàm hominibus placendi ſtudium deſiderantur.

Primò igitur, bone vir, ac graviſſime Theologe, rogandus es quo jure, qua conſcientia, ſaltem qua authoritate, in hac tua ultimâ (ideoque accuratiſſima) editione, planè omittis (eoque, quantum in te eſt, plenè extinctos velis) integros tractatus in antiquioribus (& tamen veſtris) ſuis locis inſertos.

1. *Conſilium delectorum Cardinalium*, & aliorum prælatorum, de emendanda Eccleſia ante 80 fere annos, à novemviris illis magni nominis Cardinalibus, aliiſque veſtræ Communionis viris reverendis, & ab ipſo Papa *Paulo* 3. deputatis (ipſoque jubente) conſcriptum: de quo non *Eſpencæus* tantùm veſter mentionem facit honorificam, ſed & ipſe libellus in tertio tomo Conciliorum per *Pet. Crab.* editionis *Colon.* 1551. habetur integer. Eſpencæus in Tit. c. 1.

2. *Opuſculum tripartitum* ante 400 prope annos conſcriptum, & per *Pet. Crab.* in ſecundo ſuo tomo circa tempora *Innocentii* 3. *collocatum*: ubi etiam hoc elogio decoratur: *Salutaria multa & Eccleſiæ utilia: & ad Synodos facientia comprehendit.* Ubi etiam dubitatur, an unius alicujus docti, an potius alicujus Synodi opus ſit: prodiit autem non ex ali-

qua ſuſpecta Bibliotheca, ſed ad majorem fidem, ex ipſo Archetypo, ipſius *Petri Crab* manu exaratum & tranſcriptum erat illud exemplar.

3. Epiſtolam *Leodienſium* ad Paſchalem Papam ante annos fere 500 ſcriptam, & in priori eadem editione, in ſecundo etiam tomo repoſitam.

Hæc tria tantùm attingo, non quòd non ſint plura à te omiſſa: ſed cum hæc ſint præcipua, numerus trium teſtium ſatis idoneus eſt.

Si reſpondeas illam *Crabbianam* editionem pro Catholica & legitima à te non probari: reſpondebunt tibi pro me, *Poſſevinus, Bellarminus*, qui eandem recipiunt, & præter alios *Hoſius* Cardinalis, qui eandem pro genuinâ & Catholicâ Conciliorum editione agnoſcit.

Hoſius in Ep. ad Sta. Orichovium.

Si dicas editiones *Surianam* & *Venetam*, eoſdem tractatus non habere, quas & tu ſecutus eras: Agnoſco certè & *Surium* & *Nicolinum*, eodem morbo tecum laborare: interim te non latet vel ipſi *Poſſevino* Jeſuitæ admodum diſplicere, hujuſmodi tractatuum in illorum editionibus omiſſionem.

Poſſev. in Ap. Sac. Tom. 1. verbo Concil.

Atqui (inquit) cum in hac editione ſuſtuliſſent aliquot opuſcula, quæ in alia editione fuerant, &c. & unum iſtorum nominat, id incommodè accidit, &c.

Si id incommodè cecidit, mi *Binni*, cur tu malum illud, & vel Jeſuita teſte, incommodum, non ſuſtuliſti? Cum enim tu ultimus omnium, hoc opus aggreſſus ſis, te certè decuiſſet, non priorum errantibus aut claudicantibus veſtigiis inſtitiſſe, ſed eorum potius lacunas ſupplêſſe, errores correxiſſe, & ſi quid ignorantia aut malitiâ, furto vel fraude, amore erroris ſive errore amoris, ſublatum & detractum eſſet, reſtituiſſe, & in locum proprium repoſuiſſe: Edoctum præſertim de hoc furto, & priorum editionum mutilatione admonitum ab ipſo *Poſſevino* quem tu unum ais ex illis quatuor, quibus (doctiſſimis quippe, & (tua ſunt verba) abſolutiſſimis *Theologis*, magnam tuorum laborum partem deberi libenter agnoſcis: Maximè cum tu ipſe pro candore tuo liberè profitearis, *Poſt Conciliorum per* Pet. Crab. *& Surium compilationes, te hanc noviſſimam editionem ſublatis mendis plurimis emiſſurum.* Audi quæſo, Cathedrate Doctor, audi vel in aurem alteram (inter nos ſubloquor:) Annon integros tractatus ſupprimere & clam ſurripere, tibi pro mendo habetur? at hoc perpetrarunt priores ſcilicet nonnullæ editiones: *Venetam* (fateor) editionem ſolummodo, eo nomine incuſat *Poſſevinus*, at verò & *Suriana* eodem pede claudicat: Hoc igitur quod vel ipſi Jeſuitæ pro vitio reputant, & correctum velint, tu qui ultimam manum admoves, & menda ſublaturum polliceris, non tamen reſtitues? Imò (quod multò pejus) candor & ſinceritas *Petri Crabb*, qui eos omnes tractatus habet, tibi ut videtur mendum, & emendandum: At furtiva *Nicolini Surii*que, & vel Jeſuitis teſtibus, incommoda & injuſta, integrorum tractatuum ſurreptio toleranda, laudanda, imitanda: Peccavit *Crabb* qui poſuit, non *Surius*, qui ſurripuit? Hoc certè eſt authores non tam emaculare quàm emaſculare: Sic enim de te clamitant noſtri, nec immeritò.

In Admonitione ad lectorem.

Ibidem.

Ego autem, qui multa in te diligo, licèt vultu-tenus ignoto, libenter te excuſarem: Quàm percupio ac geſtio advocati partes agere! Dico itaque: *Binnius* meus *Crabbianam* editionem non vidit, nec curavit, ſed *Surianam*, utpote recentiorem & perfectiorem, ſequutus eſt. Verùm tu ipſe mihi os obſtruxiſti, cum te non *Surianam* ſolùm, ſed & *Crabbianam* vidiſſe & ſequutum fuiſſe fatearis.

Quid igitur pro te reſpondeam vix occurrit, cum tamen pro amore meo aliquid libenter dicerem. Anne te ipſa tantùm Concilia, Pontificum vitas & Epiſtolas decretales hic congeſſiſſe, & hujuſmodi tractatus, quaſi propoſito tuo minus accommodos, ideoque ſupervacaneos non omiſiſſe fraudulenter ſed conſultò præteriiſſe? O quàm hoc vellem! verùm hanc etiam mihi excuſandi anſam tu ipſe præripuiſti qui multa hujuſmodi, & aliqua in prioribus editionibus deſiderata appoſuiſti.

Cum igitur mihi non ſit ulterius, quod pro te reſpondeam, tuam quæſo in te cauſam ſuſcipe, & Spartam quam nactus es adorna, futurus jam patronus ex Cliente, ne dicam ex Reo: non dices, ſpero, hoc tibi ab aliis injunctum, à ſuperioribus imperatum: Abſit enim, ut ſuperiores veſtri ſint ipſis Jeſuitis deteriores; qui, ut vides, hæc ipſa ſublata noluerunt, & ſublata doluerunt: Sin ita ſe res habeat, ut tales ſuperiores & religionis rerumque veſtrarum inſpectores habeatis, doleo certè vicem veſtram, ſaltem tuam, in quo multarum virtutum ſcintillas emicantes, paſſimque refulgentes lubens agnoſco.

Quod ſupereſt igitur, mi *Severine*, monendus es, ut des gloriam Deo, & manus veritati, & ſi hoc tua culpâ ſive errore factum fuerit, apertè & candidè fateare: Sin aliorum ſuperciliosò mandato hæc à te omiſſa, aut manu malevolâ & iniquâ ablata, te neſcio aut invito: illorum nominibus ne parcas, qui famam tuam tantopere periclitati ſunt, ut juſtæ reprehenſioni ſubjaceant illi, qui te injuſtæ calumniæ, odio & indignationi crudeliter expoſuerunt; vel quo placidius res tranſigatur, exiſtimationi ſimul tuæ ac ipſi veritati conſule: De cauſa hac, de conſilio tuo prorſus ſileas, nil aliud agas niſi ut tacitè ac ſine ſtrepitu

pitu ullo reponantur in locum suum ea quæ jam, nescio cujus furtiva manu, surrepta abesse conquerimur. Hoc (si me audies consultorem tuum, haud pretio conductum, sed ex charitate oblatum) præstabis tu quidem in subsequenti editione castigatiore: in qua non dubito quin emersurus sit integer, sub tam ingeniosi ac ingenui *Pigmalionis* manu, *Pelops*, humero nuper detruncatus. Nemo tum te amplius poscet repetundarum. Imò ipse astipulabor, ac profitebor hanc mutilationem patratam manu non *Severini Binnii*, sed vel *Severi* nimis inspectoris, vel blenni bardique Impressoris.

Alterum, in quo te admonitum & mihi satisfactum cupio, ut alterius, ita etiam altioris est naturæ, & majoris momenti, in quo ut veritas magis periclitatur, eo liberius pro veritate mihi tecum agendum est. 2.

In secundo Tomo ponis Concilium illud venerandum, *Chalcedonense*, & eidem notas subjungis, in quibus (utinam non sinceritas) diligentia certè non desideratur.

1. Primò de *Chalced.* Concilio dicis in notis tuis, *Illud ad instantiam Imperatoris, sed authoritate Romani Pontificis indictum*: quod miror quomodo à te viro docto, & circumspecto, & veritatis studioso, posset excidere, cum cuivis in Conciliorum historiis vel mediocriter versato facilè occurrat prorsus contrarium; Ad instantiam (nempe) Leonis, at *Imperatoris* authoritate indictum fuisse.

Testis est *Evagrius*, testis *Nicephorus*, & quis non veterum historicorum, qui de illo scripserunt? Testes Pontificiorum scriptorum aliquot non ignobiles: Testis (in hoc casu exceptione major) ipse *Leo* Papa, qui in Epistolis non paucis, illud ab Imperatoribus, precibus, gemitibus, lachrymis petiit, flagitavit & tandem impetravit. Testes multi Episcopi, qui cum eo, idem ab Imperatoribus humillimè petierunt: Si *Leonis* fuit Concilium indicere, dicas, *Binni*, cur precibus petiit, & lachrymis ab Imperatore supplicavit, ut indiceret? Respondeas pro humanitate tua, ad cujus instantiam convocatur Synodus, ejusne qui illud precibus, suspiriis, lachrymis, ab alio flagitat, an ejus, à quo illud humillimè rogatum, tandemque impetratum est?

Evag. l. 2. c. 1, 2, 3. Niceph. l. 15. c. 2, 3, 4. Leo. Ep. 9. ad Theodos. & 23. ad eundē: & 24. ad Pulcher. & 33. ad eand. & 41. ad Martian. & 43. ad ipsam Synodum & alibi passim.

Testis denique idem *Leo*, qui ad *Martianum* Imperatorem disertis fatetur verbis, *Synodum hanc à nobis etiam petitam, &c.* Quod non obscurè etiam innuit in Epistola ad patres *Chalcedonenses*: Audi quæso *Leonem* vestrum, *petitam*, non *indictam*, à se fatetur Synodum illam: nec fatetur solùm *Leo* sui ipsius petitionem, sed Imperatoris authoritatem, qui disertis verbis, nisi illum mavelis æquivocatione lusisse, convocatum aut congregatum dicit illud Concilium, *ex præcepto Imperatoris*, audis mi *Binni*, *& ex consensu suo: Ex consensu Papæ?* quis hoc ei negavit aut unquam negabit?

Leo. Ep. 59. ad Patres Chalced.

Hinc facilè emergit responsio ad tuas rationes: quarum prima sumitur ex Epistola Imperatorum ad *Leonem*, ubi hæc habentur: *Te Authore, &c.* rectè, hoc est, te primo motore & suasore, quod revera proprium munus est Episcoporum. At dicis secundò, jussu & authoritate Papæ hoc Concilium indictum, verbis apertis profitentur Episcopi secundæ *Mysiæ*, dicentes, in *Chalcedonensi* civitate Episcopi convenerunt *per jussionem Leonis*: At cur famam fidemque tuam prostituis, cur ita hic periclitaris, mi *Severine*? falleris, aut fallere intendis: non ita dicunt, sed *per jussionem Leonis & Anatolii*, quod tu (dolens dico) minus candidè subticuisti: Jussit ergo & indixit hoc Concilium *Leo*, at quomodo, & qua authoritate? Eisdem nimirum, quibus & *Anatolius*: facilè concedimus. Ubi jam aperta tua verba, quibus hoc probatur? Ad *Gelasii* testimonium, quod tertiò profers, habeo quod respondeam: At huic labori parcam, cum ipse Papa in causa propria testis sit minus idoneus: verùm si tu urges *Gelasium* in illa non in-suspectâ Epistolâ, ego oppono *Leonem* in illa sua in-dubitatâ, ubi apertis verbis profitetur, *ex præcepto* Imperatoris *& consensu suo indictum esse: Respondeat Gelasius Leoni* & nos illi respondebimus. Verùm si & *Gelasius* & *Leones* centum hoc plenis buccis proclamarent; illis omnibus eorumque rugitibus, ego unum tantùm oppono testimonium, cui alia omnia cedant necesse est, quod & per se sufficeret si omnia alia deessent: Acta nimirum, & Gesta ipsius Concilii, edita per virum integerrimum, omni exceptione majorem, dominum *Severinum Binnium*, amicum meum non vulgarem: In ejus ipsius editione hujus Concilii, cum sint quindecim, aut sexdecim actiones, in earum unaquaque habemus hæc, aut hujusmodi verba: Sanctum & universale Concilium, quod in *Chalcedonensi* civitate, *ex decreto, per jussionem, ex sanctione, secundum præcepta, Divali sanctione, per sacras literas, per sacram sanctionem piissimi Imperatoris* congregatum & collectum, &c. At de jussione, præcepto seu sanctione *Papæ* altum silentium.

Anatolius tunc temporis Archiepiscopus Constantinop.

☞

Hæccine vera vel Teipso teste? & tamen dices *ad instantiam Imperatoris, at Papæ authoritate collectum hoc Concilium?* Dicant si velint Parasiti & assentatores Pontificii, famæ & animarum suarum prodigi, dicant ferrei oris & plumbei cordis homines qui quidvis dicere audent: at *Severinus Binnius* non dicet, scio: quod si quid tale unquam

illi ex improviso excideret, auguror, polliceor, spondeo, imitabitur sanctum *Augustinum*, ac retractare non detrectabit.

2. Deinde in iisdem Notis Imperatorē dicis primæ actioni interfuisse in propria persona & per Judices seculares posterioribus omnibus. Hæc tu: verùm cum hæc apertissimæ veritati repugnent, hinc conjiciunt nostri (dabis veniam spero) te nimis oscitanter & perfunctoriè omnia egisse, in hac tanta re, Conciliorum nempe omnium editione, cum hæc non dubites effutire, in quibus vel tyro aliquis in Theologica historia, te à veritate deviantem vel digito monstrare possit: Quis enim adeo in antiquis sanctis Conciliis peregrinus, qui nesciat Imperatorem, nec per se, nec per Judices suos seculares tertiæ actioni interfuisse? & in propria sua persona non primæ tantùm, sed & sextæ etiam, aut ut alii volunt septimæ, & si *Nicephoro* credatur, aliis etiam interfuisse, & multa verba, verè Christiano Imperatore digna, ad sanctum Concilium habuisse. Adde, quòd & tu ipse postea in compendio septimæ actionis, apertè & disertis verbis, idem affirmas, illum nimirum affuisse, & multa locutum. Hæc si omnia tua sint, quàm tu tibi non constas? quàm tua non consonent veritati? Ista licèt magni non sint momenti, cum tamen aut ignorantiam nimis crassam, aut negligentiam nimis supinam redoleant, ansam præbent nostris de te tuisque laboribus male suspicandi, & quod pejus est, de animo & intentione, qua hoc opus aggressus sis.

Niceph. lib. 15. c. 4.

Verùm illud quod me pessimè habet & maximè torquet, habetur in tertia annotatione tua, ubi nihil fere est, quod non sit vitiosum: nimirum vel apertè falsum, vel quod falso nititur fundamento: Primò ostensurus hoc Concilium esse generale, hoc probas duplici ratione: 1. *Quia Papa authoritate convocatum erat.* 2. *Quia in eo Papa per legatos præsidebat*: quam hæc futilia? quis enim ex vestris nedum è nostris, hisce rationibus, ad aliquod Concilium œcumenicum probandum usus est, nisi etiam & tertiam adjunxisset, congregationem nimirum Episcoporum totius orbis Christiani? *Generalia dicuntur*, inquit *Bellarminus*, *ea*, *quibus interesse tenentur Episcopi totius orbis*: Sin verò rationes tuæ sufficerent, consequetur certè, Italiæ Episcopos, à Papa convocatos, si ipse Papa præsideat, generale Concilium constituere, quod si absurdum ducendum sit, necesse est ut rationes tuæ claudicent, imò in fumum abeant.

Bellar. de Concil. l. c. 4.

Deinde ais, *Legatos Papæ Synodo præfuisse*, *singulæ fere actiones testantur*: probas, quia *ipsi primi nominantur*, *loquuntur*, *sedent*, *subscribunt*. At nimis hæc puerilia & gravitatem tuam parum decentia: quid enim est *primum sedere*, loqui, *subscribere*, nisi primum tenere locum? Et primum locum in Conciliis, & consessibus Episcoporum, quis unquam Romano Pontifici denegavit? hoc autem excepto, singulæ actiones nihil aliud testantur de præsidentia: Quæ certè, nisi semel, non nominatur, tunc autem hoc modo, *præsidentibus iisdem Judicibus & sancta Synodo*, non ait legatis Romanis: fateor Legatos Romanos præsidentiam sibi arrogasse & attribuisse, at ore proprio; verùm à Concilio, à Judicibus, & ab Episcopis, ne tantillum eis ascribitur, nisi primus locus, nec illud ubique: Interdum enim Judices præponunt Archiepiscopum Constantinopolitanum: De Romanorum ergo Legatorum præsidentia testantur ipsi, in causa suâ patroni, *Actiones Concilii non testantur.*

At urges, & in hoc mirificè tibi places, Ipsi Legati sententiam in *Dioscorum* pronunciant, & verba (inquis) sententiæ in actione tertia hæc sunt: *Sanctissimus ac beatissimus Papa*, *Caput universalis Ecclesiæ Leo per nos Legatos suos*, *sancta Synodo consentiente*, *&c.* Certè, mi *Binni*, miror, stupesco & doleo, hoc tibi excidisse: hoc enim si verum sit, ego sanctè polliceor, me in castra vestra transiturum, modò tu, si verum non sit, papismum, hac saltem in re, deserere velis: Legatur igitur tota actio tertia, & sententia in *Dioscorum*, & inspiciatur *Crabbiana*, *Suriana*, *Nicolina*, imò vel *Binniana* editio, & in his omnibus, sine unius verbuli differentia, moriar, si non ita se habeat sententia, *Sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ*, *Leo*, *per nos*, *& per præsentem sanctam Synodum*, *&c.* Hic igitur excipio,

Primò sententiam à te non rectè prolatam, sed vel *malitiâ*, vel quod potius credam *imprudentiâ*, interpolata multa, quæ in sententia non habentur: ut illa nimirum, *Caput universalis Ecclesiæ Leo*, in quibus ipse cardo controversiæ vertitur: Si enim illud verum sit *Leonem* Papam, in hac sententia, quæ revera erat totius Concilii sententia, *Caput universalis Ecclesiæ* appellatum, tum certè non inficiabor dignum eum esse qui Concilio illi, & toti Ecclesiæ præsideat, qui *Caput* nimirum sit *universalis Ecclesiæ*; Si verò nihil tale, in tota sententia, imò nec in toto Concilio reperiatur, sed tantùm *Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ* appellatur, (quod nos facilè ei concedimus) tum quod tu, tuique, vobis tantopere placeatis, in hoc testimonio non equidem invideo, miror magis qua fronte, quove animo hoc ausus sis affirmare: Perscrutare omnes Conciliorum editiones, imò tuam,

tuam, & profer, si possis, locum, vel unum, ubi in tota illa sententia, vel ab uno Episcopo, nedum à toto Concilio, Papa illo nomine [*Caput universalis Ecclesiæ*] insignitur: Certè, *mi Binni*, Papismum & Primatum hujusmodi niti fundamentis, nec invideo, nec miror; habeant secum, serventque sepulchro: At te virum doctum, prudentem &, ut spero, veritatis studiosum, in re tanta ludere, & tam apertè falsa, fidem tuam deponere, video, at non rideo, sed planè doleo, & ut quod verum est fatear, non habeo, lubens velim, quo te excusem: Tuum igitur est, fidem tuam liberare.

Dicerem pro te libenter, Concilium in Epistola ad *Leonem* sic scribere: *Quibus tu (sicut membris caput) præeras, &c.* Et *Alexandrinos* aliquot, à *Dioscoro* oppressos libellos suos supplices, (quos ad Concilium porrexere) sic inscripsisse, *Universali Patriarchæ Leoni, &c.* At hoc nihil est, nam primò multiplex & facilis est responsio ad utrumque, ut (si tibi placuerit) imposterum demonstrabo: Deinde, si detur hæc vera esse, & exceptione majora, te tamen non juvabunt in hac causa: qui non ex libellis illis, non ex Epistola illa, sed ex ipsius Concilii generalis sententia definitiva ista producis: *Verba* (inquis) *sententiæ hæc sunt*: Et non hic quæritur, quid miseri aliquot *Alexandrini* aut Concilii scribæ, sed quid ipsum universale Concilium, in sententia definitiva de Papa Romano locutum sit: Non est igitur, ut ista nobis obtrudas: Licèt enim vera essent, tamen quid hæc ad *Rhombum*?

Multoque minus causam tuam promovebit, si ad fragmentum illud Epistolæ (*Paschasini* Papæ legati) in fine Concilii à te positum confugias: ubi licèt ista verba habeantur, prout à te citata sunt, nihil tamen te juvabunt: nam 1. non est Epistola sed fragmentum: deinde privata Epistola, ad privatum vel nescis quem: 3. nullius est autoritatis, quia Actis & monumentis Concilii (vel te Judice) repugnat: sententia enim Concilii in Actione tertia posita nihil tale habet; denique nullius est momenti, quid Papæ servi, legati & creaturæ, de domino suo Papa, tumentibus verbis effutiant: Si illi Papam pro mundi domino, pro capite Ecclesiæ, habeant & decantent, minimè miramur, & minimo minus curamus: & si tu hoc tantùm dixisses, hæc vel hujusmodi sesquipedalia verba, de Papa per ejus legatos fuisse prolata, quis miraretur? verùm hæc non est quæstio, quid famuli de domino suo dixerint, sed quid Concilium *Chalced.* in sententia sua definitivâ.

Porro, si hæc sit *Paschasini*, & legatorum Epistola: dispiciat & dijudicet orbis Christianus, quam nullam mereantur fidem (ut nequid acerbius dicam) Papæ legati, quippe qui in literis suis referre audeant, acta fuisse in Concilio, quæ non fuerunt: Et qualis sit iste *Paschasinus*, qui cum ipse (mandante, consentiente & decernente Concilio) ore proprio, sententiam in hæc verba pronunciasset, *Archiepiscopus senioris Romæ Leo*: ausus sit tamen postea per literas ita referre ac si dixisset, *Caput universalis Ecclesiæ Leo*: Quæ hæc impudentia? quæ audacia? Ita in Concilio dicere non est ausus (licèt multa auderet) ita tamen se dixisse, ausus est scribere? noverat scilicet Epistolam non erubescere, & *Dicere quæ puduit, scribere jussit amor*, amor nimirum ille sordidus quo Papales assentatores, ad Primatum ejus, viis & modis omnibus stabiliendum excæcantur: *Summa*: Aut hæc Epistola *Paschasini* est, aut non: si dicis esse: sequitur illum vel non ita dixisse in Concilio, ut tertia actio testatur: vel illum non ita scripsisse, ut ista habet Epistola: vel dixisse & scripsisse, planè repugnantia (quod probum piumque virum minimè decet:) Nam Papam esse *Archiepiscopum* senioris Romæ facilè concedimus: *Caput esse universalis Ecclesiæ* constanter negamus: Si dicis non esse, licèt ejus nomen gerat: tum ab aliquo *Sciolo* confictum & assutum fragmentum illud, necesse est fateare.

Eoque magis tibi condoleo (*mi Severine*,) quòd neminem ferè scriptorum Pontificiorum, in hac causa, à tuis partibus stare video: Si enim esset communis causa, si vestri homines sententiam hanc in his verbis allegassent, eo melius odium & invidiam declinasses & eo facilior esset tua defensio: saltem levior esset lapsus tuus, ubi ante te tam multi impegissent: verùm cum hoc Concilium, augustum & venerandum, à vestris fere omnibus ubique afferatur: vix tamen (ut conjicio) tres alicujus autoritatis (*Bellarmino* excepto) adducere possis, qui sententiam Concilii sub tuis verbis citant: Hanc tractant causam, de Primatu Papæ, & hoc Concilium etiam, pro primatu producunt, *Cajetanus, Contarenus, Polus, Roffensis, Baronius, Cardinales: Pighius, Latomus, Coccius, Alphonsus à Castro, Agricola: Mel. Canus*: Papistæ omnes melioris notæ: *Costerus, Canisius, Gregorius de Valentia* Jesuitæ, nec tamen illorum unus hoc usus est testimonio: multa certè adducunt, & detorquent, ex hoc Concilio ad Primatum confirmandum, quæ parum valeant, & ad quæ facilis est responsio: verùm si Concilium in sententia sua publica, Papam, *Caput universalis Ecclesiæ*, agnovisset (quod tu affirmas) hòc esset omni ex-

ceptione

ceptione majus, & nullam certè posset admittere responsionem: & tam pulchrum validumque testimonium hi acerrimi primatûs propugnatores nunquam omisissent: At necessariò omittendum erat, quod plane non erat in rerum natura: In sententia enim publica, in actione tertia, non *Caput universalis Ecclesiæ*, sed Archiepiscopus senioris Romæ appellatur: Norunt tamen & illi hoc fragmentum ubi illa verba, *Caput universalis Ecclesiæ*, fraudulenter sunt inserta. sed cum illud nullius esse autoritatis perspicerent, mallent illo carere testimonio, quàm fidem suam tanto periculo subjacere: Imo *Baronius* ipse licèt omnium, (quotquot unquam fuerunt) impudentissimus assentator Pontificius, hoc tamen nunquam ausus est asserere: Sed contrà, ipse & *Canisius* Jesuita, & *Canus* & *Coccius*, cum sententiam hujus Concilii in medium afferant, hoc modo eam citant, quo nos, & ut in actis Concilii habetur,

Sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, &c.

Quod certè neutiquam fecissent, si hoc fragmentum aliquâ fide dignum censuissent: Quorum ut ingenuitas & modestia hac in re laudanda; sic *Bellarmini* impudentia, qui primus, & ante te solus in hunc scopulum impingit, & non semel sed sæpius hanc sententiam, ad Papæ Primatum astruendum producit, prout in illo mendacissimo fragmento habetur, omnem certè excedit admirationem: sed vapulabit, ni fallor, illo nomine, & tam apertæ falsitatis dignas quàm citò pœnas luet: non enim hoc commentum ex illo fragmento citat, in quo fortassis potuisset excusari, sed ex Concilii actione tertia, impudens & effrons Jesuita; quod si omnino falsum non sit, polliceor me Papissaturum: ut igitur ad te revertar, doleo equidem *Severinum Binnium* malle cum uno *Bellarmino* errare, quàm cum toto orbe Christiano rectè sentire: tu qui posterior fuisti in culpa, sis quæso prior in pœnitentiâ, & qui tibi exemplum errandi præbuit, à te in rectam viam revertendi exemplum sumat.

Bellar. de Con. l. 1. c. 19. & l. 2. c. 17.

Si dicas te per aliquos veterum historicorum deceptum: Certè non novi unum tibi in hac causa suffragantem. *Paulus Diaconus* ne verbum quidem habet de hac sententia, & de toto Concilio admodum pauca: *Nicephorus* multa de Concilio, de hac sententia nihil: Historia tripartita, *Sozomenus*, *Socrates*, *Theodoretus*, ad ea tempora non attingunt, nedum *Ruffinus* aut *Eusebius*: solus *Evagrius*, quod sciam, de hujus Concilii gestis fusius tractat: ille autem sententiam definitivam eisdem verbis habet, quibus in Conciliorum gestis invenitur, non autem ut in vitioso illo fragmento depravatur. Sin verò vel decem historicos possis proferre, quæ sententiam sic depravatam haberent, ne hilum quidem proficeres: tuipse enim hanc excusandi viam præclusisti, cum nec hunc nec illum, nec aliquem scriptorem, sed nominatim *Actionem Concilii tertiam*, pro hac sententia allegaveris.

Summa igitur est, si in actione tertia, talis sit sententia Concilii, ubi nimirum Papa *Caput universalis Ecclesiæ* appellatur; hoc, inquam, si possis ostendere, liberasti fidem tuam: hoc si tu nec quis alius poterit ostendere, prodidisti causam, perdidisti fidem tuam, vel potius rectè & prudenter egisti qui causam malam, malis artibus, fallaciis & fictionibus astruxisti. ☞ His autem similibusque technis utuntur quotidie vestri, imò & *Bellarminus* & *Baronius*, antesignani vestri ad Papismi doctrinam, papatusque Primatum suffulciendum: Dignum sanè *Patella* operculum: Te verò quod attinet (*mi Binni*) pro humanitate & fraterna charitate, aliquo te potius errore lapsum, quàm malitiâ excæcatum, & cæcos potius sequendo duces in foveam incidisse, quàm retia hæc ad imperitos seu incautos lectores decipiendos, reluctante conscientia, posuisse: Fallor an non, in hac mea de te opinione, satis ut opinor ex tua responsione constabit, quam pro tua humanitate, & in veritatem amore, dabis veniam, ut à te expectem, licèt fortassis aliis seriisque cogitationibus occupato: non enim ut horas aliquot supervacuas insumamus, quas fortassis nullas habemus, nec ingenii exercendi, aut animi dotes, siquæ essent, ostentandi gratiâ, hoc onus scribendi à me susceptum est: sed ad Christianæ charitatis officium exhibendum & ad veritatem (ipsâ vitâ nostra chariorem) melius indagandam: ne igitur lævâ manu accipias quod dexterâ tibi porrigo: Cur autem candidum responsum non sperem, cum scribam Christianus ad Christianum: Theologus ad Theologum: & Licentiatus ad Licentiatum? At dicet aliquis, Junior ad Seniorem: fortassis: At quid ni? Cum hoc aggressus sim, non ut contradicam, sed ut consulam; non ut imperem, sed ut admoneam; non

ut

ut doceam, ſed ut diſcam: Et ubicunque errare, aut hallucinari contigerit, ut ego per te meliora docentem, tu per te ipſum rectius informatum, utrique per Sanctum Spiritum cœlitus inſpirantem inſtruamur. Ipſe Spiritus Sanctus, pacis & charitatis Deus & dator, nos à falſitate & errore aut protegat aut reducat, in veritate & bonitate confirmet, ad nominis ſui gloriam noſtramque ſalutem in Chriſto Jeſu. Amen.

Tibi in Chriſto addictiſſimus

Londini Anno 1611.

GULIEL. CRASHAVIUS

S. T. Alumnus, & verbi divini apud Templarios Londini diſpenſator indignus, manu propria.

Orandus es, mi *Binni*, ne pro reſponſione me ad *Bellarminum* & *Baronium* releges: iſta enim legens conjicere poſſis me in illorum ſcriptis aliqualiter verſatum: verùm non ſatisfaciunt; aliàs enim huic labori meo & moleſtiæ tuæ ſuperſediſſem.

FINIS.

LECTORI.

CUM tantum temporis interceſſerit inter ſcriptionem & impreſſionem hujus Epiſtolæ, ſpatium ſcilicet 12 aut 13 annorum, credi fas eſt, Binnium nullam unquam reſponſionem reddidiſſe viro huic literato & ſagaci; & propterea Craſhavium tandem expoſtulationes ſuas publici juris feciſſe, cum nullum is à Binnio reſponſum privatum extorquere poterat: id vero denegandi ratio cuivis obvia eſt: fortiores quippe & clariores ſunt hæ objectiones, quàm ut eis poſſit ſatisfieri; & ſilentium eſt optimum ignorantiæ remedium: ut tu autem Lector, aliquid beneficii ex hac epiſtola haurias, & jacturam tibi, de qua queritur Craſhavius, poſſis reſarcire, en tibi damus tria illa Scripta egregia, quæ Binnius neutri editioni ſuæ Conciliorum interſeri voluit; ea lege, & ſtatim intelliges qua id ductus ratione fecit. Vale.

Veſter E. B.

EPISTOLA

EPISTOLA LEODIENSIUM

Adverſus Paſchalem II. Papam, circa Annum Domini 1107.

OMnibus bonæ voluntatis hominibus, Leodien. eccleſia veritatē fidei, & catholicā unanimitatem inconcusſè tenens. Stupendo & gemendo exclamo cum Eſaia, qui onus deſerti maris exaggerans, exclamat: Sicut turbines ab Africo veniunt, de deſerto venit, de terra horribili viſio dura nunciata eſt mihi. Qui incredulus eſt, infideliter agit: & qui depopulator eſt, vaſtat. Qui hactenus non intelligebat loquendo, quid ſit deſertum mare, nunc intelligat videndo, † quid per deſertum mare ſignificetur, non ſolùm Babylonia, ſed etiam mundus & Eccleſia. Quamvis enim ut mare undis, ſic mundus & Eccleſia affluant populis: tamen jure vocantur deſertum mare, quia mundus videtur eſſe deſertus à ſapientium principum gubernaculo, Eccleſia gemit ſe deſertam à ſano Præſulum Conſilio. Quæ enim major olim confuſio fuit in Babylonia, quàm hodie eſt in Eccleſia? In Babylone confuſæ ſunt linguæ gentium, in Eccleſia dividuntur linguæ & mentes credentium. Ait Petrus in epiſtola ſua: Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta. Hactenus interpretabar ideo voluiſſe Petrum per Babylonem ſignare Romam, quia tunc temporis Roma confuſa erat idololatria & omni ſpurcitia. At nunc dolor meus mihi interpretatur, quod Petrus prophetico ſpiritu dicens Eccleſiam in Babylone collectam, prævidit confuſionem diſſenſionis, qua hodie ſcinditur Eccleſia. Nam quamvis Eccleſia ſit in Babylone mundi, tamen debet eſſe collecta per fraternam unanimitatem. Qui ſint turbines ab Africo, diſcimus patiendo magis quàm legendo. De terra horribili, à Romana ſcilicet Eccleſia, viſio dura nunciata eſt mihi: inde turbo ut tempeſtas venit ab Africo. Romanus enim præſul pater omnium Eccleſiarum, literas contra nos mittit Roberto Flandrenſium Comiti, quale exemplar tale eſt:

Eſa. 21. 1, 2.
† Fort. quòd
Gen. 11.
1 Pet. 5.

Paſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Roberto Flandrenſium Comiti, Salutem & apoſtolicam benedictionem. Benedictus dominus Deus Iſrael, qui in te virtutis ſuæ efficaciam operatur, quo reverſus ab Hieruſalem Syriæ, in cœlorum Hieruſalem juſtæ militiæ operibus ire contendis. Hoc eſt legitimi militis, ut ſui regis hoſtes inſtantius perſequatur. Gratias ergo prudentiæ tuæ agimus, quòd præceptum noſtrum in Cameracen. parochia executus es. Idipſum de Leodienſibus excommunicatis pſeudoclericis præcipimus. Juſtum enim eſt, ut qui ſemetipſos à Catholica Eccleſia ſegregarunt, per Catholicos ab Eccleſiæ beneficiis ſegregentur. Nec in hac tantùm parte, ſed ubicunque poteris, Henricum hæreticorum caput & ejus fautores pro viribus perſequaris. ☞ Nullum profectò gratius Deo ſacrificium offerre poteris, quàm ſi eum impugnes, qui ſe contra Deum erexit, qui Eccleſiæ Dei regnum auferre conatur, qui in loco ſancto, Simonis idolum ſtatuit, qui à principibus Dei ſanctis apoſtolis eorumque vicariis, de Eccleſiæ domo ſancti ſpiritus judicio expulſus eſt. Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem, & apoſtolicæ ſedis familiaritatem præcipimus, ☞ ut his laboribus & triumphis ad cœleſtem Hieruſalem, domino præſtante, pervenias. Datum Albani 12. Kalendas Februarii.

Super his literis cujus lumbi non repleantur dolore? Super his me obſtupefecerunt tenebræ: nec tantum pro horrore periculi, quantùm pro horrenda novitate rei, quod tam lachrymabiles literæ potuerunt ſcribi à matre contra filias ſuas quamvis peccantes. In judicio Salomonis expreſſa eſt magnitudo maternæ pietatis, quando judicante Salomone, ut infans pro quo contendebatur, gladio divideretur, maluit mater filium ſuum ſub aliena muliere vivere, quam gladio judicis dividi. Dicit Eſaias: Babylon, dilecta mea, verſa eſt mihi in miraculum. At ego dico: Roma dilecta mea mater verſa eſt mihi in miraculum. Quid enim tam mirabile, imò quid tam miſerabile? Vidit olim David angelum domini ſtantem extento gladio ſuper Hieruſalem: nos filiæ Romanæ Eccleſiæ, ecce videmus Romanum præſulem, qui eſt angelus Domini, extento gladio ſuper Eccleſiam. David orabat, ne populus occideretur: angelus noſter, porrigens Roberto gladium, orat ut occidamur. Unde iſte gladius angelo noſtro? Jubente Jeſu diſcipulis, ut vendita tunica, emant ſibi gladium, dicunt diſcipuli: Domine, ecce duo gladii hîc. Et Jeſus: Satis eſt. Ut ex patrum dictis colligimus, eſt unus gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei. De quo Jeſus ait: Non veni pacem mittere, ſed gladium. Et propheta: Maledictus qui prohibet

3 Reg. 3.
Eſa. 21.
2 Reg. 24.
Luc. 22.
Matt. 10.
Hier. 48.

prohibet gladium ſuum à ſanguine. Hunc gladium diſtringit Jeſus magìs contra carnales affectus, quàm contra mundi inſultus. Eſt & alter gladius ſpiritualis, quo mortificatis vitiis carnis, emitur corona martyrii. Cum ergo duos tantùm gladios à domino apoſtoli habeant, unde iſte tertius apoſtolico gladius, quem in nos porrigit Roberto armigero ſuo? Fortè recurrit apoſtolicus ad Ezechielem prophetam, ut de manu ejus tertium arripiens gladium, vadat ad dexteram ſive ad ſiniſtram, cædendo bonos & malos. Dicit enim Deus Ezechieli prophetæ: Ut duplicetur gladius, & triplicetur gladius interfectorum. Puto, Eze. 21.
non dabit propheta tertium gladium apoſtolico. Propheta namque duos evangelii gladios oſtendens, per duos unius gladii uſus, gladium apoſtolico dandum duplicat, dicens: Gladius Eze. 21.
gladius exacutus eſt & limatus. Exacutus, ut cædat victimas: Limatus, ut ſplendeat. Exacutus eſt, quia (ut ait Hieronymus) qui malos percutit, in eo quod mali ſunt, & habet * gla- Lib. 2. comment. in Eze. ca. 9.
dium interfectionis, ut occidat peſſimos, miniſter domini eſt. Limatus eſt, ut ſincere prædicetur verbum domini. Triplicato gladio armat propheta interfectores, quia (ut ait * Vaſa.
Paulus) non ſine cauſa judex gladium portat. Hic eſt gladius interfectionis magnæ, qui Rom. 13.
me cum Ezechiele obſtupeſcere facit. Quem enim non faciat corde tabeſcere, quod apoſtolicus ad vivificandum unctus, accingitur in nos tertio gladio interfectorum? O utinam placatus dicat Deus etiam nunc angelo percutienti: Sufficit nunc, contine manum 2 Reg. 24
tuam. Nihil dico in chriſtum domini, ſed vicem noſtram doleo. Sed niſi chriſtus domini, veniens ad caulas ovium, intraſſet in ſpeluncam purgare ventrem, non præcidiſſet David oram chlamydis ejus. Si quis eſt David, inveniens hunc chriſtum domini 1 Reg 24.
dormientem, omneſque milites ejus dormientes, non mittat manum in chriſtum domini, ſed tantùm tollat haſtam ejus & ſcyphum aquæ, qui eſt ad caput ejus dormientis. Hanc 1 Reg. 26.
haſtam quam contra nos erexit, oſtendo cunctis: hunc ſcyphum aquæ, qui eſt ad caput ejus dormientis, porrigo cunctis ad guſtandum, ut ſapiant omnes, quàm inſipida ſit authoritas legis ejus, qua diſtrinxit gladios laicorum in cervices clericorum. Si liceret dicere, (ſalva apoſtolicæ dignitatis reverentia) ipſe nobis videtur dormiviſſe. Dormierunt cum eo omnes conſiliarii ejus, quando conduxit ſibi vaſtatorem Eccleſiarum Dei. Præcepit Paulus, ut verbum epiſcopi ſit ſanum & irreprehenſibile. Nos ergo non in- 1 Timot. 3. Tit. 1.
firmamus, aut reprehendimus verbum epiſcoporum epiſcopi, ſed quia apoſtolicus non debet deviare ab Apoſtolo, quærimus humiliter per ſingula, utrùm hæc apoſtolici verba ſint per omnia gravitate apoſtolicæ authoritatis ſana & irreprehenſibilia. Ecce ut pater dilecto filio ſalutem mittit, & apoſtolicam benedictionem promittit: ſed ut multis videtur, non ea illi opera indicit, quibus ſalutem & benedictionem à Deo promereri poſſit. Benedicit Deum, qui in eo efficaciam ſuæ virtutis operatur, quod Eccleſiam Dei debellat & depopulatur, ac per hoc cœleſtis Hieruſalem aditum ei pollicetur. Num recta via dilectum filium dirigat, ipſe pater nobiſcum videat. Ut utamur verbis Auguſtini ſummatim collectis, Deus, qui dixit: Ego Deus faciens pacem & creans malum, ſicut Eſai. 45.
cætera ſuaviter diſponit, ita hoc etiam diſponit, ut bonum pacis per bonos faciat, malum verò belli per malos creet. Utens enim Deus animis hominum pro voluntatibus & meritis eorum, digna dignis opera imponit, ut digna dignis præmia rependat, bonis bona pro bonis, malis mala pro malis. Quis unquam populum Dei, quis unquam Eccleſiam Dei impunè perſecutus eſt? Quoties peccabant filii Iſrael, ſuſcitabat Deus hoſtes qui contererent peccantes. Caſtigabat Deus, quos amabat: & damnabat illos, qui vitio ſuo tales erant, ut per eos mala malis inferret. Dicit Deus per prophetam: Vocabo Dani. 4.
ab Aquilone ſervum meum Nabuchodonoſor, qui faciat omnem voluntatem meam. Quam voluntatem, niſi ut peccantes diſperdat? Hunc ſervum ſuum Deus pro merito ſervitutis in bovem convertit. Peccanti David ait Deus: Ecce ego inducam malum ſuper te de domo tua. Hoc malum executus Abſalon, fugato patre ſuo, invaſit Hieruſalem. Nunquid 1 Reg. 12. 2 Reg. 16. 17.
per hoc meruit cœleſtem Hieruſalem? Per Eſaiam dicit Deus: Væ Aſſur. Virga & bacu- Eſai. 10.
lus furoris mei ipſe. In manu ejus indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam illum, & ad populum furoris mei. Mandabo illi, ut auferat prædam, & diripiat ſpolia. Et reliqua. Cur Deus intentat, væ Aſſur, qui mala, quæ fecit, eo mandante fecit? Væ mundo ab Matth. 18.
ſcandalis, dicit Deus. Neceſſe eſt ut veniant ſcandala, væ tamen illi per quem ſcandalum venit. Hoc Hieronymus ſic exponit: Cum neceſſe ſit quidem, ut veniant ſcandala, væ Lib. comment. 3.
tamen homini, qui, quod neceſſe eſt ut in mundo fiat, facit ſuo vitio, ut per ſe fiat. Quid multis opus? Ecce opera juſtæ militiæ, quibus pater filium, papa cœleſtis regis militem imbuit, per quæ poſſit contendere ad cœleſtem Hieruſalem, impugnando ſcilicet Eccleſiam Dei. 'Gratias (inquit) prudentiæ tuæ agimus quòd præcep- 'tum noſtrum in Cameracen. parochia executus es. Qualis & quanta ſit vaſtitas & contritio Cameracen. Eccleſiæ, quis recolit ſine dolore? Ego quidem filia Romanæ Eccleſiæ, condolebam Cameracenſibus pro affectu germanitatis: nunc verò audiens hæc

mala inferri præcepto apostolicæ authoritatis, jam amplius doleo, quia timeo matri meæ,
Esa. 10. ne in eam redundet illud, quod Deus dicit per os Esaiæ: Væ, qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Et reliqua. Tantam Ecclesiæ desolationem, tantam pauperum & viduarum oppressionem, tantam prædarum & rapinarum immanitatem, & quod his gravius est, promiscuam bonorum & malorum occisionem, hæc & pejora his præcepto apostolici facta esse quis crederet, nisi ipse suo se ore prodidisset? Taceo Cameracensem episcopatum in duos esse divisum judicio Romanæ Ecclesiæ: taceo Walcherum, qui apostolici consensu & authoritate probatus, & prior ordinatus fuit, subitò exordinatum, excommunicatum, & alium ei subordinatum. Hæc justa sint, necne, in Dei pendet sententia. Non invehimur in christum domini, ad quem pertinet solicitudo omnium Ecclesiarum. Sed quia apostolicus hæc mala sibi adscribit, & Ecclesiæ vastatori per gratiarum actionem applaudit, super his mirandum, an magis sit dolendum, nescio. Cui hoc magis sit periculosum, jubenti, an obedienti: cui hoc magis sit damnosum, facienti, an patienti, quis homo discernet? Nos attoniti hac novitate rerum, quærimus unde sit hoc novum exemplum, ut prædicator pacis, suo ore & alterius manu inferat Ecclesiæ bellum. Contra barbarorum & inimicorum Dei assultus, concedunt canones etiam clericis arma ad defensionem urbis & Ecclesiæ. Bella verò indici Ecclesiæ per authoritatem canonicam nusquam scripturarum legimus. Quæro, quod nescio: dico, quod scio. Pacem Jesus, pacem apostoli, pacem apostolici viri prædicant,
2 Tim. 4. peccantes arguunt, obsecrant, increpant in omni patientia & doctrina. Inobedientes
Tit. 1. jubet Paulus durè increpari. Quomodo durè increpentur inobedientes, dicit Jesus: Si
Mat. 18. peccaverit in te frater tuus, corripe illum, primò solum solus, secundò cum duobus aut tribus testibus, tertiò cum Ecclesia. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Hinc ait Augustinus: Illud quod ait Jesus, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: gravius est, quàm si gladio feriretur, si flammis absume-
Mat. 18. retur, si feris subjiceretur. Nam ibi quoque Jesus subjunxit: Amen dico vobis, quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cœlo: ut intelligeretur, quòd gravius sit punitus, qui velut relictus est impunitus. Sic sententia veritatis exposita ab Augustino, quis divinæ vindictæ humanam vindictam superponat? Qui illum persequitur, quem Deus percussit, & super dolorem vulnerum Dei addit, videat, quid imprecetur illi Deus, qui iniqui-
Psal. 68. tates & dolores nostros in persona dominici hominis portavit. Appone iniquitatem super iniquitatem illorum. Et reliqua. Si quis pro apostolico dicat, meritò depopulandam esse Ecclesiam, cui incumbat excommunicatus episcopus: audiat exemplum, in quo
Lib. 7. regist. cap. 129. causa causæ, & persona personæ respondet. Tempore primi Gregorii papæ, defuncto Salonitanæ urbis episcopo, cum decrevisset Gregorius, ut pro eo episcopus ordinaretur Honoratus, Maximus quidam auxilio militaris manus invadens episcopatum Salonitanum, & ab episcopis consecratus, à Gregorio excommunicatus est, & tamen Missas celebrare præsumebat. Hunc Gregorius non aliis, quàm sacerdotalibus armis debellans, non superordinavit ei Honoratum, non immisit Ecclesiæ vastatorem, sed tamdiu peccantem arguit, donec septimo excommunicationis ejus anno, tandem ad veniam petendam attraheret, eumque resipiscentem non exordinavit, non reordinavit, sed ei in gratiam suam recepto, quod deerat, dato archiepiscopali pallio supplevit. Cum ergo Salonitanæ causæ sit similis causa Cameracen. cur censura Romanæ Ecclesiæ in simili causa nititur dissimili sententia? Martinus Turonen. posset apostolico sufficere ad exemplum, ut desistat ab oppressione innocentum. Priscillianum episcopum à Damaso Papa pro hæresi damnatum, Maximus Imperator, accusante Itachio episcopo occidit, & ut omnes sequaces ejus ubique occiderentur, edixit. Martinus ergo, aliique episcopi Itachium communione Ecclesiæ privaverunt, criminantes eum, quòd ejus accusatione qualiscunque homo occisus sit. Maximus agebat cum Martino, ut Itachio communicaret: & Martinus agebat cum Maximo, ut sequaces Priscilliani non occiderentur, ne etiam catholici cum eis perirent. Quod petebat Martinus, nullo modo impetrasset, nisi ad tempus Itachio communicasset. Sic quodammodo anathema factus pro fratribus suis, retraxit ab eorum cervicibus gladium Imperatoris. Qui damnavit accusatorem Itachium pro morte hæretici, si adhuc viveret, non laudaret & illum cujus præcepto tot occiduntur pro causa Cameracensium. Qui etiam cum periculo animæ suæ liberavit hæreticos à morte, quàm graviter ferret innocentes pro aliena culpa opprimi? Nos res rebus conferimus, causis causas opponimus. At Cameracenses afflicti malis, clamant ad Paschalem, sicut filii Israel
Exod. 5. afflicti malis clamabant ad Mosen: Videat Deus, & judicet, quomodo foetere fecisti odorem nostrum coram Pharaone, & præbuisti ei gladium, ut occideret nos. ' Idipsum ' de Leodiensibus excommunicatis pseudoclericis præcipimus. Justum est enim, ut qui ' semetipsos

‘ semetipsos à catholica Ecclesia segregârunt, per catholicos ab Ecclesiæ beneficiis segre-
‘ gentur. Hic verò me invasit angustia quasi parturientis. Unde exclamare compellor, quia omnes parturientis dolores hic meus dolor vincit. Filios enim genui, hosque lacte alui fidei, hos pane veritatis confirmavi, & in virile robur provexi. Ipsa me beatificabam, quia eis in regis curia, & in Dei Ecclesia florentibus nihil deesse credebam, quod vel ad corporis pertinet decorem, vel ad animæ spectaret valorem. Sed quid est ab omni parte beatum? Ecce mater mea sancta Romana Ecclesia, vult infigere eis notam excommunicationis, & insuper erexit super eos gladium occisionis. Super his ego quidem materno dolore torqueor, ipsi ætatem habent, loquantur pro se. Idipsum (inquit) de Leodiensibus excommunicatis pseudoclericis præcipimus. Statera dolosa non est bona, ait sapientia. Quis confert causam nostram causæ Cameracensium, ut & nos patiamur quod patiuntur Cameracenses? Nos quidem Cameracensibus compatimur, nobis nihil tale verebamur. Cameracenses, quia causæ causam, personæ personam supposuerunt, gladium bicipitem sibi superposuerunt. Nos verò Leodienses quare excommunicati dicimur? quare gladius nobis superponitur? Quid dignum morte aut excommunicatione fecimus contrà canonicam regulam Ecclesiæ? In uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, nos unius moris Deus in domo sua habitare facit. Obsecrat nos Paulus per nomen domini, ut non sint in nobis schismata. Quando significatum est Romanæ Ecclesiæ, quod contentiones fuerint inter nos? Idipsum in Christo sapimus, idipsum dicimus. Non dicimus, ego sum Pauli, ego Cephæ, ego autem Christi. Nunquid pro hac unanimitate excommunicati dicimur? Ut præcipit Paulus, obedimus & subjacemus præpositis nostris, qui vigilant pro animabus nostris. Nobis legem Dei tenentibus objiciunt, quòd transgrediamur eorum novas traditiones. At illis dicit Deus: Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? Jubet Deus, ut quæ sunt Cæsaris, reddamus Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. In hanc sententiam Petrus & Paulus pedibus eunt. Petrus inquit: Deum timete, regem honorificate. Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia. Paulus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui hoc omni animæ præcipit, quem à subjectione terrenæ potestatis excepit? Quia ergo regem honoramus, quia dominis nostris non ad oculum, sed in simplicitate cordis servimus, ideo excommunicati dicimur? Sed simoniaci sumus. Simoniacos, quantùm ad nos, vitamus: & quos vitare nequimus, pro loco & tempore toleramus, certi quòd ipse Jesus, facto flagello de resticulis peccatorum, cathedras vendentium columbas evertit, & nummulariorum effundit æs. Vitamus, inquam, Simoniacos, nec minus vitamus illos, qui notam avaritiæ honesto nomine prætexentes, quod gratis se jactant dare, vendunt sub charitatis nomine: & sicut Montanistæ, sub nomine oblationum artificiosius accipiunt munera. * Oh dolendo miramur, cur excommunicati dicamur, quando, à quo, & quare excommunicati simus. Non ab episcopo nostro, non ab archiepiscopo, cui episcopus noster suffragatur, nos excommunicatos esse scimus. Sed nec à Papa Romano nos esse excommunicatos credimus, quia scimus eum non ignorare, quod ait Nicodemus: Lex nostra non judicat quemquam, nisi audierit ab ipso prius. Nec Sodomitas damnasset Deus, nisi descendisset ad ipsos videre, utrum clamorem, qui venerat ad eum, opere complessent. Qui nihil à nobis audivit, quem non episcopus, non archiepiscopus, aliquando contra nos interpellavit, quis crederet, quod nos excommunicaverit? Per scalam ad cœlos usque pertingentem videt Jacob ascendentes & descendentes angelos. Et Jesus ait discipulis: Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis, non filios hominis, id est, Adæ, in sua exprimit persona. In aperto Ecclesiæ cœlo & boni & mali intrant. Vos præsules Ecclesiæ, qui estis angeli Dei, gradatim ad nos ascendere debetis, gradatim & nos ad vos ascendere debemus. Quot gradibus ad vos ascendimus, tot ad nos ascendere debetis. Est primus gradus nobis ad episcopum, secundus ad archiepiscopum, per quos ascendere debemus ad gradum tertium, id est, ad Papam Romanum. Super filium hominis descenditis, cum humilibus compatiendo condescenditis. Super filium hominis ascenditis, cum verbo & exemplo humiles ad cœlum sustollitis. Credo, dicetis nos ideo haberi excommunicatos, quia favemus episcopo nostro, faventi partibus domini sui Imperatoris. In hac re sunt initia dolorum, pro hac re erubescunt causæ malorum, quia Satanas solutus terram perambulans, jam divisit regnum & sacerdotium. Quia ergo diabolus venit ad nos, habens iram magnam, patrem nostrum qui est in cœlis oramus pro hoc specialiter, ne nos inducat in tentationem hanc, sed liberet nos à malo hujus tentationis. Nobis dormientibus, inimicus superseminavit zizania in agro Ecclesiæ. Expectamus, donec angeli messores Dei

Horatius. Prov. 20. Psal. 67. 1 Cor. 1. Ephe. 6. Col. 3. Tit. 2. Hebr. 13. Matth. 15. Luc. 20. 1 Petr. 2. Rom. 13. Coloss. 3. Joan. 2. * Oh hoc dol— in Schardii Coll. Joan. 7. Gene. 18. Gene. 28. Joan. 1. Apoc. 20. Matth. 6. Matth. 13. & Marc. 4.

alligent zizaniorum fasciculos ad comburendum. Num ideo dicimur excommunicati? O quot manipulos tritici eradicavit, qui ante tempus zizania à tritico discernere festinat. Quis jure reprehendet, quòd episcopus partibus domini sui favet, cui promissam cum juramento fidelitatem debet? Perjurium nemo dubitat esse grande peccatum. Deus solus jurat, & non pœnitet eum: quia sapientia custodit præcepta juramenti Dei. Sed nos, quos jurasse sæpe pœnitet, jurare prohibemur. Si jurat homo, jubet Deus ut reddat domino juramentum suum. Hoc nec ignorant illi, qui regnum & sacerdotium scindentes novello schismate, & novellis (ut quibusdam placet) traditionibus, illos, qui Regi perjurant, se à culpa perjurii absolvere promittunt, non attendentes quod Ezechiel ex ore Dei dicat de Sedechia, qui perjuravit domino suo regi Nabuchodonosor. Qui solvit, inquit, pactum, nunquid effugiet? Hoc Hieronymus sic exponit: Ex hoc etiam discimus, inter hostes servandam fidem & non considerandum cui, sed per quem juraveris. Multo enim melior inventus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, & deceptus est, quam tu qui per occasionem divinæ majestatis, hosti tuo, imò jam amico, molitus es insidias. Quid laboramus in colligendis exemplis vitandi perjurii? * Tertium decalogi mandatum, de corde & ore Dei prolatum, ejusque digito scriptum, hoc est, Non assumes nomen domini Dei tui in vanum: Nec enim habebit insontem dominus eum, qui assumpserit nomen domini sui frustrá. Cum tria prima decalogi mandata ad cultum Dei pertineant, diligenter inspicientibus videtur, quod in hoc tertio decalogi mandato cætera mandata pendeant: quia cum fit, quod Deus fieri præcepit, vel non fit, quod Deus fieri prohibet, ideo utique fit vel non fit, ut nomen præcipientis vel prohibentis Dei non assumatur in vanum. Quis magis assumit nomen Dei in vanum, quam ille qui violat hoc, quod per nomen Dei jurat? Deus jubet, ne per cœlum, ne per terram, ne per caput meum jurem, ne fortè perjurem. Si culpa est perjurare per creaturam Dei, quam gravius peccat, qui per creatorem Deũ pejerat? Hinc omnes perpenditis, quòd sit reus capitis, qui non reddit Cæsari, quæ sunt Cæsaris, secundum decretum Dei, vel qui regem inhonorat contra decretum Apostoli, vel pejerando assumit nomen Dei in vanum, per quod juravit regi fidelitatem. Ecce quare excommunicati dicimur. Sed quare pseudoclerici vocamur, qui canonicè viventes, operibus meremur ut clerici vocemur? Non est, non est, inquam, de sorte Dei, qui vult nos excludere à sorte Dei. Non tales, ô mater Ecclesia, nutrivisti, ut meritò vocemur pseudoclerici. Quia enim nos voluntati nostræ non dimisisti, non confundemus te matrem nostram. Mirum est de domino Paschasio, quomodo sic convicia venalia invenit: bona mercatione videtur ea accepisse, quæ tanta in nos profundit facilitate. Modò enim nos excommunicatos nominat, modò pseudoclericos ex motu animi vocat. Eructavit cor David regis verbum bonum: evomuit cor domini Paschasii vile convicium, prout vetulæ & textrices faciunt. Petrus apostolus docet: Non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Paulus apostolus ad Galatas delinquentes ait: Filioli, quos iterum parturio in domino. Hos igitur attendat dominus Paschasius pios admonitores, non impios conviciatores. Maledictum excommunicationis dominus Paschasius nobis improperat, sed illud ante omnia timemus, quod Spiritus sanctus per os Psalmistæ dicit: Maledicti omnes qui declinant à mandatis tuis. Maledictum excommunicationis, quod ex novella traditione Hildebrandus,  Odardus, & iste tertius indiscretè protulerunt, omnino abjicimus, & priores sanctos patres usque nunc veneramur & tenemus, qui dictante Spiritu Sancto, non animi motu, in majoribus & minoribus potestatibus graviter delinquentibus, quædam dissimulaverunt, quædam correxerunt, quædam toleraverunt. Dominus noster episcopus communicat Regi & Imperatori suo, cui ex regalibus ejus acceptis fidelitatem juravit. Nimium effluxit tempus, quo hæc consuetudo incepit, & sub hac consuetudine migraverunt à seculo sancti & reverentes episcopi, reddentes Cæsari quæ erant Cæsaris, & Deo quæ erant Dei. Sed quid dicit Ambrosius super Lucam? Si Christus (inquit) non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu, si non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis igitur nihil debere regi terreno, dimitte omnia, & sequere Christum. Item Augustinus super Johannem: Apostolus voluit serviri regibus, voluit honorari reges, & dixit: Regem reveremini. Nolite dicere: Quid mihi & regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per jura regum, possidentur possessiones: per Imperatores & Reges seculi, Deus jura humana distribuit generi humano. Igitur ex verbis istorum, & aliorum sanctorum patrum, consulant sibi episcopi Regibus & Imperatoribus obnoxii ex eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id est, eorum beneficiis eos interficiant. Si quis denique respectu sancti Spiritus vetus & novum Testamentum, gestaque revolverit, patenter inveniet, quòd aut minimè, aut difficilè possunt Reges & Imperatores excommunicari, secundum etymologiam nominum illorum, & juxta determinationem

Matth. 5. — Ezech. 17. — Lib. 5. Comment. in Ezechielem. — * Jam factum est sacrilegè secundum. — Exo. 20. — Matth. 5. — Luc. 20. — Ephes. 6. — Col. 3. — Tit. 2. — 1 Petr. 2. — Exod. 20. — Psal. 44. — 1 Pet. 5. — Galat. 4. — Psalm. 118. — Luc. 20. — Li. 9. expos. in Lucam. — Aug. tract. 6. super Joannem circa finem tractatus de eo quod dictum est, Columbam super dominum descendisse.

minationem excommunicationis, & adhuc sub judice lis est. Admoneri quidem possunt, increpari, argui à timoratis & discretis viris: quia quos Christus in terris Rex regum vice sua constituit, damnandos & salvandos suo judicio reliquit. Ecce quare excommunicati vocamur, eo quòd sanctos & moderatos & antiquos patres tenemus, & pro posse imitamur. Episcopum, archiepiscopum nostrum provincialem, & comprovincialem synodum ex antiqua traditione tenemus: & quicquid ibi de scripturis sanctis definitum fuerit, Romam non refertur usq; ad graviora negotia, de quibus non invenitur in scripturis sanctis authoritas. Illos verò legatos, à latere Romani episcopi exeuntes, & ad ditanda marsupia De legatis à
discurrentes, omnino refutamus, sicut temporibus Zosimi, Cælestini, Bonifacii, concilia latere.
Africana probaverunt. Etenim ut à fructibus eorum cognoscamus eos, non morum corre- Matth. 7.
ctio, non vitæ emendatio, sed inde hominum cædes, & ecclesiarum Dei proveniunt deprædationes. Quia igitur antiquæ regulæ inhæremus, & non omni vento doctrinæ cir- Ephe. 4.
cumferimur, ecce unde excommunicati dicimur. Verùm dominus Paschasius cur pseudoclericos nos vocat? Pseudoapostoli adulterabant verbum Dei, quos damnat Paulus in epistolis suis: nos non adulteramus, sed fidem catholicam per Dei gratiam tenemus, fidei 2 Cor. 4.
catholicæ opera in Deo exequimur. Regulam canonicam ex patrum traditione habemus & reveremur, secundum illam vivimus, dijudicamur, satisfacimus, absolvimur. Conciliis Regum aut Imperatorum, aut in isto, aut in illo non intersumus, quia nostræ superiores potestates tale negotium habent inter manus, qui ex vestigiis antecessorum prudenter tractabunt. Cur ergo dominus Paschasius vult, ut exolvamus quod non rapuimus, ut pseudoclerici vocemur, ubi rectam lineam tenemus? Potiùs deposito spiritu præsumptionis, cum suis consiliariis solerter recolligat, quomodo à beato Silvestro usque ad Hildebrandum, sedem Romanam Papæ obtinuerint, & quot & quanta inaudita ex ambitione illius sedis perpetrata sint, & quomodo per Reges & Imperatores definita sint, & pseudo-Papæ damnati & abdicati sint, & ibi plùs valuit virtus imperialis, quàm excommunicatio Hildebrandi, Odardi, Paschasii. Dominus in evangelio dicit: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de ma- Joan. 18.
lo. Et Paulus apostolus in faciem Petro principi apostolorum restitit. Ergo remoto Galat. 2.
Romanæ ambitionis * typo, cur de gravibus & manifestis non reprehendantur & corri- * Fort. typho.
gantur Romani episcopi? Qui reprehendi & corrigi non vult, pseudo est sive episcopus, sive clericus. Nos verò per misericordiam Dei juxta regulam obedientes, & corrigibiles sumus, & schisma, & simoniam, & excommunicationem per omnia, dictante ratione & Spiritu sancto, vitare volumus. Ex verbis B. Augustini, Reges & Imperatores ex le- Aug. lib. 1. contra epist.
gibus promulgatis, nihil ab hæreticis in hoc mundo possideri voluerunt. Igitur cum non Parmen. 3.
simus hæretici, & hoc sit jus regum & imperatorum, quare dominus Paschasius solo ca. 7. & ult.
contentus spirituali gladio, immittit Robertum armigerum suum ad devastandos fundos & villas Ecclesiarum? Quæ, etsi devastanda essent, edicto Regum & Imperatorum devastari deberent, qui non sine causa gladium portant. Ecce solutus est Satanas, habens Apocal. 12.
iram magnam, quem exterreat valida manus Dei. Quòd excommunicati dicimur, non gravius justo feras: quia (ut credimus) nos ab excommunicatione excipiet saltem ipsa Romanorum authoritas. Hildebrandus Papa, qui author est hujus novelli schismatis, & primus levavit sacerdotalem lanceam contra diadema regni, primò indiscretè Henrico faventes excommunicavit, sed reprehendens se intemperantiæ, excepit ab excommunicatione illos, qui Imperatori adhærebant necessaria & debita subjectione, non voluntate faciendi vel conciliandi malum, & hoc pro decreto scripsit. 'Nec in parte tantùm sed ubi'cunq; poteris, Henricum hæreticorum caput & ejus fautores persequaris. Nullum profectò 'Deo gratius sacrificium offerre poteris, quàm si eum impugnes, qui se contra Deum erex'it, qui Ecclesiæ Dei regnum auferre conatur, qui in loco sancto Simonis idolum statuit, 'qui à principibus Dei sanctis apostolis eorumq; vicariis, de Ecclesiæ domo sancti Spiritus judicio expulsus est. Cum Alaricus rex Gotthorum iret ad capiendam Romam, monitus à quodam servo Dei, ut ab his malis cessaret: Non volens, inquit, vado Romam. Vir enim quidam me quotidie torquens urget, ut eam ad destruendam Romam. Hoc exemplo urget apostolicus armigerum suum, ut totum depopuletur regnum, quod non potest fieri sine cæde & sanguine, & ecclesiarum Dei depopulatione. Alaricus quidem in hoc mitior fuit, qui, capta Roma Ecclesiis Dei pepercit, & à cæde hominum abstinuit. Nunc nihil excepto, immittitur Robertus ab apostolico, ut non solùm in Cameracenses & nos Leodienses, sed totus feratur ad dispergendos omnes. Quis clamabit modò cum Esaia, Quàm pulchri super montes pedes prædicantis & annunciantis pacem, Esai. 52.
annunciantis bonum, prædicantis salutem? Eum qui debet esse prædicator pacis, zelus Matth. 26.
Dei adeo comedit, ut etiam in amicos pacis distringat gladium belli. Qualem enim ze- Marc. 14.
lum habuit Petrus in amputanda auricula Malchi, qui rex interpretatur, talem zelum Luc. 22. Joan. 18.

habet

habet modò vicarius Petri in amputanda auricula regis hæretici, in quem omnimodis invehitur. Dum enim hæreticorum caput, Dei rebellem, regni invaſorem, ſimoniaci idoli adoratorem, ab apoſtolis & apoſtolicis excommunicatum vocat, quaſi tot ictus ictibus addit, & tot vulnera animæ ejus infligit, ut ſi infirmus in fide eſſet, deſperare poſſet. Sed qui in feriendo Petrum imitatur, etiam in recondendo gladio Petrum imitetur. Qui enim ſanavit auriculam Malchi, poteſt etiam ſanare auriculam regis hæretici. Si talis eſt, (quod abſit) & pro nobis dolemus, & ipſi domino noſtro condolemus. Nihil modò pro Imperatore noſtro dicimus, ſed hoc dicimus, quòd etiamſi talis eſſet, tamen eum principari nobis pateremur: quia ut talis nobis
Attende. principetur, peccando meremur. Eſto, concedimus vobis inviti, eum talem eſſe, qualem dicitis. Nec talis à nobis repellendus eſſet armis contra eum ſumptis, ſed precibus ad Deum fuſis. Contra Pharaonem, cujus cor contra Deum induravit, Mo-
Exo. 8, 9, & 10. cap. ſes ranam, muſcam, locuſtam, grandinemque induxerat: has tamen plagas, non niſi
1 Tim. 2. orando, extenſis in cœlum manibus, avertere potuit. Et Paulus: Obſecro, inquit, primò omnium fieri orationes pro regibus, & pro omnibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti. Reges illius temporis, pro quibus Paulus orari obſecrabat, non catholici, non Chriſtiani erant. Baruch quoque ex ore Hieremiæ ſcribit Judæis à rege Babylonis
Baruch. 1. captivatis: Orate pro vita Nabuchodonoſor regis, & Balthaſar filii ejus, ut ſint dies ipſorum ſicut dies cœli ſuper terram, & det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor regis Babylonis, & Balthaſar filii ejus, ut ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum.
☞ 1 Tim. 2. Cur pro malis regibus orari debeat, Paulus dicit, ſcilicet, ut tranquillam vitam agamus. Eſſet apoſtolicum, imitari apoſtolum: eſſet propheticum, imitari prophetam. Sed peccatis noſtris merentibus, apoſtolicus, qui etiam modò orare deberet pro rege quamvis peccatore, ut tranquillam & quietam vitam agamus, agit bellando, ne tranquillam & quietam vitam agamus. Cum ita ſibi conſonent apoſtolica & prophetica verba, quæro humiliter ego filia à matre mea ſancta Romana Eccleſia, unde hæc authoritas apoſtolico, ut præter ſpiritualem gladium, exerat in ſubjectos alterum occiſionis gladium. Non ago pro rege, ſed pro eccleſiarum matre, cujus parti timemus nos
1 Paral. 22. & 28. ejus filiæ. Si enim David non meruit ædificare templum Dei, quia vir ſanguinum erat: ſummus pontifex, ſi vel ſtilla ſanguinis veſtem ejus tetigerit, quomodo in ſancta ſanctorum introibit cum ſanguine Chriſti, quem offerat pro ſua & pro populi ignoran-
Matth. 27. tia? O utinam non cum Pilato tantùm lavet manus ſuas, dicens: Mundus ego ſum à
Joan. 13. ſanguine innocentum, ſed etiam cum Petro dicat: Domine, lava non tantùm pedes
Marc. 15. meos, ſed & manus & caput. Judæi non excuſaverunt manus ſuas à ſanguine Chriſti, quem ipſi hora tertia linguis ſuis, hora ſexta manibus Romanorum crucifixerunt.
Acto. 20. Apoſtolicus verò ſe excuſans, dicit cum Paulo: Mundus ego ſum à ſanguine omnium veſtrum. Quis pontificum Romanorum ſuis unquam decretis authorizavit, ut debeat
Lib. 7. regiſtri, cap. 1. pontifex gladio belli in peccantes uti? Gregorius primus hujus nominis Papa, quid omnes ante ſe Papæ ſuper hoc ſenſerint, & quid omnes poſt ſe ſentire debeant, oſtendit, ſcribens
* breviter Sabiniano diacono: Unum eſt, quod * humiliter ſuggeras Sereniſſimis dominis noſtris: quia ſi ego ſervus eorum in mortem vel Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in ſum-
* eſſet diviſa ma confuſione * eſſet. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuſlibet hominis me miſcere formido. Hoc exemplo omnes à primo Gregorio contenti, utebantur ſolo gladio ſpirituali, uſque ad ultimum Gregorium, id eſt, ad Hildebrandum, qui primus ſe & ſuo exemplo alios pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli. Quis poſſit regem
Job 34. arguere? Meliùs nobis intellexit Heliu, qui in libro Job de Deo ait: Qui vocat duces
Moral. li. 25. cap. 20. impios, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Quod Gregorius exponens: Nullus, inquit, qui talem rectorem patitur, eum quem patitur, accuſet: quia nimirum ſui fuit meriti, perverſi rectoris ſubjacere ditioni. Culpam ergo proprii
Oſeæ 13. magis accuſet operis, quàm injuſtitiam gubernantis. Scriptum namque eſt: Dabo tibi reges in furore meo. Quid ergo illos nobis præeſſe diſpicimus, quorum ſuper nos regimina ex domini furore ſuſcepimus? Sic ergo ſecundum merita ſubditorum, tribuuntur perſonæ regentium, ut ſæpe, qui videntur boni, accepto mox regimine per-
1 Reg. 13. mutentur, ſicut Saul, qui cor cum dignitate mutavit. Sic ergo pro qualitatibus ſubditorum, diſponuntur acta regentium, ut ſæpe pro malo gregis, etiam vera boni rectoris vita delinquat. Certum verò eſt, quòd ita ſibi invicem & rectorum & plebium merita connectantur, ut ſæpe ex culpa rectorum deterior fiat vita plebium, & ſæpe ex merito plebium mutetur vita rectorum. Sed quia rectores habent judicem Deum, magna cautela ſubditorum eſt, non temerè judicare vitam regentium. Hæc

Gregorii

Gregorii verba agunt pro nobis, quod vos Deo judicium suum tollatis, nec attendatis quod dicit Amos propheta: Væ desiderantibus diem domini. Diem domini desiderat, qui injustè vel importunè vel intempestivè de subjectis judicat, vel voto cordis judicium Dei præoptat. Non dicimus Imperatorem nostrum esse hypocritam, sed vos, qui eum habetis pro hypocrita, miramur, quod non attendatis, qua causa Deus regnare faciat hypocritam. Si enim cessârit causa peccati, cessabit & pœna peccati. 'Quid de eo dicimus, quòd Henricum ab apostolis & apostolicis viris excommunicatum 'Sancti Spiritus judicio dicit? Nimis illum detestatur, quem nec Regis, nec Imperatoris nomine dignatur. Quis poterit discernere causam regni à causa sacerdotii? Nisi pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, copulet regnum & sacerdotium uno angulari lapide concordiæ, vacillabit structura Ecclesiæ super fidei fundamentum. Ut potestatem regni probat vel improbat causa modusque regendi, sic potestatem sacerdotii probat vel improbat causa, modusque ligandi & solvendi. Nam Clemens scribit dixisse Petrum: Ligabis quod oportet ligari, & solves quod expedit solvi. Qui præest cæteris, oportet agere vicem medici, non bestiali furore commoveri. Qui ergo debet agere vicem medici, audiat etiam consilium sapientiæ. Omnis, inquit, * potestatis brevis est vita. Languor prolixior gravat medicum. Brevem languorem præcidit medicus. Sic & rex hodiè est, & cras morietur. Cum ab omnibus indicatur prælato virtus discretionis, quare apostolici succedentes sibi invicem, quasi hæreditario bello excommunicandi indiscretè in regem insurgunt; cui pro regali dignitate etiam ipsi subjici jubentur? 'Qui excommunicatur Sancti Spiritus judicio, uti'que repellendus est à Dei domo. Quotiescunque autem aliquis excommunicatur, aut ex causæ aut ex personæ præjudicio, quis dicat hunc excommunicatum esse sancti Spiritus judicio? Dicitis cum Gregorio: Quoquo modo liget pastor, timeat grex vinculum pastoris. Dicimus & nos cum Gregorio: Ligandi & solvendi potestate se privat, qui subjectos pro suo velle, & non pro eorum merito, ligat & solvit. Dicitis: Quoquo excommunicatur, si morte prævenitur, damnatur. Hîc nobis succurrit Romanæ Ecclesiæ authoritas. Gregorius enim scripto & facto authorizavit, quòd potest Romanus præsul absolvere excommunicatum injustè ab aliquo. Si hoc potest Romanus præsul, quis neget, etiam Deum posse absolvere, si quem præsul Romanus injustè excommunicaverit? 'Nemo enim lædi potest ab alio, nisi priùs lædatur à 'semetipso. Nullum profectò, inquit, gratius Deo sacrificium offerre poteris. Qualiter hoc sacrificio nihil sit gratius Deo, quæro à te, ô mater mea Romana Ecclesia. Deo enim non placet sacrificium, nisi sit mundum & immaculatum. Ideo enim lex in pascha offerebat Deo agnum immaculatum, ut etiam offerentes essent immaculati. Quomodo ergo tam gratum est Deo hoc bellandi sacrificium, quod non potest fieri sine macula culparum? Dicit enim Malachias: Si offeras Deo pecus claudum, cæcum, languidum, nonne malum est? Apostolicus, qui hoc sacrificium belli indicit Roberto filio suo, vellet, puto, redire ad zelum Phinees, vellet facere quod fecit Moses, ut manus Levitarum consecret in sanguine fratrum suorum. Perierunt filii Aaron offerentes ignem alienum. Utinam non pereat hic, qui etiam modò offert Deo ignem alienum, & non illum ignem, quem venit Jesus mittere in terram, & vult ut ardeat. Quomodo, inquam, gratum est Deo sacrificium, quod non videtur esse mundum & immaculatum? Sacrificium de rapinis pauperum erit gratum illi, qui odit rapinam in holocaustum? Nec sacrificio de lachrymis viduarum & pupillorum delectabitur Deus, ut ait Jesus filius Sirach. Non despiciet Deus gemitum pupilli & viduæ. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & à maxilla ascendunt usque ad cœlum? Et dominus exauditor non delectabitur in illis? Sacrificium de oppressionibus ecclesiarum, quomodo gratè accipiet ille, qui dixit: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritum, & trementem sermones meos? Hac calamitate apostolici belli quot sunt oppressi, de quibus Deus dicit: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Sacrificium humano sanguine inquinatum, miror si placebit illi, qui dixit: De manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, sanguinem hominis requiram. Quod per modos sacrificandi Jesus in evangelio tribus penè verbis concludit: Omnis sacrificans igne salietur, & omnis victima sale salietur. Quàm planè hoc est conclusum, quis gratè Deo sacrificet, vel quod sit gratum Deo sacrificium? Si sacrificans igne Spiritus Sancti salietur, victima quoque sacrificantis sale sapientiæ salietur. Et penetrans Jesus altiùs ad intentiones cordis, addit: Bonum est sal: Quod si sal insulsum fuerit, in quo condietis illud? Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos. Tenorem hujus evangelici capituli quis melius exponet quàm rei & præsentis temporis consequentia? Non possumus habere pacem inter nos, nisi habeàmus

salem

Amos 5. Job. 34. Philip. 4. Epistola prima Clementis ad Jacobum fratrem domini. Eccl. 10. * potentatus Homil. 26. Homil. 26. Exodi 12. Malac. 1. Num. 25. Exod. 32. Levit. 10. Luc. 12. Eccl. 35. Esai. 66. Zach. 2. Gen. 9. Mar 9. Ibidem.

falem in nobis. Sed falem non habemus in nobis, ideo non habemus pacem inter nos. Hoc (inquit) tibi ac militibus tuis in peccatorum remiffionem & apoftolicæ fedis familiaritatem præcipimus, ut his laboribus & triumphis ad cœleftem Hierufalem pervenias. Hactenus evangelicis, apoftolicis & propheticis teftimoniis innitebar, & quod minus habebat materia, augebat exemplorum copia: hic vero quid etiam, nefcio: quo me vertam, non video. Si enim utriufque legis totam bibliothecam, fi omnes totius bibliothecæ veteres expofitores revolvam, exemplum hujus apoftolici

Hic fuit Gregorius feptimus poftea vocatus.

præcepti non inveniam. Solus Hildebrandus Papa ultimam manum facris canonibus impofuit, quem legimus præcepiffe Mathildi Marchioniffæ, in remiffionem peccatorum fuorum, ut debellaret Henricum Imperatorem. Quod juftè, necne ipfe vel alii fecerint, nulla authoritate difcimus. Hoc folum difcimus, quia non poteft aliquis aliquem indifcretè folvere vel ligare. Ad hoc occurrit nobis ex evangelio exemplum.

Joan. 11.

Jefus Chriftus, totum hominem fine peccato agens, refufcitaturus Lazarum, videns alios pro illo plorantes, fremuit fpiritu, turbavit femetipfum, lachrymatus eft. Rurfum fremuit in femetipfo, juffit tolli lapidem mortuo fuperpofitum, elevatis oculis oravit, voce magna clamavit: Lazare, veni foras. Quo prodeunte, ligatis manibus ac pedibus inftitis & fudario facie ligata, dixit Jefus difcipulis, ut folverent eum. Ecce in Lazaro peccatorem, in Jefu video prædicatorem. Quot affectus oftendit Jefus in Lazaro fufcitando, tot affectus oftendit prædicator in peccatore fufcitando. Si peccator vel pro peccatore prædicator turbaverit feipfum pœnitendo, fi lachrymatus fuerit, fi clamaverit, veni foràs, confitendo peccata, fi tulerit lapidem de duro corde peccantis, tandem ad juffum Dei folvat inftitas excommunicationis, tollat etiam à facie ejus laboriofum pœnitentiæ fudarium, & fic liberum finat abire. Hinc Gregorius ait: Mortificat non morientem, qui juftum damnat: nititur vivificare non victurum, qui reum fupplicio folvere conatur. Vera eft abfolutio præfidentis, cum fequitur arbitrium æterni judicis. Sic difcipuli Lazarum jam viventem folvunt, quem Jefus fufcitaverat mortuum. Si enim mortuum folverent, fœtorem magis oftenderent quàm virtutem. Hæc Gregorius. Hunc morem difcretè ligandi & folvendi hactenus tenebas, & nobis tenendum mandabas, ô fancta mater Romana Ecclefia. Unde ergo hæc nova authoritas per quam reis fine confeffione & pœnitentia, offertur præteritorum peccatorum impunitas, & futurorum libertas? Quantam feneftram malitiæ per hoc patefecifti hominibus? Te ô mater liberet Deus ab omni malo. Sit Jefus tibi oftium, fit oftiarius. Nullus in te introeat, nifi cui oftiarius aperuerit. Te, inquam, tuumque præfulem liberet Deus & ab his, qui (ut ait Micheas Propheta) feducunt populum Dei, qui mordent dentibus fuis, & prædicant pacem: & fi quis non dederit in ore eorum quippiam, fanctificant fuper eum bellum.

Ibidem. Ibidem. Homil. 26. Mich. 2.

FINIS.

OPUSCU-

OPUSCULUM TRIPARTITUM.

CAPUT I.

Ostenditur quòd summi Pontificis sit vigilare diligenter super populum Christianum.

NOtandum est, quòd ad quemlibet prælatum pertinet vigilare super gregem animarum sibi commissum. Hinc est, quòd Lucæ 2. in hujus figuram dicit Evangelista: Pastores erant vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Hinc est, quòd iterum Apostolus sine figura clarius hoc insinuat, loquens de præpositis Ecclesiæ ad Hebræos ultimo, & dicens: Ipsi pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Hinc est etiam, quòd ipse Dominus comminando dicit Episcopo Ecclesiæ Sardis: Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & horâ qua nescis, veniam ad te, &c. Sicut accidit de latrone insidiante gregi, qui cum invenit pastorem dormientem, interdum strangulat eum subitò & ex improviso. Debent ergo omnes prælati, pastores animarum, vigilare. Et ideo bene dicitur Timotheo: Tu verò vigila, tu scilicet, qui es Episcopus & pastor. Licèt autem hoc ad quemlibet pastorem pertineat, tamen in tribus casibus hoc solet facere magnus pastor. Unus est, quando grex est multus. Secundus est, quando est in periculo. Tertius est, quando habet magnam mercedem. Majorem enim curam debet habere de grege, quando est multus, quàm quando est modicus. Et quando est in magno periculo luporum & latronum, quàm cum est sine periculo. Et quando habet mercedem magnam pro gregis custodia, quàm quando parvam. Porrò summus Pontifex & gregem magnum habet curare, quia totum populum Christianum. Item gregem in magno periculo existentem, viz. inter hostes & dæmones. Et pro quo magnam habet mercedem, propter eam quam in cœlo expectat, videlicet totius mundi dominium. Si ergo Jacob patriarcha sic vigilabat, propter pecorum parvum gregem, & qui non erat in magno periculo, & pro quo parvam mercedem habebat in comparatione ad istam, quòd fugiebat somnus ab oculis ejus, sicut dicitur in Genesi, quàm reprehensibilis est iste pastor, non pecorum, sed animarum, qui * scilicet dormitat? Et ideo licèt alii Apostoli dormitarent cum Petro, tamen specialiter reprehenditur Petrus à Domino dicente sibi: Simon, dormis, tu videlicet, cui commisi omnes oves meas? Item licèt omnis Papa debet vigilare, tamen specialiter ille qui sortitus est nomen Gregorii, quod Græcè dicitur vigilans, ut non solùm dicatur Gregorius, rem nomini conformando, sicut dicitur de magno Gregorio in Legenda sua, quod ideo justè dictus est Gregorius, quia vigilavit. Patet ex jam dictis, quòd ad omnem prælatum pertineat, vigilare supra gregem suum, sed magis ad Papam, maximè autem quando quodam præsagio futurorum sortitus est nomen Gregorii.

Luc. 2. Hebr. 13. Apoc. 3. 2 Tim. 4. Gen. 31. * Fort. sic Marc. 14.

CAPUT II.

Quòd populus Christianus subjacet triplici incommodo, sicut populus Israeliticus.

SEcundò notandum est, quod populus Dei Israeliticus fuit olim subjectus tribus incommodis. Habuit enim semper hostes deforis impugnantes, modò Cananæos, modò Ægyptios, modò Assyrios, modò Babylonios, modò Philistæos & similes, sicut patet percurrenti divinas historias à temporibus Abraham usque in finem. Item habuit divisionem gravem inter se inter duas tribus, ex una parte quæ dictæ sunt Juda, & decem quæ dictæ sunt Israel ex alia. Et hæc incepit à tempore Roboam filii Salomonis, sicut patet in libro Regum, & postea nunquam potuit reuniri. Item pars illa quæ magis adhæsit Domino, scilicet Juda, majoribus se sceleribus exposuit. Justificavit enim animam suam adversatrix Israel comparatione prævaricatricis Juda. Hæc autem eadem incommoda sunt in populo Christiano. Nam semper habuit persecutionem ab aliquibus

3 Reg. 12. Hierem. 3.

 hostibus

2 Tim. 3. hostibus forinsecus, sicut prædixit Paulus Timotheo: Omnes qui piè volunt vivere in Christo, hoc est, Christiani, persecutionem patientur. Item à tempore quodam habent intra se divisionem gravem inter Græcos & Latinos, qui scilicet in ventre Ecclesiæ intus
Gen. 25. colliduntur, sicut olim Esau & Jacob in ventre matris Rebeccæ. Et hoc est quod maxi-
Luc. 11. mam desolationem inducit in Ecclesiam, juxta illud Lucæ: Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur. Miserabiliter enim propter divisionem istam minuuntur vires Ecclesiæ. Item sicut illi nôrunt plenius, qui nôrunt statum Latinôrum, non solùm extrinsecè, sed etiam intrinsecè, Latini, licèt quoad ea quæ sunt fidei, veriùs adhæreant Deo suo quàm Græci, tamen quoad mores, multo pluribus fœditatibus & sceleribus sunt implicati: quod magis est lachrymis deplorandum, quàm authoritatibus confirmandum.

CAPUT III.

Quòd summi Pastoris est apponere remedia pro suo posse contra hæc tria incommoda.

TErtiò notandum est, quòd ad summum Pontificem pertinet contra hæc tria incommoda pro posse suo apponere remedia. Quis enim pastor est qui non nitatur oves suas defendere à lupis forinsecis, & dispersas congregare, & ægrotis curam sanitatis adhibere?
Ezec. 34. Hinc est, quòd Dominus per Ezechielem loquens malis pastoribus, & de illis conquerens, dicit: Facti sunt greges mei in rapinam; & hoc quoad primum: & iterum, Quod abjectum est non reduxistis, & hoc quoad secundum: & iterum, Quod ægrotum non sanastis, & hoc quoad tertium. Econtrariò verò de se, qui est bonus pastor, dicit ibidem: Quod pingue & forte custodiam, scilicet à lupis, & hoc quoad primum: & iterum, Quod abjectum fuerat reducam, & hoc quoad secundum: & iterum, Quod infirmum fuerat consolidabo, & hoc quoad tertium. Patet ergo ex prædictis, quòd ad summum pastorem pertinet apponere remedia contra hostes Ecclesiæ forinsecos, & contra dispersionem intrinsecam readunandam, & contra vitiorum infirmitates quæ abundant in ovibus sibi adhærentibus.

CAPUT IV.

Quòd Christianitas impugnata est à sui initio usque nunc à septem generibus hominum.

QUartò notandum est, quòd Christianitas ex quo incepit, semper habuit impugnatio-
Act. 28. nem, sicut aiunt Judæi in Actibus: De hac secta notum est nobis, quòd ubique ei contradicitur. Sunt autem septem varietates hominum, à quibus impugnata est magis
1. notabiliter à sui principio usque modo. Primi fuerunt Judæi. Isti enim sunt qui lapidaverunt Stephanum prædicantem Christianitatem, Apostolos incarceraverunt, flagellaverunt, & tandem de civitate in civitatem expellentes de Judæa fugaverunt, & innumeras tribulationes primitivæ Ecclesiæ intulerunt, sicut patet in Actibus Apostolorum per totum.
2. Alii fuerunt idololatræ. Isti enim cum Pontificibus suis & Magis quos habuerunt,
Act. 19. persecuti sunt multum prædicatores fidei Christianæ, sicut patet in Actibus & in Legendis Apostolorum & sanctorum aliorum multis.
3. Alii fuerunt Philosophi. Isti enim, quia rationibus innitebantur, multùm restiterunt
Act. 17. fidei Christianæ, quæ multa ponit super rationem. Unde in Actibus quidam Epicurei & Stoici philosophi differebant cum Paulo, &c. Alii verò dicebant: Novorum dæmoniorum videtur annunciator esse, quia Jesum & resurrectionem denunciabat eis.
4. Alii fuerunt hæretici. Fuit enim aliquando tempus in quo multi hæretici habuerunt Imperatorum multorum favorem, & per eorum potentiam graves persecutiones exercue-
5. runt in multos catholicos, sicut patet in Chronicis multis. Alii fuerunt Imperatores infideles, qui per diversa tempora, sicut narrant Chronica multa, moverunt decem persecutiones valdè graves contra Christianos ante tempora Constantini qui Ecclesiam sublimavit, quæ dicuntur decem cornua illius bestiæ monstruosæ, diaboli scilicet, de qua fit
6. mentio in Apocalypsi. Alii fuerunt Barbari, videlicet Wandali, Gothi, Hunni, Tartari,
Apoc. 17. qui suâ rabie Christianos multipliciter & inæstimabiliter afflixerunt.

Alii

Alii fuerunt & sunt adhuc (proh dolor) pessimi Saraceni, quibus seductor eorum Mahumetus dedit legem specialiter ad destruendam Christianitatem. Dixit enim quòd missus erat Propheta à Deo ad exponendum & corrigendum legem Christianorum & legem Judæorum. Quot autem & quantas impugnationes fecerunt & faciunt Christianis, non est facilè explicare. Patet ergo ex istis, quòd sicut fuerunt olim septem gentes impugnantes Israel, de quibus habetur in Deuteronomio, ita & ista septem genera hominum perversorum Christianitatem impugnarunt. Isti autem sunt multi Antichristi extenso nomine, Christo scilicet contrarii, de quibus Johannes: Antichristi multi facti sunt. Isti etiam sunt illa septem capita bestiæ monstruosæ: de qua dicitur in Apocalypsi, quia corpus diaboli monstruosum habet ista septem hominum genera inter se divisa & distincta ab invicem, & multis præposita.

Deut. 7.
1 Johan. 2.
Apoc. 17.

CAPUT V.

Quod ista septem genera persecutorum jam pene enervata sunt omnia præter Saracenos.

QUintò notandum est, quòd per Dei gratiam omnia ista genera persecutorum Christianitatis, jam sunt ita enervata, quòd parum aut nihil faciunt contra Christianitatem præter solos Saracenos. Judæi enim sic sunt convicti per scripturas, sicut patet in libro Petri Alphonsi qui fuit Judæus magnus, & postea baptizatus in Hispania sub rege Alphonso in festo beati Petri, propter quod tale nomen accepit, & in multis aliis opusculis sanctorum, & sic divinâ ultione dejecti, quòd nec sciunt nec possunt aliquid contra populum Christianum. Iterum fallacia diabolica, quæ in phanis & Magis & in aliis pertinentibus ad idolorum cultum, sic Christi virtute exufflata est de toto mundo, quod nec etiam idololatria alicubi inveniatur hodie, præterquam in paucis quibusdam partibus Aquilonaribus apud Prutenos & quosdam alios paucos. Item philosophia sic conculcata est per viros quosdam catholicos excellentis ingenii, qui omnia quæ apud eam sunt investigaverunt, & multo clariùs quàm ipsi philosophi plura intellexerunt propter divinam scientiam quam habuerunt, & in his in pluribus eos illuminaverunt, quòd non solùm non rebellat philosophia fidei catholicæ, sed redacta est quasi tota in obsequium ejus. Iterum hæretici, qui quondam per potentiam magnatum infestabant, & occidi & exulare faciebant catholicos, sic extirpati sunt, quòd nunquam audent palam comparere, licèt per latibula aliqui adhuc discurrant. Item Imperatores à multo tempore non solùm non persequuntur catholicos, imò summè exaltaverunt Ecclesiam, & honorem suæ dignitatis ab Ecclesia recipiunt & recognoscunt. Item Barbari jam non comparent in mundo præter Tartaros, qui ita longè sunt à multitudine Christiana, quod adhuc parum nocuerunt eis, nisi solùm in Hungaria, imò juvant etiam Christianos in persequendo Saracenos, quos plus odire dicuntur quàm Christianos. Et sic patet quòd non remanet Christianis persecutio gravis, nisi Saracenica.

CAPUT VI.

Quod molesta sit Saracenica impugnatio.

SExtò notandum est, quàm sit gravis persecutio Saracenica. Ad quod sciendum, est notandum quòd, sicut legitur in libello qui dicitur Imago mundi, & in multis Chronicis, de decem persecutionibus Christianitatis, quæ factæ fuerunt ante Constantinum ab Imperatoribus diversis; Prima fuit sub Nerone, qui imperavit annis tredecim & mensibus octo. Secunda sub Domitiano, qui imperavit annis quindecim & mensibus quinque. Tertia sub Trajano, qui imperavit annis octodecim & dimidio. Quarta sub Marco Antonino, qui imperavit annis octodecim & mensibus quinque. Quinta sub Severo, qui imperavit annis septemdecim. Sexta sub Maximo, qui & Maximinus, qui imperavit annis tribus. Septima sub Decio, qui imperavit annis sex. Octava sub Valeriano, qui imperavit annis quindecim. Nona sub Aureliano, qui imperavit annis quinque & mensibus sex. Decima sub Diocletiano, qui imperavit annis viginti. Computa omnes istos annos, & invenies annos centum viginti sex, mensem unum & dimidium. Iterum sicut

potest

potest constare ex multis historiis. Persecutio Wandalorum & Gothorum & Hunnorum, licèt unaquæque earum fuerit valde gravis, tamen fuerunt velut tempestas citò transiens, nec multum duravit quælibet earum. Quod etiam verum est de Tartaris. Persecutio verò Saracenica quæ incepit à tempore Heraclii, jam duravit multo plus quàm per annos * sexcentos & sexaginta. Et sic patet, quòd multo plus duravit ista persecutio sola quàm omnes aliæ persecutiones bellicæ, tam scilicet Imperatorum quàm Barbarorum. Præterea persecutiones Imperatorum non fuerunt continuæ, imò uno illorum persecutorum mortuo, Christianitas sub uno successore vel pluribus longo tempore interdum quiescebat. Similiter persecutio Barbarorum non fuit continua, imò interpolata, nec ipsi etiam iidem continuè impugnabant Christianos. Persecutio verò Saracenica, ex quo incepit, semper fuit continua, nisi fortè quando interdum fiebant treugæ, quas etiam ipsi non bene servabant frequenter. Iterum Saraceni persecuti sunt Christianos ubique terrarum. Dividitur enim tota terra habitabilis in tres partes, in Asiam majorem, quæ continet duas mundi partes, & Africam & Europam. Porrò de tota fere Asia, in qua fuit maxima Christianitas, sunt expulsi Christiani per Mahumetum & suos. Totam enim Africam tenent modò, & tenuerunt à longo tempore, in qua aliquando fuerunt quadringenti quatuor Christiani Episcopi,& modò non est nisi unus apud Marochium super Christianos sibi subjectos. Inde iterum transeuntes in Hispaniam & in Siciliam & in Italiam, occupaverunt multas partes Europæ, & licèt per Johannem Tusculanum Papam depulsi sunt ab Italia, sicut dicunt Chronica, & per Carolum ab Hispania: tamen adhuc multam partem tenent Hispaniæ, & loca fortia tenent ibi. In Apulia etiam est adhuc magna multitudo apud Nuceriam translata illuc de Sicilia per Imperatorem Fridericum. Et sic patet quomodo ubique terrarum persequuti sunt Christianos. Præterea persecutio eorum ferventior & magis assidua est circa loca sacratissima, scilicet circa Hierusalem, ubi quasi omnia sunt per eos prophanata. Iterum aliqui fuerunt persecutores Christianitatis, qui non quærebant nisi fidem inficere, ut quidam hæretici. Alii qui non quærebant nisi corpora Christianorum interficere, ut quidam Barbari. Alii qui non quærebant nisi terras omnes sibi subjugare, ut dicitur de Tartaris. Sed isti infœlices omnia ista tria persequuntur in Christianis, fidem videlicet, quam reprobandam esse conantur ostendere, & corpora, quia eorum sanguine vix satiantur, & terras nostras occupaverunt & occupare non cessant. Et sic patet, quòd quicquid divisim in Christianis alii persequuntur, isti insimul omnia persequuntur. Iterum Judæi, idololatræ, philosophi & hæretici multi resilientes ab errore suo conversi sunt multoties ad fidem catholicam, similiter & Imperatores à tempore multo facti sunt Christiani, similiter & Barbari persequentes, baptizati fuerunt, ut dicunt historiæ. Wandali enim, qui & Poloni, baptismum receperunt: similiter Hunni, qui & Hungari: similiter Gothi, qui & Daci. De Tartaris etiam nostri temporis aliqua spes est habita, nec adhuc est desperandum. Infœlices verò Saraceni sic habent cor obstinatum contra Christianos, quòd quasi nunquam à tanto tempore quo inceperunt, fuerint aliqui baptizati, nisi fortè aliqui captivi, & hoc raró. Et vix etiam unquam aliquis talis fuit bonus Christianus. Iterum ipsi legem habent sic fraudulenter confictam, quam ab angelo suo seductore dicunt traditam, quòd in credendis non continet aliquid supra rationem. Primò continet talia quæ homines quantumcunque bestiales possunt capere, ut paradisum, corporales delicias habentem, & similia. Nec præcipit etiam aliquid magnæ austeritatis, imò concedit voluptuosa quàm multa circa multitudinem mulierum, & earum abusum, & similia. Nec comminatur æternitatem pœnarum, sed promittit ad preces Mahumeti omnes suos finaliter salvandos. Insuper palliat omnia mala insertione quorundam operum laudabilium pietatis & eleemosynarum, orationum & jejuniorum, & hujusmodi, sicut patet in Alchorano, qui est liber legis Mahumeti. Ex his igitur patet, quàm fraudulenter lex ista est adinventa contra Christianos, qui habent legem continentem difficilia in credendis, quæ sunt supra rationem, in agendis verò valde austera, in futuro verò damnationem æternam malis. Et ideo valdè facilius est avertere homines malos & fatuos ab ista lege ad illam quàm econverso. Et sic accidit de facto, quòd multi Christiani transeunt & transierunt ad Saracenicam legem. Ex prædictis manifestum est, quòd septem sunt circumstantiæ quæ aggravant persecutionem Saracenicam contra Christianos.
1. Nam si respiciatur ad tempus valdè diu duravit, & quasi continua fuit. Si re-
2. spiciatur ad loca, ubique terrarum invaluit, & serventius in locis sanctitatis exarsit. Si
3. attendatur ad illud quod persequuntur, omnia persequuntur, animas videlicet, corpora
4. & possessiones. Si attendatur ad animos persequentium, obstinati sunt supra omnes alios
5. persecutores. Si consideretur modus, invenitur calliditate plenus propter legem, contra
6. hos callidè sibi datam. Insuper istis addi potest, quòd ipsi plures sunt numero propter
7. multitudinem uxorum & ancillarum quàm alii persecutores, & ideo potentiores sunt aliis contra nos & fuerunt.

* Hinc constat opusculum hoc ante 400, & quod excurrit, annos fuisse scriptum.

CAPUT

CAPUT VII.

Quantum dolendum sit Christianis omnibus super dejectione Christianitati facta à Saracenis.

SEptimò notandum, quantus dolor debet Christianis nasci ex tali persecutione. Quomodo (inquit Jeremias) sedet sola civitas, scilicet Hierusalem, plena populo? scilicet olim: & nos Christiani heu! possumus lamentari & dicere: Quomodo sedet tota fere Asia & tota Africa & magna pars Europæ in Hispania sola à Christianis, plena olim eisdem? Hæreditas nostra (dicit idem Jeremias) versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Et quæ, obsecro, & quàm angusta est hæreditas illius & domus Judææ in comparatione ad illam terræ latitudinem quam possident modò Saraceni, prius possessam à Christianis, quæ versa est ad eos? Servi (sequitur ibidem) dominati sunt nostri, & non fuit qui redimeret nos de manu eorum. Et sic, proh dolor! impletur hodie: Quia siqui Christiani remanserunt in terris occupatis à Saracenis, qui fuerunt de ancilla Agar, & ideo servi, dicuntur servi isti, & in miserabili angaria tenent eos, & non est qui eripiat. Deus (inquit sanctus David) venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, &c. Isti autem immundi Saraceni non solùm templum Domini, imò & sepulchrum Domini & omnia sacra loca in illa regione & innumeras Ecclesias sacrosanctas Dei vivi & Domini nostri Jesu Christi cultui deditas per omnes terras quas occupaverunt, polluerunt & profanaverunt. Vidi ego propriis oculis sanctam capellam, in qua se receperunt Saraceni qui ibant domino Frederico, & dicebatur pro certo, quòd ibi jacebant de nocte cum mulieribus ante crucifixum, & nefandissima committebant, &c. Sequitur: Effuderunt sanguinem servorum tuorum in circuitu Hierusalem. Isti autem non solùm in circuitu Hierusalem, sed fere per totum orbem effuderunt. Aliquando enim per Hispaniam transierunt usque ad regnum Franciæ ad sanguinem ibidem effundendum, sicut dicunt Chronica. Et quem, obsecro, sanguinem? Non Judaicum sed Christianum, Christi sanguine redemptum. Quis autem possit enumerare quot magnates & quot viri sancti & quanta multitudo popularis ab ipsis sunt interfecti à tempore sui deceptoris, qui per gladium legem suam promovet, & promovendam docuit? Sequitur: Facti sumus opprobrium vicinis nostris. Et quanta (obsecro) est verecundia Christianitatis, in qua sunt tot proceres illustrissimæ nobilitatis, tanta militia famæ mirabilis, tanta multitudo popularis, tanta dignitas & divitiæ in clero, cum ita conculcatur à vilibus & indignis, qui etiam nihil probitatis habere dicuntur, nisi quantum didicerunt in conflictibus Christianis, vel ab apostatis, vel stipendiariis Christianis? Quantum ex hoc (inquam) vilificatur nomen & gloria Christiana apud barbaras nationes, cum vident nos sic ab istis tractari viliter, cum inter nos & ipsos sit speciale & antiquum certamen? Et nota, quòd inter omnia quæ Urbanus Papa inseruit in sermone, quem fecit apud Claromontem in prima crucis signatione, qui est insertus in fine opusculi de Cruce contra Saracenos prædicanda, fuit hoc præcipuum unum ad movenda corda Christiana, videlicet de materia doloris quem debent habere ex prædictis & aliis causis.

Thren. 1. Thren. 5. Thren. 5. Psal. 78. ☞ Psal. 78. Psal. 78.

CAPUT VIII.

Quod maximè hoc debeat tangere Clerum, præcipuè Pontificem summum.

OCtavò notandum est, quòd licèt desertio Christianitatis, quæ fit à Saracenis, multum deberet tangere omnes Christianos, plus debet tangere statum clericalem & sacerdotalem. Isti enim sunt qui clarius vident, quanta sit ista confusio propter donum intellectus, quem habent majorem: & ad eos magis pertinet propter curam Christianitatis quam habent. Si ergo sunt veri sacerdotes Domini, attendant quod scriptum est de Hieremia, qui fuit de sacerdotibus Anathot: Factum est, dicitur quarto Regum ultimo, postquam captivus ductus est Israel & Hierusalem destructa, sedit Jeremias propheta flens & planxit lamentationem hanc in Hierusalem, & animo amaro suspirans & ejulans, ait, Aleph: Quomodo sedet, &c? Attendant iterum, quantum victo exercitu Domini

☞ 4 Reg. ult. Thren. 1.

& arca

& arca capta, doluerit Heli sacerdos. Cum nominasset (inquit) ille (scilicet nuncius
1 Reg. 4. qui venerat ad Heli ad nunciandum ei de exercitu Israelitico victo) arcam Dei (scilicet captam) cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus expiravit. Attendant
1 Macha. 2. etiam lamentationem quam fecit Matathias sacerdos super confusione illa quam induxit Antiochus: Væ mihi (inquit) ut quid natus sum videre contritionem civitatis sanctæ? Sancta nostra in manu extraneorum facta sunt. Et ecce sancta nostra & pulchritudo nostra & claritas nostra desolata est, & coinquinaverunt eam gentes. Quid ergo adhuc nobis vivere? Et scidit Matathias & filii ejus vestimenta sua, & operuerunt
Joel 2. se cilicio, & planxerunt valde. Attendant iterum & considerent quod scriptum est de sacerdotibus: Inter vestibulum (inquit) plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce, Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis, Ubi est Deus eorum? Si sic doluerunt illi sacerdotes legales super desolatione populi illius, quanto dolore cordis intrinsecus debent tangi Christi sacerdotes super desolatione populi Christiani, Christi sanguine redempti, & suæ curæ commissi? Debent utique dolere quam multùm, sed super omnes
2 Macha. 3. summus sacerdos, exemplo immò incitamento illius summi sacerdotis Oniæ, de quo scriptum est sic: Jam verò qui videret summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur. Facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem. Circumfusa enim erat viro mœstitia quædam & horror corporis, per quem manifestus adspicientibus dolor cordis ejus efficiebatur. Porrò dolor iste in eum irruit propter timorem violationis templi & ablationem pecuniæ depositæ. Quid ergo debet facere summus sacerdos, ante cujus oculos violatur & prophanatur Christianitas cum periculo depositi innumerabilium animarum?

CAPUT IX.

Quot sint rationes & quales, quæ debeant movere Christianum cor ad impugnandum Saracenos, & qualia sint remedia contra causas ab hoc retrahentes.

NOnò notandum est, quòd sunt multi, qui licèt doleant super malis, quæ Saraceni inferunt Christianis, tamen nihil apponunt consilii ad resistendum eis. Isti sunt sicut mulierculæ, quæ obsessa civitate plorant in domibus suis, & nunquam egrediuntur ad muros ad resistendum impugnantibus. Non autem sic faciunt viri probi, sed accingunt se ad pugnandum cum impugnantibus. Sunt autem septem quæ debent ad hoc movere cor Christianum. Primum est zelus divini honoris. Secundum est zelus Christianæ legis. Tertium est charitas fraterna. Quartum est devotio ad terram sanctam. Quintum est conditio belli. Sextum est exempla præcedentium. Septimum est gratia Ecclesiæ. De quibus omnibus habetur plenè in opusculo de cruce prædicanda contra Saracenos titulo undecimo, & sex sequentibus immediaté. Sunt etiam octo retractiva Christianorum ab hujusmodi impugnatione Saracenorum. Primum est illaqueatio peccati. Secundum est nimius timor pœnæ corporalis. Tertium est nimia dilectio propriæ patriæ. Quartum est mala hominum verba. Quintum est aliorum prava exempla. Sextum est nimia affectio circa suos. Septimum est ficta impotentia. Octavum est minor fides. Contra quæ omnia ponuntur remedia in eodem opusculo, titulo decimo quarto & septem sequentibus immediaté. Require ibi.

Memento, lector, Petri Eremitæ qui aliis classicum ad bellum Sacrum canebat, sibi autem receptui: inepti sunt & inidonei Sacerdotes rebus bellicis; sua curent & munus proprium rectè peragere satagant.

CAPUT

CAPUT X.

Quod sunt septem genera hominum, obloquentium adversus negotium quod exercet Ecclesia contra Saracenos.

DEcimò notandum est, quòd sunt quidam dati ocio, labores pro Christo omnes refugientes, qui solent obloqui negotio quod assumit Ecclesia contra Saracenos, more eorum (ut verbis utar Hieronymi) qui de omnibus solent judicare, & ipsi facere nihil noverunt. Isti sunt similes illis exploratoribus, qui detraxerunt negotio acquirendi terram promissionis & terruerunt populum, & ideo prostrati sunt in deserto. Sunt iterum similes scribis & pharisæis de quibus dicitur: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, neque introeuntes sinitis intrare. Ita siquidem isti suis oblocutionibus multos retrahunt à via, quæ ducit ad cœlum, scilicet peregrinationis sanctæ, & secum faciunt in sua inertia remanere. Sunt etiam (quod pejus est) similes hæreticis, qui multas irrisiones solent facere de hujusmodi peregrinis euntibus, & redeuntibus, & infortunia sustinentibus, juxta illud quod scriptum est: Per quos, scilicet pseudoprophetas, via * veritatis blasphematur. Hæc est enim via sanctæ peregrinationis contra Saracenos, quæ vere est bona quam ipsi blasphemant.

Num. 14.
Mat. 23.
2 Pet. 2.
* Quanta hæc stoliditas, sacram Scripturam tam turpiter detorquere!

CAPUT XI.

Responsio adversus primum genus obloquentium.

UNdecimò notandum est, quòd sunt quidam de istis oblocutoribus qui dicunt, quòd non decet religionem Christianam ita effundere sanguinem etiam malorum infidelium. Christus enim non sic fecit, imò cum pateretur, non comminabatur, & tradebat se judicanti se injustè, sicut dicit Petrus: Nec etiam sic docuit Christus, imò dixit Petro volenti defendere eum, Mitte gladium tuum in vaginam. Non sic fecerunt Apostoli, imò ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni erant pro nomine Jesu contumeliam pati. Non etiam sic docuerunt Apostoli. Unde ad Romanos dicit Paulus: Non vos defendentes, charissimi, quanto magis non impugnantes? Et Petrus: Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto, sed econtrariò benedicentes. Non sic etiam fecerunt martyres sancti, imò Mauricius cum tota legione sua militum non restiterunt occisoribus suis. Similiter & alii innumerabiles martyres, quinetiam currebant ad martyrium, & propter Deum mortificati sunt & æstimati sunt sicut oves occisionis. Non etiam sic docuerunt antiqui sancti. Unde Hieronymus: Qui secundum carnem est, spiritualem persequitur, nunquam verò spiritualis carnalem. Et sunt sanctorum authorum authoritates innumerabiles & Paparum & Conciliorum, quæ videntur ista bella reprobare, sicut patet 23. q. in multis locis. Ex his ergo relinquitur, quòd Christiana religio quæ debet sequi exempla & doctrinam Christi & sanctorum, non debet aliquatenus hujusmodi bella inire, per quæ tantus sanguis effundatur. Ad respondendum autem hujusmodi oblocutioni notandum est, quòd in actionibus humanis accidit quòd aliter interdum res perducitur in esse, aliter conservatur. Vinea enim à patrefamilias plantata, per beneficium roris & pluviæ & caloris cœlestis, ad debitum incrementum perducitur: sed per gladium conservatur, si fortè hostes vellent eam extirpare. Item aliter procedit impotens in suis agendis, aliter potens. Impotens enim procedit per humilitatem, potens verò per severitatem. Item omnis artifex operans cum instrumento, solet operari per instrumentum quod habet, non per illud quod non habet, & quando deficit ei unum, operatur cum alio quod ei restat. Eisdem modis factum est de Christianitate. Promota est enim per miracula, & sanctorum passiones, & doctrinam sanctam, & non per potentiam aliquam, ne ascriberetur homini, sed soli divinæ virtuti, ejus promotio. Sed quæ sic promota est, jam promota defendenda est ab hostibus per gladium, cum fuerit necesse. Item in statu suo primitivo nondum Dominus dederat ei terrena dominia, nec ei subjecerat potestates mundi, sicut fecit postea,& ideo tunc operabatur sicut impotens. Postmodum autem procedit sicut potens per potentiam. Ad quid enim dedisset ei Providentia Divina potentiam secularem,

1 Pet. 2.
Joan. 18.
Act. 5.
Rom. 12.
1 Pet. 3.
Psal. 43.

rem, si nollet, quòd eâ uteretur: & sic haberet gladium sine causa, contra verbum Apostoli ad Romanos. Item sicut tunc potentiam non habebat, sed miracula & genera linguarum & Spiritum Sanctum omnia docentem, quibus tunc utebatur, ita modò non habet illa, sed habet potentiam. Deficientibus ergo istis, utitur eo quod habet, scilicet potentia, sicut artifex instrumento quod habet. Attendant ergo (quæso) isti oblocutores, quòd ipsi nolunt esse pauperes, sicut fuerunt in Ecclesia primitiva, sed divites: nec abjecti, sicut tunc fuerunt, sed in honore: nec in inopia victualium, sicut tunc fuerunt, sed in deliciis vivere. Nec displiceat eis ut quod ipsi in istis mutaverunt pro propriis commodis, nec hoc reprobandum asserunt, mutetur & pro fidei utilitate in usu armorum à Christiana religione. Quòd autem religio ista possit & debeat uti armis contra infideles & maleficos, patet innumerabilibus rationibus quæ inveniuntur in scriptis pluribus. Quis enim ita fatuus est, quòd audeat dicere quòd si infideles vel mali vellent interficere Christianos omnes & delere de mundo cultum Christi, quòd non sit eis resistendum? Nonne Machabæi dixerunt hostibus resistendum qui amodò eos invaderent die sabbati, licèt hoc contra legem esse videretur? Item patet hoc per doctrinam sanctorum, de qua multum habetur vicesima quarta quæstione. † Item patet hoc idem per ipsum Christum qui dicit: Qui non habet gladium vendat tunicam suam & emat gladium. In quo invenitur secundum Glossam, quòd aliquando utendum sit gladio Christianis. Ad illa autem quæ in contrarium suprà posita sunt ab istis oblocutoribus, dicendum est quantum ad exempla, quòd religio Christiana modò imitatur in omnibus statum Ecclesiæ primitivæ: quia secundum successiones temporum & varietates causarum Christianitas varios status habet, sicut & puer crescendo antequam veniat ad senium habet varios status. Unde Ecclesia tunc erat pauper, modò autem est dives, & similia multa: ita & modò utitur armis, tunc autem non utebatur. Quantum verò ad doctrinam dicendum est ad primum, quòd illud quod Dominus dixit Petro, Converte gladium tuum, &c. dictum est Petro pro tempore illo, nondum enim venerat tempus utendi gladio. Item dictum est pro persona. Licèt enim Ecclesia habeat gladium, non tamen pertinet usus ejus ad quodlibet membrum Ecclesiæ. Sicut ergo in homine non utitur quodlibet membrum ejus, sed solùm manus gladio: ita & in corpore Ecclesiæ non pertinet uti gladio, nisi ad personam laicam. Ad aliud de doctrina Apostolorum dicendum est, quòd illa dicta sunt pro tempore illo. Vel si dictum est pro omni tempore, intelligitur quòd animo vindicando, vel alia malâ intentione, vel aliàs inordinatè non sunt ista facienda. Unde Augustinus contra Manichæos: Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & siqua sunt similia, hæc sunt quæ in bellis ritè culpantur. Ad illud de doctrina sanctorum & conciliorum respondendum est, quòd omnia quæ dicunt habent expositionem suam secundum modum prædictum, vel aliam. Tenendum est ergo indubitanter, quòd non est inconveniens in religione Christiana, bellum movere contra Saracenos pessimos viros & inimicos Christianitatis speciales pro tempore.

Rom. 13. — 1 Machab. 2. — Luc. 22. — Matth. 26.

CAPUT XII.

Responsio contra secundum.

Duodecimò notandum est, quòd alii sunt qui dicunt, quòd etsi non esset parcendum sanguini Saracenico, tamen parcendum esset sanguini & morti Christianorum. In hujusmodi verò peregrinationibus contra Saracenos innumerabiles moriuntur, modò in mari ex infirmitatibus, modò in bellis, modò ex defectu vel ex excessu in victualibus, non solùm populares, sed & Reges & Principes, & personæ valdè utiles Christianitati. Quantum enim damnum fuit de morte Regis Ludovici, cujus vita tam utilis erat pro Ecclesia Dei, & de mortibus multorum aliorum. Quæ autem sapientia est exponere sic nostros tot & tantos, tot mortibus propter Saracenos interficiendos, & sic evacuare Christianitatem tot & tam bonis personis? Judicum ultimo dicunt majores natu Israel: Magna cura ingentique consilio nobis providendum est, ne deleatur una tribus ex Israel. Quare non eodem modo providendum est à sapientia Christiana, ne pereat tanta multitudo Christianorum? Responsio: Isti qui sic loquuntur habent oculos solùm ad ea quæ temporibus suis vel recenter contigerunt. Nescio enim quo occulto judicio suo permisit Deus in nostris temporibus frequenter quædam infortunia super Christianos contra Saracenos peregrinantes evenire, sicut & olim filii Benjamin occiderunt de filiis Israel in uno bello viginti duo millia, & in alio viginti septem millia, licèt de mandato Domini speciali

Judic. ult.

ciali pugnarent filii Israel contra Benjamin, sicut dicitur Judic. 20. Judic. 20. Si autem legissent isti oblocutores antiquas historias, fortassis aliter loquerentur. Legitur enim, quòd Carolus Martellus occidit de Saracenis * trecenta septuaginta millia,qui venerunt contra eum in auxilium ducis Aquitaniæ cum parvo suorum detrimento. Item legitur, quòd cum capta fuit Hierusalem tempore Godefridi de † Boilon, ita debacchaverunt Christiani in Saracenos, quòd in porticu Salomonis sanguis occisorum ascendebat usque ad genua equorum. Quis iterum posset enumerare quot Saracenos interfecit exercitus Caroli Magni in Hispania, ad quam liberandam à Saracenis qui eam occupaverunt, ipse Carolus bis accessit, beato Jacobo, cui devotus erat, ad hoc faciendum sibi apparente in visione, & ad hoc invitante? Legant igitur & revolvant (obsecro) hujusmodi homines Chronica & historias diversas, & invenient quòd non, sicut revolvunt ante oculos suos de eventibus bellorum in nostris temporibus inter Christianos & Saracenos, quod peccatis præsentis temporis Christianorum imputandum est, ita fuerunt, quinimo multo plures Saraceni à Christianis interfecti sunt quàm econversò. Unde non est verum quod dicunt, quòd Christianitas ita diminuta sit à Saracenis, quinimo magis Saraceni diminuti sunt à Christianis. Præterea si Christiani non opposuissent se Saracenis, ipsi Saraceni qui olim occupaverunt Siciliam & Sardiniam & Hispaniam, & multa loca maritima, fecissent Christianis innumerabilibus, quod olim fecerunt Januæ civitati valde populosæ & nobili, ad quam de Africa cum classibus applicantes, non solùm spoliaverunt suis bonis, sed fere omnes interfecerunt. Sitiunt siquidem sanguinem Christianum sine modo. Quòd ergo Christiani eos invadunt in terminis suis, licèt cum multo periculo suæ mortis, cedit ad parcendum sanguini Christiano, quem multo abundantius effunderent Saraceni, si hoc non facerent Christiani. Iterum si reputant isti homines stultitiam, quòd Christiani sic se morti exponunt, quia ex hoc Christianitas evacuatur personis utilibus, reputent & fatuitatem, quod olim fecerunt gloriosi martyres ad martyrium currentes. Nam & per hoc similiter est evacuata Christianitas tantis & tot viris. Item si tantum esset formidanda paucitas in Christianitate, deberet reprobari à Christianis virginitas, & omnes essent inducendi ad matrimonia contrahenda propter multiplicationem Christianorum. Deinde finis Christianitatis non est replere mundum sed * cœlum. Quid ergo curandum est, si Christiani imminuuntur in mundo per mortes quas propter Deum sustinent,ex quo per tales mortes vadunt ad cœlum, & fortè per aliam viam nunquam illuc ituri?

* Vel Faber turpiter hallucinatur, vel hic author. Vide Fascic. pag. 477. lin. ult.

Locus obscurus.

* Sed quomodo replebitur cœlum, nisi repleatur mundus? Vide suprà Rotomagensem.

CAPUT XIII.

Responsio contra tertium.

Tertiodecimò notandum est, quòd alii sunt qui dicunt, quòd quando nostri vadunt ultra mare contra Saracenos, conditio belli multo pejor est ex parte nostra. Nam nos sumus ibi valde pauci in comparatione ad eorum multitudinem. Item sumus in aliena terra, ipsi autem in sua. Item sumus in aere inconsueto, ipsi autem in consueto. Item oportet nos ibi uti multoties cibis inconsuetis, ipsi verò consuetis utuntur. Item ipsi sciunt passus periculosos & subterfugia, nos autem non. Item habemus ibi frequenter inopiam rerum, illi verò copiam. Et ideo videtur esse tentatio Dei vel magna infidentia inire talem conflictum. Cum ergo in bellis summè sit necessaria sapientia, videtur quod hujusmodi bella nunquam essent attentanda à Christianis.

Responsio: Licèt quantum ad prædicta quæ pertinent ad sapientiam humanam, conditio Saracenorum sit melior: tamen quantum ad alia multa quæ pertinent ad sapientiam divinam, conditio Christianorum est melior. Christiani enim certant pro justitia. Hæc est autem quæ multum facit ad bene certandum, sicut patet in pugilibus. Saraceni autem habent causam injustam. Item Christiani, nisi peccata eorum impediant, habent Deum adjutorem, de quo dicebat David: Inimicos nostros ventilabimus cornu, & in Psal. 43. nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Item Christiani sperant quòd habeant angelos sanctos in adjutorium sui, secundum quod ostendit Heliseus puero suo. Item non 4 Reg. 6. solùm angelos sed & sanctos, secundum quod ostensum fuit Judæ Machabæo de Onia & 2 Macha. ult. Hieremia. Item habent orationes totius Christianitatis pro se. Item habent exempla quamplurimum eos confortantia. Nam sicut olim unus de fidelibus persequebatur mille; & duo, decem millia; ita frequenter pauci Christiani fugârunt magnam multitudinem Saracenorum. Unde legitur, quòd cum post captam Hierusalem Saraceni resumptis viribus, congregata multitudine infinita, invaderent Christianos, exercitus Christianus,

qui non erant plusquam quinque millia equitum & duodecim millia pedi[illegible], occiderunt centum millia Saracenorum, & in porta Ascalone ubi fugiebant, suffocat[illegible]t duo millia. De his autem qui perierunt in mari, & inter fruticeta consumpti fuerunt, non fuit numerus certus. Et similia multa leguntur in historiis diversis. Præterea etiam quantum ad sapientiam humanam, nos habemus multas bonas conditiones ad bellandum contra Saracenos. Nam nostri, sicut certum est, sunt probiores & magis exercitati, & communiter fortiores & armis meliùs muniti. Nec etiam consuevimus pugnas inire cum Saracenis, nisi habeat Christianus aliquem Regem vel Imperatorem vel Principem famosum pro duce & domino exercitus, quorum unus solet computari pro decem millibus, sicut di-
2 Reg. 18. ctum est de David. Nec etiam cum tali duce inire consueverunt Christiani certamen, nisi cum viderent quòd probabiliter spes de victoria haberetur. Et ideo non est tentatio Dei neque imprudentia, ut isti oblocutores dicunt, interdum inire certamen prædictum, cum multo meliores conditiones habeamus in bellando, tam secundum divinam sapientiam & humanam quàm Saraceni.

CAPUT XIV.

Responsio contra quartum.

QUartodecimò est notandum, quòd alii sunt qui dicunt, quòd etsi debeamus nos defendere à Saracenis quando nos invadunt: tamen quando dimittunt nos in pace, non videtur quòd deberemus terras eorum vel ipsos invadere. Nec videtur quòd hoc fieri possit sine injuria. Responsio: Saraceni sunt tanti inimici Christianorum, quòd quandocunque possunt de eis triumphare non parcunt eis. Et ideo Christiani invadunt eos in terris suis, ut enervent eorum potestatem per quam intendunt Christianis nocere quando possunt. Nisi enim fecissent hoc Christiani, jam fere ubique Christianitatem oppressissent, nec supervenientibus de facili resistere potuissent, nisi eos primò aliquatenus repressissent, & in suis eos terminis invasissent. Item in terris quas possident, cultus Jesu Christi est evacuatus & contrarius introductus: si autem in terris spinosis extirpantur spinæ, ut fiant novalia bonum fructum ferentia: quanto magis à terris Dei evellendi & ejiciendi sunt isti pessimi, ut Dei cultus introducatur in illis? Item consentire videtur iniquitati, qui pro posse non se opponit eidem. Quomodo ergo Christiani esse poterunt sine culpa, si pacem haberent cum eis, & tantis eorum sceleribus non se opponerent, præcipuè cum Dominus præceperit filiis Israel, quòd nunquam fœdus inirent cùm gentibus quæ inter eos erant? Justè igitur & rationabiliter Christiani invadunt Saracenos etiam in terris suis.
1. Primò, ut eorum potestatem quâ nos opprimunt, quando possunt, enervent. Secundò, ut
2. cultum Dei introducant in terris eorum, expulsis inde eorum spurcitiis. Tertiò, ne ex tole-
3. rantia tantorum scelerum involvantur in peccatis eorum. Non [illegible] autem contra eum & Apostolicam doctrinam, si interficiantur à Christianis Saraceni. Isti enim sunt qui legem habent, ut nunquam audiant loqui de Christo, ne fortè convertantur ad eum & ad ejus
Luc. 19. transeant servitutem. Ipse autem Christus est qui dicit Luc. 19. Veruntamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc & interficite ante me. Isti etiam sunt zizania immixta tritico. Quis autem non judicet, quòd ubi est pura zizania
Matt. 13. non est omnino extirpanda? Nolite (inquit apud Matthæum) eradicare zizania, ne fortè eradicetis simul & triticum. Ergo quando non est mixta cum tritico, sicut in isto casu,
Luc. 13. fortè debet eradicari. Item isti sunt ficulnea desperata de fructu ferendo, quia beneficium fimi vel aliud quodcunque ad ferendum fructum non recipiunt, cum ad eos sermo divinus non possit venire ipsis impedientibus. Si ergo talis est succidenda, secundum quod dicitur, constat & istos esse succidendos de mundo. Item isti sunt pessimi Sodomitæ, concedentes quòd uxoribus suis abutantur viri, ut placet, & alias quascunque turpitudines operantes, æstimant sibi sufficere quòd in mane abluant se aquâ. Si ergo tales consumpti sunt igne cœlesti, quomodo parcendum est hostibus, immunditias tales exercenti-
2 Pet. 2. bus, & ad faciendum concedentibus? Civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cineres redigens eversione damnavit, eorum qui impiè acturi sunt, exemplum ponens. Item:
Exod. 19. Bestia quæ tetigerit montem lapidabitur. Cum ergo isti bestiales tangant montem sanctæ Trinitatis blasphemando ipsam, & in Alcorano suo frequenter maledicendo omnes qui
Hebr. 10. credunt eam in Deo, nonne sunt digni morte? Item ad Hebræos: Irritam quis faciens legem Mosis, absque ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit, & spiritui gratiæ contumeliam

tumeliam fecerit? Quod quidem isti super omnes faciunt, dum Christum persequuntur, & in Spiritum Sanctum peccantes, non permittunt ad se gratiam ejus accedere, scilicet prædicationem à se repellentes. Per ista ergo & per alia multa patet, quod non solùm per leges humanas, sed secundum doctrinam evangelicam & Apostolicam sunt de mundo tollendi, servato tamen in hoc modo debito, authoritate ecclesiastica concurrente. Ad illud autem, quod dictum est de terris eorum, dicendum est, quòd terræ quas possident modò Saraceni, ante tempora Mahumeti fuerunt Christianorum: sed tempus cum suis abstulit eis, & nunquam justo titulo possederunt. Cum ergo invadunt terras, in quibus habitant, non invadunt alienas, sed suas recuperare intendunt. Item sub tempore Godefridi de Boilon, nostri recuperaverunt terram promissionis, quæ olim ex dono Dei fuerat Judæorum, & ad Christianos transierat cum conversione eorum, Papa Urbano illuc exercitum transmittente, quam Saladinus specialiter & alii Saraceni postea nobis pro maxima parte per violentiam abstulerunt. Unde constat, quantum ad illam terram, quòd nos habemus jus in ea. Præterea etiamsi non haberemus jus in eorum terris, tamen propter culpam eorum quam committunt, & commiserunt in dominum universæ terræ, auferendæ sunt eis, sicut dicunt sancti, & præcipuè Augustinus, allegans illud evangelicum: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Et illud: Labores impiorum justi edent. Et illud: Omnia sunt justorum, 27. q. 7. cap. 1. & 2 & 3. Constat ergo, quòd non injuriamur Saracenis, neque quoad terras, neque quoad personas, dummodo non sint treugæ, terras eorum & ipsos invadendo, sicut somniant isti oblocutores.

Mat. 21.



CAPUT XV.

Responsio contra quintum.

QUintodecimò notandum, quod alii sunt qui dicunt: Si Saracenos debemus de mundo tollere, quàre non facimus similiter de Judæis, & quare similiter non facimus de Saracenis, quos habemus in nostra potestate? Quare non similiter eodem zelo persequimur idololatras aliquos, qui sunt adhuc in mundo? Quare etiam non idem facimus de Tartaris & hujusmodi Barbaris nationibus, qui omnes sunt infideles? Responsio: De Judæis prophetatum est, quod in fine convertentur eorum reliquiæ. De Saracenorum verò conversione * justa est spes, secundum judicia inferiora, eo quod ad eos non potest prædicatio pervenire. Iterum Judæi sic dejecti sunt, quod sunt in nostra potestate & servi nostri, & nos infestare non possunt, sicut faciunt Saraceni. Item si de mundo deleti essent, non ita visibiliter appareret, quod de eorum reprobatione dicunt scripturæ, sicut apparet modò. Unde eorum vita nobis est in adjutorium fidei. Sustinendi ergo sunt & propter spem conversionis: sicut arbor de cujus fructu speratur adhuc, non exciditur statim: & propter crudelitatem cavendam, quæ esset magna, si subjectos nobis, contra nos non se erigentes, occideremus, & propter adjutorium, quod eorum vita confert fidei Christianæ, quæ omnia desunt in Saracenis. Eædem etiam sunt causæ de Saracenis nobis subjectis. Nam ipsi, velint nolint, compelli possunt ad audiendam prædicationem, ad quam etiam aliquando aliqui convertuntur. Unde non est tanta desperatio de eis, sicut de aliis. Ipsi etiam nos non infestant, nec infestare ita possunt, sicut alii. Item sunt nobis in adjutorium saltem temporale propter tributa & adjutoria in bellis, & alia servitia multa quæ faciunt suis dominis. Et ideo quamdiu non rebellant, vel alia enormia non committunt in Christianos, sustinentur sicut † Judæi. De idololatris verò, qui sunt adhuc in partibus Aquilonaribus, ut * sicut Pruteni & similes, dicendum est, quòd sperari potest, quod adhuc convertentur, sicut factum est de multis eorum vicinis, qui etiam post longa tempora Apostolorum conversi sunt, ut Poloni, & Daci, & Saxones, & Bohemi, & alii multi. Præterea non consueverunt nos impugnare, nec etiam possunt multum. Idem etiam dicendum est de Tartaris, & † Comanis, & aliis Barbaris, quantum ad spem conversionis, sicut prophetatum est quòd omnis lingua servitura est domino Jesu Christo. Præterea valdè longè sunt à nobis, præcipuè Tartari, & inter eos & nos habemus inimicos nostros, scilicet Saracenos. Nec etiam habent certas mansiones, in quibus possint inveniri, sicut nec † Comani. Et ideo stultitia esset, in tam remotis partibus & in locis incertis, & inimicis nostris in medio collocatis, attentare eos aggredi. Et ideo sufficit Christianis defendere se ab eis viriliter, quando ipsos invadunt.

Rom. 11. Esa. 59.
* Fort. nulla.



* Fort. sunt.

Dan. 7.

CAPUT XVI.

Responsio adversus sextum.

Sextodecimò notandum, quòd alii dicunt, quæ utilitas est in ista impugnatione Saracenorum? Per hoc enim non provocantur ad conversionem, sed potiùs provocantur contra fidem Christianam. Item quando vincimus & eos occidimus, mittimus eos ad infernum, quod videtur esse contra charitatem. Item quando obtinemus terras eorum, non habemus, qui populent eas & excolant, quia nostrates nolunt in illis partibus remanere, & ita non videtur esse fructus neque spiritualis, neque corporalis, neque temporalis de ista impugnatione. Responsio: Sicut honor est regis, cum habet, quandocunque vult, exercitum magnum contra inimicos suos, ita honor est JESU CHRISTO Regi regum, quando habet exercitum Christianum paratum ad impugnandum semper contra istos inimicos crucis ejus. Item fideles in pugna ista accumulant sibi merita bonorum operum, & indulgentias sibi acquirunt, per quas absolvuntur à peccatis. Item quando acquirimus terras eorum, expelluntur inde spurcitiæ execrabilis cultus eorum, & introducitur in eis cultus Dei verus, & sanctæ Trinitatis, & Jesu Christi, & sanctorum suorum. Et iste est triplex fructus spiritualis, scilicet honor Dei, salus Christianorum, Ecclesiæ dilatatio quoad cultum divinum. Præterea Saraceni habent tantam malitiam contra Christianos, quod omnes Christianos interfecissent ubique, sicut in multis locis fecerunt, nisi fuissent repressi à Christianis eis resistentibus. Sicut ergo probus miles invadit inimicum suum in terra propria illius, ne debacchetur in suam, ita & in hoc casu faciunt Christiani. Iterum sunt tantæ superbiæ Saraceni, quod ubique olim se ingerentes, totum mundum voluerunt sibi subjugare, sicut rex Assyriorum Nabuchodonosor terram universam suo imperio proposuit subjugare, sicut dicitur in libro Judith. Per hoc autem quod non solùm non expectamus eorum invasionem, sed & eos invadimus, coguntur à sua superbia dejici, & humiliari in semetipsis, considerata audacia & potentia Christianâ. Item solet accidere, quod quando miles aliquis dimittit se conculcari ab aliquo alio milite, omnes sumunt majorem audaciam contra eum. Cum autem defendit se viriliter, & conculcat alium, timetur magis ab omnibus: Ita & impugnatio virilis Saracenorum à Christianis facta, facit Christianos magis timeri, non solùm ab ipsis Saracenis, sed & à Tartaris, & aliis inimicis Christianitatis, qui eos aliter audacius invasissent. Et iste erit triplex fructus corporalis, videlicet repressio Saracenorum * morte nostrorum, & confusio ipsorum in semetipsis, & incussio timoris omnibus fidei Christianæ inimicis. Præterea quando contingit nos eorum terras acquirere, lucramur interdum multa spolia, & fructus terrarum illarum extunc nobis obveniunt: & ipsi, quando parcitur eis, remanent servi nostri & tributarii, & in multis perutiles dominis suis. Et iste est triplex fructus temporalis. Non ergo, sicut dicunt isti obloquutores, est hujusmodi impugnatio sine fructu aliquo, imo multus fructus sequitur ex ea tam spiritualis, quàm corporalis, quàm etiam temporalis, ut frequenter. Ad illud autem quod dictum est in contrarium de conversione Saracenorum, dicendum est, quod etsi impugnatio eorum non valeat, quoad hujusmodi fructum directè, tamen valet quoad alios fructus spirituales prædictos, & ad illum etiam indirectè per flagella, sicut & per infirmitates interdum erudiuntur homines, & ad cognitionem sui majorem compelluntur venire. Unde possibile est quod Saraceni, si bene conquassarentur, non tantum in suo Mahumeto confiderent. Ad illud de mittendo eos ad infernum, dicendum est, quod Christiani non intendunt hoc, sed facere de eis, quod justum est, sicut judex de latrone. Ipsi videant quò vadunt quando de hoc seculo decedunt. Nihilominus tamen divina providentiâ bene agitur cum eis, quia melius est eis citò mori, quàm tardè propter peccata, quæ, quamdiu vivunt, plus adaugent. Sicut dicit Augustinus de parvulis Sodomorum quod melius fuisset eis mori, quàm diu vivere propter eandem causam. Ad aliud, dicendum est quòd etsi non habemus statim, qui populent terras acquisitas, tamen sperari potest, quòd paulatim illùc fluerent Christiani ex causis diversis, si dominarentur in illis terris. Iterum quando haberent nostri loca fortia, ipsi Saraceni, & Græci multi, & alii illius nationis libenter remanerent sub dominio nostro, & excolerent terras, & essent tributarii nostri. Et sic fit in Achaia de Græcis. Et esset cum hoc major spes de illis Saracenis, qui essent in potestate nostra, quòd citius converterentur quàm alii.

Judith 2.

* Fort. à morte.

CAPUT

CAPUT XVII.

Responsio adversus septimum.

DEcimoseptimò notandum est; quòd alii dicunt quòd non videtur esse voluntas Dei, quòd Christiani sic procedant contra Saracenos, propter infortunia quæ Deus permisit, & permittit sic evenire Christianis in hujus negotii assequutione. Quomodo enim permisisset Deus, quòd Saladinus ferè totam terram acquisitam cum tanto sanguine & labore Christianorum, quasi subito nobis iterum abstulisset? Et Fridericus Imperator, vadens ad succurrendum, periisset in parva aqua? Et fœlicis memoriæ Rex Ludovicus captus fuisset cum fratribus suis, & tota nobilitate ferè Franciæ in Ægypto? Et iterum incepto negotio Tunicium ingressus, fuisset mortuus cum filio suo? Et naves inde recedentes eorum qui remanserunt, quamplures fuissent in Sicilia tempestate conquassatæ? Et nihil tantus exercitus profecisset, & similia innumerabilia, si placuisset ei hujusmodi processus? Responsio. Dicendum est, quòd illi qui sic loquuntur, nondum benè intellexerunt facta divina. Non enim est in hoc mundo locus remunerationis divinæ, ut semper hic reddatur bonum à Domino pro bono, vel malum pro malo: quinimmo, sicut facit hic oriri solem suæ prosperitatis super bonos & malos, ita adversitates eveniunt hic non solùm malis, immo & bonis. Ecclesiastes: Sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. Non solum autem eveniunt adversa communiter bonis & malis: interdum, immò (quod magis est mirabile) frequentius, eveniunt bonis quàm malis. De malis enim scriptum est: Ducunt in bonis dies suos, &c. De bonis autem dicitur: Omnes, qui Deo placuerunt fideles, per multas tribulationes transierunt. Iterum hoc non est * vestrum solùm de adversitatibus emissis à Deo, sed de immissis ab homine. Abacuc: Impius prævalet adversus justum. Hinc est quod legitur, quòd Ægyptii afflixerunt Israeliticos. Rex Assyriorum 10. tribus transtulit ultra montes Caspios. Rex Babylonis captivavit duas tribus in Babylonem. † Ex his ergo patet, quòd infortunia evenientia super aliquos non sunt signum quòd eorum facta Deo non placeant, quin potius sunt signa contrarii, cum frequentius adversa eveniant in hoc mundo bene facientibus quàm male. Præterea quis enumerare posset de quot & quantis viris, etiam magnis & sanctis, diabolus triumphavit? Nunquid dicendum est propter hoc, quòd non placet Deo, quòd pugnetur adhuc cum diabolo, vel pugnæ jam factæ non placuerint Deo? Item in libro Judicum legitur, quod de 300. millibus filiorū Israel, qui de consilio Domini venerunt contra tribū Benjamin, ad ulciscendū scelus commissum in uxorē Levitæ, occiderunt filii Benjamin in primo prælio 22. millia. In secundo autem, cum rediissent de voluntate & consilio ejusdem Domini, 27. millia. Nunquid istud infortunium eveniens fuit signum, quod Domino non placuerit ille congressus filiorum Israel contra Benjamin, cum ipse Dominus hoc consuluerit & mandaverit? Item legitur, quòd in pugna quam inierunt filii Israel contra Philistæos, victus est Israel, & etiam arca Dei capta est. Et alibi legitur, quòd Saul primus rex Israel, & Jonathas filius ejus, & fortes Israel victi sunt à Philistæis, & interfecti in montibus Gelboæ. Nunquid dicendum est propter hæc infortunia, quod bella illa ex parte Israel non placuerunt Deo, cum Dominus præceperit filiis Israel, quòd impugnarent illas gentes, & nunquam inirent fœdus cum eis? Taceant ergo isti oblocutores, & sciant, quod Dominus hujusmodi infortunia permittit interdum nostratibus evenire non propter causam istam quam assignant, videlicet quod ei displiceat hujusmodi processus contra Saracenos, sed propter alias causas varias. Ad quod intelligendum, notandum est, quod interdum eveniunt ista infortunia nostris propter peccata nostra. Quicquid enim patimur, peccata nostra meruerunt, sicut dicit authoritas * Judith: Reputemus peccatis nostris hæc supplicia: quod dicebatur, quando obsessi ab Holoferne, venerunt usquè ad ultimam angustiam, aqua carentes. Interdum etiam eveniunt propter bonum nostrum, ut mereamur plus non solum bene agendo, sed & patiendo, sicut martyres & alii sancti, qui & bene egerunt, & propter justitiam passi sunt. Hæc est enim vita sanctorum, bene agere & male pati, sicut dicit authoritas. Dicitur quod bonæ memoriæ rex Ludovicus captus à Saracenis, de hoc multum gloriabatur, dicens, quod Domino in die judicii dicturo quod pro nobis male tractatus fuisset, habiturus esset quod responderet, dicendo videlicet, quod & ipse pro illo captus fuisset & male tractatus, sicut ille pro se. Interdum autem propter indiscretam nostrorum

Ecclesf. 8.

Job. 21.

Judith 8.

* Fortè verum.

Abacuc. 1.

† Quàm ineptè arguit!

Judic. 20. Vide locum: hic enim non bene narratur historia.

1 Reg. 4.

1 Reg. 31.

Deut. 7.

Judith 8.

* Mirum est hunc hominem nullâ aliâ authoritate nisi apocryphâ potuisse tam insignem propositionem fulcire.

1 Mac. 9. strorum audaciam, sicut accidit Judæ Machabæo, qui cum non haberet secum nisi octingentos, voluit pugnare contra 20. millia virorum, & duo millia equitum, sociis dissuadentibus, & dixit: Absit istam rem facere, ut fugiamus ab eis. Sunt & aliæ causæ
Abac. 1. occultæ secundum profunditatem judiciorum Dei, propter quas dicit Abacuc: Quare taces, impio conculcante justiorem se? quas omnes debemus ex parte Dei justissimas
Dan. 9. reputare, cum Daniele dicente: Tibi domino justitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodie. Istæ autem causæ movere debent non ad prædictam locutionem, sed ad alia quædam bona. Quorum unum est recursus ad Deum per clamorem, sicut faciebant filii Israel ferè per totum librum Judicum, ubi legitur, quòd quando erant op-
Psalm. 106. pressi ab hostibus, clamabant ad dominum, ut mitteret eis auxilium. Psal. Et clamaverunt ad dominum, cum tribularentur. Aliud est humiliatio exemplo filiorum Israel.
Judic. 20. De quibus victis semel & secundo à filiis Benjamin, dicitur: Quamobrem filii Israel convenerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram domino, jejunaveruntque illo die usque ad vesperam, & obtulerunt holocausta & victimas pacificas, &c. Et notandum, quod post hæc in tertio prælio victoriam habuerunt. Aliud est correctio malorum,
Josue 7. sicut factum est de Achan, quem filii Israel lapidaverunt, postquam intellexerunt quod ipse in exercitu domini fuerat furatus de anathemate contra mandatum domini, propter quod delictum victi fuerant. Aliud est dolor de minoratione nominis domini, si-
Ibidem. cut doluit Josue, quando victus est populus, quem miserat contra Hai. qua de re legitur: Josue scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca domini. Et post: Mi domine, quid dicam, videns Israel terga vertentem hostibus suis? Audient Cananæi. Et pòst: Et quid facies nomini tuo magno? Aliud est pacifica receptio volun-
Judith. 8. tatis divinæ. Judith: Et nos ergo non ulciscamur nos pro his, quæ patimur: sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella domini, quasi servi qui corripimur ad emendationem, non ad perditionem nostram evenisse credamus. Et loquitur ibi de obsidione gravissima Holofernis. Aliud est major constantia in bono. Non enim malleus adversitatum hujusmodi solet bonos viros evellere, sed potius ma-
Psalm. 43. gis confirmare. Psalmista: Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo, & non recessit retrò cor nostrum, &c.

CAPUT XVIII.

Quòd sunt septem causæ non bonæ, quare quidam sint segnes in negotio contra Saracenos.

Decimooctavò notandum est, quod sunt multi, qui licèt non obloquantur isti sancto negotio, tamen inveniuntur valde tepidi circa illud. Sunt autem hujusmodi tepidita-
1. tis causæ multæ non bonæ, quarum una est avaritia, sicut proh dolor! in multis clericis apparet, qui propter decimas, vel alia etiam minora subsidia, quæ oportet eos interdum ponere in hujusmodi negotio, adeo turbantur interdum, quòd magis vellent, quòd totum negotium remaneret, quàm quòd ad ista compellerentur. Mira res, immo miserabilis. Ipsi volunt accipere decimas ab agricolis, qui cum labore maximo & sudore excolunt terras, & ipsi de his, quæ habent à domino absque omni sudore & labore, nolunt ei in suo negotio fidei decimas dare. Immò quod pejus est, de ipsis vivunt in omni deliciarum genere, & non curant de Christi confusione. Videant isti, ne sint de illis, quibus Amos propheta maledicit, dicens: Væ vobis, qui opulenti estis
Amos 6. in Sion. Et post: Optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Is-
Ibidem. rael. Et post: Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui
Ibidem. comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem
Ibidem. psalterii. Et post: Bibentes in phialis vinum, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph. Veri (inquam) Joseph, qui sic conteritur à Saracenis in membris suis, & in honore proprio. Alia causa est mors suorum. Sunt
2. enim multi, qui maledicunt negotio propter charos suos, qui mortui sunt in illo, jurantes & asserentes, quòd propter hoc nunquam ibunt in exercitum contra Saracenos,
1 Mac. 6. vel non juvabunt in hoc negotio. O cordis vilitas. In primo Machab. ostenditur elephantis sanguis uvæ & mori, ad acuendum eos in prælium, & istos sanguis suorum retrahit à prælio sancto? Nec attendunt etiam, quod homines seculi sanguinem suorum effusum à Christianis semper portant in memoria, quousque illum vindicent, &
3. de vindicta sanguinis effusi à Saracenis, non curant? Alia causa est malus eventus, quem habuerunt

habuerunt frequenter noſtrates in conflictu cum Saracenis. Sed hoc non eſt virorum cordatorum, quinimmo tales plus ſolent poſt malum eventum inſtaurare exercitum, & fortiter ſe invicem animare ad reſumendum vires, ſicut patet per hiſtorias innumerabiles. Unde ſcripſit David ad Joab poſt hujuſmodi malum eventum, dicens: Non te frangat 2 Reg. 11.
iſta res. Varius enim eſt eventus belli, & nunc iſtum, nunc illum conſumit gladius. Conforta bellatores adverſus urbem, ut deſtruas eam, & exhortare eos. Alia cauſa eſt 4.
deſperatio. Sunt enim multi qui attendentes multitudinem Saracenorum, & bonas conditiones, quas contra nos habent in iſtis impugnationibus, deſperant quod poſſimus de eis finaliter triumphare, & ideo parum curant de iſto negotio. Verum homines fideles, qui totam ſpem ponunt in Deo ſuo, non ſic loquuntur: ſed attendentes nobiles triumphos, quos dedit Dominus fidelibus ſuis olim, dicunt cum David propheta: Deus, Pſalm. 43.
auribus noſtris audivimus, patres noſtri annunciaverunt nobis, &c. inſur. in nobis, &c. Et hoc eſt quod præcipitur in Deut. ubi dicitur ſic: Si exieris ad bellum contra hoſtes Deut. 20.
tuos, & videris equitatum & currus & majorem multitudinem quàm tu habes, adverſarii exercitus, non timebis eos, quia Dominus tecum eſt. Alia cauſa eſt tepor 5.
fidei. Ita enim in multorum cordibus tepuit zelus fidei, quòd non curant, quicquid agatur de fide noſtra à Saracenis, dummodo ipſi in terris ſuis ducant in bonis dies ſuos. Quocontra ad Hebræos, commendata fide multis modis, & oſtenſo quot & Heb. 11.
quanta ſancti fecerunt olim pro fide, animans nos ad zelum fidei, Paulus dicit: Heb. 12.
Ideo & nos habentes tantam nubem nobis impoſitam teſtium, deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, ſcilicet fidei, aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Jeſum, &c. Alia cauſa eſt nimia ſapientia mundi. In hac enim multi intantum confi- 6.
dunt, & cum ea in agendis ita procedunt, neglecta Dei ſapientia, quod circa hoc negotium minus fervent, quia non videtur eis, quod in hoc negotio procedatur ſapienter interdum, eo quod aliquid comitatur de ſapientia mundi. Abſit autem à Chriſtiana fidelitate, ut tantum innitatur conſiliariis Pharaonis, qui dant interdum conſilium inſi- Eſaiæ 19.
piens, ut propter hoc relinquatur Dei ſapientia, quia dicit Apoſtolus ad Corinthios: 1 Cor. 1.
Scriptum eſt: Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? Et poſt: Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi, &c. Alia cauſa eſt oblocutiones prædictæ, & ſi quæ ſunt aliæ. Hæ enim frequenter 7.
faciunt eos qui illas audiunt, tepeſcere circa negotium iſtud. Sed utinam attenderent illi qui propter hoc tepeſcunt, quid acciderit illis, qui ad detractionem exploratorum redeuntium de terra promiſſionis, murmuraverunt contra iter ad terram promiſſionis. Num. 14
In ſolitudine hac (inquit) jacebunt cadavera veſtra: omnes qui murmurati eſtis, à viginti annis, &c. Patet igitur ex jam dictis, quòd 7. ſunt cauſæ prædictæ tepiditatis, ſcilicet avaritia, mors amicorum, malus eventus, deſperatio, fidei tepor, nimia mundi ſapientia & oblocutiones.

Acrius inſtitit hic Autor argumentis redimendæ Terræ Sanctæ è manibus infidelium: quaſi fuiſſet Judæus pro terrâ Promiſſionis (tanquam pro aris & focis) dimicaturus.

CAPUT XIX.

Quòd ex hujuſmodi ſegnitie proveniunt 7. mala.

DEcimononò notandum eſt, quòd ex hujuſmodi tepiditate multa mala proveniunt in Chriſtianitate. Tales enim tepidi, quando requiritur ab eis conſilium ſuper 1.
negotio iſto, nunquam dant conſilium virile. Non enim conſueverunt homines conſulere, niſi ſecundum ea quæ verſantur in eorum cordibus, ſicut dicit de fatuo Eccle- Eccleſ. 8.
ſiaſticus. Item non juvant in negotio, niſi inviti & cum murmure, ſicut accidit de ſervo 2.
malo, qui quando in exercitu ſequitur dominum ſuum, ſequitur eum cum murmure & invitus. Quocontra dicitur de Juda Machabæo, quòd præliabatur prælia Iſrael cum 1 Mac. 3.
lætitia. Item tales nunquam incitant alios ad negotium iſtud promovendum. Quo- 3.
contra Thomas Apoſtolus, fervens in amore Domini, dixit ſociis ſuis, eos incitando: Joan. 11.
Eamus & nos, & moriamur cum illo. Item quod pejus eſt, faciunt alios tepeſcere ſuis 4.
verbis & exemplis tepidis. Proprium eſt enim aquæ tepidæ, quòd admixta aquæ calidæ facit eam tepeſcere. Quocontra dicit Dominus: Ignem veni mittere in terram, ſcilicet fervorem fidei accendere. Item iſti, quantum in eis eſt, exponunt totam Chriſtiani- 5.
tatem deſtructioni, ſicut qui caſtro obſeſſo, intus tepidè agentes, exponunt ex ſua negligentia caſtrum captioni. Quocontra dixit Ezechias ad multitudinem congregatam in 2 Paral. 32.
Hieruſalem, & expectantem obſidionem regis Aſſyriorum: Viriliter agite, & confortamini,

6. tamini, & nolite timere, &c. Item gloriam militiæ Christianæ exponunt confusioni, quantum in eis est. Si enim omnes alii sic tepidè agerent, transiret ista gloria in confusionem. Quocontra dicit probus miles Judas Machabæus: Non inferamus crimen gloriæ nostræ. Item præstant, quantum in eis est, audaciam inimicis. Tepiditas enim adversæ partis, solet dare audaciam adversariis. Et ideo in præcedenti authoritate, postquam dictum est, viriliter & confortamini: subditur, timere, quia hujusmodi virilitas deterret adversarios, & sic non sunt adeo audaces. Et sic patet, quòd 7. sunt mala, quæ eveniunt in Christianitate. Propter hoc non est mirum, si tales tepidi sint abominabiles Deo, sicut cibus qui habet in se multa mala, est abominabilis, juxta id: Quia tepidus es, incipiam te evomere.

1 Mach. 9.

Apoc. 3.

CAPUT XX.

Quod multum expediat Ecclesiæ Dei, esse in ea viros bonos, qui sint circa dictum negotium ferventes ac diligentes.

Vicesimò notandum est, quòd expediat multùm, quòd in Ecclesia Dei sint aliqui viri boni & cordati, qui ferveant circa istud negotium promovendum. Ad quod intelligendum clarius, notandum est, quòd mundus fuit conversus olim ad Christum partim per prædicationem, partim per miracula, partim per sanctitatis exempla quæ visa sunt in prædicatoribus. Sed Saraceni excluserunt à se viam prædicationis, quia secundum legem suam decapitant omnem hominem, qui eis vellet aliquid prædicare contra Mahumeti legem vel sectam. Item tempus miraculorum non est modò, quia non egreditur modò Deus in virtutibus nostris. Item sanctitatis exempla Christianorum non movent Saracenos, quia suas orationes, sua jejunia, suas eleemosynas, suas peregrinationes & similia præferunt nostris: immò, quod est absurdum magis, suam incontinentiam præferunt nostræ continentiæ, continentiam Christianam vocantes superstitionem, sicut patet in epistola cujusdam Saraceni, invitantis quendam Christianum amicum suum ad legem Mahumeti. Relinquitur ergo, quòd non est aliqua spes de conversione eorum secundum cursum solitum. Quare oportet, quòd semper durent in mundo, cum sine modo multiplicentur, nisi per potentiam aliquam Christianam vel Barbaricam destruantur. Unde solet dici, quòd sicut Mahumetus per gladium acquisivit mundum, ita per gladium destruetur, secundum illud: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item notandum, quòd, sicut scriptum est in Historia transmarina magistri Jacobi, Dominus apparuit Petro eremitæ in somnis, cum vigilaret in Ecclesia dominicæ resurrectionis, & injunxit sibi legationem, ut iret ad papam Urbanum, & ad principes Occidentales, ut succurrerent Christianis in terra sancta conculcatis à Saracenis. Item dicit Turpinus in epistola de actis Caroli in Hispania, quod B. Jacobus apparuit Carolo in somnis, ter incitans eum, quod sicut alias terras multas subjugaverat, ita iret in Hispaniam, & locum suum à Saracenis liberaret, ut esset ad eum visitandum via perpetuò fidelibus. Ex quibus apparet, quod Deo & sanctis placeret, quòd fideles Christiani per bellum purgent terras à Saracenis. Sic olim voluit, quod filii Israel expellerent per bellum gentes de terra promissionis, ut ubi antè fiebant horribilia Deo odibilia, cultus Dei introducatur. Notandum tamen est, quòd hujusmodi negotium est valde arduum Christianis, & propter locorum distantiam, & propter maris pericula, & propter alia multa, & ideo multi sunt circa illud tepidiores. Quia ergo non est spes secundum judicia humana, quod Saraceni unquam convertantur ab errore suo, & voluntas Dei est & sanctorum, quod per bellum expugnentur, & propter difficultatem negotiorum circa hoc sint Christiani multi valde tepidi, expedit valde, quod aliqui boni viri circa hoc ferveant, qui alios tepidos incitent, ut scandalum istud per potentiam humanam cum Dei adjutorio tollatur de mundo, & Dei cultus in eorum terris dilatetur. O verecundia nostri temporis! Unus pauper eremita, * Petrus videlicet Ambianen. olim discurrens per Christianos, totam fere Christianitatem commovit & accendit ad istud negotium: & in temporibus nostris vix reperitur aliquis magnus, qui incitet alios, & incitati vix possunt accendi ad aliquem fervorem circa hoc concipiendum.

Matth. 26.

Judith. 8.

* Idem ille monachus bellus, qui, cum Principes Christianos ex suis ipsius somniis expergefecisset ad bellum strenuè cum Saracenis ineundum, ipse fortiter se subduxit periculo, & aufugit: dulce bellum inexpertis. Hujusmodi superstitiones, lector, patienter feras in hoc authore: noli autem oblivisci quàm callidè Papæ rem suam domi egerunt, cum Principes religiosi bello sacro foras fuerunt implicit, fraudis Romanæ inscii.

CAPUT

CAPUT XXI.

Quòd fervor iste magis ad prælatos Christianitatis, quàm ad alios pertineat.

VIcesimoprimò notandum est, quòd fervere circa hoc negotium, magis pertinet ad prælatos, quàm ad alias personas Christianitatis. Ipsi enim sunt loco Dei in terra, sicut balivi per regnum sunt loco regis. Item episcopi sunt stipendiarii regis æterni, habentes quàm maxima stipendia ab eo. Item fecerunt ei specialem fidelitatem cum juramento, quod faciunt in consecratione vel confirmatione. Cum ergo negotium quòd habet Ecclesia contra Saracenos, sit speciale negotium Dei, quia versatur circa cultum ejus & honorem, & ad balivos & stipendiarios & fideles regis specialiter pertinet negotium regis, maximè quod est contra inimicos suos: patet, quòd istud negotium debet maximè tangere prædictos prælatos. Præterea ipsi sunt doctores & prædicatores fidei speciales, ad omnem autem bonum virum pertinet defendere efficaciter, quod fanè docet. Dixit enim quidam prædicator quibusdam militibus, quibus prædicabat, quòd ad hoc deponunt quod habent in capite, quando legitur evangelium, & ponunt illud ante se in banco aliquo, quasi dicant: Si aliquis voluerit dicere, quòd non est verum quod dicitur in isto evangelio, ego offero me ad defendendum istam veritatem, & do pignus istud de batalla, ad subeundum propter hoc certamen contra eum. Si autem hoc milites debent facere de fide quam audiunt, quanto magis debent zelare prælati pro defendenda fide quam docent? Item prælati omnia bona, quæ habent, habent à fide. Si enim fides non fuisset in causa, non fuissent hæc eis data, nisi redderentur. Si ergo tantum zelant pro possessionibus, ex quibus colligunt fructus: quanto magis pro negotiis fidei, propter quam habent hæc omnia, debent zelare? Item ipsis mandatur specialiter & expressius à papa, quando instat hujusmodi negotium, quòd ad hoc incitent subjectos suos: & bene, quia hujusmodi incitatio ad ipsos specialiter pertinet, secundum quod dixit Judith: Et nunc, fratres, quoniam estis presbyteri in populo Dei, ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite. Et hoc dictum est ad confortandum Judæos contra Holofernem eos impugnantem. Quomodo autem hoc facere poterunt efficaciter, si fuerint tepidi in hoc negotio promovendo? Ut ergo prælati non sint segnes ad defendendam fidem quam prædicant, & cujus occasione habent omnia temporalia quæ habent in mundo, & ad cujus defensionem tenentur suos subditos efficaciter incitare, debent circa hoc negotium esse ferventes specialiter. Præterea ipsi sunt pastores Christianitatis, sunt etiam & depositarii depositi animarum sibi traditi, sunt iterum vigiles positi ad custodiam civitatis. Ad hujusmodi autem personas summè pertinet solicitas esse & diligentes contra adversarios. Et ideo cum Saraceni sint lupi, devorare intendentes Christianos, & sint fures, deposito animarum Christianorum insidiantes, eas (cum possunt) pervertentes, & sicut hostes, Dei civitatem, sanctam scilicet Ecclesiam, irrumpere satagentes: pertinet ad ipsos, murum se opponere contra eos ferventer. Patet ex jam dictis, quòd si habeatur respectus ad Deum, sub quo sunt, & ad officium prædicandi quod habent, & ad subditos quibus præsunt, multiplices rationes occurrunt, quare debent esse prælati ferventes in negotio supradicto. Væ igitur multis, qui non solùm sunt tepidi circa hoc negotium, immò sunt contrarii. Mira, immò miseranda res: Pontifices idolorum summè restiterunt Apostolis, quia cultum eorum volebant evacuare, sicut patet in Legendis sanctorum plurimis. Matathias sacerdos veteris legis, se & suos exposuit exilio, & morti, & pœnis innumerabilibus, pro cultu legis suæ ab Antiocho rege defendendo. Pontifices Judæorum eorum qui fuerunt tempore Christi & Apostolorum, propter eandem causam Christum occidi fecerunt, & Apostolos sunt persecuti supra modum: & pontifices multi nostri temporis, non curant de cultu Dei vivi summè minorato per Mahumetum, & nisi apponatur consilium & auxilium, amplius & amplius minorando. Videat Deus, & judicet, & judicabit sine dubio in finem.

Judith 8.

CAPUT XXII.

Quòd etsi fervor iste magis prælatos deceat, summè tamen summum Pontificem concernit.

Vicesimosecundò notandum, quòd licèt ad prælatos specialiter pertineat negotium hoc, tamen summè pertinet ad summum Pontificem. Secundum jura enim ad ipsum pertinent majora & ei reservantur. Non est autem majus negotium in Ecclesia Dei quàm fidei negotium, propter quod est suum specialiter negotium fidei. Unde & Dominus loquens Petro, fidem Christianam dicit esse suam, cum dixit, Ut non deficiat fides * tua. Negotium autem quod habet Ecclesia contra Saracenos est † maximum fidei negotium: quia Saraceni cultum fidei Christianæ intendunt fugare de mundo. Cum ergo olim concilia multa & magna congregata fuerint pro uno, vel etiam paucis fidei articulis declarandis: quanto magis summus Pontifex hæc & alia debet facere pro hoc negotio, quod non est unius vel paucorum articulorum, sed totius fidei Christianæ? Item istud negotium est ita magnum, quòd tota Christianitas vix ad hoc sufficit: quomodo ergo portio Christianitatis ad hoc sufficeret? Et ideo non potest bene prosperari istud negotium, nisi ille qui habet potestatem * super totam Christianitatem, habeat illud multum cordi, qui totam Christianitatem ad hoc commoveat. Item solus Papa potest compellere multos, saltem personas ecclesiasticas ad juvandum in hoc negotio: & hujusmodi compulsio frequenter est in isto negotio propter pigritiam voluntatum hominum necessaria. Et ideo nisi Papa sit circa hoc multum voluntarius, negotium non potest procedere bono modo. Item solus Papa potest dare * plenitudinem indulgentiarum & alias multas gratias facere, per quæ valdè solet negotium promoveri: quomodo autem emanabunt ista ab illo, si fuerit circa negotium hoc remissus? Item pusillanimitas regis summè solet nocere in exercitu, animositas verò summè prodesse. Hæc est enim, quæ omnes alios confortat & animat: quomodo ergo Christianitas fervebit in isto negotio, si caput & princeps totius Christianitatis inveniatur in hoc agere tepidè & remissè? Item sententia Papæ est tantæ authoritatis, quòd illud quod cum maturitate & deliberatione approbat, oportet omnes approbare & reverenter suscipere. * Et ideo quando habet istud negotium cordi & approbat, oportet quòd cessent omnes obloquentes huic negotio & oblocutiones hujusmodi exsufflentur. Item istud negotium tangit omnes Christianos ratione fidei suæ: quomodo ergo poterit dirigi nisi ille qui curam habet omnium Christianorum, illud dirigat solicitè & diligenter? Item in Deuteronomio scriptum est: Appropinquante prælio stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis. Non pertimescat cor vestrum. Nolite metuere & nolite cedere nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. Ex quo patet, quòd sacerdotis est in hujusmodi bello populum animare. Ille autem qui magis potest animare inter Christianos est summus sacerdos. Quomodo iterum animaret in campo, si ipse est pusillanimis circa hoc negotium in domo? Sunt autem circa hoc multæ aliæ rationes, quas est Spiritûs Sancti potius inspirare quàm humanæ linguæ describere.

[Margin notes: Luc. 22. — * ridiculè — † maximè — * Scilicet! — * Jam rem acu tangis. — * Licitum an illicitum? festina lentè, bone vir. — Deut. 20.]

CAPUT XXIII.

Quomodo per Pontifices summos hoc negotium semper sit promotum.

Vicesimotertiò notandum est, quomodo per summos Pontifices est ab antiquo promotum istud negotium. Ad quod sciendum est notandum, quòd summi Pontifices
1. primò dederunt authoritatem huic bello. Unde Alexander Papa (23. q. 8.) omnibus Hispaniæ Episcopis scribit in hunc modum: Dispar est Saracenorum & Judæorum causa. In illos enim, scilicet Saracenos, qui Christianos persequuntur, & ex urbibus & propriis
2. sedibus pellant justè pugnatur: hi, scilicet Judæi, ubique servire parati sunt. Secundò non solùm authoritatem dederunt, sed exemplum præbuerunt. Unde (23. q. 8.) dicit Leo

Leo Papa 4. Igitur cum sæpe adversa à Saracenorum partibus adveniant nuncia, quidam in Romanum portum Saracenos clam furtiveque venturos esse dicebant, pro quo nostrum congregari præcepimus populum, maritimumque ad littus descendere decrevimus, & egressi sumus Romam. Tertiò, datæ sunt cruces & adinventæ ab Urbano 2. Papa in 3.
concilio Claromonten. ad hujus negotii promotionem, & tunc recuperata est terra.
Quartò, religiones arma portantium per Papas diversæ sunt ordinatæ ad pugnandum contra 4.
Saracenos, & supra hoc dotatæ, licèt à principio non ad hoc inventæ fuissent. Quintò, 5.
amissa Hierusalem & tradita Saladino, missæ sunt literæ & legati per universum Occidentem à Papa Gregorio octavo cum promissione de relaxatione peccatorum. Sed ipse post unum mensem & dies 27. suæ creationis obiit, cui successit Clemens 3. Et in diebus illis rex Franciæ Philippus & rex Angliæ Richardus recuperaverunt Achon à Saladino captam.
Sextò, post hæc in Lateranensi concilio Innocentius 3. ordinavit de approbatione con- 6.
cilii illam plenitudinem indulgentiæ & multas alias gratias & libertates quæ hodie dantur cruce signatis, & de proprio thesauro 30. millia marcarum dedit, & duo millia marcarum de quibusdam eleemosynis pro transitu pauperum cruce signatorum assignavit, & alia suffragia multa fieri ordinavit. Septimò, post hæc cum istis indulgentiis datæ sunt 7.
modò decimæ, modò 20. Ecclesiarum, & hujusmodi à diversis Papis in subsidium negotii usque ad tempora nostra. Et sic patet, quomodo (secundum quod invenitur in diversis * historiis) istud negotium semper est promotum per Papas, licèt modis variis, & cum augmento adjutorii procedendo.

* Res ipsa indicat sine ope historiarum hoc esse verum: & rationem insuper de qua promotum.

CAPUT XXIV.

Quod etsi præsens negotium adhuc perfectè per quæcunque media non sit terminatum, non tamen est desistendum, maximè à summo Pontifice, quin potiùs adhuc nova instauret.

Vicesimoquartò notandum est, quòd si adjutoria prædicta nondum perduxerint negotium hoc ad finem optatum, tamen non est desistendum & maximè à summo Pontifice, ex quo totum dependet, quin adhuc exquirantur & procurentur alia adjutoria efficaciora, quantum possibile est ad negotii promotionem. Dejecti enim cordis est, & non nobilis animi & ferventis, propter infortunatos eventus desistere à bello justo, maximè cum est Deo acceptum. Unde & probi milites solent post eventus hujusmodi nova consilia adinvenire ad prosequendum inceptum. Sunt autem tres causæ inter alias
speciales, quare non est desistendum. Una est salus Christianorum. Innumerabiles enim 1.
salvati sunt & salvantur in prosecutione hujus negotii, qui fortè aliter nunquam morirentur in statu salutis. Alia est repressio Saracenorum. Nisi enim repressi fuissent per 2.
hujusmodi conflictus, jam fortè quasi totam Christianitatem occupassent. Tertia est 3.
spes de finaliter triumphando. Nunquam enim debent desperare Christiani, quin finaliter veniant ad victoriam de Saracenis, etsi Dominus propter causas aliquas sibi notas, usque modò distulerit & permiserit nos ab eis frequenter dejici & devinci. Ad confortandos autem Christianos in hac spe, sunt multa exempla tam in historiis veteribus quàm novis. Per totum librum Judicum legitur, quòd hostes Israel frequenter adversus eos prævalebant, sed ipsi clamabant ad Dominum, & mittebat eis ex improviso aliquos, per quorum manum de hostibus triumphabant. Item cum filii Israel devicti essent à viris
Hai in introitu terræ promissionis & interfecti multi, post humiliationem factam coram Josue 7. & 8.
Domino & pœnitentiam delicti Achan, redeuntes contra civitatem illam, & pugnantes per insidias de mandato Domini habuerunt victoriam, & civitatem combusserunt omni-
bus interfectis. Item filii Israel devicti bis à filiis Benjamin, post orationes & jejunia & Judic. 20.
fletum & hostias immolatas redeuntes ad prælium, devicerunt eos. Item in libro Machabæorum legitur, quòd Antiochus insurgens contra Judæos & locum prophanavit, & libros eorum combussit, & innumeras crudelitates in eos exercuit, & legem eorum abolere volens, legem gentium in eos introduxit. Sed & Matathias & Judas filius ejus & fratres ejus resistentes, postea de eis quàm sæpe habuerunt victorias gloriosas. Sunt & alia multa similia in veteri lege de triumphis habitis à Judæis de gentibus qui eos vicerunt sæpe. Si quis autem scire voluerit quomodo & nostri de Saracenis qui eos sæpe devicerunt, postmodum frequenter gloriosos habuerunt triumphos de illis, legat historiam de Actis Caroli in Hispania: Legat etiam historiam Antiochenam, legat & historiam trans-

marinam: Legat & alias, quæ multæ sunt, loquentes de istis: & inveniet quomodo excordes sunt quidam homines nostri temporis, qui propter infortunatos eventus reputant desistendum à conflictu cum Saracenis. Ipsi siquidem Saraceni occupaverunt quandoque Siciliam, occupaverunt & Sardiniam, depopulaverunt & Januam civitatem nobilissimam, impugnaverunt & loca maritima, & devastaverunt quamplurima in Italia, in Provincia, in Cathalonia, in Hispania. Occupaverunt & totam Hispaniam, deveneruntque usque in Aquitaniam, capientes civitates multas, & interficientes sine misericordia innumerabiles Christianos. Sed per Dei misericordiam, per Christianam potentiam expulsi sunt de omnibus istis locis, præterquam de angulo Hispaniæ, in qua provincia etiam de novo per regem Aragonum civitas Valentia & regnum Majoricarum, & per regem Castellæ maxima civitas Sibilia super eos sunt acquisita: nec loca nostra maritima jam audent alicubi impugnare, quia virtus eorum in mari, in comparatione ad virtutem nostrorum, pro nihilo reputatur. Quomodo ergo desperandum est, quinimo quomodo non est sperandum, quòd Deus qui dedit Christianis suis super eos tantam victoriam, non perficiat opus suum tempore opportuno, nobis occulto, sed sibi soli noto? Potens siquidem est Deus, vel per mortem Soldanorum, sicut & per mortem Holofernis dedit victoriam de hostibus, vel per terrorem immissum, sicut olim fecit de Syriis, vel per plagam divinitus immissam, sicut fecit olim in castris Assyriorum, vel aliis modis innumeris sibi soli cognitis, & existentibus in sua voluntate, conceptionem Christianam de Saracenis delendis ad suam gloriam & honorem perducere ad effectum. Nondum siquidem, per Dei gratiam, translatæ sunt x. partes Christianitatis, vel etiam duæ in potestatem Saracenorum, sicut olim x. tribus in potestatem regis Assyriorum, & duæ in potestatem regis Babyloniæ. Sed multo plus incomparabiliter major est Christiana potentia quàm Saracenica. Propter quæ nullatenus est desistendum vel diffidendum de isto negotio contra Saracenos à Christianis concepto.

Hispalis olim, nunc Sibilia, aut Sibiglia.

4 Reg. 7.
4 Reg. 19.
4 Reg. 17.
4 Reg. 25.

CAPUT XXV.

Qualiter sit ad nova media & adjutoria procedendum.

Vicesimoquintò notandum est, qualiter sit procedendum ad nova adjutoria circa hoc negotium promovendum. Ad quod laudabiliter faciendum, existimo, quòd sint necessariæ orationes, cogitationes & consilia cum suis annexis. Circa verò orationes notandum, quòd pro tali negotio cum sit commune negotium Christianitatis, communes orationes sunt faciendæ. Et quia peccatores non audit Deus, faciendæ sunt correctiones majores solito ubique, ne peccatum istas orationes impediat. Et quia non sufficit peccata dimittere nisi de præteritis satisfactio fiat, faciendæ sunt satisfactiones per communes humiliationes in jejuniis aliquibus, & eleemosynis & communibus processionibus, & aliis hujusmodi quæ solent iram Dei placare. Quantum autem ista valeant, & quantum fieri soleant in casibus similibus, docent exempla & authoritates tam bibliæ quam aliorum, &c. Circa cogitationes notandum est, quòd pertinet ad volentem promovere efficaciter istud negotium, frequenter & diu de ipso cum deliberatione multa cogitare, & non subitò aliquid ordinare. Et quia ad deliberandum prudenter multum conferre solet collatio, debet de isto sæpe cum viris ad hoc idoneis conferri. Et quia iterum ad collationem hujusmodi multum confert scientia præteritorum, debet antiquas historias & gesta circa hæc præterita in scriptis redacta inspicere diligenter, quia per hujusmodi facta præterita in multis instruitur cogitatio præsens, quid sit faciendum in futuro. Sunt autem ad hæc confirmanda multæ authoritates & exempla, quæ facilè possunt inveniri ab illis qui in hujusmodi delectantur. Circa consilia notandum, quòd licèt omnia facienda sunt cum consilio, secundum scripturas, tamen majora majori consilio indigent. Et cum istud negotium sit maximum inter divina negotia Christianitatis, maximo consilio indiget. Sed notandum, quòd tria sunt genera hominum quæ non sunt apta ad hujusmodi consilium. Unum est, inexperti. Quid enim possunt consulere circa agenda quæcunque, qui nihil circa ea experti sunt? Aliud est, involuntarii. Qui enim non habent negotium cordi; nunquam consilium virile circa hoc dabunt. Tertium est, homines mali. Ipsi enim non habent in se spiritum Dei. Et ideo non est spes, quòd per os eorum loquatur spiritus Dei, à quo est omne consilium rectum. Et ideo ad consilium circa hoc negotium eligendi sunt non quicunque indifferenter, sed experti & affectuosi circa negotium, & viri de quibus credatur quòd habeant spiritum Dei. Et hæc possunt multis modis probari.

Joan. 9.



CAPUT

CAPUT XXVI.

Quid de hoc sentiat communis opinio.

Vicesimosextò notandum est, quid sentiat communis opinio hominum de hoc negotio promovendo? Sentit equidem, quòd ordinaretur, quòd illis qui sunt ultra mare apti ad prælium, tam religiosi quàm alii, adderetur tanta multitudo pugnatorum, tam equitum quàm peditum, qui continuè essent in hoc exercitio, quòd speraretur probabiliter, quòd possent semper contra Saracenos nostri prævalere. Ad hoc autem essent eligendi viri potentes ad hujusmodi labores & bonæ vitæ, & tales qui non solùm ad stipendia oculum haberent, sicut mercenarii, sed fidei zelum haberent, & morientibus aliquibus, vel propter malum victum de tali societate ejectis, alii semper substituerentur. Probabile enim est, vel propter paucitatem nostrorum, vel propter discontinuationem belli, vel propter personarum impotentiam, vel propter vitam malam multorum, vel propter defectum zeli ad negotium, minus prosperatum est istud negotium usque modó. Si autem quæratur, unde habebuntur tanta & tam continua stipendia necessaria istis pugnatoribus, potest dici, quòd tantæ sunt in Christianitate divitiæ, quòd nisi desit voluntas Christianis & sagacitas in procurando, facilè & sine multo gravamine possunt haberi. Ut enim de adjutorio regum & principum & comitum & laicorum omnino taceamus, & de solis personis ecclesiasticis, qui Papæ subjacent, fiat sermo, quod damnum esset si de Ecclesiarum, quæ sunt in ornamentis superfluis, quæ vetustate putrescunt, & auro & argento & lapidibus pretiosis, quæ sunt in vasis superfluis & crucibus & hujusmodi, emerentur per diœceses singulas redditus, hujusmodi negotio perpetuò applicandi? Quod iterum damnum esset si in cathedralibus Ecclesiis & aliis capitulis divitibus, in quibus sunt multi canonici, minueretur in aliquo numerus eorum, & redditus præbendarum sic minutarum isti usui sic applicarentur? Quod malum iterum esset si de prioratibus religiosorum, qui sunt innumerabiles per mundum, in quibus religiosi multum dissolutè viventes sunt scandalum mundo, multi applicarentur ad eosdem usus? & idem fieret etiam de abbatiis destructis, de quibus non habetur spes, quòd unquam valeant reformari? Quod etiam damnum esset si de beneficiis vacantibus & pinguibus pars aliqua per annum unum vel plures ad hoc idem applicaretur? Sunt autem & alia multa circa personas ecclesiasticas & personas laicas, quæ sapientia secularis sciret meliùs adinvenire, quæ ultra humanam æstimationem ascenderent, si perducerentur ad effectum, & perpetuò possent valere negotio. Et de mobilibus quibusdam ad hæc pertinentibus possent emi redditus perpetui, ad hoc perpetuò deputati, & omnia hæc deputata, gratiis & defensione ecclesiasticâ munirentur. Sed quia sapientia mundi multum formidare potest, ne ista tempore procedente ad usus alios per Romanam Ecclesiam transferrentur, ne occasione hâc impediantur processus hujusmodi, expedit contra hoc competens remedium invenire, ut instanti sacro concilio promoveri possit meliùs istud negotium ad Christi gloriam & Christianæ fidei exaltationem & animarum salutem. Et si fortè non possint remedia perpetua procurari, saltem ad tempus longum, prout fieri poterit, procurentur.

CAPUT XXVII.

De agendis ante Concilium generale celebrandum pro præsenti negotio.

1. Vicesimoseptimò notandum, quòd ante Concilii congregationem sunt quædam agenda, quæ multùm valere possunt ad hujus negotii promotionem. Unum est, ut omnes rationes efficaces, quæ possunt movere cor Christianum ad juvandum Christianitatem contra Saracenos, redigantur in scriptis sub verbis decentibus & brevibus, ut hæc possint ostendi tempore suo illis, de quibus videbitur, expedire. Sunt enim multi non solùm laici, sed etiam clerici, qui nesciunt neque de Mahumeto neque de Saracenis quasi aliquid: nisi quòd audiunt quòd sunt quidam infideles non credentes in Christum, & putant quòd isti Saraceni reputent Mahumetum Deum suum, quod tamen falsum est.

2. Aliud est, quòd cum consilio sapientum tam literatorum quàm etiam laicorum, & maximè

maximè nobilium, qui habeant negotium istud cordi, excogitentur cum diligenti examinatione omnia genera adjutoriorum, quæ possunt peti sive à prælatis, sive à clericis, sive à religiosis, sive à regibus, sive à principibus, sive à communitatibus pro isto negotio: & redigantur in scriptis sub brevi forma, & cum rationibus aliquibus, ut ista possint ostendi tempore suo insimul vel divisim illis, de quibus videbitur expedire.

☞ 3. Aliud est, ut ante concilium de singulis nationibus vel provinciis convocentur aliqui prælati, & tales, de quibus speratur, quod habeant cordi negotium, & sint idonei ad persuadendum aliis. Et tales rogentur à domino papa, & inducantur efficaciter ab eodem, ut ipsi promoveant negotium erga alios prælatos suæ nationis vel provinciarum, ut per istam præparationem præcedentem melius respondeant in concilio. Multo tempore mittat dominus papa nuncios solennes ad reges & principes, de quibus videbitur expedire cum literis suis, supradictas rationes continentibus, qui diligenter exponant eis & nobilibus, quos habere poterunt, negotium, & inducant ad adjutorium in negotio. Et cum illis nunciis sint aliqui nobiles, qui habeant cordi negotium, & sciant cum prædictis nunciis, magnatibus persuadere. Sunt autem multa, quæ debent magnates movere ad hoc negotium, præter rationes communes pertinentes ad omnes.

1. Unum est, potestas eis à Deo collata. Omnis enim homo tenetur servire domino suo de feudo, quod tenet ab eo. Et ideo sicut clerici tenentur Deo servire de scientia, quam habent à Deo, & divites de substantia, quam habent à Deo: ita potentes de potentia, quam habent, cum habeant eam à solo Deo.

2. Aliud est * exempli veteris testamenti. Ibi enim invenitur, quod reges & magnates semper pugnabant contra Philistæos & alios hostes illius populi. Prophetæ autem non pugnabant, neque sacerdotes: sed prophetæ exhortabantur, & sacerdotes sacrificia & preces pro eis offerebant.

* Fort. exemplum.

3. Aliud est * exempli novi testamenti, in quo invenitur, quòd magnates semper negotium istud contra Saracenos exercuerunt, ut patet in Carolo, qui ad exhortationem * B. Jacobi sibi apparentis, bis fuit in Hispania ad expellendum Saracenos indè, & ut haberet suos secum in multitudine, dedit Francis propter hoc libertates multas. Hoc idem patet in aliis regibus multis, & magnatibus innumerabilibus, qui propter hoc se & sua & suos exposuerunt, maria transeuntes.

* Hæccine sunt Novi Testamenti? desine nugari: expectandum esset aliquid ex illius Epistolà, non somnio Caroli, nec tuo.

4. Aliud est necessitas pœnitentiæ, quam necesse habet facere, qui peccavit. Quomodo autem possunt pulchriorem pœnitentiam facere isti, quàm cum armis Deo servire, qui abstinentias & hujusmodi afflictiones portare non consueverunt?

5. Aliud est officium. Ipsi enim ministri sunt Regis regum, secundum quod innuit Apostolus, dicens de talibus: Minister Dei est, &c. Et ideo sicut ad balivos regis summè pertinet, resistere inimicis regis sui, ita & ad ipsos magnates summè pertinet resistere spiritualibus inimicis Dei, scilicet Saracenis.

Rom. 13.

6. Aliud est nobilitas. Quando enim est bellum inter duo regna, magis pertinet ad nobiles, pugnare, quàm ad alios. Et ideo cum Saraceni impugnent Christianitatem, magis pertinet ad nobiles Christianos istud bellum, quàm ad alios.

7. Aliud est verecundia. Omnis enim nobilis, si est intra aliquod castrum obsessum, reputat sibi verecundum, nisi pro viribus plus resistat, quàm alii. Quanta ergo verecundia est nobilibus, qui sunt intra Christianitatem, nisi pro viribus plus resistant, quàm alii, Saracenis obsidentibus eam? Sunt & multa alia, quæ movere possunt, si diligenter investigentur.

OPUSCULI

OPUSCULI TRIPARTITI
Secunda Pars aut Liber Secundus.

CAPUT I.

In ſecunda parte hujus Libri, in qua agitur de ſchiſmate Græcorum, oſtenditur, quòd Eccleſia Dei ſit unica.

AD intelligendum plenius de eis quæ ſcire expedit circa ſchiſma Græcorum, notandum eſt primò, quod Eccleſia Chriſti & eſt, & eſſe debet unica. Et hoc patet per authoritatem ſcripturæ veteris teſtamenti, dicentis: Una eſt columba mea, perfecta mea. Item per ipſum Chriſtum dicentem in novo Cant. 6.
teſtamento: Super hanc petram edificabo Eccleſiam meam. Eccleſiam, dicit: non Math. 16.
Eccleſias.

2. Item per ſanctos expoſitores ſcripturarum. Unde Auguſt. ſuper illo Pauli verbo, 2 Cor. 11.
Deſpondi vos uni viro virg. c. ex Chriſto, dicit: Omnes ſumus una virgo. Et omnes expoſitores prædicti, loquentes de hâc materia, concorditer aſſerunt, quòd unica ſit Eccleſia.

3. Item per ſymbolum Nicenum, in quo dicitur: Credo unam ſanctam Eccleſiam.

4. Item per rationem. Si enim plures eſſent Eccleſiæ, cum Chriſtus ſit ſponſus Eccleſiæ, Chriſtus eſſet bigamus vel trigamus, & tot habens uxores, quot eſſent Eccleſiæ: quod eſſet maximum inconveniens in Chriſto ſummo Pontifice, cum hoc etiam ſit inconveniens in quolibet epiſcopo, juxta verbum Apoſtoli, dicentis de quolibet epiſcopo: Unius uxoris virum. Ideo bene dicitur in Apocalypſi. Uxor ejus, id eſt, 1 Timot. 3.
agni, præparavit ſe. Non dicit, uxores: ſed, uxor. Præterea congregatio Judæo- Apocal. 19. 2 Paral. 7.
rum univerſa, dicitur Eccleſia in Paralip. ubi dicitur, omnis Iſrael Eccleſia magna, & in aliis multis locis: ergo multò magis congregatio Chriſtianorum in quibus major unitas vigere debet, debet dici & eſſe una Eccleſia. Et ſic patet, per authoritatem veteris & novi teſtamenti, & per ſanctorum expoſitiones, & per ſymbolum catholicum, & per rationem, & per comparationem Eccleſiæ ad ſynagogam, quòd Eccleſia Chriſti eſt unica. Notandum eſt autem quòd Eccleſia dicitur una, ab unitate Domini, ſicut regnum dicitur unum, ab uno rege cui ſubjacet. Item dicitur una, ab unitate fidei ſanctæ, ſicut Saraceni dicuntur una gens, ab eo quòd credunt idem. Item dicitur una ab unitate ſacramenti baptiſmi, eos diſtinguentis ad modum characteris, ſicut & populus Judaicus diſtinguitur per carnis circumciſionem à gentili populo. Et ideo benè dicitur: Unus Dominus, & hoc quoad primum: una fides, & hoc quoad ſe- Eph. 4.
cundum: unum baptiſma, & hoc quoad tertium. Item dicitur una ab unitate animorum, quia omnes debent unum animum habere in eis quæ Dei ſunt, juxta illud Acto. 4.
Act. Multitudinis credentium erat cor unum & anima una in Domino. Item ab unitate finis, quia ad unum tendunt, ſicut Paulus ait: Unum corpus & unus ſpiritus, Eph. 4.
ſicut vocati eſtis in unam ſpem vocationis veſtræ. Item ab unitate profeſſionis, quam faciunt omnes Chriſtiani in baptiſmo, ſicut dicitur una religio ab unitate profeſſionis. Ad hanc autem profeſſionem pertinet uniformitas cultûs divini, juxta illud: Unanimes, Rom. 15.
uno ore honorificemus Deum.

CAPUT

CAPUT II.

Ponuntur objectiones adverſus hanc propoſitionem.

VErùm contra hoc poteſt multipliciter opponi in hunc modum: In Apocalypſi dici-
Apoc. 1. tur 7. Eccleſiis. Item communiter dicitur, Eccleſia Gallicana, Eccleſia Anglica-
na, & hujuſmodi. Item diſtinguitur inter Eccleſiam primitivam & modernam, quia
illa pauper, iſta dives. Non eſt autem eadem quæ eſt pauper, & quæ eſt dives. Item
Gen. 29. & 30. antiqui patres, qui figurabant Chriſtum, habuerunt plures uxores, ut Jacob quatuor; Moſes
Exod. 2. duas, unam Æthiopiſſam, aliam filiam ſacerdotis Madian. Quare ergo Chriſtus non
Num. 12. poteſt habere plures uxores, ſc. Eccleſias? Item major eſt gloria regis, habere ſub ſe plures
provincias, quam unicam: ergo magis convenit, Chriſtum habere plures Eccleſias quam
Cant. 6. unicam. Item in Canticis dicitur in figura Chriſti: 60. ſunt reginæ & non unica. Item
Pſal. 25. & 88. in pſalmis fit mentio de Eccleſia ſanctorum, & de Eccleſia malignantium: Conſtat autem,
quod hæc non eſt illa. Ex his ergo omnibus patet, quòd plures ſunt Eccleſiæ, ergo
non unica. Sic bene ſequitur, ſi plures ſunt homines, quòd non eſt unicus.

CAPUT III.

Reſponſiones memoratarum objectionum.

AD hæc omnia & ſimilia poteſt dici, quòd plures ſunt Eccleſiæ, & unica: plures in particulari, ſed unica in univerſali. Unde dicitur in ſymbolo: Credo unam Eccleſiam catholicam, id eſt, univerſalem. Sicut ergo ternarius, & quaternarius, & quinarius per ſe ſunt plures numeri, & inſimul ſunt unus numerus: & ſicut iſte acervus lapidum, & ille, & tertius, per ſe ſunt plures acervi, & inſimul conjuncti, ſunt unus acervus: & ſicut exercitus hujus comitis, & illius, & alterius, per ſe ſunt diverſi & plures exercitus, & inſimul conjuncti, ſunt unus exercitus regis: ita & Eccleſiæ plures poſſunt eſſe particulariter, & inſimul ſunt omnes una Eccleſia. Porrò particulares diſtingui poſſunt modis diverſis. Di-
Apoc. 1. ſtinguuntur enim quandoque ex parte rectorum. Et ſic dicuntur 7. Eccleſiæ in Aſia, propter 7. epiſcopos, qui erant in Aſia, ſicut poſtmodum ibidem exponitur. Et ſic etiam poſſunt tot Eccleſiæ, quot ſunt in mundo epiſcopi. Quandoque ex parte nationum, & ſic dicuntur Anglicana, Gallicana, & ſic de aliis nationibus. Quandoque ſecundum ſtatum, & ſic dicitur alia militans, alia triumphans. Alius eſt enim ſtatus militis pugnantis, alius triumphantis, licèt idem ſit miles. Quandoque ſecundum tempus, & ſic dicitur primitiva à primo tempore, & moderna à præſenti. Nec eſt contrarium, quòd tunc fuerit pauper, & modò non: quia idem homo in juventute potuit eſſe pauper, qui poſtea in ſenectute factus eſt dives. Sicut autem ſecundum iſta poſſunt Eccleſiæ plures dici, ita & ſecundum alios multos modos.

Ad illud quod objicitur de antiquis patribus, quod habuerunt plures uxores, poteſt dici, quod licèt præfiguraverint Chriſtum in multis, non tamen in omnibus. Vel poteſt dici, quòd in hoc quodammodo potuerunt præfigurare Chriſtum: ſicut enim Jacob habuit 4. uxores, duas liberas & duas ancillas: ita & Chriſtus habet duas liberas de Judæis & gentibus, quæ ei adhærent ex amore, & duas ex eiſdem, quæ ei ſerviunt ex timore. Ad aliud de provinciis pluribus dicendum, quòd & hoc impletur, quia ad ejus maximam gloriam ſervitur ei ab omni provincia: & quanto plures ſunt provinciæ in ejus ſervitium, tanto major eſt gloria ejus. Sed hoc non contrariatur unitati Eccleſiæ ſuæ, quia omnes tales provinciæ ſunt una Eccleſia.

☞ Ad illud de 60 reginis dicendum eſt, quod 60, quia continet ſexies 10, ſignificat perfectos in præceptis, propter ſenarium, qui eſt numerus perfectus, & 10, quod ſignificat præcepta. Et hi ſunt, qui propter Deum generant filios prædicando: Octoginta verò, propter octonarium qui conſtat ex bis quatuor, ſignificat volubilitatem temporalium, propter 4. elementa. Et hi ſunt, qui in generatione prædicationis habent oculum ad temporalia. Adoleſcentulæ verò, quarum non eſt numerus, ſunt imperfecti innumeri, qui non ſunt apti ad fructum in Eccleſia proferendum. Per 60. ergo reginas & octoginta concubinas & numerum adoleſcentularum innumerabilem, non intel-

liguntur

liguntur Ecclesiæ, ita ut respondeat numerus numero, (undè statim ibi sequitur, Una est columba mea) sed personarum in Ecclesia varietas, propter numeri proprietatem, ita ut dicantur 60, illi qui amore cœlesti prædicant: & octoginta, qui ad temporalia habent oculum in prædicatione: & adolescentulæ, imperfecti quique, qui ad prædicationem sunt inepti. Et hæc expositio trahitur ex glossa. Ad aliud dicendum est, quòd sicut angelus cum per se nominatur, sonat in bonum: si autem addatur * Satanæ, sonat in malum: ita si dicatur Ecclesia simpliciter, sonat in bonum: si autem addatur, malignantium, sonat in malum. Et ideo Ecclesia malignantium non est dicenda † Ecclesia simpliciter. Ad illud autem quod ultimò dicitur, dicendum est, quòd non est simile de homine & Ecclesia. Sunt enim quædam, in quibus natura totius non salvatur, in partibus, ut homo. Non enim pars hominis aliqua, est * homo. Alia verò sunt, in quibus natura totius salvatur in partibus, ut numerus. Sicut enim duodenarius, est numerus, ita multæ partes ejus sunt numerus: & tale quid est Ecclesia. In Ecclesia enim universali sunt multæ partes, quarum quælibet est Ecclesia.

* Proculdubio.
† Infallibilissimè.
* Rectè iterum.

CAPUT IV.

Ostenditur, quòd Ecclesia universalis debeat habere unum, qui sit summus Pontifex.

DEinde ostenditur, quòd Ecclesia universalis totius Christianitatis debet habere unum summum pontificem, hoc modo: Omnia membra unum corpus sumus in Christo: sed unum corpus non debet habere nisi unum caput, nisi sit monstruosum, † igitur cum istud corpus non sit monstruosum, non debet habere nisi unum caput. Item positio illorum, qui dixerunt, quod universitas mundi habet duos rectores, est hæretica, & improbatur rationibus multis irrefragabilibus. Ergo tota universitas rerum non habet nisi unicum rectorem. Eadem ergo ratione, imò fortiori, tota universitas Christianitatis, si bene est ordinata, non debet habere nisi unum summum rectorem. Item ista particularis Ecclesia hujus diœcesis non habet, nec debet habere nisi unum episcopum, similiter illa, & sic de aliis: ergo eadem ratione tota Christianitas, quæ est unica, sicut ostensum est prius, debet habere unicum summum pontificem. Item plures episcopi subsunt, & subesse debent uni archiepiscopo, & plures archiepiscopi uni patriarchæ, ergo eadem ratione omnes patriarchæ debent subesse uni summo super se s. * papæ unico. Item constat, quod Christus non deest Ecclesiæ, quam tantum dilexit in his quæ sunt ei necessaria: sed si non esset unus summus pontifex in Ecclesia, possent discordiæ innumerabiles oriri inter illos qui se reputarent summos in diversis nationibus tam de fide quam de aliis, & non esset superior, per quem terminarentur discordiæ istæ, & sic Christianitas tota confunderetur †: constat, quod expedit omnino Christianitati, quod habeat unum summum pontificem. Item Ecclesia universalis est quasi una navis, deferens omnes Christianos per mare hujus mundi, juxta illud Proverbiorum: Facta est quasi navis institoris, &c. sed in unica navi expedit unum esse rectorem summum, ad cujus nutum omnia dirigantur, licèt possit plures habere collaterales consiliarios. Item Ecclesia militans dicitur in evangelio regnum Dei, sed in uno regno non expedit esse nisi unicum regem: alioquin semper essent in eo dissensiones & turbationes, & * indè, ut supra. Item in synagoga licèt essent 24. sacerdotes servientes per hebdomadas secundum ordinationem David, tamen unus eorum erat summus sacerdos, sicut dicit magister in historiis: ergo multo magis in Ecclesia, quæ majorem debet unitatem habere, debet unicus esse summus sacerdos. Item in Ecclesia triumphante est unicus summus, scilicet Deus. juxta illud Apocal. Et ipse Deus cum eis, erit eorum Deus. Cum ergo Ecclesia militans debeat conformari ad exemplar triumphantis, in militante debet esse unicus * summus pater. Item alibi dicitur: † Congregabuntur filii Juda & filii Israel pariter, & ponent sibimet * caput unum. Christus ipse apud Johannem dicit: † Erit unum ovile & unus pastor. Et sic authoritate utriusque testamenti ista sententia confirmatur. Quod etsi dicat aliquis ad ista, quòd istud caput est ipse Christus, non sufficit ista responsio. Quamvis enim Christus omnia sacramenta perficiat, quia ipse est qui baptizat, ipse est qui confirmat, & sic de aliis: nihilominus relinquit adhuc ministros homines. Quare eadem ratione oportet dicere, quòd & homo sit unus ordinatione divina ad totius Ecclesiæ regimen * deputatus. Præterea Christus est caput totius Ecclesiæ collectæ ex triumphante & militante: sed Ecclesiæ particulares debent habere particularem potestatem, ergo cum militans Ecclesia in comparatione ad

Rom. 12.
† Pulcher syllogismus: sed cave ne Christus & Papa sint duo capita.
* Et Papa, cuinam?
† Omnia nihil sunt sine Papâ.
Prov. 31.
* Fort. Invidiæ.
Apoc. 21.
* Certius est debere esse aliquid aliud.
† Ose. 1.
* i. e. Christum. vide loc.
† Joan. 10.
* Ὅπως ἔδει δεῖξαι.

totum prædictum, sit quædam Ecclesia particularis, debet præter Christum habere aliquem particularem pastorem. Præterea licèt Christus regat totum mundum, nihilominus tamen præter se dedit aliquos ministros ad regnum orbis, sicut patet in regibus & potestatibus. Quare eodem modo oportet ponere in regimine Ecclesiæ. Præterea non est sapientis & boni domini, quando recedit de domo sua, non reversurus ad longum tempus, relinquere eam sine vicario, ad quem loco ejus recurratur: & ideo cum Christus sit sapientissimus & optimus Dominus, oportet ponere, quòd aliquem habet vicarium in mundo semper, quamdiu est absens, pro mundi utilitate & necessitate. Et sic patet, quòd non solùm Christus debet dici caput Ecclesiæ totius Christianorum, sed aliquis homo minister & * vicarius ejus.

* Quid autem interea huic vicario erit pro normâ & regula agendi? Decretumne Gratiani? dato, sed non concesso, vicarium esse unicum: loquere, ut te videamus, bone vir.

CAPUT V.

Objectiones huic propositioni contrariæ narrantur.

SED contra hoc sunt multæ objectiones in hunc modum: In cœlesti hierarchia tota congregatio angelorum non habet caput unum præter solum Deum: ergo à simili in hierarchia ecclesiastica hominum non debet esse unicum caput præter solum Deum, præcipuè cum terrestris hierarchia cœlesti debeat conformari. Præterea non invenitur, quòd in primitiva Ecclesia omnes apostoli essent sub obedientia Petri, imo quilibet in locis, in quibus prædicabat, ordinabat ecclesias & episcopatus, & etiam mittebant interdum discipulos suos huc & illuc, & hæc omnia faciebant præter Petri authoritatem. Cum ergo successores eorum se debeant eis conformare, videtur quod ipsi non sint sub obedientia successoris Petri, sed sint per se caput, sicut eorum antecessores fuerunt. Item qui operatus est Petro in apostolatum
[Galat. 2.] circumcisionis, operatus fuit Paulo in apostolatum inter gentes, sicut ipse Paulus dicit: ergo Paulus habuit apostolatus officium à Deo immediatè, & non fuit sub Petro. Quare ergo non potest esse aliquis patriarcha, qui similiter non sit sub successore Petri? Item in temporalibus non requiritur, quòd sit unicus, qui præsit toti mundo, imo diversi reges regnant in regnis diversis, non habentes super se nisi solum Deum. Item inveniuntur aliquæ parochiæ, in quibus plures sacerdotes habent curam, singuli in solidum, totius parochiæ, & hoc ab Ecclesia toleratur: ergo eodem modo videtur, quod plures Papæ possunt habere in solidum curam totius Christianitatis. Iterum invenitur, quòd olim fuerunt insimul duo imperatores multoties; quare ergo non possent esse similiter plures Papæ insimul? Item sicut invenitur, quod Petro datæ sunt claves regni cœlorum, quæ non sunt aliud quam potestas ligandi & solvendi: ita est
[Joan. 20.] dictum omnibus apostolis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: ergo sicut successores Petri reputant se habere istas claves,
[Jucunda res est audire objectiones] sicut habuit Petrus, ita successores Thomæ, Andreæ, & aliorum apostolorum possunt reputare se habere istam potestatem non à Petro, sed ab antecessoribus suis.

Jucunda res est audire objectiones spontaneas quibus impares sunt responsiones. Amicè igitur nobiscum agit Objector, (si id saltem seriò agat) dum fortiora opponit quàm queat solvere: id quod statim deprehendes, lector, cum proximum caput perlegeris.

CAPUT VI.

Responsiones ad illas subnectuntur.

AD primum dicendum est, quòd congregatio angelorum est in statu triumphanti. Unde sicut Ecclesia hominum triumphans non habet prælatum hominem, quia tunc cessat omnis prælatio, ita nec ipsi. Non est autem simile de militante, quia quamdiu sunt homines in exercitu, indigent duce: quo non indigent, quando jam vicerunt, & quiescunt in domo. Item ipsi habent Deum semper præsentem, unde non oportet, quod habeant alium super se, sicut & quando fuit Christus in mundo, non habuit Ecclesia aliud caput supremum præter ipsum. Iterum prælatus datur propter infirmitatem subditorum, ad coercendum homines à malo, ad inducendum ad bonum & hujusmodi: ipsi verò angeli his non indigent, quia sunt confirmati & sine hujusmodi indigentiis. Ad aliud dici potest, quòd apostoli fuerunt missi à Christo immediatè: unde quilibet habuit potestatem faciendi ea, ad quæ mittebatur à Christo, & etiam à Spiritu Sancto, qui eis missus fuit ad multas prærogativas, & quo authore

thore loquebantur & operabantur. Unde non oportebat quòd recurrerent ad Petrum: nec etiam erat hoc possibile tunc temporis, propter locorum in quibus erant dispersi, distantias, & necessitatem instandi prædicationi & conversioni mundi. Et sic etiam fuit in eorum successoribus authoritate Ecclesiæ tempore aliquanto, quousque fuit tempus quòd authoritate eadem, & Spiritus Sancti ordinatione ordinaretur de hujusmodi subjectione & obedientia ad successorem Petri, sicut & de forma multorum sacramentorum & confessione modo moderno facienda, & aliis multis non fuit à principio traditum, quod pòst per Spiritum Sanctum per * partes creditur ordinatum. Ad aliud de Petro & Paulo dicendum est idem. Ad illud de regimine temporali dicendum est, quod licèt plures reges possint esse, qui non habent super se nisi solum Deum in temporalibus, in spiritualibus tamen omnes subsunt Papæ, qui eos potest injustè agentes vel dissidentes, & in similibus * compescere: non autem sic essent summi pontifices, non habentes alium super se. Ad aliud de parochialibus sacerdotibus, quæ habent singuli curam in solidum, dicendum est quòd non est simile. Tales enim sacerdotes habent super se episcopum, qui potest eos compescere. Ad illud de Imperatoribus pluribus dicendum est, quòd illud vel malum erat, si uterque faciebat se imperatorem in solidum: vel non erat in solidum, licèt imperatores vocarentur, sed sibi partes Imperii dividebant, dum alter in Orientali regione, alter in Occidentali dominabatur. Ad ultimum † dici potest, quòd apostoli & eorum successores ad tempus multa fecerunt tam Christi authoritate quam Spiritus Sancti, quæ non erant facienda sine authoritate successoris Petri, postquam per concilia & per ordinationem communem Ecclesiæ, & authoritate Spiritus Sancti (ut creditur *) ordinatum est, quod apud Petri successorem resideat uiniversalis potestas super totam Ecclesiam rationibus fortissimis, & utilitate animarum maxima, & fide Christiana, hoc exigentibus.




* patres.

* Reges compescere? En cæcitatem ævi!

† Dici quidē potest: sed probari nunquam.

* Sed à quibus?

CAPUT VII.

Ostenditur, hunc summum Pontificem debere esse Romanum Pontificem.

OStenso quod unus debet esse summus pontifex super totam Ecclesiam, ostenditur, quod iste debet esse Romanus pontifex, in hunc modum: Sicut ostensum est, unicus debet esse summus pontifex in tota Ecclesia. Constat autem, quòd debet esse aliquis illorum, qui apostolis successerunt: ergo debet esse successor illius apostoli, de quo apostolo magis est probabile, quòd ad ipsum pertinuerit hujusmodi dignitas. Talis autem fuit Petrus, de ipso enim dixit Dominus: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur caput. Caput autem pertinet ad hujusmodi dignitatem. Iterum de ipso dictum est: Super istam petram ædificabo Ecclesiam meam. Iterum ipsi dixit Dominus specialiter: Pasce oves meas, per hoc faciens eum pastorem universalem. Item ipsi dictum est singulariter, Tibi dabo claves regni cœlorum. Iterum ipsi dictum est: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. In quo notatur, quòd ipsius erat propriè curare de fide universali, cum dicitur, tua. Item in catalogo apostolorum cum apostoli nominantur, semper Petrus ponitur primus. Item in confessione fidei pro omnibus respondet, Tu es Christus filius Dei vivi. Et in electione Matthiæ primus fecit verbum & astantibus coram Judæis in persecutione primus semper respondebat, & in concilio congregato super dissensione de observatione legalium, primus locutus est. Quis autem aliorum apostolorum fuit, in quo concurrerint ista, vel modica pars istorum pertinens ad hujusmodi dignitatem? Claret ergo, quòd ad Romanum pontificem, qui est in sede Petri, specialiter pertinet præesse toti Ecclesiæ. Iterum necessitates multæ requirunt, quòd ab omni Christianitate frequenter recurratur ad summum pontificem: & ideo expedit eum esse in tali loco, ad quem facilius recurri possit tam ab Orientalibus, apud quos fuit aliquando maxima Christianitas, quàm ab Occidentalibus. Non est autem aliquis locus solennis, magis ad hoc communis & magis accessibilis ab omnibus istis, sicut patet per * mappam mundi: & ideo competit talis locus tali dignitati. Præterea expedit, quòd ubi est dominium temporale mundi totius, ibidem sit & spirituale, ut uno adjuto ab alio mundus utilius regatur. Non est probabile quòd si esset alibi Papa quàm in Roma, quòd imperator Romanus ita libenter promoveret negotia bona episcopi alterius loci quam sui: similiter



Joan. 1.
Matt. 16.
Joan. 21.
Matt. 16.
Luc. 22.
Matt. 10
Marc. 3.
Luc. 6.
Mat. 16.
Act. 1.
Act. 2, 3, 4. 5. & 15.

* Argumentū geographicū, & bellum pro primatu Papæ; multò infirmius geometrico.



* Vide Vallam in Fascic.

nec Papa negotia pia alibi dominantis, quàm in sua dioecesi. Unde Constantinus summè Romanam Ecclesiam sublimavit, & ordinavit quòd Ecclesiæ* omnes subessent Ecclesiæ Romanæ. Et ediversò summi pontifices fuerunt in magnum adjutorium imperatoribus bonis ad utiliter mundum gubernandum. Et ideo expediens fuit, ut in eodem loco concurrerent dominium mundi temporale & spirituale. Præterea non solum Constantinus, sed & diversa concilia patrum ordinaverunt, quòd Ecclesia Romana esset caput omnium Ecclesiarum, & jura multa super hoc emanaverunt. Iterum licèt inveniantur aliqui patriarchæ vel prælati, qui non obediant Ecclesiæ Romanæ, tamen nulli debent, nec historia aliqua docet, quòd unquam fuerit alibi aliquis patriarcha vel prælatus, cui dicatur unquam tota Ecclesia fuisse subjecta. Unde sola Ecclesia Romana est in possessione, vel quasi, hujus rei. Iterum non est aliqua sedes in toto mundo, cujus præsules tanta passi sunt ab initio Ecclesiæ pro fide universali, sicut Romani * pontifices. Et quare hoc, nisi quia defensio communis fidei ad eos specialiter pertinebat, pro qua innumerabiles facti sunt martyres? Et sic patet tam per istas quàm multas alias rationes, quòd pontifex Romanus est ille, qui debet reputari & dici summus.

* Nam à Petro usque ad Silvestrum, omnes martyrio coronati.

Sed post Silvestrum quales?

CAPUT VIII.

Objectiones huic contrariantes allegantur.

Ephes. 1.

SED contra potest opponi sic. Ad Ephesios de Christo dicitur, quòd ipse est caput super omnem Ecclesiam: ergo istud attribuendum est Christo, non Petro. Item Christianitas incepit in terra sancta, cujus est caput Hierusalem, & ibi fuit Christus, & tradidit sacramenta & alia pertinentia ad Christianitatem, non Romæ, ubi nunquam fuit. Et ideo videtur tota Christianitas haberi in illa patria. Præterea in concilio apostolorum congregato propter dissensionem de observatione legalium, de quo agitur in Actis, dedit Jacobus episcopus Hierosolymitanus sententiam, non Petrus, licèt præsens esset, ergo non erat Petrus super alios: quia si fuisset, debuisset ipse tulisse sententiam, & ita successor ejus non debet esse super alios. Iterum quatuor concilia, quæ recipiuntur sicut quatuor evangelia, celebrata fuerunt omnia in Græcia. Primum apud Niceam, Secundum apud Constantinopolim, Tertium apud Ephesum, Quartum apud Chalcedoniam, & alia tria post ista magnæ authoritatis, ibidem sunt celebrata. Primum apud Constantinopolim, Secundum etiam ibidem, Tertium apud Niceam. Et per hoc videtur, quòd antiquitus regimen totius Ecclesiæ, pertinebat ad Græcos magis quàm ad Latinos. Et sic patet, quòd ad successorem Petri non pertinuit semper regnum universale Ecclesiæ.

Act. 15.

Iterum sicut Petrus fuit pontifex Romanus, ita Antiochenus: & ita qua ratione successor ejus Romæ dicit se summum pontificem, ita successor ejus in Antiochia potest hoc idem dicere.

Item in successionibus humanis non quicquid potestatis habuit pater, habet & filius: quia multis modis hoc potest impediri. Et ita eodem modo non videtur rationabile ponere, quòd quicquid potestatis habuit Petrus, habuit & successor ejus, & sic de aliis invicem succedentibus.

CAPUT IX.

Responsiones.

AD primum dicendum est, quòd licèt Christus sit caput super omnem Ecclesiam, non excluditur ex hoc quin Petrus sit & possit esse caput super totam Ecclesiam, quia Christus est hoc authoritate propria, Petrus verò per modum vicarii.

Ad secundum dicendum est, quòd quia Christus dominaturus erat in orbe universo per fidem, non solùm inter Judæos, ut olim dominabatur Deus inter eos, magis decuit, ut vicarius ejus esset in urbe quæ toti orbi dominabatur, quàm in illa, quæ caput erat solùm in terra Judæorum. Præterea si in Hierusalem esset caput Ecclesiæ, tunc videretur Ecclesia

Ecclesia * Judaizare, habendo eundem locum pro capite quem habent Judæi. Unde eadem de causa fortè factum est, quòd Ecclesia Hierosolymitana longo tempore non habuit nisi solùm dignitatem simplicis Episcopi, scilicet usque ad tempora Justiniani, sub cujus tempore in quadam synodo celebrata Constantinopoli, data est ei dignitas patriarchalis propter reverentiam Dominicæ resurrectionis, & de vicinis patriarchis sunt aliquæ dioeceses ejus subjectioni assignatæ.

Ad tertium dicendum est, quòd quando Jacobus tulit sententiam supradictam, nondum erat ordinatum plenè de præcellentia Petri super alios Apostolos, & de plenitudine potestatis ejus super omnes * Ecclesias. Ideo tolerabile fuit, ut in sua dioecesi ferret ipse sententiam, præcipuè cum immediatè à Christo haberet potestatem in sua dioecesi quam habebat.

Ad quartum dicendum est, quòd sicut legitur in multis historiis ante tempora Constantini non inveniuntur generalia Concilia celebrata: propter persecutiones enim graves quæ tunc erant in Ecclesia, tam ex parte Imperatorum quàm aliorum, non bene poterant prælati convenire. Unde primum Concilium maximum sub ipso est celebratum, & similiter omnia supradicta Concilia sub aliquo Imperatore devoto Ecclesiæ. Ipsi enim Imperatores catholici dabant operam ad hujusmodi Concilia celebranda propter aliquos casus fidei emergentes. Item in diebus illis erat sedes imperii apud Constantinopolim, ubi eam transtulerat Constantinus. Item erat in partibus Orientalibus maxima Christianitas. Nam sub solo patriarcha Antiocheno erant 153 Episcopi, præter illos qui suberant patriarchis Constantinopolitano & Alexandrino, & innumerabiles alios à Saracenis nunc destructos. In Occidentalibus verò partibus non erat tanta Christianitas ut nunc, quia nondum erant conversi Poloni, Ungari, Teutonici multi, & multæ aliæ nationes. Item in partibus Occidentalibus fuerunt multo plures turbationes tunc frequenter quàm in Orientalibus: & ideo tum, quia sedes Imperatorum qui procurabant hujusmodi Concilia, erat in Græcia, tum quia maxima Christianitas erat tunc in illa Orientali Ecclesia, tum quia magis pacificè poterant tunc temporis in Græcia convenire, & fortè ex causis aliis rationabilibus concurrentibus, expediens fuit tunc hujusmodi Concilia antiqua & authoritatis magnæ in Græcia celebrari. Non ergo quia authoritas summa Ecclesiæ esset apud † Græcos, sed propter causas prædictas, fuerunt illic hujusmodi Concilia celebrata. Nec unquam sine * authoritate summi Pontificis, qui aliquem loco sui mittebat semper, ut dicunt historiæ. Quod summæ attestatur authoritati & excellentiæ Romani Pontificis.

Ad quintum dicendum est, quòd quando Petrus transiit de Antiochia Romam, transtulit secum illam partem quæ sibi erat data à Domino super terram: & ideo succedens ei in Antiochia adhuc ipso vivente, non habuit hujusmodi plenitudinem potestatis nec successores ejus. Romæ verò moriens, non portavit in alio seculo hujusmodi potestatem sibi solùm super terram datam: & ideo remansit in successoribus suis successivè propter utilitatem totius mundi, quia Dominus promisit suis, quòd esset cum eis usque ad consummationem seculi, quod non bene impleretur, nisi semper hujusmodi potestas esset in aliquo super terram, sine qua tota Christianitas confunderetur.

Ad sextum dicendum est, quòd non est simile de successione carnali & spirituali. Carnalis enim pater potest dare de bonis suis aliis quàm hæredi, & ita minuere in hærede: pater verò spiritualis, scilicet prælatus, non potest de sua potestate aliquid minuere in successore: quia non ex ordinatione sua, sed divinâ fit, ut succedens prælatus eandem habeat potestatem quam prædecessor habebat propter Ecclesiæ utilitatem. Quia ergo successor spiritualis quod habet potestatis, habet à Deo, & non ab homine, & econtrariò est in successione carnali, cum sit eadem ratio habendi eandem potestatem in successore spirituali quæ fuit in antecessore suo, utilitas scilicet Ecclesiæ eadem, debet talis successor semper habere potestatem eandem.

* Ex pari ratione dicatur gentilizare (ignosce verbo) dum primam Romæ sedem statuit.

* Nec unquam postea, authoritate justa.

† Quidni? jamjam enim dixti expedire ut ibi esset dominium mundi spirituale, ubi erat temporale.

* Vide epist. Crashavii.

Hoc caput caret cerebro: objectiones enim in superiori capite propositæ non diluuntur in hoc, sed potiùs confirmantur, ex imparitate roboris: sed homo bonus mox compensabit de ista levitate.

CAPUT

CAPUT X.

Quare Græci dicantur potiùs schismatici quàm Latini.

HIs prænotatis, ad materiam propriam accedendo, videndum est, quare Græci dicuntur schismatici potiùs quàm Latini. Contrarium enim videtur sic. Schisma secùndum Isidorum à scissura dicitur. Sicut autem Græci per quandam scissuram dividuntur à Latinis, ita Latini à Græcis: & ideo videtur, quòd si Græci debent dici schismatici propter hujusmodi divisionem, eâdem ratione & Latini.

Præterea Græci magis servant antiquas consuetudines apostolorum & discipulorum Christi in barbis, in carentia campanarum, & in multis hujusmodi quàm Latini. Ergo videtur magis quòd Latini recesserint ab eis quàm econversò: & ita debent magis dici schismatici. Iterum Latini habuerunt à Græcis jura civilia & etiam studium philosophicum, quia de Athenis primò Romæ translatum fuit, deinde de Roma Parisiis Caroli tempore, ut dicunt historiæ.

Item quod majus fuit, Novum Testamentum quod in Græco totum scriptum est, præter Matthæum, qui fuit scriptus in Hebræo, habuerunt Latini à Græcis per translationem factam in Latinum. Iterum apud Græcos plures Apostolorum prædicaverunt, ut Joannes & Andreas, & Paulus etiam illic * primò, quàm Romæ prædicavit, & plures epistolas ad eos scripsit quàm apud Latinos. Iterum ab eis habuimus nos Latini excellentia scripta Dionysii & Johannis Damasceni & Gregorii Nazianzeni & Nysseni, & alia multa.

* Fortè priùs

Item ab eis habuimus excellentia Concilia, ex quibus omnibus apparet, quòd Græci sunt quasi patres Latinorum, & ita magis imputandum est Latinis, si discordant ab eis quàm Græcis, sicut filio magis imputatur, quando non concordat cum patre, quàm patri. Responsio: Ad ista meliùs intelligendum, notandum est, quòd schisma duobus modis accipitur, largè scilicet & propriè: Largè tribus modis. Quandoque enim dicitur schisma discordia, quæ est inter aliquos, qui sunt membra unius corporis: & tunc dicitur schismaticus ille, ex cujus culpa est discordia. Et secundum hunc modum homo dyscolus dicitur schismaticus. Alio modo rebellio membrorum ad caput, & secundum hunc modum Dathan & Abiron dicuntur fuisse schismatici, quia Mosi rebellabant. (Num. 16.) Tertio modo contentio de summo Pontifice, & secundum hunc modum dicuntur schismatici qui injustè volunt aliud caput creare in Ecclesia quàm illum qui justè eligitur. Propriè verò sive strictè dicitur schisma, ubi hæc omnia concurrunt, quando videlicet & membra ab invicem illicitè discordant, & capiti suo rebellant, & aliud caput sibi constituunt. Et ideo Græci dicuntur propriè schismatici utroque modo, quia singula prædicta habent, & omnia insimul. Ipsi enim illicitè se dividunt à Latinis & capiti suo, scilicet Papæ, rebellant, & aliud caput sibi constituunt, dum non recurrunt ad alium majorem quam ad patriarcham suum, quem ipsimet sibi constituunt. Et attende, quòd non solùm veri Græci sunt in hoc vitio, imò omnes qui sunt in Orientali Ecclesia qui istum modum tenent. Dicuntur autem quandoque omnes isti Græci, quia imperium Græcorum super omnes illos olim extendebatur, & quia magis se conformant moribus Græcorum quàm Latinorum. (1 Cor. 12.) Porrò ad detestationem omnis generis schismatis, dicit Apostolus: Non sit schisma in corpore, scilicet Ecclesiæ, neque scilicet membrorum adinvicem, neque membrorum ad caput, neque pro diversis capitibus. Sic ergo patet, cum ista inveniantur in Græcis & non in Latinis, quare potiùs Græci quàm Latini, dicuntur schismatici.

Ad illud ergo quod primò dictum est, quòd etsi inter Latinos & Græcos sit discordia, & ab invicem se dividant, tamen Græci secundum nos potiùs schismatici dicuntur, quia ex parte eorum culpam hujus discordiæ reputamus processisse, sicut fortassis econtrariò ipsi reputant nos schismaticos, culpam nobis hujusmodi imponentes. Ad secundum dicendum est, quòd recessus ab antiquis moribus, non facit schismaticum. Si enim esset sic, Christiani omnes schismatici possent dici, quia recesserunt à multis Judæorum & gentilium observantiis. Sed recessus ab obedientia majorum, ut superiùs dictum est, facit schismaticum. Quod quia Græci magis faciunt quàm Latini: potiùs dicendi sunt schismatici quàm Latini. Ad tertium dicendum est, quòd licèt Græci, patres Latinorum possint dici, quoad collationem bonorum multorum, sicut patres thesaurizant filiis, non tamen sunt patres prælatorum. Recessus autem à prælati obedientiâ schismaticum facit, & non recessus à conferente beneficium.

Infœlicissimus est hic autor in retundendis suis ipsius objectionibus; cum aliquid semper sit in ejus [illegible] quod non attingit earum vim & pondus.

CAPUT

CAPUT XI.

Quæ fuerit causa & sit adhuc schismatis Græcorum.

SEquitur videre quæ fuerit causa, & sit adhuc, schismatis Græcorum. Existimo autem quòd quædam præcesserunt quæ disposuerunt Græcos ad hujusmodi schisma, quædam autem ipsum schisma induxerunt, quædam verò hujusmodi schisma conservant. Sicut ad scissuram in pariete quædam disponunt, quædam ipsam faciunt, quædam impediunt redintegrationem. Circa primum notandum est, quòd inter Græcos & Latinos ab antiquo fuit multa varietas, & quoad ritus multos diversos, & quoad continentiam in sacris ordinibus, ad quam Latini se * obligaverunt, Græci verò noluerunt se obligare, & quoad modum conficiendi maximum sacramentum, quia Græci conficiunt de fermentato, Latini verò de azymo. Varietas autem mater est & initium discordiæ. Et ideo hujusmodi varietas & similes, fecerunt Græcos ad discordiam promptiores. Item Ecclesia Romana in suis subditis multa exercet, quæ homines reputant multum gravia, sicut sunt exactiones aliquæ, missio legatorum & nunciorum multorum, statuta multa & pœnæ in transgressoribus. Ipsi etiam Latini domini terreni solent in multis subditos gravare, & duram in eis tyrannidem exercere. Præterea ipsi etiam Latini inferiores solent multùm contemnere Græcos, & exasperare eosdem, modò vocando eos canes, modò trahentes eos per barbam, & aliis modis variis exasperantes eosdem. Et ideo possibile fuit, quòd Græci propter gravamina Ecclesiæ Romanæ & dominorum Latinorum, & ipsorum Latinorum inferiorum, dispositi fuerunt ad refugiendum subjectionem Latinorum tam in spiritualibus quàm in temporalibus. Nec mirum. Duritia enim Roboam filii Salomonis quam filiis Israel minabatur, dicens: Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus: induxit decem tribus ad subtrahendum se ab ejus imperio.

* Sed quomodo fidem præstiterunt?

3 Reg. 12. 2 Par. 10.

Item dicitur in quadam historia, quòd cum olim regnum Saracenorum adhuc subjectum esset Romano imperio, & quidam ex parte Imperatoris distribueret stogas militibus, & venissent quidam Saraceni ad hujusmodi stogas recipiendas, dixit distributor ille: Quid ad nos de istis canibus? Verbum autem istud ita turbavit Saracenos, quòd propter hoc subtraxerunt se à Romano imperio. Et ideo constat, quòd exasperatio potuit esse magna occasio disponens Græcos ad schisma.

Item certum est secundum historias multas, quòd maxima regna Latinorum, scilicet regnum Romanorum & Francorum & Anglorum processerunt à Græcis ab excidio Trojæ, necnon & scientia, tam philosophica quàm civilis, quamque theologica, pro magna parte derivata est à Græcis ad Latinos. Præcesserunt etiam Græci Latinos in Christianitate, & ideo reputare possunt se majores Latinis propter prærogativas istas. Certum est iterum, quòd Latini addiderunt in symbolo Niceno processionem Spiritûs Sancti à Filio sine consensu Græcorum: & ideo † eis contemptis, ut eis videtur.

† Fortè Græci à Latinis contempti sunt, ut —

Certum est iterum, quòd mens humana magis diligit libertatem quàm subjectionem, maximè cum regnat in ea superbia. Proinde cum Græci dicantur superbi, & videant tantam prærogativam excellentiæ suæ super Latinos, videant etiam tantum sibi contemptum in additione alicujus rei super fidem declaratam in Concilio apud se celebrato sine suo consensu: videant etiam, quòd in subjectione erga Latinos, multum deperit eis de libertate, videtur quòd superbia disposuerit eos ad schisma. Et sic patet, quòd varietas ex parte utrorumque, & exasperatio ex parte Latinorum, superbia verò ex parte Græcorum, fuerint dispositiva ad istud schisma.

Sed, quod plus est, Latini nullum jus habuerunt in Græcos. Alterius non sit qui suus esse potest.

Circa secundum notandum est, quòd licèt Constantinus transtulerit sedem imperii apud Constantinopolim, tamen unicum fuit imperium tam super Orientales quàm super Occidentales usque ad tempora Caroli. Tunc enim incepit imperium dividi, & facta sunt duo, unum scilicet Græcorum, & alterum Romanorum. Unde ab illo tempore in Chronicis incipiunt nominari Imperatores Græcorum. Post istam autem divisionem factum est, ut Ecclesia Romana faveret interdum Imperatori Romano contra Imperatorem Græcorum, vel habuit aliqua contra Imperatorem Græcorum. Et ideo probabile est, quòd tunc illi qui erant sub imperio Græcorum; inceperunt rebellare cum domino suo Ecclesiæ Romanæ, maximè cum essent ad hoc dispositi. Nec erant tantæ perfectionis, quòd propter obedientiam Ecclesiæ debitam vellent se exponere morti vel exilio. Sicut & hodie multæ nationes de facili rebellarent eidem Ecclesiæ, si Rex suus hoc faceret, & vellet idem fieri à suis, & sic paulatim ista rebellio potuit crescere usque ad statum in quo

est

eſt his diebus, ſicut decem tribus cum Jeroboam. Unde legitur in Chronicis, quòd Conſtantinopolitana Eccleſia faciebat ſe vocari primam omnium Eccleſiarum, cum apud locum illum eſſet ſedes imperii. Sed per Phocam Imperatorem, procurante Bonifacio Papâ, ordinatum eſt, quòd Romana Eccleſia eſſet caput omnium Eccleſiarum.

Circa tertium notandum eſt, quòd multa ſunt propter quæ ſchiſma iſtud durat, & non
1. accipit finem. Unum eſt, diſpoſitio ſupradicta quæ eam præceſſit & adhuc durat. Se-
2. cundum eſt conſuetudo, ſicut accidit de diviſione inter Guelphos & Gibellinos, quam multi
3. fovent, neſcientes aliam cauſam reddere, niſi quia ita fecerunt anteceſſores ſui. Tertium
eſt inſcientia Græcorum. Periit enim apud eos pro magna parte ſcientia cum ſtudio, &
ideo non intelligunt quæ dicuntur eis per rationes, ſed adhærent ſemper quibuſdam Conciliis, & quibuſdam quæ tradita ſunt eis à prædeceſſoribus ſuis, ſicut faciunt quidam hæ-
4. retici idiotæ, ad quos ratio nihil valet. Quartum eſt linguarum diverſitas, quæ facit ut
pauci Latini noſtrorum intelligant eos, vel intelligantur ab eis. Et ideo non poſſunt no-
5. ſtrates multum conferre cum eis. Quintum eſt defectus tractatorum. Etſi enim aliquando mittat Eccleſia Romana aliquos ad tractandum cum eis, vel ipſi ad Papam eadem de cauſa, tamen raro fit hoc, & quod incipitur vix perducitur ad finem propter locorum diſtantiam, & magnitudinem negotii, & multitudinem eorum quæ requiruntur ad con-
6. ſummationem. Sextum eſt, & majus inter omnia, diſſenſio de imperio quod Eccleſia vult haberi à Latinis, & Græci nullatenus hoc volunt. Et videtur impoſſibile, quòd Græci ſubditi unquam redeant ad unitatem Eccleſiæ, quouſque habeant Imperatorem talem qui hoc velit, & ad hoc det operam efficacem, ſive ſit Latinus habens per potentiam illud imperium, ſive Græcus qui ſit Eccleſiæ Romanæ devotus & benevolus. Sicut apparet manifeſtè de illis Græcis qui ſunt ſub poteſtate Latinorum in Calabria vel alibi. Ipſi enim obediunt Eccleſiæ, nec audent aliquid dicere contra eam.

Hic ipſa res acu tacta, idque prædicenτo, videtur.

Sextum illud argumentum nihil omnino valet: exciſo enim Græcorum imperio, nondum coaluit illa Eccleſia, nec unquam coaleſcet in unam cum Romana.

CAPUT XII.

Quæ ſint illa quæ ſcripſit Leo Tuſcus † Papa de cauſis hujus ſchiſmatis.

NOtandum iterum, quòd quidam Leo Tuſcus, qui dicit ſe hiſtorias Græcorum & Latinorum percurriſſe, ponit cauſas duodecim ſchiſmatis hujus, quas (ut dicit) elicit ex hiſtoriis prædictis.

1. Prima cauſa eſt, ut dicit, ex hoc, quòd tempore Gratiani Imperatoris Romanus antiſtes Paulinum, qui per Imperatorem ſedem Antiochenam volebat obtinere, reprobavit, & ei Flavianum prætulit, quem canones evocabant, de quo turbatio maxima eſt ſecuta.

2. Secunda eſt ex hoc, quòd ſub Theodoſio Imperatore CL. Epiſcopi Concilium apud Conſtantinopolim celebrantes, ſine conſcientia ſummi Pontificis & Vicariorum ejus, impellente Imperatore, ſedem Conſtantinopolitanam ſublimaverunt, attribuentes ei nomen Patriarchæ, quod turbationis magnæ cauſa fuit.

3. Tertia ex hoc, quòd ſub Martiano Imperatore ſcripſit Leo Papa præſuli ſedis Conſtantinopolitanæ, quòd ceſſaret ab invaſione Pontificii quod invadere dicebatur. Hujuſmodi autem monitione nihil proficiente, extunc non ceſſaverunt Pontifices Conſtantinopolitani de pari contendere cum Pontificibus Romanis.

4. Quarta cauſa ex hoc, quòd ſub Zenone Imperatore, cum Felix Papa * communicaſſet Acacium Conſtantinopolitanum præſulem, & eandem ſententiam Gelaſius Papa ſucceſſor ejus confirmaſſet, Acacius prædictus Romanum Pontificem econtrariò excommunicavit, quod maximæ diſcordiæ nutrimentum fuit.

* Fortè excom——

5. Quinta cauſa eſt ex hoc, quòd cum Anaſtaſius Imperator declinans in partem Acacii in excommunicatione mortui, & ſucceſſoris ſui in eadem malitia perſeverantis, nollet videre vel recipere legatos Eccleſiæ Romanæ, & tandem per procurationem quorundam fuiſſent recepti ſub Papa Hormiſda, habiti ſunt tamen ludibrio & deſpectui, propter quod (ut dicunt Latini) prædictus Imperator fulmine periit, & 40 Epiſcopi de Græciæ partibus dederunt obedientiæ * dextras apoſtolicæ ſedi.

* De dextris ſocietatis legimus: ſed de dextris obedientiæ, alia quidem res eſt: videant iſti 40 Epiſcopi; & Anthemius ille Patriarcha C. P. quem è ſede depoſuiſſe dicitur Agapetus: ſed revera factum eſt id ab Imperatore, non à Papâ.

6. Sexta ex hoc, quòd Agapetus Papa Conſtantinopolim veniens contra duos hæreticos, qui duas voluntates in Chriſto eſſe negabant, & à Juſtiniano pio Imperatore devotè ſuſceptus, depoſuit præſulem Conſtantinopolitanum hæreticum, & alium ſubſtituit loco ejus.

7. Septima

7. Septima ex hoc, quòd Martinus Papa evocatus à Roma Constantinopolim à Constantino imperatore, favente Paulo Constantinopolitano præsuli hæretico, cum nollet ei consentire, sed potius excommunicavit eum, propter hoc missus est in exilium † Tirdonam, ubi & miracula faciens mortuus est. * Cersonam

8. Octava ex hoc, quòd Justinianus Constantini filius, patre multo deterior, clam Romano pontifice, synodum fecit, quam vocavit †, in qua ad condemnationem Ecclesiæ Latinorum, editi sunt canones multi. * Cersunum fort. * Chersonesum.

9. Nona ex hoc, quòd cum Leo imperator surrexisset contra sacras imagines, & per literas papales & legatos correctus nollet resipiscere, Gregorius Papa propter hoc excommunicavit Constantinopolitanum præsulem, cultum sacris imaginibus detrahentem.

10. Decima causa ex hoc, quòd Constantinus cum Irene matre sua parum à pessimis prædecessorum semitis recedens, populum tamen ad imaginum sacrarum cultum revocare volens, congregavit synodum, quam septimam atque universalem vocare ausus est, cum nullum favorem Ecclesiæ Romanæ habuerit, quod rursus cicatrices renovavit. Nota bene: sed videsis omnino Statuta de imaginibus sacris &c. edita à Phil. Pareo, Francof. 1628. vel eadem à Baluzio edita.

11. Undecima est ex hoc, quod cum Bulgari conversi voluissent sanctæ Romanæ Ecclesiæ instrui disciplinis, præsul Constantinopolitanus & imperator se opponentes, legatos Ecclesiæ Romanæ ab illis finibus repelli procuraverunt.

12. Duodecima causa est ex hoc, quòd cum tempore Manuelis imperatoris Constantinopolitani & Alexandri Papæ, tractatum fuisset de concordia & pace, & pene omnia concordata fuissent, legati Manuelis invenientes Papam Alexandrum apud Venetias, ubi Fridericum magnum Ecclesiæ reconciliaverat, negotium inceptum dimiserunt, nec sunt efficaciter prosecuti.

CAPUT XIII.

Quàm perniciosum & damnosum sit † Græcorum schisma in Ecclesia.

DEinde notandum est, quàm damnosum sit in Ecclesia schisma Græcorum. Ad quod intelligendum, notandum est, quod schisma detruncat corpus Ecclesiæ miserabiliter, auferendo ei membra sua: & quanto majus est schisma, tanto turpior & gravior est ista detruncatio. Grandis & turpis detruncatio, quòd corpus Ecclesiæ unicum, quod solebat extendi usque in orientem, sic detruncatum est per schisma, quòd omnes ferè, qui subesse solent patriarchæ Constantinopolitano & Antiocheno, & Alexandrino, & etiam Hierosolymitano, sint ab isto corpore præcisi, ita ut vix medietas sui corporis remanserit Ecclesiæ.

Item debilitavit ultra modum vires Ecclesiæ. Si enim omnes isti schismatici essent unum † cum aliis catholicis, essent magnæ vires Ecclesiæ contra Saracenos & Barbaros & omnes qui essent extra Ecclesiam: quia frater qui juvatur à fratre, quasi civitas firma. Propter divisionem autem schismatis, minùs potest Ecclesia contra istos. Prov. 18.

Item per schisma multiplicantur errores. Quia sicut dicit Plato, error in principiis licèt modicus, est causa maximi erroris in fine. Unde dicitur, quòd Græci paulatim per multos errores defluxerunt, ex quo ab Ecclesia Romana recesserunt. Nec mirum, quia homines recedentes à boni ductoris sequela, incidunt in multa invia, & oves derelinquentes gregem per diversa devia evagantur, & pueri disciplinam magistri fugientes, multis evagationibus agitantur.

Item schisma finaliter ducit ad hæresim, sicut dicit Hieronymus. Quantum autem esset damnum, si tanta multitudo schismaticorum, quorum antecessores fuerunt de primis Christianis & optimi, inciderent in hæresim, & oporteret Ecclesiam contra eos tanquam contra hæreticos procedere?

Item omnes schismatici, qui ingrediuntur ad dignitates & ad beneficia ecclesiastica, fures sunt & latrones: quia non intrant per ostium, scilicet per ordinationem Ecclesiæ Romanæ, & quæ sic tenent, tenent injustè, sicut patet per jura. Quantum autem damnum est, tot latrones esse in Ecclesia & in grege domini? Qualia Monstra autem sunt Simoniaci! quære hoc domi; & cum inveneris, quod tu dicis schisma alia res erit.

Item omnes hujusmodi schismatici ministrant indignè sacramenta: & recipientes ab eis ipsa sacramenta malè faciunt. Quis autem posset numerare, quot & quantos malum istud involvit?

Item ordinati ab istis schismaticis non recipiunt executionem ordinis, & nihilominus tamen exequuntur ea quæ sunt ordinis, cum periculo animarum suarum & aliorum.

Item schisma facit personas ecclesiasticas schismaticas subjici dominis temporalibus indecenter, & tolerare injurias & depressiones illatas sibi ab eis, & omnia quæcunque volunt eis & de eis facere, tolerare, ut per eos defendantur ab Ecclesia Romana, quod cedit in magnam vilitatem ministrorum Dei, & per consequens in Christi Jesu dedecus & contemptum.

Item schismatici adinveniunt adinventiones contra Romanam Ecclesiam, ut avertant homines ab ejus devotione, sicut Jeroboam fecit vitulos, ut averteret populum ab Hierusalem. Sunt & alia multa, ex quibus cum istis patet, quàm damnosum sit
1 Cor. 1. schisma. Et ideo Apostolus expavescens hujusmodi schisma, & timens Ecclesiæ, dixit: Idipsum sentientes, ut non sint in vobis schismata.

CAPUT XIV.

Quàm damnosè offendant, dantes hujus schismatis justam occasionem.

NOtandum autem, quòd sunt aliqua, quæ dant occasionem hujusmodi schismatis Græcis, sed licita & rationabilia: & in hoc casu non est culpa nisi Græcorum, sicut quando Moses vocavit Chore, Dathan & Abiron, & ipsi rebellaverunt, tota culpa fuit ex parte eorum. Aliqua autem sunt minùs bona, quæ dant occasionem huic schismati, & tunc culpa est ex utraque parte. Sicut quando Roboam locutus est durè & stultè populo, propter quod diviserunt se ab eo. Et ista culpa non solùm fuit ex parte populi, sed etiam ex parte Roboam. Quàm gravis autem sit hujus-
Matt. 18. modi culpa in dantibus occasionem hujusmodi schismati ex culpa sua, patet sic: Dicit Dominus apud Matthæum: Qui scandalizaverit unum ex his pusillis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris: quantò magis, qui scandalizaverit tantam multitudinem, peccat gravissimè? Iterum ut suprà monstratum est, Græci sunt patres nostri, & nos præcesserunt in Christo, ad patres autem habenda est maxima reverentia: sicut ergo qui scandalizat parentes, plus peccat, quàm qui alios, ita & hîc.

Rom. 11. Præterea sicut cæcitas cecidit super Israel in fine, licet prius fuerint Israelitæ valde illuminati: ita videtur, quòd supra Græcos venerit quædam tenebra ignorantiæ, quia nec studium sapientiæ, nec sapientia viget apud eos, ut olim. Et ideo sicut magis peccat, qui coram cæco ponit offendiculum, quod prohibet lex, quàm qui coram vidente: ita magis peccant, qui eos scandalizant injustè.

Item hujusmodi schismatici sunt sub dominio tali, & tam remoti & tam impotentes ad laborandum pro reconciliatione, & in aliis tot & tantis impedimentis constituti, quòd secundum statum præsentem non patet eis via aliqua ad redeundum ad Ecclesiæ unitatem, etiamsi ipsi vellent, nisi Deus ex sua misericordia aliquam viam ad hoc eis faciat & aperiat. Et ideo potiùs sunt miserandi quàm exasperandi.

Item inter Judæos fuit schisma perpetuum inter duas tribus & decem, postquàm fuit inceptum. Similiter inter Saracenos post mortem Mahumeti inter illos de Ægypto & de Africa, quod adhuc durat: in seculo etiam videntur in multis locis & nationibus divisiones quædam implacabiles, & ideo super hujusmodi divisione Græcorum à ☞ Latinis, magis est dolendum & condolendum infirmitati humanæ, & recurrendum per orationes ad Dominum, quàm indignandum, exemplo Domini, qui devotissimè oravit pro
Joan. 17. unitate suorum, dicens patri: Ut sint unum, sicut & nos unum sumus.

CAPUT

CAPUT XV.

Quanta cura apponenda ſit à Latinis, ut Græci Latinis reconcilientur.

NOtandum iterum, quòd ſunt multi Latini, qui licèt non dent occaſionem huic ſcandalo, cum parum vel nihil curent de malo ſtatu Græcorum, licèt ſint Chriſtiani, ſicut & ipſi, iſti ſunt ſicut ſacerdos & Levita, qui videntes fratrem ſuum vulneratum in via, pertranſierunt, nihil de illo curantes. Luc. 10.

Item naturale eſt, ut omnia membra compatiantur ſingulis membris malè habentibus, & pro ſe invicem ſolicita ſint membra: & ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur & omnia membra. Peccant ergo contra naturam Latini, qui de Græcis, qui ſunt membra ejuſdem corporis cum eis, non curantes de hoc quòd ſint in ſtatu malo. Iterum ipſi Græci plus ſunt infirmi in fide, quàm Latini: de talibus autem infirmis dicit Apoſtolus: Infirmum in fide aſſumite. Quales ergo medici? 1 Cor. 12. Rom. 14.

Item iſti Latini, qui non curant de iſtis infirmis cum malè habentibus ſit opus medicis, ſicut dicit Matthæus. Et notandum, quòd ex hujuſmodi injuria potuit accidere, quòd ſchiſma plus & plus crevit: ſicut rima in pariete, quando non apponitur conſilium, plus & plus creſcit. Matt. 9.

Item accidit, quòd modò vix poteſt apponi conſilium, ſicut in guerra, quando proceſſum eſt multum in ea, vix poteſt apponi finis, in qua in principio de facili potuit apponi conſilium.

Item ceſſit ad ruinam plurium, ſicut Jacobitarum, & aliarum multarum nationum Orientalium, quæ rebellant, ſicut Græci cum eis. Sicut quando turris per ſciſſuram aliquam cadit, ſecum trahit domos multas vicinas ad ruinam. Notandum autem iterum, quòd in primitiva Eccleſia non fuit hujuſmodi incuria circa ſciſſuras vel diviſiones orientes. Unde legitur, quòd cum ortum fuiſſet murmur Græcorum adverſus Hebræos, eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum, ſtatim 12. convocantes diſcipulorum multitudinem, oppoſuerunt ſuper hoc conſilium, electis 7. viris boni teſtimonii, plenis Spiritu Sancto, quos poſuerunt ſuper hoc opus. Iterum cum orta fuiſſet diſſenſio de obſervatione legalium, quibuſdam de Phariſæis converſis dicentibus & aſſerentibus, quòd hoc neceſſe eſſet ad ſalutem, converſis verò de Gentibus hoc refugientibus, ſtatim Paulus & Barnabas cum quibuſdam aliis aſcenderunt Hieruſalem ad apoſtolos, ut ſuper hoc determinarent veritatem. Quod & factum eſt in concilio apoſtolorum & ſeniorum, & impoſitus eſt finis contentioni & diviſioni. Iterum cum eſſet Romæ contentio inter Judæos & Gentiles converſos, Judæis ſe præferentibus Gentilibus, & Gentilibus econverſò ſe præferentibus Judæis, ſcripſit Paulus Epiſtolam Romanis, in qua (ſicut gloſſa dicit) principaliter intendit ponere finem huic diſcordiæ multis modis. Præterea nonne ipſi apoſtoli ſunt, qui ferè in omni ſalutatione ſcribunt fidelibus, Gratia vobis & pax? Nonne & ipſi ſunt, qui ſuis exhortationibus ad fideles frequentiſſimè de hoc loquuntur? Ex horum ergo exemplo & doctrina patet, quòd non eſt hujuſmodi diſſenſio negligenda à Latinis, nec unquam fuit: ſed requirit ratio & charitas, quòd quantum in eis eſt, multam curam apponant circa diviſionem hujuſmodi pacificandam. Act. 6. Act. 15.

Jam tandem incipit loqui ut decet hominem Chriſtianum & cordatum.

CAPUT XVI.

Quòd hæc cura maximè incumbat Pontifici ſummo, ſcilicet Romano.

SED notandum, quòd hujuſmodi cura ſummè pertinet ad papam: ipſe enim loco Chriſti eſt in terra, & ideo maximè pertinet ad eum facere, quæ Chriſtus faciebat. Ipſe autem Chriſtus ad hoc deſcendit de cœlo, ut faceret utraque (ſcilicet Judæos & Gentiles) unum, & unum ovile de his & de illis. Et ideo non deberet renuere vicarius ejus, ſi eſſet neceſſe, deſcendere etiam in Græciam, ſi ſpes eſſet, quod per hoc poſſet

Suum autem [mumpſimus] nequit deſerere: quaſi ſapere & deſipere unâ eademq; Spiritûs ductione noſſet ad unguem.

posset Græcos & Latinos unire. Item ipse est pater non solùm Latinorum, sed & Græcorum Christianorum, licèt illi minus devoti sint filii. Paterna autem viscera requirunt, quòd non solùm de filio devoto & obediente habeat pater curam, sed etiam de stulto & rebelli, ut patet in patre filii prodigi. Et ideo pertinet ad ipsum habere magnam curam de Græcorum bono, quamvis sint rebelles & indevoti. (Luc. 15.)

Item ipse est pastor omnium ovium Christi. Ad pastorem autem pertinet, multum curare de ovibus errabundis reducendis, illius exemplo boni pastoris, qui reliquit 99. in deserto, & ivit ad illam quæ perierat. Et indè ut supra. (Luc. 15.)

Item ipse est sponsus universalis Ecclesiæ, in cujus utero pugnant hi duo filii, Græcus & Latinus, sicut in utero Rebeccæ Jacob & Esau. Quomodo aut verus sponsus & bonus potest hæc intelligere, & non compati, nec curare de hac pugna sponsam suam graviter vexante? (Gen. 25.)

Item ipse est judex communis, & ideo debet sicut bonus judex curare de partibus concordandis, sicut Moses judex futurus inter Hebræos de hoc curavit, dicens rixantibus Hebræis: Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum? Hoc autem dixit, volens eos reconciliare: quanto magis debet hoc dominus Christianitatis dicere Græco & Latino, qui sua contentione & pugna turbant Ecclesiam? (Exo. 2. Sententialiter. Act. 7.)

Item ipse est rector navis Ecclesiæ plenæ hominibus tendentibus ad unum terminum, scilicet patriam cœlestem. Et ideo suum est, eos, quos regit, inducere, ut unanimiter & concorditer navigent ad terminum quò tendunt juxta illud: Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in unam spem vocationis vestræ. Patet ergo, quod ad papam hoc pertinet, & quia vicarius est Christi, & quia pater & pastor est omnium, & quia sponsus sponsæ Ecclesiæ, & quia judex, & quia rector omnium. Præterea tantum est negotium, quòd nullus circa ipsum habet posse ad illud expediendum. (Eph. 4.) (petitiones principii.)

Item ita pertinet ad eum, quòd specialiter tangit eum, & est ejus.

Item ita dependet ab eo, quòd quicquid fieret de illo negotio sine ipso, totum esset irritum & inane. Propter hoc igitur potest sibi multum timere, si circa hoc fuerit negligens, ne Deus requirat ab eo specialiter malum istud. Incumbit enim ei necessitas ad exemplum Christi, qui dicit: Ego sum pastor bonus. Et post: Alias oves habeo, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile. (Joan. 10.)

CAPUT XVII.

Quæ sint utilia & necessaria ad istius negotii executionem & consummationem.

NOtandum autem, quòd ad consummandum negotium reductionis Græcorum ad unitatem cum Latinis, multa essent utilia in Ecclesia Latinorum. Unum est scientia Græcæ linguæ. Nisi enim dominus dedisset in primitiva Ecclesia genera linguarum prædicatoribus, non fuissent conversæ nationes linguæ ignotæ. Unde sicut postquam Dominus cessavit infundere scientiam per Spiritum Sanctum, Ecclesia apposuit curam, ut ex studio haberetur, quod jam non habebatur ex infusione, ita videtur, quòd in Ecclesia semper debuisset, & deberet vigere studium, ad addiscendum diversas linguas, ad proficiendum inter gentes ignotæ linguæ, & inter alias ad linguam Græcam addiscendam, sicut tempore Augustini & Hieronymi fiebat. Si enim essent boni viri & prudentes multi, qui scirent bene hanc linguam, possent omnia scripta Græcorum transcurrere, & videre quibus innituntur, & conferre cum sapientibus eorum. Nunc autem ☞ proh dolor! ita pauci sunt inter Latinos, qui sciant hujusmodi linguam, quòd vix in curia etiam Romana invenitur quandoque, qui literas, quas Græci mittunt interdum, sciant legere. Et quandocunque mittuntur aliqui ad eos, oportet habere interpretes, de quibus nescitur, utrum plenè intelligant illam linguam, vel, si sciant eam, utrum fideliter interpretentur.

Aliud est copia librorum Græcorum, ut videlicet haberent Latini omnia scripta Græcorum tam theologicorum, quàm expositorum theologiæ, sive in tractatibus, sive in expositionibus librorum, necnon & conciliorum eorum, & statutorum eorum, & officii Ecclesiastici, & historiarum, & gestorum eorum maximè à tempore Christianitatis. Cum enim veritas sit pro Latinis, indubitanter invenirentur multa in hujusmodi scriptis, quibus juvarent se Latini contra Græcos, vel quibus se defenderent ab eis, sicut

ficut per fcripta Veteris Teftamenti defendimus nos à Judæis, & impugnamus ipfos. Sed heu! curatum eft multum de libris philofophicis & legibus habendis ab eis: de his autem, quæ ad falutem & ad bonum commune pertinent animarum, non eft ita curatum. Etfi enim aliqua de his tranflata funt, habemus tam pauca, & ipfa originalia in Græco non habemus, ex quorum infpectione veritas magis clareret, & fortius poffent Græci impugnari. Arma (inquit Apoftolus) militiæ noftræ non funt carnalia, fed potentia Deo, id eft, ad honorem Dei, ad deftructionem munitionum, confilia deftruentes, & omnem altitudinem extollentem fe adverfus fcientiam Dei. Et Latini noftri muniunt fe affiduè armis carnalibus contra fe invicem & contra Græcos, & de iftis armis fpiritualibus non curant, neque contra Saracenos, neque contra Judæos, neque contra Græcos, & alias nationes extollentes fe adverfus fcientiam Chrifti. 2 Cor. 10.

Aliud eft frequens miffio folennium nunciorum, exemplo Domini, qui prophetas magnos fæpe mifit ad filios Ifrael, ad eorum reverfionem incitantes eofdem. Probabile enim videtur, quòd fi Ecclefia Romana miffiffet frequentius nuncios folennes viros virtutum & prudentes cum focietate & familia honeftiffima, qui in omnibus fe fcirent habere prudenter, & locuti fuiffent de pace & pertinentibus ad negotium, cum majoribus tam fecularibus quàm Ecclefiafticis perfonis, qui etiam Latinos in Achaia vifitarent, qui dicuntur multùm correctione indigere: & Latinos ab exceffibus & gravaminibus, quæ injuftè inferunt Græcis, facerent ceffare: & à Græcis nihil reciperent, fed propriis expenfis uterentur, quòd non fuiffent ifta fine fructu. Quare autem Romana Ecclefia, etfi quandoque miferit fimplices nuncios, hujufmodi nuncios non miferit, nefcio. Si enim (ut dicitur) quòd non poffent illuc ire fecurè, creditur econtrariò, quòd facile haberent fecuritatem ab illo, qui præeft ibi loco Imperatoris. Habent enim adhuc magnam reverentiam ad Ecclefiam Romanam illi homines, etfi ei non obediant in omnibus. Si autem dicatur, quòd effent fuperbiores, iftud nefcitur: imò forte ex hac Latina humilitate eorum fuperbia frangeretur. Denique propter eventus incertos non debet dimittere medicus neque orator, quin faciant quod fuum eft. Et fecurius eft, unicuique facere, quod fuum eft, etiam cum eventu minus bono, quàm omittere aliquid de contingentibus.

Aliud eft miffio exploratorum. Si enim aliqui viri prudentes, & de quorum fidelitate nulla effet dubitatio, five milites, five mercatores, five religiofi, aliqua occafione bona inventa, ad nationem illam mitterentur frequenter fub fpecie alterius negotii, poffent in multis de eorum ftatu, & de impedimentis pacis, & de valentibus ad pacem referre, & interdum apud aliquos illorum proficere. *Poft artes honeftas fuccedit aftutia.*

Aliud eft exhibitio reverentiæ ad eorum nuncios. Cum enim exhibetur eis digna reverentia, & taliter fe habent Latini ad eos, quòd poffint fe de eis commendare, acceptatur hoc multum à Græcis, cum eis talia referuntur, & animos eorum, cum diligere dicantur gloriam hujufmodi, difponit ad meliora. *Sapiunt hæc omnia fapientiam Romanam.*

Aliud eft attractio aliquorum fapientum Græcorum ad amorem, moram, & cohabitationem cum Latinis. Tales enim poffent effe ifti, dummodo poffet de eorum fidelitate fpes haberi, quòd multum poffent dirigere Latinos in agendis circa eos.

Aliud eft ceffatio Latinorum à fcandalizando eos. Latini enim, qui funt Græcis vicini, vel alicubi aliquibus eorum dominantur, multa faciunt, in quibus injuftè exafperant & fcandalizant Græcos tam verbis quàm factis. Propter quod magis magifque provocant eos ad Latinorum odium, & elongant fe à pace: à quibus fi ceffarent Latini, effent Græci proniores ad redeundum ad Ecclefiæ unionem.

Aliud eft, charitativa fervitia & obfequia ad Græcorum magnates. Si enim reges noftri & magnates & ipfe Papa, interdum pro loco & tempore aliqua fervitia accepta exhiberent Græcorum magnatibus, poffet hoc eorum duritiam multum emollire, & ad amicitiam præparare, quia munus in finu extinguit iras, & fervitium exhibitum inimico, carbones ignis charitatis in eo accendit. Pro. 21.

Aliud eft tranflatio librorum doctorum Latinorum in Græcum. Sicut enim confert Latinis ad multa tranflatio librorum Græcorum in Latinum, ita potuiffet, & poffet adhuc multum conferre Græcis ad fciendam veritatem, fi aliqui de libris fanctorum doctorum noftrorum per alicujus procurationem tranflati fuiffent in Græcum, & Græcis exhibiti. *Quod fæpe factum eft à Collegio de propaganda fide: Sed hoc cavent Græci.*

Aliud eft depofitio diffidentiæ, quam habent multi Latini de reverfione Græcorum ad ftatum debitum. Sunt enim multi, qui ita diffidunt de verbis & promiffionibus Græcorum, quòd nunquam credunt, quòd intendant aliquid eorum quæ promiferunt. Et ideo non curant tractare vel audire de eorum reconciliatione. Sed iftud non videtur rationabile. Melius enim videtur, quòd aliquid circa hoc tentaretur, cum

ad

ad pejus non possit hoc redire, quàm quòd redirent ad statum in quo nunc sunt, quàm sic in æternum desperare. Sunt & alia multa circa hoc, quæ diligenter investiganti occurrunt.

CAPUT XVIII.

Quòd in tribus consistat inter Græcos & Latinos discordia.

NOtandum iterum, quòd inter Græcos & Latinos est una discordia de imperio Constantinopolitano. Postquam enim Constantinus sedem suam apud Constantinopolim posuit, & multis annis ibi imperatores sedem habentes, gloriosè imperassent tam in Oriente quàm in Occidente, tandem cum Saraceni invaluissent intantum, ut in Europæ multis partibus prævalerent, & specialiter in Italia, & virtus imperii prædicti enervata non posset resistere eisdem, evocati sunt Francorum reges, & primò Pipinus, ut essent patricii in urbe, & defenderent eos. Quod cum factum esset, postea facti sunt hujusmodi patricii imperatores Romani, & deinde translatum est jus eligendi imperatorem Romanum in Germanos, & post authoritate Ecclesiæ propter culpas imperantium in Constantinopoli, à Francis & Venetis capta est Constantinopolis, & repulsis imperatoribus Græcis natione, Petrus comes Altisiodoren. coronatus est à Papa Honorio successore Innocentii, in imperatorem Constantinopolitanum. Et sic orta est dissensio, Latinis successoribus illius Petri comitis dicentibus ad se jus illius imperii pertinere, Græcis verò hoc negantibus, & ad se pertinere affirmantibus.

Vide suprà Marsilium Patavinum de Translatione Imperii, qui rem honestè & sine fuco narrat: & dein vide Bellarminum ob ea quæ scripsit contra Illyricum.

Alia discordia est de quibusdam ad fidem pertinentibus. Sicut enim dicunt quædam Chronica, à tempore quo Bulgari conversi miserunt ad sedem apostolicam, ut mitteret ad eos legatos, qui eos in fide instruerent, Ecclesia Græcorum mota invidiâ quòd non ad præsulem Constantinopolitanum pro isto negotio misissent, inceperunt imponere Latinis hæresim de processione Spiritus Sancti à filio, & aliis quibusdam, quod usque tunc non fecerant, ut sic Bulgaros ab illa doctrina retraherent, & ad suam subjectionem reducerent. Et sic orta est discordia inter utrosque de fide, quæ multiplicata est paulatim quoad plures articulos.

Alia discordia est de obedientia. Nam Græci propter sedem imperii ad se translati, se volentes parificare Romanis, frequenter impatienter tulerunt sententias pontificis Romani, quas tulit in patriarcham Constantinopolitanum, sicut patet ex supradictis: & intantum crevit ista impatientia, quòd tandem * subjectionem & obedientiam, quam servaverant Ecclesiæ Romanæ multo tempore ante, postea negaverunt, & intantum, ut sine authoritate Romani pontificis sibi faciant patriarcham, & Latino patriarchæ creato per papam, in nullo obediant †.

* Cave ne hæc effutias apud rerum Græcarum peritos.
† Rem stupendam! eos non obedire Papæ cui nullam debent obedientiam.

CAPUT XIX.

De remediis adversus hæc tria.

POrrò circa discordiam de imperio, multum expediret apponi remedium. Impossibile enim videtur, quòd unquam Græci dimittant errores suos, vel Romanæ sedi debitam reddant obedientiam, quamdiu imperator eorum à Romana Ecclesia discordabit. ☞ Non enim sunt illius perfectionis, quòd contra dominum suum aliquid audeant attentare propter obedientiam debitam Ecclesiæ Romanæ, etiamsi conscientiam haberent, quòd ad talem obedientiam tenerentur. Et ideo excogitandæ essent aliquæ viæ, qualiter ille imperator esset bene cum Ecclesia Romana, & concordaret cum ea. Circa hoc autem sunt duo modi: ☞ Unus est per modum necessitatis, ut verbi gratia: Si Latinus aliquis, qui esset bene cum Ecclesia, adquireret per potentiam illud imperium plenariè, cui subessent Græci omnes, sicut subsunt modò principi in Morea illi de Morea, dummodo hoc justè possit fieri.

Alius est per modum voluntatis. Ut verbi gratia, Si per aliqua matrimonia vel aliis modis fieret, ut Ecclesia toleraret, quòd Græci haberent suum imperatorem Græcum, sicut Armeni suum regem, & aliæ nationes habent reges nationis suæ. Iste autem modus non esset tanti periculi quoad sanguinem & eventus bellorum, dummodò

modò spes haberetur, quòd ille Græcus Imperator perduraret in devotione ad Ecclesiam.

Circa discordiam secundam notandum est, quòd dummodo Græci possent induci ad concordandum cum Latinis in his quæ sunt de fidei * necessitate, de ritibus eorum non esset multùm curandum, quin sustinerentur in illis: & in quibusdam quæ sunt in potestate Ecclesiæ, dispensaretur cum eis: dummodò & ipsi ritus Latinorum non reprobarent, sicut dicuntur nunc facere, lavantes altaria in quibus Latini celebrant, & exigentes à muliere Latina quando contrahit cum Græco, quòd abrenunciet ritibus Latinis.

* Verbum sapientissimum omnium quæ adhuc scripsit author; si rectè intelligat illam necessitatem & fidem.

Circa discordiam tertiam notandum est, quòd non videtur, quòd Ecclesia Romana profundare se deberet in requirendo plenitudinem obedientiæ à Græcis, dummodò eorum patriarcha authoritate Ecclesiæ Romanæ confirmaretur, & Ecclesia Græcorum legatos Ecclesiæ Romanæ reciperet cum honore. Inspiret Author salutis tractatoribus hujus negotii quod saluti expedit animarum.

IN ISTA TERTIA PARTE AGITUR de quibusdam corrigendis in Ecclesia Latinorum.

CAPUT I.

De corrigendis circa divinum cultum.

CIRCA hoc sciendum est, vulgare esse, quòd malæ mulieres dicunt, quòd plus lucrantur in uno festo de peccato suo, quàm per totam septimanam vel quindenam ferialem. Similiter constat de multis aliis peccatis, quòd plura fiant innumerabiliter in festis quàm in aliis diebus. Et ideo videtur, quòd acceptum esset Deo, quòd pauciora festa essent in Ecclesia Dei, cum in ipsis Deus plus offendatur. Vel saltem quòd liceret operariis post auditum divinum officium in aliquibus festis minoribus ire ad opera sua, præcipuè cum plurimi non habeant unde se & suos sustentent nisi de labore suo: & illi qui jam abundant & habeant, plus expendant in tabernis diebus festis, quàm aliis ferialibus. Propter quod tanta festorum multitudo plurimùm cedit in populi gravamen *.

Quale omen hoc, incipere ab artibus meretriciis!

* Vide P. de Alliaco, Fratm. aliosque in Fasciculo & hac Append. idem asserentes.

Iterum in quibusdam Ecclesiis cathedralibus est consuetudo, quòd quando canonici aliqui non reddunt clericis quod debent, clerici faciunt cessare à divinis. Unde & sæpe cessatur in istis Ecclesiis, imò quandoque ex modica causa & occasione. Videtur autem, quòd multo melius esset, ut aliæ pœnæ contra hujusmodi canonicos constituerentur, ne cultus divinus ita in hujusmodi Ecclesiis adnihilaretur.

Iterum etiam in quibusdam diœcesibus est consuetudo, quòd non cantatur per artem, quæ potest addisci ferè per annum: sed per usum, qui vix potest sciri per sex annos. Et ideo sunt multi clerici in hujusmodi locis valde illiterati, quia tempus quod deberent expendere in literis addiscendis, oportet eos expendere in hujusmodi usu addiscendo. Et ideo multo melius videretur, quòd ubique cantaretur † per artem.

† Multo melius autem cantaretur in gratia in cordibus suis, ut monet Apost. Col. 3. 16.

Iterum in multis Ecclesiis cathedralibus est consuetudo, quòd ut totam bibliam legant per annum, faciant lectiones adeò prolixas in matutinis, quòd ferè nullus audit totas matutinas, & siqui remanent ibi, dormiunt ut frequenter. Et ideo videretur melius, quòd in istis Ecclesiis omnes lectiones tam de tempore quàm etiam de festis, fierent ita temperatæ, quòd fragilitas humana posset audire eas usque in finem.

Item in multis Ecclesiis cathedralibus ita pauci clerici veniunt ad horas canonicas, quòd quandoque vix sunt in choro * plusquam quatuor aut sex, cum tamen sit magna multitudo clericorum in illis Ecclesiis, quæ habet stipendia ab illis Ecclesiis, & de nullo alio servit, nisi de officiando Ecclesiam.

* Fortè plures quàm

Porrò remedia contra hæc omnia possunt haberi per statuta, in quibus dicatur brevibus & decentibus, quòd in festis hactenus consuetis liceat operari post auditum officium, præterquam in talibus. Et quòd de cætero non cogantur homines ad aliqua festa nova sine authoritate Romanæ Ecclesiæ. Et quòd propter culpam canonicorum non reddentium debita, non cessetur in Ecclesiis collegiatis, sed ipsi canonici aliter puniantur, videlicet sic vel sic. Et quòd in omnibus Ecclesiis cantetur secundùm artem, & ita temperatè lectiones

lectiones legantur in matutinis, quòd fragilitas humana præ tædio non recedat. Et quòd ordinetur per ordinarios & capitula, quòd semper numerus clericorum intersit in horis canonicis.

CAPUT II.

Circa Ecclesiam Romanam.

QUia nemo inferior audet ponere os in Ecclesiam Romanam, tanto magis deceret ut ipse dominus Papa & domini Cardinales attenderent diligenter corrigenda in Ecclesia Romana, & inciperent ab illis, ut correctio aliorum quæ ad eos summè pertinet, majorem haberet efficaciam. Ecce enim quantum damnum & quantum scandalum emanavit per totum mundum, ut de aliis taceatur, in tantis vacationibus papatûs, quæ contigerunt in diebus nostris, & de thesauro magno Papæ, quem dicuntur Cardinales consumpsisse pro ore suo, durante dissensione, nescio cum qua conscientia, cum inferiora collegia non dicuntur habere hujusmodi potestatem in bonis ordinariorum vacantibus Ecclesiis. Videtur, quòd multùm expediret, quòd contra supradictam vacationem excogitaretur & apponeretur remedium. Et videtur, quòd inter alia remedia valeret hoc multùm, quòd durante vacatione nihil possent Cardinales de bonis Papæ vel Ecclesiæ Romanæ in suos usus convertere, & quòd nulla possint interim servitia vel dona recipere, & quòd siquis contrarium faceret, ipso facto privaretur voce in electione Papæ. Possunt & circa hoc alia valere, & hæc multa, quæ viri sapientes meliùs excogitare sciunt. Videtur autem, quòd inter multos modos qui possunt excogitari circa hoc, quòd iste modus esset satis bonus, quod statueretur, quòd si Cardinales infra certum tempus non elegissent, quòd unus vel plures de pœnitentiariis præsentibus per electionem notariorum, vel econversò unus vel plures notarii vel alii officiales curiæ majores per electionem pœnitentiariorum adjungerentur Cardinalibus in electione. Quòd si nec sic fieret electio infra certum tempus, adjungerentur plures modo prædicto, & sic deinceps quousque electio compleretur.

Attende: annon subolet tibi ratio rejiciendi hoc opus è Conciliis?

CAPUT III.

Circa Religiosos.

TOtus ferè mundus obloquitur & scandalizatur de tanta multitudine religiosorum pauperum qui introierunt in mundum qui non jam religiosi, sed * trutannii vocantur à multis, quod cedit in maximam vilipensionem religionis sacræ. Et licèt istorum status bonus possit dici, & adhuc possent in hujusmodi statibus bonis multi boni inveniri, tamen non videtur expediens istos pauperes multiplicari, nisi tantum quantum potest mundus commodè portare, & quòd honor religionis servetur: sicut non fiunt episcopatus vel parochiæ vel canonici in eadem Ecclesia, nisi quantum rationabile videtur. Iterum sunt quædam mulieres religiosæ pauperes, quæ occasione quærendi necessaria discurrunt per villas & castra: quod est valde indecens, & etiam periculosum in mulieribus. Unde videtur expediens, quòd nulla religio mulierum fieret nisi haberet unde quoquo modo posset sustentari in domo sine hujusmodi discursu. Iterum multæ abbatiæ & prioratus antiqui sunt adeò dissipati & spiritualiter & temporaliter, quòd magnus dolor sit hoc † videre. Et videretur magnum bonum esse, quòd apponeretur magna cura ad istarum religionum reformationem. Quòd si non esset spes bona de reformatione, transferrentur hujusmodi loca ad alias religiones bonas *.

* Utinam constaret quid sibi vellet ista vox. Vide infra sermonem Armachani.

† Præsertim aliquibus nunc in Anglia.

* uti hic contigit.

Item multùm videretur expediens, quòd de multis prioratibus ejusdem abbatiæ, in quibus morantur monachi pauci divisim & sine omni religione, fieret unus prioratus conventualis, in quo religio servaretur.

Item in multis abbatiis, in quibus abbates & officiales raro comedunt in refectorio, ita malè providetur conventui, quòd vix est aliquis cui possit sufficere provisio conventualis. Et perit apud tales communis vivendi modus in refectorio. Et ideo bonum esset, quòd apud tales introduceretur consuetudo Cluniacen. apud quos nec abbas nec alius quicunque sanus potest comedere nisi in refectorio, & per hoc cogerentur abbates & majores

jores conventui in refectorio bene providere. Iterum Dominus Papa Gregorius fecit quædam statuta valde bona (ut dicitur) pro religione monachorum nigrorum reformanda. Et bonum esset, quòd illa diligenter viderentur, & quòd ad ea quæ sunt ibi laudabilia, servanda monachi compellerentur. Iterum dicitur, quòd novi religiosi quidam zelo suæ religionis promovendæ, inducunt quandoque multos juvenes ad promittendum, quòd intrabunt religionem suam, si unquam intrant religionem: ex quo sequuntur multæ perplexitates, quia mutant voluntatem suam sic promittentes interdum, & magis vellent aliam religionem intrare, si liceret eis. Unde bonum videretur, quòd statueretur, quòd ante professionem factam in aliquo ordine liceret cuicunque intrare quamcunque religionem, non obstantibus hujusmodi obligationibus.

CAPUT IV.

Circa Prælatos.

CUm innumerabilia mala sequantur ex malis prælatis, videtur, quòd in eorum promotione deberet apponi maxima cura per diligentem inquisitionem de persona à personis quæ non consueverunt mentiri. Per illam enim regulam quâ utuntur quidam, dicentes, de quolibet præsumitur quòd sit bonus, nisi sciatur contrarium, turpiter decipitur Curia Romana: quia multi sunt, de quibus nihil mali auditur in Curia Romana, nec aliquis se eis opponit, & tamen sunt homines pestiferi & pessimæ famæ in sua natione. Non sufficit patrifamilias ad ponendum aliquem custodem thesauri sui, quòd nihil mali audierit de eo, nisi aliter constet ei de ejus bonitate.

Iterum tanta difficultas est in depositione prælatorum secundum jura propter multitudinem testium quæ ad hoc requiritur, quòd nullus, quantumcunque sceleratus, depositionem timet. Et ideo Ecclesiæ innumerabiles sub uno prælato pestifero stantes multis annis, destruuntur & temporaliter & spiritualiter. Et ideo bonum videretur, quòd ordinaretur per aliquod jus, quòd prælati mali faciliùs possent removeri: & sequeretur ex hoc fructus duplex, scilicet liberatio Ecclesiarum, quæ sub ipsis pereunt, & incussio timoris in aliis malis prælatis. Nec videtur, quòd in diebus istis sit eadem ratio prædictæ difficultatis quæ fuit olim: quia tunc fere omnes prælati erant boni, & qui contra eos movebantur, malè movebantur. Nunc autem fere nullus movetur ad accusandum prælatum, nisi boni qui habent zelum Dei, accendentem eos contra malos prælatos.

Item videretur bonum, quòd interdum mitterentur aliqui boni viri ad visitandum prælatos, & cognoscendum de fama & vita eorum qui charitativè corrigerent corrigenda in eis, & referrent summo Pontifici de statu eorum, ut saltem ex hoc incuteretur eis timor aliquis, qui eos faceret cessare à malis aliquibus.

Iterum tanta est omissio in prælatis circa correctiones, quòd raro sit aliquis qui corrigat, etiam de illis qui boni in se reputantur. Et cum ex hoc proveniant mala innumerabilia, esset circa hoc magnum consilium apponendum.

Iterum tanta vanitas & lascivia apparet in familia prælatorum multorum in vestibus partitis, & virgatis. & capellis de floribus, & corrigiis deauratis, & similibus multis, quòd non est rex neque princeps secularis, in cujus familia major vanitas inveniatur. Et bene deceret, quòd in familia successorum Apostolorum major disciplina appareret in habitu & ornatu: sicut jura ordinaverunt de habitu clericorum, quòd sit honestior & magis disciplinatus quàm laicorum.

CAPUT V.

Circa Curias Prælatorum.

IN curiis multorum prælatorum tanta fit extortio pro sigillo, quòd ultra omnes expensas, quas requirit sigillatio, habent prælati multi de lucro sigilli modò mille libras, modò duo millia, & similia: quod non videtur posse fieri sine magno animæ periculo, cum ordinarii qui sunt competenter stipendiati, gratis ea quæ sunt justitiæ, debeant exhibere.

Iterum multi usurarii ad hoc inducunt debitores, quòd faciant sibi literas dari, & recognoscere eos cum juramento, quòd tantum sibi debent de sorte, quod falsum *est*, qua faciunt sibi usuram in sortem computari. Et officiales multi, licèt sciant *istam* fraudem, sigillant tales literas propter lucrum sigilli. Et expediret multùm contra fraudes istas, quæ multùm sunt multiplicatæ, remedia inveniri.

CAPUT VI.

Circa Parochias.

☞ MUltæ Parochiæ sunt adeò pauperes, quia patroni ferè omnia habent, quòd invenitur vix bona persona, quæ eas velit accipere. Nec etiam valet remedium in Concilio Lateranen. appositum de decem libris, quia episcopi ex officio non faciunt hoc fieri, & sacerdotes pauperes non audent, nec possunt litigare contra patronos.

Iterum divites *Parochiæ dantur, ut frequenter, talibus personis, quæ nunquam residunt ibi, & rarò invenitur episcopus, qui circa residentiam hujusmodi nimis facilè & cum multis non dispenset, in damnum maximum animarum & destructionem Ecclesiarum.

* Hoc statim tibi intonabit sanctus Rob. Lincoln.

Iterum quando ponuntur vicarii à personis curatis in suis Parochiis, non habetur ut frequenter respectus ad bonitatem & sufficientiam personæ, sed ad illum, qui pro ☞ minori salario habetur. Et fiunt innumerabilia mala in extortionibus & aliis per hujusmodi vicarios.

Iterum Parochiæ ut frequenter non dantur secundum Deum, sed per preces & familiaritates, personis omnino indignis, & quæ nihil valent ad regimen animarum. Et quod pejus est, tanta est hodie remissio in multis prælatis, quòd sacerdotes parochiales, qui in immunditiis & aliis criminibus notoriis sunt exempla & via perditionis suis subditis, non corrigunt, etsi interdum fortassis puniunt in pecunia, in sceleribus suis dimittendo eos.

Iterum tanta est ignorantia in sacerdotibus innumerabilibus, quòd in solvendo & in ligando & in hujusmodi, indiscretè multos ad infernum mittant. Et ideo expediret, quòd fieret unum opusculum, sicut fiunt statuta synodalia, in quo instruerentur sacerdotes * in omnibus, quæ pertinent ad curam pastoralem & parochialem, & maximè in his, quorum ignorantia non excusat. Et quod nulli daretur cura, nisi primò examinarentur diligenter in illis, quæ continerentur in illo opusculo.

* Sicut in Pupillâ oculi Joh. de Burgo olim Cancellar. Cantab. ante 300. annos, edit. Argent. 1514. & Tractatu sacerdotali Nicolai de Ploue, edit. Par. 1531. & multis aliis, qui sacerdotes abecedarios multum adjuvarunt.

CAPUT VII.

Circa Clerum.

Tace, obsecro.

TAnta immunditia luxuriæ notoria est in multis partibus mundi, non solùm in clericis, sed etiam in sacerdotibus, imò (quod horribile est audire) in prælatis majoribus.

Iterum tam malè expendunt isti bona Ecclesiæ, modò in vanitatibus, modò in superfluitatibus, modò in ditandis & sublimandis consanguineis, modò in suis luxuriis & peccatis aliis quàm multis.

Iterum sunt tot & tanti, qui nihil boni faciunt in Ecclesia, nisi quòd de bonis Ecclesiæ ducunt dies in deliciis, quòd valdè timendum est, ne Deus propter hujusmodi & ☞ alia scelera nimis grandia & multa, & quæ diu duraverunt, confundat vel confundi permittat statum Ecclesiasticum, nisi aliqua correctio subsequatur, sicut factum est de Judæis, à Deo primum exaltatis, & posteà destructis in perpetuum & confusis.

CAPUT

CAPUT VIII.

Circa quæstuarios prædicatores.

Circa quæstuarios prædicatores, qui ferè totam Dei Ecclesiam ubique terrarum inficiunt, & sunt scandalo toti mundo, sunt tot reprehensibilia, quod non facilè potest dici: sunt enim pro maxima parte personæ inhonestæ & infames. Mercatores indulgentiarum.

Item corrumpunt prælatos, & officiales, & archipresbyteros, & presbyteros adeò suis servitiis, quòd dimittunt eos facere & dicere quæcunque volunt.

Item habent brevia, quæ relinquunt in singulis Parochiis, in quibus continentur tot indulgentiæ, quòd mirantur boni viri, si unquam de conscientia Papæ vel etiam alicujus boni viri potuerunt illa procedere.

Item exponunt illa simplicibus malo modo.

Item multa adquirunt, & pauca veniunt ad domos pro quibus fiunt: quia vel multa ultra modum consumunt, vel etiam emunt illas * quæstas pro modico pretio. * Fort. quæsitas.

Item multa mendacia consueverunt dicere & de reliquiis & de indulgentiis, & quod supremum malum est, ista & alia mala multa eorum, jam ita versa sunt in ludum & risum, quòd vix est aliquis, qui super hæc doleat vices Christi.

CAPUT IX.

Circa usum clavium.

Circa usum clavium, in quibus consistit quasi tota potestas ecclesiastica, sunt multi errores, & valdè graves: quorum unus est, quia committitur multis sacerdotibus tam curatis, quàm etiam vicariis, quàm aliis personis, quibusdam etiam religiosis, qui omnino nesciunt, quando & in quibus casibus multis debeant solvere vel ligare, quod cedit in maximum periculum animarum.

Alius est, quia fiunt hodiè tot indulgentiæ & magnæ pro causis minus rationabilibus, quòd vertuntur omni ferè seculo in contemptum: & sic * thesaurus major, quem habet Ecclesia, prodigè & stultè consumitur. * Quidam dum vitant vitia, in contraria currunt.

Alius est circa excommunicationes, quæ tot hodie fiunt per officiales, & cum aggravationibus, quod vix est aliquis, qui Deum timeat, qui possit inter mundanos conversari conscientiam suam servando. Qui autem Deum non timent, nec de conscientia sua curant, contemnunt omnes istas excommunicationes, & vertunt eas in derisum.

CAPUT X.

Circa Scientias.

In scholis Grammaticalibus in multis locis leguntur libelli poetarum, in quibus continentur multa provocativa ad luxuriam, quæ etiam suo auditu sunt occasio multis juvenibus in eis studentibus, magnæ corruptionis.

Iterum etiam magna esset utilitas valdè, & multum conferret ad soliditatem scientiæ divinæ, quòd libri theologici, qui non sunt glossati de glossa continua, glossarentur de dictis sanctorum doctorum.

Item Concilia antiqua & etiam posteriora vix * inveniuntur. Et est mirabile, quomodo hoc ita neglexit Ecclesia Romana, & quomodo non ordinavit, quòd in ecclesiis cathedralibus, vel etiam metropolitanis saltem, semper haberentur. Multa enim sunt in eis valdè utilia, quæ non sunt redacta in jus, sicut patet in Lateranen. concilio, in quo data est forma indulgentiæ, quæ datur sumentibus crucem, & mandatur prælatis, quòd non habeant nisi tria fercula, & alia multa bona, quæ non sunt scripta in jure. * Id quod tuo ipsius scriptori accidit.

* Regeretur multò melius Lege divina.

Item cum tota Ecclesia regatur hodiè per jura * canonica, & non excusentur illi nescientes in multis casibus, valdè bonum esset, quòd fieret per viros sapientes aliquod opus continens breviter totum jus canonicum, cui Papa præstaret authoritatem, in quo etiam determinarentur contrarietates opinionum. Certum est enim, quòd posset fieri valdè breve, & quod possent addiscere scholares in modico tempore: nec oporteret tantum ipsos expendere in jura canonica addiscendo, nec advocatorum lites & contentiones tantum locum haberent in Ecclesia Dei.

CAPUT XI.

Circa Imperium.

IN multis nationibus, quæ subjacent imperio, ut sunt illæ nationes, in quibus olim fuit regnum Arelaten. & similes, fiunt ex defectu domini generalis, cujus non habent copiam, ad quem possint habere recursus, innumerabilia mala. Unde bonum videretur, quòd vel aliquis generalis dominus in illis nationibus crearetur, vel quòd saltem Imperator quando esset, vel Papa, quando vacaret imperium, provideret illis nationibus de aliquo vicario, ad quem recursus in necessitatibus urgentibus haberetur.

CAPUT XII.

Circa modum procedendi.

☞ QUia plurimi prælati proh dolor! sunt tepidi circa ea quæ Dei sunt, imò etiam contrarii ferè omni bono, non videtur modo aliquo expedire, quod de illis quæ Papa potest sine eis expedire, cum eis habeat tractatum: sed ante concilium vel post, illa expediat sine ipsis, & maximè de pertinentibus ad mores.

FINIS.

SEQUUNTUR RATIONES

Theologicæ, per quas ostenditur, quòd prælatus, qui est notorius Fornicator, nullo modo est tolerandus, maximè in congregatione Concilii.

HELI sacerdos reprobatus est à sacerdotio in se & in posteritate sua, & fractis cervicibus mortuus est propter hoc, quia filios suos sacerdotes, qui fornicabantur cum mulieribus, quæ excubabant ad fores tabernaculi, tepidè correxit, eos palpando, sicut patet 1 Regum 2. & 4. capitulis. (1 Reg. 2. & 4.) Econtra verò Phinees avertit iram Dei à populo, & adeptus est sacerdotium sempiternum, quia zelavit contra fornicantes, confodiendo eos in locis genitalibus, ut habetur Numer. 25. (Num. 25.)

Item principes seculares 12. tribuum jussi sunt à Domino suspendi in patibulis propter fornicationem populi sibi subjecti, Numer. 25. (Num. 25.) Quid ergo faciendum est de principibus populi Christiani spiritualibus propter propriam fornicationem?

Item Apocalypsis 2. dicitur angelo, id est, prælato Ecclesiæ Thyatiræ: (Apoc. 2.) Habeo adversum te pauca, quia permittis mulierem Jezabel fornicari. Si ergo non est permittenda mulier fornicari, quomodò hoc tolerandum est in prælato?

Item

Item Genesis 34. Simeon & Levi interfecerunt Sichem, quia fecerant rem fœdam in sororem suam: quid ergo faciendum est de illo, qui sponsam Christi, scilicet Ecclesiam, quæ debet virgo Christo servari, & esse sine macula, secundum Apostolum, suis fornicationibus fœdat & deturpat? Gen. 34. 2 Cor. 13.

Item Apostolus absens corpore, fornicantem Corinthium condemnavit tradendo satanæ, propter solum auditum communem. Unde ait: Omnino auditur inter vos fornicatio. Glossa: omnino, id est, ab omnibus auditur. Quare ergo dicunt quidam sapientes, quod hujusmodi auditus non sufficit ad procedendum contra tales, cum propter solum talem auditum processerit Apostolus contra fornicatorem illum? 1 Cor. 5.

Item dicitur, quòd ciconiæ congregatæ, quando instinctu quodam naturæ sentiunt, quòd aliqua de illis, relicto compare suo, commixta est alii, omnes insurgunt in eam, & cum rostris deplumant eam, & in eam deſæviunt. Quid ergo debent facere prælati boni congregati de illo socio suo, cujus luxuriæ turpitudo innumerabiles inficit, & fœtet in tota sancta congregatione?

Item Judicum 20. legitur, quòd omnes filii Israel congregati sunt contra tribum Benjamin, ad vindicandum scelus luxuriæ commissum in uxore Levitæ, & ferè totam illam tribum delevit. Quomodo ergo conveniens est, ut tota Ecclesia congregata non curet aliquam facere correctionem de sceleratis luxuriis Levitarum? Judic. 20.

Item 2. Esdræ 9. capitulo legitur, quòd Esdras purgando Israel à mulieribus alienigenis, incepit à sacerdotibus. Propter quod videtur, quòd purgatio istorum omnes alias debet præcedere, etiam juxta illud Ezechielis: A sanctuario meo incipite, &c. 2 Esd. 9. Ezech. 9.

Item dicitur, quòd tempore regis Philippi totum regnum Franciæ fuit suppositum interdicto, quia tenebat quandam mulierem pro uxore, quæ non poterat justè esse ejus uxor. Quid ergo est faciendum de prælato, qui non solùm mulieribus maritatis abutitur, sed etiam monialibus & abbatissis evidenter.

Item temporibus modernis duo imperatores depositi sunt in conciliis propter temporalia damna, quæ Ecclesiæ inferebant. Rex etiam Portugaliæ remotus est per Ecclesiam ab administratione proprii matrimonii, quia ad regimen ineptus videbatur. Quomodo ergo potest Ecclesia dissimulare, quin prælatus, qui etiam innumerabilia mala infert Ecclesiæ, & ineptus est penitus ad regimen animarum, solenniter deponatur? Timendum est vehementer, ne propter tales dissimulationes & tolerantias ira Dei contra Ecclesiam cumuletur.

Rationes istæ theologicæ, eodem planè stylo conscriptæ quo Opusculum Tripartitum, eundem videntur Authorem habuisse: possunt esse loco appendicis illi Opusculo. Utut est; eas mihi dedit ultro typographus, & frustra esset illius operam delere cum nihil eis insit nisi quod sanctum est & bonum.

E. B.

E. B. LECTORI. S.

SÆpius excusum est Consilium sequens, cum alibi, tum hic Londini A. D. 1609. ex bibliotheca Wilh. Crashavii, qui in Epistolâ dedicatoria ad Revmum D. Tobiam Matthæum Archiep. Eboracen. citat quædam è Commentariis Espencæi in Tit. cap. 1. ad hoc Consilium ab omni fraudis & fictionis suspicione liberandum: quasi præsensisset Crashavius fore aliquando ut pro re omnino fictâ & falsa censeretur; cum id in novissimis Conciliorum editionibus desiderari & astutè suppressum esse viderat, ut est in admonitione suâ ad Lectorem. Sed longè aliter res habebit: suo enim se sorex prodidit indicio: & Cochlæus ipse (qui nesciit pro nobis mentiri, quantumvis in causa suâ parum probus aliquando) hujusce Consilii fidem ab omni labe improbitatis vindicavit & asseruit in historia suâ de Actis & scriptis Lutheri, ad annum 1539. folio 312, &c. editionis Colonien. 1568. editum est præterea hoc idem Consilium Parisiis, publica authoritate, (unà cum Guilielmi Durandi tractatu de modo generalis Concilii celebrandi, Libello Clamengii de corrupto Ecclesiæ statu, Libello Cardinalis de Alliaco de emendatione Ecclesiæ, & Gentiani Herveti oratione de reparanda Ecclesiasticâ disciplinâ (quæ omnia, excepto primo, huic Appendici inserentur) A. D. 1671. In hac nostra editione sequimur virum doctissimum & pium Hermannum Conringium; adhibitis multis aliis exemplaribus, quæ omnia simul in hoc uno leges. Vin' autem, Lector, aliquid penitius de hoc Consilio rescire? adisis P. Paulum Vergerium (invisum aliis sed charum nobis nomen) illiusque annotationes in Catalogum hæreticorum consule, fol. 251. tomi primi illius operum Tubingæ editi A. D. 1563. in 4° & siquid noveris de reliquorum tomorum editione, nos Anglos fac, quæso, certiores. Audi verò interea vel lege Hermannum Conringium.

HERM. CONRINGIUS
Benevolo Lectori S. P.

QUO tempore, anno MDXXXVI. Concilium Mantuam indixit Paulus III, eodem diploma etiam evulgavit de Romana curiâ ab omnibus sordibus atque vitiis eluenda: delectis in eam rem Cardinalibus, Ostiense, Sanseverino, Ganutio & Simoneta. Verùm cum effectu careret negotium, & hoc quasi experimento de Concilii quoque fructu male passim prudentes quique ominarentur, ut vocusis occurreret, & in Concilio agitandæ reformationi à qua male sibi metuebat præverteret, denuo hoc negotium commisit IV. Cardinalibus & quinque Præsulibus, omnibus sanè viris magnæ existimationis & prudentiæ. Nec vero illi defuerunt officio suo, ac proin nonnulla quæ par erat libertate monuerunt. Meminit ejus rei Onuphrius Panuinius in vita Pauli III. Intereà, *inquiens,* Pontifex depravatis clericorum moribus corrigendis novem gravissimos & doctissimos viros deligit, Gasparem Contarenum, Joannem Petrum * Carrafam Teatinum, Jacobum Sadoletum, Reginaldum Polum, Cardinales: Fridericum Fregosium Salernitanum, Hieronymum Aleandrum Brundusinum, archiepiscopos: Joannem Matthæum Gibertum, Veronensem Episcopum, Gregorium Cortesium, abbatem S.Georgii majoris Venetiarum, F. Thomam Badium Magistrum sacri palatii: qui libello edito quo reformationis præcipua capita comprehenderunt, illum Pontifici obtulerunt.* *Quid illo factum, non additum ab Onuphrio: non præteritum tamen, cum à Sleidano, tum præcipue à Petro Suave* l. 1. *nempe plerisque in Senatu Cardinalium reformationem illam improbantibus in alium commodius tempus h. e. ad Kalendas Græcas relatum, atque ita successu irrito negotium hoc finiisse. Libellus ipse Cardinalis Capuani, ut creditur, curâ ad amicum in Germaniam missus, mox anno 1539. & populari nostra & sua est lingua per Lutherum & Sturmium editus. Eundem pòst vulgavit cum acri ad Papam Paulum IV. qui olim unus fuerat auctorum, præfatione, Petrus Paulus Vergerius, postquam Protestantium partibus accessisset. Additus idem est sub finem Summæ Conciliorum Salmanticæ in Hispania excusæ anno 1555. Ejus editionem iterare nunc duximus ex usu esse reipublicæ, quod rarissimè amplius compareat: manibus excussus per ipsum Romanum Expurgatorium indicem, & tamen (ut censet etiam Petrus Suavis)* lectione sit dignissimus, *utque liqueat omnibus quàm in confesso sint Romana vitia, & tamen illa nullam emendationem admittant, utut ipsi Papæ eam interdum moliantur.*

* Postea Paul. 4. Pont.

CONSILIUM

CONSILIUM DELECTORUM

Cardinalium, &c. de emendanda Ecclesia Romana, Jussu Pauli III. Papæ conscriptum.

Beatissime Pater, tantum abest, ut verbis explicare possimus, quàm magnas gratias Resp. Christiana Deo Opt. Max. agere debeat, quòd te Pontificem hisce temporibus ac Pastorem gregi suo præfecerit, eamque quam habes mentem dederit; ut minimè speremus cogitatione eas, quas Deo gratias debet, consequi posse. Nam spiritus ille Dei, *quo virtus cælorum firmata est*, ut ait Propheta, labantem, imò* vero collapsam in præceps Ecclesiam Christi, per te huic ruinæ manum, ut videmus, supponere decrevit, eamque erigere ad pristinam sublimitatem, decorique pristino restituere. Certissimam divinæ hujus sententiæ conjecturam nos facere valemus, quibus sanctitas tua ad se vocatis mandavit, ut nullius aut commodi sui, aut cujuspiam alterius habita ratione, tibi significaremus abusus illos, gravissimos videlicet morbos, quibus jam pridem Ecclesia Dei laborat, ac præsertim hæc Rom. curia, quibus effectum propè est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis, magnam hanc ruinam traxerit quam videmus. * Crassh. Paris, &c. feré.

Et quoniam sanctitas tua Spiritu Dei erudita, qui, ut inquit Augustinus, *loquitur in cordibus nullo verborum strepitu*, probè noverat, principium horum malorum inde fuisse, quòd nonnulli Pontifices tui prædecessores *prurientes auribus*, ut inquit Apostolus Paulus, *coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua*, non ut ab eis discerent † quod facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet: inde effectum est (præterquam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures Principum) quòd confestim prodirent doctores qui docerent, *Pontificem esse * beneficiorum dominum:* ac ideò cum dominus jure vendat id quod suum est, necessariò sequi, in Pontificem non posse cadere Simoniam, ita quod voluntas Pontificis, qualiscunque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes ac actiones dirigantur: ex quo proculdubio † efficiat, ut quicquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, S. Pater, tanquam ex equo Trojano, irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborasse, vel* manasse earum rerum famam ad infideles usque (credat Sanctitas vestra scientibus) qui ob hanc præcipuè causam Christianam religionem deridentes, adeò, ut per nos, per nos, inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes.

† Par. quid.

*Par. & Crassh. dominum beneficiorum omnium.

† Iid. effici.

* Par. &c.

Tu verò, sanctissime Pater, & verè sanctissime, edoctus à Spiritu Dei, præter veterem illam tuam prudentiam, cum totus in hanc curam incubueris, ut sanatis ægritudinibus, Christi Ecclesia tuæ curæ commissa bonam valetudinem recuperaret, vidisti, ac † probè vidisti, inde incipiendam esse medicationem, unde primùm ortus est morbus, secutusque doctrinam Apostoli Pauli *vis esse dispensator* non dominus, & fidelis inveniri à Domino: imitatus etiam servum illum, quem in Evangelio Dominus præfecit familiæ suæ, ut det illis in tempore tritici mensuram: ac propterea decrevisti nolle quod non * licet, nec vis posse quod non debes. Ideoque nos ad te accersivisti, imperitos quidem ac tam magno negotio impares, non parum tamen affectos cum honori & gloriæ sanctitatis tuæ, tum præcipuè instaurationi Ecclesiæ Christi, ac gravissimis verbis injunxisti, ut omnes hos abusus colligeremus, tibique illos significaremus; obtestatus, nos reddituros esse rationem hujus negotii nobis demandati Deo optimo, si negligenter ac infideliter ageremus. Atque ut omnia liberius inter nos tractari possent, tibique à nobis explicari, jurejurando nos † obstrinxisti, addita etiam excommunicationis pœna, ne cuipiam aliquid hujus nostri muneris proderemus.

† Deest in Parif.

* Iid. liceat.

† Par. districtinx—

Nos igitur tuo imperio parentes, collegimus, quantò paucioribus fieri poterat, hos morbos eorumque remedia, ea (inquam) quæ pro tenuitate ingenii nostri excogitare potuimus. Tu verò pro tua bonitate ac sapientia, omnia resarcies ac perficies, in quibus pro tenuitate nostra offenderimus. Verùm ut omnia certis quibusdam finibus complectamur, cum Sanctitas tua & sit Princeps provinciarum harum, quæ subsunt ditioni Ecclesiasticæ, & sit Pontifex universalis Ecclesiæ, sit etiam Episcopus

pus Romanus; nihil nobis dicendum sumpsimus de his, quæ pertinent ad hunc principatum Ecclesiæ, quem tuâ prudentia optimè regi videmus: tangemus tantùm ea, quæ pertinent ad officium universalis Pontificis & nonnulla quæ sunt Romani Episcopi.

I. Illud verò ante omnia, beatissime Pater, putamus statuendum esse, ut dicit Aristoteles in Politicis, sicut in unaquaque Repub. ita & in hac Ecclesiastica gubernatione Ecclesiæ Christi, hanc præ omnibus legem habendam, ut quantum fieri potest, leges serventur. Nec putemus nobis licere dispensare in iis legibus, nisi urgenti de causa & necessaria. Nulla namque perniciosior consuetudo in quavis rep. induci potest, quàm hæc legum inobservantia, quas sanctas majores nostri esse voluerunt, earumque potestatem venerandam & divinam appellârunt. Scis tu hæc omnia, optime Pontifex, legisti jampridem apud Philosophos & Theologos.

☞ Illud verò non tantùm huic proximum, sed longè prius & potius superiore putamus, non licere Pontifici & Christi vicario, in usu potestatis clavium, potestatis (inquimus) à Christo ei collatæ, lucrum aliquod comparare. Hoc etenim est Christi mandatum: *Gratis accepistis, gratis date.*

II. His primùm statutis, cum Sanctitas vestra ita gerat curam Ecclesiæ Christi, ut ministros plurimos habeat, per quos hanc curam exerceat, hi autem sunt clerici omnes, quibus mandatus est cultus Dei, Presbyteri præsertim, & maximè Curati, & præ omnibus Episcopi: idcircò, si gubernatio hæc sit rectè processura, primò danda est opera, ut hi ministri idonei sint muneri quo fungi debent.

Primus abusus in hac parte est ordinatio clericorum, & præsertim Presbyterorum; in qua nulla adhibetur cura, nulla diligentia, quòd passim quicunque sint imperitissimi, * vilissimo genere orti, * malis moribus ornati, * adolescentes, admittantur ad ordines sacros, & maximè ad Presbyteratum, ad characterem (inquam) Christum maximè exprimentem. Hinc innumera scandala, hinc contemptus Ordinis Ecclesiastici, hinc divini cultus veneratio non tantùm diminuta, sed etiam propè jam extincta. Ideo putamus optimum fore; si Sanctitas tua primò in hac Urbe præficeret huic negotio duos aut tres prælatos, viros doctos & probos, qui ordinationibus Clericorum præessent: injungeret etiam Episcopis omnibus, adhibitis etiam pœnis censurarum, ut id curarent in diœcesibus. Nec permittat Sanctitas vestra, ut quispiam ordinetur, nisi ab * Episcopis, vel cum licentia deputatorum in urbe aut Episcopi sui: insuper ut in Ecclesiis suis quisque Episcopus magistrum habeat, à quo Clerici minores & literis & moribus instruantur, ut jura præcipiunt.

* Deest [sint]

* Episcopo suo, iid.

Abusus alius maximi ponderis est in collatione beneficiorum ecclesiasticorum, maximè Curatorum, & præ omnibus Episcopatuum, in quibus usus invaluit, ut provideatur personis, quibus conferuntur beneficia, non autem gregi Christi & Ecclesiæ. Ideo in conferendis his beneficiis, Curatis inquam, sed præ aliis, Episcopatibus, curandum est, ut conferantur viris bonis doctisque; * ideò, ut per se possint fungi illis muneribus, ad quæ tenentur: insuper illis, quos verisimile est residentiam facturos. Non ergo * Italo conferendum est beneficium in Hispania, aut in Britannia, aut è contra. Hoc servandum est tam in collationibus, cum vacant per decessum, quàm in cessionibus, in quibus nunc tantùm habetur ratio voluntatis cedentis, nullius præterea rei: in cessionibus his si quispiam præficeretur probus unus pluresve, bene factum iri putaremus.

* adeo, Par.

* Vide infra Epist. R. Lincoln.

Alius abusus, cum beneficia conferuntur, seu cum ceduntur aliis, irrepsit, in constituendis super fructibus eorum pensionibus, imò quandoque cedens beneficio omnes sibi fructus reservat. Qua in re illud est animadvertendum, nulla alia de causa, nulloque alio jure pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios usus & indigentibus concedi debent. Nam redditus sunt annexi beneficio, ut corpus * animo: ideò suâ natura pertinent ad eum, qui beneficium habet, ut possit ex iis vivere honestè pro suo ordine, simulque queat sustinere impensas pro divino cultu, & templi sacrarumque ædium reparatione, & quod reliquum est, impendat in pios usus: hæc est enim natura eorum redditUum. Verùm sicuti in rerum naturæ administratione nonnulla fiunt à natura * universali præter inclinationem universalis naturæ: sic in Pontifice, † qui est universalis dispensator bonorum Ecclesiæ, si videret eam fructuum portionem, quæ in pios usus expendi debet, aut ejus partem in pium quempiam alium usum ut expendatur magis expedire, potest proculdubio id facere. Ideo jure merito pensionem ponere potest, ut subveniat egeno, præsertim clerico, ut honestè queat vitam ducere, pro ejusdem ordine. Ideò omnes fructus reservari, adimique id omne quod divino cultui sustentationique habentis beneficium tribui debet,

* animæ. Par.

* Par. & Crab. particulari.
† quoniam. Par.

bet, magnus est abusus. Itemque pensiones dari clericis divitibus, qui commodè & honestè vivere queunt ex redditibus quos habent, magnus certè abusus, tollendus uterque.

Alius item *abusus* in permutationibus beneficiorum, quæ fiunt cum pactionibus, quæ Simoniacæ omnes sunt, nulloque respectu habito, nisi lucri.

Abusus alius omnino auferendus, qui calliditate quadam nonnullorum peritorum jam invaluit in hac curia: Nam cum lege cautum sit, beneficia testamento legari non posse, cum non sit testatoris sed Ecclesiæ, & ut res hæc Ecclesiastica servaretur communis bonorum omnium, non autem fieret privata cujuspiam: invenit humana, non tamen Christiana industria plurimos modos, quibus huic legi illudatur. Nam fiunt renunciationes Episcopatuum, aliorumque beneficiorum primo cum regressu, * & addunt reservationem fructuum, addunt reservationem collationis beneficiorum. Insuper cumulant reservationem administrationis, faciuntque hoc pacto Episcopum, qui nullum jus habet Episcopi: alterum verò cui jura omnia Episcopi competant, non tamen Episcopum. Videat sanctitas tua, quò processit assentatoria illa doctrina, qua tandem effectum est, ut id liceat quod libeat. Quid quæso est hoc, nisi hæredem beneficii sibi constituere?

* deest [&] in eisd.

Alius præter hunc inventus est dolus, cum scilicet coadjutores dantur Episcopis petentibus, minus idonei quàm ipsi sint, ita ut, nisi quispiam claudere oculos voluerit, liquidò videat hæredem eâ ratione institui.

Item lex est antiqua instaurata à Clemente, ne * filii Presbyterorum habeant parentum beneficia, ne scilicet res communis hoc modo fiat privata. Dispensatur tamen, ut audimus, in hac veneranda lege. Nolumus tacere id, quod verissimum esse quivis prudens per se judicaverit, nullam rem magis conflâsse hanc invidiam Clericis, unde tot seditiones sunt ortæ, & aliæ instant, quàm hanc aversionem commodorum & proventuum Ecclesiasticorum à communi ad rem privatam. Antehac omnes sperabant, nunc in desperationem adducti acuunt linguas contra hanc sedem.

* Sed cautum est jamdiu ne sint tales; saltem legitimi.

Alius abusus est in expectativis & reservationibus beneficiorum, quibus & datur occasio, ut aliena mors desideretur & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum supremum dignioribus cum vacant, dant litibus causam. Omnes has putamus tollendas esse.

Abusus alius est eadem calliditate inventus. Nam quædam beneficia incompatibilia jure sunt & appellantur; quæ ex ipsa vi nominis majores nostri admonere nos voluerunt, non deberi ea uni conferri: nunc in his dispensatur, non tantùm duobus, sed pluribus, & quod pejus est, in Episcopatibus. Hunc morem, qui ob avaritiam tantum invaluit, tollendum ducimus, præsertim in Episcopatibus. Quid de unionibus beneficiorum ad vitam unius, ne scilicet obstet illa beneficiorum pluralitas ad obtinenda incompatibilia, nonne est mera fraus legis?

Alius etiam *abusus* invaluit, ut Reverendissimis Cardinalibus Episcopatus conferantur seu commendentur, non unus tantùm sed plures, quem, Pater beatissime, putamus magni esse momenti in Ecclesia Dei: primò quidem, quia officium Cardinalatus & officium Episcopi incompatibilia sunt. Nam Cardinalium est assistere Sanctitati tuæ in gubernandâ Universali Ecclesia: officium autem Episcopi est pascere gregem suum, quod præstare bene † nec ut debet potest, nisi habitet cum ovibus suis ut pastor cum grege. Præterea, Pater Sanctissime, hic usus maximè obest exemplo: quomodo namque hæc Sancta sedes poterit dirigere & corrigere aliorum abusus, si in præcipuis membris abusus * tolerantur? Nec ob id, quod Cardinales sint, putamus, eis magis licere transgredi legem, imò longè minùs. Horum enim vita debet esse aliis lex: nec imitandi sunt Pharisæi, qui dicunt & non faciunt; sed Christus Salvator noster incepit facere & postea docere. Amplius hic usus nocet in consultationibus Ecclesiæ, nam hæc licentia fomentum est avaritiæ. Ambiunt præterea Cardinales à Regibus & principibus Episcopatus, à quibus postea dependent: nec possunt liberè sententiam dicere, imò si possent & vellent, fallerentur tamen passione animi in judicando perturbati. Ideò utinam hic mos tolleretur & providerentur Cardinalibus, ut possint honestè pro dignitate vivere, omnibus æquales redditus: quod putamus facilè fieri posse, si vellemus abjicere servitutem Mammonæ & Christo tantùm servire.

attende hoc, obsecro, dictum à Novemviris, quorum pars potior constitit ex Cardinal. et Episcopis.

† Par. & ut debet haud potest.

* id. non tollerentur.

optimè dictum.

III. His castigatis, quæ pertinent ad constituendos tibi ministros, quibus veluti instrumentis & cultus Dei benè administrari & populus Christianus in vita Christiana benè institui & regi possit: accedendum nobis est ad illa, quæ spectant ad gubernationem † Christi populi. In qua re, Pater beatissime, abusus ille primò & præ omnibus corrigendus est, ne scilicet Episcopi primùm & præ omnibus aliis, deinde ne Curati absent à suis Ecclesiis & Parochiis, nisi ob gravem aliquam causam, sed residentiam facerent,

† Id. Christiani.

cerent, maximè Episcopi, ut diximus, quia sunt sponsi Ecclesiæ ipsis demandatæ. Nam per Deum immortalem, quis miserabilior viro Christiano conspectus esse potest Christianum orbem peragranti, quàm hæc solitudo Ecclesiarum? Omnes ferè Pastores recesserunt à suis gregibus, commissi sunt omnes ferè mercenariis. Imponenda ergò esset magna pœna Episcopis præ aliis, deinde Curatis, qui absunt à suis gregibus non tantùm censurarum, sed etiam ne reciperent redditus illi qui absunt, nisi impetrata licentia à tua Sanctitate Episcopi, Curati ab Episcopis suis, per breve aliquod temporis spatium. Legantur in hoc aliqua jura, aliquorum Conciliorum decreta, quibus cautum erat, Episcopo non licere abesse à sua Ecclesia nisi tribus tantùm Dominicis.

Abusus etiam est quòd tot Reverendiss. Cardinales absint ab hac Curia, nec aliqua in parte faciant quippiam ejus officii, quod spectat ad Cardinales. Ideo, etsi fortasse non omnes, quia expedire existimamus nonnullos habitare in provinciis suis (nam per illos, tanquam per radices quasdam in totum orbem Christianum sparsas, continentur populi sub hac Romanâ sede) * plurimos tamen, interesset Sanctitatis tuæ vocare ad curiam, ut hic residerent. Hac enim ratione, præterquam quod fungerentur officio suo Cardinales, provideretur etiam amplitudini curiæ, suppleretur que, si quid ei detractum fuisset per recessum multorum Episcoporum, qui ad suas Ecclesias se contulissent.

* Par. plurimum tamen esset Crath. plurimos tamen esset.

Alius abusus magnus & minimè tolerandus, quo universus populus Christianus scandalizatur, est ex impedimentis, quæ inferuntur Episcopis in gubernatione suarum ovium, maximè in puniendis scelestis & corrigendis. Nam primò multis viis se eximunt mali homines, præsertim clerici, à jurisdictione sui ordinarii: deinde si non sunt exempti, confugiunt statim ad † pœnitentiam vel ad Datariam, ubi confestim inveniunt viam impunitati & quod pejus est, ob pecuniam præstitam. Hoc scandalum, beatissime *Pater*, tantopere conturbat Christianum populum, ut non queat verbis explicari.

† Par. Pœnitentiariam.

Tollantur, obtestamur sanctitatem tuam per sanguinem Christi, quo redemit sibi Ecclesiam suam, eamque lavit eodem Sanguine: tollantur hæ maculæ, quibus si daretur quispiam aditus in quacunque hominum rep. aut regno, confestim aut paulò post in præceps rueret, nulloque pacto diutiùs constare posset: & tamen putamus nobis licere, ut per nos in Christianam Remp. inducantur hæc monstra.

Alius abusus corrigendus est in ordinibus religiosorum, quòd adeò multi deformati sint, ut magno sint scandalo secularibus, exemploque plurimum noceant. Conventuales ordines abolendos esse putamus omnes: non tamen ut alicui fiat injuria, sed prohibendo, ne novos possint admittere. Sic enim sine ullius injuria citò delerentur, & boni religiosi eis substitui possent. Nunc verò putamus optimum fore, si omnes pueri, qui non sunt professi, ab eorum monasteriis repellerentur. Hoc etiam animadvertendum & corrigendum censemus in prædicatoribus & confessoribus constituendis à fratribus, quòd ab eorum præfectis primum adhiberetur magna diligentia, ut idonei essent: deindè ut præsentarentur Episcopis, quibus præ omnibus cura Ecclesiæ est demandata, à quibus examinarentur per se, vel per viros idoneos: nec, nisi eorum consensu, admitterentur ad hæc peragenda.

Diximus, beatissime Pater, non licere aliquo pacto in usu clavium aliquid lucri utenti comparari: est in hac re firmum verbum Christi: *gratis accepistis, gratis date.* Hoc non tantùm ad Sanctitatem tuam pertinet, sed ad omnes, qui sunt participes hujus potestatis. Ideò à Legatis & Nunciis vellemus idem servari. Nam sicut usus, qui nunc invaluit, dedecorat hanc sedem & conturbat populum; ita si fieret econtra, maximum decus huic sedi compararetur & ædificaretur mirificè populus.

Abusus alius turbat Christianum populum in monialibus, quæ sunt sub cura fratrum conventualium, ubi in plerisque monasteriis fiunt publica sacrilegia, cum maximo † omnium scandalo. Auferat ergo Sanctitas vestra omnem eam curam à conventualibus, eamque det aut ordinariis, aut aliis, prout melius videbitur.

† Par. civium.

Abusus magnus & perniciosus est in gymnasiis publicis præsertim in Italia, in quibus multi philosophiæ professores impietatem docent: imò in templis fiunt disputationes impiissimæ, & siquæ sunt piæ, tractantur in eis res divinæ coram populo valdè irreverenter. Ideò putaremus indicendum Episcopis, ubi sunt * publica gymnasia, ut per eos admonerentur lectores qui legunt, ne docerent adolescentes impietatem, sed ☞ ostenderent infirmitatem luminis naturalis in quæstionibus pertinentibus ad Deum, ad mundi novitatem vel æternitatem & similia, eosque ad pietatem dirigerent. Similiter ne permitterent fieri publicas disputationes de hujusmodi quæstionibus, neque etiam de rebus theologicis, quæ certè multum existimationis perdunt apud vulgus, sed privatim de his rebus fiant disputationes, † publicæ de aliis quæstionibus physicis. Idemque

* In cod. deest [publica].

† Id. publicè.

injungendum

injungendum esset omnibus aliis Episcopis maximè insignium civitatum, in quibus hujus generis disputationes fieri solent.

In impressione etiam librorum eadem adhibenda esset diligentia, scribendumque Principibus omnibus, ut caveant ne passim quivis libri in eorum ditione imprimantur: dandaque esset hujus rei cura ordinariis. Et quoniam pueris in ludis solent nunc legi Colloquia Erasmi, in quibus multa sunt quæ rudes animos informant ad impietatem, ideo eorum lectio in ludis literariis prohibenda esset, & siqua alia sunt hujus ordinis.

IV. Post hæc, quæ ad instituendos ministros tuos in hac universalis Ecclesiæ cura, & in ejus deinde administratione, spectare videntur, animadvertendum est, in gratiis, quæ fiunt à tua Beatitudine, præter priores abusus, alios quoque abusus introductos esse. Primus est in fratribus seu religiosis apostatis, qui post votum solemne à suâ religione recedunt, impetrantque ne teneantur gerere habitum sui ordinis, imò nec vestigium habitus, sed tantùm vestem honestam clericalem. Prætermittamus nunc de lucro: jam enim diximus in principio, non licere ex usu clavium & potestatis à Christo traditæ comparare sibi lucrum. Sed etiam ab hac gratia est abstinendum. Nam habitus est signum professionis, unde nec ab Episcopo potest dimitti, cui tenentur hi apostatæ. Ideo hæc gratia eis concedi non deberet. Nec etiam cum ipsi recesserint à voto, quo Deo se obligarant, eis permittatur, ut habeant beneficia, neque administrationes.

Alius abusus in quæstuariis Sancti Spiritus, sancti Antonii, aliisque hujus generis, qui decipiunt rusticos & simplices, eosque innumeris superstitionibus implicant: tollendos hos quæstuarios censemus.

Abusus alius in dispensatione cum constituto in sacris ordinibus, ut possit uxorem ducere. Hæc dispensatio non esset ulli danda, nisi pro conservatione populi cujuspiam vel gentis, ubi esset publica causa gravissima, præsertim his temporibus in quibus urgent Lutherani hanc rem maximè.

Abusus in dispensatione in nuptiis inter consanguineos seu affines. Certè in secundo gradu non putamus faciendam esse, nisi ob publicam causam gravem. In aliis verò gradibus, non nisi ob causam honestam & absque pecuniâ ut diximus, nisi jam prius conjuncti essent, ubi liceret pro absolutione à peccato jam perpetrato imponi mulcta pecuniaria post absolutionem, & deputari ad pios usus, in quibus facit Sanctitas tua impensas. Nam sicut ubi non est peccatum, in usu clavium, nihil exigi potest pecuniæ, ita ubi absolutio petitur à peccato, imponi mulcta pecuniaria potest & deputari ad pios usus.

Abusus alius in absolutione Simoniaci. Proh dolor quantum in Ecclesiâ Dei regnat hoc pestilens vitium! Adeò ut quidam non vereantur Simoniam committere, deinde confestim petunt absolutionem à pœna, imò eam emunt, sicque retinent beneficium quod emerunt. Non dicimus Sanctitatem tuam non posse pœnam illam, quæ est de jure positivo constituta, eis condonare, sed quòd nullo pacto debeat; ut tanto sceleri resistatur, quo nullum perniciosius nec magis scandalosum.

Licentia etiam testàndi clericis de bonis Ecclesiæ non esset danda nisi pro causa urgenti, ne bona pauperum converterentur in privatas delicias & amplificationes domorum. Confessionalia autem cum usu altaris portatilis non essent facilè danda: sic enim vilescunt Ecclesiasticæ res & * sacramentum omnium præcipuum.

Nec indulgentiæ item dandæ essent, nisi semel in anno in unaquaque insignium civitatum. Commutatio etiam votorum neque ita facilè facienda, neque commutanda, præterquam in æquivalens bonum.

Consuevere etiam mutari ultimæ voluntates testatorum, qui ad pias causas legant piam pecuniæ summam, quam autoritate Sanctitatis tuæ transferunt ad hæredem vel legatarium, ob prætensam paupertatem, &c. idque ob lucrum. Certè nisi facta sit magna mutatio in re familiari hæredis per obitum testatoris, ita quòd verisimile sit testatorem ob eam mutationem mutaturum fuisse voluntatem, voluntates testatorum mutari impium est. De lucro jam toties diximus quare putamus omnino abstinendum.

V. Omnibus in summa explicatis, quæ pertinent ad universalis Ecclesiæ Pontificem, quantum animo potuimus comprehendere, restat ut nonnulla dicamus, quæ pertinent ad Romanum Episcopum. Hæc Romana civitas & Ecclesia est mater & magistra aliarum Ecclesiarum. Ideò maximè in eâ vigere debet divinus cultus & morum honestas. Ideò (beatissime Pater) scandalizantur omnes exteri, qui ingrediuntur templum beatissimi Petri, ubi sacerdotes quidam sordidi, ignari, induti paramentis & vestibus quibus nec in sordidis ædibus honestè uti possent, Missas celebrant. Hoc magnum est omnibus scandalum: ideò injungendum est † Reverendissimo Archipresbytero, vel reverendo

* Par. Sacramentorum.

† Deest [Rev. Archipresb.] in Par. exemplari.

*—dissimo. Par. & Crash. verendo * Poenitentiario, ut hæc curent, & amoveant hoc scandalum, sicque in aliis Ecclesiis.

In hac etiam urbe meretrices ut matronæ incedunt per urbem, seu mulâ vehuntur, quas assectantur de media die nobiles familiares Cardinal. clericique. Nulla in urbe vidimus hanc corruptionem, præterquam in hac omnium exemplari: habitant etiam insignes ædes. Corrigendus etiam hic turpis abusus.

Sunt etiam in hac urbe privatorum civium odia & inimicitiæ, quas componere & cives conciliare præcipuè interest Episcopi. Ideò per Cardinales, † Romanòs præsertim, qui magis essent idonei, omnes hæ inimicitiæ componendæ essent, & civium animi conciliandi.

† quosdam. iid.

Sunt in hac urbe hospitalia, sunt pupilli, sunt viduæ: harum cura maximè pertinet ad Episcopum & ad principem. Ideò Sanctitas tua per Cardinales viros probos posset etiam commodè hæc omnia curare.

Hæc sunt, beatissime Pater, quæ in præsentia pro tenuitate ingenii nostri colligenda esse duximus, & quæ nobis corrigenda viderentur. Tu verò pro tua bonitate & sapientia omnia moderabere. Nos certè si non rei magnitudini, quæ nostras vires longè superat, conscientiæ tamen nostræ satisfecimus: non sine magna spe, ut sub te Principe videamus Ecclesiam Dei purgatam, formosam ut columbam, sibi concordem, in unum corpus consentientem, cum æterna sui nominis memoria. Sumpsisti tibi nomen Pauli, imitaberis (speramus) charitatem Pauli: electus fuit ille ut vas, quod deferret nomen Christi per gentes: te verò speramus electum, ut nomen jam Christi oblitum à gentibus & à nobis clericis, restituas in cordibus & in operibus nostris, ægritudines sanes, oves Christi in unum ovile reducas, amoveasque à nobis iram Dei, & ultionem eam quam meremur, jam paratam, jam cervicibus nostris imminentem.

Gaspar Cardin. Contarenus.
Joh. Petrus Card. Theatinus.
Jacobus Card. Sadoletus.
Reginaldus Card. Anglicus, cognom. Polus.
Fredericus Arch. Salernitanus.
Hieronymus Arch. Brundusinus.
Joh. Matthæus Episcopus Veronensis.
Gregorius Abbas Sancti Georgii Venet.
Frater Thomas magister sacri Palatii.

FINIS.

E. B. LECTORI SAL.

Extat præstantissima Joannis Sturmii Epistola, hisce Cardinalibus cæterisque Prælatis delectis missa, in libro quodam edito Francof. in quarto A. D. 1610 cui titulus est [Discursus epistolares politico-theologici, de statu reipublicæ Christianæ degenerantis, tum de reformandis moribus & abusibus Ecclesiæ, cum Christianissimi Galliarum Regis Francisci 1. & Cardinalis Sadoleti epistolis] de qua, sicut & de Sadoleti Card. responsione, &c. consulendus est Thraso ille Cochlæus fol. 312. libri sui de actis & scriptis Lutheri: compara autem tibi omnino, si possis, Discursus istos Epistolares, in quibus videbis multa quæ tibi placebunt maximé. Interea temporis, ut pergamus in opere nostro, liceat mihi ad institutum redire, unde me divertit aliquantum editio horum trium opusculorum, quæ in Binniana Conciliorum editione desiderari questus est Crashavius; nec minus omnes queri possumus abesse etiam ab eorundem editione Labbeana: quam spero ab aliquibus viris doctis & cordatis excussum iri & minutiùs examinatum aliquando, nequid lectoribus imponatur. Proximo igitur loco, exhibeo tibi par Epistolarum quæ notiores esse merentur quàm hodie sunt. Prima est Adriani quarti Pont. Rom. nostri conterranei, ad Fredericum Barbarossam Imperatorem, secunda Imperatoris ad illum. Non adeo ferax fuit Paparum Anglia: sed (quod nulla gens alia de se prædicare potest) Papam habuimus ex utroque sexu,

sexu, hunc Adrianum quartum & Johannam Papissam. Hanc enim olim fuisse magno errore in Pontificem evectam, sed majore, obstetricis operâ indigentem, tot & tanta testimonia perhibentur; ut quicquid dicat contrà Blondellus è nostris, à Card. Ricelio conductus, & Labbeus ex suis, nullus mihi videtur esse dubitandi locus; & id inprimis testata est facies hujus Joannæ inter cæteros Pontifices cælata ante aliquot secula in culmine Ecclesiæ Cathedralis Senensis, donec jussu Pontificis erasa est ista figura: & quanto hoc mirabilius est, tanto celebrior est gens nostra quæ talem peperit Papissam. Quàm fœlix autem faustumque fuisset, si (præsertim cum tanti momenti argumentum de successione Pontificum hinc pendeat) hæc papa fuisset saltem hermaphroditus? ut, cum tantum jactitent aliqui de Petro & petrâ, id in uno eâdemque homine reperirent. Adrianum nostratem quod attinet, ex hac ipsius epistola virum statim cognosces; præsertim si vel Nauclerum, in Generatione 39. vel Catalogum testium veritatis, lib. 14. vel Baleum in Adriani hujus vitâ, vel Jacobi Spigelii annotationes ad Ligurinum Guntheri (in quibus omnibus hæ extant Epistolæ) tibi adhibeas: nec mirare tantum pietatis esse in Imperatoris, tantumque fastûs in Pontificis literis: tunc temporis enim mirâ metamorphosi transierant Pontifices in Imperatores, & Imperatores in Pontifices, sine ulla transubstantiatione. Vale.

EPISTOLA ADRIANI QUARTI

Pont. Rom. ad Fredericum Barbarossam Imperatorem.

ADrianus Episcopus servus servorum Dei, Friderico Romano Imperatori salutem & apostolicam benedictionem.

Lex divina, sicut parentes honorantibus longævitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri sententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur, quià omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quapropter dilecte in Domino fili, super prudentia tua non mediocriter admiramur, quòd beato Petro & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non quantam deberes, exhibere reverentiam videris. In literis enim ad nos missis * nomen tuum nostro præponis: in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris. Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis à te promissa & jurata, quomodo eam observes, cum ab his qui dei sunt, & filii Excelsi omnes (episcopis videlicet) homagium requiris, fidelitatem exigis & manus eorum sacratas manibus tuis innectis; & manifestè factus nobis contrarius, Cardinalibus à latere nostro directis non solùm Ecclesias, sed & civitates regni tui claudis? resipisce ergo, resipisce, tibi consulimus, quia dum à nobis consecrationem & Coronam merueris, dum inconcessa captas, ne concessa perdas, nobilitati tuæ timemus.

* En modestiam Papæ!

RESPONSIO IMPERATORIS.

FRidericus Dei gratiâ Romanorum Imperator, semper Augustus, Adriano Ecclesiæ Catholicæ Pontifici, omnibus illis adhærere quæ cœpit Jesus facere & docere. Lex justitiæ unicuique quod suum est restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno nostro debitum exhibemus honorem, à quibus, videlicet progenitoribus nostris, & regni dignitatem suscepimus & Coronam. Nunquid tempore Constantini Silvester regalis aliquid habuisse dinoscitur? sed ejus pietatis concessione, libertas concessa est Ecclesiæ, pax restituta; & quicquid regalis papatus vester habere dinoscitur, largitione Principum obtinet. Unde cum Romano Pontifici scribimus, jure & ex antiquo nomen præponimus, & ad justitiæ normam eidem nobis scribenti concedimus. Revolvite annales: & si lectum neglexistis, quod asserimus, illic invenitur. Ab his autem qui * Dei sunt per adoptionem, & Regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus? cum ille noster & vester institutor, ab homine rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persolvit, & exemplum vobis dedit ut ita faciatis, docet vos, dicens, Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Aut igitur regalia nobis dimittant; aut si hæc utilia judicaverint, quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari persolvant. Cardinalibus utique vestris clausæ sunt Ecclesiæ, & non patent civitates; quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores: non orbis

† Al. dii.

orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores. Cum autem viderimus eos, quales requirit Ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate, necessariis stipendiis & commeatu eos sustentare non differemus. Humilitatis autem, quæ est custos virtutum, & mansuetudinis vestræ non minimam notam † incurritis, cum hujusmodi quæstiones, Religioni non multum conferentes, secularibus personis proponitis. Provideat itaque Paternitas vestra, ne dum talia movet quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis qui velut ad imbrem serotinum ori vestro aures suas arrigere festinant. Non enim non possumus respondere auditis, cum superbiæ detestabilem bestiam usque ad sedem Petri reptasse videmus. Paci Ecclesiæ bene semper providentes, bene semper valete.

† Inuritis, Catal. testium veritatis.



E. B. LECTORI S.

UTrum hæc, quæ sequuntur, Gravamina, extent impressa, necne, non novi ego, nec (quod longè amplius est) novit vir ille reverendus & eruditissimus antiquitatum indagator, Thomas Gale, S. T. P. & Scholæ Paulinæ Præceptor meritissimus, qui ea mecum amicissimè communicavit, transcripta ex Additamentis Manuscriptis antiquis Matthæi Paris in bibliotheca celeberrimâ Illustrissimi D. D. Johannis Cottoni (ubi sub figura Neronis D. I. delitescunt) Gravi hæc errore neglexit olim Willielmus Watts, editor ille doctus & industrius operum Matthæi-Paris: in quo fortasse sunt aliqua quæ lucem hisce gravaminibus afferent. Si fuerint antea excusa, dignissima reperies quæ recudantur; sin minus, habes thesauri primitias. Nuda omnino & inermia, qualia hic videntur, mihi obvenerunt, sine nomine Regis, Legati, Pontificisve, ad quem deferebantur: nec mihi jam in re tuâ & utilitate alias occupatissimo, per otium licet quærere ad quos spectant: ætatem verò quod attinet, esse ea 450 annis antiquiora certissimè deprehendes ex hac clausulâ [Certè non multum tempus elapsum est, ex quo Dominus Papa Alexander, persecutionis cogente incommodo, venit in Franciam, confugiens ad subsidium inclytæ recordationis Regis Ludovici, patris Regis Philippi, à quo benignè susceptus est, & stetit ibi diu, & fortè vivunt aliqui qui viderunt eum.] Accidit autem illa fuga Papæ Alexandri (sc. tertii) circa A. D. 1161. * & post moram quam in Gallia traxerat, excurrerant fortasse 40 aut 50 anni, quando aliqui tunc viventium quando hæc gravamina proposita sunt, vidissent Alexandrum. Frustra esset ex hujusmodi indiciis rem persequi, quæ innotescet multo melius ex historicis Gallicis; ad quos te remitto, solummodo obsecrans notare quantum mutantur Galli à majoribus suis, ex quo facti sunt Tridentino-Romani. Vale.

* Chronicon de Regib. Fran. ad finem Pauli Æmyl. Par. 1548.

Gravamina Ecclesiæ Gallicanæ.

DIcturus quod injunctum est mihi à Domino Rege Franciæ, veniam peto: Inprimis supplicans, ut non habeatur respectus ad personam loquentis, sed potius ad personam & auctoritatem illius qui me misit & venire fecit invitum. Dominus Rex jamdudum molestè sustinuit gravamina quæ inferuntur Ecclesiæ Gallicanæ; & per consequens sibi & Regno. Sed ne alii principes orbis terræ, ejus exemplo moverentur ad scandalum excitandum contra Ecclesiam Romanam, ipse sicut princeps Christianissimus & devotus Ecclesiæ, dissimulavit & siluit usque modò, credens, & expectans quòd ab hujusmodi gravaminibus desistere deberetis proprio motu, & etiam ad partes suas qui super hoc multoties rogavit vos. Nunc autem videns quòd per patientiam istam non proficiat, sed quotidie crescant gravamina; habita super hoc deliberatione & consilio diligenti, misit nos ad exponendum nobis super hoc libertatem suam & consilium suum. Sciatis igitur quòd ipse super gravaminibus istis quæ posita sunt hic, & super aliis quibusdam quæ facta sunt, & quæ fiunt, movetur multùm & miratur. Mirantur etiam & moventur Barones & omnes Regni proceres & Magnates non solùm quòd hæc fiunt, sed quòd Dominus Rex sustinet quòd hæc fiant: Immò quia ipse, ut verbis eorum utar, ita permittit destrui Regnum suum, sicut sui dixerunt ei nuper in colloquio apud † Rontilarem congregato: nec solùm moventur super his Dominus Rex & Magnates, sed etiam generaliter omne Regnum motum est & turbatum usque adeo, quòd devotio illa quam solebant habere ad Romanam Ecclesiam, jam quasi penitus est extincta,

tincta, & non solùm extincta, sed conversa in odium vehemens & rancorem vehementem. Et si sciretis quid quasi jam sentiunt homines, & quid dicunt & quomodo scandalizantur, vos certè doleretis; & dolendum est omnibus Christianis, & valdè timendum ne istud odium quod conceptum est contra vos, * & cordibus hominum fere omnium, possit parere aliquod grande monstrum. Parcite mihi quia non parco veritati. Et si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? Quid fiet in aliis Regionibus si in Regno Francorum, ubi solebant homines esse devotissimi, jam facti sunt omnes ferè schismatici, saltem corde. Nam de laicis non est dubium quòd ipsi non obediant Ecclesiæ nisi quantum hoc faciunt timore Regiæ potestatis. De clericis verò, scit Deus, & sciunt homines multi quo animo ipsi sustinent jugum istud; Et quia in magnâ fuerunt pace in libertate nutriti, multum odiosa est eis servitus ista; Et si quæratur, quid est in causâ quare sic scandalizantur homines, & quare sic fremuerunt gentes? Domine, dico vobis, salvâ pace vestra, quòd nova facitis super terram: Verè nova facitis & hactenus inaudita. Quoniam, ut de multis taceam, à seculo non est auditum quòd Ecclesia Romana pro quacunque necessitate subsidium † pecuniarum vel tributum de temporalibus suis exegerit ab Ecclesia Gallicana: tributum enim de temporalibus suis nemini etiam secundum jura Canonica, reddit Ecclesia nisi Regi, à quo temporalia habet, & ei subest in temporalibus suis: quæ jure humano, id est, jure Regio defenduntur. A seculo non est auditum quòd aliàs dictum fuerit verbum istud, Da mihi tantum, vel excommunico te. Mirabilis sententia! cujus effectū editum contra prolatores talis sententiæ verbum beatissimi patris nostri Gregorii denunciat invalidum esse, undecimâ quæstione, cum dicit ipse, Ligandi atque solvendi potestate se privat, qui eam pro suis voluntatibus & non subditorum * exercet. A seculo non est auditum quòd summi sacerdotes, & Apostolorum Successores, patres Apostolici Ordinis, sacri pontifices, & cæteri Ministri Ecclesiæ, talliati fuerint, qui modò per nuncios vestros talliantur sicut servi vel Judæi. Benedictus sit Dominus Jesus Christus qui * undecima Quæstione tertio C. sæpe † amborum in orbem terrarum mittens ad Evangelizandum Discipulos, misit eos sine argento, sine pecunia, sine virga, & ut incentiva litis & instrumenta exciperet ultionis: Egressi autem Discipuli in humilitate & paupertate spiritûs, plantaverunt Religionē Christianam; sed simul exortæ divitiæ suffocaverunt eam dando causam avaritiæ, multisque peccatis ex ea nascentibus, & scandalis infinitis. Magna fuit usque modò libertas Ecclesiæ, qua libertate liberavit nos Christus; & non solùm in isto tempore gratiæ, sed etiam temporibus Gentilium, ante adventum Christi, sacerdotes sacrificiorum ministri militiæ vacationem & omnium rerum immunitatem habebant. Vicesimâ tertiâ quæstione, VIII. C. † Quamvis etiam: nam cum tempore famis cunctorum Ægyptiorū terram sibi emeret Pharao atque suæ servituti cunctos subjiceret, sacerdotes nec possessionibus nec libertate nudavit, Domino extunc pronunciante in omni gente liberos esse oportere. Illo etiam tempore quo Julius Cæsar venit in Franciam, sicut dicit Julius Celsus in libro belli Gallici, Druidæ qui rebus divinis & sacrificiis præerant, à bello abesse consueverant, ut tributa dabant, militiæ vacationem & omnium rerum immunitatem habebant. Modò describuntur bona Ecclesiarum, & clerus describitur universus. Hæc descriptio prima & primò facta est à bonæ memoriæ Prænestino Episcopo, qui cum venisset Legatus in Franciam, recepit procurationes pecuniarias ab omnibus Ecclesiis Regni. Vocabat etiam secretò, & singillatim Episcopos & Abbates, & Priores, & alias Ecclesiasticas personas, & dicebat eis sic, Præcipio vobis in virtute obedientiæ, & sub pœnâ suspensionis, ne quod dicturus sim vobis, reveletis alicui, verbo vel facto, signo vel scripto; Quod si feceritis, sententiam Excommunicationis incurretis ipso facto. Postquam clauserat ita eorum ora, dicebat, Præcipio vobis quòd solvatis tantam summam pecuniæ ad opus Domini Papæ tali tempore, tali loco, alioquin, sciatis vos extunc excommunicationi subjacere. Hoc audito, vocavit eum Dominus Rex; & ne multis verbis immorer, noluit sustinere quòd sic ageret; & ipse Legatus permisit ei quòd de cætero cessaret ab hujusmodi, nec de cætero gravaret aliquos. Immò etiam omnes sententias quas propter hoc tulerat in quascunque personas revocavit ex toto: Sed quomodocunque super hoc, pactum servaverit Domino Regi, scitur pro certo quòd ipse multùm gravavit Ecclesias, & infinitam pecuniam sic fecit asportare de Regno. Hoc tamen non imponimus vobis, quia non factum fuit tempore vestro, sed nihilominus gravatum fuit Regnum, & Ecclesiæ damnificatæ. Postquam autem venistis ad partes istas, multi Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates ferè omnes de Regno servierunt vobis ex devotione sua, & bene fecerunt; sed præterea misisti Archipræsulem Larama qui accepit procurationes suas in omnibus Ecclesiis Regni; & simili modo cœpit agere, sicut fecerat Dominus Prænestinus; sed Dominus Rex non permisit, sed misit propter hoc ad vos, & tandem revocatis per vos coactionibus quas idem Archiptesbyter faciebat, Dominus Rex compatiens necessitatibus vestris pro cunctis prælatis,

* Fort. in.

† Fort. —arum.

* Deest [moribus.]

* Qualis hæc citatio rerum Evangelii, viderint alii; fortasse scribæ mendum est: quod citat autem Legatus, est S. Matt. 10. 9, 10. vel S. Marc. 6. 8.

Attende, Lector, & deplora istiusmodi tempora.

latis, abbatibus & nunciis capitulorum rogavit eos, ut ex mera liberalitate etiam Gallicana in subsidio concesso pro imperio Romaniæ, & iterum in subsidio decimæ concesso Domino Regi pro subsidio Terræ Sanctæ. * Nam licèt etiam Gallicana in hoc gravatam se non

* aliquid deest.

reputet, tamen Dominus Rex in hoc eam reputat multum esse gravatam, sicut multum gravata est revera. Item gravantur Ecclesiæ continuè & incessànter, & plusquam vos creditis, ut credimus, per nuncios vestros. Et licèt tales quandoque mittatis de quibus credibile videtur, quòd non debeant onerosi Ecclesiis esse, utpote Fratres minores, & hujusmodi; tamen sciatis pro certo, quòd onerosi sunt multùm, & multùm displiceret vobis, sicut credimus, si sciretis quomodo se habuerunt aliqui de ipsis, utpote de Fratre Petro de Morciel. † Hæc tacta Fratrum nomina quæcunque scire potuimus. Item gravantur Ecclesiæ in multis provisionibus & pensionibus multorum: consertis enim pro voluntate vestrâ domos & grangias & villas monachorum, utpote de Sancto Audoeno. Item gravantur Ecclesiæ in collatione beneficiorum & præbendarum multarum. Nam in qualibet Ecclesiâ, etiam in illis Ecclesiis quæ sunt speciales Ecclesiæ Domini Regis, utpote in Ecclesiâ Sancti Martini Turonensis & quibusdam aliis, contulistis multas præbendas & etiam non vacantes; & non solùm præbendas, sed etiam personatus vacaturos, quod omnibus videtur mirabile, cum nec sic factum fuerit usque modò; nec videatur juri vel rationi consonum, quòd sic fiat. Nam si prohibita est in jure, concessio beneficii non vacantis, ne desideret aliquis proximi sui mortem, licèt humano jure non sitis astricti, honestum est tamen vos pati legem quam tulistis, sicut ipse Dominus noster Jesus Christus qui nihil legi debebat, aliquibus tamen subjici voluerit legalibus institutis: nec decet vos alicui dare occasionem quòd desideret proximi sui mortem. Horrendum est in Ecclesia Dei spectaculum istud quòd viventes Canonici videant quotidie illos qui mortem eorum expectant, sicut corvi qui expectant cadavera. Quòd si hæc & alia quædam facitis de quadam plenitudine potestatis, restringenda est sub ratione potestatis & discretionis moderamine limitanda; nec litera, nec historia docet quòd talia facta fuerunt usque modò, nec in sacris Canonibus tale quid invenitur. Nam etsi prima sedes aliis præsit, & ad ipsam debeant * dubiè quos referri, non legitur tamen quòd prima sedes alias debeat spoliàre, vel eis auferre quod suum est. Nam & si ad sacros Canones recurramus, observandum est modis omnibus summis sacerdotibus, ut in confirmandis hominibus, in requirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi Dei, & in lucris animarum plusquam in deprædandis & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus operam dent. Et si quando eis ad peragendum ministerium suum à subditis autem fratribus aliquid accipiendum est, hoc summopere debent observare, nequando scandalizent aut gravent. Tanta enim in hac re discretio tenenda est, ut verbi Dei prædicator Prælàtus, si proprii sumptus desint, à fratribus accipiat, ita tamen quòd iidem Fràtres illius potentiâ non graventur, Apostoli Pauli exemplo, qui, nequem gravaret, arte & manibus * vitam quærebat. Certè non multum tempus elapsum est ex quo Dominus Papa Alexander, persecutionis cogente incommodo, venit in Franciam, confugiens ad subsidium inclytæ recordationis Regis Ludovici patris Regis Philippi, à quo benignè susceptus est, & stetit ibi diu, & fortè vivunt aliqui qui viderunt eum. Ipse tamen in nullo gravavit Ecclesiam Gallicanam, ut nec unam solam præbendam aut aliud beneficium ipse Papa dederit ibi; sed nec aliquis prædecessor suus, nec multi etiam de successoribus dederunt in sua authoritate beneficium aliquod usque ad tempus Domini Innocentii tertii, qui primus assumpsit sibi jus istud, in tempore suo revera dedit multas præbendas, & similiter post ipsum Dominus Honorius & Dominus Gregorius simili modo fecerunt: sed omnes prædecessores vestri, ut publicè dicitur, non dederunt tot beneficia quot vos solus dedistis isto modico tempore quo rexistis Ecclesiam vestram. Et si successor vester intantum excederet vos in hoc, sicut excessistis prædecessores vestros, certè ipse conferret * communia beneficia; & sic non restabit aliud consilium indigenis nostris nisi fugere aut fugare. Ecce quomodo paulatim accrevit vobis potestas ista quæ jam abiit in immensum; & propter hoc suspectæ sunt novitates in factis vestris quæ fecistis & vultis facere, & dicitis etiam quòd sic fuit multoties aliàs factum. Certè jam ad hoc devenit res quòd Episcopi non possunt providere Clericis suis literatis & honestis personis Diœcesiũ suarũ. Et in hoc etiã præjudicatur Domino Regi & omnibus Nobilibus regni, quorum filii & amici promoveri solebant in Ecclesiis, & per ipsos proficiebant Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus incrementis. Nunc autem, quia contra omne jus præferuntur extranei indigenis, & notis præferuntur ignoti, perit servitium Dei in Ecclesiis, immò de multis eorum ignoratur, utrum unquam nati fuerunt. Sed hoc vestri faciunt quòd nomine eorum bona Ecclesiarum asportantur de regno & in damnum Ecclesiarum & regni, & contra voluntatem eorum qui fundaverunt Ecclesias, & dederunt eis bona quæ habent, eâ intentione, ut

† sicut & illic.

* Fortè indubiè omnes

* Fortè victum

* fort. omnia

ut de ipsis alerentur ministri, qui ibi Domino Deo servirent, & siquid residuum esset, in usus pauperum converteretur, & in defensione Regis, si necesse esset. Ex istis tamen donationibus nihil adquiritur vobis vel Ecclesiæ Romanæ, nisi scandalum & odium, & aufertur vobis devotio subditorum. Nuncii verò de novo accesserunt, nova gravamina addentes supradictis: Nuper enim mandavistis Clericis, * & quia persecutor vester ad partes istas venturus est, mittam vobis militiam munitam ad resistendum ei, quia non est consilium cedere venienti: super quo satis excusabiles sunt Ecclesiæ, quia non habent militiam, nec est in potestate eorum mittere quod non habent. Quos etiam si haberent & mitterent, non esset tutum confidere de ipsis, nec scitur etiam de illo utrum venturus sit; qui etiamsi veniret, præferendum esset, ut videretur, consilio humano consilium Dei, qui dicit, Si persecuti fuerint vos in unam civitatem, fugite in aliam. Item magnum & novum subsidium modò petitis ab Ecclesiis per Fratres minores qui modò discurrunt per totum regnum, & intolerabiliter gravant Ecclesias multis modis & diversis; quod Dominus Prænestinus noluit facere, ipsi volunt palam facere. Sed * per Deum turpe esset Domino Regi sustinere de ipsis quod noluit sustinere de Domino Prænest. qui erat homo longè majoris authoritatis. Quidam enim ex eis in istis Ecclesiis Burgundiæ sic fecerunt, videlicet Frater Petrus de Moreis, & quidam alii venientes ad Ecclesias cathedrales vocabant in cap. Canonicos & Episcopos etiam, & dicebant sic, † Præcipimus vobis ex parte Domini Papæ, & in virtute obedientiæ ut infra quindenam Paschæ solvatis Domino Papæ septimam partem omnium Ecclesiasticorum proventuum vestrorum, alioquin excommunicamus vos. Et si aliqui contradixerint, privamus eos omnibus beneficiis suis; Et præcipimus Episcopo vestro sub poenâ excommunicationis, ut eadem beneficia conferat aliis personis. Sic fecerunt in † Masticen. † Ostili. † Eisven. & aliis multis Ecclesiis. In aliquibus etiam Ecclesiis ponebant etiam simili modo quintam. Præcipiunt etiam Episcopis, ut Ecclesiis suarum Dioecesium tam parochianis quàm aliis, imponant certam summam pecuniæ quam eis exprimunt, & præcipiunt eis ut subditos suos compellant per poenam excommunicationis ad solvendam summam illam. Idem etiam extenditur usque ad pauperrimas Moniales Cist. ordinis; sicut apparet per literas quas nobis misit Dominus Rex post recessum nostrum, quarum tenor hic est. Hæc ergo sunt gravamina quæ ad præsens inferuntur Ecclesiis regni, & hæc est causa quia fremuerunt gentes & scandalizatum est regnum, & fortè in proximo est, nisi Deus avertat, ut scandalizetur magis. Sed fortè dicet aliquis, quòd mirandum non est, sed propter hanc persecutionem vacat Ecclesia Romana, & necessitate compulsi facitis quod * aliàs facere non potuerunt: respondemus quòd multi alii prædecessores vestri eandem persecutionem passi sunt, qui tamen nil tale fecerunt. Nam si ad gesta Romanorum Pontificum recurramus, sicut in vestris scripta sunt registris & chronicis vestris, regnante in Francia Rege * Jodoco avo Regis Philippi, anno Incarnationis Domini M. C. xix. venit in Franciam Dominus Papa † Paschasius pro persecutione Imperatoris, qui eum Romæ in Ecclesia Sancti Petri cepit, unà cum multis Cardinalibus, & apud civitatem Castellonum longo tempore captum detinuit, & occupans totum patrimonium Romanæ Ecclesiæ, & eidem inferens multa mala; ipse tamen venerabilis prædictus Papa confugit in Franciam ad prædictum Regem Franciæ auxilium & consilium petiturus ab ipso, qui apud Sanctum Dionysium, & apud Trecas novum concilium celebravit: tandem redditâ pace Ecclesiæ versus est ad sedem suam. Nihil tamen fecit de his quæ modò videmus fieri; defuncto eodem summo Pontifice Paschasio, Johannes Caitonus Cancellarius canonicè electus est in summum Pontificem, & Gelasius est appellatus; sed quoniam electio facta de ipso non placuit prædicto Imperatori Henrico, ipse, favente sibi populo Romano, instituit in sedem Apostolicam quendam nomine Birurdinum, qui Archiepiscopus Bracan. propter quod idem Papa Gelasius à sede Apostolicâ depulsus, venit in Franciam confugiens ad Regem prædictum, qui cum applicuisset Magalomam, & aliquandiu ibi moram fecisset, accepto itinere versus * Unciliacum, ubi debebat ei occurrere Rex prædictus, mortuus est in via, & apud Duscanum sepultus; cum quidam ad ejus exequias vicinarum urbium Episcopi convenissent, affuit ibidem cum aliis vir sanguine generosus, & prædictum Dominum Regem linea consanguinitatis attingens Guido Viennensis Archiepiscopus, quem pensato statu Ecclesiæ, Cardinales & ipsi qui aderant, in summum Pontificem concorditer elegerunt, & vocavit eum Calixtum, qui statim venit ad Regem prædictum, à quo honorificè susceptus est; & cum aliquandiu stetisset in Francia, & idem Rex multum laborasset ad pacem inter ipsum & Imperatorem prædictum, nec tamen profecisset; tandem Subvicarius ipsius Regis Rhemis perveniens celebravit ibi Concilium, & excommunicavit Imperatorem prædictum, ex quo secuta est magna guerra, sed in omnibus his prædictis, Gelasius & Calixtus nullum gravamen intulisse leguntur Ecclesiæ Gallicanæ. Postea etiam

* Fortè, ut quia persecutor vester &c.—est, mittant.

* Iracundus est Legatus, ut patet ista iuratione; sed valde provocatur.

† Tempus est loquendi asperè, cum tales homunciones tam imperiosè se gerant coram Episcopis, &c. gladius iste non fidendus est in stultorum & furentium monachorum manibus.

* fort. alii.

* Is Erat Ludovicus Crassus.

† Debet esse Paschalis (sc. II.) vide autem Metrop. urb. historiam Cantelii Par. 1685. pag. 236. ubi rectius hæc fortasse calculantur.

* Fortè Cluniacum.

 ejusdem

† forte deest [sub]

ejusdem Regis tempore, decedente summo Pontifice † Henrico secundo, orto in Ecclesia periculoso schismate super electione duorum, videlicet Gregorii Diaconi Sancti Angeli & Petri Leonis Presbyteri Cardinalis tituli Sancti Marci, pars ejusdem Petri prævaluisset in urbe, idem Gregorius qui mutato nomine dictus est Innocentius. * venit in Franciam confugiens ad Regem prædictum, qui eum benignè suscepit, & ejus exemplo, Rex Angliæ Henricus & omnes Magnates regni, sed & tota Cismontana Ecclesia eum in summum Pontificem honoraverunt. Ipse diu stetit in Francia, & tandem filium ejusdem Regis Lodovicum patrem Regis Philippi Rhemis coronavit in Regem. Nullum tamen gravamen intulit Ecclesiæ Gallicanæ. Postmodum tempore ejusdem Regis, qui & Octavianus vocatus, idem venerabilis Papa venit in Franciam, & à dicto Rege L. & exemplo ejus, ab omnibus Principibus & Ecclesiis Occidentalium regionum honorificè susceptus est, & moram ibi fecit diu, tamen nec ipse nec alii sancti viri summi Pontifices superiùs nominati, qui ad regnum Franciæ, compellente magnâ persecutionis rabie, confugerunt, in aliquo gravaverunt Ecclesiam Gallicanam, nec dando beneficia, nec petendo subsidium pecuniæ vel armorum, sed spiritualibus armis, scilicet lachrymis & orationibus quæ sunt arma ministrorum Christi, maluerunt esse contenti, quam violata pace Ecclesiæ miscere se in strages hominum & in mortes, quod facere non licet sacerdotibus & ministris Christi; juxta verbum beati Gregorii qui dicit, Si in mortem Longobardorum me voluissem miscere, Regem nec Ducem modò haberent, &c. Sed forte * dixit aliquis mihi: Isti summi Pontifices, de quibus mentionem fecistis, potestatem habuerunt conferendi præbendas, & faciendi omnia quæ nunc fiunt, sed non fecerunt, quia noluerunt. Respondeo, Domine, possetis & vos sicut & ipsi potuerunt; dum tamen non faciatis sicut nec illi fecerunt. Restringenda sunt sub ratione potestatis, quia certè non est modò magis tempus opportunum ad faciendum talia quàm tunc erat: immò longe pejora sunt tempora quàm tunc erant, & longè magis turbata est Christianitas tota. Pro Deo non turbetur magis: sanguinem enim elicit qui nimis emungit. Nunc itaque veniamus ad propositum nostrum. Dominus Rex cujus Antecessores fundaverunt Ecclesias Regni, & de bonis suis eas dotaverunt, specialiter pro divini cultûs obsequio idem honorificè faciendo, hoc proprium & speciale sibi & hæredibus suis retinuerunt, & semper habuerunt in eisdem Ecclesiis quæ tenent de ipsis temporalia sua bona, quando temporalia Ecclesiarum jure habendo, id est, jure Regio possidentur, quod præter spiritualia quæ tam & magna servitia ad quæ Domino Regi tenentur, istud etiam Juris habet quòd omnes Ecclesiarum thesauros & omnia temporalia ipsorum pro sua, & pro sui Regni necessitate potest accipere, sicut sua. Quòd si objiciat aliquis principem secularem vel laicum servitia canonica non posse sibi vendicare jus istud in rebus Ecclesiarum: Respondemus, quòd longe magis & majus speciale fuit illud quod Carolus magnus, & multi Reges Francorum post ipsum obtinuerant, sicut expressè * dent Canones, videlicet potestatem eligendi † summum Pontificem, & ordinandi sedem apostolicam, & ut omnes Archiepiscopi, & Episcopi investituram acciperent per eandem. Et non est multum temporis quod Reges Franciæ conferebant omnes Episcopatus in Camera sua, quibus, etsi quoad quædam renunciaverant propter Deum, tamen non renunciaverunt Reges Franciæ multis aliis quæ nunc non habent in Ecclesiis, sicut Principes & alii Ecclesiarum patroni & quæ eis Ecclesiæ consensus contulit, sed & longævus usus & prisca consuetudo concessit. In hoc ergo quod taliter & ita intolerabiliter modo de novo gravantur Ecclesiæ, videmus damnum magnum & multiplex præjudicium fieri sibi & Regno suo, & magis etiam incommodum parari posteritati suæ, postmodum hoc quod bona Ecclesiarum convertuntur in alios usus quàm illos pro quibus data fuerunt Ecclesiis. Item per hæc jam diminutus est & magis timet diminui & perire cultus divini servitii in Ecclesiis Regni, quod non vult Dominus Rex diebus suis minui sed augeri. Item quod in depauperatione Ecclesiarum depauperatur Regnum; Quia dum bona Ecclesiarum sic asportantur de Regno, spoliatur Regnum, & de spoliis ejus extranei ditantur. Item quòd novus est iste modus exigendi pecuniam usque ad tempora ista; unde quia posset trahi ad consequentiam, & converti in consuetudinem valdè perniciosam, non vult quod ista servitus temporibus suis imponatur Ecclesiis Regni, & per consequens Regno suo. Item & per hujus onera sic possent ex toto gravari Ecclesiæ quæ jam valdè gravatæ sunt, & solito pauperiores effectæ, quod non possunt reddere eis servitia ad quæ sibi tenentur, quæ multa sunt & magna. Item quia sicut dum tolluntur Ecclesiarum temporalia, non minus læditur Regnum quàm si de proprio thesauro Domini Regis tollerentur, cum in casu necessario thesauri Ecclesiarum sui sint & in casu illo possit uti illis ut suis. Præterea quia Dominus

Margin notes:

* Vide authorem novissimè citatum, edd. pag.

☞

* fort. dicet

claudicat exemplar.

Attende.

* Fort. docent.

† Vide cap. 13. Replicationis Goldasti contra Gretserum pro Cæsar. &c. (edit. Hanov. 1611.) situtus esse velis à Baronii &c. papicolarum fraudibus & insidiis, qui Can Dist. 63. [Adrianus papa Romam, &c.] oppugnant, quia veridicus est.

☞

Dominus Rex Cruce signatus est, & in Terram sanctam profecturus est, vult, sicut & velle debet, quòd Ecclesiæ Regni largè subveniant ei sicut patrono suo, in Peregrinationem, & nihilominus habeant unde ipsi possint in defensione Regni sui, si necesse fuerit, sumptus facere sicut debet. Item significat vobis Dominus Rex, de quo indubitanter sciatis, quòd ipse vos sincerâ affectione diligit, & multum compatitur necessitatibus vestris, sed quantumcunque vos diligat, non potest sibi deesse quin pro posse suo servet statum, libertates & consuetudines Regni, sibi à Domino-Deo commissi, ubi in magna nobilitate, & magna libertate, & pace fuit Ecclesia usque ad tempus suum, & tempore suo, & usque ad tempus modernum; Propter ergo præmissas causas, & quasdam alias quas exprimere modò nolumus, rogat vos affectuosissimè Dominus Rex, sicut patrem in Christo charissimum, & attentè requirit propter honorem Dei & vestri & Ecclesiæ Romanæ, pro tollendo scandalo de cordibus multorum, & servanda & retinenda devotione Ecclesiæ Gallicanæ & Regni, & propter amorem Domini Regis, ut præmissis gravaminibus quæ ipse nullo modo potest æquo animo sustinere, quia in his videt exhæredationem suam, & intolerabile periculum imminere, de cætero parcatis Ecclesiis & ab hujusmodi cessare velitis, & quæ de novo facta sunt revocare. Nam infiniti propter hoc excommunicati sunt & suspensi.

FINIS.

OPUSCULA QUÆDAM

Reverendi in Christo Patris Roberti Grosseteſt Episcopi Lincolnienſis, ante 450 annos.

Nunc primùm ex MSS. antiquis in lucem edita, operâ E. B. A. M. & Aulæ Clarenſis in Cantabrigiâ nuper Socii.

VIZ.

1. *Sermo propoſitus Lugduni coram Innocentio quarto Pont. & Cardinalibus A. D.* 1250.
2. *Sermo ad Clerum, ſuper Sapient.* 6 26. *Rex ſapiens ſtabilimentum eſt populi ſui.*
3. *Sermo alius ad Clerum, ſuper S. Johan.* 10. 11. *Ego ſum paſtor bonus.*
4. *Alius ad clerum, contra paſtores & prælatos malos, ſuper Ezech.* 34. *v.* 2, 3, 4. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos, &c.*
5. *Alius ad ſacerdotes in Synodo; de hoc verbo, Gen.* 1. 17. *Poſuit ſtellas in firmamento cœli.*
6. *Alius in celebratione ordinum, de hoc verbo S. Luc.* 12. 35. *ſint lumbi veſtri præcincti, &c.*
7. *Alius de bono judice; ſuper Pſal.* 57. 1. *Rectè judicate filii hominum.*
8. *Tractatus de prophetis veris & falſis.*
9. *Alius de fide & ejus articulis.*
10. *Alius de gratia & juſtificatione.*
11. *Alius de Oratione.*
12. *Alii de ſuperbia, detractione & humilitate.*

Quibus ſubnectuntur Epiſtolæ aliquot ejuſdem hactenus ineditæ, unà cum literis Innocentii quarti de promovendo quodam puero Italo in Canonicum Eccleſiæ Lincolnienſis, necnon reſponſione hujus Epiſcopi ad eaſdem, & ſummâ controverſiæ inter utrumque ortæ, ex Matthæo Paris aliiſque hiſtoricis deſumptâ; Conſtitutionibus item Epiſcopalibus ejuſdem Roberti: quorum omnium ratio in ſequenti ad Lectorem præfatione exhibetur.

Lectori benevolo Salutem.

POST ſeculum obſcurum (nigro propterea à viris doctis carbone notatum) quod neque rerum geſtarum neque hominum doctrinâ pietateve inſignium claritudine excelluit, emerſit aliud aliquanto illuſtrius, ſed quod fæces ſuperioris ſeculi craſſiores & crudiores nondum ejecerat. Poſt ſeculum indoctum, inſanâ ſuperſtitione & bonarum literarum interitu & deſpectu obrutum, reſpirare viſa eſt politior literatura, & ubique gentium floruerunt viri magni & novo ornatu exculti, majorum inſcitiam commiſerantes ſimul & ridentes: quaſi rerum temporumque viciſſitudine certâ, lux tenebras, & ignorantiam doctrina, quodam quaſi jure exciperent; &, quod his longè majus eſt, morum probitas & honeſtas vitæ (quæ bonarum literarum fortunam ſemper ſecutæ ſunt & ſequentur) turpitudinem & flagitia pudefecerunt. Sed ſeculum illud ſomnolentum quo zizania primùm ſeminata ſunt & creverunt (Deus bone!) quando mutabitur in melius? hoc cæteris fuit diuturnius, altius egit radices, & comate prorſus corripitur. Quantumvis ei in aurem intonuerunt hic illic viri ſancti, ſtertit ſecurum, nulliſque cedit clamoribus, vixque expergefiet donec labaſcentis mundi fragor ſtuporem & ſurditatem excuſſerit. Diu laboravit hoc morbo orbis Chriſtianus, ſed culpâ ſuâ. Medicus enim & medicina ad manum ſemper ſunt; ſed renituntur curandi; quaſi ad ipſiſſimum Judaicæ Eccleſiæ exemplum, unicum Dei cultum in ceremoniis innumeris & futilibus collocantis, & Templi ſanctitate & Pontificum infallibilitate nixæ, Eccleſia quoque Chriſtiana peſſum

ſum itura eſſet & ruitura: Quod ut vivus olim doluit ſanctus hic Epiſcopus (cujus ſcripta aliquot nunc in lucem profero) ſtatûs Eccleſiæ ſui temporis callentiſſimus & futuri præſagus: ita multò doleret magis ſi huc rediret & Eccleſiam ſuam ſpectaret: imò, niſi valdè fallebatur, dum in vivis ageret, in ſententiâ ſua de ſtatu animarum ſanctarum poſt mortem, indolet adhuc rebus humanis; gaudetque fortaſſe me è tenebris, ubi per tot ſecula jacuerant incognita, hæc ſua curâre protrahenda. In illius gratiam ego quidem quidvis facerem, niſi hoc, [ſancte Roberte ora pro nobis] non quòd Pontifex Romanus eum noluerit, ad preces Cleri Oxonienſis, in ſanctorum numerum referre, (hoc enim perinde mihi eſt) ſed quòd credam ipſi Epiſcopo inter Cœlites agenti (velit nolit Papa) ſatisfactum eſſe jamdiu, nihil omnino valere iſtiuſmodi compellationes; ſicut & in multis aliis, in quibus iſtius ætatis (non admodum luculentæ nec bonæ) præjudicia cum cæteris hauſerat, multo melius edoctum eſſe illum credo, quàm docuit vivus. In re Euchariſticâ (quid enim diſſimulem?) purgatorio, ſacramentorum numero, invocatione ſanctorum, meritis & ſatisfactionibus (licet valdè cautè, & ſalvâ ſemper fide evangelicâ) ſanctitate ſedis Romanæ & pontificum poteſtate (non autem infrænatâ illâ & immensâ quam ſuper ſydera hodie evehunt iſtius Curiæ ſatellites & emiſſarii) aliiſque fortaſſè articulis, in quibus minus verſor, totus eſt contra nos, i.e. Eccleſiæ Anglicanæ reformatæ dogmata: ſed præterquam quòd melius in cœlo ſapere exiſtimetur, quàm indutus fragilitate humanâ, & caliginoſi temporis errore præreptus, olim ſapiebat; certus ſum Romam de hoc Roberto Lincolnienſi (qui malleus Romanorum audiebat) nunquam eſſe gloriaturam: bene habet: cum illi ſanctis ſuis veris non favebunt, tuebimur nos, qui bonitatem & virtutem & veritatem non ex Lesbia quadam regulâ hujus vel illius partis hominum, ſed ex ipsâ bonitate & virtute & veritate metimur. Res inſignis eſt & nequaquam prætereunda, memoriam hujus viri tamdiu duraſſe fragrantem, cum tam pauca illius opera, eaque minoris notæ, & minus obviè, extent. Indicat hoc longævitatem famæ & memoriæ juſti (quam Pſaltes Regius Pſ. 111. 7. dicit perennem & æternam fore) & videtur viros veritatis ſtudioſos provocare ut quæ ille cum tanto ſpiritu & labore vivus ſcripſerat, diligenter inquirerentur & publici juris fiant. Quantæ quiſquiliæ hominum nauci officinas bibliopolarum & bibliothecas etiam doctorum hominum onerant; cum his longè utiliora ſcripta in carceribus & tenebris detinentur, præ ignaviâ hominum qui eorum editioni nullam movent manum? Hinc interciderunt multa veterum monumenta, quæ quovis auro, ſi fieri poſſet, eſſent redimenda: multa jacent oblita & neglecta præ iſtâ ſegnitie hominum nunquam retroſpicientium ad præterita, ſed illo quo vivunt ſeculo contentorum, mordeantur licèt ad vivum iſto Ciceronis dicto in Oratore, Neſcire quid antea quàm natus ſis, acciderit, id eſt, ſemper eſſe puerum: Multa nobis injuriâ temporum, multa furum rapinis perierunt: idque in maximum Eccleſiæ & reipublicæ literariæ detrimentum. Jamdiu fuerunt aliqui qui ſcripta antiqua contra ſe facientia non aliter in lucem edunt, quàm flammis ea devovendo; ne teſtimonia contra ſe perhiberent: mortui non mordent; & libri ſuppreſſi, lacerati aut exuſti parem ſortem obtinent nequid prodant adverſarios: & quæ non poſſunt iſti penitus è medio tollere, corrumpunt, novumque iis ſenſum ſufferciunt & affingunt, adeo ut Roma hodierna antiquæ non eſt diſſimilior, quàm † ſententiæ aliquot Patrum, hodie extantes, iis quas olim ipſi deſcripſerunt: id quod multoties à noſtris & ab exteris viris doctiſſimis ad eorum uſque faciem demonſtratum eſt. Multa ſcripta egregia longâ vetuſtate obruta deliteſcunt quaſi in fundo antiquitatis; quibus nihil deeſt ut proſint mundo, niſi urinantium & expiſcatorum dexteritas & peritia, ut è tenebris eruantur & à blattarum tinearumque conſortio (cui minimè ſunt deſtinata ab authoribus) liberentur; haud aliter quàm theſaurus ille Indicus in Occidentali Oceano demerſus, poſt quadraginta annos à nautis noſtris Anglicis & artificibus nuper extrahebatur. Quid ex hoc vetuſtatis fundo extrahi poſſit, ſi quis rem ſeriò aggredi velit, præſens ſpecimen Opuſculorum Groſſeteſtianorum docebit. Præſertim ſermo ille Venerabilis & ſancti viri (ut paſſim in MSS. vocatur) coram Papâ Lugduni habitus: quem deſcripſi ab exemplari quodam vetuſto, dato mihi in eam rem mutuò à Reverendo & pio Dom. D. Simone Patricio, Decano Petriburgenſi, & ad aliud, tranſmiſſum mihi (cum veniâ Illuſtris & Ornatiſſimi viri D. Johannis Mountagu, Collegii SS. Trin. Præfecti & Academiæ Cantabrigienſis Procancellarii, cujus benignitati potior pars ſpeciminis hujus accepta referenda eſt) è bibliothecâ Coll. Trin. à M. Johanne Laughtono ejuſdem Collegii ſocio, Bibliothecæ publicæ Cuſtode doctiſſimo, diligenter contuli; cujus

† Vide de hac re Johan. Brunſmanni Epiſtolam ad Nicolaum Stenonium ex Medico Proteſt. factum Epiſcopum Titiopolitanum Papiſt. Hauniæ 1680. pag. 112. &c. Sed ſi poſſis quocunque modo compara tibi Julium Clementem (hominem Pontificium) de lectione authorum; hæc omnia liberè fatentem, ut ibidem: qui ideo fortaſſe hoc idem cum aliis fatum ſortitus eſt.

cujus collationis varietatem reperis in margine, cum notulis quibuſdam meis ad memorabiliora appoſitis. Hunc ipſum ſermonem ex hoc fundo extraxerat * Thomas James, indefeſſus ille reipublicæ literariæ ſervus & bibliothecæ Bodleianæ cuſtos & excuſſor egregius, ante 90 fere annos; & ad duo itidem exemplaria contulerat: ſed, neſcio quo fato, intercidit illius viri collectio, quaſi piſcis ad aquarum uſque ſuperficiem extractus, ſed hamo deinde ſolutus in profundum rediit è piſcatoris manibus elapſus. Hinc noſtrum Capitonem, quem amiſit ille, cepi ego; & tibi, Lector, pro deliciis ſiſto: facilior mihi fuit captu quàm olim viro illi docto (non enim calamum, ſed annulum piſcatoris tandem horruit) fortaſſe quia ejus tempora non tali indigebant cibo quali noſtra: ſed utut eſt, proſit tibi legenti & digerenti. Reliqua ejuſdem viri magni opera ex hiſce duobus Manuſcriptis decerpſi: Sermones & tractatus extant bini in Codice illo Collegii Trinitatis, in quo vocantur Dicta Lincolnienſis: exemplar autem primum altero eſt perfectius: in hoc enim ſunt ſolummodo Dicta 147. quæ in calce iſtius libri dicuntur fuiſſe partim brevia verba, quæ dum in ſcholis morabatur, ſcripſit breviter & incompoſito ſermone, quædam verò ſermones, quos eodem tempore ad Clerum fecit; unde ego dedi illis nomen ſermonum. In altero verò ſunt 166 Dicta; inter quæ eſt ejus liber de Confeſſione, de Templo, aliique tractatus, qui in alia parte ejuſdem codicis dicuntur ſermones, qui numero ſunt 11. quorum hic ad Papam eſt quartus. Utrumque dictorum exemplar (quæ commodiſſimè in hoc uno volumine compinguntur, ut alterum alterum adjuvet) manu antiqua & obſoleta ſcriptum eſt, fortaſſe ante 400 annos: in revolvendo hoc libro MS. deprehendi magnam injuriam factam eſſe huic Epiſcopo in editione libri ſui De ceſſatione Legalium, factâ hic Londini A. D. 1658. à viro neſcio quo (docto tamen & probo) in gratiam D. Matthæi Hale, cui Joh. Seldenus legaverat, quaſi quendam theſaurum, illum librum Manuſcriptum. Mirum autem eſt, potuiſſe hoc Seldenum ipſa antiquitatis viſcera ſcrutantem, & D. Matth. Hale, Judicem pium & literatiſſimum, illumque editorem latere, librum illum fuiſſe imperfectiſſimum; ſed magis mirum id à nemine alio ab illo tempore deprehendi. Illa quæ extat pars operis De ceſſatione Legalium vix tertia pars eſt operis integri, quod hic extat in hoc volumine: quod enim impreſſum eſt, continetur in 14 foliis in fol. illius libri: quod verò reſtat ineditum, continetur in 23. unde conſtat, quaſi duas tertias partes integri tractatus (qui quædam eſt demonſtratio eximia veritatis Religionis Chriſtianæ) nondum vidiſſe lucem: qui ſi unquam ederetur, omnino præire debet, in uno eodemque volumine, Tractatum alium ejuſdem viri de decem præceptis Decalogi, qui jure eum ſequi debet, ut hîc: hic enim ab illo pendet. Pollicetur quidem editor in præfatione librum integrum hiſce verbis [per tot tamen ſecula non id infortunii paſſus eſt, annoſis ſtatuis ſolenne, ut ex dimidio nobis vel mancus accedat; ex omni parte integer eſt & archetypus] ſcripſit hic bonus vir quantum novit; aliàs autem rem habere, facilè deprehendes ex hac totius libri ſummâ, in calce hujus Manuſcripti addita, quam, ut provocetur aliquis ad inquirendum alia exemplaria, hic adjicere libuit.

* Vide Eclogam Oxonio-Cantabrigienſem pag. 143. primæ partis: ubi incitat viros doctos ad editionem operum hujuſce Epiſcopi inter alios; quaſi digniſſimorum luce; in hoc autem hallucinatur, quòd ait Malmesburienſem, epiſcopum noſtrum vocare Malleum Romanorum: id illi per lapſum memoriæ excidit: Matth. Paris, non Malmesburienſis, ſic illum vocat.

In hac diſputatione ſunt 5 partes. In prima determinat hanc quæſtionem ſc. utrum tempore Gratiæ obſervanda ſint legalia præcepta cum evangelio, vel non. In ſecunda oſtendit quòd ille Propheta, quem venturum prophetabant patriarchæ & prophetæ, in quo benedicendæ ſunt omnes gentes, &c. ſit ille homo qui dictus eſt Jeſus Chriſtus, filius Mariæ Virginis, & hoc authoritate veteris teſtamenti, in quo tam copioſè promittitur, & toties præfiguratur. In tertia nititur oſtendere ea quæ in ſecunda oſtendit authoritate ſcripturæ, per rationes idem convincentes, ſuppoſita veritate Evangelicæ hiſtoriæ. In quarta oſtendit legales obſervantias mortuas eſſe in inſtanti mortis Chriſti. In quinta determinat hanc quæſtionem, Utrum præcepta moralia, ſc. decalogus, debeat obſervari tempore gratiæ & quomodo ſpirituales in tempore Legis tenebantur obſervare ceremonialia.

In prima particula quatuor facit: Primò opponit contra quæſtionem. Secundò antequam ſolvat, præmittit quædam quæ valent ad ſolutionem quæſtionis illius. Et hoc facit à prima quæſtione notata in margine, uſque ad ſecundam quæſtionem excluſivè. Tertio ſolvit oppoſitiones in principio factas, Quarto confirmat ſummam ſuæ ſolutionis auctoritate veteris Teſtamenti & novi & ſanctorum expoſitorum ſacræ ſcripturæ.

In ſecunda particula ſex facit. Primò ſc. oſtendit quòd ille promiſſus fuit Deus & homo. Secundò, quòd naſciturus de Virgine. Tertiò quod perfectus futurus erat ab initio in ſapientia. Quartò quòd naſciturus erat in Bethleem Judæ. Quintò quòd per extremam pœnam & vilitatem liberaturus erat nos. Sextò, quòd in fine temporum ſc. eo tempore quo fuit Jeſus Chriſtus filius Mariæ Virginis, impleta ſunt omnia prædicta, & quòd in ipſo ſunt impleta.

In

In tertia particula sex facit. Primò disputat hanc quæstionem: sc. an Filius Dei fuisset incarnatus, licet homo non peccasset: sed non solvit eam. Secundò, quòd natus est de virgine. Tertiò, quòd natus est in Judea. Quartò, quòd in sexto millennario annorum ab initio mundi. Quintò quòd non possunt plures esse Christi per plurium personarum assumptionem. Sextò, quòd Dominus Jesus Christus, Filius Mariæ Virginis, fuit Deus & Homo, supposita veritate Evangelicæ historiæ; quod ostendit per opera quæ ipse fecit in terra secundum quod testatur Evangelica historia.

In quartâ particula duo facit. Primò ostendit legales observantias vivere vita piæ significationis & debita observationis à populo Dei usque ad tempus nativitatis Johannis Baptistæ; & extunc inceperunt mori quoad hanc vitam: Sed non subitò; imò paulatim usque ad mortem Christi; ita quòd tunc plenè mortua sunt omnino. Secundò ostendit concordiam sanctorum super hoc, quòd extunc mortua fuerunt, nec usque ultra, nisi perniciosè, coli potuerunt, secundum quod prius; tum tanquam mortua, ad tempus honestè tractari & sic quasi sepeliri debuerunt.

In quinta particula tria facit. Primò opponit contra quæstionem oppositam de præceptis moralibus. Secundò solvit quæstionem illam. Tertiò spirituales viros qui fuerunt tempore legis, fuisse filios gratiæ; & quomodo fuerunt debitores tam ceremonialium quàm moralium præceptorum Legis.

In prima parte istarum quinque partium extrahuntur 11. quæstiones quarum qualibet sufficienter ostenditur in litera. Sed quædam illarum sunt principaliter ostensa: quædam verò propter principales ostendendas sunt probata: quedam verò quasi corollaria ex his & illis relinquuntur: manifesta tamen earum † elevantiam inter alias connumerantur.

In secunda parte ostenduntur ex litera vet. Testamenti septem quæstiones: sed septima est principaliter intenta & quasi infertur ex aliis sex prius ostensis.

In quarta ostenduntur 17 quæstiones; sed duæ sunt principales, sc. septima & decima septima: gratiâ septimæ præmittuntur sex præcedentes; gratia decimæseptimæ, omnes aliæ.

In quinta ostenduntur 15 quæstiones: quarum prima est principalis; & aliæ ortum habent ex ea; sed quædam immediatè, quædam mediantibus aliis. Et eliciuntur fere omnes istæ quæstiones ex solutionibus quæstionum quas ponit & solvit, vel per causas veras & necessario quæstiones illas probantes, vel per rationes alias etiam necessario inferentes eas; unde præter ea quæ in hac totali disputatione de Legalium cessatione possunt sciri & probari tum per oppositiones, tum per solutiones, tum per auctoritates sanctorum insertas, in hac ipsa disputatione, in universo secundum quod hic numerantur & in ipsa disputatione signantur, sunt 164. quæ rationibus infallibilibus efficaciter probantur.

Et postea sunt hæc verba eadem manu.——

Explicit tractatus Lincoln. de cessatione legalium.

Quem immediatè excipit tractatus ejusdem de decem præceptis decalogi, satis prolixus; qui eundem subsequi omnino deberet, quia ad eundem pertinet.

Ubi autem legitur in calce libri excusi [& hic terminum hujus tractatûs statuamus]. in MS est [*& hic terminum hujus particulæ statuamus.*]

Hinc cuilibet abunde satisfiet de libri impressi defectu, si capita Manuscripti cum illo conferat; necnon de reliquæ partis adhuc imprimendæ usu & præstantiâ.

Varia ex historicis nostris testimonia, eaque insignia, de hoc Episcopo celeberrimo congessit, editionique istius opusculi imperfecti inseruit vir ille doctus qui illi præfuit: & ex iis constat liquidò, quantus hic vir fuit, quot & quanta scripsit, quantam de eo opinionem conceperunt omnes. Illius scripta confusè admodum numerantur à Baleo, Centuriatoribus, Oudino, Pitseo, &c. (Pitseo præsertim, qui unum idemque opus subinde diverso nomine recenset, quasi opera diversa) ex pessimo autem eorum catalogo videre est viri studiosissimi argumentum, sc. multa volumina in omni præstantiorum literarum genere conscripta; eaque (quantum fas est ex lectis conjicere) miro judicii & ingenii acumine, supra illam, qua vixit, ætatem, contexta & elaborata: quorum satis magnam habemus hic in Anglia copiam; in bibliothecis præsertim Illustrissimæ Academiæ Oxoniensis; quæ plures aliis illius libros fortasse sunt sortitæ, quia olim, ut refert Nic. Trivettus ad annum 1253. (qui illi supremus erat) ob amorem Adami de Marisco S. Theol. Doctoris, & amici sui intimi, libros suos omnes Conventui Minorum Oxoniæ testamento legavit: unde, ut videtur, avolarant omnes per incuriam & ignorantiam stolidissimorum monachorum, cum Johannes Lelandus, regio munitus diplomate, bibliothecam illam Conventualem inter cæteras visitavit; & pro thesauro carbones

bones invenit; pro operibus Sancti Roberti Lincolniensis, nihil nisi vastas aranearum telas, pulverem crassum & vermes ex esu librorum pinguissimos; & postillas fortasse ineptas, & legendas mendaces, & Scholasticorum araneas doctas, & canonistarum argutias & tricas insidiosas, & ejusmodi farraginem librorum, tribus (1.) ut ait, obolis non emendam.

(1.) Vide testimonia de Rob. Grossetest præfixa libro suo De cessatione Legalium, pag. 43.

Quod eò magis est mirandum, quo vel ab ipsis inimicis majore habitus est author noster pretio, majoremque post se reliquit existimationem apud illos homines, quorum sibi invidiam ex nimiâ (ut illis visa est) diligentiâ conflaverat. Vir erat piissimus & in obeundo munere Episcopali vigilantissimus: nec tanti apud eum erant magnatum ira, Abbatum, fratrum & canonicorum delationes & obtrectatio, quin omnia illa (& quicquid aliud eum infestaverit) vel uno intuitu gloriæ cœlestis facilè superaverit; unde contra omnia præsentis vitæ incommoda & pericula se suosque semper munivit; futuri seculi rationes sibi eisque ob oculos frequentissimè ponens, nequid alterutrinque ad illius vitæ veræ detrimentum ageretur. Magnum quidem est illud elogium à viro Reverendo & modesto & docto Casimiro Oudin memoratum, & suo ipsius calculo approbatum (2.) *Quicunque*, ait, *plura cupit de doctrina & virtute hujus Guilielmi* (debuerat dicere Roberti, ut patet ex libro quem novissimè indigitavit) *legat historiam Universitatis Parisiensis* (Bulæi, opinor) *seculo xiii; ubi multa & præclara leget quæ virum hunc intrepidum commendabunt in seculum seculi ante Deum & homines.* Et res quidem Grossetestianas eò accuratius Bulæus ille rescire potuit, quo versatior fuit in monumentis illius Universitatis; in qua Episcopus noster bonis literis aliquando operam dedit fœlicissimam, magnumque sibi adeptus est nomen; cui etiam querelas tandem senex potuit exponere, quando è Curia Lugdunensi cum dolore rediit.

(2.) Vide p. 526. Supplementi sui de scriptoribus à Bellarmino omissis. Sed (ut hoc obiter notem) non incognita erat Bellarmino Grossetesti fama; nec eum latere potuerunt illius opera: sed audierat Cardinalis qualis vir fuerit: & illius probitas admiranda, & veritatis patrocinium imperterritum (quæ nullius sunt apud Jesuitas valoris) apud Cardinalem (illo longè inferiorem) viluerunt.

Quale autem fuerit integrum illius vitæ curriculum, aliàs tibi conabor explicare; cum Manuscriptorum aliquorum alicubi extantium compos fuero, & plus mihi otii (Deo volente) concessum fuerit, ut alia viri hujus egregii, seculique sui ornamenti, opera patefaciam. His interea contentus esto, quasi in antecessum aliorum; & siquid poteris conantem adjuva.

Res maximæ ab eo gestæ è Matthæo Paris, Annalibus Burtonensibus & multis illius temporis historicis petendæ sunt. Ex Epistolis intelliges quantâ pollebat animi magnitudine; quàm paucis erat contentus, & quantas ei molestias creabant otiosi monachi, qui odio habuerunt Episcopum & Præpositum fidelem, & omnigenæ virtutis amantem; impudicitiam autem & avaritiam quàm acerrimè insectantem: Ex Sermonibus disces quàm ornata illi fluebat oratio (habitâ ratione ad illa tempora omnis eloquentiæ expertia) & quàm nervosæ res sub externo verborum cultu sese prodebant: cui enim cor fervet pietate, facilis est in verba mollientia & salubria lingua, quæ sermonem reddit aculeatum & ad ipsa auditorum viscera & præcordia penetrat: Ex Tractatibus videbis quàm altè & profundè, pro re natâ, animi sui sensa & cogitationes exercuit, quantique judicii vir fuerit in re Theologica: Ex Constitutionibus innotescet tibi ejus laudatissima diœceseos suæ cura & administratio; Ex omnibus simul reperies (exceptâ semper superstitione & ignorantia tunc prævalente, isti ævo potius quàm huic homini tribuendâ) exemplum raræ cognitionis & pietatis, maximam animarum curam, vitam Episcopo dignam, & (quod omnium virtutum parens est & fomes) assiduum studium & eximium & singularem amorem sacrarum Scripturarum: sine quibus omnis alia scientia sordet; & ut uno verbo dicam, quantus fuerit Christianus pro illorum temporum ratione; quantus autem fuisset, si in meliora incidisset.

Qui enim bonus vir & præstans & doctus evadit, quando nec bonitas nec præstantia nec doctrina quicquam valent; proculdubio foret longè major, si illi contingerent tempora excellentiæ illius animi paria: & qui perspicax est in tempore tenebroso & nubiloso perspicacior esset claro & luculento.

Quantus autem vir fuisset Episcopus hic, si seculo proximè elapso vixisset aut hodie viveret, sermo primus (cujus extat fragmentum in Catalogo testium veritatis) & Epistola ultima indicabunt.

Lugdunum quidem, ubi proposuit istum sermonem, locus erat oratoribus olim periculosus: refert enim Suetonius in C. Cæsare Caligulâ, rhetores qui in ludis miscellis minus placebant, scripta sua spongiâ linguâve delere jussos, nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluissent; unde illud Juvenalis, satyra 1.

Palleat

Palleat ——————

Ut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

Sed neque loci ſuperſtitio nec Papæ & Cardinalium præſentia & authoritas potuerunt prohibere quo minus Curiam Romanam (jam Lugdunenſem) acerrimè perſtringeret. Vix credendum eſt ſermonem hunc è ſuggeſtu fuiſſe prolatum: aliter enim docere videtur præfatio: & de *conſilio illo Lugdunenſi*, quod eſt in titulo, non eſt quòd hæreas: non enim innuit Concilium illud generale quod ibidem convocarat Innocentius quartus ad rem Terræ ſanctæ promovendam, cum hoc aliquot antè annis peractum fuerit & abſolutum; ſed conſiſtorium quoddam ſeu conſilium privatum Papæ & Cardinalium unà de rebus ſuis conſulentium. Dum Pontifex hic agebat, duo facti erant ſermones πανδρύλλητοι. Alter erat Hugonis Cardinalis, cum Papa valedicturus eſſet civitati & civibus benedicturus: cujus ſolummodo (heu!) fragmentum extat in Matthæo Paris pag. 819. Edit. Lond. 1640: ſed fragmentum minimè quidem contemnendum; quod ſic ſe habet—*Amici*, inquit Cardinalis, *magnam fecimus poſtquam in hanc urbem venimus, utilitatem & eleemoſynam: quando enim primò huc venimus, tria vel quatuor proſtibula invenimus; ſed nunc recedentes, unum ſolum relinquimus; verùm ipſum durat continuatum ab orientali portâ civitatis uſque ad occidentalem.* Bellus quidem hic ſermo & valdè ædificans cives Lugdunenſes, fœminas autem maximè, ut annotat hiſtoricus: dolendum quidem eſt non habere nos ſermonem integrum iſtius Hugonis Cardinalis, jocatoris Papæ. Sed age, illius fortaſſe defectum tibi compenſabit hujus alterius, qui ſequitur, integritas & ſeveritas. Vale.

Londini Maii 17. 1688. i.e. anno 438. die verò quarto poſt hujuſce ſermonis propoſitionem.

Servus tuus

EDWARDUS BROWNE.

SERMO ROBERTI LINCOLniensis Episcopi, propositus coram Papa & Cardinalibus in Consilio Lugdunensi, cum quadam Epistola.

ANNO Domini M.CC.L. 3° idus Maii apud Lugdunum Venerabilis Pater Robertus Lincolniensis Episcopus constitutus in præsentia Domini Papæ Innocentii quarti & Venerabilium Patrum Cardinalium, solummodò astante sibi me Richardo Archidiacono * Oxon. captatâ prius benevolentia & suscitata attentione ad intendendum ab ipso manifestandis, tradidit quod subscribitur, & in uno rotulo scriptum Domino Papæ, in altero rotulo, Dom. Wilhelmo Sabinensi Episcopo Cardinali, in tertiò rotulo, Dom. Hugoni, Sanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali, in quarto Dom. Johanni S. Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, dicens in his singulis contineri, quod eis manifestare voluit; Quod scriptum à prænotato Johanne Diacono Cardinali in audientia Domini Papæ & Cardinalium tantummodo incontinenti fuit perlectum in his verbis:

* Vide Matt. Paris. pag. 773.

DOminus noster Jesus Christus, æternus æterni Patris Filius, de secretissimo sinu summi æterni Patris descendit in uterum humilis & pauperculæ Virginis, in forma Dei æqualis æterno Patri, humanam carnem in ea & ex ea assumens, ad formam servi se exinanivit: Dominus virtutum & Rex gloriæ, cujus gloriâ pleni sunt cœli & terra, factus est inglorius, despectus, novissimus virorum, vir dolorum & sciens infirmitatem, quasi leprosus reputatus, percussus à Deo & humiliatus, contritus à Domino in infirmitate: in cujus vultum præ pulchritudine (1) ipsi desiderant Angeli (2) prospicere, factus est non habens speciem neque decorem: in quem non potest cadere passio pœnalis, factus est dolens, cujus dolori, tam animi pro peccatis & perditione humani generis, quàm dolori corporali & maximè in cruce, non est dolor similis. Sed quis est horum & his similium (3) & humilium, & quis (4) similiter gloriosorum ipsius, ut conversationis beatissimæ cum hominibus, saluberrimæ suæ doctrinæ, & miraculorum quæ fecit, & sacramentorum quæ sanctificavit & administravit, quis est (5) horum omnium finis? Nonne peccatorum mundi ablatio, humani generis per fidem ex virtutibus & (6) bonis operibus viventem salvatio, ad cognitionem veritatis perventio? Zelus salutis animarum, quo non est sacrificium majus nec Deo acceptius, Dominum virtutum & Regem gloriæ traxit ad prætacta. Post humilium autem susceptionem & passionem & gloriosorum operationem, recessurus de mundo & intraturus in gloriam suam, ex eodem zelo & propter eundem finem, Apostolos suos, suâ doctrinâ & exemplis informatos & pro possibilitate humanæ infirmitatis ei assimilatos & unitos, & ejus imitatores per omnia effectos, data eis virtute & potestate super omnia dæmonia, & ut languores curarent, misit in universum mundum prædicare Evangelium omni creaturæ. Qui profecti cum cæteris discipulis, prædicantes, ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, fide Christi non mortuâ, sed virtutibus & operibus vivâ orbem in brevi repleverunt: in (7) omni namque terra exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: & quia non poterant onus pastoralis officii in universo orbe portare soli, neque perpetuò; ad exemplum Moysi, in oneris ferendi & (8) continuandi adjutorium, ordinaverunt & constituerunt collaboratores in Evangelio pastores, viros potentes & timentes Deum, in quibus erat veritas & qui oderunt avaritiam, senes non tam ætate quàm sapientia & moribus, quos ipsi noverant quòd senes populo erant & magistri. Quo peracto, pro plantariis fidei & virtutum plenius & perfectius nutriendis, augendis & confirmandis, crudelissimis suppliciis & mortibus acerbissimis audentes gaudenter & glorianter se tradiderunt: & ut hoc facto, quod à mundi amatoribus maximè timetur & horretur, essent Jesu Christi & veritatis doctrinæ ipsius & fidei martyres & testes, non solùm omni exceptione majores sed & supermaximi. His itaque sanctissimis viris gloriosissimo martyrio sic consummatis & coronatis, ordinati & constituti sunt pastores ab ipsis, & eorum propinqui sequaces ipsorum imitatione non quærentes quæ sua sunt sed quæ Jesu Christi, tollere videlicet peccata mundi,

(1) MS Trin. Col. [ipsius]
(2) conspicere.
(3) deest [&] inter [simil] & [humil.]
(4) quis insuper gloriosorum ipsius.
(5) quis est, inquam, horum.
(6) deest [bonis].
(7) omnem terram.
(8) Claudicat hic idem MS. Cantabrig.

mundi, & animas ſalvare, ſequentes, pro poſſibilitate humanâ, in ſacris actibus & tribulationum ſufferentia, Chriſti & Apoſtolorum veſtigia, uſque ad ſanguinis effuſionem, fidem Chriſti & Chriſtianam religionem in prædicta dilatatione conſervaverunt. Et licet communiter omnes paſtores in primo paſtore Chriſto ſint unus paſtor & ejus typum perſonamque & vicem gerant: tamen ſpeciali prærogativâ præſidentes in hac ſacratiſſima ſede ſanctiſſimi Papæ, & ſpecialiſſimè, gerunt typum, perſonam & vicem Chriſti. Venerabiliſſimi verò patres hujus ſacratiſſimæ ſedis Cardinalis ſpecialiſſimè gerunt typum, perſonam & vicem Apoſtolorum: (9) alii paſtores, illorum primorum ſanctorum patrum, quorum omnium inſimul, pro poſſibilitate humanæ infirmitatis à veſtigiis Chriſti & Apoſtolorum & illorum præcedentium ſanctorum patrum in nullo deviantium, aut proprio defectu relaxatorum, aut exteriore terrore vel illicito retardatorum, officio & miniſterio, non ſolùm debuiſſet prædicta fidei Chriſtianæ religionis, & hæc eſt Eccleſiæ, dilatatio conſervata fuiſſe inviolata, illibata & integra; quinimò de die in diem magis magiſque fuiſſe aucta, corroborata, conſummata & confirmata, ut regnum Dei, ſicut quotidie rogamus, jam adveniſſet, & domus Regis qui fecit nuptias filio ſuo, & hominis, qui fecit cœnam magnam, jamdudum eſſet impleta. Sed væ væ væ! hæc tanta dilatatio tanto (10) tempore elaborata, coarctata eſt velut in anguli brevis anguſtiam. Plurimam namque partem mundi occupavit infidelitas & à Chriſto ſeparavit: de parte verò dicta Chriſtianâ, magnam partem à Chriſto ſeparavit ſchiſma; de parte verò reſiduâ, quæ reſpectu duarum prænominatarum admodum, ut puto, & parva eſt & pauca, non modicam portionem ſeparavit à Chriſto hæretica pravitas: (11) quaſi aut totalem reſidui concorporaverunt diabolo & à Chriſto ſeparaverunt ſeptem criminalia peccata: ut jamprìdem voce lugubri plangat Chriſtus, dicens, væ mihi quia (12) factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ; non eſt botrus ad comedendum; pretioſas uvas deſideravit anima mea: periit ſanctus de terra & rectus in hominibus non eſt. Et quæ (13) inconſolabiliter lugendæ coarctationis & imminutionis Eccleſiæ, ac per hoc dilatationis complementi cœleſtis regni, cauſa in promptu eſt: (14) bonorum videlicet, quales prætacti ſunt, paſtorum defectio, & malorum multiplicatio, & poteſtatis paſtoralis coarctatio. Unius enim una eſt cauſa, & oppoſitorum cauſæ oppoſitæ: unde cum boni, quales prætacti ſunt, paſtores, & bonorum multiplicatio, & paſtoralis poteſtatis libertas, cauſa fuerunt prædictæ per orbem dilatationis fidei & religionis Chriſtianæ; neceſſariò cauſa coarctationis & imminutionis ejuſdem (15) & religionis Chriſtianæ ſunt paſtores mali, & eorum multiplicatio, & poteſtatis paſtoralis repreſſio: & quia boni corruptio eſt mali oppoſiti generatio, malique paſtores ſunt cauſa corruptionis fidei & religionis Chriſtianæ, neceſſariò ipſi ſunt cauſa infidelitatis, ſchiſmatis, hæreticæ pravitatis & vitioſæ converſationis per orbem univerſum: Ipſi enim, ſecundum vocem prophetalem *, ſunt portionis Domini deſiderabilis in deſertum ſolitudinis datores, omnis terræ deſolatores, gregis Domini diſperſores, dilaceratores, & diſſipatores, vineæ Domini depaſtores & demolitores, & pollutionis ſuper omnem terram effuſores: nec mirum: non enim annunciant Chriſti evangelium verbo oris vivente de vita verbi cordis, zelo videlicet ſalutis animarum, aucto, roborato & conſummato verbo operum operibus Jeſu Chriſti, ut eſt poſſibile, conformium: ac per hoc ſecundum legiſlatores & prophetæ teſtimonia, ipſimet in ſemetipſis ſunt mortui, & animarum curæ ſuæ commiſſarum occiſores & mortificatores: ac per conſequens, cum principale ac finale opus Chriſti, propter quod ipſe venit in mundum, ſit animarum vivificatio, & ſatanæ opus proprium & maximè ab eo intentum (utpote homicidæ ab initio) ſit animarum occiſio & mortificatio, ipſi paſtores (16) & unde paſtores, perſonam Jeſu Chriſti induti, (17) non annunciantes, etſi non ſuperadderent malitias alias, ſunt Antichriſti, & ſatanas transfiguratus in angelum lucis, fures & latrones, mactatores ovium & proditores, facientes domum orationis ſpeluncam latronum: ſuperaddunt autem omne genus prævaricationis, ut jam non ſit ſuper quo percutiat eos Deus ultra: ſuperbia enim eorum manifeſtiſſimè aſcendit ſemper, necnon cupiditas & avaritia; ut jam ſit completa vox prophetalis, qua dicitur (18) quòd unuſquiſque eorum declinat ad avaritiam ſuam, à ſummo uſque ad noviſſimum, lucrum avarè ſectans, in hoc neſciens

(9) Sic etiam hic. Longiores periodos, ob exuberantiam mentis, amavit Epiſcopus noſter; quæ ſenſum aliquando reddunt perplexum & involutum, & intellectu difficilem, niſi ſummâ animi attentione, ultimam earum partem & longinquam primæ & proximæ, ope conſtantis memoriæ, reducas; ut in hac aliiſque quæ ſequuntur: rerum autem gravitas ſtylum præruptum ubique compenſat.

(10) opere.

(11) quaſi autem totalitatem.

(12) Michæ. 7. 1, 2. in textu autem vulg. edit. non eſt [pretioſas uvas] ut in hoc MS. ſed præcoquas ficus.

(13) quæ hujus inconſ.

(14) Tres cauſæ debilitatis Eccleſiæ.

(15) ejuſdem fidei.

* Jerem. 12. 10, 11.

(16) Ipſi paſtores vani paſtores.

(17) De hac clauſula videſis fragmentum hujus ſermonis in Catalogo teſtium veritatis. Edit. Genev. 1608. colum. 1592. ubi paulo aliter habetur.

(18) Iſai. 56. 11. Jerem. 6. 13. & 8. 10.

ens ſaturitatem: Indeque effecti ſunt viduarum deprædatores, pupillorum direptores, (19 craſſi quod eſt in grege occiſores, pellium gregis deſuper eis & carnium deſuper oſſibus eorum (20) ablatores & oſſium confractores & conciſores ſicut in lebete, ſanguinis effuſores. Inſuper luxurioſiſſimi ſunt (21) omnes, fornicatores, adulteri, inceſtuoſi, omni genere guloſitatis ſummè guloſi, & ut breviter tranſeatur, omni genere flagitii, facinoris, abominationis & novæ in his adinventionis, ſecundum dictum prophetæ, coinquinati: Deo & curiæ cœleſti ſummè abominabiles & odibiles effecti; quia per ipſos nomen Dei in omnibus gentibus blaſphematur. Cumque paſtorum converſatio (22 ſit liber, doctrina & inſtructio laicorum, ipſi ſunt evidenter errorum magiſtri & malorum omnium: Et quomodo non tunc hæretici, maximè, cum verbum operis efficacius ſuadeat verbo oris, & cum ipſi ex officio ſunt generatores ad vitam æternam; quomodo (23) abutentes hac vi generativa non ſunt, conſonanter verbis prophetarum, corporalibus illis Sodomitis pejores & abominabiliores, præſertim cum melioris virtutis pejor & abominabilior ſit abuſio? Ipſique paſtores ſunt ex officio, lux & ſol mundi, ipſum illuminans & vivificans: econtrario autem (24) facientes, pro luce denſiſſimas tenebras effundentes & pro vitali calore frigus corrumpens & mortificans, manifeſtiſſimè ſunt totius mundi perditores. Sed quæ eſt hujus tanti mali prior & originalis cauſa, fons & origo? dicere vehementiſſimè contremiſco & expaveſco; ſilere tamen non audeo, ne incidam in illud væ 25 Prophetæ dicentis, væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum. CAUSA fons & origo hujus eſt hæc CURIA; non ſolùm eò quòd hæc mala non diſſipat, & has abominationes non purgat, cum ea ſola hoc maximè poſſit, & ad hoc ſummè teneatur, ſed & eò amplius, quòd IPSA quoque per ſuas diſpenſationes & proviſiones & collationes curæ paſtoralis, tales, quales prætacti ſunt, paſtores, imò mundi perditores, in oculis (26) ſolum conſtituit hoc ut provideat vitæ alicujus temporali, multa millia animarum pro quarum qualibet ſempiternè vivificandâ, Filius Dei morte turpiſſima voluit condemnari, devorationi 27) ſummi beſtiarum agri tradit & ſempiternæ morti. Tradens enim curam ovilis (28) gregis, in medio luporum rapaciſſimorum, urſorum & leonum, alicui, ut lac & lanam tollat, impotenti, aut ignoranti aut nolenti, aut negligenti gregem educere & in paſcua (29) minare, & in ovile reducere, leonibus, urſis & lupis nec ad modicum pro ſalute gregis ſe objicenti, nonne gregem tradit devorationi & morti, & mortis ipſius reatu tenetur, etiamſi accidat (30) aliquam caſu fortuito mortem effugere? 31) Tradens navis oneratæ hominibus in portum ſalutis dirigendis per medium maris ſcopuloſi & procelloſi, gubernaculum & gubernandi officium paralytico aut artē gubernationis ignoranti & talis officii miniſteriū inexperto aut laborem gubernationis ſuſtinere nolenti & negligenti, ut is naulo à ſingulis ſuſcepto ditetur, nonne & navem & eos qui in navi ſunt, perdit & perditionis omniū incurrit reatū, & licèt eorū aliquis naufragii evadat periculū? Quinimo talem traditionē, cum teneatur & poſſit, non impediens, eodem reatu irretitur & conſtringitur. Ovium (32) ſaluti providendum eſt de bono paſtore, & transfretantium de bono gubernatore, & nullo modo alicujus temporali commodo, (33 de harum vel illorum ſempiterna periclitatione. Abſit hoc, abſit longiſſimè, & præcipuè à gerente in terris ſalvandi officium immediatiſſimè, & principaliſſimè (34) perſonam & vicem ejus qui dicit per prophetam (35) Dabo vobis paſtores juxta cor meum & paſcent vos ſcientia & doctrinâ: & per alium prophetam *: Ego paſcam oves meas & ego eas accubare faciam; quod perierat, requiram, quod abjectum erat reducam & quod confractum erat alligabo; & quod infirmum erat, conſolidabo; & quod pingue & forte, cuſtodiam & paſcam illos in judicio & juſtitia. Omne quod non recto fine fit, peccatum eſt: rectus autem finis curæ paſtoralis & navalis gubernationis ſpiritualis & earum traditionis, ſicut ſimpliciter omnis Hierarchici operis, ſalus eſt & vita æterna: nec poſſunt hoc ſine tradi, niſi ſecundum Conſcientiam tradentis ad hunc finem operandum idoneo vel parato & prompto. Unde ſecundum menſuram diſtantiæ & diſtorſionis finis quem intendit tradens ad hunc finem operandum inepte, & ſimiliter quem intendit (36) ſuſcipiens à ſalute & vita æterna, menſuratur peccatum & pœna peccati

(19) craſſique.

(20) violenti ablatores. vide Mich. 3. 2, 3.

(21) Super omnes fornicationes: non multum refert utra ſit verior lectio. Egregia eſt deſcriptio morum cleri iſtius temporis: non expectanda eſt adulatio à noſtro Præſule; qui cum neſcit ipſi Papæ & Cardinalibus palpum obtrudere, ad inferiorum prælatorum crimina non opus eſt ut taceat; ſed hæc omnia ſtatim clarius & acrius.

(22) Gregis ſit liber: ſine [laicorum] quod ſequitur.

(23) Sic abutentes.

(24) Opere facientes.

(25) Iſai. 6. 5.

(26) In oculis Solis hujus conſtituit, ut provideat vitæ unius alicujus——longè melior lectio. Intelligis autem, lector, quid hic dicit Epiſcopus coram Papâ & Cardin. attentiùs perpende & intrepidam viri ſancti & ſinceri conſtantiam & libertatem admirere.

(27) Omnium: non [ſummi] ut hic.

(28) Ovilis & gregis.

(29) *Minare* vox eſt nova, & Italica potius quàm Latina: uſurpatur à vulg interprete Act. 18. 16.-- minavit eos à tribunali: & alibi: eundem ſortitur ſenſum, quem [ducere] & videtur derivari (ut Scaliger in Manil.) à minis vel increpationibus bubulcorum jumenta ad curſum incitantium.

(30) Ovium aliquam.

(31) Pulcherrima comparatio: cleri negligentiam, ignorantiam & vitia perſtringens.

(32) In illo modo ſalu i.

(33) aut horum vel illorum.

(34) Principal —— poſt Salvatorem Chriſtum, à gerente immediatiſſimè & principaliſſimè perſonam.

(35) Jerem. 3. 15.

* Ezech. 34. 15, 16.

(36) ineptus ſuſcipiens.

peccati menſurabitur alio fine tradentis & ſuſcipientis. Et quis alius finis non diſtat ab hoc fine per infinitum? O quàm amara dilectio & retrograda promotio! ut dilectum ſuper mane ad momentum elevet, ipſum & ſe in tenebras dejicit exteriores. Gregis corporalis curam nullus ſani capitis tradit, niſi potenti, ſcienti & volenti curam ejus ad ipſius ſalutem peragere: (37) nonne plus pendit bruta quàm rationalia, corporalia quàm ſpiritualia, tranſitoria quàm æterna, ea quæ parvi pretii quàm (38) ſuperſummo opere & ſuperincomparabili empta pretio, pretioſo ſanguine videlicet & morte filii Dei? ſic parvipendens appretiatum, nonne & in hoc parvipendit ipſius pretium? O ſuperſumma ingratitudo! ô ſuperſumma præſumptio! ſic erectâ cervice currere adverſus ſuum benigniſſimum ex nihilo Creatorem, miſericordiſſimum ſui à ſempiternâ perditione, pretio ſui ſanguinis, Redemptorem; futurum ſui veraciſſimum teſtem & diſtrictiſſimum judicem! Herodes truculentus in corporali infantium perditione non perſequebatur, ut putabat, niſi puerum unum, quem timebat fore Regem Judæorum terrenum, & idem regnum ſibi ablaturum: (39) Crucifixores, licèt impiiſſimi, non credebant ſe perſequi niſi unum hominem mirorum operum & ſuis operibus contrarium: ſi enim cognoviſſent, (40) nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Tradens verò prædicto modo ovium Chriſti curam paſtoralem, & navis Petri gubernationem, in membris ſuis perſequitur ipſum, & æternæ tradit perditioni quem credit & confitetur verum Deum cœleſtem & æternum Regem omnium, ſuum, ut prætactum eſt, Creatorem, Redemptorem, teſtem & judicem. Quæ igitur harum perſecutionum majoris irrationabilitatis & inſipientiæ, atrocioris crudelitatis & magis temerariæ præſumptionis? inſuper, facta hujus curiæ ſunt liber & doctrina (41), unde tali, qualis prætacta eſt, curæ paſtoralis traditione, docet & provocat omnes habentes jus patronatûs in Eccleſiis parochialibus, vel ob affectionem cognationis & carnis, vel propter obſequii remunerationem, vel ut complaceant potentibus vel propter aliquid hujuſmodi, tales, quales præſcripſi, ſic ut ditentur, ad curam paſtoralem provehere, & ſic oves Chriſti perdere; in hoc eodem docens æterna vilipendere, aut nihili reputare, & illa tranſitoria quocunque modo per fas vel nefas quærere, & in his beatitudinem exiſtimare. Sic tanto conſpectius & condemnabilius in ſe crimen habens, quanto major qui peccat habetur; & quanto cauſa mali magis mala ſuo cauſato. Nec dicat quis quòd talia facit hæc Curia propter Eccleſiæ communem utilitatem. Communem (42) utilitatem operati ſunt ſancti patres per mali ſufferentiam, & (43) nullo modo, quia & hoc (44) modo illicitum, per mali actionem: (45) væ enim his qui dicunt, faciamus mala ut eveniant bona, quorum damnatio juſta eſt. Nec dicat etiam quis quòd tales, quales prædicti ſunt, conſtituti paſtores ſalvant gregem per mediatores; quia in talibus mediatoribus, ut frequentiſſimè obtinet, ſunt multi mercenarii, qui cum vident lupum venientem, dimittunt oves & fugiunt, & lupus rapit & diſpergit oves. Præterea opus curæ paſtoralis conſiſtit, non ſolùm in ſacramentorum adminiſtratione & horarum Canonicarum dictione & miſſarum celebratione, quas tamen operationes (46) raro ut convenit faciunt mercenarii; ſed in veraci doctrinâ veritatis vitæ, in vitiorum terrificâ condemnatione, in vitiorum, cum neceſſe eſt, durâ & imperioſa correptione & in rigida caſtigatione: quod etſi forſitan ſciant, quod raro accidit, non audent mercenarii (47). Conſiſtit etiam in paſtione eſurientium, in potatione ſitientium, in coopertione nudorum, in ſuſceptione hoſpitum, in viſitatione infirmorum & incarceratorum, & maximè propriorum parochianorum, quorum ſunt bona temporalia Eccleſiarum; quarum operationum exemplis inſtruendus & informandus eſt populus in vitæ activæ ſanctis exercitiis; quas operationes facere, non eſt in hujuſmodi mediatorum & mercenariorum facultate; ipſis de Eccleſiarum bonis vix recipientibus unde poſſunt propriam vitam ſuſtentare: ſeparatis autem & ſubtractis adminiculis & organis officii, regiminis & gubernationis ab actibus regendi & gubernandi, quomodo complebuntur actus officii? his autem incompletis, nonne manifeſtiſſimè periclitatur regendorum ſalus & gubernandorum? ſed hæc mala ſuperius tacta, & eis ſimilia, provenientia ex collatione curæ paſtoralis eam non agentibus ſecularibus, etſi lugenda ſunt inconſolabiliter & plangenda, hic tamen luctus & planctus in hoc ſuſceptibilis eſt alicujus particulæ conſolationis, quia his aliqui ſuccedere poterunt qui opera peragant curæ paſtoralis; cum verò religioſis fit Eccleſiarum

(37) Deeſt hic pars ſententiæ, quæ ſic ſuppletur è MS. Cant. —— peragere: tradens autem curam gregis ſpiritualis impotenti aut ignoranti aut negligenti curam ejus ad ipſius ſalutem peragere, nonne pluris pendit —— ſimilium verborum repetitio ſcribæ oculum diverterat; ut ſæpe uſu venit; ideoque omiſit quod antea ſe ſcripſiſſe putavit.

(38) Ita eſt ad literam uſque in MS. noſtro: in MS. autem Cantab. aliter & vitioſiſſimè. Commodè accidit ut alterum exemplar alteri fert ſuppetias, non aliter quàm mendicus oculatus ſed claudus, mendico pedibus ſano ſed oculis capto inequitans, & viciſſim: quando claudicat exemplar noſtrum, tunc ei pedes ſuppeditat exemplar alterum: cumque hoc cæcum eſt (præ ſenio enim ferè amiſit viſum) tum noſtri incedit directione.

(39) Crucifixi crucifixores.

(40) 1 Corinth. 2. 8.

(41) Doctrina mundi.

(42) Eccleſiæ utilitatem.

(43) Non alio modo.

(44) Et hoc omnino illicitum

(45) Væ væ his.

(46) Operationes ſacras.

(47) Mercenarii facere.

attende bene.

arum parochialium appropriatio, prætactorum malorum firmata est perpetuatio. O res summè prodigialis, summè & principalissimè in Dominum Christum & ejus in terris præcipuum officium, & sic ejus præcipuis operibus facere contrarium! Nonne in sic facientibus, maximè sacerdotibus, verificatum est Propheticum (48) Sacerdotes ejus contempserunt legem meam [illam videlicet quæ passim per totam scripturam diligentissimè data est de constituendis (49) super gregem Domini bonis Pastoribus] & polluerunt sanctuaria mea, inter sacrum & prophanum non habuerunt distantiam & inter pollutum & mundum non intellexerunt & à sabbatis meis averterunt oculos suos & coinquinabar in medio eorum. Moysi præceptum est ut videat & omnia (in ædificatione videlicet tabernaculi) faciat secundum exemplum quod sibi ostensum est in monte. Hoc præsidentibus huic sacræ sedi maximè dictum esse notissimum est, per quos maximè condecet, quod & perurget mandati Dei districtissimi summa necessitas, diligentissimè considerare & circumspicere, ut omnia in ædificationem Ecclesiæ militantis faciant secundum exemplar Ecclesiæ triumphantis; in qua omnis architectus & hierarcha secundum ordinem, scientiam & operationem sacram ad Dei formam, ut est possibile, assimilatur; & secundum divinas illuminationes ad Dei imitationem reducitur & ei unitur & secundum divina perficitur & deificatur, & amore communicandi cum inferioribus quæ desuper accepit, omni conatu intendit & operatur (50) purgationem, illuminationem, & consummationem inferiorum & (51) per aptitudinem receptibilitatis cujusque eorum assimilat & unit Deo & tradit secundum cujusque dignitatem, de sibi collatâ divinitus deificatione, sacram deificationem, * in juvamentum receptionis horum (52) inde tradit quod eum decentissime juvat ad sibi possibilem assimilationem cum Deo & unionem & deificationem; nulli verò quod vel ad minimum ab his eum impediat: ac per hoc nulli tradit quicquam, quod est super suam receptibilitatem, aut ei quoquo modo incongruum aut inconveniens: nullum juvat per alterius nocumentum (53) aut provehit per alterius depressionem; omnia salubria, & nihil perniciosum verbo intus disposito docet, & exemplo; ab omni pernicioso cohibet, protegit & defendit: in quo insuper nulla est inferioris à suo (54) naturaliter & divina dispositione superiore exemptio; ac per hoc nulla ordinis perturbatio; nulla nisi (55) sacramenta sacrefacta quorumcunque dispositio vel administratio. His itaque & (56) aliis hujusmodi innumeris ejus divinis aut in illo superiori tabernaculo quod fixit Deus & non homo, inviolabiliter observatis, si architecti vel hierarchæ hujus tabernaculi inferioris per omnia pro viribus operentur similia, testificabitur de illis Deus, quòd in omni domo suâ sint fidelissimi, & ore ad os loquetur eis, & non solùm (57) aversantes facto sed & objurgantes & obmurmurantes verbo, probrosâ confusione percutiet: sin autem merito ut tabernaculi sui quod commisit eis, ac ipsi susceperunt ædificandum, non ædificatores nec (58) sacræ scripturæ dispositores sed perturbatores, perturbabit & ut subversores subvertet, & ut super ipsius percussi pro nobis à Deo persecutores, effundet iram suam, & furor iræ suæ comprehendet eos, & fiet habitatio eorum deserta & in tabernaculis eorum non erit qui inhabitet; delebuntur de libro viventium, & cum justis non scribentur. Hæc sedes sacratissima thronus Dei est & sicut sol mundi totius in conspectu ejus: unde sicut in sole causaliter est tota hujus mundi illuminatio, vegetatio & vita sensibilis, nutritio, augmentatio, consummatio, conservatio, pulchritudo, decor & venustas; & ipse hæc omnia in hunc mundum sensibilem semper influit, & sic efficit & conservat hunc modum sensibilem (59) & perfectum; sic oportet hanc sedem sacratissimam hæc omnia spiritualiter intellecta in se causaliter habere, & in (60) mundum spiritualem universum, cujus est sol spiritualis, eadem omnia incessanter influere & sic mundum spiritualem salvare: alioquin sicut si deficerent rationes causales in sole visibili & ab eo in mundum influentiæ, continuò periret mundus iste sensibilis; sic si deficiant in isto sole spirituali rationes causales spirituales, solaribus corporibus comproportionales, & ab eo in mundum spiritualem comproportionales influentiæ, necesse est mundum, cujus est sol, deperire, & ipsum esse hujusmodi perditionis causam & reum; maximè cum

(48) Ezech. 22. 26.

(49) Constituendis & fovendis.

(50) Agit jam Episcopus noster Theologum mysticum, in enarrandâ communicatione Ecclesiæ Cœlestis cum militant[i]: quæ non nisi no[t]ionibus obscuris & insolitis comprehendi & verbis al[i]is & caliginosis, explica[ri] po[t]est: siquid autem in hujusmodi theologia insit boni, cau[t]e adhi[b]endum est, idque secundum fidei analogiam; quæ non minus periclitatur in illâ, quàm in argutiis & tricis theologiæ scholasticæ; quarum utraque Theologiæ Rationali meritò cedit. Molinos & Molinistæ (quales jam Romæ audiunt) in succum hæc & sanguinem sibi vertent: & timendum est, istius sectæ homines, sanctum Robertum Lincolniensem suorum dogmatum patronum & fautorem vendicaturos: cum hac in re, si libet, asserant; modò in reliquis imitentur: obiter autem adverte, lector, quàm parum favit olim, & hodie, si posset, faveret Curiæ Romanæ Theologia mystica: cuneus cuneo, & mysterium mysterio: nosti cætera.

(51) pro aptitudine.

* & in juvamentum.

(52) horum omni tradit.

(53) Solùm simpliciter [nullum juvat per alterius oppressionem].

(54) naturali.

(55) Sacra sacrosancta, vel sancta sacrefacta: nam obscurissimum est MS. præ abbreviationibus insolitis.

(56) Aliis innumeris etiam divinis ac divinioribus in illo superiori tabernaculo.

(57) Adversantes.

(58) Nec sacri dispositores.

(59) Deest [&].

(60) Hunc mundum.

cum hæ rationes cauſales & ab eis influentiæ ſunt in ejus libera poteſtate. Non fiat autem (61) quòd ſol iſte omnino clarus intelligentia & ſemper directus juſtitiâ aliquando convertatur in tenebras & nigreſcat ſicut ſaccus cilicinus, aut retro gradiatur. Præſidentes huic ſedi ſacratiſſimæ principaliſſimè inter mortales perſonam Chriſti induuntur; & ideo oportet quòd in eis maximè ſint & reluceant Chriſti opera, & nulla ſint in eis Chriſti operibus contraria; & (62) propter idem ſicut Domino Jeſu Chriſto in omnibus eſt obediendum; (63) ſic & Præſidentibus huic ſedi ſacratiſſimæ, in quantum in dictis Chriſtum, & in quantum verè Præſidentibus, in omnibus eſt obtemperandum: ſin autem quis eorum, quod abſit, ſuperinduat amictum cognationis & carnis, aut mundi, aut alicujus alterius præterquam Chriſti, & ex hujuſmodi amore quicquam (64) Chriſti præceptis & voluntati contrarium, obtemperans ei in hujuſmodi manifeſtè ſe ſeparat à Chriſto & à corpore ejus quod eſt Eccleſia, & à Præſidente huic ſedi, in quantum induto perſonam Chriſti, & in tantum verè Præſidente; & (65) cum communiter in hujuſmodi obtemperatur, vera & perfecta advenit diſceſſio, & in januis eſt revelatio Filii perditionis. Abſit autem, abſit, quòd hæc ſacratiſſima ſedes, & in ea Præſidentes, quibus communiter (66) & in omnibus mandatis ſuis & præceptis obtemperatur, præcipiendo quicquam Chriſti præceptis & voluntati contrarium, ſint cauſa veræ diſceſſionis. Abſit etiam, quòd exiſtentibus aliquando aliquibus veraciter (67) Chriſto cognitis, non volentibus quoquo modo voluntati ejus contraire, hæc ſedes & in ea Præſidentes, præcipiendo talibus Chriſti voluntati oppoſitum, cauſa ſint diſceſſionis aut ſchiſmatis apparentis; non (68) ſibi præcipiant aliquid, ſic nec faciant, Chriſti voluntati diſſonum: cui nihil eſt magis abominabile & odibile quàm perditio animarum; ac per hoc, quàm curæ earum traditio non paſtoribus, ſed, quales prætacti ſunt, perditoribus. Quinimò principaliſſimè induti ipſum & ejus officium, qui dicit ſe Paſtorem bonum animam ſuam pro ovibus ſuis ponentem, animarum etiam ſuarum poſitione procurent & operentur ſalutem ovium, & nullatenus cum earum detrimento vel diſcrimine promotionem temporalem hominum. Poteſtas autem paſtoralis, quæ in virtute & poteſtate data eſt Apoſtolis ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent, data eſt etiam paſtoribus, maximè Epiſcopis, Apoſtolorum filiis, pro patribus Apoſtolis natis, conſtitutis principalibus ſuper omnem terram, plurimum eſt hodie, & maximè in Angliâ, coarctata & ligata. (69) Primò, per exemptiones: (70) in Eccleſia triumphante non reperiuntur: etſi enim exempti etiam extra ſepta monaſteriorum & cœnobiorum ſuorum fornicentur, adulterentur ſeu quæcunque alia agant enormia & diabolica; in eorum dæmonia eos totaliter obſidentia, & eorum languores ſpirituales, nihil poſſunt epiſcopi vel paſtores cæteri; ſed vident paſtores oves ſuas à lupis talibus rapaciſſimis ſtrangulari, & per exemptorum privilegia ſic obſtruuntur paſtorum ora, quòd nec modicâ vociferatione poſſunt eas abſtrahere: ſic ligantur paſtores, quòd lupis in gregem graſſantibus, nec ad modicum poſſint occurrere. Cum ſummus Paſtor in diſtricto judicio ſanguinem ovium (71) ſicut in paſtorum oculis perditarum de manibus diſtrictius requiret, quam poterint ipſi in ſui excuſationem afferre rationem, niſi fortè in (72 Exemptores & Privilegiatores criminis refuſionem? Secundò (*). Per poteſtatem ſecularem, quæ non permittit inquiſitionibus de peccatis laicorum deſcendi ad veritatis viſionem, per (73) ſacramentum laicorum aliorum. Tertiò (†). Per Appellationum tuitiones. Cum enim Epiſcopus vel alius paſtor nititur dæmonia fornicationis, adulterii & cæterorum criminalium à ſuis (74) ſubditis expellere, & vitiorum languores curare, quidam eo-

rum

(61)—autem, non fiat, quòd.

(62) Propterea eis: manifeſtiſſimè perperam: quia in proximis verbis oſtendit quomodo iſtis Præſidentibus obediendum eſt.

(63) Sic & Præſidentibus huic ſacræ ſedi in dictis Chriſtum & in tantum verè Præſidentibus in omnibus eſt obtemperandum. Variant hæ lectiones ſenſum: quid autem ſibi vult epiſcopus, quibuſque limitibus & conditionibus intellexit Pontificibus Romanis eſſe obtemperandum, & non abſolutè quicquid ſtatuerint, palam eſt in ſequenti orationis filo.

(64) quicquam præcipiat Chriſti—

(65) In margine MS. T. C. apponitur juxta hanc clauſulam [Theſſal. 2.] innuens 2 Theſſ. 2. 3. quæ ipſiſſima verba hic habentur: tota autem clauſula eadem omnino eſt ad literam uſque in utroque MS excepto quòd in noſtro ſcribatur [diſceſſio] in altero [deceſſio] corruptè.

(66) Deeſt [&].

(67) veraciter Deo conjunctis.

(68) Non igitur præcipiant aliquid, ſicut nec faciant.

(69) Eccleſiæ detrimenta & impedimenta. Primo per exemptiones Papales.

(70) exemptiones: quæ, ut prætactum eſt, in Eccleſiâ.

(71)—ovium ſic in paſtorum oculis perd—multò melius.

(72) Verba ad vivum uſque pungentia; & quodvis pectus, non ferreum, mollientia; & majorum gentium Paſtores in omni authoritate ſpirituali adhibendâ ad ſummam cautelam provocantia: quaſi innueret Epiſcopus noſter magnam accuſationum molem, in tremendo æterni Judicis die, in Pontifices eſſe reciſuram; Ex quorum bullis impunè peccandi licentiam captant homines in vitia præcipites; & præ uno qui inde non animatur ad laſciviendum indulgendumque genio, mille ſunt qui in peccati ſordibus detinentur. Sancte Roberte Lincolnienſis, qualem & quantum te hic Præſulem præſtitiſti! Non caruimus capitonibus; ſed diu caruimus hujuſmodi Capitonibus vel Groſſeteſtis. (*) Impedimentum ſecundum per poteſtatem ſecularem. (73) Per ſacramenta. (†) Impedimentum tertium; per Appellationum tuitiones. (74) Deeſt [ſubditis].

rum per Legiſtarum argutias ſtatim prorumpunt in vocem Appellationis ad hanc ſedem, & ad tuitionem, ad ſedem Archiepiſcopalem; per cujus ſedis tuitiones ipſi liberè, ut jumenta, computreſcunt in ſtercore voluptatum vitiorum ſuorum; ad minus per annum: & hac occaſione, ut frequenter (75), in perpetuum. Quartò (†) per hoc, quòd cum Epiſcopus vel paſtor alius prædicto modo nititur ſubditorum ſuorum vitia corrigere, & ſecundum legem ſalvatoris, eorum ſalutem operari; alii ipſorum per Legiſtarum argutias fingunt Appellationes ad ſedem Archiepiſcopalem: in cujus curia tractabuntur hujuſmodi cauſæ per omnes ſubtilitates & ſolemnitates juris civilis, & differrentur vitiorum correctiones in longum (76) & fortè in perpetuum; & (77) fortè fatigabitur paſtor, ut tædeat ipſum etiam vivere. Et plerumque nimirum ex hac occaſione fervor & diligentia paſtoralis ad curandum ſubditorum morbos tepeſcit & langueſcit. Rarus enim admodum (78) Medicus, qui, patiente curæ ſuæ commiſſo ipſum & medicamina ſua repellente, & alio fortiore ipſum cohibente, ne patientis auſus temerarios valeat (79) ordinare, & ipſius languores, antequam per longa tempora invaleſcentes fiant incurabiles, ſecundum artem & experientiam medicinalem curare; ipſo inſuper afflicto, eò quòd quicquam medicinale conatus eſt ægrotanti porrigere; (*) curandi diligentiam non (80) relaxet. Tandem ſi zelo (81) animarum ductus repellat vel amoveat Epiſcopus à paſtorali cura, quales præſcripti ſunt, inutiles (imò magis, pernicioſos) ad hujuſmodi officium, ſi ſint (82) carnales aut in officiis aut poteſtatibus ad Regalem (83) poteſtatem ſive dignitatem pertinentibus (84), aut talibus cognatione vel familiaritate conjuncti; incontinenti Epiſcopus ſuper ſuis & Eccleſiæ ſuæ libertatibus vel poſſeſſionibus calumniam ſuſtinebit & intolerabiliter vexabitur: ſi verò ſic repulſi vel amoti non poſſint per ſecularem potentiam obtinere quod cupiunt à (85) judice ſuperiore, quærunt ſibi judices ſuis deſideriis favorabiles per legum humanarum argutias, totum Epiſcopi conatum evacuantes. Non rectè navigatur per ædificativam, non rectè ædificatur per navalem: ſed nec per artes ſubalternatas & ſubminiſtrantes principali, dirigitur opus artis principalis vel dijudicatur: utpote opus militare non dirigitur & dijudicatur per frænifactivam, aut cellæ aut loricæ aut clypei aut alicujus hujuſmodi ad opus militare (86), ſed per artem propriam; hoc eſt, ipſam militarem. Maximum & principaliſſimum (87) opus eſt animas ſalvare, & propter hoc, ars propriè & per ſe hoc opus dirigens & dijudicans, artium eſt principaliſſima & (88) digniſſima, cui omnes aliæ ſubalternantur & ſubminiſtrant: hæc autem eſt, quam oris doctrinâ & operis exemplo tradidit animarum Salvator Dominus Jeſus Chriſtus Dei filius, ejus videlicet evangelium (89) latiſſimum. Per hanc igitur artem principalem, hoc eſt, per evangelium in quo (90) comprehendere novum & vetus Teſtamentum, & non per ſibi ſubalternatas & ſubminiſtrantes, in directionibus minorum (91) operum, oportet conſtitutos ex officio animarum ſalvatores dirigere ſalvationis earum proprias operationes, & per hanc dijudicare (92) an rectè proceſſerunt in operibus ſalvationis. Alioquin erunt animarum ex officio ſalvatores ducibus exercituum ſimiles, quorum acies & cum oppugnatoribus congreſſiones, & (93) alii in conflictu militari convenientes & neceſſariæ operationes (94) non per militarem diſponuntur & diriguntur, & quorum actus militares non per militarem dijudicantur, ſed per frænifactivam aut aliam militari ſubminiſtrantem magis perturbantur. Quos duces cum ſuis exercitibus, hoſtium multitudine exiſtente gravi ad pugnandum, & ad vincendum animoſâ & unanimi, viribus forti & in exercitiis bellicis arte perita, & diuturnâ & multiformi experta frequentiâ, neceſſe eſt diſperſum & victum iri. His igitur prædictis (95) conſimilibus, in ſempiternum animarum diſpendium manifeſtiſſimè vergentibus, occurrere ſatagat omnino hæc ſacra ſedes, mundi totius ex officio ſalvatrix; talia quæcunque per ſupereminentiam (96) & plenitudinem ſuæ poteſtatis à mundi finibus procul ſuæ exterminans (97) ſanctitatis, & omnino ſancta & animabus ſalutaria in mundum uni-

(75) Ut frequenter conſtat. vel fort. contingit [9.] talis eſt abbreviatio; cujus pars inferior eſt con---

(†) Impedimentum quartum, per Appell. ad ſedem Archiepiſc.

(76) aut fortè.

(77) deeſt hic [fortè].

(78) Eſt medicus.

(79) Valeat edomare.

(*) Hæc periodi pars referenda eſt ad medicum rarum, longè antea; ſecundum uſitatam periodorum prolixitatem Epiſcopi.

(80) Relaxaret.

(81) Zelo ſalutis animarum.

(82) Si ſint curiales. Sed eodem redit: ſunt enim ſynonyma.

(83) Regalem dignitatem.

(84) Pertinentibus conſtituti.

(85) à curia ſup----

(86) opus militare neceſſarium, factivam.

(87) & p. in. & diviniſſimum opus.

(88) Diviniſſima.

(89) Eca iſſimum Evangelium.

(90) in quo comprehenditur.

(91) Deeſt [operum].

(92) dijudicare ex officio.

(93) Aliæ.

(94) Hæc pars periodi ſic ſcribitur in MS. Trin. Coll. aliæ in conflictu militari convenientes & neceſſariæ operationes per militarem dijudicantur, ſed per fræni factivam aut aliam militari ſubminiſtrantem magis perturbantur: perperam proculdubio: repugnat enim Authoris menti & exemplo propoſito.

(95) Prædictis & conſim-

(96) Supereminentiam ſuæ ſanctitatis &----

(97) Male locatur hic [ſuæ ſanctitatis]. quod antea reponi debuit, in MS. Trin. Coll. ſic eſt —— Exterminans, & omnia ſancta &—

verſum

verſum introducens: Ad hoc enim conſtituta eſt ſuper gentes & regna, ut omnia mala (98) & erronea à voluntate deſtruat ne ſint in actione; diſperdat, ne ſint in conſuetudine; diſſipet ut nec ſint in memoria; (99) faciendo ea & omnia ſancta, recta & ſalutaria, ædificet in actionum frequentia & plantet in amore. Caterùm clamor effrænatæ impudicitiæ familiarum hujus Curiæ multiplicatus eſt vehementer nimis; quæ ſi clamorem opere compleverit; quomodo eſt hæc Curia, tales habens familias, domibus ſuis, hoc eſt, familiarum ſuarum moribus, bene præpoſita? Et quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit, qui domibus ſuis aut præeſſe neſcit, aut de eis non curat? Non enim curare de moribus familiæ, eſt fidem abnegare; dicente Apoſtolo, Qui ſuorum, & maximè domeſticorum (100), &c. Hujus quoque curiæ, hujus verbi non obſtante frequentiâ, mundum replevit inconſtantia mentiendi, fugavit verecundiam, adhibendi fidem chartis omnem abſtulit, & non obſervandi fidem (1) omnem contulit audaciam. Clamat etiam mundus, quòd hæc curia, contra præceptum Evangelicum, quo dictum eſt Petro, Converte gladium tuum in locum ſuum, manu propriâ educit gladium materialem, etſi (2) à ſolicitis de ſalute hujus ſacræ ſedis vehementiſſimè timetur, ne, quod abſit, veniat ſuper eam illa terribilis ſubjuncta Domini comminatio, Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Et cum Abraham, Moyſes & Samuel qui ſunt (3) curiæ typus, & figura hujus curiæ, munera omnino non acceperint, ſed manus ſuas, ut beati, ab omni munere excuſſerint; & cum inſuper præceptum ſit à Domino, maximè judicibus, munera non accipere, eò quòd excæcant etiam prudentes & ſubvertunt verba juſtorum & pervertunt judicium, miratur vehementer mundus quòd hæc curia ſanctiſſima, & in judiciis juſtiſſima, munera, ut per mundum clamatur, accipit. Et quia per nullum actum qui ſine peccato omitti poteſt, debet quis proximum ſcandalizare, affligere aut opprimere, ſicut in oſtenſionem ſuæ juſtitiæ dicunt Moyſes & Samuel: hic quidem quòd neminem ſubditorum afflixerit; ille autem quòd non oppreſſerit; obmurmurat & obloquitur plurimum populus & clerus Anglicanus huic curiæ, eò quòd conceſſit Domino Cantuarienſi (4), quòd fructibus beneficiorum Cantuarienſis provinciæ per unum annum poſt eorum vacationem percipiendis, compulſionem uſque ad intima ſcandalizantem, affligentem vehementer & opprimentem; præſertim cum Eccleſia Cantuarienſis ſibi ſufficeret ad debitorum ſuorum ſolutionem. Nec (5) ponat quis in excuſationem talium, quòd dies mali ſunt, & mundus in maligno poſitus eſt, & ideo oportet multa diſſimulare & ſuſtinere pro communi Eccleſiæ utilitate, quaſi ob hæc eſſet vel minimum malum faciendum ut (6) eveniat quantumcunque bonum; quia ſecundum Apoſtolum, non ſolùm ſic agentibus, ſed, ut prætactum eſt, ſic dicentibus imminet in æternum væ & juſta damnatio. Sed quanto dies pejores & mundi actus maligniores, tanto fortius (his præcipuè qui de mundo non ſunt, & quorum eſt in cœlis converſatio) cavendæ ſunt actiones malæ & bonis inſiſtendum: ſicut ubi & quando pondus belli majus, ibi & tunc magis cavenda deſidia & fuga, & virilius pugnandum: Et quanto plus deſideratur pœnæ vitatio & boni acquiſitio ſeu retentio, tanto fortius & prudentius cavenda eſt omnis mali actio; cum juſtiſſimo Dei judicio, ſicut evidenter haberi poteſt ex ſcripturæ teſtimonio, qui facit malum ut evitet pœnam vel adquirat ſeu retineat bonum, neceſſariò ex hoc incidit in pœnam quam timuit & carebit bono quod concupivit. Et (7) omnino timendum, imò magis pro certo tenendum eſt huic ſacræ ſedi quòd (8) illam quam nunc ſentit pœnarum præſentiam & bonorum abſentiam induxerint ſuper eam prædictæ actiones malæ & conſimiles ut evenirent ei bona: & quòd niſi in his & conſimilibus abſque morâ ſe corrigat, citò profectò privabitur bonis: & cum dixerit Pax & ſecuritas, repentinus ſuperveniet interitus, & ſubjicietur atrociſſimis pœnis, (9) quas planxit Deus Pater per os unigeniti Filii ſui & perdilecti ab unigenito diſcipuli, & legiſlatoris, & ſanctorum qui à ſeculo ſunt prophetarum ejus. Hæc pauca timens & tremens ſanctitati Paternitatis Veſtræ ſcripta trado, impulſus timore vehementi illius væ quod vehementer terruit Iſaiam, & attractus deſiderio correctionis malorum prætactorum; ne reputet, humillimè & devotiſſimè, ſpiritu mentis anxiiſſimo cum fonte lachrymarum inundante, ſupplico, paterna clementia præſumptionem, quod, dictis timore & deſiderio cogentibus, à me peccatore extremo eſt attentatum.

(98) Mala erronea evellat à voluntate; deſtruat.
(99) ad faciendum.
(100) Suppletur textus in MS. Trin. sic — domeſticorum curam non habet, fidem non habet & eſt infideli deterior.
(1) Eidem eiſdem omnem.
(2) Et à ſol—
(3) deeſt [curiæ].
(4) Mutilum eſt MS. Trin. non enim plenè exhibet querelam, ut hoc noſtrum; ſed redundat hic [quòd].
(5) Proponat.
(6) Ut eveniret qualecunque bonum.
(7) Et ideo timendum omnino.
(8) Illas quas.
(9) Quod prædixit Deus Pater.

Explicit Sermo Sancti Roberti Epiſcopi Lincoln. lectus in Scripto coram Papâ & Cardinalibus.

EJUSDEM SERMO AD CLERUM:

Qui in MS. hunc habet titulum, Ad pastores Ecclesiæ persuasio : & de triplici officio Regis : quid sc. Rex debet facere.

Rex sapiens stabilimentum est populi sui.

VErba sunt Sapientis in Sap. 6. 26. Rex à regendo dicitur, ideoque Rex rectè nominatur, qui regiminis sibi commissi gubernacula rectè moderatur: quapropter vos omnes rectores animarum, si populum vobis subjectum rectè regitis, * Reges & vocamini & estis, convenitque unicuique vestrum quod in principio dixi, Rex sapiens stabilimentum est populi sui: non enim solùm estis sacerdotes, sed, sicut dicit Petrus, Regale sacerdotium. Verus enim Melchisedech simul in unum Rex & Sacerdos, lavans nos in sanguine suo sicut dicit Apostolus in Apocalypsi, fecit nos Domino nostro regnum & sacerdotes ut regnemus super terram. Cum itaque, ut patet testimonio scripturæ, nos prælati Ecclesiæ Regia simus pollentes dignitate, vigilanter & strenuè nobis agendum est ne tantam dignitatem vili commercio commutemus. Quis enim non insanissimus haberetur & esset qui regia præfulgens & præpotens majestate, eam commutaret vilissimæ servitutis conditione? Hanc miseram & flebilem commutationem nos prælati Ecclesiæ facimus, quoties postposita professionis nostræ dignitate, gulæ vel luxuriæ vel avaritiæ seu alii vitio criminali succumbimus, & qui soli Deo servientes regnare debemus, quia illi servire regnare est, talium vitiorum turpissimæ servituti nos subjicimus. Qui enim facit peccatum, servus est peccati; & ideo cum peccatum nihil est, sed fit corruptio & defectio boni: servus enim non fit major domino suo sed etiam minor: quando nos servituti vitiorum subdimus, à regia potestate nos sponte demittentes, ipsa corruptione, imò ipso nihilo, si fieri potest, viliores & posteriores efficimur. Et quid insanius quàm à tam excelso in tam imum se detrudere? Non igitur à majestatis nostræ celsitudine sic turpiter declinemus, sed cum Abacuc super custodiam nostram stemus & figamus gradum super munitionem nostram, & contemplemur ut videamus quæ pertinent ad nostram regiam dignitatem, & quod sit Regis officium ut illud strenuè peragamus. Regis itaque officium est tripartitum: subjectos videlicet armis defendere; moribus † ornare; legibus emendare. Sic & nos qui sumus reges spiritales oportet nostræ curæ commissos armis spiritualibus defendere, moribus honestis ornare, legibus divinis emendare. Primum itaque est ut defendamus curæ nostræ commissos contra insultus dæmoniorum, vitiorum & hominum malorum. Insultus itaque dæmoniorum repellendi sunt per instantiam supplicum pro subditis orationum, per psalmodiam & canticum laudum & hymnorum, per administrationem sacramentorum. Sicut enim carnales hostes repellunt tria; videlicet prævolans odor famæ * virium resistentium, valida missio jaculorum, forte munimen castrorum: sic spirituales nequitias in cœlestibus primò arcet odor incensi devotæ orationis; quia fumus hujus incensi si per ignem charitatis resolvatur & jejunii maceratione gracilietur †, quia bona est oratio cum jejunio & eleemosyna, extricat imò suffocat omne genus dæmoniorum, & qui in naribus Dei est odor suavitatis, dæmonibus est in mortem odor mortis. Hoc odore primo sensit Paulus dæmones coerceri cum dixit, Testis est mihi Deus cui servio in spiritu meo in evangelio filii ejus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Post hunc odorem primum dæmones absterrentem, mittenda sunt jacula laudum & hymnorum: lingua enim laudantis est velut arcus extensus, singula verba emissa sunt sicut jacula ignita corda dæmonum perforantia & urentia. In hoc arcu & his sagittis tulit Jacob partem unam quam dedit Joseph extra fratres suos. Quomodo perforant & vincunt hæc jacula, sentire potest in seipso invidus cum laudes audit invidiosi. Sacramenta Ecclesiæ sunt velut castri tutissima munitio: quod castrum, velut fluvius immensus, primò circuit aqua baptismi, primóque coercet hostiles accessus; deinde in interioribus ripis fluvius est confessio, & pœnitentia velut vallum & murus exterior. In medio autem, velut turris fortissima, sacramentum altaris collocatur; ad quam turrim per 7. ordines, velut per 7. gradus ascenditur: his itaque defensionibus

Marginal notes:
* In primo exempl. MS. ita: est—regitis', vocamini & estis.
S. Joh. 8. 34.
Cap. 2. 1.
† Id. honestis.
* Id. viriliter.
† Et subtilicetur, & eleemosynarum oleo impinguetur, quia—Id.

bus vos qui reges eſtis ſpirituales, contra ſpirituales nequitias ſubditos veſtros ſtrenuè defendite; cum jejunio & eleemoſyna inceſſanter orantes, laudes & hymnos ſpirituales perſonantes, Eccleſiæ ſacramenta ſincerè adminiſtrantes. Contra vitia debetis defendere ſubditos veſtros per pœnarum gehennalium timorem, per fœditatis peccati incuſſum horrorem, per peccati manifeſtandi in die judicii confuſibilem ruborem. Debetis namque ſubditis veſtris apertè deſcribere ſtagnum ardentis ſulphuris, cujus ignis tenebroſiſſimus, fœtentiſſimus, ardentiſſimus & inextinguibilis, à quo eſt ad aquas nimium ſubitus tranſitus, ubi ſtridor dentium horribilis, à quo balneo transferentur in lectum, ubi ſub eis ſternetur tinea, & operimentum eorum erit vermis; ubi oculos, hic vagos ad concupiſcendum, tenebunt tenebræ exteriores, quæ cogent lugubri voce clamare, væ væ quantæ ſunt tenebræ! ubi undique terrebunt formidines, nihilque occurret aſpectui niſi diræ tortorum facies: ubi nil perſonabit in aure niſi durus ululatus gementium, nec perfundet nares niſi fœtor putentium; ubi, ſicut dicit * Job, exardeſcet contra impium ſitis & attenuabitur fame robur ejus, & inedia invadet coſtas ejus & devorabit pulchritudinem illius, & conſumet brachia illius primogenita mors: tali pœnarum deſcriptione, incuſſo timore, ipſius timoris velut lanceæ cujuſdam acumine carnes vitiorum debetis transfigere. Debetis etiam ad defenſionem contra vitia horrorem fœditatis ipſius vitii incutere, oſtendentes quomodo peccatum eſt diaboli progenies, mortis parens, naturæ corruptio, boni privatio, animæ captivatio & à ſimilitudine reformata & conformata ſummæ pulchritudini in formam beſtialem deformatio. † Homo enim cum in honore eſſet, &c.

* cap. 18. 5. 12. 13.

† Pſal. 49. 13.

Ad prædictam etiam contra vitia defenſionem non parum confert ſi deſcribatis in mentibus ſubditorum quomodo in die judicii aperti erunt libri conſcientiæ ſingulorum & manifeſta erunt occulta cordium, omniaque ſingulorum peccata, quæ hic non delentur vera pœnitentiâ, ibi evidentiſſimè in tabulis cordis ſcripta toto cœtu collecto ad videndum patebunt legenda: ſic enim incuſſus peccati manifeſtandi rubor ipſum peccatum longius arcebit. Inſultant autem & nocent pravi homines tripliciter; aut contra fidei ſimplicitatem, aut morum honeſtatem, errores docendo aut exemplo pravo corrumpendo; aut vi vel fraude corporaliter miſeros opprimendo. Contra primum occurrendum eſt gladio verbi, ſanâ videlicet doctrinâ; ſicut monet Apoſtolus dicens, † formam habe ſanorum verborum quæ à me audiſti in fide & dilectione quæ eſt in Chriſto Jeſu; & alibi, * tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam. Contra ſecundum occurrendum eſt converſatione ſanctâ, ut ſimus, ſicut monet Apoſtolus, exemplum fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Contra inſultum tertium occurrendum eſt brachio ſeculari, cum poſſumus, inopem de manu fortiorum ejus eripiendo, aut ipſos oppreſſores ejus, cum hoc poſſumus, excommunicationis gladio feriendo, aut eos non vindictæ causâ ſed correctionis gratia, coram Judice conveniendo, aut, cum plus non poſſimus, eos Eccleſiæ manifeſtando. His modis contra tria genera hoſtium oportet tueri ſalutem ſubditorum, non ſolùm uſque ad hominum odium & maledictionem vel ad poſſeſſionum amiſſionem vel adminiculorum conſtrictionem, ſed uſque ad ſanguinis effuſionem: ſicut enim Chriſtus pro nobis animam poſuit, ita & nos debemus pro fratribus animas ponere; & ſi Reges terreni pro tuendis temporalibus libertate & ſalute ſubditorum uſque ad mortem dimicant; quanto magis nos, qui reges ſumus ſpirituales, hoc debemus facere pro ſpiritualibus libertate & ſalute, cum hæc ſpiritualia incomparabiliter temporalibus præmineant? imò ſi feræ & irrationabiles beſtiæ pro fœtibus carnis tuendis ſe morti exponunt, cum poſt hanc vitam alteram † vitam non expectant; quanto magis oportet nos pro tuendis filiis ſpiritalibus uſque ad mortem dimicare; cum poſt hanc vitam alteram incomparabiliter meliorem expectemus? imò ſi hoc non facimus, quomodo non ſumus ipſis feris & beſtiis crudeliores, & irrationabilibus irrationabiliores & jumentis inſipientibus poſteriores? Ne in hanc igitur dejectionem regale noſtrum ſacerdotium declinemus, pro ſubditis tuendis ſtrenuè dimicemus & primum Regis officium viriliter peragamus.

† 2 Tim. 1. 13.

* Tit. 2. 1.

† deeſt in cod.

Secundum Regis officium eſt ſubditos moribus informare: hoc expreſsè nobis convenit, quibus dicit Petrus, * Non dominantes in clero ſed forma facti gregis ex animo: noſtra enim converſatio ſancta & doctrina ſana ſubditis debet eſſe vivendi forma & regula; ſicut in inſcriptione ſigilli argentei cera mollis imprimitur & figuratur, ſic in ſcriptione noſtræ vitæ & doctrinæ imprimi debet & in formationem redigi vita fluxibilis & informis ſubditorum. Regis enim ad exemplum totus componitur orbis: & qualis eſt rector civitatis, tales & inhabitantes in eâ. Cum itaque ad formam noſtri formanda ſit vita ſubditorum, oportet ut artis vitæ regendæ in nobis ſit primò integra & expreſſa inſcriptio. Quam inſcriptionem non obliteret tumor ſuperbiæ, nec offuſcet

* 1. Pet. 5. 3.

livor invidiæ, nec corruget constrictio avaritiæ; non conscindant ungues rapinæ, non oblinat fluiditas lutosa luxuriæ, non tandem deforment alicujus criminis notæ; quia
* Tit. 1. 7. secundum Apostolum, * oportet Episcopum, i. quemlibet prælatum, sine crimine esse. In aspectum itaque mentis nostræ sit primùm inscripta ars vitæ regendæ, ut sciat unusquisque secundum fidem rectam ea saltem subditis exponere, sine quibus non potest salus consistere, & quibus observatis salus non potest abesse; ut sciat saltem simpliciter articulos fidei & decem mandata decalogi & quæ sunt vitia criminalia & qualis sit
† Id. saluti suff — † sufficiens pœnitentia. Debet quoque ista aspectui facta inscriptio penetrare in affectum, ut quod videt aspectus debere fieri, dirigat amor ad faciendum, & sic tandem per affectus medium prorumpat menti facta inscriptio in executionem exteriorum & manifestorum operum, ut videant opera nostra bona & glorificent patrem nostrum qui in cœlis est: & sic in luce operum nostrorum quasi in libro subditi legant quales in seipsis esse debeant. Qui autem artem vitæ regendæ sic non habet inscriptam, qualiter audet assumere animarum regimen? navem regere nullus præsumit sine arte navali, aut fabricam construere sine arte fabrili, aut domum fabricare sine architectoria, aut currum regere, nisi sit peritus auriga; cum tamen in his, si erratur, non vita alia nisi temporalis periclitatur. Regimen autem navis Petri in hoc vasto & tempestuoso pelago mundi, tanto hodie quisque assumit promptior, quanto artis est imperitior: cum tamen hic si erratur, non possessio sola, non vita qualiscunque, sed vita æterna periclitatur. Non sit in vobis
* Id. addiscat eam. tam audax præsumptio. Qui artis vitæ regendæ ignarus est, * discat; qui eam scit, opere confirmet, nec oblinat eam maximè lutosa luxuria; ut sit vestra vita aliis vivendi regula recta: sicque per vos secundum Regis officium administretur.

Tertium Regis officium est subditos legibus emendare, bene meritos præmiando, male meritos secundum legem puniendo. Hoc faciunt Prælati Ecclesiæ cum, secundum statuta Patrum & canonicas sanctiones, aut bona merita remunerant, aut pravorum
† Id. ad præsens. audaciam justis pœnis coercent. De hoc tertio officio † vobis plura loqui supersedemus; quia quædam statuta sacra quæ ad hoc pertinent officium coram vobis recitari faciemus. Hæc itaque tria officia si rectè administraverimus, reges sapientes erimus & populum nostrum supra firmam petram, ædificium firmum stabiliemus, in quod descendens pluvia & venientia flumina & procellosa flamina licèt irruant, non cadet, quia fundatum est
S. Matt. 7 24, 25. supra firmam petram, Dominum nostrum Jesum Christum.

EJUSDEM MONITIO ET PERSUASIO

Pastorum super S. Johan. 10. 11. *Ego sum pastor bonus.*

FILIUS Dei volens ostendere ad quid in carne venerit & ad quid nos prælatos plebi suæ præfecerit, ait, Ego sum Pastor bonus. Ad hoc enim venit in carnem ut nos oves pascuæ ejus pasceret herbis seminalibus doctrinæ scripturæ sacræ; ut nos pasceret floribus specierum creaturæ; ut nos pasceret exemplorum fruge; ut nos pasceret carnis suæ lacte, ut nos pasceret divinitatis soliditate: & ad hoc præfecit prælatos simplici plebi suæ, velut ovium gregi, ut similiter pascant gregem suum moralibus præceptis scripturæ, moralibusque institutis assumptis ex similitudinibus cum speciebus creaturæ: qua omnis creaturæ species habet aliquid exemplar honesti; & invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, possunt conspici. Item ut pascant gregem operum fruge exemplari, ut pascant sacramentum corporis & sanguinis Christi ministrando; ut pascant etiam visionem divinitatis per speciem permittendo. Unde patet quòd quinquefaria est pascua gregis Domini. Prima pascua est ager scripturæ, in quo agro singula præcepta moralia sunt sicut singulæ herbæ virides & seminales, quas oves plebium simplicium, prælatorum expositione intelligendo velut deglutiunt & in ventrem memoriæ trajiciunt, & recordando ruminant, & amando sibi
* S. Matt. 13. 44. incorporant. De quo agro dicitur, * Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quia in latitudine scripturæ sub sensus historici superficie latet thesaurus desiderabilis spiritalis intelligentiæ.

Secunda pascua est ager latitudinis creaturæ, in quo agro singularum specierum pulchritudines sunt sicut singuli flores quibus pascuntur plebium greges, cum prælatorum doctrina & eruditione ex similitudinibus specierum creaturæ informantur aliqua morum honestate.

Tertia

Tertia paſcua eſt ipſius prælati reſpectu plebium ſimplicium vita & converſatio bona ſecundum exemplum ejuſdem, & Chriſti hominis reſpectu prælatorum: quia prælatorum imitatores ſunt plebes, ſicut ipſi prælati, Chriſti; ſecundum vocem Pauli dicentis, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. In hoc agro de ſemine verbi erumpunt fruges bonorum operum, quorum exemplo paſcuntur ſubditi, velut quadam fruge, ſicut prælati paſcuntur fruge exemplorum Chriſti. De hoc agro dicit Iſaac, Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni. Chriſti enim bonus odor ſumus Deo, aliis vitæ in vitam, aliis mortis in mortem. Sed quia adhuc ſumus agni novelli & tenelli, egemus adhuc lactis confortatione, unde 1 Cor. 4. 16. Gen. 27. 27. 2 Cor. 2. 15, 16.

Quartum quo paſcendus eſt grex Domini, verbum eſt incarnatum: ipſa enim verbi divinitas, ut docet Auguſtinus, per carnem aſſumptam lacteſcebat. Hoc autem lacte roboratus grex, & in tribus præſcriptis agris paſtus tandem perveniet ad paſcuam ſoliditatis divinæ viſionis, ut dicat cum Pſalmiſta, ſatiabis me cum vultu tuo. Hæc paſcua eſt ager ampliſſimus, quia majeſtas Divinitatis in menſa eſt: in hoc * eſt flos immarceſcibilis pulchritudinis univerſæ. Ipſe quoque flos eſt æterna Dei ſapientia, in qua deſcripta eſt pulchritudo univerſa: in qua ſunt omnium rerum mortalium & corruptibilium & irrationabilium † unientes & æternæ rationes. Hujus agri flores habent in ſe robur univerſæ potentiæ & ſuavitatem univerſæ bonitatis: de hujus agri pulchritudine ait Pſalmiſta, Et Pulchritudo agri mecum eſt. Ab eo igitur quòd in his quinque paſcuis gregem Domini paſcimus, in noſtro capite paſtore Chriſto, paſtores ſumus, imò magis omnes in illo unus paſtor ſumus, ſicut omnes fideles in illo cum illo ſunt unus Chriſtus. * Agro. id. † Port. vir— Pſ. 50. 11. ☞

Noſtrum itaque paſtorale officium inprimis poteſt diviſione ſenaria partiri: prima namque pars officii paſtoralis eſt, ut intret per oſtium: quia qui intrat per oſtium, hic paſtor eſt ovium.

Secunda pars eſt, ut efficiat oves vocem ſuam audire.

Tertia, ut vocet illas nominatim.

Quarta, ut educat illas.

Quinta, ut ante eductas vadat.

Sexta & maxima, ut pro ovibus ſuis animam ſuam ponat: quia majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Primum namque conſtitutus in officio paſtorali verbum Chriſti ſive verbum Chriſtum debet prædicare, & per Chriſtum prædicatum, quaſi per oſtium (Ipſe enim eſt oſtium) in mentes ſubditorum velut in ovile intrare. Cogitatio enim & voluntas loquentis defertur ad aures auditoris, & per aures intrat in auditoris intelligentiam, & ab intelligentia tranſit in memoriam, & memoria reconditum amplexatur per amorem. Et ita cogitatio & voluntas loquentis intrat per verbum medium in conſenſum audientis; & ita quodammodo ipſe loquens per medium verbum intrat in audientes: unde ſi verbum ſit perſuaſorium ſuperbiæ vel invidiæ, avaritiæ vel luxuriæ vel alicujus immunditiæ, intrat loquens in audientes non per oſtium humile ſed per elatam maceriam ſuperbiæ, ruiturus in ignem & imum gehennæ. Si autem verbum ſit perſuaſorium veritatis fidei & honeſtatis morum, cum hæc in Chriſto ſint per verbum Chriſtum in verbo prolocuta, velut per oſtium humile intrat paſtor in ovile. Per hoc oſtium intravit qui dixit, Nihil judicavi me ſcire inter vos niſi Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum. Per hoc itaque oſtium, hoc eſt, per Chriſtum prædicatum debent paſtores intrare in ovile ovium; & ſi recordentur quid ſunt, non debent aliud loqui quàm Chriſtum: Chriſti enim paſtores os Dei patris ſunt, dicente Jeremia (cap. 15. v. 19.) Siquis ſeparaverit pretioſum à vili, quaſi os meum erit: ſed os Patris quid loquetur niſi verbum Patris, hoc eſt Chriſtum qui eſt Dei verbum? Abſit ut os Dei Patris loquatur opera hominum aut opera patris diaboli: ſed ut ait Pſaltes, Os meum loquetur ſapientiam: & in Iſaiâ, ex perſona Patris dicitur, Egredietur de ore meo juſtitiæ verbum. Primò itaque, ut dictum eſt, paſtor intret per Chriſtum prædicatum. Nec eſt contrarium illi quod alibi dictum eſt, Cœpit Jeſus facere & docere, quaſi ibi prærordinetur opus doctrinæ, & hic econverſo doctrina operi: quia & hic prærordinatur opus doctrinæ: talis enim debet in paſtorem aſſumi, qui prius probatus ſit vitæ ſanctitate, ut opera quibus probatus eſt antequam conſtituatur paſtor, probent verba quæ ſtatim loquitur cum ſit paſtor. Unde ad Timotheum 1 Ep. (3. cap. ver. 2.) Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c. & ad Titum 1. Cap. (7. v.) oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, &c. Cum prima itaque pars officii paſtoralis ſit per Chriſtum prædicatum intrare, congruè S. Joh. 15. 13. 1 Cor. 2. 2. ☞ Cap. 45. 23. Act. 1. 1.

Secunda

Secunda pars eſt, ut, quantum in ſe eſt, vocem prædicatam faciat oves audire; quia prædicationem ſequi debet auditio. Audient autem ſi aures habeant perfectas: eſt autem auris perfecta, cum verbi ſonantis in aure corporis ſignificatio hauritur ab intelligentia, & intellecta reponitur in memoria, & memorata imprimitur in affectum beneplaciti, ut ſit memoria mandatorum Dei ad faciendum ea. De his auribus dicitur, Aures autem perfeciſti mihi, &, Qui habet aures audiendi, audiat: Si autem deſit vel in affectu beneplaciti impreſſio, vel intellecti memoria, vel auditi aure corporis interior intelligentia, non eſt auris perfecta & integra ſed abſciſſa. Non eſt autem in loquentis exterius poteſtate, ut veritatem, quam loquitur, oſtendat audientis intelligentiæ, vel infigat memoriæ, vel imprimat affectui: unus enim eſt Magiſter Chriſtus qui hoc operatur interius. Quomodo ergo qui loquitur exterius efficiet ut vox ejus audiatur interius? Fortè is eſt modus, ut oratione moveat interius loquens verbum Chriſtum ad imprimendum interiori auditui, quod ipſe exterius loquitur auditui exteriori. Cum enim accendit prædicator quod ſuæ poteſtatis non eſt niſi extra ſonare ad aurem corporis, & ob deſiderium inſcriptionis eorum, quæ loquitur, in aure mentis, gemitibus & orationibus efficit ut Chriſtus verbum loquatur in aure mentis, ut audiat auditor quid in ſe loquatur Deus, etiam ipſe prædicator non immeritò ob hoc dicetur efficere quòd oves vocem ejus dicantur audire. Cum enim tria ſunt quæ integrant rationem quam reddituri ſunt paſtores pro ovibus, ſc. doctrina ſana, lux exemplaris operum & oratio, major his, ut dicit Bernardus, eſt oratio; & propter hæc tria ter dicitur Petro, Paſce oves meas: paſce ſc. verbo, paſce exemplo, paſce oratione.

Pſ. 40. 7.
Matt. 11. 15.
S. Joh 21. 15. 16. 17.

Tertia pars officii paſtoralis eſt, ut proprias oves vocet nominatim; ſed eas ſic vocare non poteſt, niſi noſcat & nomina: hæc autem nomina ſunt illa quibus * ſcribuntur in libro vitæ; & eſt cujuſque nomen quo ſcribitur in libro vitæ, collectio virtutum interiorum quam non eſt in alio reperire, propter quam etiam de quovis dici poteſt, † Non eſt inventus ſimilis illi qui conſervaret legem Excelſi. Ex hoc itaque nomina propriarum ovium debet paſtor agnoſcere; & ſunt duo modi veniendi in talium nominum notitiam: quia ſicut medicus agnoſcit in cura ſua ſuſcepti occulta, partim ex ſignorum conſideratione, partim vero ex ipſius ſuſcepti relatione; ſic & paſtor, qui idem eſt medicus animarum ſuſceptarum in cura ſua, ſecreta & occulta debet agnoſcere partim per ſigna, partim per relata, maximè in confeſſione; debet enim paſtor omnia ſenſibilia opera ſubditorum ſuorum diligenter notare, & ex quo affectu procedant, prudenter conjicere: quia, ſicut ait Solomon, Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus: & alibi, Cor hominis immutat faciem illius, ſive in bonum ſive in malum: & in Eccleſiaſtico, Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei ſenſatus: amictus corporis & riſus dentium & ingreſſus hominis annunciant de illo [cap. 19. 26, 27.] Ex hujuſmodi itaque ſignis, cum his quæ audit ex narratione propriæ confeſſionis debet paſtor animum ſubditi ſui plenè agnoſcere, ut conveniat illi quod alibi dictum eſt, Novit juſtus animas jumentorum ſuorum [Prov. 12. 10.] Et ſic agnoſcens illum ſecundum propriam nominationem, qua ſcriptus eſt in libro vitæ, vocet, i. e. à torpore excitet & ad bonorum exercitium ſtimulet: hoc eſt quod pòſt dicitur, * Cognoſco meas: ſed nota quod ſequitur, Et cognoſcunt me meæ: Non enim paſtor agnoſcet ſuas per ipſam Confeſſionem, niſi & ipſæ cognoſcant paſtorem; cognoſcant, inquam, non ejus ſimiliter confeſſionem audiendo, ſed ex ſignis operum cognoſcant illum hominem veracem,  ſecretarium fidelem & occultorum nulla ratione revelatorem, miſeriæ agnitæ compatientem & ejuſdem pro viribus relevatorem: tali namque, & vix vel nullo modo alii, plenè revelant ſubditi occulta interioris morbi.

* Id. Scribimur
† Eccles. 44. 20.
Pro. 27. 19.
Eccleſ. 13. 31.
* verſ. 14.

Quarta itaque pars paſtoralis officii † eſt, ut educat eas. Quia poſtquam noverit eas, tam per ſigna quàm per propriam illarum confeſſionem, conſequens eſt ut confeſſis & agnitis veram injungat pœnitentiam. Ipſa enim pœnitentiæ injunctione quaſi eas educit de vinculis & carcere: per omnia namque catenam peccati rumpit: quia peccati catena  quaſi quibuſdam anſulis ſibi conſequenter innexis hoc modo conficitur: de voluntate perverſa naſcitur libido; de libidine, mali operis frequentatio; de opere frequentato, conſuetudo; de conſuetudine neceſſitas: quibus quaſi quibuſdam anſulis ſibimet annexis confecta catena ſtringitur & durè ligatur anima miſera: Pœnitentiæ autem partes ſingulæ ſingulas dictæ catenæ anſulas rumpunt: quia anſulam perverſæ voluntatis rumpit odium peccati & dolor & contritio: anſulam libidinis, carnis maceratio: anſulam frequentationis mali operis, operum miſericordiæ frequentatio; conſuetudinem, conſuetudo; & neceſſitatem, neceſſitas. Igitur, ut dictum eſt, Eductio de vinculis eſt per pœnitentiæ injunctionem. Sed qualiter viam aſperam in neceſſitate pœnitentiæ ibunt ſubditi, niſi per eam in eorum conſpectu prius incedant prælati? Propter hoc conſequitur

† convenienter ſequitur ſc. Id.

Quinta

Quinta pars pastoralis officii, ut ante oves vadat; Vadat inquam, per vias asperas & duras pœnitentiæ & exemplo suo complanet & molliat eas sequenti gregi, faciens quod monet Apostolus, dicens, Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Post hæc

Sexta pars est, ut animam suam ponat pro ovibus suis. Cum enim pastor sanam doctrinam prædicaverit, &, ut vox prædicationis suæ audiatur, orationis suæ merito effecerit, per signa & confessionem oves suas agnoverit, & per injunctam pœnitentiam de catena peccati eduxerit, & per viam pœnitentiæ coram ovibus suis iverit, quid restat, nisi etiam ut hanc vitam, si opus est, pro ovium salute ponat. Nec debent pastores ad hanc perfectionem esse pigri; quia minima virtus incomparabiliter melior est vitâ corporali: cum hæc vita corporalis non sit nisi vivificatio corporis ab anima: Virtus verò vita est animæ a Deo vivificata. Si autem paterfamilias aliquis dedisset pastori suo obolum, ut obolum illum in commodum & honorem domini sui qui tradidit, converteret: Similiter si tradidisset illi pastori ovem dilectam servandam, cujus ovis vita incomparabiliter esset melior obolo, acciderítque casus quòd pastor ille posset, vel rationabiliter crederet se posse, salvare vitam ovis traditæ custodiæ suæ per oboli traditi dationem, nonne infidelissimus esset si obolum pro salute ovis dare denegaret? Præterea mors corporis pœna est culpæ, quia Deus mortem non fecit: sed impii manibus & verbis accersierunt illam: quia itaque pœna culpæ solvitur, cum necessitate morbi & senectutis & corruptionis hujus vitæ mortalis morimur, mortem culpæ solvimus; cur ergo quod necessitate & invitè & ideo cum tristitiâ culpæ solvitur, non solvimus incomparabiliter libentius, liberi, voluntarii, ac per hoc gaudentes, auctori vitæ & destructori mortis & culpæ? maximè cum, si ad honorem ejus demus vitam corporis corruptibilem per mortem martyrii spontaneam, velut obolum plumbeum; recipiemus eandem etiam vitam ejusdem corporis, sed incorruptibilem, velut obolum in nummum mutatum aureum.

EJUSDEM SERMO ALIUS AD Clerum, contra pastores & prælatos malos.

EZECH. [34. 2, 3, 4.] *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? lac comedebatis & lanis induebamini, & quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum erat non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis; quod fractum non alligastis; & quod abjectum non reduxistis; & quod perierat, non quæsivistis; Sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia.*

IN sermone quêm postremò loquebar Charitati vestræ, prout Dominus tunc dedit, descripsi vobis pastorem bonum, & pastoris boni pastorale officium: & quia contraria juxta se posita magis apparent, & pulchrius refulget illud oppositorum quod ponitur in genere bono, ex manifestatione alterius oppositi quod ponitur in genere malo; ut pulchrius vobis adhuc elucescat pastor bonus ejusdemque officium, magisque manifestata pulcritudo avidius à nobis pastoribus appetatur, præsenti sermone suscepimus pastorem malum ejusdemque (non officium, quod nullum est, sed) abusum pro modulo nostro declarare.

In verbis itaque Ezechielis prophetæ propositis, Pastor malus & ejus abusus satis evidenter explicatur: & quia perniciosissimum est in pastorali dignitate constitutos pastoris officium non dignè agere, ab abusu pastoralis officii in primo verbo deterret per pœnæ comminationem, cum dicit væ pastoribus: hoc autem væ est illud quod scribitur in libro Sapientiæ: judicium durissimum in his qui præsunt fiet: potentes enim potenter tormenta patiuntur & fortioribus fortior instat cruciatus [cap. 6. v. *6.* & *9.*] & bene his minatur judicium durissimum; quia respectu subditorum erit malorum præpositorum damnatio modo quodam reduplicata, quia pro transgressionibus duplicium mandatorum Domini puniendi sunt. Duplex enim genus mandatorum proponitur in scriptura: unum quod præcipit agendum & prohibet omittendum; ut, Honora patrem & matrem. Non occides. Non mœchaberis, &c. Et hoc genus mandatorum astringit communiter & subditos & prælatos. Alterum verò est genus præceptorum, quod præcipit punire

dictorum

Levit. 20. 9. dictorum mandatorum transgressores, & præmiare observatores; ut, Qui maledixerit
cap. 20. 10. patri & matri, morte moriatur: &, Qui occiderit hominem, occidatur: &, Morte moriantur ambo, & mœchus & adultera. Et hoc genus præceptorum non astringit ad agendum ea plebem subjectam, sed præpositos. Ad punitionem enim transgressorum & præmiationem bonorum tenentur Præpositi soli; quorum solummodo est confessos vel ritè convictos ex sententia judiciaria condemnare vel bonos præmiare. Quia itaque Præpositi duplici genere mandatorum sunt astricti, sicut dicit Apostolus, Qui bene
1 Tim. 5. 17. præsunt, duplici honore digni sunt, quia præmiatione pro utriusque generis mandatorum observatione: & similiter qui male præsunt, à contrario duplici condemnatione digni sunt, pro utriusque sc. generis mandatorum transgressione. Adhæc pastor malus pro suis & pro gregis punietur delictis. Licèt enim unusquisque proprium onus portabit, nihilominus tamen verum est quòd pastor punietur pro delictis gregis; quia quicquid peccat grex per omissionem doctrinæ, exempli & orationis pastoris, per omissionem
* Id. qui. videlicet ejus * quòd non, sicut præcipit Apostolus, prædicat verbum, instat opportunè, importunè, arguit, obsecrat, increpat, in omni patientia & doctrina; in pastoris culpam & negligentiam redundat: sicut econtra, quicquid bene facit grex per pastoris, in prædictis quæ enumerat Apostolus, diligentiam, in pastoris gloriam & meritum abundat. Rectè igitur qui bene præsunt, duplici honore; aut qui male, duplici condemnatione, sunt digni. Præterea pastores aut scientiores sunt, aut esse tenentur, quàm grex
S. Luc. 12.47. subditus: sed servus sciens voluntatem domini & non faciens, vapulabit multis. Rectè igitur sicut sunt superiores in gradu & scientiâ, sic qui male præsunt, erunt inferiores in gehennæ pœnâ, in qua aspectum interiorem obnubilabunt interiores tenebræ; quia
Eccl. 9. 10. non est ratio nec scientia apud inferos: aspectum verò exteriorem obvolvunt exteriores tenebræ palpabiles, ubi nihil occurrit aspectui, nisi, sicut dicit Chrysostomus, diræ facies tortorum dæmoniorum: in auribus nihil personabit nisi durus ululatus & gemitus damnatorum: de quali scribitur in libro sapientiæ: nares perstringet fœtor stagni ardentis sulphurei, gustum invadet famis & sitis inedia: unde Isaias, Servi mei comedent, & vos esurietis: servi mei bibent, & vos sitietis: Ecce servi mei lætabuntur. & vos confundemini: Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis & præ contritione spiritûs ululabitis [cap. 65. 13, 14.] tactum verò & totum corpus penetrabit frigus aquarum nivis, & calor nimius ignis qui non extinguetur, animumque corrodet & perforabit vermis conscientiæ qui non morietur; & ut scribitur in libro sapientiæ, Creatura Creatori deserviens excandescet in tormentis adversus injustos [cap. 16. 24.] In his itaque & hujusmodi pœnis locus infimus & pro duplici transgressione duplex condemnatio est judicium durissimum quòd fiet in his qui
* Id. est væ. præsunt, & illud * væ, quòd eisdem comminatur propheta, cum dicit, Væ pastoribus Israel. Et cur istud væ illis? quia pascebant semetipsos, cum eorum sit officium pascere greges
† Id. beatus. subditos; sicut monet † Petrus dicens, Pascite qui in vobis est, gregem Dei. Unde Ezechiel cum dixisset, Væ pastoribus Israel, subjungit causam hujus, dicens, Qui pascebant
* Id. Væ illi qui pascit semetipsum. semetipsos: hoc est * quia illi pascebant seipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus? Et quid est semetipsos pascere, nisi de bonis temporalibus quæ à subditis vi vel fraude extorquent, vel secundum legem oblata recipiunt, sua carnalia desideria complere, & nihil spiritualis profectûs in subditis curare vel quærere; cum econtra pastoralis curæ sit officium, non quæ sua sunt sed quæ Jesu Christi quærere, & spiritualem profectum subditorum non solùm carnalibus suis desideriis, sed etiam vitæ propriæ carnali præferre; subditos verbo, exemplo & oratione reficere; in agro scripturæ, in agro creaturæ, in agro latitudinis operum & passionum quæ Christus homo gessit & passus est in carne; in agro etiam latissimo rationum æternarum descriptarum in divina mente. Dictum autem pastum, quo semetipsos pascunt pastores mali, insinuat propheta consequenter, cum subjungit, Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis; hoc est, in libidinem & voluptatem edendi assumebatis, quicquid, ut lac, dulce sapiebat gustui, & in vestium luxum, & tactûs voluptatem, quicquid molle, ut lana, & suave erat tactui; crassumque, non tam pecus forsitan quàm subditum hominem possessionibus locupletem, sua illi eripiendo, ut vos ditaremini, tristitiâ seculi quæ mortem operatur ex suorum amissione, occidebatis: cum contra luxum esus & indumentorum loquatur Deus ad sacerdotes per Joelem prophetam dicens, Accingite vos & plangite sacerdotes, ululate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei nostri, quia interiit de domo Dei nostri sacrificium & libatio: sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate senes in domo Dei nostri, & clamate ad Dominum [cap. 1. 13, 14.] Eos autem qui supradicto modo occidunt quod crassum est, i. locupletes spoliant ut ipsimet ditentur & sic contristantes eos tristitia seculi occidunt, vocat Dominus pecora occisionis, per Zachariam

Zachariam dicens, Paſce pecora occiſionis quæ qui poſſederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes, Benedictus Deus, divites facti ſumus [c. 11. 4, 5.] Ad eaſdem quoque oves occiſionis loquitur ita Dominus per Michæam, dicens, Audite principes Jacob & duces domûs Iſrael, nunquid non veſtrum eſt ſcire judicium qui odio habetis bonum & diligitis malum; qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis * (3. 2.) excoriaverunt & oſſa eorum confregerunt & conciderunt ſicut in lebete & quaſi carnem in medio ollæ. Pelles ſunt exteriores poſſeſſiones glutino amoris ipſis poſſeſſoribus velut corium adhærentes: caro eſt carnale fomentum & ſolatium carnalis ſubſidii ex poſſeſſionibus habiti: oſſa verò ſunt fortia opera virtutum: pelles itaque tollunt & excoriant, dum poſſeſſiones exteriores violenter auferunt: carnem comedunt, dum carnalia ex his ſubſidia, quæ à ſubditis tollunt, in ſuos uſus ſuaſque voluptates convertunt: oſſa confringunt dum per triſtitiam pro ereptis, in impatientiam propellunt, & ſic virtutum fortia conquaſſant. Jam itaque expoſuit propheta quomodo paſtores mali ſeipſos paſcunt, faciendo ad gregem quod facere non debent. Conſequenter adnectit quòd non faciunt ad gregem quod facere debent, cum infert, Gregem autem meum non paſcebatis; quod infirmum erat non conſolidaſtis, quod ægrotum non ſanaſtis, quod fractum non alligaſtis,& quod abjectum, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiviſtis.

* vide locum ſignatum: aliqua enim hic deſunt.

Et nota hic ſex omiſſa in cura paſtorali obſervanda.

Primum ſc. paſcere informatione & eruditione fidei, & doctrinâ præceptorum moralium, ſine quibus non eſt ſalus, † & in quibus conſiſtit ſalus.

† deſunt hæc ultima verba in cod.

Secundum verò eſt, infirmos & debiles ad gradiendum, in via morum conſolidare ad robur, ſpe promiſſionis cœleſtium præmiorum.

Tertium, lapſos in vitia,ſed nondū deſperantes medicamento ſalubris pœnitentiæ ſanare.

Quartum, jam fractos deſperatione, oſtenſione magnitudinis miſericordiæ Dei, ex qua etiam Dei filius incarnari pro peccatoribus voluit, & ligari & crucifigi & orare pro inimicis crucifixoribus, alligare.

Quintum, abjectos à communione fidelium per excommunicationem reducere per canonicam abſolutionem.

Sextum verò, quod periit receſſione ab unitate Eccleſiæ per ſchiſma vel hæreſim & infidelitatem, quærere ut inveniatur, reditione ad fidem & Eccleſiæ unitatem.

In his itaque ſex ſufficienter completum eſt officium curæ paſtoralis; quia aut ſanos à mortali peccato paſcit ad vitæ continuationem, aut conſolidat roborando ad profectum, aut ægrotos vitio, ſed nondum deſperantes, ſanat pœnitentiâ, aut jam deſperantes faſciâ magnitudinis miſericordiæ Dei alligat, aut abjectos per excommunicationem reducit abſolvendo, aut perditos hæreſi vel infidelitate quærit, hæreſim improbando & fidem perſuadendo.

Et cum in his ſex conſtat paſtoralis officii completio, in eorundem defectibus conſtat eorum defectio: redeamus igitur ad

Primum, & conſideremus quàm miſerabilis eſt paſtor, qui gregem non paſcit: pone aliquem cibi inopem, qui nec etiam fortè unius panis habet copiam, qui ſe obliget diſtrictè ad paſcendum copioſè & ſplendidè turbam plurimam fame periclitantem: adjice & quòd ſic obligatus negligens ſit ad quærendum cibum, cum * autem nil aut parviſſimum habeat, & ſi forte qui † parvum cibi habet, illud ſtultè abjicit; nonne hic talis reus eſt mortis fame pereuntium, quos ex obligatione ſua paſcere tenetur? reus quoque arrogantis præſumptionis & negligentiæ & ſtultæ effuſionis?

* etiam Id.
† deeſt [qui] & eſt[parum] in cod.

Tales ſunt hodie paſtores multi: cum enim aſſumunt officium paſtorale, obligant ſe ad paſcendum turbam populi ſubjecti, fame verbi Dei periclitantis, pane doctrinæ veræ fidei & moralium præceptorum in quibus conſiſtit ſalus & ſine quibus ſalus non eſt: & inopes ſunt cibi, quia multi nec unicum fidei articulum, nec unicum de præceptis decalogi, populo ſciunt exponere, & velut tot panum indigentes ſunt quot ſunt fidei articuli & præcepta moralia ſaluti neceſſaria, quæ exponere neſciunt: & cum hos panes non habeant, obligati tamen ad paſtum ex his panibus populi ſubjecti, diſcere ea quæ neſciunt negligunt; imò & multi eorum ſapientiam atque doctrinam deſpiciunt, ſcientiamque repellunt. Inſuper ſiquid ſcientiæ fortè habent, implicando ſe ſecularibus negotiis & vacando voluptatibus, illud modicum ſcientiæ obliviſcuntur: & ſic ſiquid cibi habent, illud modicum ſtultè abjiciunt.







Item quidam ſunt ſani à morbo, * videlicet vitii mortalis; ſunt tamen adhuc infirmi, i. debiles velut corporaliter pueri imbecilles, & qui nuper convaluerunt ab aliqua ægritudine, ſicut nuper dimiſſi à febre, retinent adhuc debilitatem ex præcedente morbo, laſſi quoque labore, laborando debilitatem contraxerunt. Sic quidam ſpiritualiter ſunt adhuc debiles, velut pueri quibus adhuc opus eſt lacte, non cibo ſolido; & horum reſpectu

* deeſt[videlicet]

1. Thes. 2. 7. est pastor sicut nutrix; unde Apostolus ait, factus sum in medio vestri tanquam nutrix fovens filios suos: quidam verò sunt quasi nuper ab ægritudine convalescentes; utpote qui vitia nuper reliquerunt; sed adhuc tenentur vitii relicti consuetudine: & horum respectu, sunt prælati velut medici dantes confortativa. Alii verò sunt quos ex multo exercitio & labore magno in operibus bonis jam incipit tædere; & quasi ex tædio dispositionem habent quandam ad accidiam; sed nondum tamen in eam inciderunt: qui sunt velut ex multo labore lassi & debilitati: & horum respectu sunt prælati velut hospites, sic lassos hospitio recipientes, ut refocillati & revigorati reparentur ad laborem. Et nonne miserabilis esset sub quo, functo nutricis officio, puer non proficeret? & sub quo, functo medici officio, debilis adhuc ex dimissa ægritudine confortationem non acciperet? & sub quo hospite hospes lassus vigorem non resumeret? Tales & tam miseri sunt prælati, qui tribus dictis modis infirmos & debiles spe cœlestium præmiorum ad robur non solidant, cum tamen ad hæc facienda in susceptione pastoralis officii se obligaverunt. Multi etiam non habentes unde hæc compleant: quia non potest spem cœlestium bonorum incutere, qui cœlestia bona non novit explicare. Quantum igitur ig-



norantes sunt prælati ad explicanda subditis cœlestia, tantum indigentes illis rebus sunt quibus deberent debilibus præstare solidamenta.

Ægritudo autem animæ maximè vitium est mortale; Et cum verum sit, secundum Senecam, quod sicut qui habet unam virtutem, habet omnes: sic qui habet unum vitium radicaliter (etsi fortè non actu) habet omnia vitia. Talis est ægrotans mortali * vitio, qualis esset corporaliter ægrotus, qui in suo corpore simul haberet omnes corporales ægritudines in causa & in morbi radice.

* peccato. Id

Imaginare itaque aliquem talem corporalem ægrum, vel multos tales, & pone alium artis medicinæ imperitum: nonne insanus esset ille artis medicinæ imperitus, qui tales ægrotos plurimos susciperet curandos, & etiam se obligaret ad eos, quantum in medico perito esset, salvandos?



Talis est prælatus, qui imperitus spiritalis artis medicinæ officium suscipit pastorale: ars autem spiritalis medicinæ est cognitio vitiorum, quasi ægritudinum; & virtutum, quasi sanitatum; & causarum vitiorum, quasi causarum morbi; & pœnitentiarum singulis vitiis sanandis propriarum, quasi medicinarum singulis morbis congruentium: & quantum istarum rerum ignarus est, tantum est ignarus artis medicinæ.

Confracti verò sunt, qui venientes in profundum vitiorum † contemnunt, & considerantes morbi sui magnitudinem desperant, dicentes cum Cain, Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear: qui enim desperat per suiipsius à seipso condemnationem, intrinsecus totus confringitur. Ad talem fracturam colligandam & sanandam oportet ostendere misericordiam Dei esse infinitam, magnitudinem omnis peccati incomparabiliter superantem; & sic nullum peccatum est, quod non sit pœnitenti remissibile. Sed ne considerans infinitam misericordiam, vitans hinc foveam desperationis, incidat illinc in nimiam confidentiam, monstrandum est ex opposito similiter justitiam Dei esse infinitam, quæ nullum vel minimum * relinquit impunitum, quæ impœnitentes justo judicio condemnat æternaliter: facienda est itaque & monstranda temperatura quædam ex misericordia & justitia, ut hæc extrahat à desperationis fovea, illa retrahat à confidentia nimia, talique fascia liganda est desperationis fractura. Multi item considerantes

† Fort. condemnant: ita autem est in utroque MS.

* peccatum. Id.



Dei præscientiam immutabilem incidunt in desperationem: alii ex considerata immutabilitate prædestinationis nimium confidunt: unde ad tales eruendos ab utroque periculo, oportet ostendere eis concordiam præscientiæ & prædestinationis, & gratiæ & liberi arbitrii. Pauci autem sunt prælati qui magnitudinem misericordiæ & justitiæ Dei sciunt explanare, & harum adinvicem concordiam monstrare; & pauciores fortè, quorum oculi interiores non multum caligant in contuendo concordiam liberi arbitrii & præscientiæ & prædestinationis & gratiæ: unde & pauci inveniuntur idonei & sufficientes ad fracturam desperationis alligandam.

Abjectio, ut dictum est, potest intelligi per excommunicationem à societate fidelium separatio, & ad sic abjectum per canonicam absolutionem reducendum, necessaria est inter lepram & lepram discretio, & inter morbum contagiosum & non contagiosum vera dijudicatio. Ad perditum verò hæresi vel infidelitate quærendum vel inveniendum, necessaria esset sectarum hæreticarum & infidelium efficacisque improbationis illarum & persuasionis fidei perspicax cognitio; & hæc talium cognitio in paucis existit prælatis. Siquis igitur ante oculos mentis suæ aggreget omnia jam dicta curæ pastorali necessaria, consideretque quanta de necessariis sibi desunt; ad quanta quoque se obligant qui curam pastoralem suscipiunt, si eam jam suscepit, meritò inhorrescit: si nondum suscepit, suscipere meritò vehementer contremiscit. Pastores autem qui in

dictis

dictis jam ſex partibus officii paſtoralis inſufficientes ſunt & deficientes, frequenter cum auſteritate & cum potentiâ ſunt ſubditis imperantes. Auſteritas enim eſt inflexibilis perſecutio ſive naturæ ſive vitiorum, non ex amore juſtitiæ & correctionis & compaſſione miſeriæ; ſed vel ex libidine vindictæ, vel ex alterius malæ affectionis radice. Inflexibilis autem perſecutio vitiorum ex amore juſtitiæ & correctionis, & ex compaſſione miſeriæ, quantumcunque ſæviat, auſteritas non eſt, ſed charitatis dulcedo, quæ non gloriatur ſed dolet, quoties cogitur eſſe ferox: odienda ſunt enim vitia & amanda natura; & ſic perſequenda & deſtruenda ſunt vitia ut reparetur tam ad integritatem quàm ad reformationem per virtutes natura. Sed cùm in Exodo præcipiatur, ut eligantur & ſtatuantur judices potentes, quomodo hic in vituperationem ducitur eorum potentia? Sciendum autem eſt quòd juſtitia, ſicut oſtendit Auguſtinus, debet præcedere potentiam, nec exercenda eſt contra aliquem rebellem potentia, niſi prius convictus fuerit juſtitiâ. ſed cum convictus per juſtitiam, juſtitiæ renuit obtemperare, jam judicis contra eundem exercenda eſt potentia: qui autem juſtitiæ præponunt potentiam, & omiſſâ juſtitia potentiam ſtatim * exerunt, in hoc loco de potentiæ ſuæ abuſione redarguuntur. Bene autem malis paſtoribus comminatur væ, quia hi ſunt cum filiis Heli filii Belial, neſcientes dominum neque officium ſacerdotum ad populum, magis delicata à ſubditis vi tollentes, cum mulieribus ad oſtium tabernaculi obſervantibus dormientes, cum filiis Samuel, in viis patrum non ambulantes; ſed poſt avaritiam declinantes, munera accipientes & judicia pervertentes, in oculis propriis cum Saule magni; cum tamen ſint ſacerdotes de extremis populi neque ſint de filiis Levi, ſed muneribus conſtituti *. Hi ſunt exactores, qui populum Dei ſpoliant; adulationibus beatificando greſſus populi diſſipant; vineam Domini depaſcunt; populum Dei atterunt & facies pauperum confundunt; rapinam pauperis theſaurizant; impium pro muneribus juſtificant & juſtitiam juſti ab eo auferunt; leges iniquas condunt & ſcribentes injuſtitiam ſcribunt; in judicio pauperes opprimunt; cauſæ humilium vim faciunt, ut ſint viduæ præda eorum & pupillos diripiant. Hi ſunt iniqui dominatores, cæci ſpeculatores, muti latratores, ſomni amatores, intelligentiæ & ſecuritatis ignoratores. Hi autem ſunt ſacerdotes & prophetæ qui à vino abſorpti neſciunt præ ebrietate, errant in ebrietate, implentur in ebrietate, ſicut hodie ſic & cras & multo amplius: quorum menſæ repletæ ſunt vomitu ſordium, ita ut non eſſet ultra locus. Hi ſecundum Jerem. magis aliis jugum Domini ſuave confringunt, mandatorum ipſius vincula rumpunt [cap. 5. 5.] mendaciis applaudunt, dolum faciunt, falſam pacem promittunt, abominationem faciunt & hinc erubeſcere neſciunt. Ab his ſuper omnem terram egreſſa eſt pollutio, ab his deperiit ſalvatio, ex his proceſſit diſcurrens vagatio. In his Dei oblivio; per hos ſanguinis juſtorum effuſio: hi ſunt arietes non invenientes paſcua, murus diſſipatus, lapides ſanctuarii diſperſi in capite omnium platearum. Hi, ſecundum Ezech. ſpiritum ſuum ſequentes quaſi in deſertis vulpes propter pugillum hordei & fragmen panis Dominum ad populum violantes, animas quæ non moriuntur, interficientes & animas quæ non vivunt, vivificantes (cap. 13. 3, 4, 19.); manum egeno non porrigentes, in ſaturitate & abundantia panis otiantes; murum pro domo Dei ſe non opponentes, neque in prælio ſtantes, ſed in bello ruentes, quia ſine conſilio ad prælium exeuntes. Hi ſunt legis contemptores, ſanctuarii Domini pollutores, inter ſanctum & prophanum nullam habentes diſtantiam, lupi rapaces ad prædam, cornibus poteſtatis infirma pecora mutilant, & ſic pravis operibus, ſcientiæ legis Dei puritatem perturbant: Hi ſecundum Oſeam, ſcientiam repellunt, peccata populi comedunt & animas eorum ad iniquitates ſuas ſublevant. Hi rete expanſum ſuper Tabor & ſuper omnes vias laqueus ruinæ, nihilque compatientes ſuper ruentium contritione. Hi ſunt, ſecundum Paulum, qui cum prædicant non furandum, furantur, & cum dicunt non mœchandum, mœchantur, qui abominantes idola ſacrilegium faciunt, qui in lege gloriantes, per prævaricationem legis Deum inhonorant ac per hoc nomen Dei blaſphemant; qui ſibi, non filiis ſpiritalibus theſaurizant, non quæ Chriſti, ſed quæ ſua ſunt quærunt.

* exerent. Id.

1 Sam. 2. 22.

* muneribus implendo Jeroboam manum, ad gradum ſacerdotii provecti & in excelſis & fanis ſublimibus conſtituti. Id: Adverte autem hæc omnia ab Epiſcopo planè Apoſtolico profecta.

Oſe. 5. 1.

Rom. 2. 21, 22. 23.

EJUSDEM SERMO AD SACERDOTES in Synodo, de hoc verbo

[Gen. 1. 17.] *Posuit stellas in firmamento cæli.*

VOS minores prælati stellæ firmamenti nuncupamini: ut igitur hoc vocabulum non falsò vobis aptetur, oportet ut in vobis exhibeatis spiritaliter, quod stellæ habent in se corporaliter: considerate ergo primum corporales proprietates stellarum, ut in consimilibus spiritaliter adornati lucere possitis in firmamento sursum & terram illuminare deorsum. Est itaque stella corpus sphæricum, lucens, uniformi motu mobile circulariter; ideoque nec grave nec leve, fixionem ordinis sui immutabiliter retinens. Res verò sphærica non habet angulum prominentem, cujus asperitate lædat contactum, nec depressam concavitatem qua recipiat collectionem sordium. Oportet similiter ut * vos sitis rotundi, habentes spiritum lenitatis, ne prorumpat de affectu vestro ira exasperans; nec de ore litigium furorem suscitans; nec de manu facinus proximum lædens: sicut præcipit Apostolus, ut sacerdos sit non iracundus, non litigiosus, non percussor: hinc etiam præceptum est Noæ, ut faceret arcam de lignis lævigatis. Arca est Ecclesia; vos estis ligna, de quibus arca construitur; si tamen lævigati estis ut non promineat in vobis iræ vel litigii vel facinoris pungens acumen. Quid enim indecentius est quàm ut ferveat †, qui debet iratos mitigare; aut perstrepat litibus, qui debet lites sedare; aut ut lædendo percutiat, qui debet percussores compescere? Unum contrariorum non facit reliquum: sicut calidum non efficit frigidum, nec dulce amarum, nisi fortè per accidens. Sic & vos si sitis iracundi, litigiosi, percussores; quomodo efficietis subditos vestros mites, verbo aut opere neminem lædentes? Absit igitur à vobis triplex angulus prominens, ne rotunditatem spiritus lenitatis in vobis perturbet. Absit etiam depressa concavitas, sordium receptaculum; quam puto duplicem esse: una est cupiditas, qua homo fit fossa fluentibus aquis divitiarum nunquam repleta: est alia gula, quæ absorbet in concavitatis suæ profunditatem cibariorum & potuum superflua. Harum priorem concavitatem volens Apostolus ad æqualitatem sublevare, præcipit presbyteros turpis lucri cupidos non esse; & iterum à fossâ cupiditatis vos extrahere volens, Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quia nec auferre quid possumus; habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus: nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli & desideria multa & inutilia & nociva quæ mergunt homines in interitum & perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt & inseruerunt se doloribus multis.

* Id. & vos.

† Id. ira.

Tit. 1. 7.

1 Tim. 6. 7, 8, 9, 10.

Hujus comminationis stimulus satis efficax deberet esse ad suscitandum vos à fossa cupiditatis, nisi fortè in aquis cupiditatis, quod absit, aliqui indurati in lapides, sensum * amiserunt. Surgamus igitur à fossa cupiditatis, recolentes quod Christus, cum Deus esset, pro nobis pauper factus est. Amemus igitur pro nobis factum pauperem: Ipse sit pars & hæreditas nostra: ut quid cupimus ea quæ ipsius sunt, & ipsum Dominum amittimus? Imò ipsum solum cupiamus, & omnia ipsius nostra erunt.

* penitus. Id.

Altera, ut dixi, concavitas, gula est: quam volens iterum Paulus ad æqualitatem, in sacerdotibus maximè, reducere, præcipit ut sacerdotes sint, non vinolenti sed sobrii: & iterum generaliter ad omnes ait, Non in comessationibus & ebrietatibus. Vitium gulæ in omnibus est detestabile, sed in sacerdotibus maximè. Qui enim edit carnem Jesu Christi, Filii Dei, carnem Redemptoris sui, qui est verè cibus dans vitam æternam dignè edentibus, quomodo audet immoderata & superflua edendi aviditate, carnes bestiarum devorare in sui perniciem? Qui potatur sanguine Jesu Christi pro sua redemptione effusi, vino sc. salubriter inebriante & lætificante cor hominis; quomodo non erubescit perniciosè & confusibiliter ingurgitare de vino in quo est luxuria, contra præceptum Apostolicum, dicens, Nolite inebriari vino in quo est luxuria? Quoties igitur ad refectionem corporis discumbitis, pro Jesu Christo, cujus carnem prius comedistis & sanguinem bibistis, reducite ad memoriam, quàm male conveniat satiatum pane angelorum, in aviditate gulæ comedere panem filiorum hominum? Satiatum carnibus agni, in sepulchro concupiscentiæ desiderare carnes Ægyptiorum? potatum aqua dulci

Rom. 13. 13.

Eph. 5. 18.

dulci quæ fluxit de petra, & sanguine uvæ meracissimo, sitire vinum in quo est luxuria, quod convertitur in fel draconum & venenum aspidum insanabile? Absint itaque à vobis, qui stellæ firmamenti esse debetis, omnis asperitas lædens, & concavitas sordes colligens; ut primò rotundati, consequenter sitis lucentes. Debetis namque, sicut stellæ, intus & extra lucere; intus, lumine fidei catholicæ, quod est lumen vultûs Domini super nos signatum, splendore charitatis & luce sapientiæ. Extrà debet in vobis fulgere splendor bonorum operum, à fide per dilectionem discretè & sapienter operante provenientium; ut sitis facientes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

In hujus rei typum erant tabulæ tabernaculi intus & extra deauratæ, ut sic ostenderetur, quòd vos, qui estis tabulæ ex quibus construitur tabernaculum spiritale, quod est Ecclesia, debetis interius nitere in conscientia & extra radiare per bonâ opera.

Tertia proprietas, quam dixi stellis convenire, est motûs uniformitas. Inuniformis motus est, quum aliquâ hora est velocior, in aliqua tardior. Inuniformitas igitur motûs est inconstantia operis. Sunt autem quidam ita inconstantes & inuniformes ut nimia impetuositate moveantur ad corripiendum & increpandum subditos, aliàs autem nimia torpeant negligentiâ: quorum neutrum oportet esse in sacerdote. Audite namque quid contra nimis veloces & asperos ad corripiendum dicitur in Exodo: Siquis percusserit oculum servi sui aut ancillæ & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos. Percussio est ipsa correptio: percussione fit oculus luscus, quando ipsa correptione nimis aspera, animi intentio à rectitudine avertitur. Prælatus sic percutiens subditos, debet dimittere eos liberos, tanquam indignus regere quos læsit. Cap. 21. 26.

Torpentes prælatos & nimis tardos ad corripiendum debet stimulare exemplum Heli sacerdotis, qui quia filios negligenter corripuit, retrò cadens fractis cervicibus obiit. Sit igitur motus vester uniformis; nimiam velocitatem refrænet discretio; nimiam tarditatem stimulet timoris aculeus. Sit vobis regula uniformiter movendi fraternus amor, & doctrina Apostoli dicentis, Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores, in omni castitate. Debet etiam motus vester, qui stellæ estis, esse circularis: sc. ut ab eodem in idem redeat; ut incipiat ab illo qui est alpha & principium, & terminet in eodem qui est omega & finis omnium. 1 Sam. 4. 18. 1 Tim. 5. 1, 2.

Hinc præcipitur nobis in Exodo, ut primitias & decimas non tardemus offerre; hoc est, initia & fines operum Deo tribuere. Sed hunc modum circulationis oportet esse communem omnibus: vobis autem spiritualiter convenit ut imitemini gyrum stellarum; ut sc. de ortu ascendentes elevemini per meridiem, inde vergentes ad occidentem, atque illinc sub terra transeuntes iterum ad ortum. Hoc erit, si initia operum vestrorum illustrentur memoriâ Jesu Christi, veri solis in * carne nascentis; profectus, memoriâ ejusdem exaltati in cruce, quasi solis elevati in meridie; opera vergentia ad finem illustrentur memoriâ ejusdem morientis, quasi solis occidentis; vel ipse finis operis quo opus desinens quasi occultatur, sit in memoria Jesu Christi sepulti, quasi solis sub terra occulti. Dein fiat reditus ad initium boni operis quasi ad ortum denuo cum memoria resurrectionis Jesu Christi de sepulchro. Cap. 22. 29.

* terrâ. Id.

Sic igitur recolentes motum solis debetis post illum currere, & ad motum ipsius motus vestros circulares regulare; sicut fit in cœlo visibili; quòd secundum motum solis regulantur motus cæteri cœlestes.

Sic igitur circulantes, nec leves eritis nec graves: quæ enim naturaliter moventur motu circulari, nec levitate nec gravitate possunt participare: natura namque levis est ascendere sursum & gravis deorsum. Non eritis itaque leves, ascendentes super vos per superbiam; nec graves, descendentes sub vobismetipsis per carnis concupiscentiam. Amor pondus est animæ, & ordinat animam; & ubi est amatum, ibidem collocat pondus amoris amantem. Si amas cœlestia, in cœlis conversaris; secundum quod ait Apostolus, Nostra conversatio in cœlis est: & statuisti pedes tuos supra firmam petram: si amas propriam excellentiam, in te stas; ac per hoc non stas, quia non super soliditatem petræ, sed super vacuitatem vanitatis statuisti pedes tuos. Vacuitas autem substantiam non habet, nec te potest sustinere; & ideo necesse est ut ruas, si amas carnales concupiscentias; infixus es in limo profundi, ubi iterum non est substantia. Ne igitur levitate feraris supra te superbiendo, & ideo gravius ruas, te, qui stella firmamenti diceris, deterreat exemplum illius lucidissimi syderis, cujus ornamentum erat omnis lapis pretiosus, luciferi: sc. qui propria virtute volens usurpare suprema, justo judicio lapsus est ad infima. Si ipsum superbientem non tuebatur à lapsu ornatus ejus pretiosus, quomodo te superbientem tuebitur à casu, imò quomodo potius non festinabit casum tuum gravis Phil. 3. 20. Psal. 69. 3.

sarcina

ſarcina tunicæ pelliceæ qua ornatus non es ſed deformatus in primo parente ſuperbiente? Noli igitur ſuperbire ſi cum Lucifero non vis cadere; ſed recole quid dicit Apoſtolus; quia oportet Epiſcopum, i. e. prælatum quemlibet non eſſe ſuperbum. Hæc igitur moderentur conatum ſuperbiæ: pondere carnalis concupiſcentiæ, ut dixi, ruit homo ad ima; & maximè illius concupiſcentiæ quæ ſita eſt in infimo appetitu & ſenſu animæ; quæ concupiſcentia vocatur lubricum carnis: in illa namque tam miſerrimè abſorbetur tota anima, ut nihil ſui contemplationi veritatis poſſit accommodare, ſed totam eam contegunt & circumquaque involvunt tenebræ. Hæc igitur tenebroſiſſima concupiſcentia, hoc eſt, incontinentia, maxime vobis eſt vitanda qui debetis in cœlo ſicut ſtellæ lucere. Terreat vos qui lucere debetis, pœna hujus peccati, i. incontinentiæ & maxime adulterii: à quo quantum diſtat continentia ſacerdotum qui caſtitatem voverunt, qui ſingulas ſponſas ſingulas habent Eccleſias, unuſquiſque apud ſe conſideret: pœna inquam hujus peccati fuerunt in Ægypto tenebræ palpabiles & horribiles, ita quòd nemo vidit fratrem ſuum, nemo movit ſe de loco in quo erat. O quam gravis eſt pœna pro levi voluptate! & quàm juſta eſt hæc pœna, quæ pro tenebroſitate concupitâ affligit tenebroſitate horrendâ! Inſuper ſpecialis eſt ratio quæ debet vos ſacerdotes compeſcere ab incontinentia, contrectatio ſc. veri corporis & ſanguinis Filii Dei. Nonne dicit Paulus generaliter ad omnes qui adhærent fornicationi, Tollens ergo membra Chriſti facies membra meretricis? Et ego dico tibi, ſi corpus Jeſu Chriſti dignè percipis, Jeſu Chriſto uniris: divides ergo te ab unione cum Chriſto, & adhærebis meretrici, ut unum corpus efficiaris cum illâ? amplexaris quotidie Jeſum Chriſtum in altari; nunquid eiſdem brachiis luxurioſè amplexaberis meretricem? manibus tuis contrectas Creatorem & Redemptorem tuum in altari; nunquid eiſdem manibus impudicè contrectabis meretricem? labiis & ore contingis corpus Salvatoris tui; nunquid eiſdem labiis & eodem ore oſculaberis meretricem? Abſit tanta irreverentia, tanta impudentia, imo tam impudens dementia à veſtris mentibus. Qui ſic irreverenter & impudenter contrectant hic Chriſtum in humilitate, qua fronte audebunt attollere oculos ad eundem tremendum Judicem, cum venerit in majeſtate magna & poteſtate?

Attende diligenter his quæ ſequuntur.

1 Cor. 6. 15.

Sit igitur procul à vobis hæc gravis ponderoſitas atque prædicta ſuperbiæ levitas, & fixionem ordinis veſtri retinebitis.

Hæc eſt ultima proprietas quam poſui in deſcriptione ſtellarum; hac proprietate ſe privant & ita demerentur cœlum, qui poſiti in aliquo gradu dignitatis Eccleſiaſticæ per ambitionem aſpirant ad ſuperiorem; immemores ſcripturæ teſtantis quòd Deus poſuit ſtellas in firmamento cœli, non ſtella ſeipſam. Ipſi verò non contenti ſunt gradu in quo poſuit eos Deus, ſed quaſi ſtella ſeipſam vellet in cœlo alibi quam fixa eſt à Deo, collocare, ſic ipſi nituntur ambitione propria gradus altiores aſcendere, ac per hoc juſto Dei judicio, tam à gradu quo non ſunt contenti, quàm à gradu quem ambitioſè appetunt, debent in profundum dejici.

Abſit à vobis, qui ſtellæ eſtis, talis ambitio; ſed unuſquiſque maneat fixus in ſuo ordine: ſi enim fixus in ſuo ordine non fuerit, caudâ draconis tractus, qui traxit tertiam partem ſtellarum, in terram cadet, & erit de ſtellis obtenebratis caligine noctis illius cui Job imprecatur.

Qui autem ſtellarum prædictas proprietates in ſe ſpiritualiter habuerit, erit lucens in firmamento cœli & illuminans terram, i. e. corda terrena & tenebroſa ſubditorum claritate ſanæ doctrinæ & exemplo bonorum operum; à tenebris erroris & vitiorum purgabit, & præerit diei & nocti; hoc eſt, his in quorum cordibus lucet Sol juſtitiæ, eos regens ne lumen receptum amittant; & his in quibus nondum ortus eſt Sol juſtitiæ, eos à tenebris purgans ut ortum veri Solis recipiant; dividet quoque lucem à tenebris; hoc eſt, diſcernet bonum à malo, ne incurrat maledictum prophetæ dicentis, Væ his qui dicunt bonum malum & malum bonum; ponentes lucem in tenebras & tenebras in lucem. Hæc namq; diſcretio vobis neceſſaria eſt, qui debetis diſcernere lepram à lepra, mundum ab immundo, introducendos in regnum ab excludendis: Non ſolùm enim eſtis ſtellæ cœli, ſed janitores cœli cum Petro, quibus traditæ ſunt claves regni cœlorum, ut eos quos illuminatis in via per doctrinam ſanam & converſationem ſanctam, quaſi janitores introducatis in curiam Regis cœlorum, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

EJUSDEM

EJUSDEM SERMO ALIUS IN Celebratione ordinum de hoc verbo,

[S. Luc. 12. 13.] *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.*

Officium noſtrum, qui ad ſacros ordines promovemur, bipartitum eſt: primum namque eſt, ut celſitudine contemplationis & fervore dilectionis cœlos penetremus, ibique in ſecreto, quaſi de tabernaculo cum Moiſe, Dominum reſpondentem & quid in nobis loquatur, audiamus.

Secundum eſt, ut quæ in ſecreto contemplationis intus à Domino audierimus, per dilectionem Chriſti ad proximorum ædificationem foras pandamus. Utrique jam dicto officio competit lumborum præcinctio: beato namque Job Dominum reſpondentem de turbine audituro, ab ipſo Domino dictum eſt, Accinge ſicut vir lumbos tuos [cap. 40. 2.] & iterum Jeremiæ mittendo ad prædicandum populo dictum eſt, Tu ergo accinge lumbos tuos, & ſurge & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. [cap. 1. 17.]

Bene igitur vobis, quibus congruit utrumque officium divinum ſc. in ſecreto contemplationis intus audire, & audita foras proximis prædicare, dictum eſt, Sint lumbi veſtri præcincti. In lumbis multum viget carnalis concupiſcentia: propterea frequenter in ſcripturâ lumborum nomine deſignatur ſpiritualiter luxuria: multoties verò per lumbos generaliter ſignificatur concupiſcentia; quæ, ſecundum Johannem Apoſtolum, in tria dividitur; in concupiſcentiam carnis, in concupiſcentiam oculorum & ſuperbiam vitæ: 1 Epiſt. 2. 16. quæ tria exponens Auguſtinus concupiſcentiam carnis appellat libidinem ſentiendi; concupiſcentiam oculorum, libidinem cognoſcendi vel curioſitatem; ſuperbiam vitæ, libidinem principandi. Eſt autem libido ſentiendi immoderatus appetitus voluptatis quæ ſentitur in operibus quinque ſenſuum; utpote libido guſtandi eſt immoderatus appetitus voluptatis quæ ſentitur in comedendo & bibendo: libido tangendi eſt immoderatus appetitus voluptatis quæ ſentitur in contactu mollium; & ſic de cæteris ſenſibus; libido verò cognoſcendi, quæ & curioſitas dicitur, eſt immoderatus appetitus voluptatis quæ habetur in cognitione ſcientiarum, maximè illarum quæ non ſunt ſcientiæ pietatis: libido autem principandi eſt immoderatus appetitus voluptatis quam habet homo ex eo quòd dominatur & præeſt hominibus cæteris. Hanc cum nominavit Johannes ſuperbiam vitæ, quaſi ſpecialiter denotans hujus malitiam, continuè ſubjunxit, Quæ non eſt ex Patre. Iſtæ igitur tres libidines ſive concupiſcentiæ lumbi ſunt quos præcipimur præcingere. Lumbos namque præcingere nihil aliud eſt quàm libidinem ſentiendi, libidinem principandi, ne immoderatius exuberent, cohibere. Cingulum verò quo lumbi iſti ſunt conſtringendi ex quatuor quaſi filis & coloribus contexitur; viz. ex timore pœnæ peccati; ex horrore fœditatis peccati; ex verecundia & rubore peccandi; ex amore pulchritudinis virtutis oppoſitæ peccato. Hoc eſt cingulum quod præcepit Dominus fieri Aaron ſacerdoti ex quatuor coloribus pretioſis: quorum primus, ut dixi, eſt timor pœnæ peccati. Quis enim habet cor tam induratum, qui timore pœnæ non cohibeat concupiſcentias ſuas, ſi intimè meditatur pœnam evenientium poſt concupiſcentias ſuas? Quis enim non refrænet ſuas concupiſcentias ſi meditetur ſtagnum ſulphuris ardentis, cujus ignis tenebroſiſſimus, fœtidiſſimus, urentiſſimus & inextinguibilis; quia nec extinguetur, ſicut dicit Chryſoſtomus, nec extinguet; ſed quos ſemel recipiet, eos non extinguens, inextinctus æternaliter uret? Si meditetur * abhinc ſubitum tranſitum ad aquas nivium, ubi ſtridor horribilis dentium? * adhuc. Id. Meditare inſuper lectum in quo reponeris poſt illud balneum; quem deſcribit Iſaias dicens, cap 14. Subter te ſternetur tinea & operimentum tuum vermes. Ecce, qualis lectus: cultura tua ſerica erit tinea; & coopertorium de pretioſis & variis pellibus, vermis qui non morietur: oculos hic vagos ad concupiſcendum, ibi tenebunt tenebræ palpabiles, quæ cogent miſerabili voce clamare væ, væ, væ! Quantæ ſunt tenebræ! ſicut enim ſcriptum eſt in Job, Lux impii extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis ejus; lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur; arctabuntur greſſus virtutis ejus, præcipitabit eum conſilium ſuum [cap. 18. 5, 6, 7.] nihil aſpectui occurret niſi undiq; diræ facies crudelium tortorum: undiq; enim terrebunt eum formidines: auris quæ non avertitur hic ab auditu iniquitatis, alibi † replebitur diro † Ibi. Id. ululatu & gemitu. Quàm horrendè ſonabunt linguæ, quæ hic iniquitatem in excelſo

ſunt

* Ita scribitur in utroque MS^o. nescierunt autem scribæ (qui fuerunt fortasse monachi illiterati, & ejus quod scripserunt non minus ignari, quàm nostri Typographi, qui ne gry quidem Latinitatis callent) quid sibi voluit autor; ideoque à brevi à textum τῶ [Philosophus] (quod in hoc ipso sermone occurrit iisdem literis formatum) pro τῷ [Philo] sc. Judæo, reposuerunt. Hunc enim fuisse hujus libri autorem illius ævi scriptores existimarunt; ut patet etiam ex Thom. Aquin. in Comment. sup. Dionys. de div. nom. cap. 4. lect. 9. sed apud monachos nihil intererat inter Philonem & Philosophum: obiter autem notandum est cui adscripsit Episcopus noster (Aquinate aliquanto antiquior) librum Sapientiæ.

† Cap. 5. vers. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 13, 14, 15.

sunt loquutæ! Hunc gemitum & ululatum describit * Phs. in libro sapientiæ, loquens hæc verba de damnatis †, Videntes turbabuntur timore horribili, gementes præ angustia spiritûs; hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperii. nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei & inter sanctos sors illorum est. Igitur erravimus à via veritatis & justitiæ lumen non luxit nobis & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? transierunt omnia ista tanquam umbra. Sic & nos nati continuò desivimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; quia in malignitate nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in infernis hi qui peccaverunt: quoniam spes impii quasi lanugo est quæ a vento tollitur & tanquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur & tanquam fumus qui à vento diffusus est & tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Ecce miserabilis gemitus de linguis damnatorum, procurrens in aures eorundem! Hujus miserabilis planctûs septem causæ in his verbis possunt denotari: plangent enim mala quæ hic fecerunt; quod insinuatur in hac particula, Hi sunt, &c. plangent mala quæ hic sustinuerunt. dicentes Lassati sumus, &c. plangent velocem transitum bonorum falsorum quæ hic amaverunt, dicentes, Omnia transierunt, &c. plangent tenebras ignorantiæ, quibus impedientibus hæc non prævideerunt advertentes, Justitiæ lumen, &c. Plangent gloriam ad quam sancti transferentur, subjungentes, Quomodo computati sunt &c. Plangent nuditatem à virtute, quia tunc confundentur, adjicientes, Nullum virtutis, &c. Plangent pœnalitatem qua tunc consumentur, demum addentes, In malignitate, &c. Hoc est væ quod vidit propheta scriptum in libro cum lamentatione & carmine. Adde adhuc istis quòd erit ibi pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispante crine calvitium, & pro fascia * pectorali cilicium: ibi exardescet contra impium sitis; attenuabitur fame robur ejus, & inedia invadet costas ejus devorabit pulchritudinem cutis illius, consumet brachia illius primogenita mors. His pœnis horribilibus, ut dicit Chrysostomus, adhuc magis cruciabit impios, quòd videbunt se pro parvo & exiguo deliciarum tempore perdidisse bona æterna, mala verò quæsiisse perpetua. Omnes enim superat gehennæ cruciatus, removeri & abjici ab illa gloria sanctorum; arctari à conspectibus Christi; carere bonis quibus habebas in potestate perfrui. Istud unicum filum quo lumbos debemus præcingere, quod contortum & nexum est de igne & frigore, verme & tenebris & fœtore, duro ululatu, siti & fame & inedia consumente & angustiâ spiritûs ex eo quòd se videt tanta bona perdidisse, & pro brevibus deliciis tanta mala incurrisse: istud, inquam, unicum filum satis deberet sufficere ad cohibendum perfectè lumbos concupiscentiæ. Sed sicui † multum indurato non sufficit hoc, intexat ei secundum, horrorem sc. de fœditate peccati. Consideret diligenter quàm fœdum est peccatum, quod est diaboli progenies, mortis parens, naturæ corruptio, boni privatio, animæ captivatio. Hoc enim supremam faciem animæ in qua debet gerere reformatam imaginem summæ & ineffabilis pulchritudinis, à conformitate summæ pulchritudinis avertit in inconformitatem; imo, ut ita dicam, in condeformitatem summæ * turpitudinis: Homo enim interior qui debet portare reformatam imaginem Trinitatis, per peccatum deformatur in similitudinem bruti animalis. Dicit namque Jeronymus, super illum locum Ezechielis, Homo, homo de domo Israel: quòd bis dicit propheta, Homo, ad denotandum quòd quilibet debet esse geminus homo: homo exterior, & homo interior: qui verò per concupiscentiam bestialem deformavit hominem interiorem, jam non est homo homo, sed est homo bestia; & quid fœdius potest excogitari, quàm quòd homo homo per conformitatem summæ pulchritudini, fiat bestia per deformitatem peccati? Quid † fœdius, quàm homo porcus per gulæ voracitatem; aut homo hircus per luxuriæ fœtorem; aut homo canis per iracundiæ ardorem; aut homo lupus per avidam rapacitatem; aut homo leo per subditorum tyrannicam oppressionem?

Ezech. 2. c.
* i. e. pectorali

† Id. nimium.

* Id. ---tud. ni

Cap. 14. 4.

† Id fœtidius.

Infidelis philosophus istam fœditatem bene perspexerat, cum dixit, Etsi scirem homines ignoraturos, & deos ignoscituros, non peccarem: & quid eum moveret in hæc verba, nisi horror fœditatis peccati? Infidelis & immundus licèt philosophus, tamen horruit fœditatem peccati; & tu qui fidelis es, qui in Sacramento purissimi sanguinis Jesu

Chriſti dealbatus es, non ſolùm non abhorres, imò * delectaris in fœditate peccati? Abſit illud; imò potius vehementer abhorreas tantam fœditatem; & hoc filum ſecundum indiſſolubiliter intexas cum primo, ut his conjunctis lumbos tuos fortius præcingas.

* Etiam dei- Id.

Quòd ſi hæc duo fila lumbos tuos ſufficienter non cohibent, adhuc innecte tertium; verecundiam ſc. & ruborem peccandi. Quis veſtrûm non vehementer erubeſceret perpetrare peccatum aliquid, ſi crederet illud non poſſe fieri niſi coram oculis centum vel mille † virorum ſenùm, ſapientum & venerandorum? Et quomodo non magis erubeſcis peccare in conſpectu Creatoris & Redemptoris tui, & in conſpectu multitudinis cœleſtium civium? Nunquid magis revereris facies hominum quàm faciem Dei? certiſſimè magis, qui in conſpectu Dei peccare non erubeſcis. Imaginare, ſi potes, tempus illud de quo loquitur Daniel dicens, Judicium ſedit & libri aperti ſunt: imaginare, inquam, Dominum venientem ad judicium, & cum eo millia millium Angelorum miniſtrantium, & decies millies centena millia Angelorum aſſiſtentium: imaginare adhuc cum his Apoſtolorum chorum, Prophetarum numerum, Martyrum exercitum, ut ad unum dicam, Omnium Sanctorum ab initio mundi uſque ad ejus finem; adunatum Collegium; ſi non fueris de his quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata, oculis totius prædictæ multitudinis erit liber conſcientiæ tuæ apertiſſimus & peccata tua * coram omnibus explicita, temetipſum palam accuſantia & teſtimonio conſcientiæ tuæ te condemnantia. Quantus, putas, rubor tunc tenebit te, imò quanta confuſio ignominioſa tunc te confundet? Nonne tunc, ſi poſſibile eſſet tibi, velles ingredi in ſpeluncas petrarum & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria majeſtatis ejus? Iſtud filum ruboris & verecundiæ ſi † convenienter intexas cum duobus prædictis, non parum habebit fortitudinis in coercendo lumbos tuos.

† Abeſt [virorum] in Ecd.

* Tua omnia Id.

† communiter. Id.

Quod ſi textura de illis tribus tantùm, terrore ſc. horrore & rubore tibi videatur multum aſpera, ad lævigandam aſperitatem, admiſce filum quartum, molliſſimum & ſuaviſſimum; amorem ſc. pulchritudinis virtutis. Hujus fili mollitiem & ſuavitatem nemo novit, niſi qui accepit: non enim addiſcitur narrando ſed ſentiendo. Præterea ego qui de ejus ſuavitate nihil aut parum ſenſi, quid laudibus ejus dignum dicere potero? niſi fortè in hoc dignè laudetur iſta ſuavitas, quòd ſupra humanam laudem eſſe dicatur. Quis enim eam dignè laudet, quæ Spiritûs Sancti eſt proles, vitæ parens, naturæ redintegratio, boni reparatio, animæ de captivitate liberatio, à deformitate beſtiali reducens animam ad conformitatem ſummæ pulchritudini.

Hæc ſunt igitur quatuor fila, tria aſpera & quartum molliſſimum; de quibus debemus nobis texere lumbare, & lumbos concupiſcentiæ, ne immoderatius effluant, arctiſſimè præcingere. Quod ſi fecerimus, lucernas ardentes in manibus dignè portabimus. Legimus in Exodo quod candelabrum ex auro puriſſimo erectum erat in tabernaculo ad auſtralem plagam, ſuper quod erant lucernæ ſeptem, ſimiliter ex auro puriſſimo; quibus de oleo puriſſimo olivarum nutriebatur lumen. Clerus in Eccleſia candelabrum eſt in tabernaculo. Cleri namque eſt lumine doctrinæ alios illuminare. Aureum eſt hoc candelabrum; quia in clero debet ſplendere munditia bonorum operum; & quia aurum inter omnia metalla, à terrenis ſordibus penitus eſt purgatum, ſatis nobis innuitur in auri puritate, quòd opera noſtra à terrenis negotiis debent eſſe penitus ſublimata. Nemo enim militans Deo implicat ſe ſecularibus negotiis, ſicut ait Apoſtolus. Ad auſtrum, ex qua plaga ſol ſplendidius lucet & calidius fervet & altius extollitur, collocatur candelabrum, ut innueretur ex ejus ſitu clerum amplius cæteris lucere ſcientia, fervere charitatis affectu, & extolli debere per vitæ ſanctæ celſitudinem.

Lucernæ in ſupremo collocatæ, ſunt animarum noſtrarum facies ſuperiores, quæ aureæ ſunt, cum per amorem cœleſtium à terrenis ſordibus purgantur: ſeptem verò ſunt, quia ipſa ſuperior pars animæ ſeptima eſt in hominis compoſitione; qui quoad corpus conſtat ex elementis quatuor; quoad animam verò, ex iraſcibili, concupiſcibili & rationabili. Oleum olivæ in his lucernis pinguedo eſt charitatis, quæ de ſpiritu ſancto quaſi de arbore pacis emanat. Septem lumina in his lucernis ſeptem ſunt dona Spiritûs Sancti ſeptiformis: Quem per ejus gratiam in receptione ſeptenorum ordinum hodie recipiemus; & licèt ſeptem dona omnia donentur in receptione ſingulorum ſeptem ordinum: puto tamen ſingulis ordinibus ſecundum ordinem ſingula dona ordinatè appropriari.

Timor namque oſtiarius eſt, arcens vitia & introducens virtutes in tabernaculum mentis. Pietas verò quæ conſiſtit in amore relevandi miſerias alienas, ipſius relevationis futuræ ſemper eſt præſaga: pietatis igitur eſt præſagire futurum bonum; Et hoc eſt propriè lectorum, quorum eſt annunciare prophetias. Scientia verò Spiritûs Sancti expellit propriè aſtutias diaboli, qui ſciens interpretatur: Fortitudo verò per patientiam

corroboraria eſt, ſupportans & ſuſtinens lumina cæterarum virtutum ne cadant. Subdiaconis, & nominis etymologia & officio competit ſubeſſe; quod quia maximè repugnat amori propriæ poteſtatis & plurima reperit anfractuoſa obſtacula ad transferendum per vias ſubjectionis, in hoc maximè egemus conſilio. Levitis verò, quibus poſt ſubeſſe convenit coeſſe, ſpiritus intellectûs bene competit; quia intellectus conſiſtit in cognitione parium. Sacerdotibus verò convenit præeſſe, quibus congruit ſapientiæ ſpiritus, qua cognoſcant Deum Rectorem omnium, ut in regulâ regiminis in Deo cognitâ ſciant & ipſi regere inferiores. Has lucernas in manibus portamus, cum illud quod interius lucet in ſcientia, & fervet in affectione, extra panditur in operum bonorum executione, ad laudem & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

EJUSDEM DICTUM DE BONO Judice, ſuper

[Pſal. 57. 1.] *Rectè judicate filii hominum.*

SI vis rectè judicare, primò conſidera quod non hominis, ſed Dei exerces judicium; & quòd quicquid judicas, in te redundabit: & ſic à deviatione te cohibeat timor, & in recto proceſſu te juvet diligentia. Non te flectat perſonarum acceptio vel muneris cupido. Unde in Paralip. [Lib. 2. cap. 19. v. 6, 7.] agitur de Joſaphat quod conſtituens Judices terræ, præcipiens eis ait, Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium ſed Domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit: ſit timor Domini vobiſcum & cum dilgentiâ cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.

Item oportet Judices eſſe viros electos, potentes & ſapientes & nobiles, gnaros & probatæ converſationis: in quibus ſit amor veritatis, non magni acceptio, vel parvi contemptus; unde in Exodo 18. dicitur Moyſi, Elige de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas & qui oderunt avaritiam.

v. 13. Item Deut. 1. Date ex vobis viros ſapientes & gnaros, & quorum converſatio ſit
v. 15. probata in tribubus veſtris, ut ponam eos vobis principes. Et poſt: Tulique de tribu-
v. 16. bus veſtris viros ſapientes & nobiles, & conſtitui eos Principes. Et pòſt: Audite illos, & quod juſtum eſt, judicate; ſive civis ſit ille, ſive peregrinus: nulla erit diſtantia perſonarum; ita parvum audietis ut magnum; nec accipietis cujuſcunque perſonam, quia Dei judicium eſt.

Item oportet Judices palam & promptè offerre ſe conquerentibus & juſtitiam peten-
v. 18, 19, 20. tibus: nec ſolùm quod juſtum eſt ſed juſtè exequi. Unde in Deuteron. 16. Judices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis ut judicent populum recto judicio, nec in alteram partem declinent; non accipies perſonam nec munera; quia munera excæcant oculos ſapientum & mutant verba juſtorum: juſtè quod juſtum eſt proſequeris. At forte dices quòd licet accipere xenia, eſculentum & potulentum: audi quid dicitur in Eccleſiaſtico, Xenia & dona excæcant oculos judicum, & quaſi mutus in ore avertit correpti-
Cap. 20. 31. ones eorum.

Item oportet bonum judicem virtute iniquitates irrumpere & faciem potentis non ex-
v. 6. timeſcere: unde in Eccleſiaſtic. 7. noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimeſcas à facie potentis & ponas ſcandalum in agilitate tuâ.

Item eo arctius oportet judicem ordinatum eſſe ſecundum regimen & formam ſapientiæ, quòd ad exemplum ejus miniſtri & ſubditi informentur. Unde in Eccleſia-
* 10. ſtico * Judex ſapiens judicabit populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit: ſecundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus, & qualis eſt rector civitatis, tales & habitantes in ea. Propter hoc oportet ut converſatio & habitatio judicis ſit in excelſo ſapientiæ.
† 1 lib. Unde legitur de Samuele Reg. †.7. 17. quòd domus ejus erat in Ramatha, quod ſonat, in celſitudine; & quod ibi judicabat Iſraelem. Propter hoc neceſſarium eſt ut cor judicis dirigatur ad ſapientiæ regulam. Unde in ſap. 9. Conſtituiſti hominem ſapientia tuâ,

tuâ, ut diſponat orbem terrarum in æquitate & in juſtitia, & in directione cordis judicium judicet. [Cap. 9. 2. 3.] Iſai. 42. *. In veritate educet judicium: [* v. 3.] item Iſai. 28. † Ponam judicium in pondere, & juſtitiam in menſura, [† v. 17.] Item oportet judicem juſtos abſolvere & reos condemnare, pœnas culpis comproportionare & æquilibrare. Unde in Eſdræ 7. Tu autem Eſdra, ſecundum ſapientiam Domini tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue judices & præſides, ut judicent omni populo * his videlicet, qui noverunt legem Domini tui: [* vide locum. v. 25. 26.] ſed imperitos docete libere, & omnis qui non fecerit Legem Dei tui & legem regis diligenter, judicium erit de eo, ſive in mortem, ſive in exilium, ſive in condemnationem ſubſtantiæ ſuæ, ſive in carcerem. Et in Deut. 25. Si fuerit cauſa inter aliquos, & interpellaverint judices; quem juſtum eſſe perſpexerint, illi juſtitiæ palmam dabunt; quem, impium, condemnabunt impietatis. Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari: pro menſurâ peccati erit & plagarum modus. Oportet etiam Judicem libenter eruditionem ſuſcipere & ſapientiæ ſtudere: Unde, Erudimini qui judicatis terram; & paulò pòſt, Apprehendite diſciplinam, &c. [Pſ. 2. 10. 12.] Boetius ait, Platonis ore ſancitum eſt, beatas fore reſpublicas ſi eas vel ſtudioſi regerent, vel earum rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet: fortem in judicii executione, patientem in adverſitate quàm maximè ſuſcitant juſtè condemnati & eorum complices, ad exemplum Dei Judicis: de quo dicitur Deus judex juſtus, fortis & patiens. [Pſ. 7. 12.] Item oportet judicem ſemper præ oculis habere Deum Judicem, ut ſic judicet aliis ſicut vult & expectat ab illo judicari. Unde in Pſal. † De vultu tuo judicium meum prodeat. [† 17. 2.] Et in Apocal. * 1. Et à ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni ejus ſunt, [* v. 4.] hoc eſt, in conſpectu judicum qui dicuntur thronus Dei, per quos Deus judicia ſua decernit. Item non flectat judicem vel pauperis miſeria vel divitis potentia. Unde in Levit. 19. Non facies quod iniquum eſt, nec injuſtè judicabis, nec conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis; juſtè judica proximo tuo. In Exod. 23. non declinabis in judicio: pauperis quoque non miſereberis in negotio ſive in judicio.

Item judicandum eſt ſecundum veritatem & non ſecundum plurimorum ſententiam. Unde in Exod. 13. Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio, plurimorum adquieſces ſententiæ ut à vero devies.

Item judicis eſt patienter audire, nec citò moveri propter alterius partis allegationem ad ſententiam proferendam. Unde Joh. Chryſoſtomus, Judices ſeculi etiamſi audierint eum, qui primas negotii partes proſequitur, vehementer perorantem & largiſſimis dicendi fontibus inundantem; expectant tamen reſpondentis ad hoc proſequutionem, & audiunt cum patientia, nec prima allegatione moventur ad ſententiam proferendam, etiamſi juſtiſſima videantur eſſe quæ dicta ſunt: † ſervatur enim apud audientiam eorum ſermo, quorum integer dicendi locus, quoniam quidem hæc eſt judicum diſciplina, prius ex utraque parte cauſam diligenter agnoſcere & ita ſententiam promulgare. [† Si quid hic erratur, redintegrandum eſt ex autore notato: MSa. enim obſcura ſunt & mendoſa.]

Item non eſt judicandus aliquis ex arbitrio ſuſpicionis nec judicio extraordinario. Unde Auguſtinus, in libro de pœnis, Non eſt homo judicandus ab homine ex arbitrio ſuſpicionis, vel extraordinario judicio, ſed potius ex lege Dei, ſecundum ordinem Eccleſiæ, ſive ultro confeſſus, ſive accuſatus & convictus. Item, ut ait Bernardus, oportet ut Judex nec præceps ſit in ſententiâ nec vehemens in vindicta.

Item dicit Rabanus, Judices dicti ſunt eò quòd jus dicant populo: non eſt autem Judex, ſi non eſt in eo juſtitia. Item ſuper Pſal. Non poſſunt rectè judicare, quibus in corde & in manu eſt iniquitas. Duplex eſt autem cauſa, ut ait Plato, cur ſapientes capeſſent reipublicæ gubernacula. Prima, ſc. ne improbis flagitioſiſque civibus relicta gubernacula, peſtem bonis ac perniciem ferant: altera, ſtudium communis boni omnium. Sicut autem judices boni glorioſius remunerabuntur; ſic judices mali crudelius cæteris punientur. Unde in Sap. 6. Diſcite judices * finium terræ; præbete aures vos qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis nationum: [* v. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9.] quoniam data eſt vobis à Domino poteſtas, & virtus ab Altiſſimo; qui interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis neque cuſtodiiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis: horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia; potentes autem potenter tormenta patientur; & paulò pòſt, Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio. Caveant ergo judices ne ſint de illis, quibus exprobrat Amos † 5. dicens, Qui convertitis in abſynthium judicium & juſtitiam in terra relinquitis. [† v. 7.] Item idem 6. Qui convertitis in amaritudinem judicium & fructum juſtitiæ in abſynthium. Item ad pravos judices ait Michææ 3. Audite judices

domûs Iſrael, qui abominamini judicium & omnia recta pervertitis; qui ædificatis Sion in ſanguinibus & Jeruſalem in iniquitate.

v. 3. Item ad eoſdem ait Sophon. 3. Principes ejus in medio ejus quaſi leones, judices ejus
v. 1. 2. 3. 4. lupi veſpera, non derelinquebant in mane. Item Iſai. 10. Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes injuſtitias ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes & vim facerent cauſæ humilium populi mei; ut eſſent viduæ præda eorum & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longè venientis? ad cujus confugietis auxilium, & ubi derelinquetis gloriam veſtram, ne incurvemini ſub vinculo & cum interfectis cadatis?

EJUSDEM DICTUM

De Prophetis veris & falſis.

PRophetia maximè propriè dicta videtur eſſe futurorum contingentium certa præſcientia. Ait enim Auguſtinus de Trin. 14. Prævidentia rebus futuris tribuitur, quam non habent certam niſi præſcii futurorum; quod non eſt munus hominum niſi detur deſuper, ut prophetis. Conſtat autem Auguſtinum hic locutum fuiſſe de futuris contingentibus: futurorum enim ex neceſſitate, utpote Eclipſium & motuum cœleſtium corporum, certa habetur præſcientia humana inveſtigatione. Item idem de Trinit. 4. Qui potuerunt futura prænoſcere, à gentibus vates, à noſtris prophetæ appellati ſunt: Sed quod prophetis eſt prophetare & prophetia, vatibus eſt divinare & divinatio, atque ut ait Tullius de Divinatione lib. 1. Divinatio eſt earum rerũ quæ fortuitæ dicuntur, prædictio atque præſenſio: certa autem contingentium cognitio eſt veritatis eorum viſio: veritas autem eſt id quod eſt: igitur veritatis eorum viſio, eſt eſſentiæ eorum viſio. Eſſe autem immobile nuſquam habent niſi in mente divina, aut in mente vidente hoc in mente divina. Igitur eorum certa præcognitio eſt viſio eſſentiæ eorum in mente divina, vel in mente eadem ibi vidente. Item ſcientia eſt certa veritatis apprehenſio, & hæc non eſt veritatis permutabilis. Permutabilium autem contingentium nuſquam eſt impermutabilis veritas, niſi in mente divina, aut mente ibidem illa vidente. Igitur ſi prophetæ ſciunt contingentia, vident eorum veritatem in mente divina, ut omittamus nunc reliquam partem diviſionis. Scimus autem quòd contingentium non eſt ſcientia per demonſtrationem; quia non habent eſſe ſtabile in ordine cauſali creato: veruntamen certius, vel ita certè ut ſciuntur à Mathematicis demonſtrabilia, puto ſcita fuiſſe à prophetis futura. Sed hæc ſcire non poſſent niſi alicubi viderent eorum immutabilem veritatem: & ſi alicubi eorum veritatem immutabilem vident, tunc etiam mutabilia in ſe & non ſcibilia ſciunt. Cum autem mutabilia & contingentia in mente divina immutabilem habeant veritatem, ſiquis ad hujus veritatis certam viſionem aſcenderet, mutabilia & contingentia ſcire poſſet, & hic maximè propheta eſt. His concordat Auguſtinus 4. de Trinit. Nec iſti philoſophi cæteris meliores in illis ſummis æterniſque rationibus contingentia contemplati ſunt: alioquin non ejuſdem generis præterita quæ potuerunt hiſtoricè inquirerent, ſed potius & futura prænoſcerent: quod qui potuerunt, ab illis vates, à noſtris prophetæ appellati ſunt. Sed qui ſic eſt præſciens futura, ſc. contemplans ea ſummis æterniſque rationibus, atque per hoc contemplans ipſam eſſentiam divinam, nonne neceſſario in hora hujus contemplationis habet intentionem animi averſam à ſenſibus corporeis? dicit enim ſcriptura, Non
Exod. 33. 20. videbit me homo & vivet: Et Auguſtinus ſuper Gen. ad literam ait, 12. In illa claritate ſpeciei qua Deus eſt, nemo vivens in iſtis ſenſibus Deum videt; ut cum corpore & anima exiſtente videret, non ſit contra id quod Deus dicit Moyſi, non videbit me homo & vivet; tunc enim non vivet homo. i. ſecundum ſenſuum corporis uſum; ſed ablatus eſt ei omnis ſenſus hominis; quia neceſſe eſt abſtrahi ab hac vita mentem quando in illius ineffabilem viſionis lucem aſſumitur: & non ſit incredibile quibuſdam ſanctis, nondum ita defunctis ut ſepelienda remanerent corpora, & iſtam viſionis excellentiam fuiſſe conceſſam. Item idem 11. de Trin. loquens de averſione intentionis animæ a corpore, ſic ait, Ex eodem genere affectionis eſt id quod in ſomnis per imagines illudimur: ſed plurimum differt utrum ſopitis ſenſibus corporis ſicuti ſunt dormientium, aut ab interiore compage turbatis, ſicuti ſunt furentium aut alio quodam modo alienatis,

tis, ſicut ſunt divinantium vel prophetantium, animi intentio quadam neceſſitate incurrat ut eas quæ occurrunt imagines, ſive ex memoria ſive ex aliqua alia occulta vi per quaſdam ſpiritales mixturas ſimiliter ſpiritualis ſubſtantiæ, aut, ſicut ſanis & vigilantibus interdum contingit, ut cogitatione occupata ſe voluntas avertit à ſenſibus corporis, atque informet animi aciem variis imaginibus rerum ſenſibilium tanquam ipſa ſenſibilia ſentiantur.

* Fort. intenſio.

Ex his verbis Auguſtini habetur, quòd alienantur à ſenſibus corporis prophetæ, non ſolùm cum aſcendunt in viſionem intellectualem, qua videntur rationes æternæ; ſed etiam cum aſcendunt in imaginariam viſionem, qua videntur imagines ſigna futurorum. Sed ſive ſemper alienentur à corporis ſenſibus cum rapiuntur in viſionem imaginariam prophetandi gratia, ſive quandoque ſic, quandoque non; ſemper neceſſariò videntur alienari cum rapiuntur in viſionem intellectualem: ad quam raptus fuit Paulus, cum arcana vidit quæ non licuit homini loqui: quomodo enim minori quam ſe tota contueretur anima lumen immenſum? Dum autem pars intentionis ejus ad ſenſus vertitur, non tota ad ipſum convertitur: ſed cum revertitur animi intentio ad ſenſus corporis & ad uſum ſenſuum, & deciderit contemplatio à viſione immutabilis veritatis in rationibus æternis rerum immutabilium, nunquid & tunc ſcit ipſa quæ ſcivit in illo raptu? Nunquid Paulus poſt raptum ſcivit ea quæ ſcivit in raptu? Si ſcivit, eorum veritatem immutabiliem vidit: ſed ſi vidit eam in æternis rationibus in mente divina, ex prædictis, in raptu fuit, atque poſt raptum quando prædicabat vel ſcripſit vel tale quid egit, non fuit in raptu. Non igitur multa futura contingentia quæ ſcivit in raptu, ſcivit poſt raptum niſi alibi quàm in mente divina eorum contueretur immutabilem veritatem: ſed ubi alibi habuerunt immutabilem veritatem? nunquid in mente ſua? nunquid ſicut poſt viſionem corporalem alicujus rei † memoratur, homo viſionem ſuam præteritam, quæ non eſt, ſcienſque memoriam viſionis ſuæ præteritæ ſcit ſe vidiſſe & ſcit rem quam vidit fuiſſe? ſicut Paulus poſt raptum retinuit in mente ſua memoriam viſionis intellectualis, qua in raptu vidit arcana, videnſque intellectualiter illam memoriam ſcienſque illam eſſe, ſcivit viſionem intellectualem memoria retentam fuiſſe: ſicque ſcivit ea eſſe vel fuiſſe vel fore, ut intellectualiter viderat.

† Ex collato adinvicem utroque Exemplari ſic elicita eſt iſta clauſula: neutri autem ſcribæ conſtabat ſenſus loci facilis.

Sed nunquid poteſt plenè quis memorari aliquorum viſionem, niſi memoria, aut intelligentia, aut alia vi apprehenſiva apprehendat & ea quæ vidit? ſi itaque Paulus poſt raptum memoratus eſt ſe vidiſſe in raptu aliquorum incommutabilem veritatem in mente divinâ aliqua vi apprehenſiva, tunc apprehendit etiam eorum incommutabilem veritatem: ſed hoc non videtur apprehendi niſi intelligentia & viſione intellectuali, quam non habet homo de æternis rationibus in mente divina, niſi in raptu mentis à corporis ſenſibus. Secundum hoc itaque non videtur Paulus ſciviſſe poſt raptum quæ ſcivit in raptu. An fortè Paulus retinuit in memoria viſionem incommutabilis veritatis quam viderat, non tamen, cum memorabatur illam viſionem, apprehendebat veritatem viſam ſicut eam apprehenderat in raptu; ſed per debiliorem apprehenſionem veluti apprehenditur à communiter colloquentibus, veluti cum dicit unus alteri, Antichriſtum fore, habet incommutabilem veritatem? Non enim qui habet ſermonem, audit, vel dicit, * nihil apprehendit, nec ipſam veritatem, quam apprehendit, videt nudè ſicut eam vidit Paulus in raptu. Sic itaque fortè in memoria Pauli fuit viſio incommutabilis veritatis arcanorum, memorata abſque nuda viſione ejuſdem veritatis; ſcienſque in ſe hanc memoriam, neceſſariò ſcivit etiam arcana quæ viderat, quæ in ſua memoria habuerunt eſſe incommutabile per hoc quòd eorum eſſe incommutabile viderat in mente divina. Et ſiquis videret oculo mentis claræ mentem Pauli prædicta memoria expreſsè formatam, puto etiam quòd ille ſciret eadem arcana, licet poſteriori & debiliori modo, ipſeque decidens ab hac viſione & retinens illam in memoria, adhùc per memoriam retentam eadem ſciret, poſſetque tertius hujus ſecundi memoriam contemplando arcana cognoſcere.

* Sic eſt in ſecundo exempl.

Eſt itaque prophetia nobilior quæ rerum non habentium immutabilem veritatem in ordine cauſali creato, videt viſione intellectuali incommutabilem veritatem in rationibus æternis increatis: conſequenter poſt hanc eſt, quæ videt eam in mente creata tali viſione actu formata; ut ſiquis vidiſſet mentem Pauli cum fuit Paulus in raptu; vel ſiquis videret nunc mentem angelicam formatam viſione intellectuali quæ videt actu in mente divina æternas & incommutabiles rationes rerum mutabilium.

Tertium locum obtinet arcanorum ſcientia, qualis fuit Pauli poſt raptum in habendo memoriam ſuæ viſionis intellectualis: tamen quæ duarum ultimò dictarum ſcientiarum vel præſcientiarum ſit dignior, non audeo temere aſſerere.

Poſſunt

Poſſunt eſſe quarta & quinta. quarum altera videt mentem videntem actu rationes æternas in mente divina, & reliqua mentem memorantem ſe vidiſſe actu rationes æternas in mente divina: poſſuntque conſequenter eſſe quæ vident etiam mentes his ultimis modis formatas, & ſic conſequenter. Mentem autem hominis aſcendere in ſpeculationem alterius creatæ mentis ut videat quibus affectibus & aſpectibus ſit formata, non eſt munus hominis ſed Dei, vel immediatè, vel miniſterio angelico: Ipſe enim ſolus novit occulta cordium: Is itaque modus prophetiæ ſi ſit, Dei munus eſt: quod ſi videret mens una in mente altera charitatem perfectam, nec tamen videret quibus aſpectibus mens illa formata eſſet, diceretque cujus charitas videtur, videnti eam aliquid, non ſolùm crederet dicto is cui diceretur, ſed ſciret illud: ſcit enim charitatem non mentiri; igitur ſcit eſſe verum quod ab ea aſſeritur. Igitur ſi antiqui patres quibus apparuerunt angeli in ſubjectis corporibus & etiam Deus in ſubjecta creatura ſciverunt eos eſſe Deum vel angelos bonos, ſciverunt etiam vel ſcire potuerunt ab illis ſibi prædicta, licet non rapti fuerint ut contemplarentur rationes prædictorum ſibi æternas in mente divina, vel aſpectum earundem rationum in mente angelica, potuerunt ea ſcire hoc ſyllogiſmo,

Quæcunque loquitur charitas, vera ſunt:
Hæc loquitur charitas:
Ergo, Hæc vera ſunt.

ſi enim ſcitæ ſunt præmiſſæ in ſyllogiſmo, ſcita eſt concluſio. Major autem hujus ſyllogiſmi ſcita eſt definita charitate: minor etiam ſcita fuit ab eis, ſi ſciverunt loquentes ſibi eſſe Deum vel angelos bonos: Sed hoc unde ſcire potuerunt? (maximè cum Satanas transfiguret ſe in angelum lucis, facitque ſigna exteriora verè vel fantaſticè ſimilia angelis lucis) niſi munere ſpiritus Dei * rapta fuerit in viſionem hujus veritatis, ſc. apparentes ſibi eſſe Deum vel angelos bonos.

* Exempl. ſecundum mens rapta — —

Judic. 6. 21. Nunquid Gedeon ex eo quòd ignis aſcendens de petra conſumpſit ſacrificium ſuum & evanuit, quem viderat, ab oculis ejus, certè ſcire potuit quòd angelus Domini erat? nonne Satanas permiſſus conſimile ſignum potuit feciſſe? nunquid non majus argumentum quàm hoc ſignum viſibile petivit Gedeon cum dixit ei qui ſibi apparuit & colloquebatur,
v. 17. ſi inveneri gratiam coram te, da mihi ſignum quòd tu ſis qui loqueris ad me: aut magis hoc petiit, ut oſtenſo ſibi ſigno viſibili, illuminaretur mens ejus ad videndam ſigni veritatem, ac per hoc ſciret ipſum eſſe qui loquebatur ſecum? quia hanc interiorem illuminationem non poteſt ſpiritus illuſor facere. Signum infallibile quòd is qui ſibi apparebat, fuit Deus in angelo per ſubjectam creaturam, non fuit ignis de petra egrediens, carneſque conſumens, ipſeque, qui apparuerat, evaneſcens; cum tanta vel majora ſigna fecerit & facturus ſit Satanas; ſed hoc erat ei ſignum certum, ſc. quòd is qui ſecum loquebatur, mentem ejus intus illuminavit ad videndum veritatem de myſterio Chriſti futuram, illo ſigno viſibili præſignatam. Hoc ſigno itaque ſciens apparentem ſibi eſſe angelum & Deum in Angelo, ſcivit ex dicto Angeli ſe liberaturum Iſrael de manu Madian, etſi non raptus fuerit ad hanc veritatem de liberatione per ipſum futurâ contuendam vel in rationibus † æternis in mente divina, vel in mente angelica ipſas æternas rationes contuente.

† Reſpondent hæc omnino Theologiæ iſtius temporis Scholaſticæ vel Philoſophicæ.

His modis, neſcio an & aliis, poteſt eſſe certa præſcientia contingentium, quæ prophetia propriè dicitur: & his modis, vel omnibus, vel aliquibus, vel aliis ſiqui ſunt quibus magis congruebat, revelavit Deus myſteria ſalutis humani generis, prophetis. Prophetiam namque eſſe, etſi conſtet nobis auctoritate, poteſt & ratione oſtendi paucis verbis immutatis de ratiocinatione Stoicorum quæ ſcribitur in Cicerone de Divinatione lib. 1. qua nitebantur oſtendere divinationem eſſe, ſomniantes à longè veritatem de excellentia prophetiæ hoc modo. Si Deus eſt & non declarat hominibus quæ futura ſunt, quorum cognitio eis eſt neceſſaria & utilis ad ſalutem, aut non diligit homines, aut quid eventurum ſit ignorat, aut exiſtimat nihil intereſſe * homini ſcire quid ſit futurum ſibi ſalutiferum, aut non cenſet eſſe majeſtatis præſignificare hominibus quæ ſunt futura talia, aut ea ne ipſe quidem Deus ſignificare poteſt. At neque nos non diligit Deus (eſt enim beneficus generique hominum amicus) neque ignorat ea quæ ab ipſo conſtituta & deſignata ſunt: neque noſtrâ nihil intereſt ſcire ea quæ futura ſunt, maximè nobis ſalutifera vel quorum ſcientia nobis eſt ſalubris, neque hoc alienum ducit majeſtate ſuâ. Nihil enim eſt beneficentiâ præſtantius, neque non poteſt præſignare hominibus futura: Non igitur eſt Deus & non declarat hominibus quæ futura ſunt, maximè quorum ſcientia illis eſt ſalutifera: Sed Deus eſt, non ergo non declarat hominibus, &c. Ergo declarat hominibus quæ futura ſunt, quorum ſcientia illis eſt ad ſalutem neceſſaria. Hac

* Id. hominum.

ratiocinatione

ratiocinatione ſatis evidenter oſtenditur prophetiam eſſe; & ex his & ſupradictis conſtat eam non eſſe hominis, ſed Dei munus. Licet autem contingentia cum fuerint præſentia & tranſeundo per præſens præterita, fiunt de contingentibus non contingentia, ſed veritatem determinatam habentia, non tamen ſcibilia ſunt humana ſcientia niſi ſenſitiva. Unde qui non ſentiunt illa cum fuerint præſentia, credere poſſunt his qui ea ſentiunt ſive narrantibus ſive ſcribentibus: ſcire autem ea non poſſunt niſi aliquo modorum quo præſciri potuerunt futura. Unde præſentium & præteritorum quæ ſunt de genere contingentium non apprehenſorum per ſenſum, non eſt certa ſcientia niſi prophetia; & qui ea non per ſenſum certè ſciunt, prophetæ ſunt; ſciuntque ea non alio modo quàm præſciuntur futura. Propter tamen conſignationem prioritatis ſcientiæ ad eventum rei, familiarius dicitur prophetia futurorum quàm aliorum. Neceſſaria autem & per demonſtrationem ſcibilia, licet ſciri poſſunt inveſtigatione humana, nihil impedit quin poſſunt ſciri etiam per modum illum, quo ſciuntur à prophetis ea quæ ſunt de genere contingentium; ut per contemplationem viſione intellectuali æternarum rationum in mente divina, aut per contemplationem mentis mediatè vel immediatè contemplantis æternas rationes in mente divina. Ut ſi quis non per demonſtrationem, ſed ſic ſciret * quæ ſunt demonſtrabilia, ſic ea ſciendo ſpiritum haberet prophetiæ, vel ſaltem talem cognitionem qualis haberetur per Spiritum prophetiæ. Nunquid autem veri prophetæ, mali tamen homines, ut Balaam, viderunt rerum futurarum veritatem incommutabilem intellectuali viſione in rationibus ſempiternis in mente divina, cum ſcriptum ſit, Tollatur impius ne videat gloriam Dei: Et alibi, * Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt? An forte non ad hanc excellentiam præcognitionis admiſſus eſt Balaam vel tales; ſed ad contemplandum mentem angelicam tali præcognitione & viſione informatam? vel forte non adhuc ad tantam excellentiam provectus erat, ſed ad hoc erat elevata mens ejus ut verè contueretur quòd angelus bonus erat qui loquebatur ſecum; ac per hoc ſciebat ſyllogiſticè, cum charitas non mentiatur, vera eſſe quæ ſibi dicebat angelus & Deum loqui in angelo? Pſeudo autem prophetæ non præſciunt ea quæ prædicunt; ſicut nec dæmones ſunt præſcii futurorum; ſed ſolùm de his conjiciunt variis modis quos aperit Auguſtinus in libro de Divinatione Dæmonum, & ſæpius falluntur; ſed inſtinctu dæmonum & ſuperba præſumptione futura prædicunt, & fortè plerumque ſuperbia excæcati putant ſe præſcire certè quod neſciunt: quorum differentiam ad veros prophetas oſtendit Dominus Deut. 14. ita loquens, propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi ut diceret, aut ex nomine deorum alienorum, interficietur. Ecce verus propheta non loquitur niſi quæ præcepit Deus, falſus autem loquitur ad quæ propellit eum arrogantia. Cum autem non ſit vel fuerit unquam ſalus ſine fide Mediatoris, ſemperque fuerunt ſalvandi, oportuit ab initio prophetas eſſe, mediatoris noſtri Miniſterium præſcientes & prædicentes, quorum dictis crederetur & formaretur fides ejuſdem miniſterii; Ut autem prætactum eſt, veri prophetæ mentis intelligentiâ veritatem eorum quæ prædicunt attingunt. Unde Auguſt. ſuper Geneſ. ad literam †. Quidam ſano atque integro corpore à ſpiritu in alienationem rapiuntur, ſive ita ut per ſenſus corporis corpora videant, & in ſpiritu quædam ſimilia quæ à corporibus non diſcernant; ſive penitus avertantur à ſenſibus corporis & nihil per eos omnino ſentientes, illa ſpirituali viſione habitent in ſimilitudinibus corporum: ſed cum malus in hæc arripuerit ſpiritus, aut dæmoniacos facit, aut arreptitios aut falſos prophetas: Cum autem bonus, fideles myſteria loquentes, aut, accedente etiam intelligentiâ, veros prophetas, aut ad tempus quod per eos oportet oſtendi, videntes atque narrantes. Idem in eodem; † Quibus ſigna per aliquas rerum corporalium ſimilitudines demonſtrabantur in ſpiritu, niſi acceſſiſſet mentis officium ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia, magiſque propheta erat qui interpretabatur quod alius vidiſſet, quàm ille qui vidiſſet. Unde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam quàm ad ſpiritum, qui vis animæ mente inferior, ubi corporalium rerum ſimilitudines exprimuntur. Itaque magis Joſeph propheta, qui intellexit quid ſignificarent ſeptem ſpicæ & ſeptem boves, quàm Pharao, qui eas vidit in ſomnis. Illius enim ſpiritus informatus eſt ut videret; hujus mens illuminata ut intelligeret. Ac per hoc in illo erat lingua, in iſto prophetia; quia in illo rerum imaginatio, in iſto imaginationum interpretatio: minus ergo propheta qui rerum quæ ſignificantur ſola ipſa ſigna in ſpiritu per rerum corporalium imagines videt; & magis propheta qui ſolo earum intellectu præditus eſt; ſed & maximè propheta qui præcellit utraque, ut & videat in ſpiritu corporalium rerum ſignificativas ſimilitudines & eas vivacitate mentis intelligat, ſicut Danielis excellentia tentata & probata; qui regi ſomnium quod viderat, & dixit & quid ſignificaret, aperuit; & ipſæ quippe imagines corporales in ſpiritu ejus impreſſæ ſunt, & earum intellectus revelatus in mente.

* Illa quæ ſcd.

* S. Matt. 5.8.

† Lib. 12. cap. 19.

† Lib. 12. cap. 9. Vide utrumque locum; & totum librum: inde enim Epiſcopus noſter hæc tractandi anſam ſibi arripuit.

Ex

Ex his patet quòd non dicitur propheta, nisi minus propriè, alius quàm qui veri[illegible] intelligit mentis vivacitate.

In secundo exemplari sic se habet hæc clausula, Contra hoc autem quod hic dicitur, maximè esse prophetam qui utraque præcellit, videtur innui in proœm[illegible] dictorum, maximè esse prophetam qui sola mente sine imaginibus in spiritu expressis veritatem vidit quam prophetavit. A[illegible]

Contra hoc autem quod hic dicitur, * maximè est propheta qui sola mente sine imagin[illegible] bus in spiritu expressis veritatem vidit quam prophetavit.

Ad hoc dicendum videtur, quòd qui & mente contuetur veritatem & similitud[illegible] significativas habet in spiritu expressas, magis est propheta eo qui solo earum int[illegible] præditus est; non quia in celsiori gradu prophetiæ consistit; sed quia cum in æque [illegible] habet aliquid amplius prophetiæ annexum. Magis est igitur propheta & excel[illegible] participatione pluris; non gradûs altioris.

Si verò quis eguerit significativis similitudinibus expressis in spiritu, ut per illas, [illegible] per scalam, ascendat ad intelligentiam veritatis, minus propheta est eo qui talibus [illegible] eget adminiculis. Si verò non egens talibus adminiculis ad contuendum veritate[illegible] vacitate mentis, corporales tantùm significativas similitudines ob aliam aliquam ut[illegible] tem habeat in spiritu, non ideo minus propheta est, sed magis ex intellectu su[illegible] dicto.

In prophetia autem comminationis, est sermo non simpliciter assertivus ejus rei quam comminatur, sed ejus intelligentiæ, secundum quam adimplebitur: quod potest int[illegible] exemplo communiter colloquentium. Esto autem quòd videam aliquem sedentem su per struem combustibilem, accendaturque strues eo ignorante qui supersidet, qui etiam, si non se amoveat, comburetur; nonne volens eum præmunire de periculo im[illegible] clamabo ad eum, Ardebis jam, ardebis jam, quem scio tamen non arsurum, si se [illegible] amovere, & scio arsurum, nisi se amoveat? Affirmo itaque Prædicatum de Subjecto non simpliciter, sed manente in statu in quo est; utpote perseverante in sessione super struem accensam; & non affirmo illud de eo absque perseverantia in sessione: ipsam autem perseverantiam in sessione nec affirmo nec nego, quia posita est in libero arbitri[illegible] dentis.

Similiter si video servum meum deliquisse, vellemque ut peteret veniam de delicto, & dispono punire eum si non petat veniam de delicto, & parcere si petat; quasi com monens eum ad petendum dico, Scorpionibus te cædam. Affirmans Prædica[illegible] Subjecto pertinaci in delicto, non de eo qui deliquit; ipsam autem pertinaciam in de licto nec affirmo nec nego, sed relinquo id in ejus libero arbitrio: unde sive futurum [illegible] quod comminor, sive non, nihil minus verus est sermo meus comminatorius. Si enim mutet pertinaciam in delicto, ei jam mutato nihil pœnæ comminatus sum. Unde [illegible] non cædam illum, falsus non sum; imò magis falsus essem si illum cæderem, quia hac intentione comminatus sum, ut mutatum non cæderem.

cap. 3. 4. Hoc modo sermo quem proferebat Jonas ad Ninivitas, non fuit affirmans subversio nem illorum hominum, sed illorum hominum pertinacium & perdurantium in malitia sua: ipsam autem perdurationem in malitia sua non affirmabat: sed hoc relinquebatur eorum libero arbitrio. Unde si perdurassent in malitia, subversi fuissent corpora[illegible] & verus fuisset sermo: cum verò non perduraverunt in malitia, sed se mutaverunt in me lius; tum de illis commutatis in bonum, nullam subversionem corporalem affirmabat sermo ille; licèt illis non evenerit corporalis subversio, nulla subfuit in sermone [illegible] falsitatis significatio. Affirmabat ergo sermo ille propheticus, quantum fuit in sign[illegible] tione illius sermonis, spiritualem subversionem in illis hominibus quæ futura fuit, & [illegible] poralem subversionem, non de hominibus sed de pertinacibus in malitia: quam perti naciam tamen non affirmabat de illis. Si autem corporalem subversionem de homi[illegible] asseruisset, sermo falsus fuisset: sed quæ fuit assertio prophetæ proferentis illum ser monem ex continentia literæ illius prophetiæ, videtur non asseruisse intellectum spiri talem, & constat quod intellectum falsum literalem non asseruit; asseruit igitur intel lectum literalem verum, sc. subversionem literalem de pertinacibus, pertinaciam tamen non asserendo.

Et ita videtur quòd per spiritum prophetiæ elevata fuerit mens ejus ad videndam ve ritatem sensus illius literalis: sed non manifestavit ei veritatem intelligentiæ spiritalis, nec veritatem hujus, an permansuri essent pertinaces in malitia; vel nulla veritas deter minata illius sermonis illi fuit manifesta: sed solùm scivit loquentem ad se & prophe tare jubentem, Deum esse: ac per hoc * verum dixisse; & ita sermonem illum esse ve rum, licèt lateret eum veritas quam determinatè prænunciavit.

* Id. veridicum.

Idem,

Idem, *De Fide & ejus articulis.*

COllectio creditorum ad juſtitiam quaſi unum corpus fidei conſiſtit: cujus corporis quælibet una particula parva credita, articulus fidei dicitur; fortè ad ſimilitudinem articulorum corporis humani: ut ſicut in humano corpore, ultimæ & parvæ particulæ articuli dicuntur, quaſi parvi artus; ita deciſiones ultimæ totius corporis fidei articuli fidei dicuntur: vel fortè ideo dicuntur articuli, quia credi debent ſecundũ ultimitatem credendi, i. e. Credi debent in termino intenſionis fidei: dicimus enim articulum neceſſitatis ipſam neceſſitatis ultimitatem; ſc. quæ eſt in ultimitate & termino intenſionis ſuæ. Similiter dicimus articulum mortis ipſam moriendi ultimitatem, & articulum diei, ipſum terminum & ultimitatem diei initialem; ſicut legitur in Geneſi, In articulo illius diei ingreſſus eſt Noe, Sem, Cham & Japhet, filii ejus in Arcam. Cap. 7. 13. Et ſimiliter dicimus ea quæ ſunt ultima in membris, articulos. Ultimitatem ergo & terminum importat hoc nomen [articulus] ubicunque dicitur; & cum dicitur breviſſima pars orationis, & cum ſignificat colorem rhetoricum, per quem quaſi in parva membra diſcinditur oratio.

Ad hanc itaque ſimilitudinem poteſt † dici articulus fidei totius corporis fidei ultimæ deciſiones, quæ ſecundum ultimitatem & ſupremam intenſionem fidei debent credi. († Poſſunt articuli. Id.) Fides namque eſt cum aſſenſu cogitatio: & ſic definita fides eſt & ſcientiæ genus: quod enim ſcio, cum aſſenſu cogito. Propriè autem dicitur fides cogitatio aſſentiens per medium, quod poſſet quidem aliquo modo, ſed non conſuevit fallere, * ſecundum hoc, quod creditur ab aliquo nondum ſcitur ab eodem: (* Sed hoc. Id.) & ſic creduntur tam ea quæ non attinent ad ſalutem noſtram, quàm ea quæ attinent: Cum autem unum de mediis facientibus fidem & non ſcientiam, ſit autoritas; medium quod maximam fidem debet facere, eſt authoritas Sacræ Scripturæ. Quæ igitur cadunt ſub fide, maximè ſunt ea, quibus aſſentitur Sacræ Scripturæ authoritate. Magis propriè † autem dicta eſt fides eorum quæ Sacræ Scripturæ auctoritate creduntur. († Igitur. Id.) Inter hæc autem quæ ſacræ paginæ auctoritate creduntur, maximè credenda ſunt, quæ credita juſtificant. Hæc autem, ut puto, ſunt ea ex quibus ſperamus beatitudinem: hæc autem ſunt quorum viſio in patria eſt vita æterna. Eſt autem vita æterna, agnoſcere Te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Viſio igitur Creatoris & Redemptoris erit vita æterna & beatitudo vera Ex Creatore igitur & Redemptore ſperanda eſt beatitudo: ſed non erit beatificantium viſio, niſi eorundem præceſſerit fides; Sicut ſcriptum eſt †, niſi credideritis, non intelligetis. (* Si innuat Iſai. 7. 9. mutatur verſio.) Creator igitur & Reparator credendus, ut perveniatur tandem ad viſionem: & ſummè credendus quia hanc fidem nobis maximè incutit auctoritas Sacræ Scripturæ, utpote fundamentum juſtitiæ. Sicut enim beatitudo in patria eſt gaudium in viſione Creatoris & Reſtauratoris; ſic juſtitia in viâ eſt amor humilis Creatoris & Redemptoris. Non amatur autem niſi quod cognoſcitur ſcientia vel fide. Cum igitur nondum ſit in nobis ſcientia & viſio Creatoris & Reparatoris, neceſſaria eſt nobis ad juſtificationem Creatoris & Recreatoris fides firmiſſima. Maximè igitur propriè fides dicitur quæ de Creatore & Recreatore fides habenda eſt: quæ fides continetur in ſymbolo, ubi exprimitur Unus & Trinus Creator, Jeſus Chriſtus verus Filius Dei in quantum Recreator: hoc eſt, exprimitur ipſe cum his ſecundum quæ eſt lapſûs noſtri integra reparatio. Articuli ergo fidei maximè propriè dicuntur quaſi parva membra corporis ſymboli, quæ ſecundum ultimitatem intenſionis fidei credenda ſunt. Hi, ut dictum eſt, * ſunt fundamentum juſtificationis: (* Per ſe ſunt. Id.) omnia tamen quæ in Canone Scripturæ continentur, & quæ † credit univerſalis Eccleſia, extra ſymbolum contenta, poſſunt per accidens dici cauſa juſtificationis: († Credidit. Id. multo rectius.) quia cum contra auctoritatem Scripturæ vel Eccleſiæ diſcreduntur, ſunt cauſa damnationis. Credere verò propriè cadit ſuper complexum verum vel falſum: nec ideo ſequitur quia alia fuerit fides Abrahæ credentis Chriſtum naſciturum, & noſtri credentium Chriſtum natum: utrique enim horum dictorum per temporis conſignationem ſic variatorum ſubeſt una quaſi utrique ſubſtantialis complexio: ſc. nativitatis temporalis ſecundum hominem cum perſonâ filii Dei æternâ, quæ tempore Abrahæ fuit futura, nunc autem eſt præterita: & ſicut non videt alia membra alius corporis, ſed eadem membra ejuſdem corporis, alterata tamen, qui videt membra alicujus viri magna & ejuſdem quondam pueri vidit membra parva: ſic non eſt alia fides, ſed eadem antiquorum & noſtra.

Idem, *De Gratia & Justificatione hominis.*

☞ GRatia est bona voluntas Dei qua vult nobis dare quod non meruimus, ut nobis ex dato bene sit & non ut ipsi Donanti aliquid inde proveniat. Sic etiam consuevit dici gratia talis voluntas unius hominis erga alium, consequenter gratia sic dicta. Dicitur etiam gratia ipsum donum quod datur à tali voluntate. Tertiò dicitur gratia affectio & laus debita, repensa ab ipso recipiente. Patet itaque quod omne bonum quod in nobis est, sive sit gratuitum sive naturale, à gratia Dei est; quia nullum est bonum quod ipse non velit esse, & ejus velle est facere. Non est igitur bonum quod ipse non faciat. Aversionem igitur voluntatis à malo & conversionem ad bonum, & perseverantiam in bono ipse facit. Nihilominus tamen hæc eadem facit nostra voluntas libera, sicut granum germinat extrinseca quadam virtute germinativa & calore solis cum terræ humore. Si enim nos non averteremus nosmetipsos à malo & converteremur ad bonum, non inde laudabiles essemus, nec præciperetur nobis in scriptura hæc facere. Et si sine gratia hæc faceremus, non pro his rogandus esset Deus, nec ejus velle esset ejus facere. Modum igitur, quo justificatur impius, talem esse puto; Deus æterno verbo suo dicit omnia quæ fiunt sicut fiunt (nihil enim eum latet) sed mala culpæ dicit sic quod ei non placent, & ideo nec illorum est causa; bona verò sic dicit quod ei placent, & tale dicere est ejus facere. Sit ergo quis nunc justificandus: æterno verbo & æterna voluntate dixit & voluit hunc impium nunc averti à malo & ejus voluntatem converti ad bonum: hoc efficiente tam Dei voluntate bona quæ est gratia, quam hominis voluntate libera; si tamen hujus voluntas libera hanc Dei voluntatem bonam non repellat. Sic igitur est in homine ut remaneat malus si repellat gratiam; vel fiat bonus adjuvante gratia, sic etiam salvatur quòd Deus facit omnia: quia vult hunc impium nunc converti de malo ad bonum; salvo tamen jure liberi arbitrii quod in homine creavit. Cur autem justificetur iste impius nunc magis quàm prius, ratio est, quia Deus æternaliter dixit illum nunc convertendum: quare verò æternaliter illum nunc convertendum magis quàm prius vel pòst, ratio est, quia sic est ordinatissimum in rerum universitate. Omnia enim sic * facit Deus sicut sunt in universitate ordinatissima. Bona autem voluntas qua est homo conformis voluntati divinæ est gratia data à gratis, quæ est voluntas divina; & tunc dicitur gratia infundi, cum voluntas divina in nostram voluntatem incipit operari. Omne autem bonum quod in nobis operatur Dei bona voluntas, ut est dictum, gratia data dicitur: sed sola conformitas voluntatis nostræ voluntati divinæ est gratia data quæ nos reddit gratos Deo; & bona voluntas Dei, hanc conformitatem in nobis efficiens & conservans, inter cæteras Dei voluntates, sola dicitur gratia gratificans. Voluntas autem Dei qua vult impium averti à malo, gratia quidem est, & magna, sed nondum gratificans; & secundum quod gratia dicitur tunc primum esse & infundi, cum primo operari incipit: hæc gratia simul est tempore cum peccatorum remissione, i. cum aversione voluntatis à malo, & prius est natura quàm sit peccatorum remissio, utpote ejus causa; simul etiam tempore cum hac est bona voluntas Dei, qua vult hominem converti ad bonum. Sed hæc voluntas quæ est gratia gratificans, posterior est natura quàm sit proximò dicta & quàm sit peccatorum remissio: prior † causa est natura quàm sit voluntatis nostræ ad bonum conversio.

* Deest [sic] Ex. 1°.

† Prior tamen est natura, quòd sit vol— Exempl. 2um.

Tertia subsequitur, gratia gratificans, voluntas s. conservandi in bono voluntatem conversam ad bonum, quamdiu homo hanc gratiam non repellit. Homo autem justus est ab ordine rectæ voluntatis quæ est effectus & non ab actu rectè volendi: alioquin dormiens non esset justus: non tamen efficitur affectio recta in adulto, nisi cum actu rectæ voluntatis: tamen absque aliquo actu propriæ voluntatis justitia parvulo baptizato, sicut injustitia est in parvulo nato absque aliquo actu propriæ voluntatis: nec tamen adultus unquam fiet de justo injustus sine actu propriæ voluntatis. Nec habet hic locum, quod dicitur unum non nisi ab uno, ut ostendatur justitia posse fieri in adulto sicut in parvulo sine actu propriæ voluntatis: forsitan enim verum est si sanè intelligatur Unum in quantum unum non nisi ab uno: similiter in quantum unum: & tamen primus homo non de virili semine; & calor tamen gignitur ab aliquo calore, tum à radiorum solis multiplicatione, tum à corporum confricatione & motu forti. Sed in his fortè potest reperiri una præcisa caloris causa, quæ est inclinatio materiæ rarefactibilis in partes oppositas; occasionata tum per motum, tum per solis radios, tum per confricationem.

Idem.

Idem, *De orando.*

ORARE eſt exprimere alicui mentis deſiderium, quo deſideratur aliquid ab eo fieri cui exprimitur, cum confidentia quòd faciet deſideratum, motus ex deſiderio & confidentia rogantis. Non deſideratur autem niſi bonum verum vel apparens. Apparens autem bonum & fallax, eſt omne delectabile cujus delectatio tranſit nec ducit ad delectationem ſemper permanentem. Tale bonum non eſt deſiderandum, quia iſtud deſiderare, eſt quærere quietem in mobili, fixionem pedis in lubrico & ſuper inanitatem inniti. Verum bonum eſt beatitudo: hoc eſt, gaudium de veritate & cognitione ineffabilis pulchritudinis, cognoſcere ſe. Te Deum verum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum; & hæc eſt vita æterna & bonum ſemper manens: ſed ad iſtud non pervenitur niſi per viam morum: mores non inſeruntur niſi prius extirpentur vitia. Deſiderandum igitur ut prius extirpentur vitia, dein virtutes inſerantur, inſertæ creſcant, creſcendo nos ſublevent ad cognitionem & fruitionem Creatoris ſemper manentem: Extirpatio igitur vitiorum & inſertio & incrementum virtutum bona ſunt tranſitoria; quia ipſæ etiam virtutes, licèt ſecundum ſubſtantiam ſemper manebunt, ſecundum uſus quos habent in via, tranſiliunt: veruntamen hæc tranſeuntia bona ducunt ad bonum quod ſemper manet: ideoque licet tranſeant, fallacia & falſa bona non ſunt, ſed vera. Quapropter hæc ſola bona deſideranda, quæ ſemper ſtant vel ducunt ad bona ſemper ſtantia. Hæc autem bona dare non poteſt niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: quare à ſolo Deo hæc ſunt deſideranda: nec diffidendum eſt quin dabit hæc, qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.

Rom. 8. 32.

Deſiderare igitur prædicta vera bona à Deo, cum ſpe certâ quòd præſtabit illa deſiderantibus, motus eorum deſiderio & ſpe, verè eſt orare oratione interiori: hoc deſiderium & confidentiam verbis exterioribus exprimere propriè orare dicitur: bona verò tranſeuntia ſunt ſicut via ducens ad patriam, quæ pertranſitur ingreſſa patria, & ſicut navis quæ relinquitur ingreſſo ſalutis portu. Sed cum Deus ſit ſcrutans corda & renes & omnia occulta ſunt nuda & aperta oculis ejus, quid opus eſt interiorem orationem verbis exterioribus exprimere? Non † enim hoc fit ut doceatur Deus, ſed ut dignè veneretur & confundatur diabolus: vehemens namque affectio interior naturaliter prorumpit in ſonum exteriorem. Vehementis namque affectionis magnitudo non ſinit eam inter anguſtias claudi; exerit autem ſe per ſonum quaſi extra allatum per ſuum naturale vehiculum. Hujus ſignum eſt gemitus dolentium, * ſubita exclamatio admirantium & eorum qui vehementer terrentur. Affectus etiam brutorum animalium extra per ſonos ſe depromunt: Quia ergo æternorum bonorum vehementiſſima debet eſſe deſiderantis affectio, quomodo poſſit intra ſilentium anguſtias claudi, & non per verba prorumpere? Nonne affectio quodammodo major eſt & latior, extra per vocem expanſa, quàm intra per ſilentium clauſa? Sine voce namque ſolùm interiùs eſt, per vocem expreſſa non minus eſt intra, & tamen eſt extra egreſſa: tanto igitur major eſt cum voce quàm ſine voce, quanta eſt ejus per vocem egreſſio. Cum igitur maximum bonum ſit maximo deſiderio petendum, majus eſt autem deſiderium in voce expreſſum quàm ſilentio ſuppreſſum; non ſolùm interiori deſiderio, ſed etiam deſiderio per vocem expreſſo, oranda ſunt bona non fallacia & beatitudo vera. Præterea quia diabolus non novit cogitationes bonas & voluntates hominum, cum ſolùm intus oramus, hoc latet diabolum: cum verò exteriori ſermone exprimimus, diabolus hoc ſciens torquetur facibus invidiæ: maximè namque vellet ſe adorari, & minimè Deum. Cum ergo orando exteriorem ſermonem jungimus affectioni interiori, amplius honoratur Deus & torquetur diabolus. Verba verò ſine affectione & intentione, ſunt ſicut ſurculus * ſine vino, equus in prælio ſine militante, folia ſine fructu & ſicut vas plenitudine vacuum & vacuitate plenum: homo etiam qui labiis honorat Deum orando & cor ejus longè eſt ab eo, de vanis & iniquis meditando, eſt ſicut homo qui haberet duas linguas, unam ſonoram & idiomatis nobilis, reliquam raucam & idiomatis vilis, & regi magno porrigeret preces pro capite ſuo linguâ rauca & vili idiomate; & interim ſcurrilia, regiſque voluntati & ſuæ ſaluti contraria linguâ ſonorâ & idiomate nobili loqueretur. Verba namque interiora linguâ & idiomate, nobis & angelis communibus, reſonamus: exteriora verò verba linguâ carnis, quæ reſpectu interioris, in auribus Dei eſt rauca, & vile reſonat idioma.

Heb. 4. 13.
† deeſt [enim] in cod.
* riſus gaudentium. Id.
* In exempl. 1°. eſt [circulus in vino] in ſec. [circulus ſine vino] ſed quid hiſce rebus cu taberna? moleſtiſſima res eſt ſcribas deſipientes ſequi. In aliis fortaſſe exempl. reperies ut hic; vel [humo] pro [vino.]

In oratione igitur, semper linguæ exteriori jungatur interior: laici verò qui non intelligunt quæ dicunt per Orationem Dominicam, dum verba proferunt *, ore interiori debent clamare ad Deum patrem, ut tribuat illis & aliis pro quibus orant, bona vera, quæ verbis exterioribus, quæ illi non intelligunt, sunt petita. Sic psallere sc. conjunctis duabus linguis, est psallere sapienter & cantare gloriosè.

* Ore exteriori. Id.

Aliquando verò sola interiori lingua orandum est, lingua exteriori occupatâ aliis, utpote cum comedimus, aut cum sermocinamur cum aliis, aut aliud quicquam facimus quo minus libera est lingua ad loquendum; aut cum extra locum orationis in societate hominum sumus. Sed in his omnibus debet interior lingua desiderio cœlestium pro cœlestibus clamare: sine intermissione enim, saltem lingua interiori, orandum est. Si enim aliquando cogitatione disponamus temporalia, eorum dispositionem convertentes ad bona æterna, in hac ordinatione temporalium ad finem æternorum exprimimus Deo desiderium nostrum, quo cœlestia ab ipso percipere desideramus & speramus: & in hujus desiderii & spei expressione oramus. Similiter in omni quod facimus, dum convertimus illud opus ad finem cœlestium, in ipsâ conversione operis ad cœlestia, exprimimus desiderium nostrum, quo desideramus & speramus nos à Deo cœlestia percipere, & sic oramus. Hoc intelligens Apostolus, quòd omne opus ad Deum conversum oratio est, cum in uno loco diceret *, Sive comeditis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia ad honorem Dei facite; alibi docet, † sine intermissione orandum esse: & quia vanitas aut iniquitas aut fragilitas continuitatem orationis plerumque interrumpit, quo magis aliquando interrumpitur, eo solidius & ferventius aliàs est continuanda, ut ipsa prioris temporis discontinuatio sit ei in futuro firmioris continuitatis occasio. Bona igitur vera sine intermissione à Deo sunt petenda: sed primò & principaliter nobismet ipsis, consequenter aliis; ita * quòd unicuique, secundum ordinem quo ampliori charitate diligendus est: ultimò inimicis & infidelibus petenda sunt à malis conversio, virtutum insertio & incrementum; ut per hoc perveniant ad summæ pulchritudinis perpetuam visionem. Bonum enim quod sui distributione non diminuitur, quanto à pluribus, tanto delectabilius participatur: & sicut plura ponderosa in unum fasciculum colligata velocius descendunt & plura † bona adunata velocius ascendunt: quia uniuscujusque colligatorum inclinatio quodlibet colligatorum impellit. Ita plures colligati vinculo charitatis & orationis facilius & velocius moventur sursum virtute orationis cujuslibet quemlibet impellente. Et sicut corpora polita juxta se posita virtute solis illuminata, quanto plura sunt, tanto plus splendent propter multitudinem reflexionis luminis: sic quanto plures sunt animæ à radiis Solis justitiæ illuminatæ, tanto plus splendent propter reflexionem charitatis mutuæ. Orandum est igitur in jejuniis, sacco & cinere, sicut dicit Daniel, * Posui faciem meam ad Dominum rogare & deprecari in jejuniis, sacco & cinere: cœlum namque amisimus per gulam: & quomodo exaudiemur repetentes illud cum gulâ? In paradiso datum erat præceptum jejunii: dictum est enim primis parentibus, De ligno scientiæ boni & mali ne comedetis: per transgressionem autem hujus præcepti quod constitutum erat in jejunio, cecidimus. Quomodo igitur cœlum repetemus, nisi in observatione jejunii, quod transgrediendo, à cœlo cecidimus? imò ut cœlum repetendo exaudiamur, tanto strictius est observandum præceptum jejunii, quanto laxati in delectationem gulæ, præceptum jejunii transgressi sumus. Si gula potuit hominem à cœlo dejicere, quomodo dejectum sinet resurgere? in sacco & cinere, hoc est, in aliqua carnis voluntaria afflictione & propriæ fragilitatis recordatione decet nos reditum in patriam repetere. Pro transgressione enim nostrâ in saccum pœnalitatis & cinerem mortalitatis hujus vitæ justè detrusi sumus: & quomodo poterimus veniam impetrare, nisi justam pœnam sponte sustinentes? Si enim Rex propter tuum delictum te detrusisset in catenas; nunquid tu per te catenas abjiciens auderes comparere coram eo ut veniam impetrares? quin potius ut misericordiam consequereris, ipsis catenis constrictus sponte miserabilis compareres: Et si aliquando ipso sciente vincula abjecisses, ut iram meritam ista abjectione mitigares, sponte in arctiora vincula iteratò te reponeres, & in illis, ut ad misericordiam illum flecteres, veniam rogans compareres. Pro prævaricatione prima induti sumus sacco pœnalitatis & cinere mortalitatis: dicente Domino †, Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi: & iterum *, Pulvis es, & in pulverem reverteris. Hunc saccum & cinerem, quantum in nobis est, abjecimus, quoties carnem in illicitas voluptates laxavimus, & miseriæ & mortalitatis nostræ obliti sumus: ut igitur Regem nostrum ad misericordiam flectamus, oportet ut saccum & cinerem, in quos nos detrusit justè, coram eo sponte feramus; & quia hos quandoque abjecimus, ut abjectione meritam iram mitigemus, sacco & cineri, quos abjecimus, saccum alium & cinerem adjungamus.

* 1 Cor. 10. 31.
† 1 Thess. 5. 17.
* itaque Id.
† plura levia id.
* Cap. 9. 3.
† Gen. 3. 17, 18.
* Gen. 3. 19.

DICTUM

DICTUM EJUSDEM BREVE DE Oratione: in utroque MS. 144[um].

VIRTUTI & poteſtati orationis nulla poterit poteſtas creata coæquari. Puræ namque orationis forma & conſummatio mundum eſt ſpiritûs rationalis deſiderium: deſiderio autem & amore, quæ idem ſunt eſſentialiter, nulla eſt virtus creata nobilior, excellentior ſeu potentior; imò nec ad ipſius æqualitatem valet ulla pertingere: forma verò rei principium eſt propriarum actionum ipſius. Operativa itaque virtus orationis omnium eſt fortiſſima & efficaciſſima. Adhuc in oratione mundâ eſt operativa etiam virtus ſumma, increata, omnipotentiſſima: propter hoc non immeritò Veritatis voce dictum eſt, * Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. * S. Matt. 21. 22.

EJUSDEM DICTUM DE SUPERBIA.

SUperbia eſt amor propriæ excellentiæ; cum ſc. aliquis ſuperiorem locum alicujus celſitudinis deſiderat quàm ſibi congruat, & ex hoc deſiderio effert ſe ſupra id quod de congruentia deberet eſſe; & quia deſiderium malum occæcat mentis oculum, ſæpe contingit ut etiam putet ſe eſſe ubi eſſe deſiderat qui celſiorem locum quàm ſibi competit, affectat; cum tamen tanto deprimitur ſub ſe quanto inordinatè nititur ſupra ſe: velut multi ſapientes ſecularium literarum deſiderantes omnibus in ſcientia præponi, æſtimant ſe adeptos eſſe locum quem deſiderant; cum tamen ſint multis aliis in ſcientiâ inferiores, & ipſa cæcitate ſui mali deſiderii magnam partem luminis ſcientiæ ſibi ipſis abſtulerint; quam poſſent participare communiter cum aliis, ſi non affectarent præferri præ aliis. In hanc definitionem ſuperbiæ cadit amor quo quis affectat locum ſibi congruentem; ſed ſolis propriis viribus vult & nititur ad illum aſcendere, vel in jam habito perſiſtere: quia enim ex ſua virtute ad ſibi congruum ſe vult extollere, cum efficiens cauſa & extollens neceſſariò ſit altior exaltato, in eo quod ſe per ſe ſolum vult extollere, ſe extollentem ſupra ſe exaltatum ordinat, & ita ſe extollentem altius quàm conveniat ponit. Similiter qui in celſitudine ſibi congrua per ſe vult perſiſtere, cauſæ efficienti & conſervanti, quæ eadem eſt, ſe, quantum eſt in ſe, parificat, & ita ſe ſupra ſe extollit: cum autem homo ſupra hominem vult extolli, cum ſupra hominem proximò ſit Deus, per conſequens vult Deo parificari, & ita eſt imitator ejus qui dixit, * Aſcendam in cœlum & ero ſimilis Altiſſimo. Ad amandum verò * Iſai. 14. 14. ſe & ſuam excellentiam ſummè, non convertitur voluntas, niſi quæ averſa eſt à ſummo & incommutabili bono: principium igitur ſuperbiæ eſt averſio amoris à ſummo & incommutabili bono; conſummatio verò ſuperbiæ eſt converſio amoris ad ſui excellentiam ſummè amandam. Initium itaque ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, ſicut dicit † ſcriptura: hæc autem averſio à ſummo bono, cum ſit animæ à vera vita ſeparatio, † Eccleſ. 10. 14. quid eſt niſi mors animæ? initium igitur ſuperbiæ mors animæ eſt: miro itaque modo anima inordinata voluntate nitens parificari ſummæ vitæ, per ordinatam pœnam cecidit in imam mortem. Quæ enim deſeruit fruitionem vitæ ſtabilis & incommutabilis ut ſe & ſuo corpore frueretur, juſtè per mortem deſerta eſt à ſuo corpore quo voluit injuſtè frui. A ſuperbia igitur, ſicut dicit ſcriptura, initium ſumpſit omnis perditio; Tob. 4. 14. quia tam mors animæ quàm carnis: & ſuperbus qui propriam excellentiam amando ſe ſubtraxit regimini Dei, per eundem amorem motus membrorum ſuorum non ſivit ſub jici regimini naturæ, & ea quæ ſunt conſuetudinaria non ſivit moderari à conſuetudine, ſed ut totus ſibi videatur in propria poteſtate, in inceſſu & guſtu & omnibus voluntariis motibus movet membra non ſecundum quod exigit natura, ſed ſecundum quod diſponit ſua cogitatio ſuperba; ornat ſe veſtibus & aliis ornamentis non ſecundum quod exigit conſuetudo eorum cum quibus vivit, ſed ſecundum quod amor ſuæ propriæ voluntatis adinvenit; & cum natura & conſuetudo bona, quæ eſt altera natura, omnia faciant

ciant ordinatissimè, necesse est ut superbia motus & consuetudinalia faciat inordinatè: amor verò quo vult à nullo regi justè præcipitat eum in horrorem motus & operis inordinati, & qui cunctis vult esse spectaculum admirationis, fit ejsdem spectaculum derisionis. Affectio itaque inordinata in mente extrà se exerit deformiter in corpore. Amor igitur elevationis super alios facit superbum in incessu erigi super hoc quod exigit ejus statura naturalis, amor magnitudinis propriæ facit eum corpore intumescere, pectore protenso incedere, verbis ampullosis & sono tragico reboare, caput ad latus more lupino non sine corpore flectere; amor videndi cæteros sub se, facit eum cervicem erigere & flectere, ut possit oculos deorsum quasi in subditos quos imaginatur, deflectere: sed ne aliquid in se videatur * nimium, ut oculi prædicto capitis situ demissi, excelsi videantur, ipsis despectionis amore demissis, eorum supercilia versus frontem extollendo corrugat. Cum autem superbo videatur celsitudinem maximam sibi congruere & omnem alium se inferiorem esse debere, siquis alius per humilitatis affectum celsitudinem sibi congruam appetat quæ non sit inferior celsitudine quam actu habet superbus, vel non tantum inferior quantum sibi videtur alium sub eo debere esse, videtur superbo alium appetere plus quàm sibi congruat, & ita videtur ei eum qui verè humilis est, superbire: Multum igitur erit pusillanimis qui superbo videtur humilis, & quia quod per superabundantiam dicitur uni soli potest convenire, cum superbia sit amor præcellentiæ propriæ, præcellentiam quam amat in seipso superbus & etiam paritatem, quia tollit præcellentiam, necessariò odit in altero: odit igitur in altero quod in se amat, non tamen ipsam superbiam odit in altero: Superbia enim non est præcellentia, sed amor præcellentiæ, nec odit superbus in alio amorem præcellentiæ, sed ipsam præcellentiam: vellet enim superbus alium amare præcellentiam, sed ad ipsum amatum non pertingere, ut in ipso amore impotente pervenire ad desideratum tabesceret & dejectior fieret. Siquando igitur superbus non vult alium appetere præcellentiam, hoc est si timeat appetentem ad præcellentiam appetitam pervenire; per accidens igitur non per se odit superbus in altero superbiam, per se verò præcellentiam. Quis enim ipso diabolo superbior? & quid magis amat diabolus, quàm nos superbire? Est igitur superbire, ei, quantum in se est, qui non habet parem, velle parificari, apostatam angelum imitari, à Deo apostatare, per recessum à summa vitâ in mortem cadere, naturalia & consuetudinalia contra ordinem perturbare; veram humilitatem, superbiam in altero reputare; in se verò veram superbiam, magnanimitatem fingere: & cum hæc sit via superbi, comedet fructus viæ suæ & consiliis suis saturabitur: nitens enim supra se elevari, ipso nisu sursum offendit ad Deum iratum; & quanto fortius nititur, tanto vehementius ipso proprio impulsu ad ima revertitur; sicut pila projecta cum offendit ad obstaculum, quanto fortius offendit, tanto violentius redit. Sic igitur qui se exaltat, humiliabitur; & qui vult se elevare supra se, detrudetur sub se; & qui reliquit paritatem naturalem ut esset par ei qui naturaliter non habet parem, quia summus est, justè detrudetur ad paritatem eorum quæ ima sunt. Homo † cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis. Radix autem superbiæ, est bona sua considerare, majoribus se comparare, & inde quandam delectationem haurire: sed præcidi debet hæc radix consideratione propriæ infirmitatis, & quod bona quæ habet, non à se habet, sed à Gratiâ; comparatione sui ad meliores; terrore exempli angeli qui per superbiam cecidit; amore exempli Filii Dei qui semetipsum, formam servi accipiens, exinanivit.

Egregia descriptio inflati & tumescentis animi.

* In exempl. primo [unum] in secundo, nimium: fortè in aliis [humile] aut [imum].

Prov. 1. 31.

S. Mat. 23. 12.

† Psal. 49. ult.

EJUSDEM

EJUSDEM DICTUM DE Detractione & ejus malis.

DE fuperbiâ quæ eft amor excellentiæ propriæ, nafcitur invidia, amor fc. depreffionis alienæ: hic eft amor ut alius qualitercunque deprimatur: ex hoc nafcitur velle deprimere alium: fed cum res duplex habeat effe, unum in feipfa, alterum in alterius cognitione, velle deprimere alium dupliciter poteft dividi, in voluntatem fc. deprimendi alium in feipfo, & hoc eft odium, & voluntatem deprimendi in alterius cognitione vel opinione; quæ voluntas cum fuerit mentis rationalis, maximè fi vertatur in habitum, mala qualitas mentis eft, quæ dicitur vitium detractionis: hæc enim voluntas expleri non poteft nifi per verba vel alia figna bonum alterius pervertentia vel diminuentia: diminuere verò vel pervertere bonum unius in alterius opinione, quod non poteft fieri nifi verbis vel aliis fignis verborum vicem fupplentibus, detrahere eft. Quidam enim cum non poffunt verbo aliquo, aliquo nutu vicem verbi fupplente bonum alterius diminuunt; utpote cum aliquis fcholaris opponit vel refpondet, confcholaris affidens cachinno vel rifu vel alio nutu fignat & innuit alterius oppofitionem vel refponfionem nullam effe; & quandoque ipfa faciei immobilitate & in caputium fubmerfione innuit quòd alterius oppofitio vel refponfio non eft digna attentâ auditione. Ut igitur loquelam per nutus fub nomine verbi cum verbis comprehendam, detrahere nil aliud eft quàm bonum unius in opinione alterius, quantum in fe eft, verbis deformare. Detractor igitur non immeritò dicitur Deo odibilis: Similitudo namque per fe eft amicabilis, & contrarietas per fe odibilis. Deus verò verbo fuo omnia formavit: detractor verò verbo fuo formata † informat: per fe * autem detractor contrariatur Deo, & ita per fe Deo odibilis. Hujus pœnam dicit Dominus in Numeris peftilentiam: fic enim fcribitur, Ufquequo detrahet mihi omnis populus ifte? feriam igitur eos peftilentiâ: Eft autem peftilentia fubita corruptio ex aere corrupto: & quæ pœna æquior quàm ipfum corrumpi aere corrupto, qui, quantum in fe eft, alios corrumpit aere corrupto? verba enim prolata funt aeris ictus: fententia malitiofa in verbis peftilentialis eft qualitas aeris. Vide ergo qualis eft detractio, cujus avia eft fuperbia, cujus mater invidia, cujus frater eft odium, cujus proles eft lætitia de finiftrâ opinione de altero progenita, cujus pœna peftilentia, cujus officium verbo tranfitorio & malitiofo deformare quod formator omnium æterno verbo & benigniffimo formavit. Siquis vir ftudiosè circuiret ut acuto gladio in hortis optima quæque fructuum abfcinderet & virentiores & magis fructiferos ramos citius refecaret, circuiret etiam per templa & quod decentius & pulchrius figuratum effet in imaginibus fanctorum feftinantius acumine gladii amputaret; nonne vir talis infanus judicaretur aut facrilegus, & vel funibus vel catenis eum compefcerent, vel à focietate hominum eum expellerent? Cur non igitur magis detractor funibus compefcitur, vel ut facrilegus ab omnium focietate expellitur, qui circuiens non per quemvis hortum, fed per paradifum, linguâ fuâ quafi gladio acuto optima quæque fructuum bonorum operum abfcindit, ramos virtutum fructiferos refecat, & quod decentius & pulchrius eft in imagine vivâ Dei vivi amputat? imò verò tanto magis quafi infanus vel facrilegus ifte compefcendus vel abjiciendus, quanto virtutes fpiritales & fancta opera præcellunt fructus & arbores corporales, & quanto imago viva Trinitatis præcellit imaginem ligneam vel auream uniufcujufque fancti. Quidam verò funt qui ne videantur detractores ipfam detractionem aliqua fpecie boni velare nituntur, & vel à laude incipiunt fermonem fuum ut laudatores appareant, fed per adverfativas conjunctiones intermifcent occultè laudis diminutionem: vel à conqueftione incipiunt & fub fpecie dolentium vel conquerentium, aliorum bona diminuunt; vel ipfum cui volunt detrahere coram aliis increpant, ut fub fpecie correptionis & objurgationis detrahant, & fic fub pallio honeftatis vitium detractionis celant. De his dicit † Solomon, fi mordeat ferpens in filentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit. Talium occultè detrahentium typum bene geffit Maria foror Moyfis, cum fub fpecie correptionis pro Æthiopiffa fratri fuo detraxit: qua correpta à Domino irato * nubes receffit de tabernaculo, & ipfa apparuit candens lepra, & ejecta eft de caftris. Vide primò, cur receffit nubes? quia qui fimulant unum & faciunt aliud, ficti homines folent appellari: fed ficut fcribitur, † Spiritus Sanctus

† Deformat. Ex. aum.
* Igitur. Id. Cap. 14. 11, 12.
† Ecclef. 10. 11.
* Num. 12. 10.
† Sapient. 1. 5.

Sanctus disciplinæ effugiet fictum: à talibus ergo recedit columna, hoc est, Spiritûs Sancti refrigerium, protectio & sustentatio. Quid enim mirum si Spiritus Sanctus non protegit hominem qui sub specie donorum Spiritûs Sancti dona spiritûs maligni nititur tegere? In carne leprosi varius & adulterinus color eminet, sic in sermone occultæ detractionis eminet candor amicabilis laudis vel compatientis conquestionis, vel justæ correptionis, sed respergitur sparsim lurido colore & putredine lividæ detractionis. Lepram igitur gerit occultus detractor ore & mente multo pejorem quàm gessit
† Num. 12. 12. Maria in corpore. Orans pro ea Aaron, dicit †, Ne fiat hæc sicut mortua & quasi abortivum quid projicitur de vulva. Abortivum fœtus est projectus de vulvâ nondum animatus: affectio bona quam extrà per sermonem prætendit occultus detractor, fœtus est de vulva manifestatus; sed quia caret bonitatis veritate & vitâ Gratiæ, non vivus sed exanimis est projectus. Affectio etiam diminuendi bonum alterius cum patenter in sermone exprimitur, quasi viva & formata de vulva procedit; cum verò hæc affectio inexpressè exprimitur, quasi mortua & informis nascitur: sed exanimis
† Projectus Id. & informis fœtus † cui non est abominatio? quis non statim nauseat & vehementer non
* Pro. 24. 9. abhorreat, si viderit? propter hoc dicit Solomon quia * Abominatio hominum detractor; non solùm hominibus, sed etiam Deo est abominabilis detractor. Hoc
† Num. 12. 14. enim satis innuitur, cum subditur de Maria †, si conspuisset pater ejus in faciem suam, &c. spuere namque solemus in ea quæ abominamur. Hæc species detractionis quæ lepræ comparatur, quanto plus prætendit velamentum honestæ affectionis, tanto occultius & perniciosius alios inficit, quosdam sinistra suspicione, quosdam consimiliter detrahendi imitatione. Ne igitur contagio alios inficiat, talis leprosus extra castra cum Mariâ est ejiciendus; hoc est, ab hominum societate ejiciendus sive se-
* Pro. 24. 21. parandus. Hoc enim monet Solomon dicens *, Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum. Collige igitur quæ sit occulta detractio: morsus est serpentis in silentio, Spiritûs Sancti fugatio, lepræ contagio, informis fœtûs abortio, Deo & hominibus abominatio; cui debetur à castris Dei exclusio & repentina perditio. Hoc tam deforme malum si vis dissipare, audi Solomonem di-
† Prov. 25. 23. centem †, ventus aquilo dissipat pluvias; & facies tristis linguam detrahentem: qui enim facie faventi verbis detrahentis applaudit, quid aliud quàm fomentum olei subministrat igni linguæ à gehenna inflammatæ? qui verò facie tristi sibi displicere detractionem ostendit, quasi impulsu venti frigidi nubila detractionis alterius bonum obfuscantia dispergit. Qui enim faciem tristem detrahentibus non prætendit, ipsis consentit; quia cum possit malum impedire, non impedit, & secundum vocem Apostoli,
* Rom. 1. 30. 32. simul cum * detractore dignus est æterna morte. O quàm terribile est istud, quia pauci sunt qui licèt ipsi non detrahant, tamen detrahentibus faciem faventem prætendunt. Absit hujus favoris perniciosa consuetudo: ut igitur vitium detractionis perimas in alio, ostende detrahenti per faciem tristem, animum non faventem, & contra verborum ejus lubricum per aures ingressum, sepi aures tuas spinis, ut statim sentiat puncturas tuæ correptionis: hoc vitium perimat in teipso de bonis fratrum fraterna congratulatio. Quidam sunt qui volunt alios lædere in sua substantiâ vel suâ possessione; quibusdam libet diminuere bona aliorum in aliorum opinione; quidam verò non falsè sed verè dicunt de aliis mala, & hoc, libidine vilificandi eos in opinione auditorum; qui omnes à vitio detractionis non sunt immunes.

EJUSDEM DICTUM
de Humilitate.

Humilitas est amor persistendi in ordine sibi congruo secundum omnes conditiones suas; sicut superbia est amor persistendi in superiore quàm sibi congruat. Iste autem amor potest esse in homine antequam cognoscat quæ congruant sibi secundum singulas & diversas conditiones: cum autem huic amori additur cognitio ordinum congruentium singulorum, distrahitur quasi in specialiorem naturam humilitatis. Ut autem quod nunc dico sit evidentius pono exemplum tale: Lux solis in sole vel in æthere sola lux est, nihil habens in se nisi naturam lucis, & quantum est de natura sua, talis possit in seipsa existere & nunquam incorporari in his naturis inferioribus: cum tamen lux solis adjungitur colori existenti in perspicuo per quod transit, utpote colori vitri, incorporat se necessariò illi colori & trahit secum etiam colorem

colorem illum, & fit ille color in natura luminis & lumen in natura coloris, & eſt radius vel croceus, vel Indicus, vel rubeus, ſecundum quod eſt color per quem tranſit; nec poteſt ibi radius non eſſe radius coloratus, licèt in æthere & in ſole ſit diviſus ab omni coloratione. Sic amor qui eſt humilitas, cum cadit ſub hoc univerſale, ordo ſibi congruus eſt, quaſi lux in ſe ſeparata ab omni coloratione, & poteſt hoc amare in univerſali ordinem ſibi congruum, neſcire tamen quid alicui ſuarum conditionum congruat: cum autem jam cognoſcit ſingula congruentia ſingulis ejus conditionibus, amor qui tranſibat in ordinem ſibi congruum in univerſali, jam neceſſariò tranſit in ordinem ſibi cognitum ſpecialem, & eſt quaſi lux quæ jam recipit colorationem: verbi gratiâ, prius amat in univerſali perſiſtere in ordine ſibi congruo, non tamen cognoſcit quis ſtatus ſibi congruat ſecundum conditionem humanæ dignitatis, neque quis ſibi congruat ſecundum quod ipſe eſt peccator, neque ſecundum quod patiens vel juſtus: cum autem cognoſcit jam quòd ſtatus debitus humanæ conditioni eſt ſubeſſe ſoli Deo, parificari angelis & animabus ſanctis, præeſſe omni alii creaturæ, incipit amare hunc ſtatum quem prius non amavit niſi in univerſali: Similiter cum incipit cognoſcere quòd ſtatus debitus peccatorum eſt ſtatus pœnitentiæ, jam incipit amare eſſe in pœnitentia, quod prius non amavit niſi in univerſali; & ita quot fiunt ſibi cogniti ſtatus debiti ſuis conditionibus, tot fiunt in eo particulares & ſpeciales humilitates; ſicut lux fit diverſæ luces per diverſas colorationes. Sic igitur multiplicatur humilitas in homine, ſicut multiplicantur ordines vel ſtatus debiti multitudini conditionum ſuarum, cum illi ſtatus fiunt cogniti. Cum autem unicuique virtuti, quæ eſt habitus mentis, congruat ut ſit in operatione & miniſtratione ad quam deputatur, operatio autem non procedat ex virtute aliqua niſi adjungatur illi virtuti amor perſiſtendi in eo quod ſibi congruit ſecundum illius virtutis * conditionem, patet quod cujuſlibet virtutis operatio non ſolùm procedit ab illa virtute, ſed etiam ab humilitate ſibi conjunctâ; & cum ipſa operatio competens alicujus virtutis ſit ipſius virtutis cuſtodia, ipſa autem operatio ab humilitate ſervatur, patet quòd humilitas eſt virtutum cæterarum cuſtodia, ipſa virtutum etiam eſt prima, ſicut ſuperbia eſt primum vitium. Item quanto quis eſt major, hoc facit eum minorem eſſe: magnitudo namque eſt multitudo & intenſio virtutum in animâ: ſed quanto plus quis præditus eſt virtutibus, tanto plus congruit ei opera virtutum exercere, & illis virtutibus miniſtrare, & illud miniſterium ex amore prædicto, qui eſt humilitas, exercere. Omnis autem miniſtrans, in quantum miniſtrans, minor eſt eo cui miniſtrat: cum igitur humilitas faciat quemlibet quanto major eſt tanto plus miniſtrare, facit eum per conſequens, quanto major eſt, tanto ſubjectum & minorem eſſe; & iterum, quanto plus ſic tendit in imum in miniſtrando, tanto plus extendit in altum ramos præmiorum. Bene igitur dicitur, Quanto major es, humilia te in omnibus, i.e. per miniſterium operationum virtutum ſubde te illis quibus miniſtras. Et humilitas non ſolùm dicitur amor prædictus conſiſtendi in ordine ſibi debito; ſed cum ordo in tribus conſiſtat, in ſubeſſe, in coeſſe & præeſſe, dicitur quandoque humilitas amor eſſendi ſubditus; & ipſa ſubjectio eſt operatio procedens ex hoc amore. Item cum ad humilitatem pertineat velle perſiſtere in ordine ſibi congruo, congruit autem omni cognoſcibili in quantum hujuſmodi, ut ſit in uniuſcujuſque cognitione, ad verè humilem pertinet, ut velit ſe talem cognoſci ab omnibus, qualis in veritate ipſe exiſtit: congruit autem miſero, ut ſit in miſerentis & compatientis affectu; ſed hoc non poteſt eſſe niſi ejus miſeria ſit cognita: ad miſerum autem, ſi verè humilis eſt, pertinet, ut velit eſſe in cujuſlibet cognitione, ut ſit per conſequens in ejus compaſſione. Sed non convenit miſero ut ſit in ſuperborum deſpectione, aut deluſorum deriſione, aut ſit in exemplum volentibus male agere: ideo etſi debeat verè humilis velle ut talis qualis eſt, ſit in cujuſlibet cognitione; non tamen debet miſer velle, ut ejus miſeria ſit aut in ſuperba cognitione, aut in deriſoria, aut in malevola. Similiter bono congruit eſſe in cognitione ipſum authorem boni laudante & glorificante, & non eſſe in cognitione laudem debitam authori, homini conferente: univerſaliter igitur verum eſt, quòd verè humilis vellet eſſe talis qualis eſt in cujuſlibet cognitione ex parte ea quâ cognitio eſt; non tamen vellet eſſe in qualibet cognitione cum omni cognitionis conditione: patet igitur quòd ad verè humilem pertinet confiteri miſerias ſuas volenti miſereri & compati, etiamſi non eſſet in præcepto confeſſio. Gregorius ſuper † 2. Reg. cap. 6. 20. Sunt qui de ſe humilia ſentiunt, qui in honoribus poſiti nihil ſe niſi pulverem favillamque perpendunt, ſed coram hominibus viles apparere refugiunt, & contra hoc quod de ſe interius cogitant, quaſi rigida exterius venuſtate palliantur: Et ſunt qui viles videri ab hominibus appetunt, & omne quod ſunt, dejectos ſe exhibendo contemnunt; ſed apud ſe quaſi ex ipſo merito oſtenſæ vilitatis intumeſcunt, & tanto magis in corde elati ſunt,

* Cognitionem. Id.

Eccleſiaſtic. 3. 20.

† Vide Gregorii Expoſ. mor. cap. 27. In 37. cap. Job.

quanto

quanto magis in ſpecie elationem premunt: quæ utraque elationis bella David magna cir-
cumſpectione deprehendit, mirâ virtute ſuperavit: quod enim intus de ſe humili-
*v. 22. ſentiens, honorem exterius non quærit, inſinuat, dicens *, Ludam & vilior fiam: &
quia per hoc quòd ſe vilem exterius præbuit, interius non intumeſcit, adjungit, Eroque
humilis in oculis meis; quaſi dicat, qualem me exterius exhibeo, talem me interius at-
tendo. Ad condeſcendendum per humilitatem miſeris, moveant nos exempla Salvatoris,
† Deeſt [mulieris] in Eod. qui de ſinu omnipotentis Patris deſcendit in ſinum pauperculæ mulieris virginis:
quem non claudit amplitudo poli, claudit arctus thalamus virginalis uteri: naſcitur
domo publica, cui per potentiam cuncta ſunt propria: amictum luce inacceſſibili in-
volvunt obſcuri vileſque panniculi: ei qui cœlum terramque replet, ampla ſatis eſt præ-
ſepis anguſtia: lac ſugit uberum maternorum, qui ſolidus eſt cibus angelorum: qui
cœlum rapido turbine verſat, nutricis manu verſatur in cunis: fugit Herodem occiſorem
tantum corporis, qui poteſtatem habet corpus & animam mittere in gehennam ignis:
magiſtros interrogat & audit, qui unus eſt magiſter & omnem docens veritatem fa-
* Silet. Id. bro ſubditur, qui fabricavit auroram & ſolem: * ſiſtitur ad opprobria, qui verbo vir-
tutis ſuæ ſupportat omnia.

EJUSDEM DICTUM ALIUD DE Humilitate, caput ſuperius in utroque MS^o. proximè ſequens: num. 142um.

HUmilitas eſt quâ homo ſui veriſſimâ cognitione ipſe ſibi vileſcit: quis enim
ſibi non vileſcat, ſi conſideret de quàm vili conceptus ſit ſemine; qualiter
coagulatus & nutritus ex menſtruo ſanguine in matris ventre; in qualibus
† Deeſt [anguſtiis &] in Eod. natus anguſtiis; quàm brevi vivens tempore; quàm multis repletus † angu-
ſtiis & miſeriis; quàm amarus & pœnalis ſit exitus mortis; quàm poſt mortem cada-
ver horrendum, futurum origo & cibus vermium: multoque amplius ſibi vileſcit, ſi
Pſal. 38. 4. Pſal. 139. 18. conſideret miſerias ſpiritûs, quomodo iniquitates ejus ſupergreſſæ ſunt caput ejus & ſicut
onus grave gravatæ ſunt ſuper eum; & hæ, non paucæ, ſed ſuper numerum arenæ
* Etiam. Id. maris multiplicatæ. Si * enim conſideret quantum in imum detruſus eſt harum grave-
† Et multitudine. Id. dine, † quàm longè factus à ſalute & quàm vilis factus viarum ſuarum iteratione, ut eti-
am nullius elementi dignus ſit habitatione, qui omnium elementorum dominium, per
ſui vilitate, de corporis ſui & animi expulit habitatione. Qui ſic ſibi vilis eſt, propriam
conſequenter contemnit excellentiam: unde & beatus Bernardus alibi ſic definit
humilitatem, ut dicat eam excellentiæ propriæ contemptum: ſed cum non qui-
* propriam. Id. eſcat anima ab excellentiæ deſiderio cum jam contemnit * propria, oportet quod deſi-
deret non in ſe ſed in alio ſuam excellentiam. In alia autem creatura, ſi ſapit, excel-
lentiam non appetit, quia in alia non poteſt ſeipſa fieri excellentior; cum aliæ crea-
turæ aut ſint ipſa inferiores, aut ipſi non natura ſuperiores, ſed naturaliter pares: in
quibus ſi appeteret exaltari, perinde eſſet acſi quis crederet deſcendendo ad inferi-
us vel tranſeundo ad æqualiter ſibi & non amplius elevatum, ſe celſitudinem adquirere
ſe. Anima itaque quæ prudenter ſapit, nec in ſe nec in alia creaturâ quærit exal-
ſed in ſolo Deo qui ſupra ipſam eſt; in quo ſolo verè poteſt ſupra ſe aſcendere & ele-
† Anima. Id. vari, cum ipſe ſolus ſit † animæ natura ſublimior; nec poteſt quis in ſublimius quàm ea
aſcendere niſi innitens ſublimiori. Vera itaque humilitas eſt qua cognoſcit homo ſe &
vult ſe ex ſe vel ex alia creatura nihil eſſe; ſed in ſolo Deo vult exaltari & grandeſcere.
Amans itaque cognitio quòd ex ſe nihil eſt, humilitatis eſt radix; in Deo exaltari, ra-
mi ipſius ſunt: & palam eſt quòd quanto amplius profundatur hæc radix, tanto in ſub-
limius eriguntur & rami; quia quanto plus novit & vult eſſe nihil ex ſe, vel ex alia crea-
turâ eſſe poſſe, cum appetat tamen magnum eſſe, tanto plus projicit ſe, in Deum, ut in
illo ſolo & ex illo ſolo creſcat, grandeſcat & ſublimetur. Sicut igitur ædificium tanto
ſecurius & ſine timore ruinæ in celſum culmen conſurgit, quanto profundius ejus jaci-
* Robora. Id. tur fundamentum, & * arbores tanto in ſublimi ramos extendunt, quanto profundius radi-
ces mittunt; ſic humilitas quanto plus ſui contemptu tendit in profundum, tanto in-
tendo ſuper Deum creſcit in altum. De iſto in altum aſcenſu per ſui contemptum, &
* Cap. 8. 5. innixu ſuper Deum, ſub admiratione dicitur in Canticis *, Quæ eſt iſta quæ aſcendit
de

de deſerto, deliciis affluens & innixa ſuper dilectum ſuum? Cum autem humilitas ex contemptu ſui ſe totam projicit in Deum, non ſentit de ſe aliquid majus quàm ſit, nec hoc quod eſt ſibi ſed Deo aſcribit, agnoſcens ſe totum ex gratiâ recepiſſe, ipſa quoque gratuitò collata, meritis ſuis non putat eſſe debita, ſicut putavit ille ſuperbus Phariſæus, qui illa, pro quibus velut ex gratia collatis gratias agebat, ſuis bonis meritis debita imputabat, dicens, * Gratias tibi ago, Domine, quia non ſum ſicut cæteri hominum, uſque jejuno bis in ſabbato, &c. meritis enim jejuniorum & operum aſcribebat gratiam quam gloriabatur ſe habere virtutum. Vera itaque humilitas & gratiam agnoſcit & illam ſuis meritis non attribuit: alioquin gratia jam non eſt gratia: ſi enim ex prævenientibus meritis, ex debito eſt & non collatum gratis. Inſuper quod gratis ſe novit accepiſſe, non invidet aliis, quia de ſingularitate non poteſt gaudere, quæ ſe totam projecit in omnium bonum commune: vult itaque bonum commune in quod ſe projecit ab his communicari & modis quibus poteſt aliis miniſtrare. Unde bene radicata & profundata humilitas etiam minoribus miniſtrando ſe ſubjicit, ut ſuo miniſterio in bono quo participat, communionem inducere poſſit. Unde & tres humilitatis gradus diſtinguere ſacrorum expoſitorum diligentia conſuevit. Eſt enim humilitas ſufficiens, qua patimur ſubjici majoribus & conferri æqualibus: eſt alia humilitas abundans, qua ſubjici patimur æqualibus & conferri vel æquari minoribus: ſuperabundans verò eſt qua etiam minoribus propter Deum ſubjicimur. Hujus humilitatis potiſſimum & manifeſtiſſimum exemplum eſt Chriſtus, qui à minori baptizari voluit; unde & Johanni dixit *, ſine modò; ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam: qui pauperculæ mulieri, cum eſſet Deus & Dominus matris Mariæ, & Joſepho viro Mariæ homini fabro, ſubdi non recuſavit: ſic enim ſcriptum eſt, † Et deſcendit cum eis & venit Nazareth & erat ſubditus illis; haud dubium quin Mariæ & Joſeph, ſicut dicit Bern. & invehitur conſequenter in ſuperbos dicens, Erubeſce ſuperbe cinis, Deus ſe humiliat & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens tuo te præponis authori? Cum itaque Deus ſe ſubdat homini, qua fronte homo non ſe ſubdit homini, etiam quantumvis minori? & cum bonitas ſit dare ſe in omnium utilitatem, quanto quis melior eſt, tanto * ſe præbet in omnium utilitatem, ac per hoc in operationem & miniſterium quo illis adquiritur utilitas; & ſic per conſequens in ſubjectionem qua humili miniſterio omnibus ſubjicitur: quia ſecundum vocem veritatis †, major eſt qui recumbit, quàm qui miniſtrat. Quanto igitur quis major eſt, tanto humili miniſterio, quo omnibus aliis prodeſſe ſatagit, non ſolùm majoribus & æqualibus ſed etiam inferioribus ſubjectior eſt. Sunt autem humilitatis ſigna congrua, ſi correptus à minore non dedignetur, ſi non inſoleſcat honoribus, ſi non elevetur vel delectetur ſuis laudibus, ſi non reddat malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed econtrario benedicit; ſi inter coæquales primus eſt in opere & ultimus in ordine; primus in labore, ultimus in requie; primus in miniſtrando, ultimus in recumbendo; ſi gratias agit benevolentiæ; ſi tam libenter obedit quàm præcipit; ſi etiam in poteſtate conſtitutus prius ſe noſcit ſubjectum quàm ſuperpoſitum, ſicut & ille Centurio dixit, † Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo & ſanabitur puer meus: nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; de quo beatus Bernardus dicit, Quàm pulchrè loquutus eſt bonus ille Centurio, cujus fidei nulla par inventa eſt in Iſrael. Et ego, inquit, homo ſum ſub poteſtate, habens ſub me milites: non jactabat poteſtatem quam nec ſolam protulit nec priorem: dicturus quippe [habens ſub me milites] præmiſit [homo ſum ſub poteſtate] prius ſe agnovit hominem quàm potentem. Jam quicquid ſubinferas, ſuſpectam non habemus jactantiam: præmiſſa ſiquidem eſt humilitas ne altitudo præcipitet: nec enim locum ſibi invenit arrogantia, ubi tam clarum ſignum humilitatis præceſſerit. Agnoſcis infirmitatem, confiteris ſubjectionem? jam & te ſub te habere milites profitere ſecurus revera; quia non confuſus eſt de ſubjectione, jure ex prælatione meruit honorari: non erubuit ſuper ſe poteſtatem, & ideo dignus erat habere ſub ſe milites. Inſuper quoque verè humilis non vult exiſtimari alius vel alterius modi vel major quam ſit, ne fortè ametur, non ipſe ſed alius pro ipſo, ipſe videlicet quem alii eum exiſtimant. Hujus rei habemus exemplum Johannem Baptiſtam; qui cum tantus eſſet ut etiam à pluribus poſſet exiſtimari Chriſtus, * confeſſus eſt & non negavit, quia neque Elias erat neque propheta neque Chriſtus, confeſſus eſt ſe non eſſe quod non erat; & tamen interrogatus non negavit quod erat. Unde & vera humilitas non abnegat ſed prudenter confitetur quod eſt, cum ipſa cognitio rei quam confitetur, habere † humilitatem aliquam apud agnoſcentem non temerè creditur. Mira autem res eſt celſitudo humilitatis, quæ tanto minus attingitur, quanto quis ſe ad eam attingendam altius extollit. Unde & beatus Auguſtinus de vero humili Jeſu Chriſto loquens ait, Qui te exaudit non eſt præter te,

* S. Luc. 18. 11.

Tres gradus humilitatis.

* S. Matt. 3. 15.

† S. Luc. 2. 51.

† Tanto plus. Id.

† S. Luc. 22. 27.

Signa humilitatis.

† S. Matt. 8. 8, 9.

* S. Joh. 1. 20, 21.

† Utilitatem. Id.

non longè vadas, non te extollas ut quasi attingas illum manibus; magis, si te extuleris, cades; si te humiliaveris, ipse ad te appropinquabit: & idem alibi; Deus omnium cum sit excelsissimus, non elatione sed humilitate attingitur. Ipsa quoque humilitatis excellentia in hoc declaratur, quòd nemo nascitur ex spiritu nisi sit humilis. Unde Augustinus, Nemo ex spiritu nascitur nisi sit humilis; quia ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu, quia ipse est Deus contritis corde. Unde & Dominus volens Nicodemum nasci de spiritu, prius deponit ei superbiam quâ erat inflatus, quia doctor erat Judæorum, ut factus humilis posset nasci de spiritu. Hujus quoque excellen iam commendat quod ipsa summa sapientia hujus se facit magistram, dicens, * Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Hoc etiam & humilitatem commendat, quòd beata Virgo, non ex virginitate sed ex humilitate, Dei verbum carne concepit: unde Bernardus ait, Si Maria humilis non esset, Spiritus Sanctus super eam non requievisset; si super eam non requievisset, nec impraegnasset. Patet ergo, ut de Spiritu Sancto conciperet, testimonium ipsa perhibet, † Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ potius quàm virginitatem: etsi placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit.

* S. Matt. 11. 29.
† S. Luc. 1. 48.

EJUSDEM DICTUM ALIUD DE eadem, in utroque MS^o. 23um.

CUM humilitas sit amor persistendi in ordine sibi congruo secundum singulas conditiones; congruit autem cuilibet homini qui ad imaginem Dei factus est, influere bonitates suas super inferiores illis egentes, quia hoc est esse divinum, humilis amat influere bona sua super alios & ea illis communicare: sed ut hoc faciat, necesse est ut ad eorum infirmitatem quos bonis suis vult elevare, aliquo modo se demittat, & in aliquo * se contingens ipsos communicet cum eis in eorum † viis quos vult elevare ad sua excelsa; sicut Filius Dei ad nostras pœnalitates se demisit & in eis nobiscum communicavit, ut à miseriâ, * vel per unum, culparum seu pœnarum, ad celsitudinem suæ beatitudinis nos eveheret. Cum itaque hæc sit magna hominis celsitudo, esse scil. divino participare, & hoc est sua bona inferioribus influere, ut illos in altum elevet, † quantumcunque hoc facit, tantum se ad eorum infirmitates demittit, patet quàm verè dictum est quòd mensura magnitudinis est mensura humilitatis, & quam salubriter præceptum, * Quanto major es, tanto humilia te in omnibus. Debemus itaque ad exemplum Filii Dei pœnalitatibus aliorum communicare, si per hæc possimus a miseriâ, maximè culpæ & pœnalitatis, erigere eos: debemus etiam sic condescendere ut omnem miseriam proximi quam ipse portat in se, portemus nos in dolore & passione; pœnam quam portat in sensu, portemus nos in compassione & miseratione; culpam quam portat in voluntate & libidine, portemus nos in tristitia & odio, dolentes de ejus peccato, illudque odientes, ut possimus dicere, † Quis infirmatur & ego non infirmor? Statum quoque miserandum quem quisque proximorum nostrorum portat in se, portemus & nos in nobis, per positionem fingentes nos in statu ipsius, & considerantes qualiter deberemus velle nobis subveniri si essemus in statu consimili, pro posse nostro taliter ei subvenientes. Hoc est cum Apostolo, * Omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciamus. Hoc modo si celsi esse volumus participando esse divino, debemus ad inferiorum infirmitates communicandas nos humiliare. Debemus quoque singulas humiliationes, quibus Filius Dei se humiliavit ad aliquam nostrarum infirmitatum ut nos elevaret ad aliquam celsitudinem, diligenter considerare, & à qualibet exemplum sumere, ut consimili humiliatione nostra ad proximum, eum ad bonum aliquod ab aliqua miseria erigamus: Verbi gratiâ; Personæ Filii Dei ad nostram infirmitatem humiliatio fuit sicut leprosæ carnis osculatio: quia ipsa carnis assumptio est osculatio de qua dicitur, † Osculetur me osculo oris sui: os enim osculans est verbum Patris, osculatum caro assumpta; ut dicit Bern. sed carnem assumpsit cum corruptionibus pœnalitatum; ideoque quasi leprosam osculatus est. Ad hujus humiliationis exemplum non dedignentur divites osculari pauperes, & maximè cognatos & notos. Filius Regis summi osculatus est lepram tuam, & tu superbè denegabis osculum fratri tuo, forsitan saniori? absit: imò libenter & humiliter osculare tibi similem & propinquum hominem, qui leprosus, ut sanus fieres, osculatus es à Deo, cui multum dissimilis eras, à quo longinquus eras in regione

* Deest [se] in cod.
† Eorum ruinis. Id.
* Miseria culparum & pœnarum ad--Id.
† quantumque. Id.
* Eccl. 3.20.
† 2 Cor. 11. 29.
* 1 Cor. 9. 22.
† Cant. 1.1.

regione diſſimilitudinis: cum enim propinquo pauperi oſculum dives dedignaris, ipſe plerumque eo ipſo cadit in puteum * dedignationis, & incendium iracundiæ & tabeſcentiam mœroris de paupertate pro qua videt te illum contemnere. Cum itaque oſculo humiliter pauperi præſtito ab his ruinis eum ſuſtines, idem eſt acſi lapſum in iſtas ſublevares: fortè etiam exemplo tuo pedes ejus ſtatuis in humilitatis ſolido. Oſculare igitur dives libenter & humiliter propinquum pauperem, quem fortè oſculo tuo eripis de dedignationis puteo, de iræ incendio, de mœroris tabe, & ſtatuis in humilitatis ſolido. Quòd ſi ad hanc humiliationem non te movent prædicta, urgeat † quòd talem ſuperbiam ſequitur poena: cum enim propinquum tuum erubeſcis quia pauper eſt, ipſam erubeſcis paupertatem, ac per hoc omnem pauperem, in quantum pauper eſt, ac per hoc, Chriſtum pauperem: ſed * erubeſcentem eum coram hominibus erubeſcet ipſe coram Patre ſuo & coram angelis ejus. Quid enim eſt æquius quàm quòd erubeſcat te erubeſcentem illum qui non erubuit te? Chriſtus, quoque verbum Patris æternum, verbo unico dicens omnia, quia non potuimus iſtud verbum † amare & portare, condeſcendit in carne aſſumpta ad ſermonem nobis communem, uſitatum & notum, ut ſic paulatim eveheret ad intelligendum verbum æternum. Exemplo hoc debent magnates cum pauperibus ſermone humili eis uſitato & noto loqui, & ſapientes cum inſipientibus & magiſtri cum diſcipulis. Chriſtus etiam ad opprobria ſiluit, nec contumelias retulit; quia ipſe erat * lignum plantatum ſecus decurſum aquarum, cujus folium non defluit. Si enim contumelias reddidiſſet, verba ejus in terram cecidiſſent & ita ejus folia defluxiſſent. Sic nobis ad opprobria & contumelias ſilendum eſt, ne nobis folia noſtra defluant, † quæ debent eſſe ligna paradiſi ſemper virentia. Verba namque contumeliæ ſunt ſicut ventus fœtens & urens: fœtet autem objecta turpitudine, urens eſt qui venit de igne iræ & ignem iracundiæ conſuevit ſuſcitare. Nos ſumus ſicut arbores quarum vigor * virtutes, folia verba, fructus opera; cortex verò qui defendit contra frigus & æſtus ſicut patientiæ ſcutum; qui ſi ſe findat & aperiat uredinem, quia ventus contumeliæ intus admittit; ipſa uredo deſiccat ſuccum dulcedinis dilectionis; ſuccoque deſiccato, folia verborum relatæ contumeliæ ſtatim in terram proruunt, motuque ſuo flabellant ignem iracundiæ, de qua venit ventus illatæ prius contumeliæ, & de ſeipſis eidem jam præſtant materiam & fomentum incendii. Si verò cortex patientiæ non intus admittat uredinem illatæ contumeliæ, ſucco dilectionis glutinoſo folia, ne cadant, retinente, frigeſcit & adnihilatur ignis iræ de quo proceſſit ventus illatæ contumeliæ; utpote jam carens flabello vivificante & fomento materiam incendii præſtante. Exemplo igitur Chriſti, ad illatas contumelias ſileamus, ſcutumque patientiæ opponamus; primò ne nos ipſi uramus, ſcutumque viroris noſtri amittamus, foliiſque in terram cadentibus effluamus; & ſic ſiccati & nudati excidamur & in ignem mittamur: ſecundò, ut proximum noſtrum de incendio eripiamus, ignem quo uritur extinguentes, ventilabrum ſupprimendo, materiam ſubtrahendo, humilitatis noſtræ flumine ipſum aſpergendo.

* Indig--Id.
† Quæ. Id.
* S. Luc. 9. 26.
† In exempl. ſecundo eſt— verbum audire—
* Pſal. 1. 3, 4.
† Qui debemus. Id.
* Viror. in cod.

EJUSDEM DICTUM

De Patientia.

Patientia eſt animi à moleſtiis inflexibilitas: patiens enim eſt, quem moleſtiæ à voluntatis rectitudine non flectunt, & à ſerenitate tranquillitatis animi non dejiciunt. Quid eſt autem patientia niſi quoddam robur animi & quaſi os ejus infrangibile, ſeu ſcutum impenetrabile, aut murus adamantinus indiſſolubilis; imò ipſa invincibilitas ab omni vi adverſa inſuperabilis? Hanc autem dictam invincibilitatem ſeu inflexibilitatem nil aliud eſſe puto niſi ipſam vehementiam amoris rectitudinis voluntatis & tranquillitatis ejuſdem. Cum autem juſtitia ſit amor rectitudinis voluntatis ſervatæ propter ſe, juſtitiæ intenſio vel ipſa juſtitia intenſa, in quantum à moleſtiis infrangibilis & invincibilis eſt, patientia eſt. Nec ſic intelligendum eſt quod dixi, patientiam eſſe amoris rectitudinem juſtitiæ vel vehementiam vel intenſionem, quia aliqua eſſet juſtitia ita remiſſa quam non comitaretur patientia: ſed intelligendum eſt omnem juſtitiam eſſe amorem rectitudinis & vehementer intenſum, quia intenſione & vehementia eſt omnis juſtus ab omni moleſtia infrangibilis. Nullus enim frangitur moleſtiis, niſi ſcuto patientiæ ſponte prius abjecto. Quod autem patientia qua homo adverſis

lis non frangitur sed ea spernit & irridet, sit affectûs vehementia vel intensio vel granditas, ex verbis Augustini in primo lib. Confessionum convinci potest: His enim verbis ibidem exclamat, dicens, Estne quisquam, Domine, tam grandis animus, præ grandi affectu tibi adhærens, estne quisquam, inquam, qui tibi piè cohærendo ita sit affectus granditer, ut equuleos & ungulas atque hujusmodi varia tormenta, pro quibus effugiendis & per universas terras supplicatur, ita parva æstimet, irridens eos qui acerbissima formidant, quemadmodum parentes nostri irridebant tormenta quibus pueri à magistris affligebamur? Quod autem patientia sit inflexibilitas vel immobilitas animi qua non mutatur animus à serenitate tranquillitatis spiritalis in tristitiam, nec flectitur à rectitudine voluntatis vi aliquarum molestiarum, haberi potest ex verbis Tob. 2. * ubi sic scribitur, Hanc autem tentationem permisit Deus evenire illi ut posteris daretur exemplum; sicut & sancti Job: nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit & mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum quòd plaga cæcitatis eveniret ei, sed immobilis in Dei timore permansit: hæc autem immobilitas & inflexibilitas inest animæ adhæsione qua adhæret veritati inflexibili & immutabili. Potest enim omnis virtus describi comparatione ad opus quod egreditur à virtute, & comparatione ad ipsum qui est virtus exemplaris; & cum definitur comparatione ipsius virtus exemplaris ponitur in ejus definitione exemplar ejus quod est in anima; utpote patientia est adhæsio ipsi inflexibilitati & immutabilitati supersubstantiali à qua fluit in animam inflexibilitas à molestiis; & justitia est adhæsio ipsi supersubstantiali, rectitudini à qua fluit in animam rectitudo, quæ est animi qualitas & justitia, & à qualitate egreditur operatio qua redditur unicuique quod suum est. Potest itaque, ut videtur, virtus omnis describi tripliciter: comparatione sc. ad virtutem exemplarem, & † exemplatione absoluta suæ essentiæ, & comparatione ad opera quæ virtutibus peraguntur. Patientia itaque licèt à patiendo dicatur; ipsa tamen vis activa est quæ sustinet animum, ne ruat vel frangatur per molestiam passionum; & quod opus perfectius quàm animum sic roborare, ut ita facilè propellat omnes injurias intentas, quam facilè murus adamantinus parvos lapillos in se jactos integrè repellet? injuriis intentis plerumque anima virtutibus quasi quibusdam membris mutilatur: contra hanc mutilationem conservat animæ integritatem patientia. Item si patientia est quæ servat animam in tribulationibus non fractam, tribulatio autem, saltem occasionaliter, virtutes intendit, patientia virtutes cæteras intendit & ducit ad perfectum. Est † autem integritas animæ in virtutum numero, perfectio autem in earundem intensione; sicut hominis exterioris integritas consistit in numero membrorum, perfectio autem in eorundem debita magnitudine. Igitur, ut ait Jacobus, * Patientia opus perfectum habeat, &c. ut simus perfecti virtutum magnitudine & integri earundum numero, in nullo deficientes; sc. nec in virtute aliqua, nec in alicujus virtutis magnitudine. O quàm magna æstimanda est patientia, quæ, ut dictum est, est animi os infrangibile, scutum impenetrabile, murus adamantinus indissolubilis, vigor infatigabilis! Quid tam necessarium posito inter inimicorum jacula? Cum non solùm omnia repellat jacula; sed & in actionibus quibus impetitur inimicus, non finit animum fatigari. Si autem aliquid conservaret pugnantem corporaliter non solùm illæsum ab inimico, sed etiam infatigatum in impetendo inimicum, nonne illi conservato à fatigatione in opere meritò ascriberetur operis perfectio? Non solùm igitur habet patientia opus perfectum & integrum, virtutum intensione & numero; sed etiam boni operis usque ad consummationem productione, facit animum non deficere nec in magnitudine vel numero vel duratione. Est igitur non parum expetibilis patientia; quia pro levi & momentaneo malo perpesso meretur bonum oppositum non transitorium, æternæ gloriæ pondere pensandum: quod verbis ipsius David * 2 Reg. 16. perpendi potest: ait enim, Dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini. Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Et Ecclesiastici 1°. † Usque in tempus sustinebit patiens; postea redditio jocunditatis. Sicut autem virga aliqua difficilè flexibilis inflexibilior fit, si virga alia, & maximè fortior & inflexibilior ei colligetur, quemadmodum solet fieri in virgis * petrariorum: ita patientia cujusque fit inflexibilior, si amore assimilandi se patientiæ sanctorum patrum, & maximè Jesu Christi colligatur sibi eorum patientia: maximè autem ad robur patientiæ nostræ Jesu Christi patientia est colliganda; quia, ut ait Augustinus in † 6 Musicæ, Plagam mortalitatis & pœnalitatis nostræ mirabili & ineffabili Sacramento dignatus est assumere, cum hominem sine peccato, non sine peccatoris conditione susceperit: nam & nasci humanitus & pati & mori voluit: nihil horum merito, sed excellentissimâ bonitate; ut nos meritò magis caveremus superbiam, quâ dignissimè in ista cecidimus, quàm contumelias quas indignus suscepit, & æquo animo mortem debitam solveremus, si propter

Vers. 12, 13, 14.

† Explanatione. Id.

† itaque. Id.

* Cap. 1. 4.

* Vers. 11, 12.

† Vers. 29.

† Cap. 4.

propter nos potuit etiam indebitam sustinere. Corroborat etiam patientiam nostram Johannes Chrysostomus in Tractatu [de eo quòd nemo læditur nisi à se †] tam sanctorum patrum exemplis quàm Scripturæ testimoniis, ita inquiens, Si ablatæ sint tibi facultates tuæ, dic, * Nudus exivi de utero matris meæ, nudus & hinc abscedam; adde etiam illud Apostolicum †, Nil intulimus in hunc mundum; sed nec auferre quid possumus. Audisti maledictis te infamari apud homines, * in contumeliis dehonorari? Recordare & ante oculos pone verba Domini quibus ait *, Væ vobis cum benedixerint vobis omnes homines, &c. Item, † Gaudete & exultate cum ejecerint nomen vestrum tanquam malum apud homines. Expulsus es à patriâ & domo? Recordare quia non * habemus hic patriam manentem, sed futuram inquirimus. Quid te putas igitur patriam perdidisse, qui in tota terrâ peregrinus es? Si ægritudinem incurristi gravissimam, utere illo Apostolico sermone quo ait, † Nam si is qui foris est homo noster corrumpitur, sed qui intus est innovatur de die in diem. In carcere conclusus es, & mors crudelis imminet & intentatur? adduc ante oculos Johannem in carcere cervicibus cæsum, & tanti Prophetæ * caput saltanti puellæ in mercedem libidinis datum. Hæc ergo singula cum inferuntur injustè, tu non consideres eorum quæ inferuntur injuriam, sed quæ pro his retribuetur, gloriam. Tali igitur ligamento, amore sc. assimilationis cum sanctis patribus, efficiendo per eorum imitationem quod præcipit Scriptura, vigoratur in nobis non solùm patientia, sed & virtus quæcunque altera.

† Ipso. Id.
* Joh. 1. 21.
† 1 Tim. 6. 6.
* &. Id.
* S. Luc. 6. 26.
† S. Luc. 6. 22, 23.
* Hebr. 13. 14.
† 2 Cor. 4. 16.
* S. Matt. 14. 11.

EJUSDEM DICTUM 130um.

Quòd in omni opere Dei sint simul Misericordia & Justitia.

IN omni operatione Dei est præstatio alicujus boni non debiti ei cui præstatur bonum illud: cum enim creat aliquid ex nihilo, præstat rei creatæ essentiam quam non potuit res creata promereri, cum nihil esset: similiter cum jam creatis * vel conditis præstat aliqua bona, aut præstat simpliciter immeritum, aut præstat plusquam meritum est: cum verò malis infligit pœnam, præstat eam minorem condigna, ipsaque diminutio pœnæ bonum est immeritum: præter hoc etiam, in præstatione ipsius pœnæ præstat bonum immeritum: cum enim pœna justa sit, bona est; mala verò est sustinenti: ipsa igitur pœna, in quantum hujusmodi, non est bona sustinenti; licet ex parte aliâ, unde sc. pœna non est, sed vel delicti purgatio, vel à delicto præservatio, vel patientiæ probatio, bona sit sustinenti: cum autem bona est, unde pœna est, & non sustinenti, restat quòd alii, utpote ei qui per pœnam inflictam vindicatur. Non enim infligit Deus pœnam nisi pro delicto vindicans eum in quem delictum est: ipsa igitur pœna justa est & bona illi qui vindicatur: non enim vindicatur quis à Domino quia vindicari meruit, sed quia justus est Dominus reddens unicuique juxta opera sua. In inflictione igitur pœnæ est boni immeriti præstatio: in omni ergo operatione Dei est præstatio boni quod non meruit cui præstatur bonum illud, & ita misericordia, quæ in Deo est voluntas præstandi bonum immeritum. Item qui præstat quod præstare debet, justè facit: est enim justitia rectitudo voluntatis servata propter se; rectum verò unumquodque est, cum est sicut esse debet: voluntas igitur quæ est sicut esse debet, justa est; & quod à tali voluntate procedit, à justitia procedit: omnis autem præstatio boni quod præstat Deus, procedit à voluntate ejus in quantum est sicut esse debet: procedit igitur à justitia & justè fit: non enim præstatur bonum à Domino quod non debeat præstare ejus immensa bonitas. Comparatione igitur factâ ad bonitatem & æquitatem præstantis, quicquid præstatur à Deo debitum est præstari, & ita justum est: comparatione verò factâ ad recipientem, bonum præstitum indebitum est, & ita est pertinens ad misericordiam donantis. In omni igitur operatione Dei, est præstatio boni debiti & indebiti: debiti dico, de bonitate & æquitate præstantis; indebiti, de merito recipientis. Omnis igitur operatio Domini justa est, quia debet eam facere de sua bonitate; misericors est, quia non est debita meritis recipientis: & non solùm operationes ejus speciales justitia

* Nihil conditis præstat. Id.

justitia & misericordiâ informantur, sed etiam suæ operationes universales, in specialibus existentes, si respiciantur solum in universitate sua, invenientur habere justitiam & misericordiam: & cum omnis operatio Dei à summâ justitia procedit, non potest esse aliqua ejus operatio justior quàm sit: unde pœna quæ infligitur peccantibus, licèt sit minor condignâ, non potest esse magis justa; quia si esset condigna justior esset & magis debita quoad meritum peccantis: sed talis est indebita quoad bonitatem infligentis: ab eo verò quòd pœna est talis qualis debet esse de bonitate & æquitate infligentis, denominatur simpliciter justa; & non ab eo quòd est talis qualis debet esse de exigentia meritorum peccantis. Possit igitur omnis pœna quam infligit Dominus, quoad quid, esse justior quàm sit; simpliciter autem justior nequaquam: potest tamen ejus operatio esse magis misericors; quia quanto majus est bonum & minus meritum, tanto misericordius. Hæc igitur intensio cadit super inæqualitatem boni præstiti & meriti ejus cui præstatur: sed ejus operatio cum æqualis sit & commensurata rectitudini voluntatis ejus, & ab hac æqualitate denominetur justa, patet quòd aliqua ejus operatio non recipit intensionem in hac justitia. Item præstare bonum immeritum, misericordia est: sed hoc totum misericordem præstare bonum immeritum, justum est & æquum: videtur etiam quòd Deus, in quantum punit aliquem, misericorditer agit cum eo quem punit; quia in quantum dat flagellum temporale, dat revocatorium à malo; sed dare alicui revocatorium à malo, est dare ei bonum. Præterea infligendo quamcunque pœnam, manifestat ei cui infligit pœnam illam, suam justitiam: dans igitur flagellum dat manifestationem suæ justitiæ; hoc autem magnum bonum est: in quantum igitur flagellans est aliquem, & ita suam justitiam ei manifestans, præstat ei magnum bonum immeritum: ita etiam dans cæcitatem cæco nato, ut ipsa cæcitas esset gloriæ Dei manifestatio, magnum bonum præstat. Item misericorditer agit, dans diminutionem pœnæ condignæ, non solùm diminutionem acerbitatis, sed etiam, ut puto, diminutionem durationis: licet enim pœna damnati infinita sit duratione ex parte posteriori; quia tamen non est utrinque infinita, sed terminata ex parte anteriori, recipit diminutionem ex ea parte qua * facta est, i.e. ex parte anteriori; cum sc. tardius incipit damnati pœna quàm condignum esset eam incipere. Ad hanc partem itaque misericordiæ spectat, quòd Dominus hic permittit malos diu prosperari; sicut econtra misericorditer agit cum bonis, citò eos rapiens de hujus vitæ ærumnis. Item ex supradictis manifestum est, quòd quandoque Dominus eò quòd gravius punit, misericordius agit: pœna enim quanto gravior, tanto quandoque majus retinaculum à peccato, tanto justitiæ Dei major manifestatio, tanto ei qui vindicatur majoris boni præstatio.

* Id. finita.

LECTORI.

Dicta superiora de *patientia*, & de *misericordiâ Dei* cum ejus *justitiâ* conjunctâ (quæ tibi legenti spero non minus profutura, quàm mihi placebant, hac tempestate, excribenti) præter propositum & institutum quidem, sed nequaquam præter rem nostram, exhibere libuit. Vix manum abstinere potui quin plura etiam tibi dedissem, quæ mihi videntur dignissima omnium notitiâ. His autem nolui impræsentiarum amplius adjicere quam Sermones hosce duos minimè tibi celandos; ex quibus, præter modum prædicandi ad clerum, tunc temporis solennem, res etiam memorabiles, optimique ingenii stricturas, ut arbitror, reperies. Hæc omnia boni consules, tuumque commodum meditanti favebis, si consors sis vel amicus *Reformationis Anglicanæ*; sin minus, utinam esses, ut tibimetipsi consuleres bene. Vale.

EJUSDEM

EJUSDEM SERMO AD CLERUM: cujus titulus in MS°. est, *Ad Sacerdotes; quomodo scilicet debent esse exemplum fidelium omnium, tam verbo quàm factis suis bonis.* Dict. 35.

[1 Tim. 4. pars posterior commatis 12.] *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate,* * *in fide, in castitate.* * Cum [ἐν πνεύματι] sequatur [ἐν ἀγάπῃ] in codicibus Græcis, mirandum est quo pacto à vulgari interprete non minus quàm à S. Chrysostomo hic omissum fuerit.

PAulus, Doctor gentium, solicitudinem habens omnium Ecclesiarum, his verbis informare nititur vitam omnium pastorum: Timotheus enim cui Apostolus hæc verba dixerit, typum omnium pastorum gerit; in illo igitur unumquemq; nostrum qui curas habemus animarum, alloquitur his verbis, Exemplum esto fidelium, &c. Talis ergo debet esse unusquisque nostrûm, ut sit exemplum fidelium: tunc ergo es eis exemplum, cum in manifestatione exteriorum operum legi potest quasi in scriptura quadam unde procedunt opera, interior affectus animorum. Si ergo in te manifesta sunt opera luxuriæ, in quibus legi potest affectus interior, incontinentiæ quidem es exemplum, sed non fidelium; imò liber es & speculum luxuriosorum: similiter si sunt in te opera manifesta cupiditatis & rapinæ, in quibus legi possit interior affectus avaritiæ, exemplum quidem es, non fidelium sed cupidorum: similiter cujuscunque vitii opera sunt in te manifesta; ut ex illis possit convinci affectus interior, vitii illius generis vitiosorum es exemplum, & non fidelium; imò eò quod exemplum es vitiosorum, laqueus es & ruina fidelium, convenitque tibi quod dicitur per Oseam, * speculator Ephraim laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus: & quid miserabilius, quàm ut tu ipse qui illaqueatos deberes à laqueo ruinæ eripere, eisdem ipsis sis laqueus ruinæ? Non igitur sitis vitiosorum exempla, ut exemplo vestri animentur subditi vestri ad vitia similia; quia de talibus prælatis dicit Dominus per Oseam, † Peccata populi mei comedent, & ad iniquitates eorum sublevabunt animas eorum, & erit sicut populus eorum sic sacerdos: sed audi quid sequitur, visitabo super eum vias ejus & cogitationes ejus reddam ei: comedent & non saturabuntur, fornicati sunt & non cessaverunt, quoniam Dominum reliquerunt in non custodiendo: ne ergo ruinæ laqueo subditos vestros illaqueetis & ad iniquitates vestras eorum animas sublevetis & sic Dominum relinquatis in non custodiendo, sitis exemplum non vitiosorum, sed fidelium, hoc est, sint in vobis exterius manifesta opera fidei; in quibus possit legi vestra fides interior & dilectio Christi; lux * operum vestrorum luceat coram hominibus, ut videant vestra bona opera & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Exemplum esto fidelium, non solùm abstinens ab illicitis, quòd omnes fideles faciunt, sed excellentiore conversatione continens etiam à concessis: debet enim lux vestræ sanctæ conversationis tantum prælucere conversationi fidelis subjecti populi; quantum lux & perspicuitas & puritas oculi cæterorum membrorum prælucet colori. Vos enim estis oculi sponsi, de quibus dicitur in Cantico, † Oculi tui columbarum: sicut * cætera membra sine læsione contingunt pulvis & festucæ, oculum autem non contingunt sine læsione & lachrymarum eductione; sic pulvis minutorum venialium & festucæ grossiorum, quæ plebi sunt insensibiles, vobis debent esse amaræ, & vos, qui estis oculi sponsæ, in fontem lachrymarum deducere. Laicus fidelis sæpe non sentit pulverem verbi otiosi † nocentis nulli, vel officiosi mendacii; vos autem qui estis oculi sponsi, pulverem talem solicitè debetis cavere, &, si vos fortè contigerit, lachrymis compunctionis abluere, recolentes quoniam os quod mentitur occidit animam, & quòd de omni verbo otioso rationem oportet reddere. De hac sanctæ conversationis vestræ prærogativa respectu conversationis subditorum

* Cap. 9. 8.

† Cap. 4. 8, 9, 10.

* S. Matt. 5. 16.

† Cap. 1. 14.

* Sicut igitur. Id.

† Vel levis. Id.

torum veſtrorum dicit Gregorius quòd tantum debet actionem populi actio tranſcendere præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita paſtoris. Oportet namque ut ſolicitè * ſtudeat quanta tenendæ rectitudinis neceſſitate conſtringitur, ſub cujus æſtimatione populus grex vocatur. Conſiderate etiam quòd inſpiciens oculum, in eo ſuam cernit formam & imaginem; ſic omnis veſtram converſationem proſpiciens, in ea debet formam ſibi & normam rectè vivendi proſpicere: veruntamen ſicut imago in oculo rectè formata eſt & tamen apparet pupilla; ſic in celſitudine ſanctæ converſationis veſtræ vita ſubditorum ſibi apparere debet parvula & indigna. Eritis itaque hoc modo vos ſacerdotes ſacrum fidelibus ducatum præbentes, non ſolùm converſationis puritate, ſed præcellenti puritate fidelium vivendi regula & exemplum. Sequitur, in verbo: † Labia namque ſacerdotis cuſtodire debent ſcientiam, ſicut docet Malachias, circumcidiq; debent à vacuitate otioſitatis, à mendoſitate falſitatis, à præſumptione temeritatis, à levitate ſcurrilitatis, à mordacitate detractionis, à ſordibus immunditiæ & à ſuperfluorum exaggeratione: & nullum de verbis veſtris in terram cadat, ſicut de Samuele dicitur, * Quòd non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Vos enim eſtis os Domini de quo per Jeremiam dicitur, † Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris: * non enim vos eſtis qui loquimini, &c. In nobis enim & per nos doctrinam ſuam Deus loquitur; per quam ſicut per venam quandam de abundantia vitæ ſuæ vitam influit audientibus; unde in parabolis dicitur, † Vena vitæ os juſti. Cum igitur ſitis vena per quam vehitur vita, cavete diligenter ne immunditia venæ puritatem polluat influentis vitæ; ne per vos nomen Dei, quod eſt vita, polluatur & blaſphemetur in gentibus. Attendat præcipuè charitas veſtra quòd per vos loquitur Deus illa verba, per quæ panis & vinum in * carnis & ſanguinis ſui vertuntur ſubſtantiam: cum igitur per vos, tanquam per ſuum os, tam ineffabilis efficaciæ verba depromat Deus veritas, qua temeritate audet aliquis efficere ut per idem oris canale fluat mendoſa falſitas? Cum itaque te ſolicitat mentiendi libido, recole quia es os Dei veritatis, qui dicit, Veri ſunt ſermones mei: cum te titillat levitas jocandi & otioſa loquendi, recole quia os ejus es apud quem eſt ſumma ſtabilitas & nulla vacuitas, cujus verbum in æternum ſtat, & quæ procedunt de labiis ejus, non facit irrita: ſi te ſtimulat livor ut detrahas, recole quia os ejus es, cui ſuſurrones & detractores ſunt odibiles, cujus eloquia nil habent amarum, ſed ſunt dulciora ſuper mel & favum. Os Dei es, nunquid igitur loquêris opera hominum? qui [ut non loquatur os meum opera hominum,] ait per † Pſalmiſtam. Perpende * igitur diligenter quod idem inſtrumentum eſt quo ſapis & loqueris: quare putas ſic ordinavit Deus ut eodem inſtrumento quo loqueris ſapores diſcernas, niſi ut per hoc intelligeres quod omnis ſermo tuus condiri debet ſapore ſalis ſapientiæ, ut os tuum loquatur ſapientiam & meditatio cordis tui prudentiam? Item cur ponitur lingua tua ſub palato, quod figuram cœli habet, † & à polo palatum dicitur, niſi ut intelligas omnia verba tua debere eſſe cœleſtia? Omniaque formanda percuſſione interioris linguæ cum cœlo ſpiritali, nullaque extra hujus cœli ambitum debere figurari? Ut agnoſcatur in lingua tua, ſicut docet Eccleſiaſticus, * firmamentum in operibus juſtitiæ. Conſidera etiam quod os ultimum eſt quo datur ſignum pacis, ſcil. oſculum; & in hoc expreſſè innuitur, quòd omnis verbi finis & ultimum, conciliatio & concordia debet eſſe animorum: de quali verbo dicitur in Eccleſiaſtico, * Verbum dulce multiplicat amicos & mitigat inimicos & lingua eucharis in bono homine abundabit: & iterum † ſapiens ſeipſum in verbo amabilem facit. Item ore ſudo verbum non formatur, ſed humore juvatur verbi ſonatio; hoc eſt quòd ſermo omnis ſonans in aure Dei, rore gratiæ ardorem iræ & concupiſcentiæ reſtringente irrigatur, ſicut teſtatur Eccleſiaſticus, * Nonne ardorem refrigerat ros? Sic & verbum melius quàm datum. Et iterum, † Lingua ſapientis quaſi diluvium inundabit, & conſilium illius ſicut fons vitæ permanet: ſordes enim inundando prius diluit & poſtea ſicut fons vitam influxit. Verbum itaque ipſum ſummopere ſincerum & verum eſt conſervandum, quia hoc ſolo irrationabilia præcellimus, & in quo ſicut in fundamento cuncta opera noſtra ſolidamus; quia, ut ait Scriptura, Omnis operis initium eſt verbum. Doceat vos igitur & in vobis efficiat verbi moderamen, officii veſtri dignitas, quia os Dei eſtis & naturalis formationis proprietas; quia, ut ait Scriptura, * Qui moderatur labia ſua prudentiſſimus eſt, & † Perfectus eſt qui in linguâ non offendit, & * beatus qui non eſt lapſus in verbo ex ore ſuo: ſic itaque eritis exemplum fidelium *in verbo.* Sequitur *in converſatione*: ſicut monet Apoſtolus Petrus, † Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, ut in eo quòd detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex operibus vos conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis. Hæc converſatio intelligitur in operibus exterioribus viſibilibus & manifeſtis, ut ſit amictus non notabilis, riſus caſtigatus, inceſſus humilis; quia * amictus corporis & riſus dentium & inceſſus

* ut metiri ſolicitè ſtudeat. Id.
† Malach. 2. 7.
* 1 Sam 3. 19.
† Cap. 15. 19.
* S. Matt. 10. 20.
† Prov. 10. 11.
* in carnis Filii Dei & ſanguinis vert — Id.
† Pſal. 17. 4.
* Perpende etiam. Id.
† unde & à ——— Id.
* Cap. 4. 29.
* Eccleſ. 6. 5.
† Cap. 20. 13.
* Cap. 18. 16.
† Cap. 21. 16.
* Pro 10. 19.
† S. Jacob. 3. 2.
* Eccleſ. 14. 1.
† 1 Pet. 2. 12.
* Eccleſiaſtic. 19. 27.

incessus hominis annunciant de eo, ut de vobis qui debetis persuadere populo Dei sit vultus & vocis discretio cum humilitate, gestûs moderatio cum venustate; quia in facie sapientis lucet sapientia, & † quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus; ut tandem per opera vestra nec in vosmetipsos sitis flagitiosi nec in alios facinorosi; sed in vobismetipsis contra voluptates temperatissimi, contra terrores fortissimi, in alios autem sitis benevoli & pro posse munificentissimi, pauperum largi subventores, oppressorum de manibus fortiorum ereptores, invasorum defensores, in omnibus pro domo Domini vos murum opponentes ne audiatis illud exprobrativum ab ore Domini, * Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis vos murum pro domo Domini; sed conveniat vobis illud quod in typo vestri dictum est Jerem. † Ego dedi te in civitatem munitam, in columnam ferream & in murum æneum super omnem terram, & bellabunt adversum te & non prævalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te, ut sis sc. adunatio discordantium, munitio adunatorum, infatigabilis sustentatio infirmorum, incorrupta repulsio omnium inimici jaculorum. Sic itaque *sermone audibili*, & *conversatione visibili* ordinatus exterius, signum dabit expressum *charitatis, fidei & castitatis* interius. Unde sequitur, *In charitate & fide & castitate.* Charitas, ut scitis, est amor ordinatus Dei & proximi, qua diligimus Deum incomparabiliter plusquam nos, & proximos tanquam nos. Initium dilectionis proximi est, ut ex amore illi possimus, si egeat, nostra largiri; perfectio ejus est, ut pro proximi æterna salute vitam nostram temporalem parati simus non solùm flagellis, sed etiam morti exponere: initium charitatis insinuavit Johannes, cum dixit, * Qui habuerit hujus mundi substantiam & viderit fratrem suum necessitatem habentem, & clauserit viscera sua ab illo, quomodo charitas Dei manet in illo? Ejusdem charitatis perfectionem insinuavit Dominus, cum dixit, † Majorem charitatem nemo habet, ut animam sua n ponat quis pro amicis suis. Vos itaque prælati Ecclesiæ, non solùm debetis initiatam charitatem habere, ut videlicet egentibus possitis largiri vestra, sed ut pro salute proximorum, & maximè curæ vestræ subditorum, possitis impendere vosmetipsos, sicut Paulus dicit ad sibi subditos, || Et ego ipse impendar pro animabus vestris: & ex eadem affectione charitatis alibi dicit, * Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis: & Moyses ex eodem charitatis affectu pro populo qui Domino peccaverat orabat, dicens, † Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti. Debet etiam pastor Ecclesiæ omne quod possidetur transitoriè, omne quod possit invitus amittere, morsibus lupi dilaniandum dimittere, potius quàm sinat lupum rapere & oves dispergere.

† Pro. 27.19.
* Ezech. 13.5.
† Cap. 1. 18.
* 1 S. Joh. 3. 17.
† S. Joh. 15. 13.
|| 2 Cor. 12. 15.
* Rom. 9. 3
† Exod. 32. 32.

Si talis itaque debet esse charitas in prælatis ut seipsos impendant pro subditis, quid dicendum est de eis qui nondum sua largiuntur egenis? Imò etiam quid dicendum est de his qui subditos spoliant * fraudulentis & violentis rapinis? de quibus dicit Dominus per os Isaiæ, † Populum meum exactores sui expoliaverunt: paulò pòst alloquitur tales dicens *, Vos depasti estis vineam meam; rapina pauperis in domo vestrâ: quare atteritis populum meum, & facies pauperum confunditis? Tales etiam alloquitur Dominus per Michæam, dicens, Audite principes Jacob & duces domûs Israel; nunquid non vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum & diligitis malum? qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnes eorum desuper ossibus eorum? qui comederunt carnem populi mei & pellem eorum desuper excoriaverunt; ossa eorum confregerunt & conciderunt quasi in lebete, & quasi carnem in medio ollæ. Sed talium statim subjungit justam damnationem, dicens, Tunc clamabunt ad Dominum & non exaudiet illos, & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. [cap. 3. 1, 2, 3, 4.] Et si consideremus mores talium prælatorum qui fraude & vi spoliant pauperes, inveniemus dictam damnationem illis convenientissimam:

* Quorsum tam frequens objurgatio & querela apud viros probos & sapientes, Ecclesiæ Romanæ non inimicos sed filios, de fraude & violentiâ sacerdotum plebem expilantium & fallentium? Simulatam hoc sanctitatem & avaritiam turpem cleri eius literis cubitalibus indicat. Vix seculum inter sex ultima reperies quod de oppressione & mendaciis superstitiosis clericorum, clamores ad cœlum usque non concitavit. Apud Anglos, Germanos, Gallos, Italos (& quos non?) magnus fuit strepitus de fraudibus (piis & impiis) & rapinâ prælatorum & sacerdotum. Centies hoc in *Fasciculis*, nec rarius in hac *Appendice* leges; & cum totus mundus in eadem querimoniâ conspirat contra idem hominum genus, siquid est in rerum natura infallibile, hic versatur, fidemque miserrimo huic Christiani orbis opprobrio facit, Veritatem scilicet & justitiam Christianam à nullo hominum ordine amplius lædi, quàm ab ipsis, qui eas debent maxime tueri & promovere, sacerdotibus. Discute *Centum Gravamina* Principum, *Antilogiam*, alia *Gravamina*, hic exhibita; & cum corruptissimos Ecclesiasticorum mores, magnâ & severâ *reformatione* indigentes perspexeris, redi ad Robertum Grossetest qui neminem solet adulari, & ab eo disce quamdiu hæ pestes in Ecclesia duraverunt. Mirare mecum, Lector, & suspira; cumque diu miratus fueris & suspiraveris, aurem oculumve facilem reliquæ hujus sermonis parti præbe; perlecto autem, obstupesce & clero præsenti meliora apprecare. † Cap. 3. 12. * Vers. 14, 15.

 Solent enim tales spoliatores ad se clamantes spoliatos non exaudire, & ab eisdem supplicantibus faciem avertere, & ne ad eos accedere possint, in cameris suis se abscondere. Et quid convenientius, quàm qui non exaudit miserum, non exaudiri, sed ab occultante faciem à misero, faciem Dei occultari? Absint à vobis pastoribus talia, qui gregis Domini non estis spoliatores, sed albo vellere vestitores; qui ex charitatis radice, † quod infirmum est, consolidatis; quod ægrotum, sanatis; quod fractum, alligatis; quod abjectum, reducitis; quod periit, quæritis; non cum potentia nec austeritate imperatis; sed perfecta charitate pro grege vestro vosmetipsos impenditis: hæc est *charitas*, qua *exemplum estis fidelium.* De *veritate* autem *fidei* non estis ad præsens instruendi; nec ut firma sit in vobis fides, ut credo, commonendi; ideoque est ad ultimum verbum transeundum, ut *castitatis* lilio induamini: nil enim convenientius quàm vos castitatis munditiâ vestiri, qui castissimæ Virginis Filium Virginem quotidie manibus contrectatis, ore contingitis & pura mente capitis: nil † enim incongruentius quàm vos volutari volutabro luxuriæ fœtentissimæ, quam ut turpissimam dominam innumerabiles nequissimæ sequuntur pedissequæ: quarum prima est Apostasia; quia * vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes; secunda, Idololatria, sicut legitur de Solomone, † Quod mulieres averterunt cor ejus, cumque jam esset senex, Depravatum est per mulieres cor ejus ut sequeretur deos alienos, & colebat Astarthen deam Sydoniorum & Chamos deum Moabitarum & Moloch idolum Ammonitarum. Comitantur etiam luxuriam ut pedissequæ, homicidium & dolus, sicut patet in David, qui propter explendam luxuriam occidit * fidelem militem Uriam; & Herodes Johannem Baptistam; & occisus est Amnon Filius David pro luxuria à fratre suo Absalone. Comitantur etiam frequenter gressus hujus turpissimæ dominæ furtum, rapina, temeritas, fraus & dementia, sicut legitur in Apocryphis Esdræ, quia accipit homo gladium suum, & vadit in viam facere furta & homicidia, & mare navigare & leonem videt & in tenebris ingreditur cum furtum fecerit & fraudes & rapinam amabili suæ affert. Et paulò pòst, Multi dementes facti sunt propter uxores suas [lib. 3. cap. 4. v. 23, 24, 26.]

† Vide Ezech. 34. 4. &c.

† nilque. Id.

* Ecclesiastic. 19. 2.

† 1 Reg. 11. 3, 4, 5.

* 2 Sam. 13. 29.

Sequuntur etiam ut pedissequæ luxuriam, subjectio potestati diaboli, sicut legitur in † Tobia de septem viris Saræ, qui non affectu conjugali sed libidinoso volentes ad eam ingredi, à diabolo occisi sunt; effœminatio quoque, confusio, * prædatio, turpiloquium, garrulitas, comessationes, ebrietates & morbi multi, ut ex diversis locis Scripturæ potest expressè colligi. Et nunquid in eodem domicilio concorditer hospitantur agnus Filius Virginis cum choro virginum quæ sequuntur eum quocunque ierit, & prædicta corruptissima, quam tam hortida sequitur familia?

† Cap. 3. 8.

* perditio. Id.

Ut igitur dignè recipiatis in cordis vestri hospitium Virginis Filium cum choro virginum ipsum quocunque ierit sequentium, contra luxuriam ejusque nequissimam familiam claudite portas vestrorum sensuum, sintque janitores eam arcentes, timor gehennæ & recordatio professionis propriæ, suscipiantque devotissimè splendidissimam castitatem, eam præcipue virginalem quam sequitur familia reverentissima, videlicet, incoinquinatio, quæ nescit thorum in delicto, fructus in refectione animarum sanctarum, nomen sempiternum quod non perit; quia sicut charitas, sic continentia nunquam excidit; assimilatio matri sponsi sui † in exilio vitæ patriæ similitudo; in carne corruptibili similitudo vitæ angelicæ & vitæ paradisi. Hanc ferunt & introducunt vestis asperitas & victûs parcitas; hanc undique vallat & custodit humilitas: istam ita * filio acceptissimam sponsam qui Filium Virginis quotidie contrectatis, in penetrale cordis vestri admittite, † & ut plenè sitis *exemplum fidelium in verbo & conversatione & fide, charitate & castitate.*

† Et in. Id.

* Itaque. Id.

† Deest [&] in eod.

EJUSDEM

EJUSDEM SERMO ALIUS AD Clerum ſuper

Pſal. 132. 9. *Sacerdotes tui induantur juſtitiam.*

VErſus iſte generaliter competit omnibus fidelibus qui per veram fidem & dilectionem membra ſunt Jeſu Chriſti * & veri & ſummi Sacerdotis: adhærentes namque nervis fidei & charitatis ipſi ſummo ſacerdoti Jeſu Chriſto, in ſuprema vi mentis qua Chriſto vero ſacerdoti adhærent, effecti unius ſpiritus cum eo, gerunt & ipſi ſacerdotium, uncti chariſmatibus de plenitudine ipſius defluentibus, mactantes ſuper aram fidei ſpirituales hoſtias, concupiſcentias beſtiales interficiendo; incenſum quoque offerendo devotarum orationum & ſacrificium ſpiritûs contribulati. Hoc autem, ſc. omnes fideles, qui ſunt membra Chriſti, eſſe ſpiritualiter, ſacerdotes, teſtatur Legiſlator in Exodo dum in perſonâ Domini loquentis dicit, * Mea eſt omnis terra & vos eritis regnum ſacerdotale & gens ſancta. Et in Canonicâ Petri ad univerſitatem fidelium dicitur †, Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, &c. Licèt autem verſus iſte ſic generaliter & ſpiritualiter omnibus membris Chriſti competat; ſpecialiter tamen nobis habentibus curam animarum, qui nòn ſolùm ſpiritualiter, ſed & ad literam, ſacerdotes ſumus vel eſſe debemus: non enim debet nobis ſufficere ut induti ſimus juſtitiâ quali induitur plebs curæ noſtræ commiſſa: ſed oportet juſtitiam noſtram, pluſquam aliorum abundare; ut quemadmodum præcellimus eos dignitate, ſimus etiam ſpectabiliores illis veſtimentorum juſtitiæ munditiâ, cultu, factura & pretioſitate. De hac prærogativâ veſtium juſtitiæ ſacerdotibus competente, vobis qui ſacerdotes eſtis, pauca, * ſuffragantibus orationibus veſtris, loqui diſpoſui; præmonens in principio, quod cum vos ſitis qui veſtiri debetis hac veſte pretioſa, ego non profiteor me harum veſtium textorem aut datorem, aut eum qui illis vos veſtiat: unus enim eſt Dominus Jeſus Chriſtus qui eas texit, donat & illis vos veſtit, cui canitis cum prophetâ Iſaiâ, dicentes †, Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo quia induit me veſtimentis ſalutis & indumento juſtitiæ circumdedit me. Sed ſum in hodierno miniſterio ſicut puer gerulus iſtarum veſtium, ſublevans & expandens eas coram vobis, ut illas à Domino induamini: aut ſi illas, imò quia illas, per Dei gratiam jampridem induti eſtis, ero vobis hodie ſicut aptator illarum veſtium circa vos, ſurſum trahens ſiquid nimis longum dependens terram tangit, protrahens quod nimis curtatum inferiora non velat, nimis fluida ſuccingens, nimis arcta relaxans, indecenter rugoſa extendens, indecenter extenſa recriſpans. Sed quia talis tam pretioſarum veſtium aptatio requirit in miniſtro aptante manus mundas, agiles & habiles, oculos limpidos, vigilanter circumſpicientes; orabitis in principio pro me veſtium veſtrarum hodierno aptatore, ut ille qui verus dator eſt & veſtitor illarum manus linguæ meæ hodie mundet & regat & aptet, oculumque mentis clarificet, ut veſtium juſtitiæ quas geritis meo miniſterio, circumſpecta & decens circa vos aptatio gratiores vos reddat in conſpectu ejus, cui ſolum accepti ſunt qui veſte nuptiali inveniuntur induti.

* Deeſt [&] in cod.

* Cap. 19. 6.

† 1 Pet. 2. 9.

* Obſervandum eſt Epiſcopum non in limine orationis ſalutare B. Virginem, ut nunc moris eſt apud prædicatores Romanos; quaſi ſine præfatione τῆ [Ave, &c.] inutilis futura eſſet concio & malis avibus inchoata: ſed ſe ſuppliciter commendat precibus & vocis auditorum, ut ii, quorum profectui & commodo ſtuduerat, in rem propriam ſoliciti & intenti adjuvarent concionatorem fuſis pro illo precibus ad Deum, cujus opus initurus erat; & ſibiipſis benefacerent, attentâ & pia auſcultatione eorum quæ jam eſſent audituri: quod millies magis cedit in prædicatoris & auditorum fructum & bonum quàm Virginem Mariam verbis angelicis (quorum nullus jam talis uſus) ſalutare: quod tanti erat apud virum hunc momenti, ut quod hic ſolummodo innuit, mox jubet, Orabitis, inquit, in principio pro me; & orabitis ad Illum qui, &c. non ad B. Virginem, angelos aut ſanctos. † Iſai. 61. 10.

Sacerdotes tui, &c.

Quia definitio eſt rei implicitæ explicatio, & involutæ evolutio & manifeſtatio, inprimis *juſtitiam* definiendo, quaſi pretioſam veſtram veſtem coram oculis veſtris diſplicabo & manifeſtabo, ut viſâ explicitæ ejus pulchritudine & pretioſitate, qui illam induti eſtis, ejus pulchritudine & pretioſitate delectati eam ad vos arctius aſtringatis, & curioſius

oſius mundam & immaculatam conſerveris : ſiqui verò eam nondum induti ſunt, rapti ejus pulchritudine ad eam induendam ardenter & infatigabiliter anhelent.

Solet autem juſtitia hoc modo definiri. Juſtitia eſt voluntas reddendi unicuique quod ſuum eſt ; utputa ſuperioribus filialem timorem, reverentiam & obedientiam ; paribus fidem, ſocietatem & honoris adinvincem præventionem ; inferioribus regimen & diſciplinam & protectionem : ſed hæc definitio licet in veſte hac illud explicet quod ſacerdotibus cum reliquis eſt commune ; debent tamen ſacerdotes in participatione hujus veſtis cum reliquis, à reliquis ſic differre. Quemadmodum accidit in magna domo magni patriſfamilias, quòd plurimi ſervientes veſte unius coloris communiter induuntur, in ipſa tamen multitudine ſic indutorum ſunt quidam in quorum veſte color communis omnibus relucet pretioſior, factura figuratur pulchrior, & corpori aptatior cultus habetur decentior : Sic ſacerdotum obedientia debet eſſe humilior, reverentia devotior, timor amantior, ſocietas fidelior, honoris adinvicem præventio à ſimulatione remotior, gubernatio * moderatione diſciplinæ ſapientior & prudentior, protectio invincibilis fortitudinis conſtantia ſtrenuior : hoc igitur modo quod in veſte juſtitiæ cum reliquis vobis eſt commune univerſalis naturæ participatione, debet ſacerdotibus eſſe proprium ſuperabundanti intentione : Et licèt hæc prærogativa intentionis in veſtra † cura ſacerdotali non parvam explicet pulchritudinem & pretioſitatem, poteſt tamen adhuc ejus pulchritudo magis explicari illa definitione qua * Anſelmus illam definit, dicens quod Juſtitia eſt rectitudo voluntatis ſervata propter ſe, hoc eſt, propter ipſam rectitudinem : multoties enim ſervatur à multis voluntas recta, non tamen ſervatur amore rectitudinis ; utpote quandoque aliquis judex aliquem qui delinquit, ut meruit puniri, vult punire ; & rectum & juſtum eſt ut is qui delinquit puniatur, & ut judex velit eum punire : ſervat itaque judex, quoad hoc rectitudinem voluntatis ; ſed ſi velit punire delinquentem plus amore alicujus lucri quàm zelo juſtitiæ, ſervat rectitudinem voluntatis non propter rectitudinem ſed propter lucrum, & ita non eſt verè juſtus ; quia nec recte rectitudinem, nec juſtè juſtitiam ſervat aut exequitur, contra hoc quod præcipit Legiſlator, dicens †, Quod juſtum eſt juſtè exequamini : ut ſit voluntas recta, opus rectum & intentio recta. Hæc eſt igitur integra juſtitia, ut ſervetur rectitudo voluntatis non alterius gratiâ aut amore niſi rectitudinis : & dixi hanc definitionem evidenter explicare quaſi veſtis veſtræ pulchritudinem ; quia, ut oſtendit beatus Auguſtinus, omnis pulchritudo æqualitate & rectitudine conſiſtit ; nec eſt aliud pulchritudo ipſa quàm æqualitas & rectitudo : igitur & voluntas & intentio conformes rectitudini, conformes ſunt ipſi pulchritudini : igitur cum ipſa pulchritudo ſit in ſe pulcherrima, quid magis poteſt ornare animam aut decorare & pulchram facere quàm integra & plena conformitas ipſi pulchritudini, hoc eſt, ipſi rectitudini ? Pulcherrimus igitur ornatus animæ, pulcherrimumque indumentum ejus eſt conformitas voluntatis & intentionis ſuæ ipſi rectitudini, & hæc conformitas juſtitia eſt.

Sacerdotes igitur tui, Domine, induantur juſtitiam ; nec induantur eam ſemi-abſciſſam, & ſemi-contextam, Domine, ſordibus & fœditate : qui enim voluntatem * rectam & intentionem diſtortam, ut in exemplo ſupradicto tetigi, qui ſc. quod juſtum eſt exequuntur injuſtè, quaſi in parte ſervant pulchritudinem veſtis juſtitiæ ; ubi ſc. ſtat rectitudo voluntatis ; in parte verò abſciſſa eſt ipſa pulchritudo, & intexta eſt ſordium fœditas ; ubi ſcilicet eſt intentionis diſtortio, vel lucri, vel alterius commodi temporalis appetitus ; præſertim cum hæc omnia temporalia reputet Apoſtolus viliſſima *ſtercora*. Abſit longè hæc corruptio & hæc ſordium commaculatio ab indumento juſtitiæ veſtræ immaculatâ pulchritudine juſtitiæ : ſacerdotes Deum induamini, ut conveniat vobis quod dicitur in Cantico * Quàm pulchræ mammæ tuæ, ſoror mea ! & in eodem †, Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis : vos autem eſtis mammæ * Eccleſiæ ; quia per vos etiam potatur lacte ſimplicis doctrinæ & conſolationis dulcifluæ : vos etiam eſtis genæ Sponſæ candentes lilio caſtitatis, rubentes roſa martyrii, quod apertum habetis in deſiderio, occultum in carnis maceratione & proximorum compaſſione. Igitur pulchritudo vos ornet, quæ aliud non eſt quàm inviolabilis conformitas voluntatis & intentionis ipſi rectitudini ; ut velitis ſtabiliter quod rectum eſt, non ob aliud niſi ob ipſius rectitudinis immaculatum amorem ; & hoc eſt juſtum juſtè velle, & integra, non abſciſſa juſtitia qua induamini ; ne appareat confuſio nuditatis veſtræ, ut ſitis de quibus dicitur, † Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum *tecta* ſunt peccata ; *tecta* inquam indumento juſtitiæ.

Licèt autem prædicta definitio juſtitiæ ejus pulchritudinem & pretioſitatem ſimul evidenter & eleganter depromat ; excellentius tamen eas videtur explicare definitio qua definit juſtitiam philoſophus ille idemque catholicus, dicens, quòd *juſtitia* eſt ſimilitudo cum

* Gubernatio moderatior, diſciplina ſap.—Id.

† veſte. Id.

* Dialog. de Veritate. cap. 12.

† Deut. 16. 20.

* Servant rectam. Id.

* Cap. 4. 10.

† Cap. 1. 9.

* Mammæ ſponſæ, mammæ Eccleſiæ, quia parvulos Eccleſiæ potatis lacte ſimplicis doctrinæ. Id.

† Pſal. 32. 1.

cum ſupernis diviniſque ſubſtantiis, ſupernas divinaſque ſubſtantias angelos vocans. Eſt igitur *juſtitia* ſimilitudo cum angelis. Et hæc definitio præcipuè vobis ſacerdotibus competit, qui propter ſimilitudinem vitæ veſtræ cum vita angelicâ, angeli vocamini, dicente Malachia Prophetâ, * Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt: & Johannes in Apocalypſi per ſeptem angelos quibus † ſcribit, univerſitatem prælatorum deſignat; ſimilitudo itaque cum angelis eſt juſtitia qua oportet vos nominatos angelos veſtiri & ornari: & ut hujus indumenti veſtri pulchritudo & pretioſitas planius explicentur aſpectui veſtro, conſideretis attentius quales ſunt angeli & in quibus oportet vos aſſimilari eis.

* Cap. 2. 7.
† Cap. 2. & 3.

Sunt itaque angeli ſubſtantiæ incorporeæ intellectivæ, irrepercuſſâ acie intelligentiæ ineffabilem pulchritudinem Trinitatis contemplantes: ipſaque ſapientia & verbum Patris eſt eis *liber vitæ* & *ſpeculum æternitatis*, in quo intelligibiliter legunt & limpidè conſpiciunt immenſam Patris potentiam, quam venerantur; univerſalem Filii ſapientiam, qua illuſtrantur; ſuaviſſimam Spiritûs bonitatem quam amplexantur; ibidemque conſpiciunt quid ad Deum ſuperiorem illis, quid ad ſibi pares, quid ad inferiores illis ſit agendum; † quoad hæc in illum à quo ad hæc videnda illuſtrantur, ſuperfervido amore rapiuntur & in ejus viſione & dilectione ſuaviſſimâ delectantur, omnes operationes ſuas ſecundum regulas quas in *libro vitæ* legunt, regulariter dirigunt, tranquilliſſimam pacem ſervantes ad invicem, de bonis * alternis ſupernè congratulantur, noſtri curam dum in hac miſerâ peregrinatione ſumus, ſolicitè & prudenter & fortiter agunt, tenebras ignorantiæ noſtræ illuſtrando, & ſic nos occultè interius inſtruendo, affectiones ad bonum excitando, opera noſtra dirigendo, inſidias & inſultus aerearum poteſtatum & malignorum hominum à nobis propellendo profectui noſtro congaudent, defectui noſtro non modicùm condolent. Hæ & aliæ quamplurimæ illis ſimiles ſunt proprietates angelicæ, in quibus oportet nos illis aſſimilari, ſi voluerimus eorum ſocietati uniri. Veruntamen cum non poſſumus in hac vita fragili eis aſſimilari ſimilitudine perfectionis, oportet tamen eis aſſimilari ſimilitudine imitationis: † unde enim in hac vita mortali ſeu morte vitali detinemur, minores ſumus angelis, nec eis poſſumus à pari contendere, ſed multum alongè veſtigia imitari; cum verò mortale hoc induerit * immortalitatem, & incorruptionem corruptibile, æquales angelis † efficiemur. In hac autem mortalitate dum corpus quod aggravat animum & carnis affectus obnubilat mentis aſpectum, non poſſumus revelatâ facie, ſicut faciunt angeli, ineffabilem pulchritudinem Trinitatis contemplari, nec poſſumus in *libro vitæ*, ſicut ipſi, apertè legere quicquid perficit mentis noſtræ contemplationem & quicquid regit noſtram actionem: oportet enim nos angelos à longè imitando, nihil avidius appetere, nihil dulcius habere, quàm Trinitatis potentiam, ſapientiam, bonitatem, licèt in ænigmate, contemplari. Angeli ſimul & in miniſterium mittuntur & revelatâ facie Deum contemplantur; nec efficit eorum actio ut interpellata vel minus limpida ſit eorum contemplatio: nos verò cum ſimul non poſſumus & in contemplatione perſiſtere & exteriora adminiſtrare, habeamus contemplationem Dei dulciorem, dilectiorem & delectabiliorem; exteriorum verò * intimam adminiſtrationem, oneroſiorem; nec unquam ſeparemur à dulcedine contemplationis, niſi cum abſtrahit nos inde noſtri aut proximorum juſta neceſſitas aut pia utilitas; cum autem altera iſtarum nos vocat, licèt mallemus in dulcedine contemplationis immorari, non impigrè tamen egrediamur, ſtimulati proximorum compaſſione ad exteriores neceſſarias & pias actiones, illas prudenter & ſtrenuè peragendo, peractiſque, ad dulcedinem contemplationis inhianter redeundo †. Sic perficiemus pro modulo noſtro viciſſim, quod angeli non per vices ſed ſimul peragunt. Sic erimus per vices * Maria & Martha; Maria contemplando, Martha miniſtrando: ſicque per vices erimus cum Moyſe in monte loquentes cum Domino; & in valle, quæ ſuprà audivimus à Domino, narrantes populo: pro *libro vitæ* quem hic apertè non poſſumus legere, ſicut angeli legunt, datur nobis *liber duorum Teſtamentorum* in quo debemus aſſiduè legere & quæ illuſtrant mentis noſtræ contemplationem, & quæ noſtram regant actionem.

Deſcriptio & definitio angelorum.
† Deeſt [quoad hæc] Id.
* alterius fraternè congrat — Id.
† dum enim. Id.
* 1 Cor. 15. 54.
† S. Luc. 22. 36.
* neceſſariam. Id.
† Illud prudenter ſic perficiemus. Id.
* S. Luc. 10. 39, 42.

Ab hujus libri lectione & ſpeculi inſpectione nihil nos avellat, niſi, ut ſuprà dictum eſt, proximorum vel noſtri juſta neceſſitas, aut pia utilitas, recolentes illud quod in typum noſtri dictum eſt † Ezechieli & Johanni in * Apocalypſi, ſc. ut comederent volumen vel librum ſibi oſtenſum. Quid eſt autem librum edere, niſi illum avidè legere, lectumque intelligere? namque ipſa ſcientia eſt ſicut cibus animæ, quæ cum addiſcitur, quaſi * ſicut cibus deglutitur: cum verò diligitur ad explendam illam in opere, ipſo ardore dilectionis, quaſi calore naturali cibus in ſtomacho, digeritur & in animæ vegetationem trahitur.

† Cap. 3. 1.
* Cap. 10. 9.
* Deeſt [ſicut] in eod.

Ad

Ad insinuandam autem assiduitatem intentionis nostræ in libris Scripturæ legendis

* Cap. 25. 15. præceptum est in Exodo, * ut vectes ab annulis Arcæ nunquam extrahantur: quid est enim vectes Arcæ ab annulis non extrahi, nisi sacerdotes, qui vehunt Ecclesiam, à quatuor Evangelicis libris non separari? si autem pertæsi lectionis, scientiam scripturæ

† Ver. 6. repellamus, audiemus illud propheticum †, Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne

* Ver. 10. 11. sacerdotio fungaris mihi, Oseæ 4. & illud Isaiæ 56. * Speculatores tui omnes cæci, nescierunt omnes, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia, canes impudentissimi nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignoraverunt in-

† Cap. 42. 24, 25. telligentiam. Et iterum Isaias dicit †, Non audierunt legem & effudit Deus super eos indignationem furoris sui. Ecce quæ sequuntur nos si scientiam scripturæ repellamus; repulsio à functione sacerdotii, cæcitas oculi, os mutum, visio & amor vanorum, impudentia & ignorantia ipsius, & iræ & indignationis Domini super nos effusio.

Vitantes itaque ista & angelis pro modulo nostro assimilati, lectionem Scripturæ * inchoemus, & secundum regulas ibi perspectas omnem actionem dirigamus, tranquillam pacem adinvicem servemus, † de bonis fratrum congratulemur, subditorum nostrorum curam *solicitè, prudenter* & *fortiter* agamus, luce verbi prædicationis tenebras ignorantiæ eorum illustrando, & ejusdem verbi igne affectus accendendo, & secundum ejusdem normam opera dirigendo, scuto fidei & gladio spiritûs, quod est verbum Dei, insultus aerearum potestatum & malignorum hominum ab eis propellendo, eorum profectui congaudendo; defectum verò vehementer condolendo. Et in hac cura gerendâ *solicitudinem* generet subditorum amor & Dei pavor: si enim, ut ait beatus Hieronymus, habueris pavorem, solicitus eris; si solicitus fueris, leo caulas ovium tuarum introire non potest. *Prudentiam* autem generet Scripturarum frequens, imò assidua inspectio, & artis regendarum animarum ibidem scriptæ ad opus applicatio. Indefessam verò *fortitudinem* faciat superabundantis præmii promissio: nobis etenim, si in ministerio nostro dignè sudaverimus, promittitur aureola, hoc est, corona super coronam, i. e. præter præmium quo præmiabimur pro meritis propriis, præmium superadditum pro meritis subditorum nostrâ cura salvatorum. Excitare etiam debet nos, qui angeli nominamur, ad subditorum curam strenuè & impigrè peragendam hoc, quòd angeli scribuntur & depinguntur alati. Quid enim in alis, nisi velox discursus ad officium sibi injunctum strenuè peragendum significatur? alati igitur & nos sumus, si perfecerimus quod

* Prov. 6. 3, 4. nobis præcipit Solomon, dicens *, Discurre, festina, suscita amicum tuum; ne dederis somnum oculis tuis nec dormitent palpebræ tuæ. Ad condescensum verò per compassionem proximorum infirmitati, conformando nos, quantum possumus salvâ honestate & veritate, eorum exterioribus, ut eos conformemus nostris interioribus, excitare nos debet hoc, quòd angeli frequenter hominibus in forma humana apparuerunt, ut in forma configurata humanæ fragilitati quasi familiariores fragilibus se ostendentes, eos, quibus apparebant, securiores & confidentiores factos ad cœlestem con-

† Aptius. Id. figurationem † arctius invitarent: Sic nos, si infirmis infirmi *, Judæis Judæi, Gen-

* 1 Cor. 9. 20. 22. tibus gentes, &, ut ad unum dicam, omnibus omnia fiamus cum Apostolo, ut omnes lucrifaciamus, quid aliud quàm formam fragilitatis eorum induimus? imitantes illud

† 1 Ep. 5 3. Petri dicentis, † Non dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo: quanta

* Etiam. Id. * enim vigilantiâ *Solicitudinis*, quantaque circumspectione *prudentiæ*, quantâ *fortitudinis* constantiâ oportet nos armari in tuendo gregem nobis commissum, ex similitudine licet perspicere †. Imaginetur unusquisque vestrûm populum suæ curæ commissum sicut civitatem unam, custodiam suam sicut civitatis murum, corpus uniuscujusque suæ curæ traditi sicut atrium unum in civitate, supremam partem rationis in unoquoque subditorum sicut patremfamilias & dominum unius atrii, inferiores vires animæ sicut familiam: corpus uniuscujusque nostrûm qui sumus prælati, sicut palatium domini & rectoris civitatis; rationem nostram supremam sicut civitatis dominum & rectorem; defectum custodiæ nostræ sicut rimam muri civitatis; incircumspectionem custodiæ nostræ sicut ruinam in muro; malignos spiritus & vitia & homines facinorosos sicut hostes vigilantissimos & callidissimos, fortes & pugnæ peritos, prædæ avidissimos & crudelissimos, civitates nostras obsidentes, qui, quacunque fuerit in muro ruina vel rima, catervatim irruunt, atria imminuta occupant, patremfamilias cum familia jugulant, prædam diripiunt, & occupatis atriis habitant, non egressuri nisi in manu validissimâ expulsi.

Si itaque unusquisque nostrum imaginetur se in tali & tanto periculo constitutum, quis non perspicuè videt quanta quilibet nostrum eget *solicitudine, prudentia* & *fortitudine* ad conservandam salutem civitatis suæ? Imò fortè multi nostrûm possunt terrore concuti & timore rigescere, cum viderint murum civitatis suæ per defectum & incircumspectionem custodiæ ruinosum; cum videant hostes subintrasse, plurimorum cædes exercuisse,

* Assimilati, lectioni Scripturæ inhiemus. Id.

† De bonis alterius fraternè congratul. Id.

† Pulcherrima comparatio Curæ pastoralis ad custodiam civitatis.

ercuiſſe, atria plurima occupaſſe, nec occupata, niſi vi pellantur, relicturos, ſeque ad expellendum debiles, imprudentes & ignaros: nec fortè eſt aliquis noſtrûm in cujus *civitatis muro* non ſunt ruinæ magnæ, rimæ plurimæ, per quas ingreſſi hoſtes plurimos de *civibus* noſtris occiderunt: & quis igitur noſtrûm, niſi miſer & lachrymabilis, temperat ſe à lachrymis? Quis niſi aut paralyſi voluptatum diſſolutus penitus, aut duritiâ & inſenſibilitate lapideus, non viriliter *hoſtes* nititur ingreſſos expellere, *ruinas muri* reparare, *rimas* obturare, *hoſtes* ejicere & longius effugare? Quis ad hæc perficienda non invocet angelorum validiſſima præſidia? Imò nos angeli ad hæc agenda angelorum invocemus præſidia; * hocque eorum fulti præſidio ſtrenuè peragamus, ut ipſorum ſimiles effecti verâ juſtitiâ, hoc eſt, ſimilitudine angelicâ, velut veſte ſacerdotali, induamur; ne ſit veſtis juſtitiæ per rigiditatem nimiſ ſtricta, nec per remiſſionem nimis laxa & fluida; nec terram tangat dum juſtitiam facimus intuitu terrenorum; nec nimis ſit curta, dum eam non extendimus ad cauſas pauperum & querelas depreſſorum: non ſit alicubi indecenter extenſa per ſuperficialem planitiem ſimulationis; nec indecenter rugoſa per ſubdolam implicationem fraudulentæ deceptionis; ſed ſit circa nos ſic decenter aptata, candida & immaculata, ut in Sponſi nuptiis veſte nuptiali & ſacerdotali induti epulemur & conregnemus cum eo per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

* De hac clauſulâ vide infra.

De clauſula paulò ſuprà notatâ, Editoris ad Lectorem Admonitio.

Fieri quidem poteſt ut hæc ſint propria Epiſcopi noſtri verba: non enim à ſui temporis & ævi eo antiquioris (utriuſque hac in re corrupti) Theologiâ abhorrent. Cum autem ſenſum ab ipſius Evangelii doctrinâ clariſſimâ, cui toties nos autor remittit in rebus ad fidem ſpectantibus, alieniſſimum præferant, & angelorum invocationem innuant ſaltem, ſi non aſtruant; lectori commodius eſſe duxi animadverſionem huic loco, ſolito prolixiorem, inſerere, quàm tale quid veritati Chriſtianæ tam diſſonum inter *Roberti Lincolnienſis opuſcula* ſine cenſurâ dimittere.

Duo itaque ſunt quæ ad hunc locum ſunt regerenda.

Primò, Si hæc ſint reverà ipſiſſima Groſſeteſti verba, tum ſibi ipſi egregiè contradicit, & quod vel in hoc ipſo *Sermone* dixerat, oblitus eſt. Mox enim ab ejus initio ſic ait, *Ego non profiteor me harum veſtium textorem aut datorem, aut eum qui illis vos veſtiat;* UNUS ENIM EST DOMINUS JESUS CHRISTUS, *qui eas texit, donat & illis vos veſtit.* Jam verò ſi Dominus Jeſus Chriſtus, unicus hominum Salvator, & Deus benedictus in ſecula, ſolus ſit qui donet iſtas juſtitiæ veſtes, & omne id conferat quod ad mortalem conditionem ſartam tectam conſervandam, quamdiu conſervari poſſit, facit; quid hic nobis negotii eſſe poſſit cum angelorum ope invocanda? Sub umbrâ & figurâ civitatis muniendæ & tutandæ, urget Epiſcopus diligentiam in munere paſtorali obeundo, pro re natâ, ut Præſulem decuit vigilantiſſimum: dein ſtimulo rhetorico auditores excitat ad invocanda angelorum præſidia validiſſima: quomodo autem poſſunt ea invocari, niſi Deum precando ut angeli, illius miniſtri, nobis in ſubſidium adſint? Sed hoc non eſt angelos, ſed Deum Omnipotentem, quem ſolum licet, invocare; idque ſuo ipſius juſſu & mandato immutabili; eaque lege ut nulla divini cultûs vel minima particula rebus quibuſcunque creatis exhiberetur. Reos majeſtatis divinæ læſæ innuit Ambroſius (in 1. cap. ad Romanos) qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ & relicto Domino conſervos adorant; & quid illi poſſit plus ſervari (ut ſubjungit) ſi invocationis & orationis honor creaturis conferatur? Præterea, in tractatu de *Oratione* paulò antè, aſſeruit Epiſcopus omnes gratias à *ſolo Deo & Jeſu Chriſto Domino noſtro* eſſe petendas, hiſce verbis [*hæc autem bona* (i. e. quæ ſemper ſtant, vel ducunt ad bona ſemper ſtantia) *dare non poteſt niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; quare à Solo Deo hæc ſunt deſideranda:*] Si autem ab *eo* omnia bona vera, & ab *eo ſolo* ſunt deſideranda, edoceri vellem à quovis angelorum invocatore, quo pacto hæc inter ſe conſtent, ut omnia vera bona à ſolo Deo ſunt deſideranda, & tamen ſacerdotibus, ut munus ſuum rectè debitoque modo peragant, angelorum præſidia validiſſima ſint invocanda: imò, cum omnia bona vera nihil dare poſſit niſi *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, quorſum ad angelorum vel ſanctorum mediationem ad ea impetranda confugitur? Ad hæc cum reſpondebitur, poſtea de re ipſa certandum eſt, eſſe

ſcilicet hoc veritati cultûs Evangelici quàm maximè repugnans & contrarium, alicujus opem per preces niſi Dei unius Optimi Maximi quærere, cujus ea eſt prærogativa.

Multum verſatus eſt hic Epiſcopus bonus in operibus Dionyſii (quem falsò Areopagitam vocant aliqui, licèt doctiores contrarium fateantur) cujus Hierarchiam & Theologiam myſticam commentario illuſtravit; & inde fortaſſe affectum angelis plus æquo deditum hauſit, eorumq; præſidium invocandum didicit: ut ut eſt, procul erat ab hodierna doctrinâ Tridentina, ſicut videre licet ex hoc fragmento, quod hujus rei gratia excerpſi è tractatu ejus MS°. inedito *De decem præceptis Decalogi*; ubi, in explicatione *primi præcepti* (in quo, ut hæc obiter notem, totum *ſecundum præceptum* inſerit, quale eſt in S. Scriptura; quod fruſtra apud Romaniſtas recentiores quæres, idque ob ſeveram iſtam imaginum prohibitionem, cum eorum doctrinâ, conſuetudine & cultu nunquam conciliandam, & propterea rejectam quaſi rem (Deus bone!) ſimplici plebi nocuam; & unicum imaginum uſum ſtatuit, ut rudioribus in memoriam, earum ope, revocentur opera Chriſti ſalutaria) ſtatim ab initio hæc habet verba

'Quidam autem, ſicut dicit Jer. dæmoniis & non Deo immolaverunt: quidam verò Deos aureos & argenteos & lapideos & ligneos, politos à fabro & ornatos adoraverunt; & ſicut dicit Apoſtolus, mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & ſerpentum; qui mutaverunt veritatem in mendacium, & coluerunt & ſervierunt creaturæ potius quam Creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Talium impietas in hoc primo Decalogi mandato expreſsè percutitur. Venerationem autem & culturam *Soli Deo* debitas alii præſtat, *quicunque vel orationibus vel ſacrificiis, vel quibuſlibet officiis vel obſequiis ab alio quam Deo intendit & nititur obtinere id quod ſolus Deus poteſt dare, & qui alii offert quod ſibi ſoli Deus præcepit offerri*; ut qui expetunt ab alio peccatorum remiſſionem, cum ſolus Deus dimittat peccata; vel regnum cœlorum, cum ſolus Deus hoc conferat; vel qui prophetiam, vel ſcientiam, vel alia de bonis mediis, vel etiam infimis, ab aliis expetunt, ut a principali datore; cum ipſe Deus omnium bonorum & etiam infimorum ſolus ſit principalis largitor & auctor.'

Hæc ſunt ipſiſſima Epiſcopi verba loco notato: nec ex ultimâ eorum parte captet quis cavillandi anſam, rimamve ſibi reperiiſſe putet, unde evadat; acſi innueret Epiſcopus neminem quidem niſi Deum eſſe datorem principalem, alios autem eſſe poſſe datores minus principales: vim enim verborum priorum nunquam effugiet; nec argumentum eorum diluet, niſi præſtigias ſibimetipſi agat, & in anguſtias inextricabiles authorem cogat, quaſi unum idemque uno ſpiritu negaret & affirmaret: hoc autem ſi contigerit, reſpondeat Epiſcopus pro ſeipſo: nam ultra Evangelii doctrinam & Eccleſiam Catholicam, ſicut ea à primordiis uſque Chriſtianiſmi docuit, eum nolo tutari: dum Domino ſuo ſtat, ſtabit; cum vero ſibi cadit, per me licet cadat: amicus mihi hic Epiſcopus & amicus alius; ſed magis amica veritas.

Secundò autem, quod me in ſpem erigit fuiſſe Epiſcopum hunc hac in re magis orthodoxum, hoc eſt: quod in Epiſtola 28ª, Edmundo Archiepiſcopo Cantuarienſi miſſa, verba hæc in ejus calce (ſecundum codicem illum quo uſus ſum) [*quia ſanctiſſimo prædeceſſori veſtro martyri Thomæ invictiſſimo mandavit de vobis, ut cuſtodiat vos in omnibus viis veſtris, qui in manibus portabit vos*] minimè reperiuntur in antiquo Epiſtolarum ſuarum codice * Cantabrigienſi; ad quem, ope amicorum quorundam illius Academiæ celeberrimæ, & maximè Johannis Laughtoni Protobibliothecarii diligentiſſimi, excerpta mea collata ſunt. Vix aliquid iſtis verbis dici poſſit ſuperſtitioſius; eâ autem ætate quâ hoc exemplar, quo uſus ſum, exaratum eſt à ſciolo quodam monacho fortaſſe & ſuperſtitioſo, avidè potuerunt deglutiri, quaſi verba ipſum Evangelium ſpirantia, ob temerariam Archiepiſcopi cædem, & canonizationis (quam vocant) gratiam ab Aulâ Romana ſtrenuo huic ejuſdem vindici & aſſertori impetratam.

* Collegii Sydneienſis. vide Epiſtolam.

Quòd ſi interpolator quiſpiam vel ſuffarcinator impudentiſſimus ineptias & deliramenta in uno authoris noſtri opere obtruſerit, ut ætati iſti ſuperſtitioſe exeutienti concineret, & loqui cogeretur author quod nunquam ei, ne per ſomnium quidem, in mentem venit; quidni credendum eſſet, in aliis eum operibus fuiſſe corruptum à ſcribis quibuſdam mendacibus & impoſtoribus fraudulentis, qui non ſuo ſolùm ſeculo, ſed poſteris veritatem malitioſè inviderunt? Hoc genus hominum ſtigmate in dextrâ inurendum eſt propter *furta & adulteria* in depravandis ſanctorum virorum ſcriptis commiſſa: eorum malum & virus quotidie experimur; & miſera res eſt, eos, qui maximè rei ſunt, & quorum cauſæ hiſce artibus inſervitur, culpam in probos & innocentes aſtutè rejicere, & hæreſim & hæreticos clamitare injurioſiſſimè, cum multa ipſorum ἐῤῥαδιουργήματα (ſcilicet)

cet) ab hujuſmodi ſuppoſtoribus nata fuerit & illâ authorum depravatione ſolâ nitatur.

In ſummâ; vel ſcripſit hæc, vel non ſcripſit Epiſcopus pius & bonus; ſi ſcripſerit, cum ſeculo ſuo erravit; ſi non ſcripſerit, parem habet cum aliis ſanctis ſortem, à falſariis injuriâ affectus.

Omnia ejus nunc in lucem emiſſa probaturos eſſe omnes nullus credo: quod fidum decuit excriptorem, præſtiti: exemplaria adamuſſim ſequutus ſum, niſi ubi contra orthographiam peccarunt: aliquibus fortaſſe diſplicebunt quæ mihi placuerunt: hoc autem nihil eſt apud homines, alios juvandi ſtudioſos; inter quos me vellem numerari: jam autem, Lector, te accinge ad Epiſtolas ejuſdem legendas, in quibus, niſi fallor, res notatu digniſſimas videbis.

EJUSDEM EPISTOLÆ ALIQUOT Inſigniores ex eodem codice excerptæ, in quo habetur Sermo coram Papâ; & ad alios codices in Bibliothecis noſtris Cantabrigienſibus fideliter collatæ.

Dominis in Christo dilectis Abbati & Conventui de Redd. Robertus Archidiaconus Leiceſtr. ſalutem & Sincere charitatis affectum. Epiſt. 4.

SCripſi vobis literam humiliter ſupplicantem ut diem pacis inter nos reformandæ dare velletis diffuſiorem, uſque ad reditum meum à peregrinatione, quem ſperavi futurum circiter Pentecoſten, litigio ſimiliter inſimul dilato; vel ſi hoc non placeret, ſaltem differretur uſq; ad unum vel duos dies ante diem litigio * ſtatutum: quo tempore promiſi procuratorem meum procuratori veſtro apud Sarum occurſurum ad ibidem amicabiliter componendum. Et ecce coram Deo quia in litera vobis directa nil erat à me mendaciter confictum, nil doloſè ſimulatum, ſed totum ex corde ſimplici veraciter dictum: Vos autem reſcripſiſtis mihi literam parvam, de qua viderit diſcretio veſtra ſi non fuerit contumeliis & deriſionibus gravida & oculo ſimplici veræ religionis incongrua: hæc namque erat primæ clauſulæ poſt ſalutationem, ut verba veſtra ponam, continentia [Diſcretioni veſtræ innoteſcat quòd redditum annuum quem à vobis & ante tempora veſtra percipere conſuevimus, tanto tempore percepimus per manus rectorum Eccleſiæ de Albodell continuè & pacificè, quòd jam hominum memoriam exceſſit] hæc clauſula licèt non expreſſè pronunciet quòd dictum redditum uſque ad tempora mea perceperitis continuè & pacificè, tamen eadem hoc continet ex inſinuatione; quod vos non latet eſſe falſum; quia redditus ille ante tempora mea, videlicet ultimis diebus prædeceſſoris mei uſque ad tempora mea per Ordinarium loci fuit ſequeſtratus; ut ſic compelleremini de jure perceptionis veſtræ docere. Scitis autem quòd mendacii vitium committitur non ſolùm audibili verbo, ſed etiam viſibili ſcripto, nec ſolùm expreſſo ſermone ſed etiam obliqua inſinuatione. Hoc autem vitium à viris religioſis maximè debet eſſe longè alienum, quorum in cœlis eſt converſatio, & ibidem ſinceriſſimæ veritatis contemplatio; quorum eſt citius hanc vitam corporalem amittere quàm leviſſimo mendacio à veritatis rectitudine declinare. Si autem in dicta clauſula dictam inſinuationem non intendebatis, otioſè illam clauſulam, ne dicam captioſè, inſerebatis; cum licèt aliquando perceperitis, ſed uſque ad tempora noſtra veſtram perceptionem non continuaveritis, talis perceptio non det vobis jus à me continuò percipiendi. Et cum quilibet * redditurus ſit rationem de omni verbo otioſo in die judicii, vobis minimè congruit ſermonis otioſitas, quorum ori appoſita eſt cuſtodia & labiis † oſtium circumſtantiæ ex regulari obſervantia, ſilentii taciturnitas, in quibus maximè compleri debet illud Scripturæ, * Cultus juſtitiæ ſilentium. Scripſiſtis conſequenter [unde preces veſtras exaudire non poſſumus ſine gravi diſpendio] quod tantundem valet quaſi diceretis quòd propter falſum vel otioſum preces meas exaudire non poſſetis, cum jam liquidum ſit illud quod præmiſſum fuerat falſum fuiſſe ex inſinuatione, vel otioſum in ſermonis expreſſione. Præterea qui utrumlibet duorum ſub

*Conſtitutum: Cod. Collegii Sydn.

* S. Mat. 12. 36.

† Pſal. 141. 3.

* Iſai. 32. 17.

 disjunctione

disjunctione petitorum præstat, petentem plenè exaudit. Duo petii, sed utrumque sub disjunctione; quorum unum si non potuistis concessisse sine vestro dispendio, reliquum potuistis fortè cum vestro compendio. Subjungebatis quoque in litera vestra [nec etiam tenemur ; quia, ut ex tenore literarum vestrarum poterit conjectura capi, magis tendit prudentia vestra ad dilationem quàm ad pacem] Etsi fortè non unde estis homines, tamen unde estis religiosi homines, & vitæ perfectionem habitu profitentes, omnium preces exaudire tenemini, dummodo exauditio puritati fidei vel honestati morum non sit impedimentum; & multo amplius si his promovendis sit adjumentum. Præterea si ex literis meis posset conjici quòd astutè sub specie pacis tenderem ad dilationem, verba literarum mearum posuisse debuistis, ut non ex assertione vestrâ, sed ex ore meo convincerer, aut quæ ego dixi,non qualia me dixisse scribitis, vera ratione defenderem. Absit autem ut sic injurier paci quòd ea velut pallio contegam pacis dilationem & discordiæ fomitem, & eam quam omnia appetunt, omniumque laborum est finis, à me sponte elongem ordinisque tranquillitatem traham in perturbationem. Ad hoc autem quod consequenter subjungitis in litera vestra, viz. quod licèt non possemus convenire die statuto apud Dunelmum, potui tamen, si mihi placeret, diem citeriorem ad tractandum de pace vobis constituisse; videlicet ante natalem jam præteritum, vel statim post; respondeo, quòd postquam firmaveram propositum de peregrè proficiscendo, non potui ante natale vobis Dunelmum occurrisse, cum pro temporis brevitate, tum pro negotiorum arctius urgentium occupatione. Disposueram quoque statim post Epiphaniam iter peregrinationis arripuisse; & hujus rei testes mei sunt viri magni fide dignissimi, omni majores exceptione. Adnectitis autem me potuisse de facili voluntatem meam literatoriè significasse, & non exprimitis super qua re,voluntatis meæ significationem intelligitis: unde cum non possit significari voluntas nisi super re certa, cujusmodi voluntatis significationem in prædicto verbo intellexistis, omnino non intelligo; quia nec hoc potest intelligi ex prædicto verbo. Ad hoc autem quod subinfertis, me talem procuratorem, potuisse misisse, qualem apud Sarum mittere proposui, respondeo, quòd ordinaveram me missurum Sarum virum quendam magnum, non litigatorem sed pacis amatorem, per quem speravi modis omnibus pacem inter nos fore reformandam; de quo, in pace reformanda, quàm de alio majorem portavi confidentiam; qui & loci propinquitate & temporis opportunitate uno vel duobus diebus ante diem statutum liti potuit apud Sarum interesse: sed die condicto inter nos apud Dunelmum, præ loci distantia & temporis incongruentia & negotiorum spiritualium occupatione necessaria, interesse non posset. Adjecit quoque pagina vestra quòd non deceret me virum tantæ auctoritatis occasiones quærere ad circumveniendum simplicitatem vestram: hæc autem verba non videntur puram sapere simplicitatem; cum vera simplicitas consistat in cognitione veri & amore boni: Si enim credidistis me alicujus auctoritatis, ex veri cognitione non crederetis me habere ad circumveniendum vos rugam duplicitatis & † fucum simulationis nullum habere pondus alicujus auctoritatis, & verè nominatam auctoritatem secum non compati simulatam æquitatem: simulata enim æquitas duplicata est iniquitas: Si verò nullius auctoritatis me credidistis, ascribendo mihi auctoritatem non ex amore boni, me hostiliter derisistis, immemores ipsius quod per sapientem dictum est, * Delusores ipse deludet & mansuetis dabit gratiam. Adjecistis adhuc, vos esse spoliatos: ad quod respondeo, quòd ego vos non spoliavi, sed ex districto præcepto ordinariorum meorum illum quem petitis redditum vobis non solvi, donec coram illis de jure vestro aliquid docueritis; ac per hoc nec illi vos expoliaverunt, qui solummodo ad declarandum jus vestrum secundum officii sui debitum, vos compellere voluerunt sicut debuerunt. Additum quoque erat in paginâ vestra vos exceptionibus dilatoriis & falsis ex parte mea fatigatos: Si exceptiones dilatoriæ à jure non reprobantur sed ab arte rhetorica, & ab ipso jure docentur & approbantur, & ipse Paulus cum esset civis Romanus Cæsarem appellavit, cur exceptiones dilatorias quasi iniquum aliquod objicitis? Possunt namque proponi dilatoriæ, non, sicut consuetum est ab injustis, sola differendæ Justitiæ causa, sed amore iniquitatis repellendæ & justitiæ consequendæ. Ad hæc, si, quòd defensores mei proposuerunt aliquas dilatorias, iniquum censetis, caveat vestra religio, ne vestri defensores aliqua dilatoriarum propositione vos unquam tueantur. Quòd autem objicitis easdem exceptiones fuisse falsas, hoc non est ex vera assertione,sed ex causæ exitu, an verè objiciatur melius comprobabitur; præterea etsi essent aliquæ falsæ, quod adhuc non credo, possent tamen fuisse veraciter propositæ: potest enim humana fragilitas decipi, & quæ vera sunt non improbabiliter falsa credere, & econverso quæ falsa sunt, vera plerumque reputare: sicque accidit quòd homo veraciter & inculpabiliter, quia non mendaciter, potest dicere falsum, & quandoq; mendaciter & culpabiliter potest dicere verum: quod igitur quis falsum dicit, non potest

† Simulatæ voluntatis: Scit enim vera cognitio rugam duplicitatis & fucum simulationis nullum habere pondus alicujus auctoritatis & verè nominatam auctoritatem secum - - id.

* Prov. 3 34.

ei objici velut probrosum: sed cum dicit falsum, quod eum non latet esse falsum, hoc est mendacii detestabile vitium quod animam occidit, veritatem abnegando, ipsum qui se dicit veritatem à se propellit. Ruga duplicitatis animam vacuam à soliditate veritatis deformiter contrahit, primi inventoris mendacii, diaboli scilicet qui est mendax & pater ejus & in veritate non stetit, per imitationem prolem gignit. Rogatis in fine ut pro Deo & scientiæ meæ claritate prædictum redditum sine cavillatione & difficultate aliquâ vobis de cætero velim solvere: sed non creditis me scientia clarum; ut suprà mihi tribuendo auctoritatem, hostiliter me derisistis: Si verò me vel paucam creditis habere scientiæ claritatem, putare debuistis quòd valerem deprehendere quam fuerit ista petitio proposita aut derisoriè aut inartificiosè: vitiosum namque & inartificiosum est exordium à quo potest adversarius incipere; sic & vitiosa allegatio quam potest adversarius in allegantem retorquere. Similiter hæc petitio vitiosa est, cum & ego possem consimiliter vos rogare quatenus pro Deo & religionis vestræ ac utriusque partis tranquillitate, prædictum redditum, in quo nullum jus habetis, de cætero desisteretis exigere. Hæc multo prolixius quàm vellem sunt dictata; sed parva vestra pagella, ad quam respondere oportuit, multo prolixioribus fuit gravida. Hæc rescripsi, novit Dominus, non ut vos verecundarem, sed ut velut dominos charissimos sincero affectu commonerem ne nimis tenaciter talium adhæreatis consilio quales vestram paginam conscripserunt, qui ventum seminant & metunt turbinem; qui, sicut dicit B. Bernardus, non tam leges quàm lites proponunt & cavillationes, subvertentes judicium. Quid mirum si consulit ut arem qui non habet unde vivat nisi de mercede arationis? Aut si habet unde vivat, tamen cupiditate hujus mercedis insatiabiliter æstuat. Ingeniosus erit talis ad persuadendum quòd etiam littus arenosum sit arandum. Recogitet quoque professionis vestræ sanctitas, quòd servos Dei non oportet litigare, sed mansuetos esse ad omnes, sicut dicit Apostolus * ad Timotheum. Et iterum ad † Corinthios ait, Jam quidem omnino delictum est in vobis quòd judicia habetis ad invicem; quare non magis injuriam accipitis? Quare non fraudem magis patimini? Sed injuriam facitis & fraudatis in hoc fratribus. Respiciatis etiam, rogo, quæ dicunt expositores super hæc loca Apostoli, & ex illis intimè perspectis vosmetipsi judicate quò vos † volueritis referre, respondeo vobis, me omnibus modis odire legem; ideoque adhuc, sicut ab initio, paratus sum, & sicut me paratum esse, si recolitis, aliquoties vobis scripsi, ut redditum quem exigitis plenè & sine contradictione persolvam, si vir aliquis vel aliqui sapientes & boni, in quos ambo consenserimus, bona fide auditis jure vestro & cognito etiam jure meæ defensionis, absque omni litigio decernant quòd in sæpe dicto redditu percipiendo bonam fidem, justum titulum & verum jus habeatis: quibus si scienter careatis, non possetis quod expetitis percipere sine vestrâ, quod absit, damnatione; sicut ego, si sciens vos habere quod expetitis, detinerem, damnationem mihi adquirerem. Sit igitur, si placet, Dominus Dunelmensis inter nos arbiter, & quicquid ipse decreverit, ratum utrinque habeatur. Si autem placet, sicut placere debet, vestræ professionis sanctitati aliter de pace tractare, libens occurram vobis Dunelmum, vel citra, ubi volueritis, & quando, vitâ & sanitate comitantibus, & inopinatis impedimentis sublatis de medio; mea namque peregrinatio sicut ex causa necessaria fuit firmiter disposita, sic ex causa necessaria majorum consilio & etiam imperio est ad præsens dilata Nihil autem in literis vestris mihi magis debet esse molestum quàm quòd dixistis, quocunque animo illud dixeritis, me virum auctoritate & scientiæ claritate præditum, cum adhuc ad discipulatum viri authentici me sentiam minus idoneum & innumerabilium sciendorum ignorantiæ tenebris perfusum. Quòd si aliquid horum esset in me, ille solus ex his laudandus & totum illi tribuendum, cui quotidie dicimus, * Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Valeat in Domino veneratio vestra.

* 2 Ep. 2. 24.
† 1 Ep. 6. 7. 8.
† Deducunt qui vos persuadent litigare. Quod si hæc dicta in me volueritis referre. Id.
* Psal. 115. 1.

Magister

Epistola 8. *Magister Robertus Grosseteſt Dilectæ ſibi in Chriſto J. Sorori ſuæ Salutem Æternam.*

DEſideranti tibi valetudinis meæ ſtatum agnoſcere, & ut eum literis tibi inſinuem avidè expetenti, breviter ſignifico quòd ante feſtum omnium ſanctorum gravi febris acutæ detinebar ægritudine: ſed divinæ Gratiæ manu ad me extensâ à dicta ægritudine convalui, priſtinæ & conſuetæ reſtitutus ſanitati. Noveris quoque quòd omnes redditus quos habui, reſignavi, præter Præbendam quam habeo in Eccleſia Lincolnienſi. Nec te, quæ religionis geris habitum, religioniſque ſervandæ emiſiſti votum, moveat aliquatenus aut contriſtet, ſi ſpontaneè factus ſum pauperior, ut virtutibus fiam ditior, ſi mundo ſim deſpectior, ut cœli civibus ſim acceptior, ſi propter bonum obedientiæ reliqui quædam temporalia; cum nulla virtus niſi per obedientiam mereatur cœleſtia. Debes enim bonum quod amas in te, tanto ardentius amare in me, quanto conjunctiores ſumus carnis proximitate. Amas autem in teipſa, ut ſpero, bona veræ religionis: veritas autem religionis nititur apprehendere culmen perfectionis ut jam nulla mala proximis irroget, irrogata à proximis æquanimiter portet; objectis bonis temporalibus nequaquam mentem lætitia ſolvat; ſubtractis eiſdem non nimio aut omnino nullo mœrore ſe afficiat; rerum corporalium umbras nequaquam ſecum trahat, & fortaſſe tractas manu diſcretionis abigat. Abrenunciat enim mundo vera religio, juxta vocem veritatis, dicentis, * Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: Et ſicut ait beatus Gregorius, Piæ mentes hæc temporalia, & cum deſunt, non quærunt, & graviter etiam cum aſſunt, ferunt, quia per exteriorum curas à ſe exire pertimeſcunt. Niſi enim mens ab exterioribus deſideriis ſe abſcondat, interna non penetrat, neque ad contemplandum interna perducitur, niſi ab his quæ exterius implicant, ſtudioſè ſubtrahatur. Cum igitur tu religionem profeſſa, hæc & hujuſmodi bona religionis in teipſa diligas, ſaltem aliquem ad hæc bona conatum, licèt debilem, mihi non invideas: æquo animo tolera quod gravantis ſarcinæ partem depoſui graviorem: imò totis viſceribus exulta, quòd eo exoneror quod, niſi eſſet depoſitum, eſſet graviter oppreſſurum. Vale in Chriſto.

* S. Luc. 14. 33.

Cuidam Magiſtro Theologiæ, qui fuit luxurioſus.

Titulus Epiſt. in Indice.

Epiſt. 10. *Dilecto ſibi propter Chriſtum M.... Robertus Groſſeteſt ſalutem.*

TE, quem in Chriſto conſuevi diligere, non poſſum non diligere propter Chriſtum; charitas enim nunquam excidit: dico autem quòd non in Chriſto, ſed propter Chriſtum te diligo; quia ut fama validis & clamoſis vocibus de te clamat, Tu in Chriſto non es. A corpore namque Chriſti te ſejunxit lubrica & putrida labes luxuriæ, & antiqui hoſtis corpori adunavit. Nomen quoque Chriſti per te blaſphematur, & ſacra ſcriptura propter te, qui ore abominabiliter polluti corporis eam doces, a pluribus abominabilis reputatur: tu es cleri ſpectabilis macula; theologorum ignominioſa verecundia; inimicis theologiæ gaudium & lætitia; totius plebis deriſio, canticum & fabula. † Quomodo obſcuratum eſt aurum ſapientiæ tuæ, mutatus eſt color optimus priſtinæ converſationis tuæ? redi ad cor tuum, quæſo, redi. Conſidera teipſum quam nullus es corpore, quia nec fortis robore, nec multùm ſpecioſus decore, confractus morbis & multo varioque labore, confectus ſenio; canus capite, rugoſus facie, propinquus foſſæ; & hujus conſiderationis aquâ extingue ſulphureum illum flatum maligni ſpiritus, in te accenſum rogum luxuriæ. Accedat ad hæc recordatio profeſſionis tuæ; verſa frequenter præ oculis ſuſceptum ordinem ſacrum, cui adnexum eſt caſtitatis votum: verſa ſuſceptum regimen animarum, cui adnecti debet caſtitatis exemplum. Recogita quòd ſacrarum ſcripturarum es doctor & expoſitor, crucis Chriſti prædicator:

† Lam. 4. 1.

prædicator: quàm non congruat his officiis ignominiosus scortator. His adjicias præcipuè quæso, gehennæ timorem & voluptatis suavitatem, cœlestium amorem; omnibus in unum congestis extingue fœtentem illum luxuriæ ardorem. At fortè dices quòd nimium credulus sim famæ, objiciesque mihi illud, * Qui citò credit, levis est corde. Ad quod respondeo, quòd hæc fama vel potius infamia recens non est, sed longo transacto tempore auribus etiam invitis clamosè insonuit, hæc per terram longe lateque repit, per aera volitat, caput inter sydera condit cœlumque pulsat; quæ si falsa esset (quod utinam esset) non posset tamen tam clamosa fuisse, exorta nisi ex specie mala: cum econtra tot & tantis dotatum sapientiæ dotibus deceat non solùm à malo, sed ab omni specie mala, secundum vocem Apostoli, abstinere. Si igitur est verus hujus famæ clamor tantus, satage, te quæso per Christum Crucifixum, de cætero sanctæ conversationis merito culpæ maculam abstergere & ora maledicorum obstruere luce bonorum operum, præteritæ conversationis tenebras fugare & odore bonæ opinionis, fœtorem qui præcessit eliminare. Si vero falsus est, quod utinam sit, speciem malam, unde ortus est, præcingens sicut vir lumbos tuos extermina, conversationem tuam de cætero inter gentes habens bonam, ut in eo quòd detractant de te tanquam de malefactore, ex bonis operibus de cætero te considerantes glorificent Deum in die visitationis. Hujus itaque paginæ amarum poculum rogo te totis charitatis visceribus, quatenus amanter ac per hoc suaviter & salubriter bibas; & ego tibi impositæ voluptatis illecebrosæ amaram & famosam dulcedinem amaro animo bibo. Nec hæc monita respuas quia te minor sum & imperitior & fortasse gravioribus morbis ægrotantior*: quia frequenter medicus imperitior & ægrotantior peritiori & minus ægrotanti poculum salutis propinat: nec potest esse non salubris fructus, qui de radice pullulat charitatis. Bibe igitur non solùm suaviter, sed etiam avidè poculum hujus amaræ reprehensionis, ut ego † aliud hauriam in gaudio poculum tuæ in virum novum commutationis. Vale in Christum, ut audeam aliquando subscribere, vale in Christo.

* Eccles. 19. 4.
† al. aliquando.

Rob. Divina permissione Lincoln. Electus, dilecto Sibi in Christo M^ro. M. Beleth salutem & Sinceram in Domino dilectionem. Epistola 113

BEnevolentiæ dilectionis vestræ, qua soliciti estis de processu & successu negotii mei, gratiarum actiones multiplices refero; & affectuosas ago gratias quòd me in misericordia & dilectione corripere & increpare voluistis super correptione & increpatione meâ, quæ, ut videtur & creditur à multis, modum & moderamen excessit. Hæc enim vestra increpatio & correptio de radice charitatis pullulavit; nec potest esse fructus malus, qui de tam bona nascitur radice. Hoc autem obsecro charitatem vestram per charitatem illam qua Christus voluit pro nobis mortem crucis subire, ut quotiescunque noveritis vel audieritis de me aliquid indecens vel noxium, falce correptionis curetis illud resecare: non enim contristabit sed multiplicabit in me vestræ correptionis medela. Scio enim quod scriptum est, * Qui increpationes odit, errat; & iterum, † Qui odit increpationes, insipiens est: * qui autem adquiescit arguenti, glorificatur. Non autem excessum & * immoderationem correptionis meæ excusando, sed vestram & aliorum sapientum discretionem judicem statuendo, ab ea definitivam expectans sententiam, in hunc modum allego. Monachus quidam præsentavit mihi ad curam multarum animarum diaconum quendam non tonsuratum, & contra Concilii statuta, pannis rubeis vestitum & annulatum, habitu & gestu laicum, vel potius militem, &, ut conjici potuit ex suis responsionibus, fere illiteratum. Monachum autem præsentantem hujusmodi verbis, ut recolo, corripui; Tu, cum sis monachus profitens perfectionem ex habitu & voto religionis, ac per hoc tenearis vitam tuam carnalem exponere morti pro salute animarum, qua fronte præsentas ad curam animarum talem qui gestu & habitu evidenter ostendit se magis interfectorem animarum quàm curatorem? sicut enim testatur beatus Augustinus, tot mortibus reus est pastor animarum, quot ejus malo exemplo viso perire possent: tu das oves lupo pro quibus tuendis à lupo, teneris animam tuam ponere. Dominus Jesus Christus totum pretium sanguinis sui, imò totam vitam suam morti acerbissimæ & probrosissimæ pro qualibet & singula anima salvanda & vivificandâ dedit; & tu tantam multitudinem animarum niteris tradere cuidam suo pravo exemplo proditori & mortificatori illarum, pro quarum singula Christus dedit non partem sanguinis sui, sed totum sanguinem

* Pro. 10. 17.
† 12. 1.
* 13. 18.
* In Codd. coll. corp. Christi & Syd. immoderamen.

guinem suum; non partem vitæ suæ, sed totam & integram vitam suam. Ovem quam emisses pro 12 denariis non traderes lupo aut corruptori, & animam quam Christus emit pretio sanguinis sui, quod pretium est incomparabiliter majus universitate * puræ creaturæ, sibi tradere niteris. Nonne charior est tibi ovis appretiata 12 denariis, quam anima appretiata sanguine Christi? Qui sic vilipendis Christum & sanguinis ipsius pretium, nonne evidenter vadis in infernum? Hujuscemodi correptione, fateor, me dictum monachum corripuisse. Quæro itaque à vestra & eorum qui Christum diligunt, discretione, quid in hac correptione videtur dignum correptione seu livida detractione? Nunquid in hac correptione aliquid mendacii insinuavi, nunquid veritatem reticendam dixi? nunquid ego qui teneor pro qualibet illarum animarum, ad quarum curam seu potius perditionem dictus monachus dictum diaconum præsentavit, reticere debui, & non saltem verbo repellere illarum animarum, quam timui & imminere vidi, perditionem? Nunquid non ego reus sum mortis illarum, si morti illarum pro posse non resisto, eamque totis viribus non repello? Nunquid non objiciam verum verbum morti animarum, cui objicere teneor sanguinem proprium, & vitam & mortem propriam? Nunquid minus veritatis imminenti morti objicere debui quam nondum repellere potest tota veritas quam opposui? Adhuc enim persistunt tam monachus quam diaconus in suo proposito. Sed fortè dicet aliquis, habitus hujus diaconi non est perfectum argumentum quòd ipse sit incongruus ad curam animarum. Ad quod respondeo, quòd divinum præceptum est, ut * obediamus præpositis nostris. Inventus igitur in actu ipso transgressionis canonis & Concilii, inventus est in crimine inobedientiæ; qua non solùm est inobediens præpositis, sed Deo præcipienti ut obediamus Præpositis. † Crimen autem inobedientiæ quasi peccatum est ariolandi, & quasi scelus idololatriæ. Non potest autem criminosus, animarum crimina curare: ideo dicit Apostolus, Oportet * Episcopum † & quem ... * sacerdotem & pastorem animarum sine crimine esse. Sed adhuc dicet, potest pœnitere; & ego dico secundum Apostolum, oportet Episcopum i. e. sacerdotem, * non neophytum esse; & ideo antequam idoneus sit ad curam animarum, post crimen manifestum, oportet præcedere tempore congruo signa congrua pœnitentiæ: Et sicut dicit Bernardus, ad regimen animarum non probandos, sed probatos debemus admittere. Non igitur est, ut videtur, in mea correptione reprehensibilis, aut mendacii insinuatio aut reticendæ veritatis elocutio. An fortè non palam debui corripere peccantem palam, cum dicat Apostolus ad Timotheum, Peccatores coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant? An fortè molliter debui corripuisse errorem vergentem in periculum animarum, cum de talibus errantibus dicat Apostolus ad Titum; quamobrem increpa illos durè, ut sani sint in fide? Ideoque sic Heli sacerdos condemnatus, quia filios suos peccantes nimis molliter corripuit. Errores qui non vergunt ad interitum animæ, corripi possunt molliter, & ferri patienter: sed mortale virus non molliter exprimit sapiens medicus. Cum igitur neque dicta correptio, neque correptionis modus à regulâ scripturæ videatur discrepare, videtur mihi quòd correptores, & reprehensores dictæ correptionis, quæ, Deo teste, processit ex dilectione salutis animarum, & timore magno perditionis earum, salvâ eorum reverentiâ, plus curant quæ sua sunt, quàm quæ Jesu Christi; plus lac & lanam, quàm ipsas oves; lucem ponunt in tenebras, & tenebras in lucem; malum dicunt bonum, & bonum malum; nihil patiuntur super contritione Joseph: quia si essent veri amatores Jesu Christi, non me, sed mecum in hac parte corriperent; non me, sed mecum in hac parte damnarent; non me morderent, sed de luporum morsibus oves mecum eriperent: quod si facerent, procul dubio, quod solus facere nequeo, eas mecum eriperent & salvarent; & quia non faciunt, sed etiam meum tantillum conatum impediunt, timeant se futuros reos mortis ovium in tremendo judicio. Judicet igitur vestra discretio, an apud Dominum & zelatores animarum sit tam reprehensibilis ut putatur, mea correptio. Utinam conveniat mihi illud evangelicum; † Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos propter me; gaudete in illa die & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, &c.

* Cod. Syd. puræ creaturæ tradere niteris corruptori
Cod. Bened. Creaturarum
* Heb. 13.17.
† 1 Sam. 15. 23.
* Iid. id est. non [&]
† Tit. 1. 7.
* 1 Tim. 3. 6.
1 Tim. 5. 20.
Cap. 1. 13.
1 Sam. 3. 13.
† S Matt. 5. 11. 12.

Venerabili

Venerabili in Christo Patri Edmundo Dei gratiâ Cantuariensi Archiepiscopo, totius Angliæ primati, Robertus eadem gratia Lincolniensis electus salutem, & quàm debitam tam devotam cum omni reverentiâ obedientiam. Epist. 12.

CUM Apostolus ad Romanos dicat, * Hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum * Rom. 14.
fratri vel scandalum : & paucis interpositis, in eadem Epistolâ subjungit, † Si prop- 13.
ter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas ; noli cibo † Vers. 15.
tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est : & in Epistolâ ad Corinthios iterum
dicat idem Apostolus, * Videte ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis ; & * 1 Cor 8. 9.
paulò post annectat, dicens, † Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem † Vers. ult.
in æternum, ne fratrem meum scandalizem ; liquet quòd in nullo opere per se indifferenti (quod videlicet potest, quantum est de ipso, & sine peccato fieri & sine peccato omitti) ponendum est offendiculum vel scandalum fratri ; & ad hoc probandum,
ipse etiam Dominus Jesus Christus, doctor & factor veritatis, ne scandalizaret eos qui * S. Matt. 17.
didrachma accipiebant *, didrachma solvebat ; cum tamen esset non solùm liber, sed & ult.
veritas liberans à jugo servitutis. Cum igitur, ut veraciter credo, monachi Cantuarienses † nullâ ratione poterunt induci ut benevolè concedant, munus Consecrationis mihi impendi alibi quàm in Ecclesia Cantuariensi, & si alibi contra voluntatem eorum consecrationis munus mihi impendatur, ipsi ad hoc factum, per se indifferens, quasi ad obicem nostrum appellantes, lites graves & sumptuosas suscitabunt ; cum servos Dei non oporteat vel deceat litigare, & omnino delictum sit in quibusdam quod judicia habeant inter se : Ne scandalizemus eos, perdentes (quod absit) aliquem infirmum pro quo Christus mortuus est, & non secundum charitatem ambulemus, cum munus consecrationis sine peccato & alicujus offendiculo vel scandalo mihi possit impendi in Ecclesia Cantuariæ, ad pedes sanctissimæ paternitatis vestræ humiliter prostratus devotissimè rogo, quatenus ad hoc vestræ benignitatis & sanctitatis inclinetis assensum, ut in Ecclesiâ Cantuar. munus consecrationis mihi impendere velitis : melius est enim ibidem consecrari cum quantolibet rerum temporalium dispendio, quàm alibi cum quantolibet rerum temporalium compendio, adjuncto *fratris infirmi*, pro quo Christus mortuus est, offendiculo, cum veritatis voce testante, † Væ sit homini illi per † S. Matt.
quem scandalum venit. Fortè aliqui *mundi sapientes* hanc meam persuasionem, si au- 18. 7.
dierint illam, reputarent simplicem aut fatuam : Sed credo quòd * *sapientia quæ de sursum* * S. Jacob.
est reputat eam validam ad movendum omnem animum Dei timore repletum & 3. 17.
prout oportet caventem scandalum ; nisi forte mea consecratio aliqua ratione quæ me latet, non possit fieri in Ecclesia Cantuar. absque peccato. Sit igitur in hac parte, Pater Reverendissime & amantissime, consilium vestrum & meum, non justificationes hominum, sed illud de quo quotidie dicimus, † Et consilium meum justificationes tuæ ; † Psal. 119.
& consimiliter, dicenti, Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æ- 24.
ternum ne fratrem meum scandalizem, dicamus & nos, Si consecratio vestra, vestri videlicet consecrantis & mei consecrationis munus suscipientis, alibi celebrata quàm in Ecclesia Cantuar. scandalizet fratres nostros, non celebrabitur alibi consecratio in æternum ne *fratres* nostros scandalizemus. Cæterùm illud quod audivistis dici, quòd quidam de his qui fuerunt mecum apud Cantuariam dixerunt verba aspera monachis comminando quòd illis invitis alibi consecrarer, credo veraciter esse figmentum : fuerunt enim, qui mecum aderant, viri valdè pacifici & discreti ; qui mecum humillimas preces monachis effuderunt.

* Quare verò noluerunt Augustinenses Benedictini, cæterorumve ordinum *fratres infirmi* permittere ut consecraretur hic Episcopus in qualibet Ecclesiâ eorum conventuali ? quare monachis tam infestus erat Robertus Grosthead in Episcopum consecrandus ? Sancto nimirum viro invidebant otiosorum hominum examina, quòd in eorum vitia animadvertere solitus sit, eumque crediderint idem facturum Episcopum, quod tam fideliter fecerat Archidiaconus : ab archidiaconatu Leicestrensi, cujus munus tam egregiè obierat, convolat fama viri ad Cantuariam usque : eadem ubique monachis mens, idem animus ; idem prorsus studium, idem otium : cumque probus & vigilans Præsul eos hic in ordinem coegit, non in Cantuariâ solùm, sed in Vaticano etiam crabrones irritavit. Hæc autem monachorum petulantia nec impedivit Episcopum nec minuebat curam ejus Pastoralem.

Vide Epist. 94. sub finem.

De consecratione hujus Episcopi vide Hist. & Antiquit. Acad. Oxon. lib. 1. pag. 105. Hæc Epistola scripta est A. D. 1235.

Epistola 17. *Rob. Dei gratia Lincoln. Episcopus, dilecto in Christo filio W. de Raleger Thesaurario Exon. salutem, gratiam & benedictionem.*

RE cepimus literas dilectionis vestræ, novit Dominus, dolorem & anxietatem non modicam mihi generantes, eò quòd erga nos vestri dilectores charitate sincerâ in Domino, vestri indignationem sine causâ rationabili expresserint. Deum enim & Dominum nostrum Jesum Christum, qui unus & idem est testis & judex, testem invocamus quòd W. de Grana hac ratione sola ad curam pastoralem non admittimus quòd ipse est junioris ætatis, & literaturæ minus sufficientis, puer videlicet adhuc ad Ovidium epistolarum palmam porrigens; quali non possemus curam pastoralem committere, nisi transgrediendo regulas sacræ paginæ, & reverendas sanctorum patrum constitutiones; sicque nosmetipsos evidenter ignibus gehennæ condemnantes, ipsique puero, & fautoribus suis, in hac parte occasionem condemnationis præstantes cum animarum curæ suæ committendarum gravi discrimine: quod, nisi angustia temporis ad scribendum impediret, evidentibus auctoritatibus ostendere non gravaremur. Hæc igitur vestræ dilectioni, & dicto puero, & animabus quibus velletis eum præfici, non admittendo eundem ad curam pastoralem, præstamus, quod medicus præstat febricitanti, dum ferventi febrili calore denegat haustum aquæ frigidæ; & quod præstaret aliquis paralytico, dum denegaret ei gubernaculum navis in procellâ tempestuosi maris; & quod sublevans à lapsu præstaret seipsum præcipitare volenti. Caveat igitur vestra dilecta discretio, ne reddat mihi malum pro bono & odium pro dilectione meâ; quia testis est spiritus Dei spiritui mei peccatoris, quòd ex sincerâ charitate salutis vestræ, & dicti pueri, & animarum curæ mei indigni commissarum, dictum puerum ad curam pastoralem in ejus & vestri discrimen non admitto. Scribitis quoque in calce literarum vestrarum, quòd ad Appellationis remedium recurreretis, nisi meæ novitati vestri gratia parceretis. Ad quod respondeo, quòd teste Domino, multum mihi placeret vestra Appellatio, & per Appellationem, Ecclesiæ ad quam dictus puer præsentatus est, adeptio, * ubi meritò timeri posset in hoc animæ illius & vestræ perditio: & ne credat vestra dilectio me ingratum esse vestræ dilectioni, & quamplurimis & magnis beneficiis à vestra liberalitate vestri gratiâ receptis: paratus sum & jampridem paratus fui, testibus fratre R. Bacon, & fratre A. & magistro R. de Mariscis, & magistro Thoma Walens, & magistro J. Archidiacono Leicestr. conferre dicto puero, intuitu dilectionis vestræ X. marcas annuas de camerâ nostra, donec per me vel per alium in uberiori beneficio Ecclesiastico, vel alio eidem fuerit provisum, propriæ manûs subscriptione. Affectuosè rogo vestram dilectionem quatenus prædictum censum annuum, licet sit modicus (quia melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas) prædicto W. de Grana cum vestræ dilectionis beneplacito percipere permittatis. Ad pedes etiam vestros provolutus omnibus animi mei visceribus exoro, ut nulla occasione recedat animus vester à me vestro diligendo, quia per Dei gratiam, neque mors neque vita separabit me à diligendo vos in Domino.

* Fort. ubi non —

Epist. 22. *Robertus Dei gratia Lincoln. Episcopus, dilectis in Christo filiis, universis Archidiaconis per Episcopatum Lincoln. constitutis, salutem, gratiam & benedictionem.*

QUIA ad Pastoris spectat officium his qui ignorant & errant condolere, & gregem sibi commissum pervigilare, quasi rationem pro gregis animabus redditurum, ipsumque gregem pascere, sicut in Jeremia scriptum est, scientia & doctrina: Nos hæc attendentes, & his qui in grege nobis licèt indignis, Domino disponente, commisso, ignorant & errant, pro posse nostro cupientes mederi, quosdam eorum perniciosos errores per devium, tenebrosum & lubricum ad inferos deducentes, præsenti paginæ duximus inserendos, quosdam vestro ministerio per Archidiaconatus vestros populo ignoranti & erranti declarandos & dissuadendos, quosdam verò prohibendos & censurâ canonicâ compescendos. Et quia frustra contendit alia vitia subjugare, qui gulam & ebrietatem non subpeditaverit: imprimis firmiter injungendo præcipimus, ut compotationes qui vulgo dicuntur † *Scot ales* tam in synodis quàm in capitulis vestris prohibeatis,

† Vide glossarium D. H. Spelman.

beatis, & per singulas Ecclesias archidiaconatuum vestrorum, per singulos annos pluries prohiberi faciatis, & contra prohibitiones canonicè præmissas venire præsumentes Ecclesiasticâ censurâ compescatis, animadversione canonicâ eosdem percellentes. Sicut enim scriptum est, † Vinum omne quod inebriat, multum potatum, irritationem & iram, & ruinas multas facit; amaritudinem animæ, & imprudentis offensionem, minorans virtutem, & faciens vulnera: deformat insuper in homine Dei imaginem usum rationis auferendo, ligat actus naturales, morbos inducit pessimos, vitam abbreviat, principium est apostasiæ, aliaque mala procreat innumera. Ad extirpandam igitur tantorum malorum radicem remissi esse non debemus qui ad hujusmodi evellendum & destruendum & dispergendum & dissipandum constituti sumus; ad hæc sitientes præcipimus ut secundum formam suprascriptam prohibeatis & prohiberi faciatis, contemptores prohibitionis compescendo & puniendo, arietum supra ligna & * rotas elevationes, cæterosque ludos consimiles, in quibus decertatur pro bravio; cum hujusmodi ludorum tam actores quàm spectatores, sicut evidenter demonstrat Isidorus, immolent dæmonibus, talium ludorum inventoribus & auctoribus, & cum etiam hujusmodi ludi frequenter dent occasiones iræ, odii, pugnæ & homicidii. Alios autem ludos diebus festis actos, qui non consueverunt dare fomitem discordiæ, prædicatione salubri faciatis dissuaderi; quia, teste beato Augustino, cum multo minori peccato diebus solennibus nerent & texerent mulieres, & ararent homines, aliaque opera huic vitæ sustinendæ necessaria & utilia facerent, quàm hujusmodi otiosis & voluptuosis indulgerent. Dies namque sancti toti debiti sunt obsequiis divinis & operibus sanctis, quæ immediatè proficiunt in salutem animarum; à quibus incomparabiliter longius distant ea quæ sunt otiositatis & voluptatis quàm quæ sunt necessitatis & utilitatis. Faciatis quoque per frequentem commoneri prædicationem, ut qui conveniunt ad vigilias noctis in vigiliis sanctorum ad eorum Ecclesias vel memorias, vel ad exequias defunctorum, ibidem solis vacent divinis obsequiis & orationibus; ne scurrilitatibus, vel ludis, vel fortè pejoribus, ut fieri consuevit, intendentes, sanctorum iras in se provocent, quorum venerunt impetraturi suffragia; & ne in defunctorum exequiis de domo luctûs & recordationis novissimorum in præcautionem peccaminum, faciant domum risûs & jocationis in multiplicationem peccaminum, quorum extrema luctus occupabit æternus & tenebrosa oblivio, quam illustrabit sapientia vel scientia vel ratio. Ab Ecclesiis autem & cœmeteriis omnes hujusmodi ludos, commonitione præmissâ, arceri faciatis Ecclesiasticâ censurâ: quia loca sancta ab usibus humanis, nedum ab humanis jocis abstracta sunt, & in usus divinos conversa; & qui econtrà præsumunt, de domo & loco orationis speluncam latronum faciunt. Faciatis quoque in singulis Ecclesiis frequenti prædicatione commoneri ne matres, vel nutrices, parvulos suos in lectis suis juxta se collocent, ne fortè eosdem, ut frequenter contigit, incautè suffocent, & inde fiant eisdem mortis occasio, unde putatur vitæ teneræ parari consotio. Clandestina quoque matrimonia frequenti prædicatione districtè prohiberi faciatis, & pericula quæ inde sequuntur, evidenter & diligenter exponi, ut præcognito mali sequentis periculo, fortius & cautius devitetur ipsius origo. Ad hæc, in singulis Ecclesiis districtam faciatis fieri inhibitionem, ne ad processiones in annua visitatione, & veneratione matris Ecclesiæ aliqua parochia decertet cum vexillis suis alii parochiæ antecedere; cum inde soleant non solùm lites, sed crudeles sanguinis effusiones provenire; econtra verò de cætero præsumentes canonica feriatis animadversione; quia hujusmodi decertatores inde matrem Ecclesiam violant, & inhonorant, unde eam sanctificare & honorare debuerant: nec debent aliquatenus à pœna dimitti immunes, qui matrem spiritalem inhonorant; cum hi qui matres carnales inhonorant, per legem divinam maledicuntur, & morte puniuntur. Præterea in quibusdam Ecclesiis invenimus hanc pro consuetudine inolevisse corruptelam, quòd in die Paschæ non recipiuntur oblationes parochianorum, nisi celebrata missa, cum ad sacratissimum Dominici corporis & sanguins sacramentum veniunt: quam corruptelam de cætero * recepturi sub gravi pœnâ faciatis arctius prohiberi, cum grave scandalum turpisque nota cupiditatis inde oriatur Ecclesiæ prælatis; plurimumque præpediatur devotio populi ad tantum sacramentum accedentis. Ad hæc, quia alicubi invenimus contra statutum tam Generalis quàm Provincialis Concilii, pro pecunia non solutâ denegari sacramenta Ecclesiastica & etiam in die Paschæ Sacramentum Eucharistiæ, nequis in hac parte quasi per ignorantiam speciem aliquam excusationis prætendere valeat, quod in hoc parte in Conciliis statutum est, faciatis non solùm in synodis, sed etiam in capitulis frequenter recitari; eos qui contra præsumpserint canonicâ punientes districtione.

† Ecclef. 31. 38, 39, 40.

* In cod. Bened. est [rotas] in cod. Sydn. [rotarum]. istorum ludorum nulla, quod sciam, jam apud nos extant vestigia.

* deest [recepturi] in Cod. Syd.

Epist. 23. *Robertus Dei gratiâ Lincolniensis Episcopus dilecto in Christo filio W. de Raleger, thesaurario Exoniæ, salutem, gratiam & benedictionem.*

† 1 Cor. 11. 1. CUM ad imitationem Apostoli Pauli † exhortantis nos imitatores ejus esse sicut & ipse Christi, Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum, ita quòd in me promptum est & vobis qui in Curia estis evangelizare; multo tamen amplius & obligatius astringor tibi in debito prædicandi Evangelii, ut habeam in te fructum aliquem operis Evangelici & præmii æterni: fungeris enim in curia prærogativo judicis officio, ideoque locum tenes ubi præ cæteris curialibus plus potes prodesse, si, secundum divinum mandatum, in * judicio non acquiescas plurimorum sententiæ, ut à vero devies, sed † justè quod justum est judices & exequaris; plus quoque obesse, si contrarium, quod absit, attentaveris: copularis insuper mihi arctius cæteris in curia degentibus filiatione spirituali, dilectione diuturna & speciali, & multiplicis beneficii collatione liberali: tibi igitur, ut suprà dixi, præ cæteris debitor sum Evangelicæ veritatis, ut consequar in te desideratissimum fructum æternæ salutis. Ne igitur reatum incurram tanti debiti non soluti, hæc subscripta tuæ dilectioni, quam in visceribus charitatis arctius amplexor, evangelizare curavi: nec absterreat te, supplico, licèt plurimis occupatum Epistolæ prolixitas à sua inspectione; cum prolixitas hæc prodeat de verbi abbreviati i.e. charitatis radice. Quòd igitur in primo evangelizans tibi annuncio, hoc est, videlicet quòd proles nata ante matrimonium inter parentes ejus contractum, per matrimonium subsequens nanciscatur legitimationem & jus hæreditarium in hæreditate parentum, nisi fortè alter vel uterque parentum aliud prius copulaverit matrimonium, quod ante prolis generationem non fuerit solutum: judices quoque qui prolem hujus exhæredant sententialiter tanquam spuriam & illegitimam, in eorum computabuntur numero, quibus dicitur per † Amos Prophetam, Qui convertitis in absynthium judicium & justitiam in terrâ relinquitis: & iterum per eundem Prophetam, * Qui convertitis in amaritudinem judicium & fructum justitiæ in absynthium. Conditores quoque legis hujus, imò potius corruptelæ legis, ex qua proles nata ante matrimonium spuria & illegitima judicatur, & ab hæreditate abjudicatur, incidunt in illud væ Isaiæ dicentis †, Væ qui condunt leges iniquas & scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes & vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum & pupillos diriperent. Hæc namque lex, qua proles nata ante matrimonium subsequens post contractum matrimonium, velut illegitima exhæredatur, lex est iniqua & injusta, juri naturali & divino, canonico quoque & civili contraria: Sicut enim scribit Alexander Papa tertius, Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium, legitimi habeantur: vis igitur matrimonii legitimat prolem ante matrimonium natam: matrimonium autem res est naturalis de jure divino & naturali: jus enim divinum & naturale matrimonium constituunt: quod autem * vis rei naturalis efficit, naturale est: legitimatio igitur, quam vis matrimonii efficit, cum matrimonium sit de jure divino & naturali, est legitimatio naturalis per jus divinum & naturale, de jure divino & naturali, & non est ex gratiâ dispensationis: Legitimitas autem naturalis quæ non est ex gratia dispensationis, per jus divinum & naturale habet successionem in hæreditate. Unde Apostolus ad * Romanos ait, Si autem filii, & hæredes: & iterum ad † Galatas ait, Quòd si filius; & hæres per Deum. In libro quoque Numerorum referente Moyse causam filiarum Salphaad ad judicium duci, hujusmodi responsum accepit à Domino, * Justam rem postulant filiæ Salphaad, da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hæreditatem succedant; ad filios autem Israel loqueris hæc, Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas: si filiam non habuerit, habeat successores fratres ejus; quòd si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus: sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his qui ei proximi sunt; eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua. Ideo secundum hanc legem quam Dominus dedit per Moysen, proximitas naturalis legitima (non enim de illegitima intendebat Legislator) constituit legitimum hæredem: proles namque per consequens matrimonium † legitima, cum æquè sit legitim aut proles post matrimonium nata, quia unius & ejusdem sacramenti eadem & æqualis vis utramque legitimat, & æque sit proles utraque proles naturalis propter generationem naturalem, non potest esse minus propinqua parentibus quàm proles post matrimonium nata; præsertim cum proles possit nasci post matrimonium, quæ fuit ante matrimonium concepta. Per legem igitur naturalem

Marginal notes: * Exod. 23. 2. — † Deut. 16. 20. — † Cap. 5. 7. — * Cap. 6. 13. — † Cap. 10. 1. — * MS. Trin. Coll. [jus naturale efficit]. — * Cap. 8. 17. — † Cap. 4. 7. — * Cap. 27. 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. — † Legitimata. Id.

lem & divinam cum hujus prole non inveniatur propinquior & ad proximos tranſeat hæreditas, hujus proles in hæreditatem ſuccedit. Qui igitur hujus prolem ab hæreditate abjudicant, contra jus divinum & naturale faciunt, contra quod cuiquam & maximè Chriſtiano nihil licet agere: imò ſecundum illud omnia ſunt agenda & quæ prius non erant facta; aut ſiqua in contrarium fuerint præſumpta: ait enim Auguſtinus in libro Confeſſionum, Cum Deus aliquid contra morem vel contra pactum quorumlibet jubet, etſi nunquam ibi factum eſt, tamen faciendum eſt, & ſi omiſſum reſtaurandum eſt, & ſi ſtatutum non erat, inſtituendum eſt: ſicut enim in poteſtatibus ſocietatis humanæ major poteſtas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus. Leges itaque Principum naturali juri & divino non prævalent, ſed ſi contrariæ fuerint, nulla ratione eſt eis obtemperandum. Unde Auguſtinus ad Bonifacium ſcribit dicens, Quicunque legibus Imperatorum, quæ contra Dei voluntatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium: in quo econtrario intelligitur, quòd qui obtemperare vult, acquirit grande ſupplicium: iterum idem Auguſtinus alibi ait, Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: ſed quid ſi illud jubeat quod non debeas facere? Hic ſanè contemnes poteſtatem: ſi aliud ipſe Proconſul jubeat, & aliud jubeat Imperator; & aliud Deus; quid judicatis? Major poteſtas Deus eſt: da veniam O Imperator; tu carcerem, Ille gehennam minatur. Divinæ itaque & naturali legi magis quàm Imperatoriæ obtemperandum eſt; ideoque & lex quæ hactenus obtinuit in curiâ Dom. Regis, ut nati ante matrimonium exortes fierent paternæ hæreditatis, tanquam Divinæ & naturali legi contraria, juſtitiæque Dei inimica, penitus eſt abolenda: Alioquin & ſecundum ipſam judicantes, eidemque auctoritatem & favorem præſtantes, obtemperantes quoque qui poſſunt non obtemperare, & non deſtruentes eam qui poſſunt eam deſtruere, detrudet eadem lex, imò potius conſtitutio ſeu conſuetudo * & lex, in barathrum ignis gehennæ.

* Ita eſt in Cod. Trin. Coll. in Cod. Cotton [conſuetudo lex] in aliis fortè conſuetudo ex lex.

Nec mireris ſi vis matrimonii natos ante matrimonium legitimet & legitimos hæredes conſtituat; quia bonum matrimonii, ſicut ex divina patet ſcripturâ, poteſt efficere multo majora & mirabiliora: propter bonum namque matrimonii utraque uxor Jacob, tam Rachel ſc. quam Lia, natos habuit liberos & legitimos hæredes viri ſui Jacob de utero alieno & ſervili: Habuit enim Rachel de Balam ancilla ſua & viro ſuo Jacob duos filios, † Dan ſc. & Nephtalim. Non enim mendaciter dixit Rachel ad virum ſuum Jacob, * Habeo famulam Balam; ingredere ad illam, ut pariat ſuper genua mea, & habeam ex eâ filios: & paulò poſt nato Dan ait Rachel, Judicavit me Deus & exaudivit vocem meam, dans mihi filium: Bonum igitur matrimonii fecit filios naturales alieni uteri filios legitimos ipſius Rachelis, eò quod de marito progeniti erant uxoris legitimæ conſenſu. Unde in conſimili caſu ait Auguſtinus ſuper Johannem de Iſmaele, Mater ejus magis Sara quàm Agar; illius uterus accommodatus; illius voluntas acceſſit: non faceret Abraham quod Sara nollet; magis ergo ille filius Saræ: ſimiliter & Lia de ancilla ſua Zelpha, quam marito ſuo tradidit, duos habuit filios, † Gad ſc. & Aſer: hi itaque quatuor filii Jacob de duabus ancillis duarum uxorum ſuarum geniti ex conſenſu earundem uxorum, per bonum & vim matrimonii inter Jacob & uxores ſuas conſentientes in generationem filiorum de ancillis ſuis, liberi erant filii Jacob & legitimi hæredes ejus cum cæteris filiis Jacob progenitis de uxoribus liberis: diviſerunt enim cum cæteris fratribus ſuis terram promiſſionis in funiculo diſtributionis; hoſque quatuor cum cæteris fratribus vocat ſcriptura liberos Jacob, ubi dicit, * Congregatis autem cunctis liberis ejus ut lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere. Cum itaque bonum & vis matrimonii poſſit efficere liberos & legitimos filios, legitimoſque hæredes alicujus ſponſi & ſponſæ ſuæ, licèt non progenitos de utero ſponſæ, ſed de utero alieno ex conſenſu ſponſæ ſuæ; multò fortiùs bonum & vis matrimonii filios naturales progenitos de ſponſo & utero ſponſæ poteſt efficere filios legitimos & hæredes legitimos, licèt ante matrimonium progenitos: plus enim debet conſenſus matrimonialis licèt ſubſequens generationem valere in prolem de proprio utero, quàm conſenſus matrimonialis præſens in prolem de utero alieno. Sed fortè dicet aliquis, quòd hac ratione debuit Iſmael fuiſſe hæres Abraham, ſicut Iſaac: de conſenſu enim Saræ ingreſſus eſt Abraham ad ancillam ejus Agar, ut ex illa ſuſciperet Sara filios: ſcriptura autem expreſsè exhæredat Iſmaelem, dicente Sarâ, † Ejice ancillam hanc & filium ejus: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac: ſed ad hoc reſpondeo, quòd Iſmael demeruit legitimationem & hæreditatem quando luſit cum Iſaac: ille namque * ludus, teſtante Apoſtolo, fuit perſecutio: recitans namque ad Galatas hanc ſcripturam, gemens ait, † Sed quomodo tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc: ludus autem ille, ſive ut ait Apoſtolus, perſecutio, teſte Jer. fuit idololatratio, quæ alibi etiam in ſcriptura ludus vocatur, ſecundum id quod ſcribitur in Exodo de adorantibus vitulum aureum, * Sedit populus

† Gen. 30. 6, 7.
* Verſ. 3.
† Gen. 30. 11, 12, 13.
* Gen. 37. 35.
† Gen. 21. 10.
* Luſus. Cod. Trin. Coll.
† Cap. 4. 29.
* Cap. 32, 6.

populus manducare & bibere & surrexerunt ludere. Peccatum verò idololatriæ demeretur libertatem & legitimam hæreditatem: propter hoc namque peccatum populus Israel legitur frequenter captivatus & de sedibus hæreditatis suæ violenter, justè tamen, expulsus.

* Gen. 38,29, 30. Iterum Judas Patriarcha genuit * Phares & Zaram de Thamar, quæ sibi non fuit matrimonio conjuncta: hi tamen duo filii tanquam legitimi inter filios Israel fecerunt tribus, domos & familias, & fuerunt participes hæreditatis in terra promissionis: sed quid eos legitimavit ad hæreditatem, nisi affectus matrimonialis quem habuit ipsa Thamar? Ut secundum legem Domini mortuis duobus viris suis filiis Judæ, Her sc. & Onan sine liberis, propinquus eorum suscitaret de ea semen defunctis, & quia non receperat Sela tertium filium Judæ in virum, secundum ipsius Judæ promissum, cui secundum legem debuit matrimonio copulata fuisse, ne fraudaretur omnino semine de virorum suorum propinquitate, sub specie incognita voluit propter affectum matrimonialem ad propinquitatem virorum suorum prolem suscipere de Judâ: unde & ipse Judas cognito nurus suæ affectu, ait, † Justior me est Thamar, quia non tradidi eam Sela filio meo. Si igitur affectus legitimus matrimonialis sine sacramento matrimonii præsenti vel consequenti potuit legitimare ad hæreditatem; quanto magis ipsum sacramentum matrimonii, licèt non præsens sit cum proles generatur, sed consequens, potest legitimare ad hæreditatem?

† Ibid. ver. 26.

Item si bonum matrimonii potuit facere aliquem hominem legitimum filium & legitimum hæredem ipsius qui eum non genuit; multò fortiùs bonum matrimonii, licèt subsequentis, potest facere de filio naturali filium legitimum & legitimum hæredem ipsius qui eum genuit: plus enim videtur posse bonum matrimonii subsequentis in ante genitum, quàm bonum matrimonii præsentis in eum quem vir non genuit nec generaturus fuit. Sed Dominus noster Jesus Christus propter bonum matrimonii inter gloriosam Virginem matrem ejus & virum matris ejus Joseph, fuit filius Joseph; non enim mendaciter dixit ipsa beata Virgo, * Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Si non mendaciter sed veraciter vocat beata virgo Joseph patrem Domini Jesu, nec ipse Dominus Jesus mendaciter sed veraciter fuit filius ejus: non quòd ipse Joseph carnaliter eum genuit, quod absit à mentibus fidelium suspicari, sed quia ratio paternitatis & legitimæ filiationis in eis fuerit servata. Hæc est enim ratio patris legitimi ad filium suum legitimum, ut videlicet uxor sua legitima peperit ei prolem non de alieno concubitu: & ratio filii legitimi ad patrem legitimum, ut natus sit de uxore ejus legitimâ non de alieno concubitu. Unde Augustinus de bono conjugali, ait, Conjux Maria vocatur à primâ desponsationis fide, quam concubitu non agnoverat nec fuerat cogniturus; nec mendax fuit conjugis appellatio ubi nec fuerat nec futura erat carnalis ulla commixtio; propter quod fidele conjugium ambo parentes Christi vocari meruerunt, non solùm illa mater, verumetiam ille pater ejus, sicut conjux matris, utique mente non carne. Ex his igitur † auctoribus liquet quòd Dominus Jesus veraciter & non mendaciter fuit filius Joseph; filius, inquam, ejus, non naturalis, ut putabatur, sed legitimus, ut veraciter sermone beatæ Virginis insinuabatur; & si Joseph aliquid possedisset hæreditario jure, quis alius quàm Dominus Jesus natus ex tempore de suâ uxore, idem personaliter natus ante tempora æternaliter de Deo patre, eodem hæreditario jure debuit Joseph successisse? Nunquid non veraciter dici potuisset, posito quòd Joseph jure hæreditario aliquid possedisset, demonstrato Domino Jesu Deo & homine; Iste Deus ante tempora natus est hæres legitimus Joseph, quia filius non fornicarius neque adulterinus uxoris suæ? Si igitur bonum matrimonii potest hæc prædicta majora; quomodo non poterit & istud minus, ut videlicet, licèt subsequens, legitimet tamen & hæredem constituat prolem antè progenitam? Exempla quoque naturæ nos poterunt manifestè hoc idem edocere: una namque & eadem caro unius & ejusdem hominis pilos capitis quos prius produxit nigros, alteratâ hominis complexione, commutat in albos. Quædam etiam aves secundum mutationes temporum pennas non nascituras & novas * & prius natas in alterum & contrarium permutant colorem; & quod magis est admirandum, quædam animalia secundum varias ætates corporis etiam permutant figuram. Posito quoque quòd radix & stipes alicujus oleastri verterentur in naturam olivæ, nonne & priores rami ejusdem oleastri consequenter commutarentur in naturam olivæ? * In Thessalia sunt duo flumina, ex quorum uno bibentes oves fiunt nigræ, ex altero albæ; ex utroque verò bibentes fiunt variæ. Innumera quoque sunt hujusmodi quæ mutata immutant etiam illa quæ de ipsis sunt prius exorta. Cum igitur, teste Apostolo, † Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur, & constat quòd corpus illud est corpus illegitimum; vis autem matrimonii facit duos in carne unâ, quam constat esse carnem legitimam,

* S. Luc. 2. 48.

† Auctoritatibus. Id.

* Sed prius — Id.

* Vide Plinii Natural. hist. lib. 31. cap. 2.

† 1 Cor. 6. 16.

mam, ſicque poſt copulam carnalem fornicariam & meretriciam, ſi copulati prius meretricialiter contrahant poſtea matrimonium, corpus duorum, quod prius fuit illegitimum, vertitur in unam carnem duorum legitimam; quid mirum ſi ad ſimilitudinem naturaliter immutantium & immutatorum, corpus duorum meretricium illegitimum, commutatum in carnem unam duorum matrimonialem & legitimam, commutet prolem fornicariam illegitimam de ſe prius progenitam in prolem matrimonialem & legitimam? Imò magnum mirum eſſet ſi hæc mutatio ab illegitimitate ad legitimitatem non fieret; cum proles, ſive illegitima ſive legitima, uni corpori ſive uni carni duorum parentum per naturale vinculum naturalis filiationis, firmius inhæret & arctius & incomparabiliter inſolubilius colligetur, profundiuſque increverit magiſque radicaliter inſeratur, quàm capilli capiti, vel pili cuti, vel pennæ carni, vel rami radici ſeu ſtipiti. Corpus igitur prius meretricium & illegitimum mutatum per ſacramentum matrimonii in carnem unam conjugalem & legitimam, quod naturaliter de ſe natum eſt & naturali vinculo naturalis filiationis tempore ſuæ mutationis ſibi inhæret naturaliter, non poteſt non immutare naturaliter in ſuam ſimilitudinem. Ergo totius etiam naturæ hoſtes ſunt qui hujuſmodi prolem naturaliter, & non diſpenſativè, legitimatam & legitimam, ſpuriam judicant & ab hæreditaria ſucceſſione abjudicant: nec reſtat aliud talibus judicibus, maximè in hujuſmodi judicio pertinacibus naturæ hoſtibus & creaturæ inimicis, niſi ut, ſicut ſcribitur in libro ſapientiæ, * Creatura factori ſuo deſerviens, exardeſcat in tormentum, adverſus ipſos injuſtos, & † Potentes potenter tormenta patiantur. Arguit quoque judices hujus judicii firma ratio, quæ prævalet omni legi & conſuetudini: ſi enim aliqua cauſa poteſt inducere effectum aliquem in id quod nondum eſt, ſed adhuc futurum eſt; multo fortius poterit eadem cauſa inducere eundem effectum in id quod præſentialiter eſt ſed matrimonium cauſa eſt legitimationis, nec poteſt eſſe ſubjectum hujus legitimitatis quod nondum eſt homo nec particeps ſpeciei humanitatis. Ponamus ergo quòd aliqua concipiat in fornicatione de aliquo, & ille idem poſt conceptum fornicarium antequam fœtus conceptus foret in utero matris & figuretur ſecundum lineamenta humani corporis, & infundatur anima rationalis, contrahat matrimonium cum eâ quæ concepit de eo, contractoque matrimonio ſtatim moriatur: igitur ſecundum judicium etiam veſtrum propter bonum hujus matrimonii momentanei proles prædicto modo concepta & nata poſtea de matre ſoluta erit legitima & hæreditario jure ſuccedens in patris hæreditatem: ſed cum matrimonium hujuſmodi fuit præſens, fœtus conceptus nondum fuit homo, ſed fuit embryo inanimata, quæ non potuit eſſe legitima vel illegitima ante participationem humanitatis per infuſionem animæ rationalis: hujuſmodi itaque matrimonium cauſa eſt legitimationis hominis nondum exiſtentis, ſed adhuc futuri, licèt in fornicatione concepti. Igitur per univerſalem regulam ſuprà dictam, multo magis erit matrimonium cauſa legitimationis hominis præſentialiter exiſtentis, licèt fuerit in fornicatione conceptus. Quâ enim naturâ transfunderet ſe legitimitas præſentis & ſtatim deſinentis matrimonii in filium futurum, nunquam habiturum vinculum naturale naturalis filiationis cum patre, & non transfunderet ſe legitimitas matrimonii præſentis in filium præſentem, habentem præſentialiter vinculum naturale naturalis filiationis cum patre? Item quæro, an hujuſmodi judicii judices decernant prolis legitimationem ſeu * illegitimam cauſam ex conceptu ſolo, aut ex nativitate ſola, aut ex utriſque ſimul? Si ex conceptu ſolo, tunc proles concepta in fornicatione, etiamſi poſt matrimonium fuerit nata, erit illegitima; ſed per *breve* quod hi judices voluerunt ſcribi ab Epiſcopis, videlicet quòd talis natus fuit ante matrimonium vel poſt; patet quòd judicant omnem prolem poſt matrimonium natam eſſe legitimam; aut inaniter peterent ſub tali formâ ſibi ab Epiſcopis reſcribi. Igitur ſi ex conceptu ſolo decernunt, patet quòd decernent duo contraria; ſc. prolem in fornicatione conceptam propter conceptum eſſe illegitimam, & propter nativitatem poſt matrimonium eſſe legitimam; ſicut inſinuat dictum *breve*; & ſic etiam nec decernunt legitimationem & illegitimationem per conceptionem ſolam: ſi verò judicant legitimationem & ejus contrarium ex conceptu & nativitate ſimul; tunc ſi conceptus eſt fornicarius & nativitas legitima per matrimonium; proles nata nec erit legitima nec illegitima, aut ſimul legitima & illegitima, aut partim legitima & partim illegitima; quorum quodlibet eſt inconveniens: habebit enim ex parte conceptûs fornicarii illegitimitatem, & ex parte nativitatis legitimæ per matrimonium legitimitatem. Si verò judicant per nativitatem ſolam, cum nativitas ſolam habeat pœnam nonnullamque peccati immunditiam ex parte parientis, ſive ex parte partûs, (originalis enim peccati immunditia, in qua omnes generaliter & æqualiter communicant, ex vitioſâ lege propagationis contrahitur) unde nominabitur proles ſpuria & illegitima diſtinctivè immunda? filios namque ſpurios vocat Apoſtolus filios immundos, unde ſpurios: igitur

* Cap. 16. 24.
† Cap. 6. 7.
* Illegitimationem. Id.

tur si ex solâ nativitate sunt spurii, ex solâ nativitate sunt immundi, quod est inconveniens. Item ponamus quòd aliqua mulier prægnans ducta ad ostium Ecclesiæ ut ibi ducatur in uxorem ab eo de quo concepit in fornicatione, pariat dum contrahitur matrimonium; scilicet dum dicuntur hæc verba, Accipio te in meam, &, Accipio te in meum; ita videlicet, quòd pars prolis egrediatur de utero matris antequam proferantur verba quæ faciunt substantiam matrimonii; & altera pars prolis egrediatur post eadem verba perfectè prolata; proles sic nata secundum hos judices nec erit legitima nec illegitima, quia nec ante matrimonium nec post matrimonium nata, sed fortè medietas ante, & medietas postea: est enim hoc possibile, cum parere non sit instantaneum sed successivum, cujus motus potest etiam per quietem interpellari.

Accedit insuper supradictis juri divino, & naturali rationi, jus canonicum, quo convincitur prædictum judicium esse iniquum: Alexander enim tertius in Decretali quadam Epistolâ natos ante matrimonium per bonum subsequentis matrimonii decernit esse legitimos, & in hæreditate paternâ de jure successuros, & contra hoc venire præsumentes severitate Ecclesiasticâ percellendos. Cum igitur, sicut scribitur in Canone, Imperiali judicio non possunt jura ecclesiastica dissolvi, sed leges Imperatorum Evangelicis & Apostolicis atque decretis canonicis sunt postponendæ, nec possint eis inferre præjudicium, constitutiones quoque principum contra canones & decreta præsulum Romanorum nullius sint momenti, manifestum est quòd prædicti judicii judices à sanctorum canonum ☞ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiâ se segregant & subtrahunt, & non solùm iniqui judicii sed insuper inobedientiæ reatum incurrunt, & maximè si sint clerici in ordinibus seu gradibus Ecclesiasticæ dignitatis constituti. Et ut prædicti judices inveniantur in prædicto judicio perfecti transgressores, non remanet aliquod genus juris, cujus in eodem judicio non sunt violatores, cum, sicut notissimum est, jura etiam civilia natos ante matrimonium per subsequens matrimonium legitimos decernant & hæredes; &, ut seniorum relatione didici, consuetudo etiam in hoc regno antiquitus obtenta & ap☞ probata, tales legitimos habuit & hæredes: unde in signum legitimationis, nati ante matrimonium consueverunt poni sub pallio super parentes eorum extento in matrimonii solennizatione. Hi insuper judices ad cumulum transgressionis suæ & evidentiorem ejus manifestationem, & conceptos & natos in vero & de vero matrimonio voluerunt judi☞ care spurios & exhæredandos, quando voluerunt ab Episcopis inquiri & sibi rescribi, utrum is contra quem proponitur exceptio illegitimitatis natus esset ante matrimonium solenniter contractum, an post matrimonium solenniter contractum (cujus formæ plura brevia à Curia destinata adhuc penes me resident) cum multoties contrahatur clandestinum matrimonium sub paucorum testimonio sine solennitate; & deinde suscitatâ prole de hujusmodi matrimonio fiat in facie Ecclesiæ matrimonii solennizatio.

His itaque judicibus contra jus Divinum & naturale, canonicum quoque & civile, necnon contra robur firmæ rationis, & antiquitus probatæ consuetudinis tam manifestè er-
* Cap. 28. 7. rantibus, congruit illud Isaiæ, * Absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem & ignoraverunt judicium; & puto quòd istud vinum sit, de quo dicit
† Prov. 4. 17. Solomon †, Comedunt panem impietatis & vinum iniquitatis bibunt. Meritò igitur
* Cap. 25. 15, 16. his propinabit Dominus, sicut promittit per Jeremiam, * Calicem vini furoris sui, de quo qui biberit, vomet & cadet, neque surget à facie gladii quem missurus est Dominus.

Nec se decipiat quisquam credendo quòd principes seculi possint aliquid statuere & quasi * legem observare vel observari facere quod obviat Legi Divinæ, seu constitutioni † Ecclesiasticæ, nisi in divisionem sui ab unitate Corporis Christi & Ecclesiæ & perpetuam addictionem igni gehennæ, & justam subversionem suæ præposituræ. Principes enim seculi quicquid habent potestatis à Deo ordinatæ & dignitatis, recipiunt ab Ecclesia: principes verò Ecclesiæ nihil potestatis aut dignitatis Ecclesiasticæ recipiunt ab aliqua seculari potestate, sed immediatè à Dei ordinatione: nec potest is qui suscipit, contra eum à quo suscipit, per id quod suscipit, rebellare; nisi quemadmodum si glorietur securis contra eum qui secat in ea aliquid, aut exaltetur serra contra eum à quo trahitur, aut elevetur virga contra levantem se & exaltetur baculus qui utique lignum est. Debent quoque Principes seculi nosse quòd uterque gladius, tam materialis videlicet quàm spiritalis gladius est Petri: sed spiritali gladio utuntur Principes Ecclesiæ qui vicem Petri & locum Petri tenent, per semetipsos: materiali autem gladio utuntur Principes Ecclesiæ per manum & ministerium Principum secularium, qui ad nutum & dispositionem Principum Ecclesiæ gladium, quem portant, debent evaginare & in locum suum
* Rom. 13. 4. remittere. Sicut enim ait Paulus, * Princeps secularis non sine causâ gladium portat; &

* Deest [legem observare vel.]
† Vide infrà.

subjungens

ſubjungens cauſam, infert, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram in eum qui male agit: ut igitur miniſtrent Deo, ultionem exercentes in malefactores, gladium portant Principes ſeculares. Ad eandem quoque ſimilitudinem, utraque pax & utraque lex regimini Petri & obtinentium locum Petri commiſſa eſt: ſed pacis temporalis qua ſocialiter & imperturbatè tranſigitur hæc vita temporalis, & legis temporalis qua ſocialis & imperturbata vita hominum regitur, gubernacula tenent & movent Petrus & ejus vicarii Principum ſeculariũ miniſterio: pacis verò ſpiritualis † huic paci obſequentis gubernacula tenent & movent Petrus & ſui vicarii miniſterio proprio. Sicut enim Principes ſeculares in eo quòd gladium portant vindices in iram in eos qui male agunt, Dei miniſtri ſunt, & per hoc, miniſtri Eccleſiæ, ſponſæ Chriſti; ſic etiam in eo quòd pacis & legis temporalis tenent gubernacula, miniſtri Dei ſunt, ac per hoc, miniſtri Eccleſiæ; & ideo in legibus quibus utimur in pacem temporalem tranquillè ſervandam, nil poſſunt habere contrarium legibus Divinis, ſeu legibus Eccleſiæ, cum miniſter contra eum cui miniſtrat, non debeat calcaneum levare. Quòd autem uterque gladius, utraque pax, utraque lex ſit principaliter principum Eccleſiæ, liquet non ſolùm ex ſacrorum ſcriptorum expoſitoribus, ſed ex antiquorum principum populi Dei à Deo diſpoſitis actionibus. Moyſes enim conſtitutus à Deo Princeps populi Iſraelitici in omnibus habens typum prælatorum Eccleſiæ, utroque gladio, utraque lege, in utraque pace populum ſibi commiſſum per ſeipſum regebat: erat enim, ut dicit Scriptura *, populo in his quæ ad Deum, coercens tranſgredientes mandata legis, in quorum obſervatione conſtituta eſt tranquillitas pacis ſpiritalis; & nihilominus † ponens gladium ſuper femur ſuum, iens & rediens de porta ad portam ultor malorum puniebat perturbantes pacem vitæ ſocialis: utroſque autem perturbatores dijudicabat & puniebat legibus ſibi congruis. Similiter quoque ejus ſucceſſor Joſue, & Judices qui fuerunt poſt Joſue, populum Domini regebant, per ſe tenentes & moventes utrumque gladium, utentes utraque lege in utriuſque pacis firmamentum. Sed poſtquam Dominus noſter Jeſus Chriſtus apparuit in terris verus Deus & Agnus manſuetiſſimus, volens manſuetudinem & in divina ſuſpenſam intentionem in principibus Eccleſiæ præminere, ne claritas præeminentis manſuetudinis in ſuperna ſuſpenſæ intentionis aliquatenus offuſcaretur exercitio ſeveritatis aut implicatione in ſecularibus negotiis, actus gladii materialis & executio legis temporalis, in quibus fulgurat plurimum terror vel ſeveritatis licèt juſtæ, & caligat nebula terrenæ occupationis, quamvis licitæ, traduntur in manus Principum ſecularium, retentâ eorundem poteſtate in manibus principum Eccleſiaſticorum: unde & Jeremiæ dictum eſt gerenti typum prælatorum *, Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, ut evellas & deſtruas & diſperdas & diſſipes & ædifices & plantes. Diviſionem autem actuum duorum gladiorum & duarum legum in Principes ſeculi & principes Eccleſiæ, unitatem tamen poteſtatis utriuſque gladii & utriuſque legis penes principes Eccleſiæ retentam, puto monſtraſſe & ordinaſſe ipſum Dominum Jeſum Chriſtum, quando cum cognoviſſet quia venturi eſſent quos paverat † de quinque panibus & duobus piſcibus ut raperent eum & facerent eum Regem, fugit in montem; & iterum quando cum quidam de turba ait illi, * Magiſter, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem, dixit ei, homo quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos? Actum enim regnandi & judicandi de temporalibus duntaxat fugit; non regiam vel judiciariam poteſtatem abjecit, cum verè & naturaliter Rex eſſet, Judex cœleſtium, terreſtrium & infernorum; monſtrans in hoc principes Eccleſiæ tempore Gratiæ non debere ſæva aut ſævorum ſeu temporalium judicia actualiter exercere; poteſtatem tamen omnem penes eos remanere & ex eorum poteſtate actum talium in Principes ſeculi tranſire. Obtemperare igitur oportet leges Principum ſeculi legibus Divinis, & eccleſiaſticis non repugnare: quòd ſi gladio aut legis conſtitutione repugnat Princeps ſecularis Chriſto aut Eccleſiæ, inobediens invenitur Patri ſuo Chriſto qui eum genuit verbo veritatis, & matri ſuæ quæ eum peperit de ſacro fonte baptiſmatis; eſtque, ſicut ſcribitur in Eccleſiaſtico, † malæ famæ, quia relinquit patrem, & maledictus à Deo, quia exaſperat matrem; eradicabitur quoque fundamentum ejus, ſicut in eodem libro ſcribitur, * Maledictio matris eradicat fundamentum.

† Spiritualis, qua fideles uniuntur in corde uno & animâ unâ in Deum, & legis ſpiritalis huic paci obſequ.---MS. Trin. Coll.

* Exod. 18. 19.

† Exod. 32. 27.

* Cap. 1. 10.

† S. Joh. 6. 12, 15.

* S. Luc. 12. 13, 14.

† Cap. 3. 18.

* Cap. 3. 11.

Si igitur Principes & judices ſeculi hanc maledictionem volunt evitare, acquieſcant Solomonis ſapientiæ dicentis †, Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ; ut addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo: & cujus diſciplinam moneret tanto opere audiendam, cujuſque legem non dimittendam, niſi Dei patris & Eccleſiæ matris? Quam enim legem matris carnalis moneret non dimittendam, cum matres carnales, etiamſi ſint Imperatrices, non legum ſint aliquarum conditrices?

† Prov. 1. 8, 9.

Cum itaque tantis testimoniis tam evidenter pateat, Principes & Judices seculi non posse condere leges contrarias Legi Dei, vel Ecclesiæ constitutioni, vel legibus sic conditis uti, nisi rebellando Deo patri, & sanctæ matri Ecclesiæ, in sui perpetuam damnationem, & præpositure suæ etiam temporalem subversionem; tu, cui commissum est talentum familiaritatis Regiæ, & dignitas potestatis judiciariæ, sicut vis non perdere Dominum Regem, tradendo eum ignibus gehennæ, nec teipsum ab obedientia sanctæ Romanæ & catholicæ Ecclesiæ separare, satagas modis omnibus leges contrarias Legibus Divinis & ecclesiasticis, quibus hucusque usa est curia Domini Regis in contumeliam & injuriam æterni Regis, ad conformitatem Legum Divinarum & ecclesiasticarum revocare; statuasque tecum firmiter volentibus de cætero hujusmodi leges condere, vel conditis uti, viriliter occurrere, & sic Dominum Regem & teipsum, cæterosque hujus regni seculares judices de incendio sempiterni ignis eripere.

De novissimâ Epistolæ parte Editoris admonitio & censura.

ADmodum verisimile est (ut antea annotavi) Bellarminum hunc virum è catalogo suo Scriptorum Ecclesiasticorum rejecisse non aliâ de causâ, nisi quòd eum audierat in Papæ exorbitationes tonuisse: sed hinc disce, lector, quantum damnum afferre possit præjudicium in homines iniquè conceptum. Si hæc enim quæ legisti tu legisset Bellarminus, quantùm amâsset authorem? eum tantùm non inter sanctos retulisset, si in causâ istâ insanâ tam sanè loquentem nosset. Qui, cum tractatum suum de potestate summi pontificis in rebus temporalibus (non librum illum quintum in calce tomi primi controversiarum, sed librum illum adversus Guilielmum Barclaium excusum Romæ A. D. 1610. & eodem anno à Parlamento Parisiensi proscriptum, quasi læsæ Majestatis reum & in jura Regum iniquissimum; quod superbissimi istius Cardinalis bilem in Reges, maximè Reformatæ fidei Patronos, concitavit) evulgavit, diversarum gentium scriptorum testimonia, antiqua & recentia, in suam rem (ut sibi visum est) facientia corrasit; eaque quasi prologum tractatui suo præmisit: inter quæ, cum ad nostræ gentes scriptores devenerit, Alexandrum Halensem (Grossetesti contemporaneum) Robertum Holkott, Johan. Baconum *pro* [Baconthorpium], Waldensem, Polum, Sanderumque, authores producit animis planè Hildebrandinis Imperatorum, Regum Magistratuumque coronas & potestatem arbitrariæ Paparum voluntati subjicientes: Sed nemo ex his cum nostro Episcopo hac in re conferendus est; qui plura unus dicit in hanc sententiam quàm omnes isti simul; &, quantum quidem pessima causa ferre potuit, majore cum ratione & argumento. Sed eum qui tam doctam apologiam pro spuriis legitimandis scribere potuit contra Leges Angliæ municipales, eisdem argutiis pro spuriâ paparum authoritate contendere oportuit: unum enim idemque utriusque est fundamentum; ut patet non solùm ex hic adductis argumentis, sed ex Epistolâ Decretali Innocentii tertii Nobili viro W. Montispessulani inscriptâ (quam habes tum in Antiquis collectionibus Decretalium Antonii Augustini, tum ad finem Variorum tam facultatis Theologicæ & Curiæ Parisiensis quàm aliorum Theologorum &c. Opusculorum, Decretorum & Censurarum, edit. Francof. 1612. in 8°) in qua Pontifex sibi suisque Compapis totum legitimandi jus asserit & vendicat contra civiles regnorum sanctiones. Quid autem erit respondendum ad inimicos qui authorem nostrum nobis objicient, dicentque, En tuum Grossetestum totum pro nobis in causa tam insigni? Responsio facilis est: festinent igitur istiusmodi homines lentè; & priusquam Episcopum Lincolniensem quasi purum putum papistam venditent, circumspiciant undiquaque nequid eorum opinionem fallat: ridicula enim res est ante victoriam triumphum canere, & hominem in partes suas obtorto collo trahere, qui postea in aliorum castra transibit. Præter enim id, quòd Episcopus in argumento suo multoties hallucinetur (nihil enim magis manifestum est & verum quàm quòd olim Imperatores nominarint Papas, & eis superiores esse agniti fuerint vel ab ipsis Pontificibus, sicut supra omnem contradictionem demonstratum est à Goldasto in Replicatione ad Gretserum Jesuitam & * multis aliis) considerandum est utrum Episcopus semper perstiterit in hac sententiâ; quàm sicubi mutaverit, totum hoc quod hic scripsit in fumum evanescit; omnisque de hisce verbis gloriatio abitura est in pudorem & confusionem. Quo anno hæc scripsit, nequeo autumare; sed mentem eum postea mutasse tute ipse fateberis, si relegas

* D. Mortono Episc. Dunelm. D. Buckrigio Episc. Roff. M. Suthvio, &c. nostratibus.

relegas ſermonem primum coram Papâ, quem ille tandem didicit contemnere, poſtquam intellexit Petri, & Chriſti vicarii, & Petri ſucceſſoris, & Apoſtolorum Principis, & gladii Petri, & multorum aliorum nomina eſſe ſolùm ventum inanem & verba larvata, nihilque amplius potuiſſe Innocentium quartum in Robertum Groſſeteſt, quàm Robertum Groſſeteſt in Innocentium quartum: totam rem ſc. fuiſſe fabulam, ab omni Chriſtiano deridendam, Pontificem ſeu Epiſcopum Romanum vel hilum quidem valuiſſe extra ſuam diœceſim; cujus Lincolnia non magis erat pars quàm Utopia: vin' tu aliquid amplius, Lector? hæccine tibi minora ſunt quàm ut tibi ſatisfaciant? conſule demum Apoſtolum S. Paulum 2 Theſſ. 2. 4. &c. quòd ſi hæc omnia te nequeant movere; reſtat ultimum argumentum, à quo te Deus liberet.

Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus, dilecto in Chriſto Filio W. de Raleger theſaurario Exon. Salutem, gratiam & benedictionem. Epiſt. 24.

Recepi reſcriptum tuum, in quo mihi gratias refers de eo quod tibi mandavi per breve meum; quod quidem, ut dicis, non eſt *breve* ſed *longum*; hac adjectâ conditione, Si bono zelo tibi ſcripſerim. Novit ille qui eſt Deus zelotes quòd zelo ſalutis tuæ, Regiſque & regni tibi ſcripſi; ſicut evidenter perpendere potuiſti ex ſerie mei reſcripti: quod autem reprehendis de brevis mei longitudine, & deriſoriè vocas illud *longum* meum, non eſt ſatis perſpecta reprehenſio, nec conveniens viro ſapienti deriſio, cum ſcriptum tibi tranſmiſſum in eodem ſcripto nominaverim non *breve* ſed epiſtolam, ſicut & tu in conſequentibus nominaſti; quod licèt excedat *brevis* brevitatem, conſideratâ epiſtolæ materiâ, non excedit epiſtolarem mediocritatem; & ſi tantum aſſuefactus eſſes Sanctorum Patrum Epiſtolis, quantum *brevibus* legendis, non viſa fuiſſet tibi Epiſtola prolixa; ſed quoad materiæ fœcunditatem magis brevitate ſuccincta. Sed hujus reprehenſionis injuriam paternâ affectione tibi, ſicut filio chariſſimo, condono: tuam autem deriſionem maternis viſceribus doleo; quia ſi * Cham maledictus eſt in filio ſuo Chanaan, eò quòd deriſit verenda patris; quid timere poſſunt qui derident patris veneranda? Scripſiſti inſuper quòd mihi plenius reſponderes, ſi longo reſponſo intendere poſſes: confido autem in veritate Dei quòd nullis quantumcunque longis reſponſis arguere me, in hac parte, mendacii poteris. Poſtea autem inſinuas me ad hoc conari, ut immutem leges regni per rationes Veteris Teſtamenti. Non hoc prætendit ſeries Epiſtolæ tibi miſſæ, ſi perlegas eam ſimplici intentione; ſed conor per epiſtolam tibi perſuadere, ut tu leges & conſuetudines legi Divinæ & conſtitutioni Eccleſiaſticæ contrarias coneris ad earum concordiam commutare, ſimul cum his efficaciter perſuaſis penes quos eſt legum immutandarum & condendarum poteſtas: nec te ſolum alicubi in tranſmiſſa epiſtolâ conditorem legum inſinuavi, & quòd in curia poſſis quicquid volueris; nec tam idiota ſum quòd credam ad alicujus ſuggeſtionem te vel alium ſine Principe & magnatum conſilio poſſe leges condere vel commutare. Præterea ad confirmandam hanc legem quòd baſtardus ſub pallio ſupra parentes nubentes extento poſitus inde ſurgit baſtardus, induxiſti teſtimonium Richardi de Lucy; cujus teſtimonium quantam & qualem habeat comparationem ad teſtimonia divinæ Scripturæ & canonicæ contrarium teſtificantia,

* Gen. 9. 25.

Lippis patet & tonſoribus.

Ad hæc, non, ſicut inſinuare videris, omnia ſunt licita quæ hucuſque à domino Papâ ſunt permiſſa: permittit enim multa propter duritiam cordium, ſicut Moiſes dedit & permiſit libellum repudii. Nec debes reputare tibi eſſe injuriatum in eo quòd epiſtolam tibi ſcripſi; quia novit ille qui ſimul eſt Judex & teſtis, quòd eam ſcripſi non ad injuriandum ſed ad juſtificandum, & te præ cæteris cui ſcripſi præ cæteris honorificandum. Scriberem autem libenter & aliis epiſtolas, ſicut commones, ſi crederem in eis me conſecuturum talem fructum qualem me credidi in te habiturum. Ironicè autem adnectis me ſcire omnes leges, cum ſim homo legum imperitus; nec deceret filii devotionem patris imperitiam à ſenſu contrario deridere, cum filiis dicat Scriptura de patribus, * Si defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in tuâ virtute. Optas inſuper ut tuum onus ſupportarem in curia, cum hæc non ſit optatio filialis; quia quantum diſtat Ortus ab Occidente, tantum diſtat tui oneris ſupportatio à Præſulis officio. Nec videtur mihi tua mora in curia regno damnoſa, ſed animæ tuæ, videtur mihi damnoſa; & ideo paterno af-

* Eccleſiaſtici 3. 15.

ſectu meo de tuâ ſalute ſolicito, tædioſa; cum curam magnam habeas paſtoralem quæ plus exigit quàm te totum à ſecularibus negotiis quantumcunque expeditum. In calce autem hujus, non *brevis* nec *longi brevis*, ſed brevis epiſtolæ, te quantâ poſſum [illegible] affectione quatenus quæ in hac & in altera epiſtolâ tibi ſcripſi, quæ, niſi me fallat ſpiritus mei judicium, de veræ dilectionis & paternæ affectionis prodeunt radice, in te ſint fomes, nutrimentum & augmentum perſeverantis amicitiæ; quia, favente Jeſu Chriſto, neque mors neque vita, nec tribulatio nec anguſtia, nec creatura aliqua ſeparabit me à charitate tua, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Epiſt. 25. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus dilecto in Chriſto filio Domino H. de Patiſh[illegible] ſalutem, gratiam & benedictionem.*

QUanto ferventius te diligo & ex affectione paternâ brachiis charitatis amplexor, tanto magis debitor ſum annunciandi tibi quod animæ tuæ ſaluti obſtare vel prodeſſe credidero: nec ſolùm ad annunciationem ſalutiferam me trahit amor, ſed vehementer urget & impellit timor; ſcripturâ comminante, quæ dicit, * maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine, i.e. verbum prædicationis ab effundendo & emundando ſanguinem peccati: & iterum; ſi me dicente ad impium, impie, morte morieris; nec fueris locutus ut ſe cuſtodiat impius à via ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem ejus de manu tua requiram [Ezech. 3. 18.] Trahente igitur amore & impellente timore, paterna ſolicitudine moneo, exhortor & obſecro, quatenus animæ tuæ ſaluti conſulens, majori & graviori oneri curæ paſtoralis jampridem ſuſcepto humerum tuum non ſupponas, ne oneris gravitas te opprimat & conterat; cum jampridem ſuſceptum onus minus viriliter portes. Non enim, ut ad officium paſtorale pertinet, ſuſtentas eum qui laſſus eſt, prædicationis verbo, nec inter parochianos tuos præſentialiter converſans ſuſcitas eos ſanctæ converſationis exemplo. An verò tuis fletibus & gemitibus & orationis inſtantiâ peccata gregis tui abluas, & jugi compaſſione portes, ignoro. Veruntamen quòd hanc tertiam partem curæ paſtoralis non perficias, videtur arguere tua ſecularibus negotiis frequens vel continua implicatio; cum qua, teſte Apoſtolo, † nemo militat Deo; & inter ambitiones & pompas & voluptates aſſidua converſatio; quarum comes eſſe non conſuevit lachrymarum irrigatio. Ex manifeſtis igitur & probabilibus evidenter colligitur te curam non agere paſtoralem; ſed de his paſtoribus eſſe videris, quibus per Prophetam dicit Dominus,* Lac comedebatis & lanis operiebamini & quod craſſum erat occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis: quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis; quod fractum non alligaſtis: & quod abjectum eſt, non reduxiſtis; quod perierat non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis & cum potentiâ; & diſperſæ ſunt oves meæ eò quòd non eſſet paſtor. Ut igitur ultionem effugias mercenarii, lac & lanam quærentis & gregem non cuſtodientis, aut te expedito ab implicatione & curâ ſecularium negotiorum & curæ paſtorali, ut paſtor bonus, vigilanter intendas: aut dimiſſâ paſtorali curâ licite ſecularibus negotiis te implices; quia utrumque ſimul agere non potes. Quòd ſi ad curam paſtoralem, omiſſa curâ ſecularium negotiorum, ut Deo milites, te, ſicut oportet, convertas, certus ſum quòd non ſolùm refugies majorem curam aſſumere; ſed ſatages de magnâ parte curæ jam aſſumptæ te exonerare, cum ſenſeris te de omnibus & ſingulis ovium tuarum commiſſis rationem reddere debere. Nec fallat te, ſicut multos fallit, obtenta fortè diſpenſatio habendi tot beneficia Eccleſiaſtica; quia hujuſmodi diſpenſatione abutitur, quiſquis ad alium finem quàm ad fidei & charitatis augmentationem eâdem utitur. Conſule igitur conſcientiam tuam, utrum plura adhuc Eccleſiaſtica quæris beneficia, ut charitas augeatur in ovibus; aut ut tu augearis ex ovium opibus; ut tu paſcas oves verbo & exemplo & oratione, aut ut tu paſcaris de ovium lacte: vide utrum Deo dicere poſſis cum Auguſtino, Domine tu ſcis quia dixi; ſcis quia non tacui; ſcis quia flevi, cum dicerem & non audirer: hæc eſt tota de ovibus reddenda ratio. Si igitur hujus rationis cumulum reddere Deo non poteris de ovibus hucuſque tibi commiſſis; qua fronte audes expetere, ut plures tibi committantur, pro quibus te conſtituas amplioris rationis reddendæ debitorem apud diſtrictiſſimum judicem & exactorem uſque ad noviſſimum quadrantem? ſi regi terreno non poſſes rationem reddere de villicatione minori; quomodo expeteres ab eo villicationem majorem, in cujus ratione reddendâ ſi deficeres, ligatis manibus & pedibus mitteret te in carceris tenebras exteriores? An putas Dominum non dicturum tibi, Redde rationem villicationis tuæ? dicet utique: quam ſi non reddas uſque ad ultimum minutum, tradet te tortoribus ultra omne ultimum cruciandum.

* Jerem. 48. 10.

† 2 Tim. 2. 4.

* Ezech. 34. 3, 4, 5.

andum. Quapropter, chariſſime mihi in Chriſto, per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti qui totus effuſus eſt non ſolùm pro omnibus ſed pro ſingulis ovibus, te obſecro, quatenus pro ampliori curâ, majori & diſtrictiori reddendæ rationi te non obliges, ne fortè in reddendâ ratione deficiens tradaris tortori qui te mittat in carcerem; unde non exeas donec reddas uſque ad noviſſimum quadrantem.

Novit ille qui ſcrutator eſt cordium quòd timore periculi tui & ovium mearum pro quibus debitor ſum, non ſolùm verba ſed animam meam ponere paratus ero. Hæc tibi paterna ſolicitudine & materna compaſſione perſuadeo, & qua affectione mater retinet renitentem parvulum ne ſe mittat in præcipitium; ea te ſi poſſem retinerem, licèt reclamantem & renitentem, ne curam tibi oblatam ſuſciperes, in tui & ovium illarum deſolatarum grande periculum. Sed te retinere nolentem non potero, niſi tibi obſtarent jura canonica, ſecundum quæ judicantur omnia in militante Eccleſia. Verùm eo ſolicitius tibi cavendum eſt, ne fortè in hac parte tibi obſtarent jura divina, ſecundum quæ judicandus, vel bene proficiens judicaturus es, in triumphante Eccleſia.

Quantumcunque amicè huic homini conſuluit Epiſcopus, noluit tamen ille ab ambitione deſiſtere donec Epiſcopatum Lich & Covent. adeptus erat A. D. 1240. quo non diu gavisus eſt. Vide Annales Burton, p. 292. Vide etiam Chron. de Mailros p. 204, & 206.

Reverendo Patri in Chriſto ac Domino E. Dei gratiâ Cantuar. Archiepiſcopo, totius Angliæ Primati, ſuus devotus Rob. permiſſione divina Eccleſiæ Lincoln. miniſter humilis ſalutem, & quam debitam tam devotam cum omni reverentia obedientiam. Epiſt. 26.

LIteras Paternitatis veſtræ eâ qua decuit reverentiâ recepi pro Abbate & conventu de Oſney: ex quarum tenore perpendi evidenter quòd ex parte ejuſdem Abbatis & Conventus, vobis fuerit ſuggeſtum & datum intelligi, me per ſequeſtrationem fructuum Eccleſiæ de Euere in cauſa extitiſſe quo minus Domino Boëtio, Domini Papæ familiari, ſolverint 50 marcas pro firma ejuſdem Eccleſiæ de anno præterito. Ne igitur circumveniri poſſitis in hac parte, veſtræ Paternitatis diſcretioni ſignifico, quòd prædicti Abbas & conventus fructus anni præteriti, pro quibus debent dictas 50 marcas, quas exigit dictus Dominus Boëtius, integrè & liberè perceperunt, abſque aliquo per me obſtaculo; nec à ſolutione dictarum 50 marcarum unquam per me, ſi rectè recolo, nec per ſequeſtrationem meam, quam rationabiliter feci, fuerunt vel ad momentum impediti; cum dictæ 50 marcæ debeantur pro fructibus autumni non proximò præteriti, quas ſequeſtravi, ſed ante præteriti etiam ante electionem meam. Noveritiſque me etiam fere in hac parte fuiſſe circumventum dato mihi intelligi quòd prædictæ 50 marcæ debebantur pro fructibus autumni proximò elapſi. Ad hæc, noverit veſtra paternitas quòd nunquam dicti Abbas & Conventus inſtrumenta ſua, ſi Rector Eccleſiæ de Euere jam obierit ſuper 50 marc. pro fructibus anni præcedentis, mihi confecerint, ſicut in literis veſtris ex eorum perſona aſſeritur; & quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum & Patrem meum de fraudulentâ circumventione, qua non fratrem ſed patrem circumvenire moliuntur plurimi. Circumvenit enim veſtram ſerpentinam prudentiam & columbinam ſimplicitatem aliquis Proteus, vultum mutans, Paternitati veſtræ conquerens ex parte Hug. de Ravell. quòd cum perſonatum medietatis Eccleſiæ de Windſord canonicè fuiſſet idem Hugo adeptus, ego eundem dicto perſonatu contra juſtitiam ſpoliavi: propter quod ad Dominum Papam & ad Vos ad tuitionem appellavit: ſuper cujus appellationis cognitione ſummaria, dediſtis eidem judices Cancellarium & Decanum Cantabrigiæ, qui me vocant coram ſe, in cauſam quod juſtum fuerit coram eis recepturum. In dicta itaque querimoniâ, ſi non ſtaretur in angulo generalis intentionis, qui intrinſecus ſordes colligit & fraudes involvit, extremo ſuo in fine puncturus penetrante acumine pœnæ gehennalis; ſed deſcenderetur ad planum & luminoſum ſpecialis veritatis, quæ non quærit angulos, ſed, ſicut dicit Salvator, liberat; compertum eſſet dictum Hugonem de Ravell. nullum perſonatum potuiſſe uſque ad hæc tempora ſine diſpenſatione canonicè fuiſſe adeptum: cum ipſe aſpectus evidenter doceat eundem dictum Hugonem junioris ætatis quàm Canones admittant ad perſonatum & regimen animarum. Inſuper quoque falſum vobis in hac parte ſuggeſtum eſt, cum dictus H. dictum perſonatum etiam de facto nunquam obtinuerit, ſed qualem qualem cuſtodiam, eamque, ut creditur, minus canonicè adeptam. Iterum intimatum fuit vobis ex parte dilectorum in Chriſto filiorum R. Archidiac. Buck & Magiſtri W. de S. Quintino, quòd cùm cauſa verteretur inter eos ex una parte, & Johannem de Crakhall canonicum Lincoln. ex altera, ſuper Eccleſia de Edelsberg coram me, dicti Archidiaconus & Magiſter W. in judicio comparentes,

parentes, me tanquam suspectum recusabant, eò quòd dictus J. fuit domesticus & commensalis meus, & eò insuper in eadem causa eorundem adversarius manifestus: propter quod dicti Archidiac. & Magister W. sedem Apostolicam & Vos ad tuitionem appellarunt. Unde & Vos super dictæ Appellationis summaria cognitione dedistis Judices Magistrum R. rectorem Ecclesiæ beatæ Helenæ & Decanum de Abingdon; cum nunquam tamen dictam causam personaliter audiverim, sed ad omnem tollendam suspicionem, commissariis omni suspicione de jure majoribus in eadem causa vices meas commiserim, semper paratus corrigere, si fortè in aliquo contingeret eosdem errasse. Quia ☞ igitur cura pastoralis me totum exigit, etiamsi gerere possem multorum millium personas in ea peragenda quæ directè tendunt in salutem animarum; ne hujusmodi frivolis appellationibus, verique suppressionibus & falsi suggestionibus elidere nitentium jurisdictionem ordinariam suorum prælatorum, extrahar ab his quæ Dei sunt, in ea quæ sunt mundi, seu potius in ea quæ sunt dissidii, ad pedes vestræ paternitatis provolutus humiliter supplico, quatenus contra prædicta eisque similia provideat vestra prudentissima discretio, quantum possibile est, remedia salubria; & prudentia divinæ sapientiæ quæ in vobis eminenter elucet, detegat laqueos astutiæ mundanæ, fugetque fraudis tenebras, iterque complanet volentibus dirigere pedes suos in viam pacis & salutis eternæ. Cæterum licet prolixitas paginæ tædiosa sit, nimirum vestræ magnæ occupationi, quum tamen non est molesta vestræ magnæ charitati, cum charitas omnia toleret, commoditatem necessariæ consultationis præponens vitationi prolixitatis, vestræ adhuc significo Paternitati, quia Dominus Rex & suum Consilium volunt me compellere, ut cum curiâ Regis proponitur contra aliquem de diœcesi mea exceptio bastardiæ, eò quod natus fuit ante matrimonium solenniter contractum inter parentes ejus, ego ad mandatum regni, in foro Ecclesiastico inquiram, an is contra quem sic excipitur natus fuerit ante matrimonium solenniter contractum, vel post; & quòd rescribam Domino Regi sub tali forma, videlicet, quòd natus fuit ante matrimonium solenniter contractum, vel quod fuit natus post matrimonium solenniter contractum. Et quia supersedi ad mandatum regni sub tali forma rescribere, citatus sum ut compaream in Curia Domini Regis super hoc responsurus. Dicunt etiam Dominus Rex & Consilium suum quod Vos, cum Episcopis, & Comitibus, & Baronibus Angliæ, in prædictam formam inquisitionis & rescriptionis consensistis. Supplico igitur attentius vestræ Paternitati quatenus per literas vestras me certificare dignetur, utrum in prædictam formam inquisitionis & rescriptionis, quemadmodum dicunt Dominus Rex & suum Consilium, consensistis: & si in præscriptam formam consensistis, instanter peto vestræ Paternitatis consilium quid in hoc casu mihi sit potius agendum. Si enim secundum præscriptam formam Dom. Regi rescribam, timeo incidere in manus Dei viventis: si verò secundum præscriptam formam denegem me rescripturum, vobis in præscriptam formam consentientibus, difficilis videtur evasio, quin incidam in manus hominum. Nisi igitur vestræ discretionis consilium me ab utroque dicto inconvenienti liberet, confidenter incidendum est potius in manus hominum, de quibus Deus potest eripere, quàm in manus Dei, de quibus non est qui possit eruere.

Epist. 27. *Reverendo Patri in Christo ac Domino E. Dei gratiâ Cantuar. Archiepiscopo totius Angliæ Primati, suus devotus Robertus permissione divinâ Lincoln. Ecclesiæ minister humilis, salutem, & quam debitam tam devotam cum omni reverentia obedientiam.*

NOverit Paternitas vestra quòd Abbas de Ramesey, ordinis beati Benedicti, suscepit mandatum Domini Regis in hæc verba —— *Henricus Dei gratia, &c. Abbati de Ramesey salutem. Sciatis quòd constituimus vos justitiarium nostrum ad itinerandum ad omnia placita nostra cum dilectis & fidelibus nostris Roberto de Lexinton, Olivero de Vallibus & Johanne de Hulecot, in Comitatibus Bedford. & Bucks & ideo vobis mandamus, rogantes quatenus prædictum Justitiaria unà cum prædictis & fidelibus nostris, vobis ad præsens assumere velitis; ita quod iter vestrum in comitatibus prædictis ad diem & locum quos vos & socii vestri ad invicem videritis expedire, incipiatis, talem diligentiam in hac parte apponentes, quòd diligentiam vestram ad hoc appositam non immeritò debeamus commendare, cum gratiarum actione speciali.* A. D. 1236. *Teste meipso apud Mortlak, 4°. die Maii, Anno regni nostri 20°.* Cum igitur secundum tenorem præscripti mandati præfatus Abbas constituatur justitiarius itinerans ad omnia placita regia, si idem Abbas suscipiat in se hujus onus justitiariæ, suscipiet officium & potestatem judicis etiam in causis sanguinis decidendis, &c. Sed si non licet alicui officium seu potestatem ordinariam aut delegatam in se suscipere, cui non licet ejusdem officii

officii ſeu poteſtatis actum exercere; liquet quòd hujus officii ſeu poteſtatis in ſe ſuſceptio, omni clerico, nedum Abbati ordinis beati Benedicti, eſt illicita: nec excuſatur à culpa licèt more ſolito ſurgat de ſede Judicis, quando in cauſa ſanguinis proferenda eſt ſententia condemnationis; præſertim cum talis ſurrectio evidens ſit apud omnes indicium quòd accuſatus abſque retractatione reportaturus ſit condemnationis judicium; & ſic talis judex quamvis non ore, tamen opere quodammodo judicium exerceat ſanguinis & efficitur de principibus Sodomorum, quibus exprobrat propheta quòd * manus eorum ſanguine plenæ ſunt. Præterea ſecundum canonicas ſanctiones & Conciliorum conſtitutiones, nulli licet clericorum juriſdictiones ſeculares ſub aliquibus principibus & ſecularibus viris, ut juſtitiarii eorum fiant, exercere; & ſiquis clericorum contra hoc venire præſumpſerit, ab Eccleſiaſtico miniſterio fieri debet alienus, religioſis, ſi auſu temerario hoc attentaverint, diſtrictius puniendis. Cum igitur non ſolùm ſecundum jura divina quibus interdicitur militantibus Deo, ſecularibus negotiis implicatio; ſed etiam ſecundum jura canonica & votum profeſſionis monaſticæ ſint, maximè monachis, officium, juriſdictio & exercitium hujuſmodi juſtitiariæ omnino illicita, ac per hoc coactio, præceptio, conſenſus & diſſimulatio talium illicitorum ab eo qui debet & poteſt impedire, vergant in detrimentum ſalutis æternæ, ad pedes veſtræ Paternitatis ſupplices provoluti, quanta poſſumus devotione rogamus quatenus Dominum Regem efficaciter moneatis & inducatis ut præſcriptum mandatum præfato Abbati deſtinatum revocet & retractet; ne Ipſe coactione vel præceptione, noſque conſenſu & diſſimulatione animarum noſtrarum æternum faciamus detrimentum. Exoramus etiam veſtram Paternitatem quatenus nobis ſignificare velitis veſtrum conſilium, ſi fortè Dominus Rex, quod abſit, ſupradictum mandatum ſuum ad veſtram exhortationem non revocet, & ſæpedictus Abbas, cujus animæ curam habemus, in animæ ſuæ diſpendium & religionis ſcandalum & Eccleſiaſticæ libertatis detrimentum præfatæ juſtitiariæ exerceat officium. Si enim in hoc caſu noſmetipſos non oppoſuerimus, ab exercitio hujus officii, monitione præmiſſa, præfatum Abbatem Eccleſiaſtica cenſura compeſcendo, proculdubio incidemus in illud propheticum Ezechielis,† Non aſcendiſtis ex adverſo neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael ut ſtaretis in prælio in die Domini; & in illud Canonicum,* Error cui non contradicitur, approbatur. Si verò nos oppoſuerimus, regii fortè miniſtri noſtras invadent & diripient poſſeſſiones: & cum hujuſmodi oppoſitio prius in his partibus non ſit attentata, erimus hujus mundi ſapientibus in deriſum & canticum tota die. Utrinque igitur imminet periculum; hinc temporale, illinc æternum. Sed cum ad minimi æterni periculi comparationem, quantumvis magnum periculum temporale nullam omnino habeat magnitudinem, imò nihil omnino ſit, pudet jam in hoc caſu conſilium quæſiviſſe; cum in ſolis ambiguis ſit conſiliandum; & utrinque imminere periculum dixiſſe; cum temporale, quod dicitur, periculum veraciter ſit nullum; ſed poſteriorum oblito & in anteriora ſe extendenti multo magis ſit compendium. Veſtrum igitur quàm poſſimus humili & affectuoſa ſupplicatione magis jam exoramus imperium, ut ſpreto quolibet temporali diſpendio pro libertate Eccleſiæ & animarum ereptione de æterni ignis incendio, confiſi de Dei adjutorio, quantum noſtra ſufficit parvitas, in caſu propoſito nos opponamus. Mea namque puſillanimitas veſtræ circumſpectæ fortitudinis imperio ſuffulta, poterit, juvante Domino, in veſtra fortitudine impulſibus malitiæ non concuti; quæ ſine tali fulcimine de facili poſſet pravorum molimine ſubverti.

* Iſai. 1. 15.

† Cap. 13. 5.

* Fort. Reg. 43.

Reverendo Patri in Christo ac Domino E. Dei Gratiâ Cantuar. Archiepiſcopo, totius Angliæ Primati, ſuus devotus Rob. permiſſione divina Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis, &c. ut ſupra. Epiſt. 28.

CUM paternâ & paſtorali ſolicitudine animæ meæ proximam geratis curam, in ambiguis animæ meæ ſtatum contingentibus veſtrum potiſſimum non ſolùm decet ſed oportet inquirere conſilium, & in imminentibus periculis apud vos tutiſſimum invenire refugium. Sanè ſatis innotuit veſtræ paternitati qualiter Regia poteſtas viros religioſos urget ut juſtitiariorum itinerantium ad omnia Domini Regis placita ſuſcipiant officium, & clericos, ut cum impetuntur in actione perſonali, laicalis poteſtatis ſubeant judicium. Intentat etiam Domini Regis excellentia parvitati meæ non mediocres minas, eò quòd auribus regiis intimatum ſit, me talibus quæ, ut credo, vergunt in animarum diſpendium & Eccleſiaſticæ libertatis præjudicium, obſtare velle, quaſi in hoc obſtare conarer Coronæ & dignitati Regiæ. Veſtræ quoque paternitatis diſcretio

diſcretio jam bis mihi ſignificavit quod ſicut viris ſapientibus & diſcretis viſum eſt, in hujuſmodi ſuperſedendum ſit & diſſimulandum uſque ad Concilium à vobis celebrandum. Quia igitur in his hinc inde vehementer pulſantibus in diverſa; animæ meæ timeo periculum, volens animæ meæ ſaluti (pro qua bonam rationem debetis reddere in diſtricto examine in die judicii) à veſtræ paternitatis ſolicitudine diſtrictius conſuli, quæro à vobis mihi evidenter & planè reſponderi, utrum religioſi gerentes officium juſtitiariæ hujuſmodi, & clerici, cum impetuntur in actione perſonali, ſubjicientes ſe judicio laicali, peccent, annon? ſi enim in his non peccant, leviter ferendum eſt quod in hac parte faciunt; ſi verò in his peccant, nunquid vos, & ego, qui tenemur pro illis animas noſtras ponere, poſſumus ſine peccato eorum peccato non ſtatim occurrere & eos aliquandiu in fovea peccati dimittere, ut poſtea cum maturiori conſilio eoſdem extrahamus à peccati puteo? Quod autem in hac parte peccent tam religioſi quàm clerici, videtur evidenter poſſe monſtrari: Cum enim omnes teneantur obedire ſtatutis ſummi Pontificis & ſanctionibus canonicis, juxta illud præceptum Apoſtoli,
* Heb. 13.17. * Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis; ſi contra canonicas ſanctiones manifeſtè veniunt, nonne inobedientes ſunt, & quaſi peccatum ariolandi repugnando; & ſcelus idololatriæ non adquieſcendo, committunt? Secundum canonicas autem ſanctiones fas non eſt publicarum rerum nexibus implicatos, divinis ſervituros applicare miniſteriis. Nunquid ergo è converſo fas eſt religioſos divinis miniſteriis non ſolùm ſimpliciter ſed ex voto profeſſionis applicatos publicarum rerum nexibus implicari? Nonne ſecundum vocem
† Cant. 5. 3. ſponſæ † expoliaverunt ſe hac veteri tunica? quomodo igitur rurſum induentur illâ? la-
* Al. inquinationibus. verunt pedes ſuos ab his * iniquitatibus: quomodo iterum inquinabunt illos? Epiſcopus, ut dicit Canon, aut ſacerdos aut diaconus nequaquam ſeculi curas aſſumat: ſin aliter, dejiciatur. Quid igitur monachus qui non ſeculi curas ſed & ſeipſum ex voto abnegavit? Nonne item Gregorius Romano defenſori diſtrictius præcepit, ut ſtatim Baſilium Epiſcopum velut unum de laicis in cauſis ſecularibus occupatum & prætoriis inutiliter ſervientem (quoniam hæc res ipſum vilem reddidit & reverentiam ſacerdotalem annihilavit) ad revertendum eum diſtricta executione compelleret? Nunquid autem eadem res Abbatem ſimiliter non reddit vilem, & reverentiam religionis adnihilat; aut quod Romano defenſori præceptum eſt diſtrictius, non præcipitur ſub conſimili diſtrictione Pontifici? Quomodo igitur Abbas velut laicus cauſis ſecularibus occupatus, ac per hoc ſe vilem reddens & reverentiam religionis adnihilans, aut Pontifex ejus niſi ad revertendum eum diſtricta executione compellat, non peccat? In Concilio quoque Lateran. prohibitum eſt, ne quiſquam clericorum præſumat juriſdictiones ſeculares ſub Principibus & ſecularibus viris, ut juſtitiarius eorum fiat, exercere; & ſiquis adverſus hoc venire tentaverit, ab Eccleſiaſtico fiat miniſterio alienus. Diſtrictius verò decernuntur puniendi religioſi, ſi tale aliquid auſi fuerint attentare. Plurima ſunt etiam alia Canonum loca, quæ vos & veſtrum Conſilium incomparabiliter melius noviſtis quàm ego; in quibus evidenter prohibetur non ſolùm religioſis, ſed & clericis, ne judices ſeu cognitores ſecularium negotiorum exiſtant, ne aliqua occupatione prorſus mundialis negotii inveniantur perplexi. Quomodo igitur Abbates officium Juſtitiariæ ſecularis exercentes, ac per hoc Canonum inſtitutis inobedientes, in hoc à peccato ſint immunes, nequaquam video. Quinimo etiam clericos quoſcunque infra ſacros ordines conſtitutos in hoc caſu à crimine inobedientiæ excuſare neſcio. Videntur & clerici, qui, cum impetuntur in actione perſonali, ſubjiciunt ſe judicio laicali, per inobedientiæ delictum & libertatis Eccleſiæ violationem, manifeſtè peccare: cum Canones prohibeant clericos apud ſecularem judicem accuſari, & à nemine laico dijudicari poſſe affirment, eumque qui cœleſtem militem pulſat, non niſi ejus debere forum ſectari, plurimaque talia ſanciant, ex quibus videtur ſufficienter poſſe colligi, quòd clericus ante civilem judicem non ſit conveniendus, niſi fortè principaliter agatur de feodo laicali.

Si igitur religioſi peccent ſeculare Judicium exercendo, & clerici in actionibus perſonalibus accuſati, ſeculari judicio ſe ſubjiciendo: nunquid & nos qui curam eorum paſtoralem habemus, non peccabimus, etiam ſemel eos hoc modo peccare permittendo? Nunquid ſi hoc vel ſemel permittimus, cum obſtare poſſimus (licet fortè non ſine temporali diſpendio) non erimus ſicut murus dirutus & maceria depulſa? non ſuſcipientes prius nec repellentes petrariorum ictus, ſed ad cives occidendos, qui ſub munimine noſtro tuti eſſe deberent, lapidibus de petrario proruentibus patentem & liberum dantes progreſſum. Nunquid ſic non erimus mercenarii, videntes perſecutionem imminentem, quaſi lupum venientem, dimittentes oves & fugientes? Perſecutio enim Regiæ poteſtatis, quæ religioſos & clericos ad prædictum compellit, ſi ea faciendo peccent, quid aliud eſt quàm lupus

lupus morte peccati ad quod trahit oves occidens? Nos verò ſi perſecutioni non occurramus, ejus impetum prius ſuſtinentes, & ne oves noſtras peccato occidat fortiter obſiſtentes, quid aliud ſumus quàm paſtores viſo lupo timidè fugientes? Præterea ſi clerici libertati Eccleſiæ derogant & ſic matrem Eccleſiam inhonorant, ac per hoc peccant cùm ſeculari judicio ſe ſubjiciunt: Nos prælati qui ad mandatum regium compellimus eos ſuper delicto accuſatos in foro laicali reſpondere, non ſolùm trepidè fugiendo, eoſdem à lupo crudeliter occidi damnabiliter permittimus, ſed magis ipſimet, pro quibus fortiter mori debemus, in mortem atrociſſimè detrudimus. Abſit hoc procul ab animarum epiſcopis & paſtoribus; quibus, ut dilucidè noviſtis, & præclarè frequenter docuiſtis, magis eligendum eſt non ſolùm omnium terrenorum detrimentum facere, ſed etiam mortem acerbiſſimam & probroſiſſimam, ſi poſſet etiam infinities, ſuſtinere, quàm vel ſemel peccare.

Nec eſt præſulum peccatum in hujuſmodi mediocre; præſertim ſi contra ſtatuta Canonum & decretalium Epiſtolarum talia permittendo ſeu faciendo veniant; cum in conſecrationibus ſuis ſolenni voto promiſerint traditiones orthodoxorum Patrum ac decretales ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis conſtitutiones ſe † veneranter ſuſcepturos, docturos atque ſervaturos. † reverenter. Id.

Quapropter Paternitatis veſtræ ſanctitatem obteſtor & adjuro per tremendum Judicium, quatenus evidenter & dilucidè mihi reſcribat, ſicut bonam redderet rationem pro me in eodem diſtricto examine, Utrum religioſi & clerici præſcripta faciendo, & Prælati qui curam eorum gerunt hæc aliquando permittendo vel diſſimulando, vel, quod magis eſt, ad mandatum regium ad talia compellendo, vel ob timorem inſurgentis adverſitatis correctionem talium, dummodo interim agantur, differendo, peccent, vel non? quidque mihi meiſque ſubditis, non ſecundum conſilium mundanæ ſapientiæ, quæ deorſum eſt, nec etiam humanæ ſapientiæ, quæ de medio eſt; ſed divinæ ſapientiæ quæ de ſurſum eſt, in tot & tantis è diverſo venientibus impulſibus, ſit certè & determinatè faciendum? Et ſi in præſcriptis peccetur, hic eſtote murus æneus omni perſecutionis impulſui pro noſtra puſillanimitate * prius oppoſitus: Hic eſtote dux in caſtris Iſrael, præliantes prælium Domini cum viro fortiſſimo Juda Machabæo, accipientes armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare; ſuccincti lumbos in veritate, induti loricam juſtitiæ & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi extinguere; & galeam ſalutis aſſumentes & gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei. Sic enim armati præcedentes ſcapulis veſtris obumbrabitis nobis; & ſub pennis veſtris ſperabimus, & cadent à latere veſtro mille & X. millia à dextris veſtris: ad vos autem non appropinquabit laqueus venantium neque verbum aſperum, quia * ſanctiſſimo prædeceſſori veſtro Martyri Thomæ invictiſſimo mandavit de vobis ut cuſtodiat vos in omnibus viis veſtris, qui in manibus portabit vos ne unquam offendatis ad lapidem pedem veſtrum, &c.

* Deeſt [prius].

* Pars iſta clauſulæ de Thomâ martyre (ſc. à Beckett) videtur eſſe ſuppoſita & ſubornata à quodam monacho inepto & ſuperſtitioſiſſimo, ab eoque inſpirato qui hæc ipſa verba in Chriſto tentando uſurpavit (S. Matt. 4. 6.) In exemplari enim correctiſſimo (licèt imperfecto) Collegii Sidnenſis (quod olim erat Eccleſiæ Dunelmenſis; cui pars bibliothecæ Groſſeteſtianæ devoluta eſt per ſocordiam monachorum Oxonienſium, quibus legabatur, qui non magis ejus intellexerunt precium, quàm gallus Æſopicus gemmæ) ſic ſcribitur ——— In omnibus viis veſtris portabit vos angelus Domini, ne unquam offendatis ad lapidem pedem veſtrum. Hinc autem diſce, lector, unde nobis ſunt libri adeo corrupti, ut ſi eorum authores huc redirent, & quæ pro ſuis venditantur legerent, deteſtarentur falſarios; & hominum mendacia perterriti, in cœlum afflicti revolarent.

Epist. 29.

Excellentissimo Domino suo Henrico Dei gratiâ Illustri Regi Angliæ, Domino Hiberniæ, Duci Normanniæ, Aquitan. & Comiti And. Robertus divina permissione Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem, & quàm debitam tam devotam cum sincerâ dilectione reverentiam.

CUM summus Pontifex personas crucesignatorum & ipsorum bona, ex quo crucem assumpserunt, sub beati Petri & sua protectione suscipiat: necnon & eadem sub Archiepiscoporum & episcoporum & omnium prælatorum Ecclesiæ defensione consistere jubeat: Prælatos quoque qui in exhibenda justitia crucesignatis & eorum familiis negligentes extiterint, graviter puniendos esse decernat, eosque qui contrarie præsumpserint per Ecclesiarum prælatos, appellatiône postposita, censurâ Ecclesiastica compescendos esse constituat: hæc omnia attendens, ne negligentiæ reatum & inobedientiæ crimen cum pœnis sibi deputatis incurram, Dominationem vestram, quanta possum devotione, per præsentem paginam & dilectum in Christo filium Abbatem de Dork' exorandam duxi, exhortandam & commonendam in Domino, quatenus * Richardum Syward militem parochianum meum, ministerio mei licèt indigni crucesignatum, à carcere & vinculis liberari faciatis, attendentes, si placet, quòd crucesignati per ipsam crucis assumptionem se devovent & sanctificant in defensionem fidei Christianæ & infidelitatis oppugnationem usque ad sanguinis effusionem & mortem. Si igitur terram assignatam & sanctificatam in sepulturam mortuorum & vasa assignata & sanctificata in varia Ecclesiæ ministeria non licet Regiæ potestati disponere, occupare aut invadere; cum tamen hæc & hujusmodi omnia sint incomparabiliter minora homine; & eorum sanctificatio, hominis sanctificatione; ministerium quoque in quod sanctificantur talia, minus ministerio defensionis fidei & oppugnationis infidelitatis usque ad effusionem sanguinis; quomodo licebit eidem potestati hominem crucis signatione devotum & sanctificatum in tantum ministerium, quo in vita ista non potest majus aut † sanctius inveniri, carceralibus vinculis mancipare; nisi fortè post crucis signationem suam prophanaverit sanctificationem, aut ante crucis assumptionem sic fuerit prophanatus quòd * sanctificari in ministerium divinum conversione per crucis signationem fuerit indignus? Si itaque prædictus miles super hujus prophanatione non sit convictus, Misericordia & veritas, quæ, sicut dicit Solomon, custodiunt Regem, & clementia qua roboratur thronus ejus, & hilaritas regia, quæ descendit sicut ros super herbam, prædicti militis piam & citam stillent liberationem, ad honorem Crucifixi & libertatis Ecclesiasticæ dilatationem: cujus locum tentorii, sicut monet Isaias [cap. 54. 2.] dilatavit & pelles tabernaculorum extendit & funiculos longos fecit cordis vestri latitudo, quam vobis cum Solomone dedit Deus sicut arenam quæ est in littore maris, ut per Spiritum Sanctum in corde vestro diffusum ad omnes se latè longéque diffunderet per beneficiorum magnificentiam, & largissimam præstationem; ad nullos autem se coarctaret per eorum subtractionem, cum maximè sit magnificum & regiæ magnanimitati congruum & Evangelicæ † perfectioni consonum etiam inimicis benefacere.

* Frequens ejus mentio apud M Paris. quo teste assumpsit crucem A. D. 1236, pag. 431.

† Scilicet!

* In Cod. Syd.—quòd sanctifica ione i. e. in minist—

† Evangelicæ veritati. id.

Epist. 30.

*Viro nobili Domino * Ph. de Kima, Rob. Divinâ permissione Lincoln. Episcopus, salutem & sincerum charitatis affectum.*

* Obiit 1242. M. Par. p. 584.

SCriptum est, Charitas patiens & benigna est, ideoque tolerat æquanimiter gravia & aspera, non solùm cum justa sunt, sed etiam cum sint injusta. Scimus autem quòd asperum & grave videtur vobis, quòd in domo vestra de Kimâ, auctoritate concilii Priorem instituimus: Sed si ferveat in vobis charitas; sine qua regnum Dei nullus possidebit, non graviter & asperè hoc feretis; præsertim cum in hoc facto nihil injustitiæ fuerit admixtum: nec nos, teste Deo, qui est scrutator cordium & cognitor secretorum, vestro juri quod salvum vobis esse cupimus, in aliquo derogare intenderimus: & si negotium velletis subtilius perscrutari, animadverteretis non esse grave vel asperum, quod hucusque graviter & asperè tulistis. Nunquid enim grave est quòd minus idoneo rationabiliter repulso, magis idoneus & vobismetipsis, ni fallamur, utilior, sine præjudicio juris alicujus substituitur? an hoc vos gravat quòd in hoc facto, vestro non sumus usi consilio? non solet, sicut nec debet patronorum in hoc casu requiri consilium. Unde

noverit

noverit veſtra diſcretio, quòd caſſatis à nobis pluribus electionibus in Monaſteriis, quæ ſunt de patronatu Domini Regis, irrequiſito penitus ejus conſilio, auctoritate Concilii, prælatos dedimus in eiſdem, quos miſſos ad ipſum cum literis noſtris ordinationem noſtram continentibus, Ipſe ſui gratia ſine dilatione benignè ſuſcepit, & in bonorum temporalium poſſeſſionem miſit. Non pigeat igitur vos Domini Regis exemplum imitari, ſed in ulnis charitatis veſtræ Priorem quem ſecundum Deum canonicè inſtituimus, dulciter ſuſcipite: præſertim cum ipſe vir honeſtus ſit & religioſus & ad prioratum acceſſerit non ſponte ſed coactus. Si in hoc vos quiſquam læſerit, non ille, ſed nos læſimus, qui renitentem compulimus. Ipſum igitur veſtra foveat benignitas; à nobis verò exigat læſionis, ſiqua fuerit, emendationem, Nos enim ſub hac conditione veſtro beneplacito ſatisfacimus, & in aliis & in hac parte, quantum poterimus inoffensâ rectitudine juſtitiæ.

Robertus Dei gratia Lincoln. Epiſcopus dilectis in Christo filiis W. Decano & Capitulo Lincolnienſi ſalutem, gratiam & benedictionem. Epiſt. 32.

CUM domus Dei, teſtante propheta, * Filioque Dei, domus ſit orationis, nefandum eſt eam in domum jocationis, ſcurrilitatis & nugacitatis convertere, locumque Deo dicatum diabolicis adinventionibus execrare: cumque circumciſio Domini noſtri Jeſu Chriſti prima fuerit nec modicùm acerba ejuſdem paſſio, ſignum quoque ſit circumciſionis ſpiritualis qua cordium præputia tolluntur, & omnes carnales voluptates ſenſuumque libidines amputantur; execrabile eſt Circumciſionis Domini venerandam ſolennitatem libidinoſarum voluptatum ſordibus prophanare. Quapropter vobis mandamus in virtute obedientiæ firmiter injungentes, quatenus feſtum ſtultorum, cum ſit vanitate plenum & voluptatibus ſpurcum, Deo odibile & dæmonibus amabile, de cætero in Eccleſia Lincoln. die venerandæ ſolennitatis circumciſionis Domini nullatenus permittatis fieri.

* Iſai. 56. 7. S Matt. 21. 13.

Sanctiſſimo Patri & Domino excellentiſſimo G. Dei gratia ſummo Pontifici, ſanctitatis ſuæ ſervus Robertus divina permiſſione Lincolnienſis Eccleſiæ miniſter humilis, cum omni ſubjectione & reverentia devotiſſima, beatorum pedum oſcula. Epiſt. 35.

ETSI ex generali debito ſubjectionis, quo non ſolùm populus Chriſtianus, ſed totum humanum genus obligatur, & ſine cujus ſolutione nullus ſalutem conſequitur, debitor ſum veſtræ Paternitati ſanctiſſimæ, & excellentiſſimæ Dominationi, plenitudinis obedientiæ & reverentiæ, honoris & timoris; ſpecialis tamen prærogativa virtutum veſtrarum & eximia refulgentia devotionem parvitatis meæ excitat ſuaviter, ſtimulat acriter & urget fortiter ad exhibenda prædicta quatuor eiſque ſimilia non ſolùm in menſura bona & plena ſed etiam in conferta & coagitata & ſupereffluente. Cujus enim mentis aſpectum in ſui non raperet admirationem & ſtuporem, cujus quoque affectum in ſui non cogeret inſuperabilem & invincibilem ab omni terrore, inſeparabilemque dilectionem, ſuperfervidus veſter zelus animarum, ſuperabundans largitio eleemoſynarum, ſupereminens charitas familiaris dilectionis religioſorum, ſuperanxia ſolicitudo non ſolùm omnium Eccleſiarum, ſed & omnium regnorum, ſuper quæ cum gentibus ſuis conſtituti eſtis, vice Jeremiæ, ut evellatis & deſtruatis & diſperdatis & diſſipetis & ædificetis & plantetis? Veſtræ igitur tanto virtutum jubare oculos, etiam cæcutientium, ubique feriente refulgentiſſimæ ſanctitati, ex devotione non quantâ vellem ſed quantâ valeo, pronus offero inprimis munus ſpiritus mei æſtuans, videlicet deſiderium ad exhibendum Veſtræ ſanctiſſimæ paternitati obedientiam & honorem, & excellentiſſimæ Dominationi reverentiam & timorem, ſi, cooperante Domini gratia, vires agendi correſpondeant æſtui deſiderii, non ſolùm, ut ſupra dixi, in menſurâ, plenâ ſed etiam in conferta & coagitatâ & ſupereffluente. Non enim decet faſtigium poteſtatis ornatum ſupereminenti claritate veritatis, honorari ſolùm ex neceſſitate debitis, ſed multò amplius ex bona voluntate gratuitò ſupererogatis; quanquam & omnia quæ videntur ſupererogata, facilius dixerim tantæ tamque venerandæ Excellentiæ diſtrictius debita. Et quia motio affectionis in ſpiritu non manifeſtatur in via hujus vitæ, niſi per motionem actionis in corpore, ut munus ſpiritus præoblatum ſanctitatis veſtræ fulgori, non maneat penitus occultum,

offero etiam me paratissimum, secundum parvitatis meæ modulum ad labores corporis, quos imposuerit nutus vestræ præceptionis. Nec sub vestræ præceptionis imperio, terrebit me, licèt viribus parvulum, favente Spiritu Sancto, præcepti laboris magnitudo; cum dicat Apostolus, * Omnia possum in eo qui me confortat; & cum vis amicitiæ, quæ minor dinoscitur virtute obedientiæ, res impossibiles, ut aiunt mundi sapientes, ad possibilem redigat facultatem: cumque in regula sua dicat beatus Benedictus, sicui fratri aliqua fortè gravia aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine & obedientia; & si in sua sententia Prioris imperium perduraverit, sciat minor ita sibi expedire, & ex charitate confidens de adjutorio Dei, obediat. Si igitur etiam impossibilia aggrediendum est fortiter & confidenter ad prioris imperium; quanto magis ad ipsius nutum, qui non statuitur in gradu prioris, sed in gradu primo, in loco videlicet Petri Apostolorum orbisque totius principis. Et quia animi mei devotionem nondum ostendere potuit vestræ sanctitati laboris alicujus impositi obediens & grata assumptio, seu assumpti laboris pro viribus parvitatis meæ diligens executio; in devotæ subjectionis saltem parvulam ostensionem, quod possum facio, munusculum videlicet modicum, maximo mittere minimus confidenter præsumo; sciens veraciter quòd vestræ sanctitatis supereminens charitas non ponderat donum ex mole suæ magnitudinis, sed ex sincerâ devotione donantis, quanquam tantæ potestatis sanctitati nil reputem me posse dare quasi de alieno, sed solùm offerre velut ex suo proprio. Incolumitatem vestram conservet Altissimus mihi & Ecclesiæ suæ per tempora longa.

* Phil. 4. 13.

Epist. 36. *Venerabili in Christo Patri Domino Ægidio, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Robertus permissione divina Lincoln. Ecclesiæ minister humilis, salutem, & quàm debitam tam devotam cum omni honore reverentiam.*

SIcut super mundi cardines mundus innititur, eorumque fulcimine supportatur, ut opinati sunt & scripserunt quos mundi labor agitavit: sic super sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, orbis terrarum qui non commovebitur, & universalis Ecclesia quæ nullis commotionibus à stabilitate fidei dejicietur, fixè innititur, & ab eisdem fortiter & firmiter sustinetur: ipsi enim sunt * quos vocat Psalmus † fundamenta orbis terrarum: ipsi sunt de quibus in Job scribitur, * Sub quo curvantur qui portant orbem: dum enim curas Ecclesiæ oneraque cunctorum tolerant, quasi sibi superimpositum orbem portant, & sicut in mundo visibili sol iste conspicuus suo præminenti lumine mundi tenebras purgat, singulariterque mundum illustrat, motuque suo ordinatissimo, ut opinantur mundi sapientes, cæterosque motus corporales naturales ordinat & regulat; sic in orbe Ecclesiæ summus Pontifex vicem solis obtinet præcellenti luce doctrinæ & eximiorum operum, mundum purgans errorum tenebris ad veritatis convictionem, singulari prærogativa eundem illuminans, omnes etiam motus actionum in universali Ecclesia sua dispositione ordinans regulans & gubernans. Quemadmodum igitur, ut sentiunt hujus seculi exquisitores prudentiæ & intelligentiæ, mundi status, decor & ordo, post mundi Conditorem angelicosque spiritus ad Conditoris nutum administrarios, debent se soli visibili, mundique cardinibus; sic, ut veraciter sentiunt qui quæ sursum sunt sapiunt, post mundi Conditorem & Redemptorem, curiamque cœlestem ex spiritibus beatis angelorum & sanctorum adunatam; status, decor & ordo universalis Ecclesiæ debet se suo soli, suisque cardinibus; hoc est, summo Pontifici sibique assistentibus cardinalibus; ideoque Romanæ Ecclesiæ debetur ab universis Ecclesiæ filiis devotissima obedientia, honoratissima reverentia, ferventissimus amor, subjectissimus timor; & hæc & his similia ab eis debentur obligatius & fortius qui per sublimitatem gradus Ecclesiastici fastigio Ecclesiæ, i. summo Pontifici & cardinalibus adhærent proximius: & sicut in cœlesti hierarchiâ, unusquisque inferior ordo angelicus, prout summo capiti Deo, sibique immediatissimè assistenti supremo ordini adhæret proximus, ab eodem suscipit intelligentiæ lumen limpidius & charitatis ardorem ferventius, assistendique stabilitatem firmius & actuum ministrandi nobilius; itemque secundum gradus majoris approximationis, sublimiorisque à Patre luminum susceptæ illuminationis, fortius & consummatius in ejusdem Patris assurgit incessabiles gratiarum laudes & omnium imperatarum actionum obedientes, promptas & efficaces expletiones: sic & in hierarchiâ Ecclesiastica, qui sacri principatûs ordinem & universalis Ecclesiæ unitatem non deserunt, quo sublimiores sunt in dignitatis Ecclesiasticæ gradibus, eò à summo Pontifice sibique conjunctissimè assistentibus

* Nondum intellexerat Episcopus Romæ mysterium; cum tam putidè detorqueat & depravet sensum S. Scripturæ.
† Psalm. 18. 16.
* Job. 9. 13.

tibus

ribus Cardinalibus lumen doctrinæ fidei & moderamen, quo oportet & decet in domo Dei converſari, ſuſcipientes, propinquius rependunt & mentis ſpontaneam devotionem & injunctæ actionis executionem efficacius. Quia igitur & ego, licèt indignus, in dignitatis Epiſcopalis gradum ſum ſublimatus, fateor me tanto arctius & obligatius ſubjectionis & obedientiæ ſummo Pontifici, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ conſtitutum debitorem, quò gradum adeptus ſum altiorem.

Deſiderans igitur, non coactus ſed ſpontaneus, prædicti debiti ſanctiſſimo Patri ſummo Pontifici & ſibi aſſiſtentibus venerabilibus patribus S. R. E. Cardinalibus ſolutor fieri, nunc præſentis paginæ inſinuatione, aliàs per Dei gratiam alteriuſmodi oſtenſione, votum devotæ ſolutionis veſtræ ſpecialiter diſcretioni volui notificare, rogans quàm poſſum humili & devoto affectu, quatenus in hoc meo voto ſuſcipiat me favorabiliter benignitatis veſtræ devotio. Vobis autem præ cæteris venerabilibus patribus S. R. E. Cardinalibus confidentius prælegi ſcribere, quia veſtræ magnificentiæ virtutes ex quorundam fido relatu novi amplius, & quia, ſi recolitis, quando fui archidiaconus Leiceſtrenſis pro ſpeciali & amiciſſimo mihi in Chriſto Magiſtro P. bono nepote veſtro, in archidiaconatu prædicto beneficiato, mihi ſubſcripſiſtis familiarius; in familiarem igitur & ſpecialem dilectionem pronus in terram rogo, me veſtrum ſpecialiter veſtra ſuſcipiat benignæ charitatis amplexatio.

Viro venerabili, in Christo chariſſimo fratri Reimundo, ordinis fratrum prædicatorum, Robertus permiſſione divina Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem & ſincerum in Domino charitatis affectum. Epiſt. 37.

ETSI faciem veſtram corporalem non viderimus, credimus tamen firmiter nos noſſe vos, quia ex fido relatu mores veſtros & opera ſapientialia referentium, faciem novimus hominis veſtri interioris: & niſi cognitio faciei interioris eſſet vera cognitio hominis, nullus ſeipſum veraciter noſcet cum faciem propriam exteriorem nullus videat. Vobis igitur non quaſi ignoto, ſed quaſi cognito, confidenter ſcribimus, imo potius quaſi præſentes vos alloquimur, cum conjunctior ſit animorum ſeſe in Chriſto amantium quàm poſſit eſſe corporum præſentia. Veſtram itaque quam brachiis charitatis in Chriſto arctius amplexamur præſentiam, quæ non expectat meritis præveniri, ſed gratuitò prævenire feſtinat, omni qua poſſumus devotione rogamus, quatenus ſolicitudinis illius quam omnibus Eccleſiis vigilanter & indefeſsè cum ſumma diſcretionis prudentia impartimini, particulam aliquam negotiis noſtris imò Eccleſiæ nobis (licèt indigno) commiſſæ, per S. clericum noſtrum, latorem præſentium, vobis plenius exponendis impertiri dignemini, intuitu Domini noſtri Jeſu Chriſti & confidentiæ quam de veſtra benignitate reportamus, prædicta negotia diligenter examinantes ſuperflua reſecando, imminuta addendo, diſtorta dirigendo, injuſta, ſiqua ſunt, penitus abjiciendo, ut de ſub veſtræ correctionis lima, per veſtrum prudens conſilium & efficax adjutorium à manu ſummi artificis, hoc eſt ſummi Pontificis, formam recipiant plenæ conſummationis. Hoc autem in calce hujus pagellæ coram Deo loquentes Charitati veſtræ, quæ, ſicut ſcriptum eſt, omnia credit, veraciter aſſerimus, quòd in his negotiis quæ per veſtræ benignitatis prudentiam promoveri cupimus, nihil tranſitorium, ſed ſolam æternam ſalutem quærimus animarum.

Viro venerabili in Chriſto chariſſimo fratri Ernulfo, Domini Papæ pænitentiario, Robertus permiſſione divina Lincolnienſis Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem. Epiſt. 38.

CHaritati veſtræ, quæ ſicut nos prævenit cognitione, ſic etiam prævenit ſpirituali dilectione, inſuperque beneficii præſtantiſſimi exhibitione, ſicut partim veraciter didicimus ex fidâ plurium relatione, partim verò ex bonæ memoriæ fratris Adæ Rufi dilectiſſimi nobis in Chriſto quondam diſcipuli, tunc verò amici ſpecialiſſimi, nunc autem, ut piè ſperamus, in curiâ ſummi judicis patroni, reſcriptione, gratiarum actiones non quantas vellemus, ſed quantas poſſumus, cum ſumma devotione refundimus. Et quia primaria & ſpontanea largitio beneficii primarium largitorem, ut ſentit philoſophus, conſtituit ad ampliora debitorem, jam non ſolùm quaſi ſpontaneum beneficium tota devotione ſuppliciter exoramus, ſed etiam quaſi conſtitutum debitorem vos interpellando

pellando coarctamus, quatenus negotiis nostris expediendis per S. clericum nostrum, latorem præsentium vestræ discretioni plenius exponendis, consilium & auxilium taliter præstare velitis, ut illum zelum animarum quo generaliter fervetis in omnium filiorum Universalis Ecclesiæ salutem, Nos & filii Ecclesiæ nobis licèt indignis commissæ efficaciâ speciali sentiamus nobis profuisse; & eò si placet, efficacius, quò, teste Deo, non aliud quàm salutem animarum in dictorum negotiorum expeditione quærimus: rogamusque toto affectu vestram dilectionem, quam gratuitò sine nostris meritis nos præamplexantem brachiis vestræ dilectionis, quantum arctè possumus in Christo reamplexamur, quatenus si in petitionibus nostris aliquid deprehenderitis quod in salutem animarum non proficiat, illud amputet vestra discretio, proculque abjiciat, cum plurimum dedeceat Episcopum curare nihil, vel modicum, nisi quod in salutem intendat animarum, cum nomen episcopale resonet *in superna intendere.*

Epist. 40. *Viro venerabili, in Christo charissimo fratri Jordano generali priori fratrum prædicatorum, Robertus permissione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & sincerum in Domino charitatis affectum.*

CRedimus vestram charitatem memoriter tenere quantâ familiaritate, cum fuistis Oxoniæ, vestra dulcis affabilitas ad privata nos suscepit frequenter colloquia, quantaque charitate sine nostris meritis gratuitò vestri gratiâ nos amplexati estis; & quia charitas nunquam excidit, sed in hujus vitæ curriculo, ubi non deficit semper crescit, scimus quòd nos nunc non minus quàm tunc, sed multò amplius diligitis: ex hac itaque familiaris dilectionis vestræ certitudine confidenter vos rogamus quatenus intuitu Dei scribere velitis affectuosè & efficaciter aliquibus de fratribus vestris stantibus in curia, quatenus negotiis nostris promovendis & expediendis, in quantum pertinet ad honorem Dei & Ecclesiæ & animarum salutem, diligenter & efficaciter intendant. Cæterum non latet vestræ charitatis discretionem quòd nostra dioecesis qualibet aliâ in regno Angliæ constitutâ multo sit latior & copiosa plebis multitudine repletior; ideoque & nos pluri & efficaciori indigemus auxilio in verbi Dei prædicatione, confessionum auditione, poenitentiarum injunctione, prudentiori quoque consilio in variorum & novorum casuum quotidie emergentium, secundum scripturarum intelligentiam sana & salubri determinatione: nec novimus tam efficacem in hac parte coadjutorem quàm fratrem J. de sancto Ægidio, cujus animus nostram in hac parte contuens indigentiam & necessitatem summam ad nostræ voluntatis preces sui gratia inclinatur, si vestræ charitatis interveniat licentia & assensus. Quapropter ad vestræ benignitatis pedes proni humiliter provoluti, quàm possumus humili devotione supplicamus, & adjuramus per aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, & per compassionem suæ dulcissimæ matris quæ transfixa est astans in cruce pendenti, quatenus petitioni nostræ aures vestræ compassionis inclinantes prædictum fratrem J. licentiare, imò eidem præcipere velitis quatenus benignè lateri nostro adhæreat, existens nostræ imbecillitatis fulcimentum, nostræ insufficientiæ supplementum, nostri torporis excitamentum, titubantis erectio, hæsitantis propulsio, tribulati consolatio. Vestrum igitur beneplacitum prædicto fratri Johanni & nobis super his per latorem præsentium significare velitis.

Epist. 41. *Viro venerabili, in Christo charissimo fratri Heliæ ministro generali fratrum minorum Robertus permissione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & sincerum in Domino charitatis affectum.*

QUIA filii vestri, fratres minores in Anglia sui gratia specialiter & arctius brachiis charitatis nos amplexantur, nec potest affectio paterna à filiorum affectione sejungi, neque vis motiva capitis non agere in actu motionis membrorum, certi sumus quòd vestra charitas saltem in eorum dilectione sincera, nos sincera dilectione in Christo complectitur: ideoque quasi ad fidum in Christo amicum confidenter scribimus, omni qua possumus affectione devotè supplicantes quatenus intuitu Dei & salutis animarum scribere velitis fratribus vestris stantibus in Curia ut negotiis nostris promovendis & expediendis diligenter invigilent, quatenus eadem negotia tendunt ad honorem Dei & Ecclesiæ & animarum salutem. Neque enim per sanctos Deoque dicatos alia

alia quàm sancta decet nos velle expediri. Et quia fratres vestros nos specialius & ferventius diligentes, specialius & affectuosius cæteris hominibus coram Deo redamamus, desideramus etiam in vos qui caput eorum estis, totum igniculum nostræ dilectionis effundere, cujus desiderii oblationem benignè, rogamus, suscipiat vestræ charitatis humilitas, cum hac oblatione nil habeamus quod offeramus pretiosius: Ad hæc, quia nostra dioecesis qualibet aliâ in regno Angliæ constitutâ multo latior est & copiosa plebis multitudine repletior, & ideo nos pluri & efficaciori indigemus auxilio, in verbi Dei prædicatione, confessionum auditione, poenitentiarum injunctione, nec ad hæc & hujusmodi novimus tam efficaces coadjutores ut fratres vestros, ad vestræ benignitatis pedes proni provoluti, quàm possumus humili devotione supplicamus, & adjuramus per aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, & per compassionem suæ dulcissimæ matris qua transfixa est astans in cruce pendenti, quatenus petitioni nostræ aures vestræ compassionis inclinantes, duos vel quatuor de fratribus vestris quos vos vel minister fratrum in Angliâ in hac parte decreverit, idoneos licentiare, imò eisdem præcipere velitis quatenus benignè lateri nostro adhæreant existentes, &c. *Ut in Epistolâ superiori.*

Viro venerabili, in Christo charissimo fratri Arnulpho Domini Papæ poenitentiario, Robertus permissione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & sincerum in Domino charitatis affectum. Epist. 42.

PRO salubri consilio, affabili colloquio & dulci solatio gratis & liberaliter exhibitis S. procuratori nostro, vestræ sincerissimæ charitati quantas valemus gratiarum actiones proni referimus, supplicantes attentius quatenus radix dilectionis erga nos habitæ, quam per exhibitionem operis novimus non solùm pullulasse, sed etiam in robur excrevisse, rigante Spiritûs Sancti gratiâ, semper multiplicetur uberius, exurgat altius, frondeat virentius, floreat suavius & fructificet fertilius.

Viro venerabili, in Christo charissimo Domino J. de Ferentin. Domini Papæ Camerario, Robertus permissione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & sincerum in Domino charitatis affectum. Epist. 43.

QUIA charitatis latitudo neque stat neque coarctatur, sed semper se extendit in latius, ut quem semel in suos suscepit amplexus, semper suscipiat abundantius: scientes vos suscepisse nos in vestræ charitatis amplexus, quasi semper suscepti amplius, semper preces precibus accumulamus confidentius. Vestram igitur quæ nos gratis amplexata est charitatem omni qua possumus devotione rogamus, quatenus S. de Arden procuratori nostro in curia, in negotiis nostris ad honorem Dei & Ecclesiæ & ad salutem animarum expediendis, consilium & auxilium impendere velitis; scituri nos ad ea quæ vestræ complacere debent dilectioni semper esse paratos.

Venerabili in Christo Patri domino Thomasio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Robertus permissione divinâ Lincoln. Ecclesiæ minister humilis, salutem, & quàm debitam tam devotam cum omni honore reverentiam. Epist. 44

EX fido relatu didici quòd bonæ memoriæ Hugonem prædecessorem meum speciali & familiari charitate amplexata est vestra sincera dilectio, & Ecclesiæ negotia, cui nunc permittente Domino, licet indignus, præsideo, ob ejusdem favorem multò efficacius vestra promovit discretio. Cum igitur amicitiam non finiat vita temporalis finita, dicente scriptura, * Omni tempore diligit qui amicus est, gratiam quam fecistis cum vivo, ex amicitiæ lege facietis cum mortuo, Ecclesiæ suæ negotia expedientes & promoventes more solito: non enim moriens, Ecclesiæ cui præerat curam deseruit, sed ut haberi potest ex testimonio Johannis Chrysostomi, pastor bonus post mortem corporis, gregi cui præfuit, vigilantius intendit. Quicquid igitur in promotionem Ecclesiæ, cujus curam non reliquit, & gregis cui intendit, à vestra fuerit impensum gratiâ, eidem

* Prov. 17. 17.

eidem ex eadem gratiâ veraciter impensum esse dinoscitur. Et quia ex lege amicitiæ cum Ecclesiâ, cui dictus prædecessor meus præsedit, & ego nunc licèt inutilis præsideo, vos colligatos invenio, cupiens hæc non dura sed dulcia vincula fortius & arctius constringi, in eadem vincula etiam me injicio (ex insertione enim plurium in eorum vinculorum ambitum vincitur arctius quilibet comprehensorum) Nec timeo quòd non suscipiat me nitentem in ipsum vestræ dilectionis amplexus; cum ego sim alter ille, non solùm quia successi in ejus loco, sed quia ipse, retribuat ei Deus, per specialem dilectionem me suo univerat cordi & animo, quem vestræ tam specialis charitatis amplexans est latitudo. Ad pedes igitur vestræ paternitatis pronus & provolutus totis visceribus affectionis rogo, ut me in illo, vestra suscipiat, sustineat & portet dulcis & fortis ut mors dilectio: præsertim cum hæc sit natura dilectionis ut se dilatet ad suscipiendum omnem in ipsius amplexus conantem, & ut omnem susceptum constringat ne à suis amplexibus decidat. Certus igitur quòd me in se conantem vestra non repellet dilectio, eam confidenter exoro, quatenus Ecclesiæ negotia, cui præsideo, tendentia & potentia in salutem gregis cui prælatus existo, eo promoveat modo quem ostendet eidem Sancti Spiritûs unctio, & sic per mei & Ecclesiæ mihi commissæ medium, eandem gratiam perseveranter faciatis cum prædecessore meo mortuo, quam vestri gratia fecistis cum eodem vivo.

Epist. 45. *Venerabili in Christo Patri, domino Ægidio Dei gratiâ sanctorum Cosmæ & Damiani diacono Cardinali, Robertus permissione divinâ Lincoln. Ecclesiæ minister humilis, salutem & quàm debitam tam devotam cum omni honore reverentiam.*

EPistolam reverendæ paternitatis vestræ per dominum Cestrensem mihi transmissam nuper, sicut decuit, reverenter & devotè suscepi: quam diligenter inspectam admiratus sum verborum floribus vernantem, eloquentiæ argento nitentem, auro sapientiæ fulgentem & charitatis flamma rutilantem; quæ licèt charitatis congaudentis veritati metas non excesserit, per charitatis tamen omnia credentis excelsiorem viam forti conatu incedens, metas non parum veritatis excessit, dum superfervido motu in anteriora & superiora simul se extendente meque secum rapere conante supra id quod sum, seu potius supra nil quod sum, præclaris laudibus me vehementer extulit. Gratias ago quantas valeo tantæ charitati; doleo quòd meritis non respondeo tantæ laudationi: sed nunquid falsitatis arguo tantam charitatem? Absit: est enim in extollente me supra me charitatis sinceritas, assertionis veracitas; in meo autem defectu, quia non coæquor asserentis sermoni, falsitas: poterit tamen, ut spero, juvante Domino, falsitas meæ defectionis ex parte aliquâ reduci ad completionem veritatis, si donum pretiosum per epistolam transmissum avidè suscipiatur, suaviter collocetur & providè, ne abscedat, custodiatur in ejusdem defectionis vacuo, velut in quodam repositorio soliditatis, siqua vel parvula in me est, supposito ad conservationem operculo: hoc enim donum charitatis est donantis sua soliditate ejus cui donatur firmans infirma, suâ profunditate suffulciens ruinosa, suâ latitudine dilatans angusta, suâ celsitudine sustollens demissa, suâ plenitudine replens ejus vacua, suâ lenitate complanans aspera, suâ suavitate refovens dolentia, suâ vivacitate vivificans emortua. Non enim potest donum charitatis assumens eum cui donatur in unitatem animæ & cordis, assumptum sibi non configurare & in sui similitudinem non commutare. Ex tanti igitur tamque magnifici doni pretio super omne pretium pretioso fiducialiter spero, non modicum mihi proventurum profectum & ad perfectionem aliquatenus accedere posse meum imperfectum. Hujus muneris sicut & sapientiæ nescit homo pretium, nec dabitur aurum obrizum pro eo, nec appendetur argentum in commutationem ejus. Quid igitur pro tanto dono, ut gratus inveniar, æquale retribuam? Et qualem retributionem invenire non potero, donec æquali charitate amantem redamare potero. Valeat Paternitas vestra in Domino.

Fortasse hic fuit ille Cardinalis Ægidius qui Papæ, irâ exæstuanti ob ultimam Episcopi epistolam, frigidam suffudit; de quo Matt. Paris, pag. 872. de quibus infra.

Venerabili

Venerabili in Christo Patri Æ. Dei gratiâ ſanctorum Coſm. & Dam. diacono Cardinali, Rob. permiſſione divinâ Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem, &c. Epiſt. 46.

MAgiſtrum R. de Cornubia veſtri teſtimonii titulus & ſuæ probitatis evidentia multipliciter apud me recommendatum reddiderunt: ideoque ſecundum veſtrum deſiderium, ſimpliciter atque finaliter propter Deum, eundem magiſtrum in Eccleſia Lincoln. plantare curavi; locus tamen in quo plantatus eſt, radicum ejus profundationem, ramorumque dilatationem non ſatis nec ſicut vellem correſpondere dinoſcitur: fructus enim præbendæ S. Martini in Dernſtall in qua inſtitutus eſt, æſtimationem 25 marc. non excedunt; & tamen in Eccleſiâ Lincoln. reſidenti quinquaginta marcas vel amplius ſingulis annis valere potuerint. Non refugiat autem dicta planta in arcto prius plantari, cùm ſoleant plantæ, de quibus eſt ſpes fructificandi, à peritis agricolis ab arcto in latius transferri: Recogitet etiam ſolicitè quòd plantæ ſuper illam terram folia & fructus excuſsè dimittunt, de cujus pinguedine per radices humorem vegetantem trahunt. Verba igitur prædicationis & exempla ſanctæ converſationis eorum cordibus præſens & fixus, Spiritûs Sancti flatu excuſſus dictus magiſter influat de quibus accepturus eſt carnalia unde vivat: & ſicut in literæ veſtræ tenore continetur, conlectus à me totum ſe colligat ad miniſterium (Deo gratum) mihi & Eccleſiæ Lincoln. devotè quoad vixerit & fideliter exhibendum. Non tondeat lanam & lac mulgeat, oveſque dimittat luporum morſibus laniandas, ne fortè, quod abſit, de illis ſit paſtoribus quibus per Ezechielem dicit Dominus, * Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis; ſed econverſo, cum Domino oves Dominicas paſcat & accubare faciat; quod perierat, requirat; quod abjectum erat, reducat; & quod fractum fuerat, alliget, & quod infirmum, conſolidet, & quod pingue & forte, cuſtodiat, & paſcat illas in judicio & juſtitiâ: nec abhorreat propter paſcendas oves à Roma deſcendere in Angliam, cum propter eas redimendas Filius Dei patris de ſede majeſtatis deſcenderit ad ignominiam crucis. Et quia dictus Magiſter de fructibus dictæ Præbendæ nil percepturus eſt uſque ad feſtum S. Martini proximè futurum, rogo ut veniat uſque ad dictum terminum, ſicut unus de familiaribus clericis & commenſalibus meis mecum moraturus. Hoc igitur eidem, ſi placet, veſtræ paternitatis perſuadeat diſcretio, ut ipſa ſeminans & ille metens ſimul gaudeant ſimulque mercedem recipiant. Veſtræ autem ſereniſſimæ charitati, non mea ſed me quærenti, vires corporis offero ad obſequendum, & vires animi ſiquæ ſint, ad diligendum; obſecrans ut latitudinis ſuæ ſinum mihi aperiat, avidè intrantem recolligat, & foveat recollectum. Valeat in Deo paternitas veſtra.

* Cap. 34. 3.

Robertus Dei gratiâ Lincolnienſis Epiſcopus, viro venerabili Magiſtro R. de Cornubia, ſalutem & ſincerum in Domino charitatis affectum. Epiſt. 47.

COnſiderantes quòd de veſtra eminenti ſcientia, moribus laudabilibus eximiè ornatâ, favente Domino, multus oriturus ſit fructus animarum; cupienteſque fructûs illius participes fieri, præbendam quandam, cui cura animarum eſt annexa, in Eccleſiâ noſtra vobis contulimus; quam, licèt ſit parva, non recuſetis, ne forte, quod abſit, poſſit de vobis ſuſpicari vos, contra doctrinam Apoſtoli dicentis, * Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos; non oves ſed quæ ovium ſunt quærere velle. Quærentes igitur cum Apoſtolo ipſas oves, veniatis ad ipſas, paſturi eas verbo prædicationis, exemplo ſanctæ converſationis & devotione puræ orationis: In his enim tribus, ut ſcitis, conſiſtit paſtio Dominici gregis: quæ tria cum non poſſitis abſentes perficere, veſtram præſentiam perſeverantem exhibeatis, ne in reddendâ ratione deficiatis cum dicetur, * Redde rationem tuæ villicationis.

* 2 Cor. 12. 14.

* S. Luc. 16. 2.

Epist. 48. *Viro venerabili & in Christo charissimo Domino Simoni de Monteforti Rob. miseratione divina Lincoln. Ecclesiæ minister indignus, salutem & sinceræ dilectionis affectum.*

SIcut sentiunt sancti & justi, æqua iniquitas est non punire nocentes & punire innocentes: Is igitur ad quem ex officio spectat aliorum correctio, si transgressiones eorum non puniat, iniquus est: unde & regem Saulem legimus reprobatum, quia pepercit regi Amalechitarum, quem ex Domini præcepto debuit interfecisse. Ex adverso igitur intelligimus quòd punire nocentes æquum est & pium apud Deum & homines approbatum: Innocentes autem punire crudele est & ferinum, imo & diabolicum: quid enim est hoc aliud quàm lupino more in agnos desævire, vel more diaboli innocentes arripere & vexare? nocentes autem citra meritum punire, misericors justitia est & imitatio Christi qui omnes punivit citra meritum. Punire autem nocentes ad meriti correspondentiam & æqualitatem, severa justitia est, vel potius fortè justitia non est, cum careat admixtione misericordiæ, nec aliud est quàm promereri judicium sine misericordia; cum scriptum sit, Judicium sine misericordia ei qui non * fecerit misericordiam. Nocentes autem punire supra meritum manifesta iniquitas est: in quantum enim punitio excedit delictum, in tantum punitur innocentia. Qui igitur supra mensuram delicti nocentes puniverint, in crimen & reatum punitionis innocentiæ incidunt. Punientes autem innocentiam socii sunt Herodis, qui Innocentes occidit: imò socii eorum qui Agnum innocentem, Dei Filium, crucifixerunt. Si autem punitio pecuniaria quæ modum excedit delicti † pœna fuerit pecuniaria, hujusmodi punitores de tanto sunt fures & prædones, quanta est portio pecuniæ secundum quam exceditur mensura culpæ. Fures autem & prædones, judicio tam veteris legis quàm novæ, nisi resipuerint & ablatum restituant, condemnati sunt perpetuis ignibus gehennæ; plerumque etiam in hac vita recipiunt pœnam quam ipsi intulerunt: dicente Scriptura, * Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis,

* S. Jacob. 2. 13.

† In codice Sidneiensi desunt hæc verba [pœna fuerit pecuniaria].

* Isai. 33. 1.

——Neque enim lex justior ulla est,
Quàm necis artifices arte perire suâ.

Exuunt quoque tales prædones naturam humanam & induunt ferinam, mutati interius in leones, licet exterius in corpore figuram gestent humanam. Unde & propheta de singulis talibus dicit, † Leo factus est & didicit capere prædam, hominesque comedere. Talium manus, sicut dicit Isaias, sanguine plenæ sunt; quibus non solùm homines excoriant sed etiam exossant: Nunquid igitur tales regnum Dei possidebunt? absit: quia * vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibum ignis. Audi adhuc quid per os prophetæ promittat Dominus thesaurizantibus iniquitatem & rapinas in ædibus suis. † Propter hæc, inquit, tribulabitur & circuietur terra & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ. Et iterum per eundem prophetam dicit, Pro eo quòd diripiebatis pauperem & prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis & non habitabitis in eis; vineas amantissimas plantabitis & non bibetis vinum earum [Amos 5. 11.] Humano generi & singulis de humano genere in pœnam primi peccati dictum est, * In sudore vultûs tui vesceris pane tuo: non dixit, in sudore vultûs alieni vesceris pane alieno. Qui igitur aliena rapientes de lachrymis & laboribus alienis vivunt, in communi pœnitentia humani generis non sunt; & ideo non cum hominibus sed cum dæmonibus flagellabuntur. Quàm horrendum sit itaque innocentes punire & deprædari; quod crimen etiam committunt, qui nocentes supra modum puniunt, aliquantulum ex præscriptis potest elucere. Quia igitur vestram ingenuitatem brachiis charitatis arctius amplexamur; si in tam horrendum malum incideretis, doleremus quamplurimum. Videntes igitur vos, si vera sint quæ audimus, quasi titubantes ad hujusmodi lapsum, præsentis paginæ commonitione voluimus labentem à lapsu eripere. Audivimus enim quod S. Burgensem vestrum de Leicestr. disponitis punire, non quidem secundum modum & mensuram culpæ suæ, sed supra modum culpæ suæ, modum excedentes in punitione: quod oro Deum † [& beatam Dei genetricem] longè sit à vobis; ne exuentes hominem, induamini leoninam imò diabolicam feritatem, hominum facti manibus sanguinolentis excoriatores, exossatores & tandem comestores, Herodis & crucifixorum Christi effecti socii, furti & deprædationis criminis rei, ac per hoc ignibus gehennæ addicti, in hac vita fortè propter hoc deprædandi fortitudinem amissuri, direptionem expulsionemque passuri, in communi homi-

† Ezech. 19. 3.

* Isai. 9. 5.

† Am. 3. 11.

* Gen. 3. 19.

† Absunt illa verba superstitiosa à codice optimo Sidneiensi; licèt in utroque quidem libro Coll. Corp. Christi Cantab. (membraneo & chartaceo, non admodum vetustis) reperiantur, non minus quàm illa in Epist. 28.

num

num poenitentia non victuri. In prædictum itaque burgensem non sæviat atrocitas; non rigida sit severitas; sed superexaltet judicium vestræ misericordiæ pietas; ut sitis exemplum clementiæ & mansuetudinis & non magister crudelitatis. * Valeat, &c. * al. valete.

Venerabili in Christo patri Othoni Dei gratiâ Sancti Nicholai in carcere Tulliano diacono Cardinali, Apostolicæ sedis legato, Robertus miseratione divinâ Lincoln. Ecclesiæ minister humilis, salutem, & quàm debitam tam devotam obedientiam & reverentiam. Epist. 49.

Literas sanctitatis vestræ eâ qua decet reverentia suscepi, continentes quòd vos præbendam, quam quondam magister R. de Wermenister in Lincoln. Ecclesia obtinuit, clerico vestro Magistro Actoni duxistis conferendam. Inprimis itaque vestræ notum sit sanctæ paternitati quòd dictam præbendam contuli antequam vestræ sanctitatis literas suscepissem. Secundò vestram sanctitatem latere nolo quòd ab obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non timore coactâ sed charitate protensâ, tribulatio aut angustia aut persecutio, aut cæterorum aliquid quæ enumerat Apostolus, meam parvitatem, adjuvante Christi gratia, non separabit. Scrutatorem quoque cordium & cognitorem occultorum testem invoco, quòd ad præceptum domini Papæ & vestrum etiam qui ejus fungimini auctoritate, in ultimas Saracenorum regiones pro fide Christi & charitate inferendis & promovendis, usque ad sanguinis effusionem, licèt corpore infirmus sim & debilis, hilari & jucundo animo iter arriperem: nec posset mihi à tanta auctoritate onus imponi quod ad fidem & charitatem promovendas tenderet, quod, quantum & quamdiu possem, cum charitativa congratulatione non portarem. Sed quod ad charitatis dissolutionem tendit, non possum non ferre molestè. Et cum debeam secundum Evangelium vivere, quod præcipit solum illum timere qui potest & corpus & animam in gehennam mittere, non coercebit me vestræ potestatis timor, quem urget charitatis ardor, à dicenda veritate. Scio & veraciter scio, domini Papæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ hanc esse potestatem, ut de omnibus beneficiis Ecclesiasticis liberè possit ordinare. Scio quoque quòd quisquis abutitur hac potestate, ædificat ad ignem gehennæ: scio etiam quòd hac potestate abutitur, quisquis ad fidei & charitatis promotionem eâ non utitur: scio insuper quòd cum beneficia Ecclesiastica auctoritate potestativâ conferuntur, non requisito prius patronorum assensu, maximè quando de facili posset requiri, omnium teterrima odia in se provocant conferentes, præterquam eorum, quibus talia conferunt; & qui patronos beneficiorum sic collatorum odiunt. Est enim hoc patronis verecunda confusio, dolor eorum qui ipsos diligunt; & qui eos odiunt, gaudent, derident & exprobrant; & sic cedit omnibus in scandalum. Quod quàm grave sit, non opus est admonendum. Non igitur per hanc viam ædificatur Ecclesia, sed magis destruitur: non promoventur fides & charitas, sed repelluntur, & contra mandatum principis Apostolorum item monentis ut prælati sint non ut dominantes in clero, sed forma facti gregi ex animo. Non debuit igitur, si placet, vestræ sanctitatis prudentia hoc & hujusmodi attendens, Ecclesiæ meæ præbendam sine me conferendo, meam parvitatem vobis devotissimam & obedientissimam confudisse, præsertim cum paratam semper habuerim & habeam voluntatem, in tanto quantum valet illa præbenda & etiam in pluri, alicui de vestris non coactus ad meam & Ecclesiæ mihi commissæ confusionem, sed spontaneus ad charitatis ædificationem liberaliter providere; licèt post meam consecrationem in Episcopum, nepos domini Papæ promotus sit in unâ de optimis præbendis Lincolniensis Ecclesiæ. Ad pedes igitur vestræ sanctitatis provolutus supplex rogo, ut vestra benignitas suam dictæ præbendæ collationem revocet, ne tanquam abjectissimus omnium à vestra dilectione faciem meam ad vos aut fratres meos Episcopos aut ad mihi subditos levare non possim præ confusione. Valeat paternitas vestra in Domino.

Epist. 50. *Robertus Dei gratia Lincoln. Episcopus dilecto in Christo filio R. Archidiac. Lincoln. salutem, gratiam & benedictionem.*

QUoniam debitores sumus evangelizandi verbum Dei omnibus de diœcesi nostra, nec hoc possumus per os proprium adimplere præ multitudine Ecclesiarum parochialium, populique non modica numerositate, remedium in hac parte aliud non habemus, nisi ut cum transitum facimus per diœcesim nostram, rectoribus Ecclesiarum, vicariis & sacerdotibus parochialibus per singulos decanatus coram nobis congregatis, ipsis verbum Dei prædicemus; instruentes eosdem qualiter populum sibi subjectum verbo doceant & conversationis suæ exemplo informent; ut quod per nos ipsos implere non possumus, saltem eorum ministerio quoquomodo faciamus. Ideo vobis mandamus decanos archidiaconatûs vestri præmoneatis, ut prompti sint ad convocandum coram nobis prædictos rectores, vicarios & sacerdotes locis & temporibus quibus eis mandabimus, ne in prædicando aut aliis exequendis quæ ad nostrum spectant officium, inveniamus impedimentum. Faciatis insuper præmoneri omnes rectores Ecclesiarum archidiaconatûs vestri, quorum Ecclesiæ sunt dedicandæ, ut omnia habeant parata quæ necessaria sunt ad dedicationis celebrationem, cum secundum statuta Concilii Londin. oporteat infra hoc sequens biennium omnes Ecclesias non dedicatas dedicari: & quia per procurationes nostras aliquas gravare non intendimus, nec possemus de facili à rectoribus Ecclesiarum in domibus suis sine eorum non parvo gravamine, ut credimus, procurari; rogamus ut de modo & quantitate pretii dictarum procurationum recipiendarum, vestrum nobis rescribatis consilium. Significetis etiam nobis qui beneficiati vel sacerdotes vel infra sacros ordines constituti, convicti vel confessi coram vobis super ☞ incontinentiâ, obligaverunt se ad beneficiorum resignationem, vel aliam pœnam canonicam, si accidat eos in idem vitium recidivare, & instrumenta eorum qui se per instrumenta obligaverint vel eorum instrumentorum transcripta nobis faciatis habere. Valete.

Epist. 51. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Episcopus dilecto in Christô filio Magistro Thomæ Walensi, Canonico Lincoln. salutem, gratiam & benedictionem.*

R. Archidiacono Lincoln. viam universæ carnis ingresso (cujus animæ propitietur Deus) contulimus archidiaconatum Lincoln. cum præbenda quam dictus archidiaconus tenuit, tibi, in dicto archidiaconatu residere parato. Non enim, terrente nos timore Dei, ausi fuimus tantam curam animarum alicui conferre, nisi ei qui ipsam curam per se præsentialiter vellet agere. Ipsa enim cura, ut tu etiam bene nosti, non mediocriter magna est, sed magna valdè, egens rectore semper præsente, vigilanter, prudenter, diligenter ac potenter eidem intendente; qui verbum Domini opportunè, importunè prædicet, seipsum exemplum bonorum operum præstet, cum dicit monita salutis & non exauditur, anxiè doleat, uberrimè fleat, qui etiam manus suas ab omni munere excutiat, pœnas pecuniarias à delinquentibus in delictorum punitionem acceptas tam evidenter in pios usus expendat, ut propter earum receptionem nulla possit cupiditatis notâ denigrari; qui insuper cum accusatum, justè possit absolvere congaudeat, cum ex justitia quenquam condemnare cogitur, ex compassione condoleat; quem etiam à veritate judicii non flectant amor aut odium, timor aut spes, preces aut pretium, seu aliqua acceptio personarum, nec decipiat, ut à vero judicio deviet, sententia plurimorum. Cujus deliciæ sint sobrietas & abstinentia, cujus quies labores & vigiliæ, cujus totum desiderium sit animabus prodesse: cui sic præesse grave & onerosum tantum propter bonum aliorum sit hoc onus humiliter susceptum fortiterque portatum.

Quia igitur te talem in regimine pastorali præ aliis qui nostræ memoriæ occurrebant, futurum firmissimè speravimus, dictum onus tibi præ aliis imponere decrevimus. Novit enim Dominus, quòd si occurrisset memoriæ nostræ quem ad dictum regimen credidissemus utiliorem, eundem tibi in hujus honoris collatione præposuissemus: unde certus esse poteris, quòd non ut te ditaremus, sed ut animabus consuleremus, in hujus solicitudinis partem te vocavimus. Si igitur salutem animarum, imò si ipsum diligis qui dicit Petro, nobisque in ipso, * Si diligis me, pasce oves meas, onus pascendi non abjicias, laborem

* S. Joh. 21. 17.

laborem non refugias, nec his aſſumptis fatigeris in ipſis: hujuſmodi enim fatigationem ſola generat deſidia; amor verò ſalutis animarum, qui fortis eſt ut mors, non poteſt in his fatigationem ſentire. Sed, ut ſuſpicamur, durum tibi videbitur ſcholas deſerere, cathedram magiſtralem ut ſacram ſcripturam doceas non aſcendere: dicentque tibi plurimi quòd non dimittas ſapientiam pro divitiis, fructumque quem in ſcholis docendo facere poteris, pro dignitatibus; arguentque te cupiditatis & ambitionis quaſi relinquas bona animi pro bonis corporis & ſpiritualia pro temporalibus: fatemur utique nobis etiam non modicùm eſſe durum & grave te à ſcholis abſtrahere, conſiderantes quàm, adjuvante Chriſti gratiâ, in ſcholis poſſis fructificare. Sed quis dubitat minora & incertiora bona pro majoribus & certioribus bonis eſſe relinquenda? quis etiam dubitare poteſt quin majus bonum ſit tantam curam animarum humiliter & ſolicitè peragere, quàm in cathedra magiſtrali ſapienter docere? alioquin ſumma ſapientia, Dei Filius, in carne cum hominibus converſatus ſediſſet, ſapienter docens ſapientiam, in cathedrâ, & non circuiſſet civitates & caſtella, ægrotos curans & humiliter populo prædicans, * Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum: alioquin non plus eſſet facere quàm docere, nec melior doctrina operis quàm verbi. Multò quoque certius eſt quòd, ſi vis, potes hoc regimen animarum perficere, quàm in cathedra ſacram ſcripturam docere, quia hoc non jam præ foribus eſt, ſed, ſi vis, infra fores: illud autem adhuc præ foribus eſt, poteritque excludi aut infirmitate aut aliis fortuitis caſibus innumeris. Multum etiam tibi timendum eſt, quòd ſi pro docendo aliquot ſcholares Pariſiis in ſublimitate ſermonis ſapientiam, renuas docere multum multipliciter plures oves Jeſu Chriſti ſimplices in infirmitate, ſed tamen in oſtenſione ſpiritus & virtutis, Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum, utrumque tibi in juſtam pœnam auferatur: videlicet, ut nec unquam ſcholares in cathedra ſolido cibo, nec ſimplices oves Chriſti lacte ſimplicis doctrinæ paſcas. Et periculum igitur & iram Jeſu Chriſti devitans, & bonum majus & certius aſſumens, duritiem recedendi à ſcholis tam nobis quàm tibi mollem facias. De eo autem quòd plurimi tibi perſuadebunt quòd ſapientia non eſt deſerenda pro divitiis, nec fructus docendi pro dignitatibus, non eſt neceſſe prudentiam tuam inſtruere, cum, adjuvante Chriſti gratia, non ſis talia facturus. Non enim, ipſo te dirigente, ſapientiam deſeres, ſed multiplicius quàm in ſcholis ſapientiam invenies & exercebis; nec divitiis curæ ſpiritali annexis ſeu dignitatibus tranſitoriis amore illicito adhærebis. Abſit enim ut anima quam decoravit lux ſapientiæ, amplexetur ſtercora. Nec argui poteris cupiditatis aut ambitionis, ſi ſpiritalia aſſumis annexis bonis temporalibus; ſed argui poſſes, ſi temporalia aſſumeres quaſi principalia, & quaſi eis dependenter adnecterentur bona ſpiritalia. Hanc tamen redargutionem nullus poteſt facere, niſi ſolus ille qui renum & cordium eſt perſcrutator; quia ille ſolus novit qua intentione talia ſuſcipiuntur. Si tamen antiquus hoſtis, æmulorum miniſterio, hujuſmodi jacula jaculet in te, ſi opus Dei ad quod vocaris, facias, jaculabit utique non minus acuta ex parte altera ſi id non facias: clamabitur enim de te quòd ex appetitu inanis gloriæ tanta bona tamque ſancta & Deo accepta imprudenter & ſtultè dereliquiſti. Scuto igitur fidei undique munitus jacula inimici ſapienter fortiterque repellas, ſolumque Dei honorem ac animarum ſalutem reſpiciens ut facias, jugum oneris tibi impoſiti humiliter ſubeas, fortiter & diſcretè perſeveranterque trahas, cum, etiamſi juberet Dominus quantumcunque vilia, quantumcunque probroſa, quantumcunque gravia & oneroſa, ſupportare deberes alacriter, non ſolùm ſcholas honoreſque ſcholaſticos, ſed etiam omnem hujus vitæ ſublimitatem, ſuavitatem & jocunditatem fortiter deſerendo: caveaſque, oramus te & adjuramus per Salvatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ne noſtra de te concepta nos unquam fallat opinio, ne (quod abſit) tu reprobus ſis coram Deo & nos coram hominibus de te confundamur: ſed miniſterium tibi traditum ſic compleas & opus Dei non negligenter, non fraudulenter ſed diligenter, fideliter & prudenter ſic peragas, ut quemadmodum Paulus ait ad Timotheum, † Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. Valete.

* S. Matt. 4. 17.

† 1 Ep 4.12.

Reverendo

Epist. 52. *Reverendo in Christo patri, Othoni Dei gratiâ Sancti Nicholai in carcere Tulliano diacono Cardinali, Apostolicæ sedis legato, Robertus miseratione divinâ Lincoln. Ecclesiæ minister humilis, salutem, & quàm debitam tam devotam obedientiam & reverentiam.*

SAnctitatis vestræ literas recepimus in forma deprecatoria ut Thomam clericum, natum nobilis viri Comitis de Ferrare, licèt ad obtinendum Ecclesiasticum beneficium quoad ætatem defectum aliquem patiatur, nec sit in sacris ordinibus constitutus; quia tamen docibilis est & nobilis & per eum toti Ecclesiæ Anglicanæ multa bona, dante Domino, poterunt provenire, ad Ecclesiam de Randes admitteremus. Novit Dominus quòd sanctæ paternitatis vestræ preces & mandata promptissime & obedientissimè desideramus effectu complere; speramus etiam quòd precibus non hortamini neque mandato præcipitis quod nostram aliquatenus remordet conscientiam: sed, ut noverit vestræ sanctitatis discretio, quod sapientiorem & ferventiorem non remordet, plerumque remordet timidiorem: ac per hoc, quod potest perfectior sanè facere, non potest id idem imperfectior, nisi cauteriatus attentare. Quia igitur ex nostra imperfectione timidam habemus conscientiam & maximè in constituendo & instituendo pastores animarum, præfatum Thomam in statu quo adhuc est existentem non audemus, remordente nos nostra conscientia timidâ, ad curam admittere pastoralem. Faciunt autem nos in hac parte vehementer timidos non solùm scripturæ auctoritas canonumque sanctiones, quæ à perfectione multùm adhuc longinquos, licèt de eis sit spes bona, non constituunt rectores; sed etiam quædam quæ cor nostrum multum tangunt, &, ut nobis videtur, non modicùm coarctantes rationes. Quis enim constitutus ad salvandum quandam congregationem hominum collocatam in navi in mari tempestuoso & scopuloso, tradit ejusdem navis gubernaculum & regimen ei qui adhuc penitus ignorat artem navalem, aut cui vires non suppetunt ad dirigendum navem, aut quem non afficit solicitudo de his, qui sunt in navi, salvandis; licèt fortè de eodem possit rationabiliter spes concipi quòd valeat imposterum magister navis peritus, fortis & bonus fieri? Nonne constitutus in salvationem, per hunc modum fieret his, quos oporteret salvare, in perditionem? Et, ut ad unum multa comprehendamus exempla, quis ordinatus ad hoc, ut in artificiis quibuscunque peritos, potentes & solicitos præficiat artifices, in eisdem præficiens quadam longinqua possibilitate tales, & fortè eo quod præficiuntur, ad actum possibilitatis magis desides, non magis iram ordinatoris incurrit quàm benevolentiam adquirit? Sapiens paterfamilias mille carnales oves non tradit ignaro pastoralis officii sub spe scientiæ pastoralis officii post multos annos adipiscendæ; neque *vitulos* jungit ad aratrum, licèt speret vitulos posse proficere in robur boum; quia forsitan & eo ipso vitulos opprimeret ne ad boum fortitudinem unquam pervenirent: non enim debilibus imponuntur onera gravia, licèt valentibus ad fortitudinem crescere, ne sub onerum succumbant gravitate. Si hæc itaque non fiunt, ubi tamen non imminet nisi corporale periculum, quomodo præsumeret nostra timida pusillanimitas consimilia facere ubi imminet periculum tanto gravius quanto spiritalia sunt majora & meliora corporalibus? Secundum sententiam Domini in Exodo & in Ezechiele, & beati Gregorii expositionem, pastor animarum, qui prædicatione non insonat, ipse spiritualiter moritur, &, quantum est in se, oves sibi commissas occidit. Qui igitur talem constituit animarum pastorem qui tubâ prædicationis, nisi post multa tempora, insonare non poterit, nonne eo ipso tam præfecto quàm subditis dat mortis per longa tempora occasionem, ne dicam causam? Dominus noster Jesus Christus pretiosissimam vitam suam dedit morti turpissimæ, ut animas vivificaret; dans in hoc exemplum quòd tales debent præfici pastores animarum qui nec poenam nec genus poenæ refugiant pro animarum salute. Quomodo igitur auderet nostra parvitas præficere in pastorem animabus tanto pretio redemptis, qui magis adhuc longo tempore in pascendo mortificaret quàm qui vivificaret? Quomodo auderet de pretio sanguinis Jesu Christi plus intendere ditare hominem, quàm animarum procurare salutem? Hæc itaque & hujusmodi plurima, quæ nunc subticemus ne vos prolixitate tædio afficiamus, nostram imperfectionem vehementer deterrent, ne animabus, pro quibus Christus mortuus est, non idoneos scienter & prudenter præficiamus pastores, ut homines ditemus, vel hominibus placeamus, & sic secundum vocem Apostoli, * servi Christi non simus. Ideò sanctitati vestræ tota mente viribusque omnibus supplicamus, quatenus supradicto Comiti efficaciter persuadeatis, ut idoneum aliquem ad supradictæ Ecclesiæ regimen præsentet: alioquin vestræ sanctitati, quæ multa potest facere licitè quæ nostra imperfectio non posset nisi illicitè facere, commendamus quicquid

* Galat. 1. 10.

quid hac vice ad nos pertinet, de præfati Thomæ clerici ad præfatam Eccleſiam admiſſione: ſperantes firmiter quod non aliter ordinabit, quam noverit animarum ſaluti prodeſſe, Judici quoque omnium complacere; coram quo in die Judicii, etiam de verbo otioſo eſt reddituta rationem. Si autem veſtræ ſanctitatis prudentia eundem Thomam clericum ad dictam Eccleſiam decreverit eſſe per vos admittendum & in paſtorem præficiendum, quia oves noſtræ ſunt quibus præficietur, pro quarum etiam ſalute tenemur, ſecundum Chriſti doctrinam & exemplum, animam ponere, & non mediocriter timeamus de eorum ſub tali paſtore periclitatione, ut ſaltem quoquomodo earum ſaluti prævideatur, ad pedes veſtros proſtrati rogamus quatenus idoneus vicarius ad bonam vicariam in ſæpefatâ Eccleſia conſtituatur. Vel, quod multo amplius mallemus, ſi fieri poteſt inoffenſo jure, ut conſtituto in eadem Eccleſia idoneo animarum paſtore, reſidentiam continuam in eadem faciente ſæpedicto Thomâ aliqua annua præſtatio de eadem Eccleſia ſine curâ animarum nomine ſimplicis beneficii conferatur. Valeat * ſancta paternitas veſtra per tempora longiora. * Deeſt ſancta] edd.

Viris venerabilibus, Dei gratiâ Abbati S. Benedicti Floriacenſis & ejuſdem loci Conventui, Robertus miſeratione divina Lincolnienſis Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem & ſincerum in Domino charitatis augmentum. Epiſt. 53.

LICET gloria bonorum ſit abintus, neſciatque ſiniſtra eorum quid faciat dextera, nec juſtitiam ſuam faciant coram hominibus ut videantur ab eis; ſed bona ſua faciant in abſcondito, ut pater cœleſtis qui videt in abſcondito, reddat eis; eorundem tamen opera bona ſic lucent coram hominibus, ut homines ea videant & glorificent patrem qui in cœlis eſt: abſcondenda namque ſunt bona ab aure laudis humanæ, ne ipſius corrumpantur uredine; manifeſtanda tamen ſunt, ut eorum luce alii illuſtrentur ad verum & accendantur ad bene operandum: ut videlicet opus bonum ſit in publico ad aliorum informationem, ut intentio ſit in occulto, quantum attinet ad humanam laudem. Mala verò ſua & infirma ſapientes occultant, ne propalentur aliis in exemplum pravum & ne pateat hoſtibus rima per quam habeant ingreſſum ad bona carpenda. Eis autem ſolis mala & infirma ſua denudant prudentes, qui & malum tollere & infirmitati remedium ſatagunt apponere. Veſtrum igitur collegium ſanctum Spiritu ſapientiæ & conſilii illuſtratum & roboratum, bona ſua oportet aliis in exemplum bonum pandere, & mala ſiqua ſunt, ne in exemplum pravum procedant, nec hoſtibus ingreſſus pateat, ſolicitè ac prudenter abſcondere, donec amputato penitus malo & infirmitate curatâ, de tenebris ſplendeſcat lux, & tenebræ ſint ſicut meridies. Propterea ſi quandoque accidat & in veſtro collegio aliquos monachos aut vitio pravos eſſe aut infirmitate mentis debiles, non debetis eos, dum tales ſunt, in alias regiones ad cellas vel poſſeſſiones veſtras mittere ut ibidem commorentur, ne aliis ſint perditionis exemplum, & crimen eorum in totum veſtrum refundatur collegium: ſed ad hujuſmodi loca remota mittendi ſunt ad commorandum ſoli hi qui præfulgent ſapientia & ſanctæ converſationis honeſtate, ut in eis longè lateque luceat lux veſtra, & famæ veſtræ bonus odor reſpiret. Deſiderantes igitur non modicùm lucem ſanctitatis veſtræ apud vos reſplendere & infirma veſtra apud vos ſanari & roborari; volentes etiam vobis ad præſens deferre & famæ veſtræ parcere, mittimus ad vos duos monachos veſtros, Ph. videlicet & Th. qui aliquandiu in diœceſi noſtrâ apud Menting commorati ſunt: quorum unus, Ph. ſcilicet, in adulterio ibidem deprehenſus, inſuper propria confeſſione ſuper hoc convictus eſt. Thomas verò graviter defamatus ſuper fornicatione, etiam per proprios ſocios & monachos ſuos non potuit ſe purgare, utrique etiam, quaſi eſſent ſeculares, venationi & ſagittationi ſolebant intendere. Veſtræ igitur diſcretioni committimus hac vice eoſdem regulariter corrigendos, rogantes vos quantâ poſſumus affectione & devotione, quatenus ad prædictum locum nullum de monachis veſtris mittatis ibidem moraturum, niſi quem ornet morum & religionis honeſtas & illuſtret diſciplinæ regularis ſcientia & obſervatio: certiſſimè enim ſciatis quòd, adjuvante Domino, non ſinemus, pro poſſe noſtro, monachos in noſtra diœceſi commorari, niſi honeſtè converſantes & regulariter viventes ſecundum regulam beati Benedicti; ſed conabimur, quantum juvante Domino poterimus, ſecundum doctrinam Apoſtoli, * auferre malum de medio noſtri; ne modicum fermenti totam maſſam corrumpat & contagioſa ſcabies latius ſerpat. Valete. * 1 Cor. 5. ult.

Epist. 54. *Viro venerabili, Dei gratiâ Abbati S. Benedicti Floriacensis, Robertus miseratione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & sincerum in Domino charitatis augmentum.*

* S. Matt. 15. 14. SEcundum vocem Domini, * Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt: cæci autem sunt & vani quibus non subest scientia Dei, quos lux videlicet Divinæ legis non illuminat. Igitur non sunt præficiendi duces spirituales, nisi quos lux divinæ legis illustrat: in cujus splendore videant quò sequentes salvò perducant, ne ambulantes in tenebris & nescientes quò vadant, in foveam peccati & barathri cum suis sequacibus cadant. Propter hæc omni devotionis humilitate vobis supplicamus, quatenus ad Prioratum de Menting talem nobis præsentare curetis qui & legis divinæ luce viam veritatis videat & sanctitatis religionisque vigore per eam fortiter incedat, prudenterque cavens præcipitium sequaces suos ad stabilem perducat salutem. Sciatis enim quod non audemus curam spiritalem cuidam tradere, nisi qui curæ suæ commissis sciat & possit in viâ veritatis & sanctæ conversationis præire. Hoc etiam & vestra sancta religio modis omnibus & viribus debet solicitè satagere; de qua speramus quòd ad imitationem Salvatoris nostri Domini Jesu Christi non solùm parata sit, sed & ardenter desideret & æstuet pro animabus salvandis sanguinem fundere,& vitam hanc temporalem acerbissimæ & etiam turpissimæ morti tradere. Valete, &c.

Epist. 55. *Robertus Dei gratiâ Lincolniensis Episcopus dilecto in Christo filio, eadem gratiâ Abbati Leic. salutem, gratiam & benedictionem.*

ADjuvante Domino veniemus ad partes vestras & cognoscemus evidentius de statu H. canonici de Dork. pro cujus reditu in domum suam nos rogastis & utrum cum pace Abbatis & conventus de Dork. possit adhuc eò redire: conamini autem persuadere ejusdem reditum per infirmitatem ejusdem, & senium & diu desideratum mori in domo sua inter fratres suos: sed quanto infirmior est & senior corporaliter, tanto magis indiget de præteritis transgressionibus veram peragere pœnitentiam, ut renovetur tanquam aquilæ juventus ejus, & quod ad consummandum transmissus est ad vestrum Collegium. Quia igitur infirmus est & senex, expedit magis ut propter caussam prædictam vobiscum moretur, ut spiritus ejus juvenescat & sanetur; vestra etiam compassio quam dicitis vos habere de eodem, si est vera, plura ejus infirmitati & senio præstabit solatia quàm inveniret in domo propriâ. Insuper si habet cupiditatem dissolvi & esse cum Christo, sicut habuit Apostolus, bonum est eum esse ubi cupiditas hæc majorem habet incrementi fomitem: fomitem autem hujusmodi desiderata transitoria, cum habentur, solent aut penitus extinguere aut plurimùm enervare. Expedit igitur eidem magis vobiscum manere, quod desiderat minus, quàm domum redire, quod desiderat amplius:
† 2 Cor. 7.10. si autem ex vitæ hujus tædio & tristitia seculi, † quæ mortem operatur, accidiosè mori desiderat, expedit magis ut vestro fruatur solatio, hujusmodi tædium & tristitiam leniente, quàm locum adeat ubi (nisi veteres ejus mores plurimùm immutentur, de quo nullum adhuc certum recepimus argumentum) accidiæ magis inveniret fomentum. Suggillatis autem nos de ferreo pectore & carente pietate, in literarum vestrarum calce. Utinam
☞ pectus habeamus ferreum & durum, viz. quod molliri nequeat blanditiis seductorum; forte, quod frangi nequeat terroribus malorum; acutum quod vitia resecet & adversan-
*Cap. 3. 7, 8, 9. tia mala disturbet. In Ezechiele omnis domus * Israel dicta est fuisse duro corde; duritie videlicet crudelitatis & malitiæ; quam à nobis avertat Deus: contra quam duritiem data est prophetæ facies valentior faciebus eorum & frons ejus durior frontibus eorum; ut adamas videlicet & ut silex: de hac duritie quam habuit propheta, det nobis vel modicum
† 1 Cor. 10. 4. quid ille qui est vera petra, de qua dicit Apostolus, † Petra autem erat Christus. Si igitur duri sumus & ferrei crudelitate & pertinacia malitiæ, orate pro nobis Dominum, ut hanc duritiem suâ mollitie dignetur auferre: si verò duri sumus & ferrei ad modum prophetæ, orate Dominum ut hæc durities semper dum vivimus capiat incrementum. Valete.

Nobili

Nobili viro & amico in Chriſto chariſſimo W. Comiti Waren Rob. Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus, ſalutem & ſinceram in Domino dilectionem. Epiſt. 56.

SCripſiſtis nobis vos multum admirari ſuper eo quòd vos & N. capellanum veſtrum citari decrevimus reſponſuros & juri parituros coram nobis vel officiario noſtro; adnectentes dictum N. capellanum veſtrum nulla monitione præmiſsâ ſuſpenſum. Veſtræ igitur diſcretionis admiratio manifeſta eſt inſinuatio quòd nos in dicta citatione vobis & capellano veſtro fuerimus injurioſi: in modo quoque ſuſpenſionis idipſum ſatis evidenter innuitis. In his itaque inſinuationibus vos nobis, ſalva reverentia veſtra, injuriam intuliſſe videmini, cum nondum vobis conſtet nos vobis in quoquam fuiſſe injurioſos, patrumque verenda magis ſint à filiis velanda quàm revelanda. Ut autem intelligat veſtra diſcretio non nos vobis, ſicut inſinuatis, fuiſſe injurioſos, vobis ſignificamus per famam bonorum & gravium ad nos eſſe delatum, quòd vos feciſtis à dicto N. capellano veſtro in aula veſtra de Graham miſſam celebrari, quod ipſum vos etiam per ſcriptum veſtrum conceditis, addentes pro ratione hoc factum eſſe corporis veſtri infirmitate cogente. Cum igitur aula veſtra non ſit locus dedicatus, ſed ſit communis habitatio hominum, receptaculum comedentium & bibentium, frivola, ſcurrilia & fortè multoties immunda colloquentium & fortaſſis aliquando etiam immunda facientium, canibus etiam ubique in eâ diſcurrentibus & cubantibus, ſordeſque plerumque relinquentibus; quàm inconveniens ſit corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti filii Dei vivi quod aſſumptum eſt de mundiſſima Virgine, paſſum in cruce, in reſurrectione glorificatum & ſupra cœlos elevatum ibidem conficere & contrectare, neminem Chriſtianum debet latere: præſertim cum novi & veteris Teſtamenti præcepta & canonicæ ſanctiones evidentiſſimè prohibeant, ne alibi celebrentur miſſarum ſolennia, quàm in locis Deo dicatis & ſacratis, niſi ſumma coegerit neceſſitas. Voſmet igitur judicetis an ad noſtrum pertineat officium judicialiter cognoſcere utrum hujuſmodi ſint facta, & ſi facta fuerint, quibus auctoribus quibuſque miniſtris facta ſint, & utrum per aliquam neceſſitatem rationabilem habeant excuſationem: quod cum bene dijudicaveritis, credimus quòd citationem per nos factam injurioſam non reputabitis. Sacerdos quoque veſter non injurioſè ſine prævia commonitione ſuſpenſus eſt, ſed ob multiplicatam contumaciam ſuam, ordine juris obſervato juſtiſſimè. Vos igitur ſicut filius obedientiæ, quem vos eſſe profitemini & quem vos nos eſſe credimus, juri parere non contemnatis, innocentiam veſtram oſtenſuri, aut maculam delicti ſi aliqua fuerit mundaturi, à Deo gratiam & ab hominibus laudem ob hoc reportaturi: cum etiam filii obedientiæ ſecundum Canonicas ſanctiones vocati à non ſuo judice, allegaturi privilegium fori ſui debeant comparere. Nec ſuggerat quiſquam veſtræ diſcretioni, quòd indecens ſit excellentiæ veſtræ ab Epiſcopis citari vel coram eis comparere & juri parere; quia hujuſmodi ſuggeſtor hoc agit ut Chriſtus in Epiſcopis ſpernatur; dicente eodem Jeſu Chriſto, * Qui vos ſpernit, me ſpernit: & dicente Moyſe de ſe & Aaron fratre ſuo in perſona Pontificum ad quoſdam de filiis Iſrael,† non contra nos eſt murmur veſtrum ſed contra Dominum. Nec credat diſcretio veſtra aliam citandi vos ſubeſſe cauſam, quàm officii noſtri debitum veſtramque ſalutem, quam ſincera & ſpeciali charitate noveritis nos affectare. Valeat dilectio veſtra in Domino.

* S. Luc. 10. 16.

† Exod. 16. 8.

Reverendo in Chriſto patri Othoni Dei gratiâ S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato, Robertus miſeratione divinâ Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem, & quàm debitam tam devotam obedientiam & reverentiam. Epiſt. 61.

QUòd inter tot & tantas occupationes tam dulcifluo diligentique ſtylo noſtræ parvitati dignata eſt reſcribere ſanctitatis veſtræ paternitas, oſtendit eam, ad imitationem regnantis Domini charitatis, inductam invincibili fortitudine & humilitatis admirabili decore. Hujus tam humilis charitatis jubar, quod inſtar ſolis univerſam terram illuſtrantis, ſuæ lucis radios ſuper omnes generaliter diffundit, ſuper noſtræ parvitatis infimitatem, ut multiplici probavimus experientia, quadam ſpecialis affectionis radioſitate gratiori refulſit amplius & ſuavius, ſicut ſol quædam terræ loca perluſtrat & confovet, plenius emiſſis illuc radiis, directius & uberius. Accidit autem plerumque quòd

terræ particula quam sol irradiat, in suæ radiositatis virtute aliquid exhalet nubilum de propria tenebrositate, quod tamen cito dissipant vis descendentis luminis & lenis auræ flatus de eadem terrâ spirantis. Huic aliquid consimile nobis accidit; quia sicut ex tenore vestri dulcifluî rescripti perpendimus, de tenebris insipientiæ nostræ in paginâ quam vestræ sanctitati direximus aliquid exhalavit nubilum, quod tamen perstantibus in sua virtute charitatis vestræ radiis, super nostram parvitatem uberius diffusis, accedente verborum hujus paginæ tanquam auræ lenis spiramine, speramus penitus dissipandum. Voluimus namque in præfata paginâ quam vobis direximus conditiones boni pastoris breviter tangere & incidimus in illud poeticum

——— Brevis esse laboro,
Obscurus fio.

Cum enim doctrina & operatio generaliter contineant quæ bonum pastorem perficiunt, ea quæ pertinent ad doctrinam aliquantum diffusius & luculentius scripsimus: quæ verò ad operationem attinent brevitatis & obscuritatis nubilo nimis obteximus, ut quasi omissâ omnino viderentur, licèt nostra intentio plus etiam in dicta pagina bene operantem quæsierit quam præclarè docentem; nec crediderit se qualem vos luculenter & eleganter describitis operantem omnino siluisse. Mallemus utique, sicut & vos magis vultis, pastorem utrisque pollentem, quàm in altero deficientem: sed quanto operatio est major doctrinâ, & quanto iter peragere magis est quàm quà eundum est perspicere; tanto vobiscum majorem reputamus & præeligimus pastorem operibus strenuum sine doctrinæ eruditione, quàm præclarè docentem absque operum strenuitate. Insuper ex fine rescripti vestri percepimus quòd nostræ paginæ finis habebat aliquid nubilum in quo potuit credi aliquid asperum seu pungitivum: Sed sciat charitas vestra quod de imperitia eloquendi planè quod voluimus processit, ut pungitivum, quod nequaquam intendebamus, ibi potuerit quoquo modo apparere: Avertat enim à nobis Dominus ut quenquam, nedum vestram sanctitatem nobis perpetuò charissimam, malignitatis alicujus aculeo attentemus contingere, & credimus firmiter quòd hæc vestra charitas de nobis non suspicatur: Sed in generalitate verborum quæ in fine nostræ paginæ posuimus intendebamus, quod tamen minus expressimus, quasi medicinali ferro saniosa tubera cupidè aspirantium ad majora, salubriter aperire, & saniem exprimere & emplastrum sanativum apponere. Vestram autèm sanctitatem, quam veraciter credimus & speramus in Domino Jesu Christo sincerissimam, intendebamus non solùm per paginæ nostræ totalitatem, sed per singulas ejus particulas, quinimò & per singulas ejus dictiones & syllabas & literas eo modo stimulare in pugnam & cursu ferventis zeli de idoneo pastore præficiendo in Ecclesia Wint. quomodo spectatores viriliter pugnantium eosdem applausu stimulant & excitant ad acrioris pugnæ indefessam continuationem, & equorum generosorum sessores eosdem equos toto annisu sponte currentes nihilominus calcaribus urgent ad cursûs integram perfectionem. His stimulis multifariè multiplicatis optamus toto desiderio vos indesinenter stimulari in indefessis pugna & cursu prædicti zeli; donec vestro cooperante ministerio providerit Dominus Ecclesiæ suæ de tali pastore qualem nos scimus continuis & anxiis cordis gemitibus ab eo postulare. Valeat sancta paternitas vestra per tempora longiora.

Epist. 62. *Venerabili in Christo fratri & amico charissimo R.* Dei gratia Cicestrensi Episcopo Domini Regis Cancellario, Robertus eadem gratiâ Lincoln. Ecclesiæ minister humilis, salutem & sincerum fraternæ charitatis augmentum.*

* Hic fuit Radulphus de Nevillâ qui obiit 1244. Matt. Paris p. 614. quo pacto autem hic episcopus ab Archiepiscopatu Cantuariensi excidit, omnino lege apud eundem pag. 370. & 371. cui si credendum est, par hoc Episcoporum (Robertus sc. dator, & Richardus acceptor, harum literarum) præ miraculorum frequentiâ in Lincolniensi & Cicestrensi Ecclesiis editorum, sanctorum opinionem sibi unà conciliârunt (Matt. Par. p. 605.) illo quidem à populo Anglicano; hoc verò ab Urbano Pontifice Romano, canonizato (Id. pag. 982.) vivit autem fama Roberti vigetque multo magis, quàm illius Radulphi: tantum interest inter utriusque modum & consilium canonizationis.

Rogavit nos dilectionis vestræ sinceritas quatenus scriberemus Domino Papæ & specialibus nostris in curiâ pro postulatione vestrâ in formâ quam Deo & Ecclesiæ & honori vestro videremus convenire; quod, sciat charitas vestra, devoto animo faceremus si formam his convenientem nosceremus: Est autem veræ amicitiæ lex, ut quemadmodum benignè concedit petitum quod credit petenti utile, sic neget quod credit

dit petenti damnoſum, quantumcunque fuerit & ſibiipſi quod petitur negare, & petenti repulſam pati, moleſtum. Ex hac lege amicitiæ Deus, qui ſummus amor eſt, chariſſimos ſuos plerumque non exaudit ad votum, licèt eoſdem eo ipſo quòd non exaudit ad votum, exaudiat ad ſalutem. Ex hac eadem lege amicitiæ vos non exaudiens noſtra, quam erga vos gerimus, dilectio, ad veſtrorum conſiliariorum votum, exaudiet vos, ut ſperamus, ad ſalubriorem effectum. Sicut enim nobis planè videtur, ſi pro veſtrâ poſtulatione domino Papæ ſeu venerabilibus patribus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus à quoquam ſcribatur, ſtatim fortè ab eorum aliquibus dicetur, & proculdubio à veſtris adverſariis omnibus, conſtanter clamabitur, hujuſmodi ſcriptionem à vobis eſſe procuratam, & ex hoc ipſo contra vos naſcetur violenta præſumptio, quòd locum ad quem poſtulati eſtis affectatis tanquam locupletiorem, allegabuntque contra vos maximè adverſarii veſtri, quòd eo ipſo ſitis repellendi, proferentes in medium illud canonicum, * *Sicut is qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris altaribus eſt admovendus, ſic qui ultro ambit vel importunum ſe ingerit, proculdubio eſt repellendus:* & iterum illud, *Sicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugentibus eſt offerendus: & illud Apoſtolicum* †, *Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te:* & illud quod *B. Bernardus ſcribit ad* Papam Eugenium, videlicet, quòd *non volentes nec currentes aſſumat ad pontificatum, ſed cunctantes & renuentes, qui non ſunt attritæ frontis ſed verecundi & timorati, præter Deum timeant nihil, nihil ſperent niſi à Deo.* Hæc & alia hujuſmodi imò & his violentiora, quorum tam in ſacra paginâ & ſcripturis canonicis quam ſacræ paginæ expoſitionibus, copioſa, ut ſcitis, eſt abundantia, libenter allegarent contra vos qui vobis adverſantur, nactâ occaſione etiam leviſſimâ de modico ſigno affectationis honoris. Ideo, ut noſtræ modicitati videtur, multo conſultius eſt ut à nemine pro veſtrâ ſcribatur poſtulatione, ne fortè, quod abſit, inde paretur læſio unde ſperabatur ſalutis augmentatio. Totum igitur negotium iſtud committatur Deo; quia ſi incepta eſt ejuſdem ordinatio de voluntatis ejus beneplacito, non deſiſtet ante conſummationem ab incepto: Non enim eſt abbreviata manus ejus, quin valeat conſummare quod incepit ædificare. Nec hoc dicimus quaſi coadjutores Dei in hujuſmodi eſſe non debeamus, ſed tanquam exquirenda ſint in talibus non humanæ providentiæ ſed divinæ ſapientiæ adminicula; & tanquam non noſtra ſed ſolùm quæ Jeſu Chriſti ſunt, in his ſunt appetenda; ut videlicet in Eccleſiâ ſuâ præficiantur paſtores ipſum paſtorem ſummum imitantes, qui gregem Dominicum judicio paſcant & juſtitia, ſcientia & doctrinâ animas ſuas pro grege ſuo parati ponere: qui ſicut docet beatus Bernardus, ſtent viriliter pro afflictis & judicent in æquitate pro manſuetis terræ; qui ſint compoſiti ad mores, probati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubjecti ad diſciplinam, rigidi ad cenſuram, catholici ad fidem, fideles ad diſpenſationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem; qui ſint in judicio recti, in conſilio providi, in jubendo diſcreti, in diſponendo induſtrii, in augendo ſtrenui, in loquendo modeſti, in adverſitate ſecuri, in proſperitate devoti, in zelo ſobrii, in miſericordia non remiſſi, in otio non otioſi, in hoſpitio non diſſoluti, in convivio non effuſi, in curâ rei familiaris non anxii, alienæ rei non cupidi, ſuæ non prodigi, ubique & in omnibus circumſpecti. Si talium paſtorum ferventi deſiderio, quæ ſolius Chriſti ſunt, quæramus, quæ noſtra ſunt non quærentes, ipſe cui cura eſt de omnibus quæ noſtra ſunt, quæret & ſine nobis melius quàm deſiderare ſciamus, univerſa conſummabit. Valeat fraternitas Veſtra in Domino.

* Cauſ. 1. qu. 6. c. Sicut ii.
† Heb. 5. 4, 5.

Robertus Dei gratia Lincoln. Epiſcopus dilectis in Chriſto filiis Abbati & Conventui Rameſey ſalutem, gratiam & benedictionem. Epiſt. 63.

* QUIA omnia in nobis honeſtè & ſecundum ordinem fieri decet, ut non vituperetur miniſterium noſtrum, cavendum nobis eſt ſummopere ut nil acceptemus in noſtro miniſterio quod obviet antiquis approbatis conſuetudinibus, ſeu ſacrorum canonum inſtitutionibus, ſeu ſanctorum patrum & expoſitorum ſacræ paginæ traditionibus. Habet autem antiqua & approbata conſuetudo, ut de Eccleſiâ dedicandâ efferantur omnia quæ non poſſumus rationabiliter interpretari partes eſſe domûs dedi-

* Scripta eſt hæc Epiſtola A. D. 1238. Docet enim nos Matt. Paris (edit. Lond. 1642. pag. 481.) Robertum Lincolnienſem, Eccleſiam Conventualem Rameſeiæ conſecraſſe 10. Cal. Octob. eodem anno: Ex quo hiſtorico, ſicut & Annalibus Burtonenſibus, Knightono inter Decem ſcriptores, aliiſque petenda ſunt multa, quæ non ſolùm tempora ſcriptionis harum literarum (quæ magno legentium incommodo in omnibus MSS. omittuntur) indigitabunt, ſed lucem rebus in eis contentis afferent magnam.

candæ; quæ autem rationabiliter dici possunt domus dedicandæ esse particulæ, in suis locis remaneant incorrupta & fixa; ut ostia, fenestræ, trabes, muri & parietes etiam interiores & sedilia fixionem manentem tenentia; imagines verò, horologia, thecæ, sedilia non fixa & mortuorum tam fidelium quàm infidelium corpora quæ notum est infra domum dedicandam esse sepulta, vel in thecis reposita, quia domûs dedicandæ particulæ nequaquam existunt, efferri de majorum præcepto consueverunt. Unde, sicut pro certo accepimus ab his qui interfuerunt, beatæ memoriæ Stephanus Cantuar. Archiepiscopus, cum Ecclesiam Conventualem Sanctæ Trinitatis London dedicaret, tam corpora sanctorum quàm aliorum in eadem Ecclesia quiescentium efferri fecit, & statim Ecclesiâ dedicatâ cum debita veneratione referri. Canonum quoque institutio habet quòd Ecclesiam in qua cadavera mortuorum fidelium vel infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet. Beatus quoque Gregorius Castorio Episcopo Ariminensi oratorium Timotheæ, illustris fœminæ, committit dedicandum, si tamen nullum corpus ibidem constet esse humatum. Ideo vobis mandamus firmiter injungentes, ut in vesperâ diei dedicationis Ecclesiæ vestræ, omnia quæ in particulas Ecclesiæ vestræ computari rationabiliter non possunt, efferri faciatis & etiam sanctorum corpora in loco competenti extra Ecclesiam honorificè collocanda, nocte totâ cum devotione in vigiliis & orationibus observanda, peracto dedicationis officio, cum solennitate debitâ referenda: Et quia sanctorum loculi cum summa devotione & timore mentisque puritate sunt contrectandi, consulimus in Domino, ut ante dictorum corporum commotionem, jejuniis, vigiliis, orationibus & eleemosynarum largitionibus vosmetipsos
Vah! purificantes, eorundem sanctorum impetrare satagatis consolationem.

Epist. 64. *Sanctissimo Patri & Domino Gregorio Dei gratiâ summo Pontifici Robertus miseratione divina Lincoln. Ecclesia minister humilis, pedum oscula beatorum.*

NON solùm abundans sed & superabundans multiplicium beneficentiarum gratia, quam meæ parvitati gratis exhibuit sanctitatis vestræ benignitas gratiosa, id parvum quod sum totum rapit in gratiarum actionem perpetuam; & quia gratiæ proprium est ut quem gratis prævenit, eundem supplicem etiam amplioribus subsequatur beneficiis, spem firmissimam gero quòd vestræ sanctitatis affluens gratia & instar putei aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano, semper magis ac magis exuberans, me supplicem vestrum, quem uberrimis insudit initiis, usque in finem subsequetur, augmentata superfusione beneficentiæ copiosioris. Ex hujus itaque spei confidentiâ, ad pedes vestræ sanctitatis dilectum in Christo clericum meum S. latorem præsentium, procuratorem meum mitto, quantâ devotione valeo humillimè supplicans, ut quæ vestræ sanctitati ex parte parvitatis meæ proponet, audire dignemini solitâ benignitate, quæ in his justa fuerint & honesta in honorem Dei seu libertatem Ecclesiasticam seu animarum salutem tendentia, solito benignitatis favore prosequentes: siqua verò per meam vel dicti procuratoris mei negligentiam his fuerint proposita contraria, misericordi severitate repellentes; quia non minus reputandum est beneficium quod minus justè vel minus honestè petitur, non annuere, quàm justè & honestè petitum concedere. Incolumitatem vestram conservet Altissimus, per tempora longa, mihi & Ecclesiæ suæ.

Epist. 65. *Venerabili in Christo patri R. Dei gratiâ sancti Eustachii diacono Cardinali Robertus miseratione divina Lincoln. Ecclesia minister humilis, salutem, & quàm debitam tam devotam cum omni reverentia obedientiam.*

DE vestra promotione, sicut literatoriè rogastis, gratias exolvimus Domino Jesu Christo, sperantes quod eadem sit non mortua sed viva promotio: tunc autem est promotio viva, cum potestativa dignitas temporaliter transitura animatur elevatione spiritûs in immutabilia; ut quantum qui promotus est, priori statui supereminet, adquisitis potestate & dignitate, tantum, imò incomparabiliter amplius, ejusdem spiritus sublimetur solius æternitatis superfervido amore, æternorum perspicua contemplatione, transitoriorum omnium despectione, & non fictâ humiliatione animi de timore periculi ex collocatione in gradu sublimi, de quo gradu imminet major cadendi facilitas & læsionis in

in cadendo gravitas, cum ibi amplius tonent potentium minæ, violentius fulminent eorundem terrores, fortius * impellant tentationum flatus, & lubricatior sit pedis fixio humectato loco divitiarum affluente luto, ubi sola securitas est nunquam esse securum, sed semper pavidum & trementem & cum afflicto Job † omnia opera sua verentem. Quia itaque speramus vestram promotionem non mentis elatione mortuam & depressam, sed spiritûs contribulati humiliatione, ut diximus, vivam, & in cœlestia erectam (sola enim humilitatis profunditas miro modo est cœlum attingens sublimitas) de vestrâ promotione gaudemus in Domino & laudes ei referimus; & quia in fine literarum vestrarum dedistis nobis audaciam confidenter petendi à vobis quæ nostro complacent desiderio, fiducialiter rogamus vestram dilectissimam paternitatem quatenus negotiis nostris in Curia expediendis, quatenus fulciuntur honestate & justitiâ, favorem, consilium & auxilium solito benignitatis more velitis impendere. Cæterùm rogastis nos ut vicarium de * Makeseia licentiaremus ad standum in vestro servitio, dummodo faceret vicariæ suæ alterius sacerdotis ministerio deservire: quod hucusque, licèt cum trepida conscientiâ, benignè permisimus: & quia in hujusmodi ex mentis nostræ pusillanimitate & potestatis † meæ parvitate timidi sumus, quantâ possumus affectione vestræ paternitatis discretionem rogamus, quatenus ipsamet de cætero quam Deus sua clementiâ in pleniori constituit potestate & majori conscientiæ securitate, in dicta licentiatione & consimilibus ordinet & disponat secundum quod noverit ad Dei honorem cedere & animarum saluti expedire; quæ duo tantæ dignitatis sanctitatem non ambigendum est omnibus transitoriis commodis incomparabiliter præferre: veruntamen quod de hujusmodi in diœcesi nostrâ ordinaverit, exemplo beati Gregorii, nobis velit insinuare. Ad hæc quia cum Psalmistâ dicitis, * Zelus domûs tuæ comedit me; & iterum †, Domine dilexi decorem domûs tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ; quam vera sit Psalmodizantis affectio probabit Ecclesiæ vestræ de Castre, cum opportunitas occurrerit, adornatus & reparatio. Valeat in Domino sancta paternitas vestra.

* Impulsant. Cod. Bened.
† Cap. 9. 28.
* Mokeseia. Id.
† Nostræ. Id.
* Psal. 69. 10.
† Psal. 25. 8.

Viro venerabili, Dom. Jo de Ferentino Domini Papæ Camerario, Robertus miseratione divinâ Lincoln. Ecclesiæ minister humilis, salutem & sinceram in Domino dilectionem. Epist. 66.

SUfficienti nobis constat certitudine, quòd vestra dilectio sincera, quæ non in nostris meritis sed sua bonitate arctius est amplexata, in adventu vestro de nostris partibus ad Curiam & continuè deinceps, æmulorum nobis detrahentium & nostram parvitatem apud sanctissimos patres, summum videlicet Pontificem sibique assistentes Cardinales omnino adnullare molientium ora livida obstruxit, & dentes eorum in ore ipsorum contrivit, malasque confregit; adjecitque insuper, nos licèt indignos apud dictos patres sanctissimos multipliciter collaudare & benevolentiam adversus nos captare, negotiisque nostris & Ecclesiæ modicitati nostræ commissæ expediendis, ad honorem Dei & salutem animarum, salubre consilium & efficax auxilium incessanter præstare. Tantis beneficiis cum ipsimet non habeamus quod condignum retribuamus, orabimus semper Omnipotentem, qui solus potest, scit & vult, non solùm condignè sed supra condignum omnia remunerare, quatenus ipse vestram remuneret beneficentiam secundum latitudinem largitatis suæ. Et quia radicata dilectio naturaliter expandit se incessanter in latiores ramos beneficentiarum, maximè cum supplici gratitudine, velut rore quodam irrigatur; quantâ possumus gratâ devotione supplicamus, quatenus ea quæ de vestræ dilectionis radice jampridem pullulaverint, in ampliorem continuè propagentur latitudinem. Valeat dilectio vestra in Domino.

Venerabili

Epist. 68. *Venerabili in Christo Patri Thomæ Dei gratiâ S. R. E. Cardinali Robert. miseratione divinâ Lincoln. Ecclesiæ minister humilis, salutem, &c.* ut antea in Epist. 65.

LOngo cremento solidata robora apta sunt ad supportandum in ædificiis onera, etiamsi fuerint non mediocriter gravia: dilectio autem vestra ad Lincoln. Ecclesiam à tempore bonæ memoriæ H. prædecessoris mei, velut arbor imputribilis hucusque est crescendo roborata, & ideo ad supportandum ædificii spiritualis ejusdem Ecclesiæ onera non modicùm est apta. Onera autem hæc, sunt negotia ad honorem Dei & salutem animarum mihi licèt indigno commissarum in Curia expedienda; ideoque velut fortem onerum supportatorem in dictis negotiis expediendis, specialem vos elegi confortatorem & adjutorem; ad pedes vestræ sanctitatis humiliter prostratus supplicans quatenus per S. procuratorem meum vestræ paternitati exponenda in honorem Dei & salutem animarum tendentia, solito benignitatis favore velitis prosequi & promovere; his autem adversantia, sive à dicto procuratore, sive à quolibet alio proposita, studeatis intuitu charitatis excludere.. Valeat sancta paternitas vestra in Domino.

Epist. 71. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Episcopus dilectis in Christo filiis W. Decano & capitulo L[illegible] salutem, gratiam & benedictionem.*

SEcundum legem divinam & naturalem, filii carnales parentibus suis rependunt amorem, timorem, honorem, obedientiam, sufferentiam, verendorum velationem & defectionis in sensu veniam & relevationem: & quanto spiritus est major & melior corpore, spiritualisque cognationis nexus incorruptior omni carnali proximitate, tanto filii spirituales ad parentes suos prænominatas affectiones & operationes observant sincerius & incorruptius in omni integritate. Ego autem, licèt sim homo contemptibilis, utpote invalidus & infirmus corpore, multoque debilior & infirmior mente, relatione tamen fraternitatis spiritualis & ex vestra electione, ordinante Domino, ad vos referor, & secundum quod conscientia mea, tenebris peccatorum obfuscata, seipsam dijudicare potest, credo & confido in Domino quòd ad vos universos & singulos paternum gero affectum, sicut homo peccator potest, sincerum & incorruptum; sperans quòd cooperante Salvatoris nostri gratiâ, neque tribulatio nec angustia, neque persecutio aut etiam gladius à paternali affectu ad vos, me separabit. Et quia in spiritualibus bonis me, qui in illis modicùm aut nihil vigeo, incomparabiliter amplius vos vigetis, non possum non sperare, quantum ex parte vestrâ stet filialis affectio ad me sincera & incorrupta; quia etiam arbor bona affectionis puræ & voluntatis bonæ non potest fructus bonos correspondentium sibi bonarum operationum non facere; non possum non existimare (quantum sincera & incorrupta integritas vestræ filialis affectionis voluntariæ ferat erga me fructus quales decent filios intemeratæ obeditionis) ut videlicet, secundum doctrinam
[* Ecclesiastic. 3. 15.] scripturæ * in defectibus sensûs mei veniam donet, infirma mea supportet, verenda mea velet, non pallio adulatoriæ excusationis, seu falsæ justificationis † quæ dicit malum, bo-
[† Esai. 5. 20.] num; & bonum, malum; ponens lucem tenebras, & tenebras lucem: quià hujusmodi coopertio impia est pudibundorum detectio, faciens ipsa in tumorem exuberare, donec turpius erumpant in apertum; sed pallio manifestæ denunciationis & Evangelicæ correptionis, quæ mala mea non statim mundo propalet; sed prius mihi, non eorum quædam solùm, sed quotquot noverit dilucidè describat, non sub generalitate quadam divisibili in plures species, cum angulus generalitatis interius tenebrescat & sordes colligat
[* Ita est in utroque MS. sed debet esse [ut non.]] (quales angulos non quærit veritas, sed hi qui male agunt & lucem oderint ut * arguantur eorum opera) sed per species specialissimas, quæ subdivisionem in ulteriores species non capiunt; his malis quæ per se mala non sunt habentia in seipsis suæ malitiæ evicentiam adnectens, sine alicujus occultatione, circumstantias & causas quibus ad genus mali trahuntur. Talis enim malorum manifestatio apud eos qui bonum & verum diligunt, est vera & pia verendorum occultatio; quia dilectoribus veri & boni mala sua veraciter agnoscentibus statimque ea deserentibus, & compunctione tergentibus, mali turpitudo dilectionis velamine beatissimè contegitur. Quia igitur hujusmodi velamento malorum meorum maximè indigeo, vehementerque illud desidero, ut connumerari merear inter
[† Psal. 32. 1.] illos † quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata, supplico & obsecro per

per Salvatorem noſtrum Dominum Jeſum Chriſtum, inſuper quoque (non ex imperandi libidine, ſed ex correctionis amore) cum Evangelicum ſit verenda patris prædicto modo velare, in virtute obedientiæ præcipio, quatenus ſub forma præſcriptâ verenda malorum meorum ſine moræ diſpendio cooperiatis, & præcipuè illa, ſiqua tamen ſunt, quæ aſſeritis in injuriam veſtri vergere, ob quod ad dominum Papam vocem appellationis emiſiſtis. Spero enim & confido in Domino noſtro Jeſu Chriſto qui eſt Veritas æterna, quòd aliquam ſcintillam amoris veritatis in anima meâ, licèt peccatrice, accendit; ex qua, ipſius favente gratiâ, promptum habebo animum ad mala deſerenda, cùm mihi mala eſſe patuerint, & omnes injurias revocandas & corrigendas, ſi quas, quibuſque, & maximè vobis, à me irrogatas agnoverim. Novit autem ſcrutator cordium & renum, quòd intentionis meæ, ut ſpero, nunquam fuit in miniſterio officii Epiſcopalis cuiquam injuriari aut jugum ſervitutis imponere, aut quorumque bonas conſuetudines infirmare; ſed pro modulo meo, ſecundum officii mei debitum, animas à diaboli irretitas laqueis eripere, à jugo ſervitutis peccati eruere & in Spiritûs libertatem erigere. Quia tamen *omnes juſtitiæ noſtræ ſunt ſicut * pannus menſtruatæ, & † in multis offendimus omnes:* ille quoque ſupereminenter juſtus * *verebatur omnia opera ſua*, ſcio quòd licèt pravæ intentionis in hac parte non ſum mihi conſcius, tamen in hoc non ſum juſtificatus, ſed vehementer in omnibus timeo meos errores; & ideo, ut ſuprà inſinuavi, vehementer deſidero eorundem filiales correptiones & coram Domino juſtas & miſericordes correctiones. Certus ſum autem quòd ſi ego & vos non diligamus noſmetipſos pluſquam veritatem, nec ſententias noſtras defendamus quia noſtræ ſunt, ſed ſolùm quia veræ; veritatem, ſicut decet filios veritatis, nobis & noſtris præferentes, citò & de facili faciemus quod ſcribens Corinthiis obſecrat Apoſtolus, videlicet, † *id ipſum dicemus omnes, & non erunt in nobis ſchiſmata, ſed perfecti erimus in eodem ſenſu & in eadem ſcientiâ.* Ipſe autem qui eſt via, veritas & vita, qui pro veritate ſervanda & animabus ſalvandis vitam ſuam pretioſiſſimam dedit morti acerbiſſimæ & turpiſſimæ, lumine vultûs ſui ſignato ſuper nos diſſipet & deſtruat amorem noſtri & noſtrorum pluſquam veritatis & ſalutis animarum; ne quiſquam noſtrûm reperiatur de numero illorum propter quos dicit Apoſtolus quòd * *in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa & erunt homines ſeipſos amantes;* quos etiam ex mali hujus radice pullulantibus conſequenter, ut noſtis, pernicioſiſſimis involutos oſtendit accidentibus: hujuſmodi enim homines ſui & ſuorum pluſquam veritatis amatores, ipſo principe Babylonis videntur elatiores; quia ipſe ad ſimilitudinem Altiſſimi ſe extulit, hi autem ſe efferunt ad ſuperpoſitionem. Cum enim ſe præferunt veritati, cui ſe præferunt niſi Altiſſimo Filio Dei? Ipſe enim ait, † *Ego ſum via, veritas & vita:* non immeritò igitur præcipit Apoſtolus * *tales devitare:* nos igitur & hos devitemus, & nobiſmetipſis incomparabiliter & inſuperabiliter veritatem & veram animarum ſalutem, ad imitationem veri Magiſtri humilitatis, præferamus. Vos autem tanquam filios chariſſimos obſecro per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti & per adventum ejus ad tremendum judicium, qui animam ſuam pro ovibus ſuis in cruce poſuit, & vos paſtores idem facere docuit, quatenus pro ſalute animarum operandâ non ſolùm veſtra quantumcunque pretioſa, ſed & voſmetipſos abnegetis, meque debilem & pigrum in miniſterio ſalvationis animarum, & inſufficientem in eodem miniſterio fideliter, filialiter & viriliter juvetis, nulla eidem opponentes obſtacula vel impedimenta vel opponi procurantes, ſed omnia, quantum in vobis eſt, auferentes; ut ſimus omnes unum in Chriſto †, *qui eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum.* Valeat fra ....

* Iſai. 64. 6.
† S. Jacob 3. 2.
* Job 9. 28.
† 1 Cor. 1. 10.
* 2 Tim. 3. 1, 2.
† S. Johan. 14. 6.
* 2 Tim. 3. 5.
† Eph. 2. 14.

*Viro venerabili, & amico in Chriſto chariſſimo, Magiſtro * J. Romano, ſubdecano Eborac. Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus, ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum.* Epiſt. 72.

* De quo vide Matt. Pariſ. p. 921.

DEI Filius de ſinu Patris venit in uterum Virginis, de qua natus eſt homo; qui æternaliter natus eſt Deus de Deo, & impaſſibilis ſecundum Divinitatem, poſt contumelias, flagella, colaphos, ſputa, deriſiones, crucis mortem ſubiit probroſiſſimam & acerbiſſimam, ut ſalvos faceret peccatores: in hoc inſtruens doctores & paſtores Eccleſiæ, ut ad ejus imitationem non timeant ſubire quantumcunque infima, quantumcunque probroſa, quantumcunque aſpera & dura pro ſuarum ovium ſalute: quinimò ſicut ipſe ſponte ſuſtinuit hujuſmodi omnia pro ſalvandis animabus; ſic & ipſi eadem causâ ad hæc gaudentes omnibus accelerent conatibus; quibus igitur incumbit ex officio pro animarum ſibi commiſſarum ſalute, omnia etiam moleſtiſſima & confuſibilia gaudenter ſuſtinere, quantâ percellendi ſunt damnatione cum non ſolùm ſalutem animarum negligunt,

ligunt, sed scienter & prudenter, quantum in ipsis est, easdem perditioni tradunt? quod evidentissimè faciunt, qui curam animarum voluntariè committunt aut committi procurant his qui eas curare nequeunt, aut nesciunt, aut nolunt. Nam qui navem hominibus plenam in mari scopuloso & procelloso regendam tradit imbecilli, puero, vel paralytico, seu artis navalis penitus ignaro, seu nolenti manum unquam adjungere gubernaculo, quid aliud facit quàm navem cum hominibus evidenter tradit naufragio, reum se constituens mortis omnium, etiamsi aliunde nacto adjutorio evadant mortis periculum? Hæc & alia hujusmodi, summè pertimescenda in traditione curæ animarum, non quantum oporteret, crebrò tamen considerans, nil in conspectu tremendi judicis tantum pertimesco, quantum animas curandas tradere his de quibus certum est quòd animas nequeunt aut nesciunt aut nolunt curare, cum hoc sit (quantum est in hujusmodi voluntariè tradente animas pro quibus Christus mortuus est, pro quibus etiam & pastor mori debet) discrimini tradere, hujus timoris clavis non confixus. Unde vehementer doleo, tamen aliquantulum, ut spero, punctus, nepoti vestro S. omnino ferè illiterato (quod teste Domino, valdè molestum gero) regimen Ecclesiæ de Stamford super Avon non ausus sum committere; ne primò me tradentem gubernaculum illumque recipientem, animasque gubernandas, quantum in me est, demergam in profundum; ut urgeat super nos omnes, quod avertat Deus, puteus, de quo non est regressus, os suum. Non itaque vestræ molestum erit sapientiæ si momentaneum & parvum cujusquam contemnam commodum, ne ipse & ego multique alii æternum & intolerabile incurramus dispendium. Novit autem Is quem nil latet, quòd affectuoso animo paratus sum facere ea quæ vobis noverim complacere; dum tamen tremendo Judici crediderim ea non displicere. Non enim ingratus sum vestræ beneficentiæ quæ multoties multipliciter meam parvitatem honoravit: oportet nos omnes tamen incomparabiliter magis esse gratos ei qui seipsum pro nobis tradidit. Vale.

Epist. 73. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Episcopus dilectis in Christo filiis W. Decano & Capitulo Lincoln. salutem, gratiam & benedictionem.*

EXpositâ prudentibus Deumque timentibus intentione vestrâ, qua intenditis & obtinere nitimini ne Episcopus vester causas aliquas defendat vel excessus quosquam corrigat aliquorum Canonicorum Lincoln. Ecclesiæ, vel clericorum frequentantium ejusdem Ecclesiæ chorum, vel aliquorum vicariorum seu sacerdotum seu clericorum vel etiam laicorum de dignitatibus vel de præbendis vel de communa, neque aliquorum qui sunt de Canonicorum familiâ, nisi fortè causæ decisio vel excessus correctio aliquorum prænominatorum devolvatur ad Episcopum per Appellationem, vel Decani Lincoln. negligentiam; requisito quoque eorundem prudentum Deumque timentium super intentione vestra consilio, visum est eisdem eandem intentionem vestram multo altera obvolvere in consequentia quàm primâ facie videatur prætendere: consequitur enim ad eam quòd quocunque prædictorum quocunque modo committente in auctoritatem, dignitatem vel officium Episcopale, sive in aliquo prædictorum locorum sive extra loca prædicta, non posset Episcopus vester hujusmodi commissum per se punire, sed oporteat aut hujusmodi commissum impunitum & incorrectum dimitti, aut Episcopum vestrum hujusmodi injuriam coram suo inferiore prosequi, & à suo inferiori judicari. Exempli gratiâ, Episcopo vestro per Ecclesiam aliquam dignitatis, præbendæ vel communæ vestræ transitum faciente, licèt contemnatur vel negligatur à ministris Ecclesiæ talis in suo transitu, prout moris est pulsari secundum intentionis vestræ consequentiam, non poterit Episcopus vester hujusmodi commissum sibi suisque tunc notorium in continenti punire, sed oportebit eum hoc impunitum relinquere, vel ad suum inferiorem referre, coram quo inferiori is qui taliter commisit, cum idem commissum non sit apud eundem inferiorem notorium, habebit si voluerit, legitimas defensiones, nec poterit puniri, nisi, accusante Episcopo legitimè, contingat eundem convinci. Idem quoque accidet si quisquam prænominatorum repellat Episcopum verum ab ordinum vel divinorum celebratione, seu quorumque sacramentorum administratione, non solùm in prædictis locis, sed etiam in aliis ejusdem dioecesis, contemptu, omissione vel negligentia quacunque, seu conviciis & contumeliis seu quantumcunque gravissimis injuriis in auctoritatem, dignitatem vel officium Episcopale non vereatur committere. Legimus tamen aliter de Moyse; qui postquam constituerat sub se tribunos & centuriones & quinquagenarios & decanos ad judicandum populum omni tempore, nihilominus ipsemet

met * delictum filiorum Iſrael commiſſum in officium paſtorale in vituli aurei conflatione & ejuſdem adoratione delinquentium morte punivit, *vitulumque combuſtum & contritum uſque ad pulverem in aquam ſparſit, & filios Iſrael ex eo potavit*, ut per hoc eos qui deliquerant ab aliis diſcerneret. Ipſe quoque Moyſes, † inſurgentibus contra eum Chore, Dathan & Abiron, & committentibus in officium paſtorale ipſi Moyſi traditum, miſit ut vocaret Dathan & Abiron, ipſemet diſcrevit quid facturi eſſent in officium ſibi creditum delinquentes, ut appareret quos Dominus in hoc officium elegiſſet. Licèt igitur ut prædixi, haberet Moyſes ſub ſe jam conſtitutos inferiores judices, nihilominus tamen delinquentes in miniſterium ſibi creditum ipſemet punivit, ipſe dijudicavit. Conſequi etiam videtur ex eadem intentione veſtrâ quòd quicunque de cujuſcunque ſit juriſdictione, quocunque præfatorum modorum delinquens in auctoritatem, dignitatem vel officium Epiſcopale in quoquam præfatorum locorum, ita fiat de juriſdictione veſtra ratione locorum in quibus delictum committitur, quòd Epiſcopus veſter non poſſit hujuſmodi delictum quantumcunque notorium incontinenti punire & corrigere, ſed oportet Epiſcopum veſtrum, hoc impunitum, ut ſuprà dictum eſt, dimittere, vel ad ſuum inferiorem ab eo judicialiter diſcutiendum referre. Alia quoque delicta à quibuſcunque prænominatorum ubicunque commiſſa, vel à quibuſcunque aliis in prænominatis locis commiſſa, quantumcunque fuerint Epiſcopo notoria, quantumcunque publicè coram eodem confeſſa, ſecundum conſequentiam intentionis veſtræ, non poterit Epiſcopus veſter incontinenti punire & corrigere, ſed oportebit quòd Jacob & David videant luce clarius oves ſuas, quarum damnum tenentur reſtituere, à lupis & leonibus & urſis detineri, nec audebunt eas ab eorum morſibus incontinenti eripere; ſed neceſſe habebunt cum propriâ confuſione in oculis propriis oves proprias permittere à beſtiis ſuffocari, vel quaſi pro congruo remedio paſtoribus ſub ſe conſtitutis, tunc fortè agentibus in partibus remotis, quòd oves à beſtiis lacerantur nunciare.

* Exod. 32. 20, &c.

† Num. 16.

Credendumne eſt hoc feciſſe Jacob? qui propriam ſed coactus circa ſalvandas oves rememorans diligentiam, ait ad Laban, * *Oves tuæ & capræ ſteriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia tradidi tibi, ego damnum omne reddebam, quicquid furto perierat, à me exigebas; die noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebat ſomnus ab oculis meis.* Nunquid non magis credendum eſt quòd ipſemet Jacob, interpretatione *luctator*, viſâ ove in ore leonis vel urſi, ſicut David refert ſeipſum † feciſſe, *ſequebatur eos & percutiebat, eruebatque de ore eorum?* Videtur inſuper ſequi ex verbis intentionis veſtræ propoſitis abſque diſtinctione duplicis intelligentiæ ſecundum duplicem modum prædicandi, per ſe videlicet aut per accidens: quòd ſi contingat rectorem aliquem Eccleſiæ parochialis non præbendatæ, neque pertinentis ad dignitatem aliquam vel communam Lincoln. Eccleſiæ, ſeu vicarium Eccleſiæ hujuſmodi delinquere in hujuſmodi Eccleſiâ vel ejuſdem Eccleſiæ parochiâ, eodem rectore vel vicario exiſtente canonico veſtro, vel frequentante chorum veſtrum, vel habente vicariam ſeu officium aliquod clericale, vel domicilium in dignitate, præbendâ vel communâ, vel exiſtente de alicujus veſtrûm familiâ, non poſſit Epiſcopus veſter alicujus talis exceſſum corrigere, vel cauſam emergentem etiam ratione rectoriæ vel vicariæ hujuſmodi deſcindere. Simili etiam conſecutione frequenter accidet, delicta præpotentium impunita & incorrecta manere, dum tamen accidat eoſdem præpotentes in rationes prænominatorum incidere, vel in prædictis locis delinquere: continget enim plerumque quòd Decani vel canonici poteſtas minus prævalebit ſuper præpotentis malitia, nec poterit impotentia ritè nominari negligentia: unde hujuſmodi exceſſûs correctio nunquam ad Epiſcopum, ſecundum vos, devolvetur; quia neque per negligentiam veſtram, cum nulla in tali caſu poterit reputari, neque per appellationem, cum talis delinquens non curet ad correctorem appellare. Sunt ſummi quoque exceſſus quidam quibus congruam pœnam ſolus Epiſcopus poteſt infligere; utpote exceſſus quibus debetur pœna deſtitutionis & degradationis: nunquid non epiſcopi hujuſmodi exceſſus punire & puniendo corrigere? Poteſt etiam accidere quòd aliquis de clericis prænominatis, per defamationem ſuper homicidio, vel furto vel hujuſmodi crimine, per regiam poteſtatem captus tradatur carcerali cuſtodiæ, non liberandus niſi per Epiſcopum, cui tradetur in foro Eccleſiaſtico ſecundum leges Eccleſiaſticas ab eodem judicandus: nunquid non Epiſcopus cauſam talis deſcindet, ſi ſit qui talem accuſet; aut non exiſtente accuſatore, propter famæ vehementiam eidem purgationem indicet, & judicialiter condemnabit eundem aut abſolvet? ſed ſecundum conſequentiam formæ verborum intentionis veſtræ, non poteſt Epiſcopus veſter hæc facere, cum ſecundum quod vos aſſeritis, nullos exceſſus eorum quos dicitis veſtræ juriſdictioni ſubeſſe, poſſit Epiſcopus veſter puniendo corrigere ſeu corrigendo punire, vel eorundem cauſas aliquas deſcindere, niſi contingat exceſſuum correctionem, vel cauſarum

* Gen. 31. 38, 39, 40.

† 1 Sam. 17. 35.

rum decisionem per appellationem aut negligentiam Decani ad ipsum devolvi. In his autem casibus neque Decani negligentia neque appellatio ab ipso ad Episcopum incidere valebit. Præterea, si non connumerato Episcopo, Decanus cum canonicis, vel omnibus vel eis quibus præsentes adesse contingit in Cathedrali Ecclesia, dicantur Capitulum; & sic nominato capitulo accidat capitulum committere in auctoritatem seu dignitatem seu officium Episcopale, quantumcunque manifesto & notorio delicto; sive habeat capitulum causam adversus aliquem de juridictione Episcopi, sive aliquis quicunque adversus capitulum, secundum quod sequitur vel sequi videtur ex verbis intentionis vestræ, non poterit Episcopus hujusmodi commissum puniendo corrigere vel hujusmodi causas descindere. Sequitur quoque ex verbis intentionis vestræ, quod neque quosquam hominum neque aliqua locorum præscriptorum jurisdictioni vestræ subjectorum possit Episcopus vester visitare; cum tamen contra visitationem prædictam aut eidem obsisti aliquâ nequeat consuetudine. Quia itaque hæc & hujusmodi ex vestrâ intentione sequuntur, aut videntur consequi, quæ, secundum quod videtur prudentibus Deumque timentibus, quos super his consului, non modicùm vergunt in præjudicium auctoritatis, dignitatis & Episcopalis officii, nec consona videntur juri Canonico seu naturali, accidatque frequenter quòd etiam sapientes non nisi post intentam considerationem animadvertant quæ consequuntur ex aliquo antecedentium, credendumque sit quòd tantorum tam sapientum & bonorum intentionis non fuerit, juri seu dignitati vel officio Episcopali in quoquam derogare, de eorundem prudentum, quos super his consului, consilio, peto vestro rescripto certificari, utrum præscripta eisque consimilia verè vel apparenter ex vestrâ petitione consequentia obtinere intendatis? An ad hæc & his similia in vestra petitione vestræ intentionis considerationem non extenderitis? Et si hæc & hujusmodi obtinere intenditis, peto etiam vestro certificari rescripto, cui juri speciali ad hæc & hujusmodi obtinenda innitimini; cum repugnare videantur juri communi; ut super his certior effectus, & de petitionum vestrarum jure plenius instructus, de prudentum consilio, certum & justum valeam responsum dare vestris petitionibus: sicut enim aliàs vobis scripsi & dixi semper, annuente Domini nostri Jesu Christi gratiâ, paratus ero justitiæ cedere & veritati. Valete.

Epist. 74. *Reverendo patri in Christo Othoni Dei gratiâ S. Nicolai in Carcere Tulliano diacono Cardinali, Apostolicæ sedis legato, Robertus miseratione divinâ Lincoln. Ecclesiæ minister humilis, salutem & quam debitam tam devotam obedientiam & reverentiam.*

ROgavit nos paternitatis vestræ sanctitas per magistrum P. clericum vestrum, ut præbendam quæ fuit magistri H. clerici nostri, magistro Attoni clerico vestro conferremus: nos autem dicto magistro P. respondimus quòd in adventu vestro in partes nostras, præhabitâ interim deliberatione, vestræ paternitati super hoc responderemus. Angebant enim & adhuc angunt mentem nostram tria, quæ nos compellebant differre vestram rogationem effectui mancipare: cogitabamus namque quòd spiritualia & ☞ spiritualibus annexa, nec humana gratiâ nec humano favore seu timore sunt largienda: ideoque licèt sciverimus vestram sanctitatem per vestras preces non intendere nisi de idoneitate ipsius pro quo porrigebantur, testimonium ferre, ut ex tanto testimonio nos reputantes eum dignum, non timore aut favore humano sed solo charitatis intuitu faceremus, quod preces insinuabant hoc solo intuitu faciendum. Nos tamen mentis nostræ sentientes imbecillitatem, vehementer timuimus & timemus ne fortè ad faciendum quod rogabamur, non urgeret nos solus charitatis ardor, sed plusquam oporteret, immisceret se humanus timor aut favor. Præterea, sicut recolimus, prædictus magister Atto, quem ex vestro testimonio, & etiam ex his quæ de ipso experti sumus, virum magnificum, scientia eminentem & moribus præclarum reputamus, nobis aliquando dixit quòd non erat eo tempore cum eo dispensatum super pluralitate beneficiorum obtinendorum habentium annexam curam animarum: quapropter verebamur & veremur prædictam præbendam habentem curam animarum annexam, ei consimilem curam habenti conferre: licèt enim plurium sit opinio quòd absque dispensatione possint simul * hærere licitè præbenda cum cura animarum annexa, & parochialis Ecclesia; nos tamen adhuc super hoc dubitamus, quia quondam sic opinantium assertione inducti, tenuimus aliquandiu simul hujusmodi præbendam & parochialem Ecclesiam; remordente autem nos nostra conscientiâ consuluimus super hoc dominum Papam per quendam virum sapientem Dominique timentem, qui à domino Papa suscepit in responso, licèt hoc

* In cod. Bened. habere: sicut etiam fuerat in hoc quo utor Cottoniano; sed à nescio quo versa est vox in [hærere] fortè in aliis erit [haberi].

hoc non poſſet obtinere in literâ, † quòd nequaquam potuimus ſine diſpenſatione præbendam hujuſmodi cum parochiali Eccleſia ſimul licitè tenere. Movet inſuper nos non modicùm ſimilitudo quædam quam nobis aliquando propoſuimus; videlicet, duarum arborum fructiferarum, quarum una in connaturali ſibi regione calidâ fructum fert magis *: plantata autem in regione frigida, parum aut nihil poteſt ibidem fructiferare: alia verò minus fructu pretioſa, plantata in connaturali ſibi regione frigida, fertilis eſt in ferendo fructum ſecundum genus ſuum; quam proculdubio ſapiens hortulanus regione frigida licèt fructu viliorem præeligeret in horto ſuo plantare. Hæc itaque noſtram infirmitatem reddunt trepidam ad faciendum quod veſtra hortatur rogatio, licèt ad id faciendum multum nos impellant & ipſius quo rogatur ſapientia & bonitas, & deſiderium quod nos gerimus ad veſtram voluntatem complendam, quam ſpiritualem credimus eſſe & ſanctam. Et quia trepidantibus caſum de via arcta & ardua, periculoſum eſt per eam incedere, cum tamen non trepidantibus ſecurus ſit per eam inceſſus; ut caſum caveat noſtra trepidans imbecillitas, veſtræ ſanctitatis fortitudini, quæ poteſtatis plenitudine, ſapientiæ præclariori lumine & bonitatis invincibili vigore innumera poteſt inoffensè, quæ nos non niſi ruendo contriti non poſſemus complere, committemus hac vice, ut de prædictâ præbendâ ſecundum quod Dominus eidem inſpiraverit; quoad magiſtrum Attonem ſatagat ordinare. Valeat ſancta paternitas veſtra per tempora longiora.

† Quaſi cum diſpenſatione, viginti præbendas & totidem Eccleſias. Mirum vim diſpenſationum!

* magis: prædicto fine plantata autem. Id.

Nobili viro & amico in Christo chariſſimo Dom. Simoni de Monteforti Comiti Leiceſtrenſi, Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus, ſalutem & ſinceram in Domino dilectionem. Epiſt. 75.

RECepimus literas dilectionis veſtræ inſinuantes pondus veſtræ tribulationis, cui, & meritò, non modicùm compatimur, licèt ſperemus quòd hæc tribulatio vobis proficiet in ſalutem ſpiritalem, dicente Apoſtolo, * Omnes qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patiuntur: & iterum, † Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddit juſtitiæ. Speramus etiam quod eadem tribulatio patienter portata & in gratiarum actione relata ei qui flagellat omnem filium quem recipit, cedet vobis etiam in gloriam temporalem: ſanctos enim patres qui fortiter ſuſtinuerunt adverſa, quamplures legimus reſtitutos etiam temporali proſperitati cum ampliori gloria. Non vos igitur frangat ſed firmet, non dejiciat ſed ſublevet, non contriſtet ſed lætificet temporalis tribulationis aſperitas, dicentes cum Apoſtolo *, Quòd in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis, ſupra modum in ſublimitate æternum pondus operatur in nobis: & iterum, † Sed & gloriamur in tribulationibus. Eſt enim juſtis tribulatio, quod vitibus putatio; quod incultæ terræ, aratio; quod pannis ſordidatis, ablutio; quod ægrotantibus, licèt amara, ſanativa potio; quod vaſis nondum plenè formatis per malleationem formatio; quod auro, per ignem probatio. Eſt igitur apud contuentes non tam tribulationis præſentem moleſtiam quàm futuri fructûs ipſius gloriam, tribulationis diſciplina, non mœroris ſed gaudii materia. Vos igitur ſecundum interpretationem nominis veſtri, in humilitate obedientiæ tribulationem ſufferentes, per gradus humilitatis conſcendatis, ſicut congruit proprietati veſtræ cognominationis, in cacumen montis fortis, hoc eſt, Chriſti, qui eſt mons in vertice montium, & virtus Dei Patris, ut in ipſo contemplantes omnia genera adverſitatum uſqe ad mortem crucis, propter quam & Deus exaltavit illum & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ad ejus imitationem ſpe fructûs orituri de tribulatione, omnem tribulationem ſuſtinere ſitis parati inconcuſsâ & indejectâ mentis conſtantis fortitudine. Quod autem rogaſtis nos de habendo veſtri memoriam, & de inſtando pro vobis apud Dominum Regem & de præſtando ſolatium domeſticis veſtris, & præcipuè duobus quos in literis veſtris nominaſtis, prompto & devoto animo pro modulo noſtro adimplere curabimus; parati in his & in aliis facere quæ in veſtrum honorem veſtramque utilitatem ſperamus poſſe proficere. Valeat, &c.

* 2 Tim. 3. 12.

† Heb. 12. 11.

* 2 Cor. 4. 17.

† Rom. 5. 3.

Epiſt. 76. *Reverendo Patri in Chriſto, Othoni Dei gratiâ S. Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato, Robertus miſeratione divinâ, &c.* ſicut in Epiſt. 74.

REdeuntes ad nos à veſtræ paternitatis ſanctitate clerici noſtri R. de Raveningham & J. de Crachal, benignitatis verba ſecretius cum eis habita, veſtræ dilectionis erga nos plenitudinem, imò potius ſupereffluentiam exprimentia nobis retulerunt. Et quia dilectio eſt rerum optima, cui omne aliud deſiderabile non valet comparari, quid mirum ſi tanti patris tam ſuperincenſa dilectio nos raperet in gaudium, non ſolùm ultra mediocritatis, ſed & ultra amplitudinis terminos, undique diffuſum? Ne tamen hæc exuberans diffuſio in elationis inundationes intumeſceret, ſperamus à Domino, qui etiam malum omne in aliquid utile convertit, vectes & oſtia fuiſſe oppoſita, ubi prædicta diffuſio tumentes fluctus ſuos conſtringeret & ultra moderantiæ metas non procederet. Præfati enim clerici noſtri in fine relationis ſuæ, verba pauca inſeruerunt quæ velut innuebant veſtram paternitatem aliquatenus moleſtatam fuiſſe eò quòd auctoritate Abbatis de * Perſora à domino Papa delegata, mandavimus archidiacono Lincoln. quòd † ſc. Sybri clericum à ſententiâ, qua, auctoritate veſtrâ, innodatus fuerat, denunciaret abſolutum. Hæc autem veſtra moleſtatio nobis non potuit non eſſe moleſta, nec potuit noſtra moleſtia de veſtra moleſtatione exorta, gaudii noſtri diffuſionem non reprimere, ſed repreſſit fortiter; concedat autem Dominus quòd utiliter: vis tamen dictæ moleſtiæ noſtræ, etſi fuerit non parum valida, non tamen invaleſcere potuit ut multum infra metas moderaminis noſtrum comprimeret ſupradictum de veſtra ſinceriſſimâ dilectione conceptum gaudium. Non enim nos latet, ſed multiplici patet experientiâ virtutum veſtrarum infrangibilis & irremiſſibilis conſtantia, ac per hoc quòd charitas veſtra etiam provocata non irritatur, nec excidit, nec diminutionem ſuſcipit, ſed omni tempore diligit. Cum igitur dilectionis veſtræ noverimus inconcuſſam conſtantiam, non potuit, ut ſupra diximus, de veſtrâ moleſtatione noſtra moleſtia ſic animum noſtrum concutere, quin plenè gauderet de veſtræ ſanctitatis ſupereffluenti dilectione, quam non poſſumus non credere erga nos inconcuſſam & etiam irremiſſam perſeverare: ſed nec econverſo potuit idem gaudium * etiam noſtram moleſtiam de veſtra moleſtatione tollere; ſed licèt adverſantia ſibi ſint gaudium & moleſtia adinvicem magis ſeſe compulerunt in augmentum procedere: quia tamen de radice unâ & optimâ utraque proceſſerunt, ut ſperamus, non ſinerent ſeſe alternatim magnificantes in vitioſæ ſuperfluitatis immoderamine exuberare. Utraque igitur nobis ſunt læta & jucunda valdè; gaudium ſcilicet de veſtra ſereniſſima † amiciſſima, & de veſtra moleſtatione noſtra moleſtia: ſed de eo quòd veſtræ moleſtationi occaſionem præſtitimus, non mediocriter dolemus, ſcientes quòd omni diligentiâ cavendum eſt filiis ne patribus præſtent offenſionis cujuſquam occaſionem. Et quantum novimus veſtram clementiam ad remittendum faciliorem, tanto anxius dolemus nos præſtitiſſe eidem cujuſquam offenſæ occaſionem; quia quanto benignior eſt & ad remiſſionem facilior, tanto eſt offendi indignior, & culpa offendentis gravior. Hoc tamen, ut firmiter ſperamus unde & conſolamur, apud clementiam veſtram culpam noſtram reddet leviorem veniæque propinquiorem, quòd dictum mandatum in ſimplicitate cordis (novit ille qui ſcrutator eſt cordis) à nobis emanavit: intelleximus enim poſt collationem habitam vobiſcum & cum clericis veſtris ſuper executione facienda mandati dicti Abbatis quòd vos ſenſiſtis nos oportere dictum mandatum exequi. Nec moveat, oramus, veſtræ mentis conſtantiam alicujus ſuggeſtio ad ſuſpicandum quòd in nobis fuerit erga veſtram ſanctitatem in prædicto facto aliqua ſiniſtra convictio: quia, teſtis noſter eſt ille qui Judex eſt, quòd nec in conceptum voluntatis noſtræ aſcendit, ut veſtræ ſanctitatis ſereniſſimum lumen aliqua obfuſcatione obduceremus; ſed, quod inviti compellimur dicere, ex quo ſanctitatis veſtræ notitiam habuimus, eam laudibus extollere non ceſſavimus, & ſiquid fortè velut nubilum apud aliquos de ea re videbatur aliquando depromere (ipſa enim virtutis lux impiis eſt tenebroſa, & lenitas aſpera) illud excuſationis & defenſionis non fictæ pallio ventilare, & ventilando velare pro modulo noſtro curavimus. Ignoſcat igitur noſtræ ſimplicitati, ſuppliciter & humiliter petimus, veſtra benignitas, quòd ei moleſtiæ occaſionem inviti & ignoranter dedimus; quia non poteſt apud piam clementiam non eſſe ignoſcibile quod ex cordis procedit ſimplicitate. Valeat paternitas veſtra per tempora longiora.

* In Cod. Bened. eſt [Perlora] vitiatè: Perſora enim (quæ etiam Perſcora dicitur apud Guil. Malmeſb. ſub finem cap. De monaſteriis in Epiſcopatu Wigornienſi) locus eſt in Comitatu Wigorniæ prope Fladbury. Vide Camdeni Britan. In vitis Abbatum S. Albani, ad finem Matt. Pariſ. mentio eſt cujuſdam Reginaldi Perſorenſis Abbatis, pag. 81. lin. 54.

† Fortè Sc. & denotat Steph.

* dictam. non [etiam] Id.

† Fort. amicitia: ſic autem eſt in utroque.

Sanctiſſimo

Sanctiſſimo Patri & Domino Gregorio Dei gratiâ ſummo Pontifici, Robertus miſeratione divinâ Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis, beatorum pedum oſcula devotiſſima. Epiſt. 77.

CUM ad paſtoris pertineat officium oves ſuas cognoſcere, juſtuſque teneatur * jumentorum ſuorum animas noſſe, nec poſſit iſta cognitio melius adquiri à paſtore & animarum epiſcopo quàm viſitationis † inquiſitionis officio; cumque inanis & vacua ſit inquiſitio niſi ſubſequatur correctio & reformatio; hæc ſæpe mecum cogitans poſtquam, licet indignus, paſtoris ſuſcepi officium, ad viſitationes & inquiſitiones, correctiones quoque & reformationes canonicas faciendas ad animarum ſalutem, de quibus in diſtricto examine novi me redditurum rationem, pro modulo inſufficientiæ meæ per diœceſim meam ſolicitudinem oppoſui & laborem. Cum autem ad Capitulum meum viſitandum & clericorum de Eccleſia mea & de Eccleſiis præbendarum & de communa Eccleſiæ meæ mores corrigendos & reformandos, dictaſque Eccleſias viſitandas, manum ſolicitudinis paſtoralis, non ſolùm auctoritate ordinariâ, ſed eadem ſanctitatis veſtræ auctoritate ſpeciali ſuffultus conarer extendere, Decanus & Capitulum Eccleſiæ meæ viribus omnibus ſe mihi oppoſuerunt, & opponunt, & in vocem Appellationis proruperunt; cum tamen nec ipſi, nec dicti clerici ſeu dictæ Eccleſiæ aliquo ſint privilegio à meâ exempti juriſdictione; ſolummodo prætendentes quòd ſe ſub nomine libertatis & conſuetudinis approbatæ, quòd hactenus non erant ipſi ſeu dictæ Eccleſiæ per Epiſcopos viſitati, ut dicunt, nec prædictorum clericorum mores correcti ſeu reformati, quaſdam quoque à quibuſdam Epiſcopis prædeceſſoribus meis jurium Epiſcopalium & exactionum eis conceſſas remiſſiones. Quia igitur mihi gerenti paſtorale officium non video ſalutis viam, niſi ad imitationem Davidis, videns leonem & urſum * venientes tollenteſque arietes de medio gregis, ſequar eos † & baculo paſtorali percutiam, eruamque de ore eorum modis & viribus omnibus quibus canonicè valuero; præſertim cum pro ſalute ovium mihi commiſſarum, pro quibus Chriſtus in arâ crucis dedit pretium ſui pretioſiſſimi ſanguinis, tenear vitam hanc morti turpiſſimæ & acerbiſſimæ exponere. In obicibus autem & repagulis quæ dicti Decanus & Capitulum mihi in hac parte opponunt, non video niſi quandam falſæ libertatis phantaſiam & umbram, in qua callidus hoſtis liberius tendens inſidias, crudelius devoret quos fortius illaqueaverit. Ad veſtræ ſanctitatis, cujus eſt ſumma omnium animarum ſolicitudo, pedes proſtratus, omnibus mentis anxiæ & afflictæ viribus & ſuſpiriis lachrymoſis efflagito, quatenus animæ meæ mihique commiſſarum ſaluti pietatis viſceribus compatiens, ad dictos obices dictaque repagula ſubmovenda; ſubveniat imbecillitati meæ ſuperfervidus & invictiſſimus zelus veſter animarum, quo nullum eſt Deo acceptabilius ſacrificium. Peto quoque à veſtræ ſanctitatis gratiâ, quæ ſemper mihi, licèt immeritọ, fuit gratioſiſſima, quatenus dictis Decano & Capitulo ad Judices in Angliam literas contra me non concedat, donec nuncius meus ſpecialis, quem tempeſtivè, favente Domino, ad veſtræ ſanctitatis pedes miſſurus ſum pro dicto ſalutis animarum negotio in præſentia ſanctitatis veſtræ plenius exponendo, veſtro ſe conſpectui repræſentet: quem, ſimul cum perſonâ mea & negotiis meis, rogo ſuppliciter ut habeat veſtra ſanctitas recommendatum. Incolumitatem veſtram conſervet Altiſſimus per tempora longa mihi & Eccleſiæ ſuæ.

* Prov. 12.10.

† Forè deeſt [&]

* 1 Sam. 17. 34.

† Quo poſteà percuſſit vel ipſum Papam, ut videbitur infrà.

Venerabili in Chriſto Patri & amico chariſſimo W. Dei gratiâ Pariſienſi Epiſcopo Robertus miſeratione divinâ Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem & ſincerum in Domino charitatis augmentum. Epiſt. 78.

HUmor ſubtilis etiam partes minimas infundit: ſic veſtra dilectio cunctos nitens penetrare, meam etiam parvitatem inter cæteros invenit & quadam abundantia ſpeciali ſuæ ſuavitatis infudit: cui quid retribuam ignoro; quia amore pari redamare neſcio, nec eſt aliud unde poſſit fieri recompenſatio. Ne tamen omnino nihil agere videar, gratias refero quales & quantas valeo; & quia pura dilectio ſuæ infuſioni metas & terminos non ponit, ſed ſemper dum invenit infuſibile in id plenius irrorandum ſe dilatando extendit; cum R. clericus, lator præſentium, meæ parvitatis parvula ſit porticuncula, rogo ſuppliciter quòd & ipſa à veſtræ dilectionis irroratione non ſit excluſa. Valeat paternitas veſtra in Domino.

Epist. 79. *Reverendo Patri in Christo, Othoni Dei gratiâ S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali, Apostolicæ sedis legato, Robertus miseratione divinâ Lincoln. Ecclesiæ minister, salutem & quam debitam tam devotam obedientiam & reverentiam.*

DE rescripti vestri mellifluâ dulcedine & de vestrâ benignissimâ remissione, licet non condignas (quia ad eas non sufficimus) quantas tamen & quàm devotas possumus vestræ sanctæ paternitati gratiarum actiones referimus. De vestræ autem charitatis affectione irremissibili & infrangibili, quinimo per intentionem continuam profundius semper irradicata, superius elata, latius diffusa & firmius roborata, quam erga parvitatem nostram, vestram gerere sanctam paternitatem absque hæsitationis titubatione constanter credimus, gaudemus inexplicabiliter, & favente Domino gaudebimus semper. Desiderium quod geritis de pacis & benevolentiæ conservatione inter nos & Capitulum nostrum retribuat vobis ipse qui est pax vera, qui * fecit utraque unum. Noverit autem vestræ sanctitatis discretio quòd nos desiderio toto pacem quam vos desideratis, annuente Domino desideramus; illam sc. quæ est ordinis tranquillitas, quæ paribus disparibusque singulis sibi competentia loca tribuit & disponit, quæ diversas gratias, ministrationes & operationes in unam conjungit voluntatem unumque finem omnium Salvatorem nostrum Dominum Jesum Christum. Tranquillitas autem perturbatæ collocationis, cum videlicet inferiora superiorum loca occupant & superiora subpeditant, quæ pax reputatur à desiderantibus se supra se elevare, nolentibus subesse sed præesse, desideranda non est, imò nec sustinenda; quia hanc pacem non venit Dominus mittere in terram, sed contra hanc pacem gladium evaginavit: hæc enim pax requies est in fæcibus vitiorum: hujusmodi pacis scimus vos esse oditorem, oppugnatorem, perturbatorem, imò usque ad internecionem devastatorem: prius verò dictæ pacis fervidum amatorem, inchoatorem, promotorem & validissimum consummatorem; & licèt vestra charitas irrevocabiliter currat, etiam non stimulata, in hujusmodi pacis ædificationem, quantis tamen possumus supplicum precum stimulis eam interpellando incitamus, quatenus ad hanc pacem inter nos & capitulum nostrum formandam & firmandam laborare dignetur. Noverit insuper charitatis vestræ discretio quòd libenti animo secundum commonitionem vestram, usque ad adventum vestrum in partes nostras temperaremus ab his in quibus novimus Capitulum nostrum justè vel injustè molestari, nisi per dilationem executionis officii nostri crederemus firmiter nobis præjudicium generari. Innotuit enim nobis pro certo post recessum vestrum à partibus nostris, quòd Decanus & Capitulum nostrum à festo Pentecostes proximè præterito habuerunt procuratorem in Curia ad impetrandum contra nos, ad judices non immeritò nobis suspectos, literas executionis officii nostri impeditivas, & hoc, ut creditur, ab eorum aliquibus, ne dicam ab omnibus intenditur, ut litibus immortalibus detenti ab officii nostri executione perpetuò præpediamur. Quantum enim nos secundum modicitatem nostram dijudicare possumus, nihil in eos vel eorum subditos exercere contendimus, nisi quod secundum jus divinum & canonicum ad Episcopale spectat officium, quodque à sede apostolica in fulcimentum juris communis & ordinariæ potestatis nobis specialiter est concessum & indultum, & quod omittere non possumus absque discrimine animarum. Siquid autem per imperitiam nostram decepti minus canonicum attentaverimus, cum hoc nobis patuerit, semper juvante Domino, parati erimus ab attentato desistere, errata corrigere & de transgressione satisfacere; quod pluries tam dicto quàm scripto, Decano & Capitulo nostro intimavimus, & ut nobis errores nostros ratione seu jure scripto, non solâ eorum assertione, amicabiliter ostenderent supplicavimus, ut patefactâ veritate desisteremus ab errore, quod non curarunt facere, nec rationibus quas eis pro nobis scripsimus respondere. Valeat paternitas vestra per tempora longiora.

* Eph. 2. 14.

Robertus

Robertus Dei gratiâ Lincoln. Episcopus S. de Ardern procuratori suo in Curia Romana, salutem, gratiam & benedictionem. Epist. 80.

Sicut tibi mandavi per W. de Hemingburg clericum meum, suspenderam ab ingressu Ecclesiæ, Decanum, præcentorem & subdecanum Lincoln. quia Decanus & capitulum, licèt sæpe commoniti, noluerunt revocare quoddam mandatum quod direxerant vicariis & capellanis ministrantibus in præbendis & Ecclesiis de communa & ne obtemperarent mihi in prædictis locis visitare volenti; in vigilia quoque nativitatis B. Mariæ mandaveram dictis Decano & capitulo Lincoln. quòd visitare * capitulum Lincoln. non solùm auctoritate ordinaria sed etiam Apostolicâ, certo die ad hoc eis assignato, sc. die Jovis, proximo post festum B. Lucæ: incepi insuper statim post dictum festum B. Virginis quasdam præbendas visitare: convocatis autem per decanum & capitulum omnibus canonicis in crastino S. Fidis in capitulo Lincoln. & habito super prædictis tractatu die Dominicâ proximè sequente ad pulpitum in Ecclesia Lincoln. accepta à populo publicè licentia adeundi sedem Apostolicam & interpositis appellationibus propter injurias quas eis, ut dixerunt, faciebam & facere conabar, incontinenti pòst arripuerunt iter versus sedem Apostolicam decanus, præcentor, cancellarius, thesaurarius & plures alii canonici Lincoln. miserunt etiam solennes nuncios & literas ad omnia capitula canonicorum Cathedralium Ecclesiarum Angliæ & omnia sibi contra me confœderaverunt; concitato insuper & commoto universo populo contra me tanquam contra injuriosum & malefactorem: Ego tamen nihilominus accessi ad Lincoln. Ecclesiam die prædicto, præfixo visitationi faciendæ in capitulo Lincoln. hora debitâ ut dictum capitulum visitarem; sed neque canonicum aliquem neque vicarium, neque aliquem ejusdem Ecclesiæ ministrum ibidem inveni, omnibus contra adventum meum de industriâ se subtrahentibus. His itaque gestis incontinenti arripui iter versus Londinum, vocatus à Domino Cantuariensi propter quædam ardua negotia Ecclesiæ suæ, ut ibidem in crastino Commemorationis animarum ei occurrerem: audito autem à Decano Lincoln. & his qui cum eo iter arripuerant versus Curiam, quòd dicto die venturus eram Lond. ibidem me usque ad dictum diem expectaverunt, ut mecum, sicut dixerunt, de pace tractarent, convenientibus etiam propter hoc tunc ibidem in eorum occursum plurimis Ecclesiæ Lincoln. canonicis: dum autem prædicta gererentur, & etiam antè quasi procul odorans hujusmodi bellum, attentè sæpius mecum consideravi quòd si aliquos de capitulo suspenderem & postea excommunicarem propter contemptum, inobedientiam & irreverentiam, non solùm mihi, sed & multo amplius domino Papæ factas, in non admittendo me, sicut prædictum est, ad visitandum capitulum licèt propter hæc dignissimi essent canonica animadversione puniri, hæc & hujusmodi consequerentur

*Hujusce controversiæ statum tibi exhibit M. Par. p. 571, 572.

Primò videlicet, quòd quia non consuevit quicquam hujusmodi ab aliquo Episcopo Angliæ attentari, magnum fieret murmur, magnusque tumultus per totam Angliam, plurimique plurimùm scandalizarentur, quod in ipsa gestione hujus negotii evidenter sensi; cum sicut suprà dixi, omnis multitudo majorum & minorum esset jam contra me quasi contra malefactorem non modicùm commota & concitata.

Secundò autem quòd si prænominati jam senio confecti & laboribus non assueti, in itinere quod jam arripere inceperant, in fata decederent, sicut verisimile est, vel magis fere certum est quòd hoc accideret de pluribus eorum, universa Anglia declamaret me talium tam venerabilium tantorumque virorum crudelissimum occisorem.

Tertiò, quòd si pro libertatis umbra quadam & falso nomine, cæca pulsi vanitate in periculum vitæ temporalis se incircumspectè præcipitarent, ad quod, ut videatur, erant pronissimi, in magnum discrimen hoc facerent æternæ salutis animarum suarum: quod nimirum videretur mihi durissimum, dare videlicet eis occasionem periclitandæ salutis, pro quorum salute ipsemet teneor quodvis temporale subire periculum.

Ex parte autem alia consideravi melius esse & magis eligendum quòd scandalum oriatur, quàm quod veritas moriatur, nec omittendum esse veritatem & salutem animarum operari per exprobrationem populi, vel etiam quorumcunq; sapientum sapientiam mundi; cum Dominus dicat nos beatos fore cum maledixerint nobis homines & exprobraverint & dixerint omne malum adversus nos mentientes, propter illum qui veritas est, qui & crucis confusionem passus est pro salute animarum: magis quoque permittendum esse pauciores præcipitare se in discrimen, quàm multo plures pro defectu disciplinæ Ecclesiasticæ perire in posterum.

Suadebant

Suadebant itaque prædicta inconvenientia ut ab incœpto desisterem: sed ex parte alia multo plus urgebant veritas & salus animarum ut inceptum persequerer. Inter has itaque angustias vehementer constrictus cogitavi bonum esse medium aliquod, si possibile esset, eligere, quo & tanta inconvenientia vitarentur, & operatio veritatis & salutis animarum licet fortè aliquantulum dilata non foret tamen ablata: Quo medio mihi videbatur posse incedi, si controversia visitationis faciendæ ad alicujus Judicis sapientis & omnino inflexibilis à veritate judicii, deferretur examen; & maximè ad talis judicis examen, cujus sententia statim transiret in auctoritatem rei judicatæ. Cum enim visitationi prælati nulla obsistat consuetudo, neque contra eam currat præscriptio, nec quicquam eam impedire valeat de jure, nisi auctoritate & gratiâ sedis Apostolicæ concessa exemptio, quid in hac parte sententiabit judex verax, nisi quòd ubi deest à gratia sedis Apostolicæ concessa exemptio, liberè procedat Prælatus in visitationis officio? Videbatur quoque mihi quòd si in hac parte sententiatum esset * pro visitatione, ab aliquo cujus sententia transiret in auctoritatem rei judicatæ, inde incomparabiliter amplius saluti multarum animarum consuleretur, quàm si his, qui à me visitari renuunt reclamantibus, pœnis inflictis & multiplicatis subire visitationem compellerentur: sententia enim prædicto modo pro visitatione prolata, omnibus Episcopis Angliæ daret auctoritatem visitandi, & Episcopos negligentes & pigritantes in visitationis officio non mediocriter ad visitandum excitaret & stimularet, imò etiam impelleret: contumaces autem & visitationem prælatorum rebellantes humiliaret, & omnem eorum rebellionem contunderet & prorsus annullaret, converterenturque sic aspera in vias planas in perpetuum, ut Episcopi videlicet Angliæ sua capitula suosque subditos sine rebellionis asperitate de plano visitarent; quæ bona ex actu mei solius visitantis cum tanta rebellione, quantam supra tetigi, vix aut nullo modo pervenirent.

* Cod. Bened. per visitationem. *male.*

His itaque consideratis, spem ponens in illo qui pro visitandis ovibus suis non dubitavit manibus tradi nocentium & crucis tormentum subire, quòd causam visitationis ovium earundem non sinet perire, hac via media de consilio bonorum & prudentum elegi incedere: anxiabatur tamen intra me cor meum de eligendo judice: Quis enim in Anglia auderet sententiam proferre in offensionem omnium capitulorum Angliæ? Quis etiam Episcopis subditus vellet judicare pro visitatione, cum vix reperiatur aliquis, qui à suo superiori velit visitari? Pauci etiam Episcopi pro visitatione vellent sententiare, cum oderint Ecclesias suas ab Archiepiscopo visitari, & pendeat adhuc super visitatione causa inter Archiepiscopum Cantuariensem & Episcopum Londinensem.

Alia proculdubio controversia ab illâ quam memorat M. Par. p. 780.

Tandem recogitans sapientiam & prudentiam & bonitatem domini Legati; & super omnia confidens de veritate judicii à domino Papa reportanda, obtuli dictis Decano & capitulo duas formas subscriptas, quarum prima est hæc sub his verbis scripta & eis tradita. .

Paratus est Episcopus consentire in Dominum Legatum tanquam in judicem, ita quòd de omnibus querelis contingentibus jurisdictionem, auctoritatem, dignitatem & officium Episcopale motis & movendis tam super possessione quam super proprietate inter ipsum & Decanum & capitulum, cognoscat simpliciter & de plano, remota omni dilatoria exceptione & appellatione qualicunque, sed statim lite contestata super omnibus articulis ab utraque parte proponendis coram Episcopo, recipiantur probationes super eis, quæ in facto, & allegationes super eis, quæ in jure consistunt; salvis etiam utrique parti privilegiis, indulgentiis & concessionibus domini Papæ, & aliis instrumentis valituris utrique parti quod de jure valere debebunt; & tunc plenè examinato negotio, amicabiliter componat inter partes si possit: alioquin causam sententialiter definiat, vel eandem plenè instructam ad sedem Apostolicam mittat terminandam.

Secunda autem forma est hæc similiter sub his verbis scripta & eis tradita

Paratus est Episcopus unà vobiscum consultationem facere domino Papa super omnibus querelis contingentibus jurisdictionem, auctoritatem, dignitatem & officium Episcopale motis & movendis tam super possessione quàm super proprietate inter ipsum & vos, necnon super libertatibus, juribus & consuetudinibus quas vos contenditis habere, plena narratione hinc inde facta & ad dominum Papam per nuncios speciales transmissa, ut super his quæ in jure consistunt, & super his quæ in facto, in quibus partes concordaverunt, à domino Papa congruum recipiatur responsum: Siquæ verò in facto consistant in quo sit contentio inter eos, per viros idoneos neutri parti suspectos communiter electos, & jurisdictionem & coertionem habentes, testes & aliæ probationes recipiantur & publicentur, & facta publicatione attestationes cum cæteris probationibus unà cum prædicta consultatione ad dominum Papam mittantur, ut super omnibus prædictis, quod sibi visum fuerit respondeat; vel si placet eis quoad ultimum articulum, dominus Papa det examinatores in partibus Angliæ, qui dictum negotium, ut supradictum est, instruant & instructum ad Curiam remittant.

Sed

Sed neutra iſtarum formularum ab eis acceptatâ, tandem condeſcendi ad tertiam formam quæ ſubſcripta eſt, ad quam eâ tamen ratione condeſcendi, quia etiam ſecundum illam formam poterit haberi recurſus ad domini Papæ ſententiam: quæ talis eſt.

Die ſabbati proximo poſt feſtum omnium ſanctorum, Anno pontificatûs domini Gregorii Papæ noni † xiii°. in camera Epiſcopi Lincoln. apud vetus templum Londini Epiſcopus Lincolnienſis & decanus & capitulum Lincolnienſe conſenſerunt in hanc formam, videlicet.

† Annus Gregorii illius decimus tertius incidit in Annum Domini 1240. is enim iniit Pontificatum 1227. quod facilè poſſit conciliari cum calculo Matt. Paris, negotium hoc ſub anno 1241. referentis in paginis ſuprà notatis: unus enim dies mutat annum; cum finito uno incipiat alter; Greg. creatus erat Papa 13. Kal. Apr. i, e 20°. die Martii 1227. i.e. 1228. ſecundum diſcrimen inter computum Eccleſiaſticum & forenſe: aliter Panvinii Calendarium & Calendarium Matthæi Paris non bene conveniebant; ſi hic ſaltem & Epiſcopus in eundem coinciderint annum.

Quòd communiter mittent infra natale Domini proximè ſequens ad dominum Papam, impetraturi ab eo ut committat domino Wigorn. & de Suthbir. archidiaconis cognitionem quæſtionum ſuper viſitatione capituli Lincoln. & Eccleſiarum de dignitatibus, prabendis & communa ad Eccleſiam Lincoln. ſpectantibus & miniſtrorum earundem Eccleſiarum, & ſuper correctione exceſſuum eorundem, & ſuper aliis controverſiis contingentibus juriſdictionem, auctoritatem, dignitatem & officium Epiſcopale, & jura, libertates & conſuetudines Lincolnienſis Eccleſiæ, remotis omni Exceptione dilatoriâ & omni cavillatione & omni appellatione, ſed ſtatim ſuper hinc inde propoſitis lite conteſtata, auditis probationibus, rationibus, allegationibus & cauſa plenè inſtructa, ſi de partium voluntate proceſſerit, ſententialiter cauſam determinent: alioquin cauſam ſufficienter inſtructam infra certum tempus à domino Papâ præfigendum, ad eum remittant definiendam; renunciaverint etiam partes literis cognitionalibus impetratis & impetrandis ſuper prædictis aliis ab iſtis; ſalvis utrique parti privilegiis, indulgentiis & conceſſionibus valituris quatenus de jure valere debebunt; ceſſantibus etiam interim tam Epiſcopo quàm decano à viſitatione facienda tam in capitulo Lincolnienſi, quàm in prædictis Eccleſiis dignitatum, præbendarum & de communa; omnibus aliis dictas quæſtiones contingentibus in eo ſtatu permanentibus quo fuerunt tempore conſecrationis dicti Epiſcopi Lincolnienſis.

In hanc autem tertiam formam tam ego quàm decanus & capitulum conſenſimus & miſſuri ſumus communiter duos clericos ad curiam ad impetrandum, ſecundum hanc tertiam formam: quod tibi volui notum eſſe ut non labores in impetrando ſecundum formas petitionum quas tibi miſi per W. de Hemingburg, & ut ſis præmunitus magis ad procurandum ea quæ negotio ſalutis animarum prodeſſe poterunt ſecundum quod Dominus tibi inſpiraverit.

Sanctiſſimo patri & domino Gregorio Dei Gratiâ ſummo Pontifici Robertus miſeratione divinâ Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis, beatorum pedum oſcula devotiſſima. Epiſt. 81.

SIgnificavi nuper veſtræ ſanctitati quòd cum ad viſitationis officium explendum in capitulo Lincoln. & Eccleſiis præbendarum & communæ ejuſdem Eccleſiæ manum ſolicitudinis paſtoralis non ſolùm auctoritate ordinariâ ſed inſuper & veſtrâ conarer extendere, Decanus & capitulum viribus omnibus in hac parte ſe mihi oppoſuerunt: propter quod ex anxio affectu veſtræ ſupplicavi ſanctitati, ut ad dictorum dictam reſiſtentiam enervandam, cum non tendat, quantum ego perſpicere valeo, niſi ad libertatis inanem umbram & in animarum diſpendium, meæ imbecillitati ſubvenire curaret. Quam ſupplicationem à veſtræ ſanctitatis ferventiſſimo zelo exaudiendam fore in animarum ſalutem & firmiter credo & alacriter ſpero; & quia in hoc anchoram ſpei immutabiliter fixi, ad veſtræ ſanctitatis recurrens ſubſidium, vobis ſub brevitate duxi ſignificandum quòd cum causâ viſitationis ad Eccleſiam Lincoln. perſonaliter accederem, ac Decano & capitulo mihi non obtemperantibus, monitionibus plurimis jam præcedentibus, in quoſdam de capitulo animadvertere diſponerem, tandem de prudentum conſilio in quandam formam pacis convenimus, quam veſtræ ſanctitati tranſmitto præſentibus incluſam; humili devotione ſupplicans quatenus in literis ſecundum tenorem ipſius à me & capitulo communiter impetrandis veſtra ſanctitas illum nobis favorem exhibeat quem in ſalutem animarum noverit proficere, & Epiſcopali honori, in quantum honor neceſſarius oneri, viderit convenire. In manus quoque gratiæ ſanctitatis veſtræ, quæ perſonam meam meoſque & noſtra negotia uberrimâ benignitatis affluentiâ ſemper eſt proſequuta, eadem devotè commendo & recommendo; ſupplicans toto mentis deſiderio ut eadem gratia, quæ neſcit imminui, ſemper proficiat in augmentum. Incolumitatem veſtram conſervet Altiſſimus mihi & Eccleſiæ ſuæ per tempora longa.

Epist. 82. *Reverendo patri in Christo Othoni Dei gratia S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali, Apostolicæ sedis legato, Robertus miseratione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem, & quàm debitam tam devotam obedientiam & reverentiam.*

CUM obsistentibus impedimentis gravibus nequit inferiorum imbecillitas ad effectum perducere quæ tamen ex officii debito tenentur complere, quid eis restat remedium nisi ad superiores recurrere? ut de affluentiâ majoris potestatis vigorem capiant, quo fortificati & roborati compleant quæ sine ipsius corroboratione complere non poterant, vel ut si tam gravia sint obstacula quòd nec etiam sic repelli queant, superior potestas virtute propria potentiori id efficiat. Quamobrem cum Abbas Croyland, Ordinis beati Benedicti, jure diœcesano nobis subjectus, per Dominum Regem constitutus sit Justitiarius itinerans & inter alios Justitiarios itinerantes exerceat publicè hujusmodi justitiariæ officium; quod quantum sit inconveniens quantumque religioni & juri divino canonicoque contrarium, vestræ sanctitatis sapientia limpidissimè conspicit; nec valeat per se nostra imbecillitas hoc scandalum tollere, objectis repagulis potestatis Regiæ; cumque huic malo non possit sperari remedium aliunde nisi à vestræ sanctitatis potestate, præsertim cum aliàs in consimili causa ad venerabilem patrem Dominum Cantuariensem pro impetrando subsidio confugerimus, nec tamen id effectum sit quod desideravimus; ad vestram sanctitatem supplices recurrimus, rogantes & obsecrantes quàm anxio affectu mentis possumus, quatenus ad tantam de domo Domini abominationem tollendam congruum satagat providere remedium. Cæterum cum sciamus nos non mediocriter affectasse ut commotio inter nos & capitulum nostrum suscitata sedaretur, ad tam sancti desiderii æstus aliquantulam, ut speramus, refrigerationem, vestræ sanctæ paternitati significamus quòd citò post receptionem literarum vestrarum, quibus inter cætera nos affectuosè commonuistis ut nosmet temperaremus ab his in quibus, sive justè sive injustè, prædictum capitulum nostrum sentiebamus molestatum, obtulimus eidem capitulo duas formas satis, ut credimus, honestas, & ad dictam commotionem sedandam efficaces; sed eis utramque earum recusantibus, tandem condescendimus ad formam tertiam, in quam & ipsi consenserunt, quam præsentibus inclusam supplicamus ut vestra paternitas, licèt pluribus occupata, non gravetur inspicere: plurimum namque desideramus quid super eadem formâ vestræ sanctitatis discretioni videatur, agnoscere: urgebat namque nos ad condescendendum ad illam magnum desiderium sedandi tantum tamque turbulentũ tot & tantorũ tumultũ & tollendi occasionẽ scandalorum, obturandique ora detractorum mendaciũ & maledictorum; & insuper multorum prudentum consilium; licèt ex parte alia, consideraremus melius esse scandalum oriri quàm veritatis & salutis animarum officium deperire, multumque timeremus & adhuc timeamus ne fortè minus prudenter ad illam formã condescenderimus, cum, secundum eam, posuerimus in quæstionem & sub judicium visitationis officium, quod auctoritate domini Papæ suffulti possemus, ut videtur, plenius exercuisse, quamvis non sine multorum tumultu & rebellione; & ne fortè dominus Papa pro malo habeat, quasi pusillanimiter desierimus visitationis officium exequi, cum ut id liberè exequeremur, nos de gratia speciali suâ munierit auctoritate, & ne in hac parte impediremur, procurator capituli, cujus mentionem vobis fecimus in literis quas nuper vobis direximus, à curiâ dimissus sit vacuus. Quia igitur utrum discretè in hac parte processerimus ignoramus, vestram, ut supra diximus, super hoc agnoscere sententiam valdè desideramus. Præterea vestræ sanctitatis paternitati supplicamus devota affectione, quatenus nos velit certiores efficere de tempore reditûs vestri per nostrum Episcopatum, ut vobis tempestivè possimus occurrere, & vos cum honore, tanto patri debito, pro posse nostræ modicitatis suscipere. Valeat paternitas vestra per tempora longiora.

Reverendo patri in Chriſto Edmundo Dei gratiâ Cantuarienſi Archiepiſcopo, totius Angliæ Primati, Robertus miſeratione divinâ Lincolnienſis Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem, & quàm debitam tam devotam obedientiam & reverentiam. Epiſt. 83.

MAlorum principiis obſiſtendum eſt, quia

———*Serò medicina paratur*
Cum mala per longas invaluere moras.

Famâ volitante per omnium ora declamatur quòd in electionibus faciendis jam incepit morbus gravis terroris, minarum & precum armatarum & ſeducentium blanditiarum fortiter invaleſcere: cui morbo niſi citius per congruum ſubveniatur remedium, non poterit de facili adhiberi medela in poſterum; conſequeturque quòd mater noſtra Eccleſia, per gratiam ſponſi libera, per violentam oppreſſionem fiet ancilla, ac per hoc non erimus liberæ filii ſed ancillæ, durâ ligati ſervitute, erunt quoque hoc morbo fortius ingruente, oves ſine paſtore; quia aut nullus intrabit in ovile ovium, aut ſiquis intrat, non intrabit per oſtium, ac per hoc non erit paſtor ovium, ſed vanum gerens paſtoris nomen ſecundum prophetæ vocem, veraciter erit † idolum, vel, quod pejus eſt, ſecundum alium prophetam, * leonis rugientis & lupi mores obtinebit & vocabulum; ſicque non exiſtente vero nomine paſtore, exponentur oves perditioni, eruntque rei mortis earum non ſolùm hi qui eas perditioni exponunt, ſed & hi qui obſiſtere poterant & non obſtiterunt. Ne igitur tanta mala in immenſum ſuccreſcant, veſtræ paternitatis diſcreta ſanctitas ſatagat modis omnibus tam peſtilenti morbo dum recens eſt occurrere, ne ſi per longas moras invaluerit, ſerò adhibeatur diligentia medelæ. Inſtat, ut audivimus, dies electionis celebrandæ in Eccleſiâ Hereford: & timetur ne fortè dicti morbi acumen ſe ibidem fortiter ingerat; ideoque, ut noſtræ videtur modicitati, veſtræ ſapientiæ & auctoritati conveniens erit ſi dictæ Eccleſiæ capitulo ex parte veſtrâ ſcribatur efficax perſuaſio de eligendo paſtore idoneo & de non timendo minas hominum, & de cavendo ſeductiones blandientium, & ſi à latere veſtro ad dictos diem & locum mittantur aliqui prudentes & ſtrenui qui *Chartam Regis Johannis* de conceſſione libertatis electionum & confirmationem ſanctæ memoriæ Papæ Innocentii de eadem conceſſione, ſententiamque latam in omnes violatores libertatum conceſſarum in *Magna Charta Domini Regis*, in qua conceditur quòd *Eccleſia Anglicana* in perpetuum ſit libera, & habeat omnia jura ſua integra, & libertates ſuas illæſas, & principium *Concilii Oxon.* in quo excommunicantur omnes qui Eccleſias malitiosè ſuo jure privare præſumunt, aut per malitiam, earundem libertates infringere vel perturbare contendunt, diſtinctè & apertè exponant, commonentes efficaciter ne quiſquam contra hæc venire præſumat: hoc enim erit terror malignantibus, confortatio eligentibus, multumque proficiet in Eccleſiaſticam libertatem & animarum ſalutem & veſtrum honorem. Erit etiam, ut nobis videtur, non inconveniens ſi celebrata electio non perfunctoriè ſed diligentiſſimè examinetur ſecundum omnes articulos contingentes tam ipſam electionem quàm electi perſonam, maximè ſi prædicti morbi accidentia aliqua ſe immiſcuerint, præſertim cum gravis debeatur pœna electionem minus canonicam confirmanti. Hæc autem vobis ſcripſimus, non tanquam volentes faculâ ſolis juvare ſplendorem, ſed applaudentes veſtro curſui infatigabili ad bravii comprehenſionem. Valeat paternitas veſtra ſemper in Domino.

† Zach. 11. 17.
* Ezech. 22. 25.

Epiſt. 84. *Viris venerabilibus & amicis in Chriſto chariſſimis domino* * *R. de Lexinton & ſocii juſtitiariis Domini Regis itinerantibus apud Lincoln. Robertus Dei gratiâ Lincolnienſis copus, ſalutem & ſinceram in Domino dilectionem.*

* De quo M. Par. p. 786.

INſinuatum nobis eſt quòd vos H. † decanum Chriſtianitatis Lincoln. multis op briis ac contumeliis affeciſtis, & oſtia domûs ſuæ claudi feciſtis, & bona ſua & ras quaſdam quas nomine tutelæ filiarum fratris ſui tenuit, & etiam bona quædam natorùm ſuorum in manum Domini Regis capi feciſtis, horum hac ſolâ exiſtente c quòd vobis denunciavit ne cauſæ ſanguinis die Dominicâ in foro veſtro tractare Quæ cum à nobis audirentur, incredibilia plurimum nobis videbantur: non enim riſimile eſt quòd diſcretio talium tantarumque perſonarum, tam ex officio quàm aliis perſonarum veſtrarum circumſtantiis juſtitiam zelantium, cuiquam pro zelo jur pœnas irrogaſſet. Quid enim aliud quàm juſtitiam juſtè vobis denunciavit, qui c ſanguinis non eſſe tractandas diebus Dominicis eſſe aſſeruit? cum canonicæ ſanct omnem diem Dominicam feriandam jubeant; exprimantque ſpecialiter mercata d Dominicis minimè debere fieri, ſeu placita teneri, vel aliquem ad mortem vel ad nam judicari. In Decalogo quoque, cujus obſervatio neceſſaria eſt ad ſalutem, & cujus obſervatione ſalus non eſt, præcepta eſt Sabbati obſervatio, quod qui non ſervat, lege divinâ morte punitur: pro Sabbati autem obſervatione, nobis eſt in lege obſervatio diei Dominicæ; cujus obſervationis voluntaria violatio quid aliud quàm æternæ morti addictio? Quas igitur pœnas meruit qui vos, ne in æternas po curratis, cohibere ſtuduit? quinimò laudandus magis & præmiandus à vobis exiſti monita ſalutis vobis dedit & à lapſu in barathrum prohibere curavit. Inſuper & guinis veſtri reus &, ſecundum Scripturam, maledictus eſſet, ſi videns Sabbati v tionem, *gladium verbi à ſanguine peccati veſtri* cohibuiſſet: & ut nos à ſanguine ve mundi ſimus, *præſentium tenore rogamus, exhortamur & obſecramus in Domino ut f chariſſimos, ex affectu paterno commonentes, quatenus Sabbatum Domini quod ſanc eſt & violari non licet, ſecundum præceptum Legis divinæ, & ſanctiones legis canon ſicut veri & obedientes filii Legiſlatoris Chriſti & ſponſæ inviolatæ matris Eccle obſervare & ſanctificare ſatagatis; & ſi talia qualia audivimus facta fuerint, ea emen te curetis, attendentes quòd etiamſi dictus deliquiſſet in vos, veſtrum non eſſet ip punire, cum ſecundum legem Divinam & canonicam perſonalia clericorum delict ſecularibus judicibus nequaquam ſint judicanda vel punienda, nec poſſet Eccleſia quo modo ſuſtinere Eccleſiaſticam libertatem taliter deperire. Valete.

† In cod. Bened. legitur [diaconum Chriſtianitatis] mendo manifeſto: niſi enim male conjicit Somnerus noſtras (pag. 362. & 363. Antiquitatum ſuarum Cantuarienſium) magiſtratus ille Eccleſiaſticus, quem nos hodie appellamus ſimpliciter Decanum i. e. præſidem capituli Eccleſiæ cujuſque Cathedralis, idem eſt ac qui olim dicebatur Decanus Chriſtianitatis & proinde idem munus & officium fuiſſe Decani Chriſtianitatis in Eccleſiâ Cantuarienſi vult ille antiquarius, quod hodie exercet (diuque maximâ cum laude & fructu Eccleſiæ exercuit; & faxit Deus ut diutiſſimè exerceat) Dr. Johannes Tillotſo vir incomparabilis; qui meritò quidem appellandus eſſet Decanus Chriſtianitatis; quia nemo eam, hoc ſaltem ſeculo, fœli illo docuit & elucidavit. Carolus du-Freſne in gloſſario ſuo confundit Decanum Chriſtianitatis cum Rurali, vel Decano E copi, ſed hoc ſuâ ſolùm authoritate; quæ enim citat è legibus Edw. Confeſſoris & chart. Archiepiſcopi Senon. nihil a probant quàm fuiſſe olim decanos rurales; & ſi primo aſpectu ei favere videtur, quòd Decanus Lincolnienſis capitularis ſigniatur aliquoties in hiſce epiſtolis per W. hic autem Decanus (cui iſta epiſtola inſcribitur) per H. (i.e. Henricus de L inton qui Roberto noſtro in Epiſcopatu ſucceſſit) reſponderi poteſt, vel W. illum litigioſum potuiſſe eſſe mortuum, vel a promotum; & H. hunc in illius locum ſuffectum: interceſſerunt enim aliquot anni inter litem Epiſcopi cum capitulo, & Dec cum hujus Henrici. Huic rei (ut monet Somnerus) lucem dabit Roverius in Illuſtr. hiſt. Monaſt. S. Johan. Rhem. p. 628. e qui eò potius eſſet conſulendus; quia ipſe Somnerus in gloſſario ad Decem Scriptores, ſuam mutaſſe videtur ſententiam.

Epiſt. 85. *Robertus Dei gratiâ Lincolnienſis Epiſcopus dilectis filiis conventui de Miſſenden ſalutem, g tiam & benedictionem.*

QUI ad miniſterium aliquid utile multis & neceſſarium debet eligere de mul miniſtrum unum, tenetur proculdubio diligenti ac prudenti perſcrutatione pri inveſtigare quis de multis ad miniſterium quod intendit ritè adminiſtrandum, cæte de præpoſitâ multitudine ſit aptior, hoc eſt, potentior, ſapientior & voluntate prom tior atque ferventior, & quem talem inveſtigaverit, præeligere; alioquin erit Elect non ſolùm fatuus, ſed injuſtus & impius: faciet enim eorum detrimentum, quoru deberet facere proficuum: quantum enim quem eligit ineptior eſt eo quem poſſet ap tiorem eligere, tantum (quantum eſt in ſe) de miniſterii detrahit utilitate atque nece ſitate: quanto quoque miniſterium ad quod eligendus eſt miniſter, melius eſt & mag neceſſariu

neceſſarium, tanto injuſtior & nequior eſt qui eligit, niſi eum præferat quem tota ſolicitudine perſcrutatus fuerit hujuſmodi miniſterio convenientiorem.

Cum igitur miniſterium curæ paſtoralis omnibus aliis miniſteriis ſit excellentius, nobilius, utilius ac maximè neceſſarium, elector paſtoris animarum omnibus erit iniquior, & Deo, angelis & hominibus deteſtabilior, qui paſtorem eligit niſi quem ad curæ paſtoralis miniſterium, quantum poſſibile eſt humanæ fragilitati, perſcrutatus fuerit idoneum. Quia itaque in electione paſtoris, ut jam perſpicuum eſt, periculoſiſſimè quoad perſonam eligendam erratur, cum hujuſmodi error electorem & electum ſimul cum omnibus quibus præficitur, trahat in barathrum; veſtræ autem congregationis unitas ſit tanquam elector paſtoris unus, vos etiam ſitis oves quibus paſtor eſt eligendus, nos paternam de vobis gerentes ſolicitudinem paterno affectu vos rogamus, monemus, exhortamur ac, quantum poſſumus, injungimus ut ad paſtorem idoneum vobis eligendum pro viribus veſtris omnem apponatis curam & diligentiam, utentes in hac parte conſilio (non ſapientum hujus ſeculi, quorum prudentia apud Deum reproba & ſapientia ſtulta, ſed) illorum qui ſapiunt Jeſum Chriſtum, æternam Patris ſapientiam, & hunc crucifixum, invocantes ſummâ devotione ipſius Gratiæ illuminationem ad paſtoris idonei oſtenſionem & aſſumptionem, ne contingat vos tanquam oves ſine paſtore per abrupta vitiorum errare & ad inferos ruere, ibique reatui electionis pravæ, ac per hoc mortis propriæ, pœnas debitas æternaliter ſolvere. Recogitate quoque quàm indignum eſt veſtræ profeſſioni etiam porcos veſtros propriis animabus præferre magiſque de ipſis quàm de vobiſmet curare. Nonne, cum porcis veſtris debetis providere de cuſtode, cum omni perquiritis diligentia talem qui poſſit, ſciat & velit eos in paſcua ſibi congruentia manè educere, & in illis per diem paſcere, à furibus & beſtiis intactos & illæſos conſervare, ad veſperam ſalvos ad nocturnum receptaculum reducere, & noctis etiam vigilias ſuper ipſos cuſtodire? Si conſimilem itaque diligentiam non adhibetis de providendo animabus veſtris idoneo paſtore, nonne pluris vobis ſunt porci veſtri, quàm animæ veſtræ? Abſit hoc procul à vobis, abſit longiſſimè: vos autem, ſicut decet religioſos, zelo Dei & ſalutis propriæ accenſi, cum devotiſſimâ orationum inſtantiâ, prudenti bonorum conſilio ac ſolerti ac ſolicita diligentiâ propria ſatagatis, ſecundum doctrinam Apoſtoli, paſtorem vobis eligere irreprehenſibilem, ſine crimine, non ſuperbum, non iracundum, non litigioſum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum; ſed ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, benignum, modeſtum, juſtum, ſanctum, continentem, doctorem ſicut Dei diſpenſatorem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem ut potens ſit exhortari in doctrinâ ſana, & eos qui contradicunt arguere, domui ſuæ bene præpoſitum. Si circa talem paſtorem vobis perquirendum prædicto modo fideliter laboraveritis, ſperamus quod ipſe Paſtor paſtorum vobis aderit, nec pium laborem veſtrum permittet inanem & infructuoſum. Dat enim petentibus, offert quærentibus & pulſantibus aperit: quòd ſi deſides & quæ Dei ſunt & veſtræ ſalutis negligentes in hac parte fueritis, iram Dei, angelorum & hominum vobis theſaurizabitis, nec poterimus diſſimulare, niſi vellemus, quod abſit, vobiſcum fieri participes gehennæ, quoniam & veſtrum corrigamus errorem & pro poſſe noſtro idoneum vobis demus paſtorem. Valeat in Domino ſancta paternitas veſtra.

Venerabili in Christo Patri Bonifacio Dei gratiâ electo Cantuarienſi, Robertus miſeratione divinâ Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem & quàm debitam tam devotam in omnibus obedientiam & reverentiam. Epiſt. 86.

GRatias agimus Domino Jeſu Chriſto, Paſtori ſummo, qui Eccleſiæ ſuæ Cantuarienſi diu paſtoris ſolatio deſtitutæ, providit de paſtore. Speramus enim quòd ad imitationem Jeſu Chriſti Paſtoris ſummi, in quo omnes paſtores ſunt unus paſtor, gregem vobis commiſſum, ſecundum propheticum eloquium, paſcetis ſcientiâ & doctrina, judicio quoque & juſtitiâ, quod infirmum eſt conſolidantes, & quod ægrotum ſanantes, quod fractum alligantes, & quod abjectum reducentes, & quod perierat quærentes, quæſitum & inventum, in humeris fortitudinis æquanimiter proſpera & adverſa ferentes, reportantes. Ad hæc & hujuſmodi ad honorem Dei & Eccleſiæ libertatem & animarum ſalutem tendentia, veſtra ſolicitudine indefeſſoque labore, favente Domino, conſummanda, ſicut decet obedientiæ filium pro noſtræ modicitatis viribus, juvante Spiritûs Sancti Gratiâ, obedientes & ſedulos deſideramus vobis tanquam patri dilectiſſimo affuturos cooperatores. Quia igitur ad bene operandum & laudabilius conſummandum, plurimum juvat

juvat plerumque super operandis in posterum præmunitum fuisse, vestram discret
nolumus latere, quòd dominus Papa postulationem de domino Norwicensi fact
Winton. Ecclesiæ Pontificem admiserit & confirmaverit, & Domino Regi Angl
dicto confirmato scripserit, quatenus eidem castra & maneria Winton. Episcopa
stituat. Dictus Dominus Rex id hucusque facere contradixit: in quo proposito si p
poterit hoc ipsi & regno suo non minimum obesse, quod absit, cum in hoc fac
denter videatur facto domini Papæ contraire; cui præter fidelitatem communi
omnibus Principibus Ecclesiæ filiis debitam, * Ipse specialiter per Chartam & jur
tum illustris memoriæ regis Johannis, patris ipsius, tenetur ad fidelitatem sub
gravissima quam vos latere non credimus. Cum itaque ad vestræ discretionis c
tiam maximè pertineat, post Dominum Regem, ejusdem & regni sui honori, p
tranquillitati providere, vobisque præ cæteris ejusdem regni maximè incumbat ec
sticam libertatem tueri, & facta domini Papæ, ut debitum sortiantur effectum,
vere; vobis omni qua possumus devotione supplicamus quatenus vestra sapientia
tanta pericula tantasque *sacerdotii* & *regni* imminentes discordias & perturbationes
dia satagat congrua providere. Et quia testante sapientia, bonæ mulieris beatu
per mulierem enim sapientem vir salvatur, corde ipsius per ejus suavem & sal
persuasionem in melius commutato; secundum quod nostræ parvitati videtur, ce
fiet, si Domina Regina Angliæ, neptis vestra, tam per literas vestras quàm discre
fideles nuncios, diligenter moneatur & efficaciter inducatur, ut cor Domini Reg
cundum prudentiam à Deo sibi largitam, tentet in melius in hac parte commutare
dicto desistat proposito, modis omnibus inducere, ne ut primus ingressus in An
quem Deus pacis faciat pacificum, per hujusmodi discordias perturbetur, aut vob
generetur necessitas cum Domino Rege seu aliquo alio discordandi in vestri ad
recentia. Valeat paternitas vestra semper in Domino.

* Proh seculi istius stultitiam! & aliorū omniū, in quibus Principes Regalia sua astutiæ papali subdunt!

Epist. 87. *Venerabili in Christo Patri Bonifacio Dei gratiâ Electo Cantuariensi, Robertus miseras. vinâ Lincoln. Ecclesiæ, &c.* sicut in præcedente.

SEcundus ramus à radice charitatis procedens est dilectio proximi: dilectio ve
desiderium non * somniantium & otiosum, sed sanum & actuosum veri boni
qui diligitur, non alterius sed ipsius dilecti gratiâ. Verum igitur bonum est, non
exterius, ut honor, generis nobilitas, vel divitiæ seu hujusmodi; neque quod corp
robur, sanitas, pulchritudo; sed quod animi, fides scilicet & virtus in via, per qu
venitur ad fruitionem Trinitatis in patria. Igitur qui in charitate radicatur, vult, &
luntate operatur quod potest, ut proximus in verà fide fundetur & virtutibus in
tur: quapropter qui habet in potestate & ad id tenetur ex officio, ut proximis pr
doctorem qui eos in fide fundet & virtutibus informet; si pro hujusmodi doct
scienter & volens præficiat, qui prædicta ob impotentiam vel ignorantiam vel
gentiam non faciat; manifestum est talem proximos non diligere, nec in charita
nere, ac per hoc in statu salvandorum non esse. Quomodo enim oves diligit, qu
stitutus in medio luporum rapacissimorum, scienter & prudenter paralytico, aut
aut torpore desidiæ languido tradit custodiendas? Nonne potius est ovium pe
Et, si sint spirituales, earum crudelissimus occisor pro quibus vivificandis occisus e
simus mundi Salvator? Nec solùm incidit in hujusmodi reatum homicidii, qui sc
volens animas tradit salvandas salvare impotenti, aut ignoranti aut negligenti;
ut in pluribus qui eas committit tali curandas, de quo penitus ignorat qualis sit
tentia aut scientia aut voluntate curandi. Etsi enim accidere possit ignotum
regimen animarum idoneum; non est tamen, si hoc accidat, ignotum præficient
nus sed potius fortunæ: si autem incognitus sit minus idoneus meritò imputabit
præficienti; quia ne talem præficeret, debuit diligenter præcavisse. Qui enim sa
in locum per quem novit consuetum esse & frequentem hominum transitum,
aliquem, licèt ignorans; non excusat eum hujusmodi ignorantia, sed magis r
homicidii perpetrati, quia antequam sagittam emitteret, considerasse diligenter
ne fortè quisquam præsens ibidem tunc fuerit. Hæc itaque & hujusmodi no
tractantes, & attendentes siqui Christum in membris suis non paverunt, vel p
runt, vel hospitio susceperunt, vel induerunt seu visitarunt, in ignem æternum
qui præparatus est diabolo & angelis suis; quanto graviori pœnâ sunt digni qui
in membris suis occiderunt; quantisque coarctabuntur angustiis, cum ejus conspe
tre

* Cod. Ben. [semifaucium.]

tremendo judicio præſentabuntur? In tradendâ animarum curâ toti timore concutimur, ne fortè pro vivificatoribus, eas occiſoribus exponamus, ac noſmetipſi per hoc in tremendo judicio cum homicidis condemnemur. Iſto itaque timore nos arctante, præſentatum ad Eccleſiam de Caſtre, quem penitus quis & qualis ſit ad regimen animarum ignoramus, non admiſimus nec admittere recuſavimus; ſed veſtræ paternitatis diſcretioni, quæ dictum novit præſentatum, & animæ ipſius & parochianorum dictæ Eccleſiæ curam gerit & ſolicitudinem, ejuſdem Eccleſiæ hac vice quoad ipſius præſentati perſonam concedimus ordinationem; ſperantes quòd incomparabiliter plus intendit veſtra charitas multarum animarum æternæ providere ſaluti, quàm unius hominis commodo quantolibet temporali. Valeat paternitas veſtra ſemper in Domino.

Venerabili in Christo Patri Bonifacio Dei gratiâ Electo Cantuar. Robertus, &c. ſicut in ſuperiore. Epiſt. 88.

CUM diœceſis noſtra multum ſit diffuſa multumque inhabitata, ac per hoc multos habeat in his quæ ad Eccleſiaſticam pertinent correctionem tranſgreſſores, quos pro officii noſtri debito neceſſe habemus canonica correctione dirigere, & quoſdam virgâ directionis, ut ad viam veritatis redeant, aſperius quàm vellent ferire: quamplurimi impatienter ſuſtinentes ultionis libidine, ut nos ſaltem fatigent, de nobis veſtræ paternitati conqueruntur; ac grave ſit nobis admodum ad quamlibet de nobis hujuſmodi querimoniam procuratores & clericos noſtros Cantuar. mittere; veſtræ paternitatis diſcretionem affectuoſè rogamus, quatenus nobis ſuper hujuſmodi diſpendio remedium congruum paterna ſolicitudine curetis providere. Cæterùm incaſſum jacitur fundamentum bonum ſupra firmam petram niſi ipſum fundamentum conſervetur ne diſſipetur, & niſi correſpondens ædificium ſuperaddatur, aut ſi petræ firmitas in arenæ tranſeat inſtabilitatem. Bonum poſuiſtis fundamentum, cooperante Salvatoris gratiâ, ſupra firmam, ut credimus, firmiter mentis in Chriſto firmatæ conſtantiam. Caveat veſtra ſolicitudo ne manibus iniquis fundamentum diſſipetur, aut petræ firmitas, hoc eſt, mentis veſtræ in Chriſto conſtantia falſis perſuaſionibus aut blandimentis allicientibus aut perſecutionibus intentatis terrentibus, quaſi quibuſdam præſtigiis, in arenæ fluxum monſtruoſè labatur; ſed ſatagat omnino ut melioribus aſſurgentibus profectibus, bonorum operum conſummatione faſtigia claudentium, domus veſtrum protegens præſulatum ſuperædificetur: nec moleſtum ſit vobis, rogamus, quòd minor majori talia quaſi importunè ſuggerit: non enim poteſt amor, res plena ſoliciti timoris, amato non ſuggerere talia; nec debet cuiquam amarum ſapere quod de dulci prodit charitatis radice. Valeat paternitas veſtra ſemper in Domino.

Venerabili in Christo Patri Bonifacio Dei gratiâ Archiep. Cant. totius Angliæ Primati, Robertus, &c. ſicut in ſuperiore. Epiſt. 89.

ACcedentes nuper ad nos clerici veſtri ex parte veſtræ paternitatis nos rogaverunt quatenus cuidam literæ nomine noſtro & dominorum Herefòrd. Epiſcopi & Ciceſtrenſis electi, cæteris ſuffraganeis veſtris directæ, pro negotio *Subſidii* à domino Papâ de prælatis & clero provinciæ Cantuar. vobis conceſſi, ſigillum noſtrum unà cum ſigillis duorum prænominatorum dominorum apponeremus: Poſtea verò iidem clerici per nos redeuntes iteratò ex parte veſtra rogaverunt quatenus dictis ſuffraganeis pro prædicto ſubſidio noſmet literam ſupplicatoriam & exhortatoriam deſtinare curaremus; neutra tamen vice, quod dicti clerici rogaverunt, fecimus; ſuper quo à veſtra paternitate veniam petimus: non enim fas nobis eſt veſtræ paternitati, nec dilectioni ſpeciali quam erga nos veſtri gratiâ geritis, quicquam denegare quod inoffensâ juſtitia & noſtra honeſtate illæsâ poſſumus facere. Prædicta autem feciſſe non potuimus, ſicut nobis certiſſimè viſum erat, niſi fortè aliquos de coepiſcopis noſtris offendiſſemus, cum videremur manifeſtè ab eorum unitate receſſiſſe, prædictum ſubſidium, quantum in nobis eſſet, ſine illis præconcedendo, & noſtrâ præconceſſione ad idem faciendum eos quodammodo arctando. Toti quoque clero dictæ provinciæ nos reddidiſſemus odioſos; qui etiam publicè declamarent quòd nos, quantum in nobis eſſet, noſtrâ hujuſmodi præconceſſione (non enim exhortari poſſemus in hac parte quod prius noſmetipſi non videremur conceſſiſſe)

cessisse) eos intolerabiliter gravassemus; præsertim cum dominus Papa & Do
Rex auctoritate papali ab eodem Clero præsentialiter exigant in non modicâ qua
sibi subveniri. Ut igitur hæc & hujusmodi vitaremus, manum à scribendo contin
& scripta non signavimus. Habeat igitur vestræ paternitatis benignitas nos, si
in hac parte excusatos, paratos semper ad ea quæ vestræ debeant voluntati comp
Valeat, &c. *ut antea.*

Scripta est hæc Epistola superior circa A. D. 1246. vide M Par. p. 692. & deinceps.

Epist. 90. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Episcopus, dilectis in Christo filiis Decano & capitulo Lincol tem, gratiam & benedictionem.*

NAturaliter indita est, non solùm hominibus & mansuetis animalibus sed & fe stiis, propriæ prolis dilectio: unde parens prolem non diligens, non solù manam, sed illam exuit naturam in qua cum irrationabilibus communicat, factu similis jumentis insipientibus, sed ipsis multo posterior. Nexus autem spiritalis carnali melior est & pretiosior: quapropter & spiritalis paternitas carnali; & dilecti ipsam consequitur, eâ quæ consequitur carnalem. Melioris autem privatio deter pretiosioris vilior. Patres igitur spiritales ad prolem suam spiritalem dilectionē n fecti, deteriores sunt & viliores ipsis quos diximus jumentis, quanto spiritalis pate eamque concomitans dilectio, melior dignoscitur esse naturali. Consimilis autem cinatio decurrit in prole parentem non redamante, nisi quòd parentum amor est a lem intensior, & ab hac ejus privatio vituperabilior. Parentis & prolis correlatio invicem conjungimur: sit igitur procul à nobis, mutuâ non conjungi dilectione, vel vos, vel utrique, ferali, imò ferali postpositæ, postponamur naturæ. Nullus hominum scit quæ sunt ipsius hominis, nisi spiritus qui in ipso est; sed nec ipse est ad perscrutandum omnino seipsum. Veruntâmen quantum potest spiritus no perscrutari, invenit in se paternæ affectionis ad vos omnes & singulos dilectio nec credimus, licèt fortè aliquando ex aliquo impulsu subito erga vestrûm alique quod verbum minus circumspectum erupit, nos ex nostris operibus argui posse paternam dilectionem non observasse: absit à nobis ut hanc vitalem auram spirem vos sincerâ complectentes dilectione: Qui enim non diligit, manet in morte, & q diligit odit, ac per consequens homicida est, non habens vitam in se manentem. enim amor fenestra est per quam primo influit lumen vitæ: dilectio autem est ap non tepidus sed vehemens boni ipsius quem diligit.

Bonum autem hominis etsi tripliciter dividatur, in bonum sc. exterius, & corp animæ; solum tamen bonum animæ, quod est virtus & ipsius operatio, verum e minis bonum & pura dilectione appetendum. Quia igitur vos paternè diligimu strum verum bonum vobis non appetere vehementer non possumus: appetitus vehemens, nactâ facultate, necesse habet in actum prodire: actus verò appetitu boni ipsius qui diligitur, est primò doctrina verax & persuasio efficax virtutis imi & malitiæ fugiendæ; deinde, super malo ex doctrina non evitato non mollis, qua Heli sacerdotis, sed rigida, qualis Johannis Baptistæ & ipsius Salvatoris, corr tertiò, per correctionem non correctis flagelli additio: hoc enim ordine Salvator suæ dilectionis ad nos exeruit actum. Hoc itaque & nos necesse habentes imitar tis doctrinam & virtutis imitandæ, vitiique fugiendi persuasionem, quantum sci veracem & efficacem, quando potuimus, vobis proposuimus. Nunc autem, unde ad intimas dolemus medullas, necesse habemus, doctrinæ correptionem adjunge sanguis vester de manibus nostris requiratur: facitis enim tantis viris, quanti vos r mini, tam inconvenientia, & hæc in oculis solis hujus, à quibus si lucis suæ radios teret, sicut fecit ab Ægyptiis, habenti veritatis & bonitatis zelum non esset mira Peccata namque tanto sunt graviora & magis abominanda, quanto qui peccant alt adepti sunt gradum: vos autem estis quidam Legis, Prophetarum & Evangelii do omnes autem eorundem professores; omnes, licèt in differentibus, excelsis tamen gr Ecclesiasticis & spiritalibus constituti; & tamen quod summè mirandum est, prim erubescitis manifestum mendacium, scientes tamen quòd os quod mentitur occid mam, & quòd perdentur omnes qui loquuntur mendacium; nec immeritò, cum m
† S. Joh. 14.6. sit abnegator veritatis, ac per consequens Salvatoris, qui de se dicit †, Ego sum vi ritas & vita: filiusque perditionis, quia filius diaboli qui mendax est & pater men insuper & falsus testis sui, sicut dicit Augustinus: abusor quoque vasis pretiosissim quo debet Rex summus cibari & potari. Sermo enim vas est in quo Deo offe

non ſolùm veritatem entium, ſed & laudis ipſius & noſtræ confeſſionis, quibus tanquam cibo & potu, ſe teſte, delectatur. Nec eſt creatura aliqua quæ gerat expreſſius verbi incarnati ſimilitudinem, quàm humanæ vocis verbum: quàm abominabilis eſt ergo, & maximè veritatis, doctor vel auditor in vaſe tam mirificè cælato pro veritatis puritate propinans ſummo Regi mendacium, quod inter omnia eſt ipſi ſummè abominabile? Colligite igitur ex prædictis, mendacis, licèt exilem & non plenam deſcriptionem; quòd ipſe videlicet eſt Dei abnegator, diaboli proles, contra ſeipſum falſus teſtis, vaſis pretioſiſſimi in Dei contemptum & offenſam abominabiliſſimus abuſor; ac per hæc ſuiipſius homicida & perditor. Nunquid non ſummè dolendum eſt quòd tam horrenda vobis coaptari poſſit deſcriptio? Quis enim non novit falſiſſimum eſſe, Magiſtrum Richardum de Kirkeham tempore quo quoſdam ex vobis ſuſpendit vel excommunicavit, ſive juſtè ſive injuſtè, nullam in vos juriſdictionem habuiſſe ordinariam aut delegatam? Nonne voſmetipſi ipſum petiiſtis in judicem, & nuncios ad hoc impetrandum miſiſtis & impetraſtis? Qua igitur fronte, non ſolùm verbo ſed & ſcripto apoſtolico audetis aſſerere ipſum nullam in vos juriſdictionem ordinariam aut delegatam habuiſſe? Nunquid frons meretricis facta eſt vobis ut neſciatis tam verecundum vobis erubeſcere? Filii chariſſimi, quos (novit quem nihil latet) geſto affectu materno in cordis mei utero, & in ulnis meis affectu nutricio, quos & affectu paterno nunc verbis caſtigo, obſecro vos per Illum qui eſt Veritas, ut tam turpem maculam de gloria veſtra tollatis. Non enim excuſabiles eſtis, licèt non ſub nomine veſtræ communitatis; ſed ſub ſingularibus nominibus plurium ex vobis contra dictum magiſtrum ſit impetratum, qui ſingulatim ipſum impetunt: ipſi enim ſinguli membra ſunt veſtræ communitatis; nec poteſt membri deformitas corporis non eſſe: propterea cum hujuſmodi deformitatem non nitimini abſtergere, nullo modo poteſtis vos excuſare: ſi autem enitentes non poteſtis, qua diſcretione tanto conamine repellitis manum extergere non ſolùm volentis ſed & potentis, ſi tollatur obex ſolummodo veſtræ repulſionis? Præterea, non eſt veſtra juſtificatio, ſed magis peccati ad peccatum additio, & faſciculi impietatis colligatio, quod dicunt quidam ex vobis quaſi ad excuſationem, dictum magiſtrum in veſtram communitatem & non in aliquem ſingulariter ex vobis habuiſſe juriſdictionem; cum idem magiſter, ſicut etiam patet ex actis, non intenderet aliquem veſtrûm tanquam unam ſingularem perſonam in ipſius ſingulariter quoquo modo punire, ſed totum corpus in ſua parte, totalitati tamen, prout potuit, volens parcere; ſicut qui ponit alium in cuſtodia, volens tamen ipſi parcere, non totum corpus ferro circumdat & ligat, ſed vel pedes ſolùm compedibus, vel brachia manicis, non ſingulariter in pœnam pedum vel manuum, ſed in pœnam ipſius qui ſub cuſtodia ſervatur. Si itaque veſtræ pepercit totalitati, ſicut certi ſumus quòd ille & ſui conjudices fecerunt; nunquid æquum aut etiam humanum facitis, qui, quia vobis pepercit, ipſum perſequimini?

Adhæc manifeſtum eſt quòd non zelo juſtitiæ, ſed libidine vindictæ, ipſum inſequimini; quod etiam quidam ex vobis, ut dicitur, publicè fatentur: libido autem vindictæ lancea eſt in manu furioſi, qua proprium transfigit corpus, ut retroſtantis perforet veſtimentum: non enim poteſt quis alium lædere, niſi in bonis exterioribus vel bonis corporis: libidine autem vindictæ, ſuiipſius transfigit animam, & virtutes animæ, quaſi vitalem ipſius ſanguinem effundit. Uſurpat quoque ſibi quæſitor ultionis, quod ſibi ſoli Deus reſervavit, dicens †, Mihi vindicta, ego retribuam: judices enim qui peccata ulciſcuntur, non hominis ſed Dei agunt judicium: uſurpans verò alicujus proprium, quantum in ipſo eſt, aufert alteri ſuum eſſe, ſibiipſi tribuens illud: quapropter & vos, quantum in vobis eſt, Deo aufertis eſſe divinum, vobiſmet illud tribuentes; & cui in hoc effecti eſtis ſimiles? nonne illi * qui ſedem ſuam ad Aquilonem voluit ponere & fieri ſimilis Altiſſimo? Magnanimi reputamini; ſed probat vos non eſſe magnanimes quæſitio ultionis: magnanimi enim proprium, non memorari injuriæ, nihilque tam puſillanime quàm libido vindictæ. Ne igitur, filii dilecti, voſmet incaſſum primò transfigatis, & quod divinum eſt cum Satanâ uſurpetis, & vos, tanti tamque præclari nominis hucuſque, puſillanimes oſtendatis, hanc etiam maculam de medio veſtri tollatis: non enim glorioſum eſt vobis, ſed humile multum & vile quod in hac parte facitis: facitis enim id fieri permittendo. Quid enim eſt Richardus de Kyrkham veſtræ magnitudinis reſpectu? Nunquid non ipſe eſt veſtri reſpectu ut avicula parvula? Vos ipſius, ut aquila? Vulgo dicitur, Nunquid aquila capit muſcas? non eſt glorioſa aquilæ præda talis; glorioſa tamen & magna eſt araneæ; quam tamen prædam venari non poſſet niſi per retia inviſibilia muſcæ. Hujuſmodi retia dicto magiſtro, ut audivimus, contexta ſunt, & poſita ad ipſum illaqueandum: non enim contra ipſum proceditur per vias manifeſtas

† Rom. 12. 19.

* Iſai. 14. 14.

ſtas juſtitiæ, ſed per occultas machinationes fraudulentæ verſutiæ; quas dilecti fili Archidiac. Lincoln. & J. de * Crachall vobis poterunt exponere. Præcipit Domi Moyſen, quod juſtum eſt non quocunque modo, ſed juſtè exequi; & in omnibus dis apud omnes ſapientes eſt regula fixa, quòd primò proponendus eſt finis bon optimus; deinde, inveſtiganda via rectiſſima quæ directiſſimè ducit ad finem p tum; & tunc per eam inventam, & nullo modo per aliam ad propoſitum finem dendum. Si enim via ſit tortuoſa, inæqualis & lubrica; vel finis, fovea profunda ne neceſſe eſt incedentem aut in progreſſu aut in fine ruere in præcipitium? decet igitur tantos viros, ſicut nec expedit, per tales vias aut ſemitas incedere, ſi ad finem bonum intenderetur: teſte enim propheta, † Rectæ viæ Domini, & ambulant in eis. Et iterum alius propheta, * Semita juſti recta eſt, rectus calli nec enim eſt per malum ad bonum etiam tendendum; eſt enim eorum juſta damnat dicunt, Faciamus mala, ut veniant bona. Etſi enim dicatur in juſto bello non referre apertè vel per inſidias perveniatur ad victoriam, nihil attinet ad noſtram rati poſſunt enim eſſe inſidiæ non malæ & abſque peccato, imò etiam juſtæ; quale inſidiæ quas tetendit † Joſue habitatoribus Hai. Tollatur igitur & hoc malum de gloriæ veſtræ: abſit enim ut ſitis vel dicamini textores telarum aranearum, tenſo dicarum & decipularum, foſſores lacuum & fovearum: quia qui fodit foveam, in eam: nec dicatis hæc per vos non fieri: ſi enim, ut ſuprà tactum eſt, p ſtros fiunt hujuſmodi, quos à talibus cohibere debetis & poteſtis, ſi tamen veſt proculdubio vos ipſi horum cauſa eſtis: gubernator enim cauſa eſt everſionis cujus, ſi vellet, poſſet eſſe cauſa ſalutis. Hæc igitur præſcripta, filii mei chariſſimi, cum adjutorio ipſius qui ex dilectione etiam pro inimicis mori voluit, ſempe gam non ſolùm paterno affectu ſed & materno qui tenerior eſt, filialis dilecti fectu ſuſcipere curetis. In hoc enim verè filios, non alienos vel degeneres vos bitis, ſi paternas has correptiones, ſuaſiones, obſecrationes & etiam preces ſupp lialiter ſuſtinueritis, aure audiendi audieritis & exaudieritis; nec reputabitur f quod ad has paternas voces fuerit filiali humilitate correctum. Si verò eas ex medullis paternæ dilectionis & compaſſionis erutas repuleritis, cui poteſt in dubiu ti quòd patrem non diligitis affectu filiali, ac per hoc, ſecundum quod inprimis eſt, poſteriores effecti non ſolùm jumentis, ſed & poſterioribus ipſis? Longè ſi viris tam eminentis ſapientiæ, tam puræ intelligentiæ, tam præclaræ ſcientiæ, t cumſpectæ prudentiæ: ſed dirigat vos in agendis omnibus prudentia ad finem per viam rectam; provehat vos ſcientia ad legendum in omnibus creaturarum ſpe quaſi in quibuſdam literarum apicibus, Creatorem trinum & unum; conjungat vo telligentia angelicis ſpiritibus, ut ſecundum poſſibilitatem humanam imitemini con onem angelicam; ſuperferat vos ſapientia in ipſam ſimplicem Deitatem, ut purgato oculo ab omni rei materialis concupiſcentia, ipſam lucem primam, in qua in ſe viſa tur omnia, cujus etiam viſio eſt æterna vita, purè & irreverberatè contemplemini

* de quo M. Par. p. 877.
† Oseæ 14 ult.
* Isai. 26. 7.
† Joſ. 8. 4. &c.

Epiſt. 91. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus, dilectis in Chriſto filiis Decano & capitulo ſalutem, &c.*

RESCRIPSISTIS nobis quaſi pro competenti reſponſo, quòd ad mandatum Domini per nos, ut vobis videbatur, impetratum acceſſiſtis ad ipſum citò poſt Omnium Sanctorum, & quòd nobis audientibus ex parte veſtra & capituli Linc. p tum fuit coràm eo, quòd nec prohibitionem ſuam nec aliquam aliam intendeba ſequi contra nos coram eo cauſam. Fatemur quidem quòd impetravimus citatio citandum vos & capitulum Lincoln. ut certo die compareretis in curia Dom. ad proſequendam dictam prohibitionem; quia niſi ſic citaremini, curia Regis prohibitionem non revocaret. Vos tamen & capitulum Lincoln. peroptimè noſti ad talem citationem non habebatis neceſſe comparere, niſi dictam prohibition curia Dom. Regis proſequi velletis. Satis autem recolimus ſupradictam prot nem ex parte veſtra & prædicti factam capituli, quæ vos & capitulum eviden redarguit, cum in oculis mundi facto proſequamini quod verbis vos perſequi den ex quo nos etiam plurimum verecundamur & dolemus, velut habentes filios, * ejuſdem fontis foramine dulcem educunt & amaram aquam. Aſſignatis inſu lut pro reſponſo quòd Dominus Rex vobis præfixit diem ut inter nos & vos d tractaret, quaſi ob id ſolum jam pluries ad curiam acceſſiſtis. Sed quis ignorat ad v ſeu capituli ſeu ſaltem quorundam de capitulo procurationem & inſtantiam erg

* S. Jacob. 3. 11.

minum Regem & ſuos hoc eſſe factum, ut ſub tali pallio cauſæ deciſio prorogetur, & effectus tam literarum veſtrarum quàm noſtrarum, quibus efficaciæ certum tempus eſt præfinitum, evaneſcat & annulletur? Quis etiam ignorat quòd per hæc & hujuſmodi contra utramque conventionem inter nos communiter initam, bonâ fide obſervari firmatam, manifeſtiſſimè, ne dicam non bonâ fide, venitur? nonne dictarum conventionum fœdus his & conſimilibus rumpentes meritò connumerandi ſunt inter eos quos vocat Apoſtolus * homines ſine affectione, abſque fœdere, quos dignos dicit morte? & non ſolùm eos qui talia faciunt ſed etiam qui conſentiunt facientibus? Præterea, ſi, ſicut inſinuaſtis, ſolummodo pro pace inter nos & vos reformandâ ad curiam Dom. Regis acceſſiſtis; quare cum ibidem præſentes fuimus, nec minimam ſuper hoc mentionem nobis feciſtis? Veniſtis etiam, ut ſcribitis, cum literis procuratoriis tantùm ad tractandum de pace: quod ſi ita eſt, quare dictas literas nobis non oſtendiſtis; quæ tamen ſi tales ſint quales vos eas eſſe aſſeritis; quid aliud ſunt quàm velamen argutæ protelationis temporis, cum poteſtatem vobis non tribuant formandæ pacis? Præterea literis aliquibus capituli Lincoln. ſigillo ſignatis qualiter fidem aliquam de cætero adhibere poſſemus, cum literis ſuper ultimâ conventione inter nos initâ ſuo ſigillo ſignatis præfatum contradicat capitulum? In calce autem literarum veſtrarum videmini quoſdam ſuggillare, quaſi hucuſque pacem inter nos præpedierint; aut fortè ſcientes quòd non, in hac causâ, aliorum tam leviter trahimur conſilio, nos ipſos ſub illorum nomine cautius tangere voluiſtis. Rogamus itaque veſtram diſcretionem ut palam dicatis quam pacem, Deo & hominibus acceptabilem, ſacræ Scripturæ & canonicis inſtitutis conſonam, animarumque ſaluti convenientem, nobis unquam obtuleritis; aut ſi talem oblatam nos unquam recuſaverimus. Hæc itaque ad veſtra reſponſa reſpondemus ad præſens, vos ex charitatis affectu & paterna dilectione iteratò exhortantes, monentes & firmius & diſtrictius injungentes, quatenus ea quæ in literis prioribus vobis injunximus ad ſalutem animæ veſtræ & aliorum quorum curam nobiſcum geritis, effectui mancipare ſolicitè curetis. Nos enim in hoc negotio aliud non intendimus, niſi, ſicut ex ſcripturæ præceptis tenemur, miniſterium Epiſcopale pro modulo noſtro conari perficere, animas à diaboli laqueis eripere & Domino Jeſu Chriſto reddere: in cujus miniſterii complementum tam vos quàm alii omnes & ſinguli de veſtro capitulo vocati eſtis, & eſſe debetis, coadjutores, & non impeditores. Memores igitur ejus quod dicit Apoſtolus * Si noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur: dijudicet unuſquiſque veſtrûm ſeipſum; utrum videlicet prædictum in hac parte fideliter perſolverit debitum; ne fortè in extremo die inventus non ſolviſſe, ligatis manibus & pedibus mittatur in carcerem & tenebras exteriores, unde non exibit donec ultimum quadrantem perſolverit. Valeat, &c.

* Rom. 1. 31, 32.

* 1 Cor. 11. 31.

Robertus Dei gratiâ Epiſc. Lincoln. dilectis in Christo filiis Decano & Cap. Lincoln. &c. Epiſt. 92.

NON ſcimus ex integro cur toties ad curiam Domini Regis acceditis: vehementer tamen ſuſpicamur quòd cauſa acceſsûs veſtri tam frequentis ad dictam curiam, eſt, ut procuretis apud Dominum Regem quòd ipſe non revocet prohibitionem, qua judicibus noſtris inhibuit ne in cauſa inter nos & capitulum noſtrum motâ procedant; ac ut per conſequens procuretis per laicam & ſecularem poteſtatem impediri ne dicta cauſa in foro Eccleſiaſtico tractetur & terminetur: quod ſi ita ſit, manifeſtè vinculo excommunicationis innodati eſtis: in * Oxonienſi namque Concilio excommunicati ſunt omnes qui per malitiam Eccleſiarum libertates infringere vel perturbare contendunt: ſecundum Eccleſiaſticam autem libertatem prædicta cauſa tota, & ſecundum ſingulas ſui partes, in foro Eccleſiaſtico tractari debet & terminari; quod veſtram latere non poteſt diſcretionem. Procurantes igitur ne dicta cauſa in foro Eccleſiaſtico tractetur & terminetur, Eccleſiaſticam libertatem infringere vel perturbare contendunt, & ſic prædicti Concilii ſententiam incurrunt: nec poteſtis allegare quòd id, ſi id facitis, non facitis malitioſè; quia malitioſè facit qui ſcienter & prudenter injuſtum facit. Veſtra autem, ut ſuprà tetigimus, diſcretio bene novit quòd ſupradictæ cauſæ deciſio ſecundum Eccleſiaſticam libertatem ad forum pertinet Eccleſiaſticum. Præterea poſito etiam quòd hujuſmodi Regia prohibitio eſſet conſueta (ſicut reverà non eſt, ſed per malitioſas ſuggeſtiones Domini Regis innocentiam aſtutè circumvenientes nunc primò obtenta) nihilominus excommunicati eſſent hujuſmodi prohibitionis impetratores, & eâ in enervationem Eccleſiaſticæ libertatis utentes, & ne revocetur procurantes, cum in decretali

* Quod extat in ſecunda Editione Petri Crabbe.

cretali Epistolâ excommunicati sint, qui servari fecerint etiam consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem. Quanto magis Deo & hominibus sunt abominabiles execrandi, qui nova procurant, ut Ecclesiasticam libertatem perturbent? si autem prædicta sic se habeant, quid expectat vos, vel vos quid expectare potestis nisi illud væ quod repromittit Dominus per Isaiam, * His qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; & super equitibus, quia prævalidi nimis, & non sunt confisi super sanctum Israelis & Dominum non requisierunt. Ægyptus enim mundus est & secularis potestas, ad cujus vos, si prædicta sic sint, confugitis auxilium, descendentes ab Hierusalem, hoc est, ab Ecclesiastico vos subtrahentes judicio, non confisi super sanctum Israelis, super quem si confideritis, Ecclesiasticum judicium in his quæ ad Ecclesiasticum spectant examen nunquam effugere curaretis. Ad hæc, bene recolitis vos inspectis sacrosanctis jurasse quòd formam super processu dictæ causæ, in quam consensimus communiter apud Thame, bonâ fide observaretis, quod etiam quidam de confratribus vestris ibidem tunc præsentes, in animas omnium & singulorum de capitulo similiter juraverunt. Rogamus itaque quòd vestra nobis coram Deo & angelis ejus respondeat conscientia, utrum ab his de capitulo qui prædictam prohibitionem impetraverunt, aut ne revocetur procurant, dictum juramentum bona fide & absque fraude sit observatum. Quia igitur animæ vestræ & omnium & singulorum capituli nostri curam & solicitudinem paternam gerimus, vos quantâ possumus affectione paternâ monemus & exhortamur in Domino, & quantum possumus auctoritate Episcopali, licèt nobis indignis desuper attributâ, districtius inhibemus, ne quicquam de cætero, maximè prædictam tangens causam, in Ecclesiasticæ libertatis enervationem per vos aut per quosquam alios apud Dominum Regem aut suos aut quosquam alios quoquo modo procuretis; omnibus & singulis capituli vestri eadem sub districtione, prædicta vice & auctoritate nostra, necnon etiam & auctoritate vestra qui nobiscum curam salutis eorundem geritis, firmiter injungentes; ne vos vel ipsi, quod absit, in excommunicationis seu perjurii seu utriusque, quod pejus est, & malorum ex his sequentium incidatis periculum, & sic viventes & hoc etiam scientes & prudentes descendatis ad infernum: & quia perpetratum malum non est coram Deo veniâ dignum, nisi pro viribus eorum qui perpetrarunt revocetur & corrigatur, vos exhortamur & monemus ac firmiter vobis injungimus, quatenus siquid à vobis in detrimentum Ecclesiasticæ libertatis, maximè causam tangens prædictam, hucusque factum est, illud absque moræ dispendio pro viribus vestris revocari procuretis; monentes, exhortantes & injungentes omnibus & singulis capituli vestri, quatenus & ipsi siquid consimile in causâ prædicta attentaverint, id revocari similiter satagant. Valete.

* Isai. 31. 1.

Epist. 93. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Episcopus, dilectis sibi in Christo, Decano & Capitulo Sarum, salutem & sincerum in Domino charitatis augmentum.*

Rogastis nos & obsecrastis ut ad pacem inter nos & capitulum nostrum reformandam faciles nos exhiberemus: Noverit autem vestra dilectio quòd pacem super omnia ardenter affectamus; quia, secundum Augustinum, pax multipliciter dicta est; & est non omnis pax vera & honesta; sed aliqua turpis & falsa, sed illa quæ secundum eundem est ordinis tranquillitas; in qua tranquillè inferiora superioribus subsunt & obtemperant, paria paribus parilitatem non invident, superiora inferioribus, sibi nil imminuendo, bonitatum influentias largiuntur. Ad hanc pacem, præstante Ipso † qui est pax nostra, qui fecit utraque unum, semper faciles erimus: nec credimus vos, tantæ discretionis viros, pro alia pace nos rogare; cum in aliâ pace aliquâ non possit inveniri, nisi vera ordinis turbatio, aut veræ inordinationis non vera sed momentanea & fantastica quietatio, aut inordinationis & conturbationis simul commixta confusio. Valete semper, &c.

† Eph. 2. 14.

Robertus

Robertus Dei gratiâ Lincoln. Episcopus, dilectis in Christo filiis Decano & Capitulo Lincoln. salutem, gratiam & benedictionem. Epist. 94.

IN principio literæ vestræ promittitis verba pacis in spiritu mansuetudinis & dilectionis: det ipse Deus pacis quòd ima non discrepent primis: consequenter verba facitis de laude pacis & ipsius desiderio; sed cum multipliciter dicatur pax, teste Augustino, utinam desiderium, cujus mentionem facitis, sit illius pacis quæ est secundum illum, tranquillitas ordinis, in qua inferiora superioribus obedienter obtemperant in omnibus; quæ superiora à divinæ Legis influentia suscipiunt ut inferioribus influant: laus enim illa quam insinuastis, non potest esse nisi dictæ pacis. Insinuatis insuper velut conquerentes, vos per contrarium pacis expertos esse nescio quid gravitatis: scimus autem quòd supradictæ pacis contrarium non potest esse nisi grave & malum; & justum est ut turbationem sentiat & gravitatem, qui prædictæ pacis tranquillam renuit & suavem lenitatem: Secundum poetam autem,

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est.

Omnis autem pacis sub pace prædictâ non comprehensæ contrarium non potest esse nisi honestum & bonum; cum omnis pax altera turpis sit & inhonesta; licèt sapientibus non quæ Dei sunt, sed quæ concupiscentiæ carnis & concupiscentiæ oculorum & superbiæ vitæ aliter videatur. Secundum philosophum enim, Unicuique videtur bonum seu malum quod animi sui consonat vel discordat habitui; sicut unusquisque judicat de saporibus secundum instrumenti gustantis dispositiones. Si itaque per contrarium alicujus pacis, sub prædicta pace non contentæ, sensimus nos aut vos molestiam pœnalem aut gravamen, laudemus Deum, gratias agentes & non remurmurantes; qui in hoc fecit nobiscum misericordiam suam, dignificans nos ad sui imitationem & suorum imitatorum similitudinem, gravia & molesta pro bono recipere: sustinentibus enim pro tali talia, regnum cœlorum indubitanter promittitur. Interseritis quoque quòd necesse habetis nobis displicere &, licèt inviti & coacti, nos offendere; insinuantes quòd viam honestam & causam hoc declinandi non invenietis. Si mali sumus, necesse habetis, boni existentes, vestris bonis operibus à vestrâ bonitate procedentibus nobis displicere nosque offendere, nec est via aut causa hoc declinandi: necessariò enim bonis mala, bonaque malis displicent eosque offendunt: si autem utrique mali sumus, necesse est nos utrosque utrisque displicere, & nos [ad invicem mutuò offendere: sicut enim flexuosum flexuoso, sic malum malo convenire non potest. Si vero vos mali, nos autem boni, veraciter necesse habetis nobis displicere & nos] offendere tales existentes: Sed est hic via hoc declinandi; conversio scilicet à malitia in bonitatem: bonus autem bonum nequaquam potest offendere, aut alter alteri displicere; quia similia non in privationibus sed in rerum existentiis sibi necessariò consonant, congaudent & complacent: sequitur igitur ex vestro sermone, nisi plurimum fallamur, quòd aut alter nostrûm aut utrique mali sumus. Deinde increpatis nos quòd sententiam excommunicationis in Magistrum Nicolaum, socium vestrum & capituli vestri procuratorem, tulimus, ut dicitis præproperè; asserentes insuper ipsum tantùm ad appellandum datum fuisse procuratorem. Ad quæ taliter respondemus; videlicet, quòd dictus magister coram nostris clericis in judicio constitutus protulit & legit, & deinde clerici nostri inspexerunt & legerunt, generalem procurationem nomine dicti capituli conceptam, in qua & continebatur clausula hæc, sc. judicatum solvi pro eo permittimus: quo magistro postea contumaciter recedente nos volentes vobis parcere, ipsius contumaciam puniendam decrevimus. Fundata est itaque super falsum vestra increpatio; unde & vos non immeritò plurimùm increpandi estis, qui patrem vestrum apud plures, quasi verum esset, sicut patet per literæ vestræ tenorem, irreverenter diffamatis; cujus verenda, etiamsi denudata esse[n]t, cooperire deberetis. Præterea, velut graviter ferendum insinuatis quòd dictum magistrum excommunicavimus; cum tamen ob prædictam causam hoc fecimus; & velut per hoc futurum sit pacis reformationem impediri, nostra canitis voce sonora; imò non nostra, sed quæ nostra fingitis, vestra penitus reticentes. Nunquid non ad memoriam reducere deberetis quòd post diem pacis inter nos captum sub formâ quam bene recolunt qui præsentes tunc aderant, totis conatibus per magistrum Odonem in Curia Domini Regis vos estis prosequuti, literis regiis per vos de novo impetratis, ibidem justitiariis

Verba inclusa suplentur ex codice Bened. desunt enim in nostro per scribæ errorem.

ftitiariis porrectis? Graviter fertis quòd veftrum clericum prædictâ caufa excom cavimus, & fuper hoc nos increpatis; cum vos tamen in contemptum noftri, fic evidentia figna patet, omnino, ut credimus, injuftè † Decanum noftrum in nullo vobi jectum excommunicare non erubuiftis. Jufta debet effe ftatera, & utrarumque pa meritis in utrifque lancibus fideliter difpofitis, quæ præponderent dijudicari. In autem literarum veftrarum infinuatis vos timere quòd noftra dura & inaudita comp vos, quale nolletis, contra nos remedium quærere. Si noftra dura & inaudita clerici veftri excommunicationem, quomodo eftis magni tam parvum tam magi dentes? Magnus enim animus non nifi verè magna magnipendit: Si autem funt rogamus ea nobis per vos explicari: duritiam enim, favente Domino, nifi contra fervare nolemus: remedium autem cujus mentionem facitis, fi verè remedium eft, bi alicujus curativum eft; hujufmodi remedii quæfitio non nos terrebit, fed mag tificabit; quia cujufcunque quemcunque morbum curari defideramus. Si autem fi fpecie pharmaci curativi, quicquam mortiferum, illud quærere veraciter non ex ficut in litera veftra id non expedire proponitis: credimus autem illud remediu raciter vobis non expedire, nobis tamen expediens fore, juvante Domino, plurin illud enim remedium non credimus aliud quàm ad monachos Cantuarienfes refu fub quibus dicentibus *, Incurvare ut tranfeamus, fi femel incurvati fueritis, no gemini cum volueritis. Nunquid tam fapientum virorum eft tanta in patrem gendi libido, non quærentem, aut fe quærere non credentem nifi filiorum faluter velint fibiipfis ambos oculos eruere ut patri auferatur unus aut fortè nullus? V non dominorum fervi fieri, ut non fitis patris filii? ut patri propinetis amarum lubre tamen, pharmacum, vultis in vos ipfi haurire venenum? Quid enim facient Cantuar. monachi, nifi quòd pro juftæ caufæ & utilitatis communis defenfione, modis quibus poterunt, tribulabunt? Quæ tribulatio, juvante Domino, nobis licèt ra, falubris tamen potio, ægritudinis curatio, falutis adeptio, vifus clarificatio, f ræ confolidatio, debilitatis corroboratio & noftræ imperfectionis perfectio: vob tem, fi per vos adveniat vel promoveatur, in contraria prædictorum omnium co tetur. Non igitur nobis debet effe pro nobis veftrum quod minamini remediu roris caufa fed confolationis; pro vobis tamen quos ficut filios diligimus, tale re um, quod vobis effe non poteft nifi detrimentum, abhorremus; & volentes, ut poff veftro obfiftere mortifero vobis remedio, vobis pro certo fignificamus, quòd fi à * monachis quicquam impetretis, vel ad eorum mandatum in quemquam quicquam tetis, per totam diœcefim noftram vos publicè excommunicatos denunciari faci Valete.

† De Decanis Epifcoporum vide D. H. Spelman. in Gloffario.

* Ifai. 51. 23.

* Cum forma paginæ 313. (in qua aliquid incautè annotaveram de Monachis Cantuarienfibus, quod mihi ἐπὶ τὰς δευτέρας φροντίδας minimè placuit) non effet à Typographis mutanda commodum illic locum haberem vel delendi vel corrigendi quod mihi per errorem excidit; unicum quod fupererat refugiu ut lectorem huc remitterem, quo plenius mecum iftius loci fenfum intelligeret In Epiftola illa duodecimâ vides, lector. chorum Cantuarienfium fimultatem & invidiam in hunc Robertum (quarum caufam & originem me rectè illic credo monft De eorum animis verfus illum à tempore denegatæ Confecrationis extra Cantuariam (præcipuè cum reluctantibus illis, gulari gratiâ & favore Edmundi Archiepifcopi confecratus fuerit Radingi in Bercheria præter morem) non opus erat Ep ut amplius doceretur. Monachi Cantuarienfes nefcierunt mores mutare: & quid igitur ab eis effet expectandum, nifi perbia & infolentia? ifti Monachi non erant, ut primò rebar, Auguftinenfes Benedictini, fed Monachi Ecclefiæ Chri S. Trinitatis; qui privilegiis aliquibus freti nihil non audebant vel in ipfos Epifcopos (ut paffim videre licet ex Matt. P Ifti Monachi virtute cujufdam indulti vel privilegii (à nefcio quo Principe vel Pontifice eis conceffi) fibi quafi jus qu vendicarunt ut omnes Angliæ Epifcopi confecrarentur in eorum Ecclefiâ; id quod poftea reperii in hiftoria Matthæ de hujufce Epifcopi confecratione fcribentis pag. 409. & multò expreffius in Gervafio Dorobernienfi inter Decem Scri columnâ 1567. & deinceps: unde hodieque privilegium illud feu confuetudo prærogativa in illa Ecclefia metropolitan net, ut nemo Epifcoporum Anglicorum alibi confecretur quàm in Ecclefia Cantuarienfi, nifi folenni more impetratâ Illuftris & Reverendi illius Capituli veniâ & licentiâ: ex hoc loco autem vides quantilli iftos monachos fecit nofter Epi quantiflibet privilegiis fultos; quorum vel excommunicationem ne unius quidem teruncii æftimavit; ut patet ex Matt. p. 602. de qua re plura funt annotanda ad aliam Epiftolam fuper eadem: & dignum quidem fuit Roberto Lincolnien neque Reges nec Papas nec Principes metuebat, ut bellum monachis denunciaret. Vide M. Par. p. 509.

Epift. 95. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epifcopus, dilectis in Chrifto filiis Decano & Capitulo Li falutem, gratiam & benedictionem.*

MUri fortitudo & civium ad muri propugnacula prudens, fortis & indefeffa d fio hoftes arcent & rejiciunt confufos falvantque civitatem; & fi fortè m fit debilis, affit autem virorum fortium defenfio infatigabilis, non accidet de facili tatem hoftium infultu periclitari: fi autem murus fortibus careat defenforibus, tumcunque fortis videatur, vix aut nullatenus diu poterit hoftium repellere incu muro autem diruto ab hoftibus, quæ fpes falutis reftat civibus? Ingruente igitur

litate ſalus civitatis ſperanda eſt ex magnanimorum civium animoſâ & indefeſsâ repulſione hoſtium. Subitam & inopinatam hoſtilitatis irruptionem adverſus civitatem cujus vos eſtis cives & ego murus, licèt debilis & infirmus, ſatis noſtis. Cum igitur civis quilibet, ſi verè civis eſt & non degener, pro civitatis ſalute non ſolùm quoquo modo affectet ſed ferventer æſtuet ſemetipſum impendere; ſperamus ſicut & ſperare debemus vos omnes & ſingulos, quos cives credimus non degeneres ſed ingenuos, fortes & magnanimos, pro civitatis veſtræ ſalute in præſenti hoſtilitate hoſtibus fortiter voſmet oppoſituros, quódque quanto conſideratis in civitatis veſtræ muro plus debilitatis, quantoque ſi prævalerent hoſtes, quod abſit, gravius diſpendium civitatis, tanto fortius ad muri & civitatis defenſionem vos accingetis, & quia

Non nocet admiſſo ſubdere calcar equo,

Vos affectu quanto poſſumus rogamus, exhortamur & obſecramus, quatenus in his quæ prædicta contingunt, vos eſſe cives ingenuos, fortes & magnanimos oſtendatis; ne vel nota aliqua vobis poſſit impingi ab his quæ tantos decent cives alicujus ex parte aliqua exorbitationis. Rogamus attentius quatenus de proceſſu habendo contra prætactos hoſtes veſtrum expreſsè nobis ſignificetis conſilium; ſicut aliàs per literas noſtras vos rogaſſe meminimus. Valete.

Venerabili in Christo Patri H. Dei gratiâ Elienſi Epiſcopo Robertus miſeratione divinâ Lincolnienſis Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem & ſincerum in Domino charitatis augmentum. Epiſt. 96.

SCribit Solomon in † Parabolis, quòd omni tempore diligit qui amicus eſt, & frater in angustiis comprobatur: fraternitatis autem & amicitiæ comprobatio operis eſt exhibitio. Qui igitur anguſtiarum tempore non ſubvenit cum poſſit, evidenter ſe nec veraciter fratrem nec veracem amicum oſtendit; ſed, ſicut in Eccleſiaſtico ſcribitur, * Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanet in die tribulationis. Eò igitur quòd in die tribulationis non permanet, non omni tempore diligere convincitur; ac per hoc, ex ſupradicta Solomonis ſententiâ aſſerentis omni tempore amicum diligere, non verus amicus comprobatur. Noſtis autem me nunc non immeritò in ſummis fore conſtituendum anguſtiis, ſi cauſam ſalutis animarum, pro qua tantum & tam anxiè laboravi, per abſentiam judicis ad unicum diem deperire penitus & evaneſcere contingat. Cum igitur poſſitis ad unici verbi juſſum præſentiam judicis procurare, niſi hoc feceritis, voſmetipſi judicetis an ex prædictis authenticis & veridicis verbis veraciter ſequatur vos veracem amicum veracemque fratrem mihi non eſſe. Abſit autem ut tantus prælatus, qui toties verbis, ſcriptis & factis ſe amicum monſtravit, tam leviter non ſolùm rem ſed & nomen amittat fraternitatis & amicitiæ. Sed fortè dicetis, jacturam temporalium vos timere: quis ſapiens, ſi oporteat de duobus bonis magis vel minus bonum amittere, non citius eligit minoris boni jacturam quàm majoris? Omnia autem bona temporalia parvulæ amicitiæ particulæ comparari non poſſunt: melior eſt enim non ſolùm ſapientia ſed & amicitia cunctis pretioſiſſimis opibus, & omne deſiderabile non valet ei comparari. Nec eſt omnino nobis in hac parte vel minima temporalium timenda jactura, cum paratus ſim, & omni modo volo, vobis plenam præſtare ſecuritatem de conſervando vos & Magiſtrum R. de Kirkham indemnes. Credere non poſſum, ſicut nec debeo, quòd in hoc neceſſitatis articulo mihi veſtro deeſſe volueritis; ſed fortè probare me voluiſtis an fictus eſſem cauſæ meæ proſequutor. Si enim vos dimitterem antequam mihi benedixeritis in jubendo Magiſtro E. ut ſuam præſentiam ad diem meum exhiberet, evidenter agnoſceretis me fictè & non ex corde hucuſque egiſſe. Nunc ergo cum mea importuna inſtantia ſufficiens debeat vobis argumentum eſſe quòd ex toto corde dictam proſequar cauſam, jubeat veſtra charitas dicto magiſtro ut ad diem meum accedat. Supportaſtis me per dictum Magiſtrum R. in cauſa mea hucuſque: ſi igitur nunc me in fine dimittatis, quid aliud facitis quàm me per vos velut jam in portu exiſtentem, in mare rejicitis? Cauſa enim eſt periculi, ſecundum philoſophos, qui cum poteſt, non eſt cauſa ſalutis. Præterea ſcriptum eſt, quòd in die judicii * ſtabunt juſti in magnâ conſtantiâ adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt & qui abſtulerunt labores eorum. Spero autem me licèt peccatorem, dicto die, divinâ miſericordiâ, inter juſtos fore reſuſcitandum: unde timere non immeritò poteritis quòd tunc oportebit me in magna conſtantia adverſus vos ſtare, ſi me anguſtiaveritis & labores meos abſtuleritis; quod evidenter facturi eſtis ſi meam petitionem non expleveritis. Valete in Domino: perturbatè ſed veraciter tamen ſcribo ex turbato animo, nuncio meo redeunte vacuo in tanto & tam anxio neceſſitatis articulo.

† Cap. 17. 17.
* Cap. 6. 8.
* Sap. 5. 1.

Robertus

Epist. 97. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Episcopus dilecto sibi in Christo Magistro R. de Kirkham, & sincerum in Domino charitatis augmentum.*

ROgatis quòd ex parte vestra absentiâ non offendar: quis non offenditur cum c ditur? Vestra absentia si foret, mea foret summa confusio, & ideo non imr summa offensio. Allegatis timorem ex insidiis: videat imprimis vestra discretio timor qui in virum tantum debet cadere; præsertim cum & de vestris & maxi meis contra omnes insidias salvum potestis, favente Domino, conductum habere. terea nec dominus vester nec vos damnum debet in hac parte timere, cum secur utrosque omni modo volo facere de conservando vos in hac parte omnino indemne spectis etiam literis missis domino vestro ut habeat vos die litis meæ apud West sterium, scio quod nullam habet ex tenore literarum illarum necessitatem vos ad d diem dicto loco habere. Præterea figmentum est quorundam quos nominare quod fingunt de ponendis vobis insidiis & de capiendo seu detinendo vos, ut sic mere faciant, ubi veraciter timor non est: scio enim veraciter quòd fictores illi p cem millibus libris auri non haberent cor tam audax quòd in vos manum mittere mitti facerent; & ut omnis tollatur timor, mitto vobis sufficientem conductum ad Daintre, ubi, dante Domino, me invenietis paratum in propria personâ v vante Domino, salvò conducere salvóque reducere: veniatis igitur securè, v agentes; alioquin, ut suprà dixi, & me perpetuò confundetis, & vos apud bonos ves, ut verum fatear, famam vestram plurimùm denigrabitis, & Dei indignat proculdubio incurretis, causam ipsius nulla ratione compulsi deserendo, opposita his bona, si viriliter egeritis, adepturi. Valeat, &c.

Epist. 98. *Venerabili in Christo Patri W. Dei gratiâ Episcopo Wigorniensi Robertus miseratione divin colniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & sincerum in Domino charitatis au tum.*

LEgimus de Moise, quòd ipse erat mitissimus hominum qui habitabant in ter quòd tanto fervore charitatis populum sibi commissum diligebat, ut oraret I num, seipsum de libro quem Dominus scripserat, hoc est, de libro * vitæ deleri, u catum vituli conflatilis populo dimitti: hæc tamen mansuetudinis præeminentia lectionis inexplicabilis prærogativa manum ipsius non retraxit à populi peccantis & condignâ pœnâ: sed licèt in spiritûs mansuetudine & dilectionis superfervido c in fortitudinis tamen non relaxato robore cum filiis Levi iens & rediens de porta ad portam per medium castrorum occidit die † uno tria millia hominum qui in vitul flationem consenserant: in quo facto filii Levi manus suas consecraverunt Domin data est eis benedictio. Vos itaque estis qui Moysis personam geritis inter nos & vestros charissimos, nostros tamen adversarios, judicis fungentes officio: considere tur Moysis discretio & subtiliter dijudicet si dicti adversarii, licèt filii vestri, velut lum non conflaverint & velut pro Deo non adoraverint; dum conventionum & fidei promissionum veritate & sacramenti religione relictis, tot frivolas exceptior appellationes, tot figmentorum cavillationes, tot diffugia illicita in ignem ardentis derii quocunque modo se defendendi congesserunt & coadunaverunt, & velut ex tulum conflatilem pro vera defensione excoluerunt. Nunquid itaque zelus Mois terit non percutere in gladio omnes hujusmodi conflatores, & velut idoli pro ver ac sic pro Deo qui veritas est, cultores & adoratores? Nunquid non manus suas c crabit ut benedictionem accipiat, in ore gladii tales occidendo? Proculdubio ver Moyses non erit, cujus manum in hac parte mansuetudo seu amor vel aliud quic retraxerit; sed timere poterit quod scriptum est, * Maledictus qui prohibet gladiun um à sanguine. Nunquid non Heli sacerdos reprobatus est & condemnatus eò filios delinquentes nimis remissè corripuit? Nunquid non vos vicem sacerdotis & ad nostros adversarios sicut & ad nos geritis? Omnino quidem geritis dum vice & ctoritate fungimini summi Pontificis. Saul reprobatus est & regia dignitate priv quia regi Agag & optimis gregibus ovium & armentorum & his quæ pulchra erant percit. Non igitur parcendum est iniquitati; quin sicut præceptum est Sauli, uni percutiatur & interficiatur in ore gladii, quantumcunque fuerint, qui iniquitatem

* Exod. 32. 32.

† In Bibl. Roberti Steph. est ut hic; sed in Vulgari Sixti 5. & Clem. 8. est [23000] vide locum, Exod. 32. 28.

* Jer. 48. 10.

unt, dignitate, potentia, divitiis vel ſcientiarum pulchritudine præditi; ne qui parcit, cum Saule depereat. Cum igitur, ſicut nuper vobis ſcribendo tetigimus, adverſarii noſtri velut finaliter in ſua perdurent multiplicatâ nimium & aggravatâ contumaciâ, nec ultra hunc diem [* litis relinquatur vobis poteſtas punitionis, oſtendat ſe ad hunc diem] Moiſis virilitas & fortitudo, non Heli aut Saulis remiſſio. Nec iſta ſcribimus velut vos de remiſſione arguentes, ſed ſicut nuper per literam noſtram vobis inſinuavimus, velut admiſſo calcar ſubdentes: abſit enim à vobis, ut qui fortiter incepiſtis etiam fortia Regiæ prohibitionis repagula velut aranearum fila dirumpentes, in fine remiſſi inveniremini: violenti namque motus & præter naturam facti, in principio ſunt fortes, in fine autem omnino remiſſi: naturales verò motus econverſo in principio remiſſiores, in fine autem fortiſſimi. Naturam vos imitari decet, non violentiam. Valeat paternitas veſtra ſemper in Domino.

* Reſtituuntur illa verba è Cod. Bened. abſunt enim à noſtro.

Venerabili in Christo Patri W. Dei gratiâ Wigorniensi Episcopo, Robertus miseratione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & sincerum in Domino charitatis augmentum. Epiſt. 99.

INtimavit nobis ex parte dilectionis veſtræ dilectus clericus veſter Magiſter L. quòd noſtrum deſideratis audire conſilium, utrum videlicet tranſeundum ſit vobis cum Domino Rege in partes tranſmarinas uſque ad certum terminum, ad tractandum ſolummodo de pace inter ipſum & ſuos adverſarios; & hoc ad expenſas ejuſdem, vel non. Novit autem veſtra diſcretio quòd ſecundum philoſophorum aſſertionem conſiliatio conſiſtit in prudenti ſecundum probabiliſſimas conjecturas inveſtigatione & adinventione electionéque viæ quæ directius efficaciuſque ducit ad finem aliquem bonum vel optimum propoſitum: finis autem propoſitus & intentus propriè, principaliter & maximè à conſtituto in Epiſcopali officio, ſalus eſt æterna ovium à paſtore ſummo Domino Jeſu Chriſto curæ ipſius commiſſarum. Noſtra igitur conſiliatio, vel alicujus veracis conſiliatoris altera eſſe non poterit, niſi ut, conſideratis utrimque ſecundum rationabiles conjecturas accidentibus, illa tandem pars eligatur quæ ſecundum magis rationabiles conjecturationes magis expedire videtur ſaluti animarum curæ veſtræ commiſſarum, ſeu potius ſimpliciter ſaluti animarum. Tota igitur conſiliatio in hac parte ex hoc dependet, ut videlicet exquiſitiſſimè inveſtigetur, quantum fieri poterit ſecundum rationabiles conjecturas, utrum ex veſtro tranſitu cum prædictis conditionibus, vel ex veſtra morâ cum veſtræ curæ commiſſis ovibus plus videatur accidere ſalus animarum. Cum igitur noſtra in talibus inexperientia neſciat hinc inde ſecundum probabiles conjecturas accidentia prudenter conjicere, neque fortè etiamſi hinc inde ſecundum probabiles conjecturas futura ſciremus conjicere, noſcet noſtra imprudentia prudenter proſpicere quæ ex utraque parte accidentia plus viderentur rationabiliter ſaluti animarum conferre; qualiter in hac parte poſſemus vobis conſilium dare? Quia autem vos ſicut & nos deſideramus in omnibus proſperè & quæ Domini accepta ſunt voluntati peragere, ſi veſtrâ poſſemus in Domino frui jucundâ & deſideratâ præſentiâ, libentiſſimè ſuper his vobiſcum diligentiſſimè tractaremus; cum per mutuam collationem multa ſæpe pateant, quæ per ſe diviſim diſquirentes omnino latent. Cum verò non poſſumus præſentialiter ad præſens convenire; affectat autem noſtra affectio, licèt tepida, veſtris negotiis tanquam noſtris propriis cum omni qua poſſumus diligentiâ ad Dei beneplacitum expediendis intendere, & frater Adam de Mariſco qui vos in Domino ſincerè diligit, virque ſapiens eſt & prudens & zelo ſalutis animarum fervens, ad nos, ut ſperamus, in hac inſtanti ſolennitate Paſchali ſit acceſſurus, cum quo poterimus (ſi tamen vobis ita videatur) ſuper prædictis habere collationem, vos rogamus quatenus quæ utrinque in prædicto negotio veſtro accidentia voſmetipſi conjicitis, qui nimirum diligentius & efficacius circa hæc cogitaſtis, nobis reſcribatis, ut, habito cum prædicto fratre Adamo ſuper eiſdem diligentiori tractatu, vobis poſſimus, conſultius non dico in hac parte conſulere, ſed quid nobis videatur, reſpondere. Valeat paternitas veſtra in Domino.

Epist. 100. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Episcopus, dilectis sibi in Christo, fratri M. Priori provinciali, & definitoribus capituli provincialis fratrum prædicatorum Angliæ, salutem, & sincerum in Domino charitatis augmentum.*

* Prov. 3. 28. SCriptum est, * Ne dicas amico tuo, vade & revertere & cras dabo tibi, cum statim possis dare: in quo manifestè ostenditur, quòd dationis dilatio est dati immoratio, ac per hoc econtrario, temporanea autem & opportuna largitio muneris est augmentatio; quæ si fiat ex animo prompto & benevolo, est etiam divinæ dilectionis adquisitio; te- † 2 Cor. 9. 7. stante Apostolo, qui dicit † Hilarem datorem diligit Deus. Vos itaque qui estis sicut rota quam vidit Ezechiel, non solùm alio exterius impellente, sed interiori spiritus vitæ inclinatione ad omne bonum volubiles, decet vestras largitiones non ultra quàm convenit protrahere; & maximè, cum ipsa dilatio in salutis animarum vergat detrimentum. De largitate & liberalitate vestra reputamus nos accipere, licèt id habeamus à domini Papæ privilegio & concessione, quòd duos de fratribus vestris debeamus nobiscum commorantes habere in nostri ministerii complendi adjutorium. Ne igitur vestri muneris plenitudo, Deique erga vos dilectionis, dilatione & quasi quadam renitentiâ tribuendi muneris minoretur, salus quoque animarum minus efficiatur, vos rogamus quàm sincerâ & devota possumus affectione, quatenus de cætero sic nobis providere curetis de fratribus nobiscum moraturis, ut vestræ largitionis hilaris promptitudo donum vestrum & cætera prædicta adaugeat: Nec credimus nobis vel vobis expedire, nec saluti anima- * Deesse videtur [ut sit.] rum prodesse, * fratrum nobiscum commorari debentium tam frequens quàm hucusque fuit commutatio; cum de novo supervenientes minus sint exercitati & assuefacti in his quæ ad ministerii nostri supplementum oportet eos peragere. Supplicamus insuper omni devotione quatenus in orationibus vestris mei peccatoris memores esse dignemini. Valete.

Epist. 101. *Excellentissimo Domino suo Henrico Dei gratiâ Illustri Regi Angliæ, Domino Hiberniæ, Duci Normanniæ, Aquitan. & Comiti Andegav. devotus suus Robertus miseratione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & quam debitam tam devotam cum sincerâ dilectione reverentiam.*

SUper eo quod statum vestræ Dominationis & Dominæ Reginæ prolisque vestræ, quem prosperum sibique acceptum conservet in æternum Dominus, nobis significare, & de nostro solicitè requirere voluistis, gratiarum actiones referimus quantum possumus devotas & affectuosas. Ad illud verò quod nobis scripsistis, quòd si de statu vestro eam quam vos de nostro geritis solicitudinem gereremus, non credere non valetis quin per personam nostram propriam aut per intervenientem status vestri certitudinem vellemus plenius explorare; respondemus secundum philosophum, quòd lex veri amoris (qui res est plena solicitudinis & solicitæ explorationis si cuncta apud amatum sint prospera) hoc habet in se quòd amator verus ad amatum prosperis fortunatum non de facili nisi vocatus accedit: si autem audiat eum quem diligit adversitatibus arctatum, advenit promptè non vocatus, ut dilectum consoletur, juvet quoque & laboret pro viribus, sua & se impendens pro dulci relevatione: & propter hoc in prosperis non cognoscitur amicus; quia prosperitati, quæ non videtur expetere nisi applausum, plus plerumque applaudunt blanditores quàm veri amatores. Adversitas verò hoc habet de præcipuis bonis unum, quod prædicto signo blanditores discernit ab amatoribus. Ad Job prosperatum & in regni sedentem solio suo non venerunt tres amici sui; ad leprosum verò, omni privatum temporali bono & sedentem in sterquilinio promptè convenerunt non vocati. Non est igitur argumentum † injunctæ dilectionis & solicitudinis de vobis, quod ad vos, (benedictus Deus, agentes prosperè; quod & novimus sufficienter ex certâ, non tamen ex publicata exploratione, quæ longè stat extra fines veræ amicitiæ) non accessimus in propria persona; sed fortè, si subtilius hoc discutiatur, magis invenietur argumentum contrarii: verus enim amor placere non quærit, sed prodesse; nec ostentare quasi dilectionis signa, quæ veris amatoribus & fictis consueverunt esse communia. Sed fortè dicet aliquis, quòd licèt secundum legem dilectionis supersederi possit ab accessu personali, non tamen secundum legem superiori debitæ venerationis: cui respondemus consentientes cum ipso, quòd omnis reverentia & honor superiori debetur & Domino; quæ

† Ita Cod. Ben. in nostro est [invictæ] neutra vera est lectio: debet fortè esse [minutæ.]

quæ tamen ſuum habent tempus, ſicut, ſecundum Solomonem *, habent omnia: nec credimus nos tempus conveniens prætermiſiſſe; cum, ſi conferantur ad invicem corporis noſtri debilitas & negotiorum Eccleſiaſticorum nobis injunctorum urgentia, quæ dilationem non capiunt, & regia pietas intermitti nollet, apparebit omnino noſtrum corporalem ad Regiam majeſtatem venerandam acceſſum, in tempus expletionis eorundem quod, favente Domino, in brevi erit convenientius, fuiſſe differendum; cum etiam Regis temporalis ſit honor, ſi Regis æterni opera ipſius occaſione non retardentur: & licèt verecundum ſit ſua enarrare, cogimur tamen cum Paulo quaſi inſipienter veſtræ ſerenitati de nobiſmet ipſis dicere quòd veram & non fictam de veſtrâ ſalute temporali & æternâ gerimus ſolicitudinem, deſiderantes pro ipſa vobiſcum collaborare non ſolùm per bonam famam, ſed per infamiam; non ſolùm per gloriam ſed per ignobilitatem; & ut ad unum comprehendamus, non per confrui vobiſcum veſtris proſperis, ſed per participare pro veſtra ſalute vobiſcum veſtris adverſis. Valeat Dominatio veſtra per tempora longiora. * Eccleſ. 3. 1.

Excellentiſſimo Domino ſuo Henrico Dei gratiâ Illuſtri Regi Angliæ, &c. devotus ſuus Robertus, &c. ſicut in præcedenti. Epiſt. 102.

AUdivimus Excellentiam veſtram Wilhelmo de Compton cuſtodi temporalium Abbatiæ de Bardenay præcepiſſe, quòd inveniri faciat W. quondam Abbati de Barden. & monachis de parte ſua, omnia neceſſaria abundantius & melius quàm parti adverſæ; & quòd permittat dictum quondam abbatem habere liberum ingreſſum & egreſſum in Eccleſiam prædictam pro voluntate ſua; quæ tamen præcepta de Regia conſcientiâ nunquam credendum eſt emanaſſe. Regia namque poteſtas, cum Rex à recto dicatur regimine, non poteſt niſi rectum præcipere: filios autem patri ſuo rebelles, contumaces & inobedientes ſubjectis & obedientibus præponere, quid aliud eſt quàm tenebras præferre luci, amarum dulci & malum bono? Filii carnales rebelles patribus & contumaces, ſecundum legem Moyſis, ab univerſo populo fuerant lapidandi. Cum igitur major ſit nexus ſpiritalis cognatio quàm carnalis; ac per hoc obedientiæ patri ſpiritali debitæ violatio gravius punienda; quis in hujuſmodi contumaces non potius excandeſcet in pœnam, quàm favore eos eriget in ampliorem contumaciam? Quòd ſi dicat quis quòd juſtè patri rebellant, nec hoc à quoquam de facili præſumendum, ſaltem donec diſcuſſum fuerit per Eccleſiaſticum judicium. Præterea quos † includit ab ingreſſu domus Domini, ordinaria poteſtas Eccleſiaſtica, ſive juſtè ſive injuſtè hoc factum fuerit; nunquid poteſtas non Eccleſiaſtica, quantacunque fuerit, ſua auctoritate * judicet in domum Domini præſertim cum hujuſmodi facti ad hujuſcemodi poteſtatem nequaquam ſpectet judicium? Quòd ſi etiam ex devotione quantacunque attentaret poteſtas hujuſmodi, quid aliud faceret quàm cum Oza (quod ſupra ipſum erat) præſumente manum ad Arcam Domini extenderet? propter quod, licèt id ex quadam devotione egerit, indignatione iræ Dei percuſſus juxta Arcam continuò interiit. Longiſſimè abſint hujuſmodi à veſtra directiſſima Dominatione. Supplicamus igitur omni qua poſſumus affectione, quatenus pro reverentia & dilectione Jeſu Chriſti, qui ſicut, ſecundum Apoſtolum, in prælatis per ipſos loquitur, ſic & cætera in ipſis per ipſos operatur (unde, ut ipſe teſtatur, & Ipſe in ipſis ſuſceptis ſeu ſpretis ſuſcipitur & ſpernitur) ſi aliqua litera à veſtra fuit Dominatione per ſurreptionem obtenta talia præcipiens qualia ſupradicta ſunt, eam curet Regalis excellentia revocare. Valeat Dominatio veſtra per tempora longiora.

† Fort. [excludit.]

* Fort. [inducet.]

Scripta eſt hæc Epiſtola circa A. D. 1243. ut patet ex Matt. Paris p. 601. ubi totum hoc negotium de Abbate de Bardenay habes graphicè depictum.

Epiſt. 103. *Excellentiſſimæ Dominæ ſuæ Aleonoræ Dei gratiâ Illuſtri Reginæ Angliæ, Dominæ Hib Duciſſæ Normanniæ, Aquitaniæ, & Comitiſſæ Andegaviæ, devotus ſuus Robertus miſer divinâ Lincolnienſis Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem & quam debitam tam devotam ſincerâ dilectione reverentiam.*

*† Eccleſiaſtic. 26. 21.

SCriptum eſt in libro * ſapientiæ; † *Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris ſpecies in ornamentis domûs ſuæ:* Sol autem oriens mundo tenebrarum propellit h rem, luminis inducit jucundam ſuavitatem, nocturnos timores & turbulentias abig curitatem & tranquillitatem tribuit, &, ut brevi ſermone comprehendamus plu quicquid naturaliter in hoc mundo viſibili viret, viget & proficit, hoc ex radioru lis orientis mundo vitali confotione naturaliter ſuſcipit. Igitur veſtræ benignitatis, nitatis & virtutis decorem & ſpeciem in ornamentis domûs veſtræ, quæ ſpecialite Eccleſia & regnum Angliæ, ſimilia oportet ſoli orienti efficere; horrorem errorum ſuadendo, veritatem ſuggerendo, ut optata cunctis mortalibus pacis tranquillitate dotium & regnum perfruatur, prudentiſſimè procurando in qua vireant, vigeant & ficiant uſque ad perfectum: ſacerdotio igitur, clero & etiam populo regni Angliæ temporibus quaſi noctis tenebroſis horroribus plurimùm turbatis, cauſis quas longum ſet vobis ſcribere, quas dilectus clericus noſter, lator præſentium, vobis melius po ſi placet, voce viva monſtrare; nunc locus eſt & tempus ut veſtra, quam prædixi ſpecies ſuam promat refulgentiam, Domino Regi, ſi placet, ſuadendo, ut ipſe, ſicu giam decet majeſtatem, exortas turbationum novas cauſas reſecet, nec repullulare d tero permittat; ſed in ſolio judicii reſidens, ſicut de Rege bono ſcriptum eſt, * omne lum intuitu ſuo diſſipet: Quod enim ipſe ad veſtram ſuaſionem fecerit, Vos per ip in ipſo facietis. Adinſtar igitur Heſter, optimæ, ſanctiſſimæ prudentiſſimæque Re populum ſuum morti ex decreto regio addictum de morte liberantis, non ſolùm pulum ſed & clerum & ſacerdotium regni Angliæ de inſolitis & novis anguſtiis pe ſtram apud Dominum Regem inſtantiam liberare curetis. Valeat ſerenitas veſtra per in Domino.

* Prov. 20. 8.

Epiſt. 104. *Venerabili in Chriſto Patri Othoni Dei gratiâ S. Nicolai in carcere Tulliano Diacono Car Apoſtolicæ ſedis legato Robertus miſeratione divinâ Lincoln. Eccleſiæ, &c.* ut antea in Ep lis huic inſcriptis.

REdiens ad nos à veſtræ paternitatis præſentiâ Magiſter S. de Arden, clericus no retulit nobis ſe quædam à vobis audiviſſe unde non modicùm timuit veſtræ ſuetæ dilectionis erga nos ſerenitatem obfuſcatam fuiſſe. Quod ſi verum eſſet, plurin inde doleremus ſicut & deberemus: novimus enim quòd ſerena & ſuavis dilection ſtræ ſuper nos irradiatio noſtræ tenebroſitatis eſt purgatio, frigiditatis calefactio, tificationis vivificatio, ſterilitatis ad fructificationem reductio. Sunt inſuper radic ſinceræ dilectionis ſpicula adverſarias poteſtates & earum diſſipantia conatus. Quom igitur non doleremus, ſi tantis bonis nos privatos eſſe ſentiremus? Sed quicquid d clericus noſter de verbis veſtris conceperit, credere non poſſumus quòd veſtræ cha tis ſinceritas erga nos ſit immutata; præſertim cum, in quantum dictat nobis noſtra ſcientia, non meruerimus eam erga nos immutari; ſcimuſque quòd veſtræ ſancti diſcretio non libenter audit linguas detrahentes, nec facilè credit malignorum ſuſur ſed ſepit aures ſuas ſpinis ne audiat † ſanguinem detractionis: & vultum prætendit triſ ut audaciam deterreat ſuſurronis. Scimus etiam (quòd veſtra ſatis novit diſcretio) plurimos offendere qui omnibus procurant verſutiis & aſtutiis, ut per ſe vel per me tores in aures veſtras de nobis inſtillent ſiniſtra; ut ſic obfuſcatâ erga nos veſtrâ dil one, ac per hoc nobis privatis veſtrâ protectione, ipſi liberius valeant in nos inſur & licentius in ſuis vitiis ſordeſcere. Quomodo igitur, his conſideratis, poſſemus cre veſtræ dilectionis vultum immutatum eſſe? Maximè cum ſciamus vos tam arte qu experientiâ noſſe nullum ab accuſatore cujuſquam perſuaderi debere non auditâ p adverſâ parte. Tetigit autem dictus clericus noſter quòd miſimus ad vos aliquoties, bis tamen non ſcribentes, tanquam ex veſtri contemptu hoc præſumpſiſſemus. contemptu autem veſtræ paternitatis coram Deo & angelis ejus nos excuſamus, & ſe dum notitiam quam ſpiritus hominis qui eſt in homine habet de ipſo homine, novi

† Ita eſt in MSS. ſed fortè debet eſſe [linguam] vide Eccleſiaſtic. 28. 28.

nos de hoc immunes eſſe; nec recolimus quòd quiſquam ad vos ſine noſtris literis à nobis fuerit miſſus, niſi quod prædictus clericus noſter nobis dixit quòd vos ex parte noſtrâ rogavit quatenus gratiam Priori de Daintre intuitu noſtri faceretis; qui clericus non ob hoc principaliter, ſed ob alia negotia fuerat tunc miſſus; cui tamen, in receſſu ſuo à nobis ad inſtantiam dicti Prioris, ut vobis pro eo ſupplicaret, injunxeramus, tempus ſcribendi tunc competens non habentes; ſive autem in his ſive in aliis veſtram offenderimus paternitatem, ſemper devotè & humiliter veniam petimus, parati ad omnem ſatisfactionem, ſupplicantes quàm devotè poſſumus & attentè quatenus ſemper erga nos veſtra creſcat dilectio, ſicut expetit dilectionis natura & ordo. Teſtante namque ſcriptura, * Amicus fidelis fortis eſt protectio, cui nulla eſt comparatio, nec digna auri & argenti ponderatio; cum qui invenit illum invenit theſaurum & ipſe fit vitæ & immortalitatis medicamentum. Valeat ſemper paternitas veſtra per tempora longiora.

* Eccleſiaſtic. 6. 14, 15, 16. vide locum: hic enim citatur imperfecte.

Viro venerabili magiſtro Martino domini Papæ camerario & nuncio, Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus, ſalutem & ſinceram in Domino dilectionem. Epiſt. 106.

Literas veſtras ſuper facto vicariæ de Pinchebec recepimus; in quarum fine continebatur quòd ſuper hoc vobis noſtræ intentionis propoſitum & conſilium reſcriberemus. Deſiderantes itaque pro modulo noſtro domini Papæ & veſtrum honorem illibatum conſervare, à fine incipientes id parum conſilii quod novimus in hac parte vobis reſcribimus; primò ſupponentes cum philoſopho conſilium eſſe quod poſito & præfixo fine optimo viam adinvenit rectiſſimam, ac per hoc optimam, per quam ad propoſitum finem pertingitur. Scimus autem domini Papæ ſanctitatem, idem de vobis credentes, in ſibi deſuper credito miniſterio omnium ſuorum factorum finem præfigere ſalutem animarum: cumque ipſius ſanctitas Spiritu clareſcat ſeptiformi ac per hoc ſpiritu conſilii, ad finem propoſitum pertingere deſiderat ductu itineris rectiſſimi. Non poteſt autem in ſummo prælato neque in vobis ſummi prælati nuncio dici rectum, niſi quod fuerit non ſolùm à malo ſed etiam ab omni ſpecie mali ſegregatum; ne habeant ſubjecti quod verè vel apparenter in tanti ſpeculi puritate poſſint notare reprehenſibile. Noſtræ igitur parvitatis conſilium eſt in hac parte, ut primò à domino Papâ & deinceps à vobis excludatur omne reprehenſibile, quòd factorum veſtrorum primò publicetis auctoritatem, ſaltem his quos facta veſtra contingunt, ut non videamini tranſgredi illud mandatum beati Petri *, Non dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo: conſequenter, ut ſi in auctoritate veſtrâ aliquid ſit incertum quod poſſit videri minus rationabile, illud ſtudeat veſtra diſcretio evidenti neceſſitate rationis excuſare. Tertiò, ut ſiqui mandatis veſtris rationabilibus inveniantur rebelles, prius agatur cum eis ratione quàm poteſtate; cum tunc primò exerenda ſit vis poteſtatis, cum adverſarius non vincitur vi ratiocinationis: hoc enim ordine & ipſe Salvator adverſus adverſarium in noſtræ reparationis opere proceſſit. Hæc eſt igitur ad præſens in generali noſtri ſumma conſilii, quatenus eos qui in cœmeterio de Pinchebec in veſtros nuncios manus temerè violentas injecerint, publicè ac ſolenniter denunciari faciatis excommunicatos; ſpecialiter autem in hoc negotio vobis conſulimus, quatenus cum Prior de Spalding & magiſter Bernardus ad veſtram acceſſerint præſentiam, eos eorumque privilegia & ſuper factis ſibi impoſitis reſponſiones favorabiliter audiatis, & eos rationabiliter pertractetis; cum nemo ſit condemnandus adverſæ partis, quantumcunque rationabili aſſertione, niſi auditâ prius ipſius defenſione: Cumque dicta vicaria multarum habeat curam animarum, & tam de neceſſitate ſalutis earum quàm de jure requirat vicarium in ea continuè perſonaliter reſidentem; poſſitque dominus Papa providere quibus voluerit in rectoriis curam talem non habentibus propter ipſius & veſtri nominis famam conſervandam illæſam (cum † melius ſit nomen bonum quàm unguenta pretioſa) conſulimus quatenus reſervantes collationi domini Papæ aliquam Eccleſiam de patronatu dicti Prioris, permittatis eidem ad dictam vicariam idoneum præſentare. Vos inſuper humiliter & devotè rogamus quatenus relaxantes nobis ad præſens dicti Prioris & magiſtri Bernardi citationem veniendi ad vos infra decem dies poſt noſtram citationem; cum propter aliquas ſpeciales rationes, quas modò ſubticemus, nobis eſſet grave dictam citationem facere; eos per literas veſtras aut per alium ad veſtram præſentiam evocetis. Valete ſemper in Domino.

* 1 Ep. 5. 3.

† Eccleſ. 7. 2.

Huc appulit Iſte nuncius ſub initium Pontificatûs Innocentii 4. A.D. 1244. cujus mores vide apud M.Par. p. 613.

Robertus

Epist. 107. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Episcopus, dilecto in Christo filio archidiacono tali salutem, gr am & benedictionem.*

EX relatu fide digno audivimus quòd plurimi sacerdotes archidiaconatûs vestri, um non timentes nec homines reverentes, horas canonicas aut non dicunt, corruptè dicunt, & id quod dicunt, sine omni devotione aut devotionis signo, magis tum evidenti ostensione animi indevoti dicunt; nec horam observant in dicen quæ commodior sit parochianis ad audiendum divina, sed eorum plus consonat libidinosæ desidiæ: habent insuper * *focarias*, quod etsi nos & nostros lateat cum inquisitionem per hujusmodi fieri facimus, his per quos fiunt inquisition perjuria non timentibus: Non debet tamen vos sic latere præsentialiter super eos tam per vos quam per Decanos & dellos vestros continuè vigilare tenemini. Faciunt etiam, u divimus, clerici ludos quos vocant miracula; & alios ludos vocant Inductionem Maii, † festum autumni; & laici scota quod nullo modo vos latere possit si vestra prudentia super diligenter inquireret. Sunt autem quidam rectores & vicar sacerdotes qui non solùm audire fastidiunt prædicatores trum utriusque ordinis, sed, sicut possunt, ne audiat eos pop prædicantes, aut eis confiteatur, malitiosè præpediunt: adi tunt etiam ut dicitur, prædicatores quæstuarios ad prædi dum, qui solùm talia prædicant qualia nummum melius trahunt; cum tamen nos nullum quæstuarium licentiemus prædicandum; sed solùm concedimus, ut per sacerdotes p chiales eorum negotium simpliciter exponatur. Quia igitur vos estis Judas Macca us, debentes templum Domini ab omni inquinatione purgare, non enerviter sed v ter & fortiter; ad ejus imitationem in his & hujusmodi agentes; Nos autem vi tenemus senis Mattathiæ filio præcipientis de zelo observationis legum paterna & de fortiter pugnando contra legum Divinarum adversarios; vos in Domino m mus, exhortamur & firmiter injungimus, quatenus ad prædicta & his similia purga vos sicut vir accingatis, prælia Domini fortiter præliantes, & inordinata prædict similia ad ordinem reducentes, compellendo sacerdotes ad debitè peragendum di obsequia, ad focarias expellendum, ad inducendum efficaciter populum, ut frat utriusque ordinis prædicationes devotè & attentè audiat, eisque humiliter confitea ad non admittendum quæstuarios ad prædicandum; miracula etiam & ludos supra minatos & scotales, quod in vestra potestate facile omnino exterminetis; & habitationem Christianorum cum Judæis quantum vobis possibile est, impedire cur Valeat, &c.

* Focariæ ita dictæ sunt (ut placet Somnero in Gloss.) à curandis focis: hic autem (ut videtur) ad aliusmodi ignes extinguendos alebantur à sacerdotibus istius ævi (& cujus quidem non, ubi tam nefariè prohibitum eis fuit sanctum matrimonium?) W. Lambardus (pag. 377. Itinerarii sui Cantiani, Edit. Lond. 1596) dicit uxores sacerdotum (quibuscum honestè secundum Legem Dei hic vixerunt ante tempora corruptoris istius scelerati Lanfranci, Papæ mancipii) ita fuisse per contemptum appellatas ab *obedientissimo* (nec minus stulto & turpi) clero istius seculi; qui cum Costero Jesuitâ, fornicationem matrimonio præferebat: si focariæ istæ fuerint presbyterorum uxores, desipit Rob. Lincoln. cum suis coævis; de eis vide Decreta Concil. Ebor. apud Hoveden, p. 755. Edit. Francof. 1601.

† Cod. Ben. [sive aut---]

Epist. 108. *Viris venerabilibus Abbati & conventui S. Benedicti Floriacensis, Robertus Dei gratiâ Li niensis Episcopus salutem & sincerum in Domino charitatis augmentum.*

REgulam beati Benedicti, quæ supereminentis est sanctitatis, professi estis; ad autem solennem professionem observandam professum teneri, ac per hoc ex luntate * & deliberatione eam transgredientes mortaliter peccare nulli dubium est. cundum autem doctrinam Apostoli non solùm qui mortalia faciunt, sed etiam consentiunt facientibus, digni sunt morte: consentiunt autem etiam illi qui cum pos malum impedire, non impediunt. Cum igitur ad vos dictæ regulæ professores p net singulos monachorum vestrorum sic informare, ut non solùm quam professi sciant, sed etiam secundum illam vivant, nec aliquem de vestro mittere collegio, nec ex longâ consuetudine vivendi secundum regulam versa sit ei conversatio r laris in habitum; sicque possitis, ne criminosus sit aliquis ex vobis & maximè m festus, efficere; quomodo cum hæc non efficitis non estis digni morte? Id au vos non efficere nobis & publicè in partibus nostris est manifestum: mittitis e tales ex vobis ad cellam de Mentyngs in nostrâ diœcesi constitutam, qui lux osè cum meretricibus vivunt, proprietarii, inobedientes, comessationibus & eb tatibus jocisque vacantes, etiam quartâ feriâ carnes comedere non erubescen Etsi igitur vestra conversatio sit in vestro collegio non discrepans ab eâ q professi estis regulâ; in hoc tamen quod prædictum est, non parva posita es gloria vestrâ, sed turpis & notabilis valdè macula. Emisimus autem à cellâ præc

† dilectione Id.

☞

frat

fratrem Ph. ſuper fornicatione, proprietate, inobedientia, vagabundo diſcurſu, carnium contra regulam comeſtione judicialiter convictum. Theobaldum verò & Walraudum & Girardum conſimiliter quia proprietarii, intolerabiliter inobedientes, vagabundi, domos mulierculatum perſcrutantes, ludis illicitis pluſquam ſeculares intenti, ut ad unum dicamus, regularis obſervantiæ tam manifeſti & enormes tranſgreſſores quòd totius patriæ ſcandalum ſunt & canticum. Cum enim de corpore veſtro ſint prædicti maculoſi, non poteſt eorum macula totum cujus ſunt pars, non deformare. Conjicitur etiam ſæpe ex ægritudine partis, ægritudo in toto: videns enim pedem alicujus, cujus non conſpicit faciem, aut corpus reliquum ſcabioſum vel leproſum, nonne facilè indicat totum conſimiliter infectum? Quid igitur mirum ſi ex ſcabioſis & leproſis prædictis conſimile de vobis faciant multi judicium? Secundum Apoſtolum, * fornicatio aut immunditia aut aliquod crimen non ſolùm non eſſe, ſed nec nominari decet in vobis: ipſa enim ſola nominatio, & maximè quæ probabilem nacta eſt occaſionem, lumen veſtræ religionis tenebroſâ obſuſcat caligine: debet autem lux veſtra ſine caligine lucere; ut perſpicuè videatur in vobis ab omnibus in vos contuentibus, omnium tranſitoriorum pleniſſimus contemptus; nulla in proſperis delectatio; nulla in adverſis contriſtatio; ſed magis in his, ſecundum † Apoſtolum, gloriatio: macilentæ & pallentes facies ex vigiliis & jejunio, ex lachrymarum frequenti profluvio in ipſis faciebus relicta ſignatio; orationis jugis continuatio, per humilitatem omnibus ſubjectio; per non contendere, nec repunire nec recontriſtare quenquam, ſed percutienti in maxilla dextrâ præbere & alteram in Evangelicâ perfectione.

* Eph. 5. 3.

† Rom. 5. 3.

Meminimus autem nos ſuper hujuſmodi vobis aliàs ſcripſiſſe, ſperantes ex noſtrâ ſcriptione hujuſmodi morbo medelam præparaſſe: ſed ſicut accidit his qui medicis non obediunt, quòd pharmacum utile vertitur eis in augmentum morbi vel mortem; ſic nobis videtur vobis accidiſſe. Eſt enim morbus iſte noviſſimus pejor priore: more tamen medici multum compatientis ægroto, & ob hoc non deſiſtentis à medicando, dum ſpes eſt aliqua convaleſcentiæ, vobis adhuc hanc pro medelâ reſcribimus literam, rogantes & obſecrantes in eo qui eſt verus & unicus medicus, Domino noſtro Jeſu Chriſto, quatenus eam ad medelam ſuſcipiatis, eos qui hujuſmodi ſunt in vobis corrigentes, ne & coram hominibus pro eis non correctis ſuſtineatis ignominiam, & à Deo æternam recipiatis in diſtricto judicio condemnationem. Valete ſemper in Domino.

Viris venerabilibus, & in Christo chariſſimis, Dei gratiâ, Abbati Ciſtertienſi & ejuſdem loci Conventui, Robertus eadem Gratiâ Lincoln. Epiſcopus, ſalutem & ſincerum in Domino charitatis augmentum. Epiſt. 109.

Receptis literis Apoſtolicis, continentibus quòd ædificia fratrum minorum de Scardburgh auctoritate earundem literarum faceremus demoliri, ſi ita ſe haberent quædam, ſicut in prædictis literis ſe habere ſcribebatur; auctoritate earum dictos fratres fecimus evocari; quibus per procuratorem legitimè conſtitutum comparentibus coram Officiario noſtro vices noſtras in hac parte gerente, ad duos dies litis, propoſitoque ex parte eorum contra dictas literas quòd erat in eis falſitas conſtructionis, oſtenſoque quodam privilegio continente ne poſſent fratres minores per literas Apoſtolicas conveniri, niſi de dicta indulgentia & ordine eorundem expreſſam facerent mentionem: & ſuper his & aliis quibuſdam pluribus habitis altercationibus, & tandem tertio die litis coram nobis pro tribunali ſedentibus, per procuratorem legitimè dictis fratribus comparentibus; quidam de ordine dictorum fratrum verba propoſuit hujuſmodi; videlicet, quòd licèt videretur quòd non obſtante profeſſione ſua, ſine culpâ ſe poſſent in hac parte defendere, contendendo ſub judice quòd non pro rebus temporalibus ſed pro ſalute animarum ex eorum in dicto loco habitatione proveniente decertare viderentur; licetque pro ſalute animarum quæ legis & juris communis ſunt non obſervare, ſed magis contravenire, ſicut legitur David & qui cum eo erant feciſſe, qui * panes propoſitionis comederunt, quos ſecundum legem non licebat comedere niſi ſolis ſacerdotibus: & ſicut de Macchabæis legitur quòd diebus Sabbatorum † pro animabus ſuis pugnabant, qui prius ſecundum præceptum ſe in Sabbato non pugnaturos decreverant: & ſicut Paulus licèt profeſſor Evangelii procuravit ſe ab hoſtibus & morte ſibi intentatâ per armatos, liberari, Cæſaremque appellavit ſub judice; tamen quia eorum profeſſio, ſicut idem frater aſſerebat, eſt Evangelium, quod præcipit * non reſiſtere

* 1 Sam. 21. 6.

† Lib. 1. cap. 2.

* S. Matt. 5. 39.

* v. 40. ſiſtere malo, ſed percutienti in dextram maxillam præbere & alteram; & * volenti
† v. 41. contendere tecum in judicio & tunicam tuam tollere, dimittere ei & pallium; † & angari-
* S. Marc. 9. 42. anti te mille paſſus, ire cum illo alia duo; quodque iterum præcipit * neminem ſcan-
† S. Matt. 17. ult. dalizare, Domino præceptum iſtud facto proprio confirmante, qui † pro ſe & Petro, licèt illud non deberet, didrachma ſolvit, ne ſcandalizaret illud expetentes; & quia ſe-
* 2. Tim. 2. 24. cundum Apoſtoli doctrinam, * ſervum Dei non oportet litigare; eodem aſtruente om-
† 1 Cor 6. 7. nino delictum † eſſe in Corinthiis quòd judicia haberent inter ſe; & increpante eoſdem quòd non magis injuriam acciperent, & quòd non magis fraudem paterentur; omnino liti & loco prædicto, unde orta fuerat contentio, cedere voluerunt; ne vobis, quos habent ſanctiſſimos patres & abundanter benefactores, vel minimum præberent offendiculum. Petiit etiam humiliter idem frater, ad terram coram procuratore veſtro cæteriſque fratribus veſtris tunc coram nobis præſentibus provolutus, veniam pro ordine ſuo ſuper eo quòd ad duos prædictos dies litis, fratres ſui prædicti minus ſano uſi conſilio velut ſe defendendo, veſtram offenderant charitatem. Procurator quoque dictorum fratrum de Scardburgh prædicta ratificans, ſupradictis exceptione & privilegio omnibuſque aliis defenſionibus ſibi in hac parte competentibus expreſsè renunciavit. Vos autem cum procuratore veſtro & aliis fratribus veſtris viris diſcretis tunc præſentibus conſiderantes, imò magis pro certo habentes, quòd, ſi prædicti fratres de Scardburgh ab illo tunc recederent, ſicut ſecundum aſſertionem dicti procuratoris eorum cum omni humilitate id incontinenti facere parati erant, veſtri ordinis honori non cederet, ſed magis candorem famæ ipſius plurimum denigraret, & in gloriâ ipſius maculam poneret notabilem, ſicut veſtra diſcretio abſque noſtrâ inſinuatione evidenter poteſt perpendere. De conſilio & conſenſu dictorum procuratoris veſtri & fratrum, ſuſtinuimus ſæpedictos fratres minores de Scardburgh in ipſo loco habitare, donec prædicta vobis inſinuaſſemus & ſuper eorum morâ in dicto loco vel receſſu ab eodem, veſtræ voluntatis expreſſum per literas veſtras patentes ſuſceperimus reſponſum. Valeat charitas veſtra ſemper in Domino.

Epiſt. 110 *Venerabili in Christo patri, Othoni Dei Gratiâ S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinali, Robertus, &c.* ſicut in ſuperioribus ad illum datis.

NActâ pleniſſimè fiduciâ ſcribendi veſtræ paternitati & noſtras neceſſitates nudè & apertè exponendi tam ex eo quod nobis aliquando veſtri gratiâ injunxiſtis, quòd vobis in noſtris neceſſitatibus confidenter ſcriberemus; quàm ex piis miſericordiæ viſceribus, quæ novimus vos gerere ſuper afflictos, vobis tanquam unico noſtro refugio noſtras pandimus neceſſitates.

Satis audiviſtis quomodo Prior & conventus Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ, vacante nunc ultimò ſede Cantuarienſi, juriſdictionem & poteſtatem Archiepiſcopalem, quibus nunquam antea uſi ſunt, in Epiſcopos & alios Cantuarienſis Provinciæ ſibi vendicantes, in nos & quoſdam alios de coepiſcopis noſtris * ſententias ſuſpenſionis & excommunicationis, etiam poſt Appellationem ad ſedem Apoſtolicam interpoſitam, ne in propria cauſa jus ſibi dicerent, nec in nos vel noſtros ſubditos quicquam attentarent; cum parati eſſemus eis ſuper prædictis coram competenti judice reſpondere, de facto fulminarunt. Nos autem licèt nullo modo credamus nos dictis ſententiis aliquomodo ligatos; ne tamen aliquorum malignitas poſſet nobis hoc objicere & exinde ſermo Dei aliaque ad officium Epiſcopale pertinentia minus per nos efficaciter adminiſtrarentur, dedimus cuidam procuratori noſtro in mandatis, ut ſuper hoc à Domino Papâ nobis competens impetraret remedium, qui ad dictos Priorem & Conventum literas Apoſtolicas impetravit ut ſententias quas in nos & ſubditos noſtros tulerunt, infra octo dies à ſuſceptione literarum relaxarent ad cautelam; alioquin venerabiles patres Archiepiſcopus Eboracenſis & Epiſcopus Dunelmenſis hoc facerent. Quia verò non ſolùm nobis & juriſperitis videtur, quòd per dictarum literarum uſum non modicum poſſet nobis & toti provinciæ Cantuarienſi generari præjudicium, eò quòd dicti Monachi aſſererent per dictarum literarum tenorem, & per factum relaxationis ab ipſis factæ, ſuam juriſdictionem quam vendicant, eſſe agnitam, & in toto vel in parte approbatam, & ſe quaſi poſſeſſionem illius nactos, dictis literis uti diſtulimus. Supplicamus igitur omni devotione veſtræ paternitati, quatenus Domino Papæ ſupplicare dignemini, ut nobis convenientius & dignitati Epiſcopali decentius dignetur in hac parte providere remedium, non obſtante prædictâ impetratione à noſtro Procuratore factâ; cum certiſſimum ſit Epiſcopos dictæ provinciæ, dicta ſede provinciæ vacante, ſemper immediatè ſedi Apoſtolicæ fuiſſe ſubjectos; & electos

* Horum fratrum impudentiſſimorum audaciam depictam vide in Matt. Par. p. 602. confuſam verò p. 605. Scripta eſt ergo hæc Epiſt. 1243.

electos in Pontifices ejuſdem provinciæ, tempore vacationis ejuſdem ſedis, à domino Papâ fuiſſe confirmatos; quod tamen ſæpedicti Prior & Conventus in hac proximâ vacatione dictæ ſedis Cantuarienſis, in non modicum præjudicium ſedis Apoſtolicæ, ſibi uſurpare conati ſunt. Recogitet etiam, ſupplicamus, & domino Papæ ſuggerat veſtra diſcretio quàm periculoſum eſt ſaluti animarum, ſi apud ſubditos auctoritas vileſcat Epiſcopalis, cum ex hoc neceſſariò conſequetur quòd ſacramenta per ipſos miniſtrata (quorum ſacramentorum forma, virtus & conſummatio eſt pretioſiſſimus Jeſu Chriſti ſanguis & venerabiliſſima ipſius paſſio, imò ipſe Chriſtus) minus ſint apud ſubditos venerabilia; ac per hoc ipſe Chriſtus minus veneretur; prædicatio quoque ipſorum & cætera Epiſcopalis officii miniſteria contemnantur; & per hoc minoris, aut fortè aliqua nullius efficaciæ inveniantur; cum reſtet omnino ea opera deſpici quæ ab operante deſpecto noſcuntur actitari. Nonne meritò vileſcet plurimum dignitas Epiſcopalis (quæ tamen eſt maxima qua Chriſtus homo uſus eſt in terris; qua nec majorem geſtat apex Papalis, licèt in hac locum obtineat ſummi verticis & plenitudinem poteſtatis; de qua plenitudine cæteri quod habent recipiunt) ſi contra conſuetum, nullo publicato privilegio hoc indulgente, ſed ſolâ violentâ & inſolenti uſurpatione monachis ſubjiciatur judicanda, quos ſecundum beatos Jeronymum & Dionyſium, etiam ſubdiaconis in ordine hierarchiæ Eccleſiaſticæ cœleſtem hierarchiam imitantis, multo conſtat eſſe inferiores? Non enim quia in ſacris ordinibus quidam ipſorum conſtituti ſunt, ideo majores aut æquales clericis exiſtimandi ſunt, nedum Epiſcopis; cum tantùm clericis & Epiſcopis tradita ſit divinitus diſpenſatio miniſteriorum divinorum ad populum; ad quam Monachi, ſecundum antiquas paternarum traditionum ſanctiones nullatenus attingunt; niſi fortè illorum aliquis, ex ſpeciali Divinitatis munere, ſapientiâ veritatis contemplandæ illuſtratus, & ſcientiâ impendendæ charitatis in proximos præditus, & honeſtate ſanctæ converſationis approbatus, ex ſubjectione pœnitentiali ſimplicitatis monachicæ ad ſupremum honorem regiminis Eccleſiaſtici canonicè ſublimetur.

Nec poteſt Archiepiſcopalis juriſdictio & poteſtas ad ipſos per tantum devolvi ſaltum, etiamſi ad inferius devolveretur; ſed magis ad Epiſcopos Archiepiſcopi ſuffraganeos; ad quos Archiepiſcopus † *archon* i. e. princeps eſt & dicitur; & per quorum mediationem ſuæ principalitatis in aliis exercet officium; cum jus naturæ & rationis ordo magis exigat virtutem capitis in propria, proxima & principalia membra primò & immediatè defluere, quàm in diſtantia per plura media. Epiſcopi autem ſuffraganei ſunt Archiepiſcopi membra propria, proxima & principalia: monachi verò non ſimiliter; ſed pluribus interjectis mediis ab ipſo ſejuncta: licèt enim concederetur quòd monachorum conventus eſſet Archiepiſcopi proximum membrum, ſecundum quod ipſe eſt ſuæ propriæ diœceſeos Epiſcopus (quod tamen non concedit, ut credimus, archidiaconus Cantuarienſis) nullo tamen modo propter hoc ſequeretur quòd idem conventus eſſet ejuſdem membrum proximum ſeu principale ſecundum quod ipſe eſt ἄρχων Epiſcoporum. His itaque ſi placet & hujuſmodi, quæ veſtra noverit eminens prudentia plurimum efficaciora, non tam intuitu ſubveniendi noſtræ propriæ inſtanti neceſſitati, quàm pro Eccleſiæ Anglicanæ utilitate communi, dignetur veſtra paternitas domino Papæ ſuadere, quòd Epiſcoporum Angliæ tribulationi & multiplici oppreſſioni compatiens, remedium velit apponere; quia niſi (non ſolùm velut nutanti, ſed fortiter in eam impingentibus tam ſecularis poteſtatis impulſibus & ſubditorum rebellationibus, quàm ſubpeditare eam moliéntium tumultuoſis & fraudulentis conatibus velut ruinam jam minanti) Epiſcopali auctoritati citius firmum ſupponatur fulcimentum, timetur (nec immeritò) quòd domus Eccleſiæ Anglicanæ ſuper eam tanquam ſuper columnam præcipuam ædificata, patebit in brevi concuſſioni non modicæ: & quia ſufficit occaſionem tantùm dare ſapienti, vobis ex divinæ largitionis munere præditis ingenii vivacis acrimoniâ, divinorum eloquiorum intelligentiâ, utriuſque juris peritiâ & diſerti ſermonis facundiâ & in negotiis Eccleſiaſticis multiplici & diuturnâ experientiâ, de prædicto negotio plura non ſcribimus, ne videamur quaſi facibus juvare ſolem; ſed illud expediendum veſtræ ſæpius probatæ ſinceriſſimæ confidenter committimus dilectioni. Valeat ſancta paternitas veſtra ſemper in Domino.

† Interpretatur vocem Epiſcopus, ne Cardinalis nimium torqueretur: ſermo enim Græcus Cardinalibus tunc temporis fuit Wallicus.

Epist. 111. *Sanctissimo Patri & domino Innocentio Dei gratiâ summo pontifici, Robertus miseratione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, beatorum pedum oscula devotissima.*

BEnedictus Deus, qui post tempestatem, tranquillum faciens; & post lachrymationem & fletum, exultationem infundens Ecclesiæ suæ jamdiu multarum & magnarum tribulationum & oppressionum procellâ vehementer impulsæ & quasi viduæ factæ; ideoque velut in nocte tristitiæ ploranti ut lachrymæ ejus in maxillis ejus inundarent, providit de sponso lachrymas ipsius absterfuro, tristem consolaturo, ab oppressionibus sublevaturo, & tribulantibus ipsam defensionis clypeum oppositturo. Potiens itaque tanto talique sponso quæ quasi vidua jamdiu lugens sederat, meritò exuit vestimentum viduitatis suæ & induit se vestimentis suæ jocunditatis. Oves quæ diu pastoris defensione carentes, jam prope erant ut vel à furibus abigerentur, vel à prædonibus raperentur vel à lupis dilaniarentur, jam pastoris sui nominatim ipsas vocantis vocem audiunt, educentem eas & præeuntem sequentes, pascua inventuræ, & sub virgâ regiminis & defensionis ejus diu desiderata quiete & securitate fruituræ. Hinc Pastori summo Domino Jesu Christo gratiarum actiones exolvunt fideles; hinc vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis justorum: hinc & ego vestræ sanctitatis servus (licèt minimus, pro modulò tamen meo affectione tota devotissimus) quas possum Deo gratias agens & in voce jubilationis exultans, ad vestræ sanctissimæ paternitatis pedes humillimè provolutus, vestræ sanctitati & excellentissimæ dominationi meam commendo parvitatem; supplicans omni qua possum attentione, quatenus eam vestra sanctissima benignitas paternæ dilectionis brachiis non dedignetur amplecti; negotia quoque mea salutem animarum & Episcopalis officii ministerium contingentia, in vestræ sanctitatis præsentia pertractanda vel procuranda, vestra Ecclesiarum * omnium & salutis animarum solicitudo & zelus unà cum eorundem negotiorum procuratoribus habere velit recommendata. Incolumitatem vestram conservet Altissimus Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora.

* Exceptâ Lincolniensi: vide Epistolam ultimam; ad quam dices *Quantum mutatus ab illo!*

Epist. 112. *Robertus Dei gratiâ Lincolniensis Episcopus dilectis in Christo filiis, omnibus archidiaconis per Lincoln. diœcesim constitutis, salutem, gratiam & benedictionem.*

HOMO quidam peregrè proficiscens, servis suis bona sua tradidit, ut revertens ea reciperet servorum operatione multiplicata. Homo iste typus est prælatorum qui plerumque necesse habent peregrè proficisci, ut quod perierat, quærant; quorum bona in quantum sunt hujusmodi, sunt ordinariæ potestates & dispensationes ministeriorum salutis animarum. Nos igitur ob causam prædictam peregrè profecti possumus, licèt indigni, inter cæteros pastores per *hominem illum* intelligi; vos verò estis evidenter quibus prædicta bona sunt tradita, vobisque dictum est, *Negotiamini dum venio.* Consideret igitur vestra prudentia quòd licèt semper in acceptâ domini pecunia sit fideliter & prudenter negotiandum, ut cum lucro possit domino reportari; tamen tunc specialius & attentius negotiari monentur cum dominus ab eis peregrè proficiscens elongatur: elongato namque patrefamilias plerumque solent minores familia insolescere, omissis operibus otiari; otiantes, malis quæ docet otiositas immergi; immersi, contemnere bona; contemnentes, jam non suscipere disciplinam; quorum nullum præsente patrefamilias attentaretur. Quanto igitur pronior & facilior est familia in patrisfamilias absentiâ ad vacationem à bonis & malorum perpetrationem, tanto peregrè profecturus magis habet necessarium, his quos suæ familiæ præposuit, affectuosius & districtius ejusdem familiæ curam injungere, & præpositi familiæ curam ipsius, in absentia patris, vigilantius, affectuosius atque virilius peragere; quod nihil aliud est, quàm dum, i. e. donec dominus venit, in acceptâ pecuniâ fideliter & prudenter negotiari. Quia igitur nos peregrè profecti, longè sumus corporaliter à familiâ cui præponimur, vos autem constituti super familiam, ut fideliter & prudenter distribuatis & detis illis in tempore tritici mensuram, quod proficiscentes non fecimus, profecti recompensare, cupientes, ut possumus, à profundissimis cordis nostri radicibus verbum eructantes, monendo, exhortando, obsecrando per aspersionem sanguinis Domini Jesu Christi, dicimus, *Negotiamini dum venio*; potestatem ministerii salutis animarum vobis traditam non reponatis in otiositatis sudario, sed operamini in eâ, verbum

verbum vitæ inceſſanter & infatigabiliter prædicando; adimplentes quod præcipit Dominus per prophetam *, Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam & annuncia populo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum; lucem bonorum operum undique diffundendo; ut ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videantur opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt; ſecundum Apoſtolicum tam exemplum quàm præceptum, ſine intermiſſione orando, verbum vitæ prædicando, incorrectos per hæc durè arguendo, ut cæteri timorem habeant; correptioni non acquieſcentes, in virgâ correctionis durius caſtigando; ita tamen quòd omnia veſtra in charitate & zelo fiant ſalutis animarum; juſtitiam, judicium & æquitatem omnibus gratis tribuendo, memores quòd non hominis, ſed Dei exerceatis judicium, apud quem non eſt perſonarum acceptio nec cupido nummi: ſic enim negotiantibus vobis in pecunia diſpenſationis miniſterii ſalutis animarum vobis creditæ, revertente Domino & rationem ponente vobiſcum, audire promerebimini * Euge, ſerve bone & fidelis (hoc eſt, bene quidem ſerve bone & fidelis, bene in tuâ operatione, bene in lucri reportatione, & ideo bene in præmii receptione) intra in gaudium Domini tui: ſi verò à ſic negotiando torpeatis, verbum illud aſperum proculdubio audietis, † Ligatis manibus & pedibus projicite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus & ſtridor dentium.

* Iſai. 58. 1.

* S. Matt. 25. 21.

† S. Matt. 22. 13.

Filius Dei æqualis Patri, in formâ Dei exiſtens, pro animabus ſalvandis ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens; in accepta formâ poſt ſummos labores, injuriarum & contumeliarum perpeſſiones, crucis confuſionem & mortem ſuſtinens: vos autem vice ipſius ad ipſum cum eo, hoc eſt, ſalutem animarum ſuſcepiſtis adminiſtrare: uniuſmodi verò rei unimoda & conſimilis eſt cauſa: neceſſe eſt igitur ſi ſalutem animarum operari cum effectu vultis, quantum vobis poſſibile eſt, ejus in hac operatione imitari veſtigia, exultantes ut gigas ad currendum ipſius viam; in quo curſu nec vos repellat aliquis mundanus timor, nec retrahat mundialis amor. Si autem ſalutem animarum operari per hunc modum negligitis, qua fronte, imò quâ inſaniâ eam operari ſub æternæ condemnationis pœnâ ſpoſpondiſtis? præſertim cum non ſit alius eam operandi modus.

Si quis veſtrûm aliquem ex denario diurno conducit ut quicquam operis ei faciat, quo non facto damnum ſuſtinebit inæſtimabile, ſed conductus ille ab opere torpeat; nonne quilibet veſtrûm & mercedem ei ſubtrahet, & damni ex ipſius negligentiâ provenientis reſtitutionem exiget? Nunquid non à vobis exiget Deus quod vos à veſtris conſervis vel ſubditis rationabiliter exigitis? Dominus Jeſus ſemetipſum dedit pro cujuſlibet animæ ſalute; non ſalvantur tamen, niſi qui paſſionem ipſius veraciter credunt, & credentes diligunt: vobis autem ipſe peregrè profectus, & nos in ipſo curam commiſimus convertendi animas (per qualia ſuprà tetigimus) ad ipſius fidem & dilectionem; ut ſic participent ſuæ paſſionis effectum, & non ſit mors ipſius quoad ipſas fruſtra. Si igitur aliquæ animæ curæ veſtræ commiſſæ effectu paſſionis Domini, i. e. æternâ ſalute per veſtram careant negligentiam, nonne mortem Chriſti quoad illas inanem facitis, completionem quoque numeri ſalvandorum retardatis, & ſic generalem mortuorum reſurrectionem mundique innovationem, judicium extremum, & regnum ab origine mundi beatis præparatum, quantum in vobis eſt, prolongatis, & ſic * omni creaturæ quæ ingemiſcit & parturit uſque adhuc, revelationem filiorum Dei expectans, injuriamini? Et quæ eſſe poteſt expectatio talium, niſi quod † creatura Factori ſuo deſerviens excandeſcat in tormentum adverſus ipſos? Et quomodo ſuſtinebit ab univerſa creatura torqueri, cui etiam unius ſcintillæ ardor eſt hic intolerabilis? Nunquid aliquis non glorificatus in futuro erit pœnarum impaſſibilior aut inſenſibilior, ut levius ſit ei tunc quam nunc, violentius operantium quàm nunc mitius agentium ſuſtinere tormenta? Etſi futurarum pœnarum eſſet acerbitas quoquomodo tolerabilis: ſed prolixitas ipſarum eſt interminabilis: * Vermis enim eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Valete.

* Rom. 8. 22.

† Sap. 16. 24.

* S. Marc. 9. 44.

Epist. 113. *Venerabilibus in Christo patribus Dei gratiâ W. Winton. & W. Wigorn. Episcopis, Robertus miseratione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & sincerum in Domino charitatis augmentum.*

Scipta est hæc Epistola 1250. vide Matt. Par. p. 773.

VEstræ dilectionis ad nos fervorem, quem frequenter prius in vestris actibus quasi in libro literis scripto communibus legeramus, in lachrymis vestris quas in recessu nostro pro nobis effudistis uberrimas, quasi in libro fulgentissimis & evidentissimæ demonstrationis scripto literis perlegimus: hunc fervorem scimus æstuare, quæ circa nos aguntur, agnosse; ideoque vestræ significamus sincerissimæ charitati, quòd, juvante nos Salvatoris gratiâ, prosperè venimus ad curiam domini Papæ apud Lugdunum, ibidem ab ipso domino Papâ & Cardinalibus sui gratiâ satis decenter & honorificè suscepti; ubi & commoramur, causam Ecclesiæ nostræ in præsentia domini Papæ prosequentes. Valeat paternitas vestra semper in Domino.

Epist. 114. *Robertus Dei gratiâ Lincolniensis Episcopus, dilecto sibi in Christo fratri ministrō fratrum minorum in Angliâ, salutem & sincerum in Domino charitatis augmentum.*

VEros non molestat amicos sed magis consolatur quicquid sapienter & salubriter disponit is quem verâ amicitiâ complectimur; quapropter cum veri sitis amatores & amici Dei, non potest vos quicquam molestare quod ipso sit ordinante. Ipsius autem Providentiâ, quæ omnia sapienter disponit & salubriter, frater Johannes socius fratris A. laborat quartanâ, quâ ægrotare incepit in reditu nostro apud * Beluam, quem diebus interpolationis duximus usque ad Nogent, & illinc per aquam Sequanæ usque ad Parisios fecimus eum nos præcedere: quia autem non videbatur nobis neque fratri Adæ securum, quòd sequeretur nos inde usque mare, nec quòd Parisiis moraretur propter aeris ipsius loci infectionem non salubrem, elegimus ut per aquam iret Rothomagum, fratre Adamo usque illuc eundem comitante, qui nullo modo voluit ab ægrotante recedere, donec notis sibi fratribus in loco salubri illum commisisset; & sic ad mare tandem nobis occurreret: veruntamen cum venissent ad urbem quæ vocatur Manta, invalescente debilitate dicti fratris J. non ausus fuit frater A. illum ulterius ducere, nec propter ipsius debilitatem ab ipso recedere, ut nobis secundum condictum occurreret: quia igitur apud dictam urbem Mantam ambo remanserunt, supplicamus omni qua possumus affectione, quatenus fratrem P. de Teokebiry cum aliquo vel aliquibus fratribus qui cum fratre Johanne possint commorari, donec statum ipsius Dominus emendaverit, fratre P. cum fratre A. redituro, ad prædictam urbem mittere non tardetis: hoc enim utrique fieri desiderant & supplicant. Præterea sciatis quòd non est securum quòd frater A. prolixius moram trahat in illis partibus; cum plures multum desiderant ipsum Parisiis detinere, maximè mortuis fratribus A. de Hales & J. de Rupellis; & sic tam vos quàm nos maximò nostro solatio essemus destituti, quod absit: omnino autem provideatur quòd dictus frater P. nobis satagat occurrere antequam transfretet: erimus autem per Dei gratiam apud † Waland die sabbati proximâ post festum beati Dionysii: cæterum noveritis quòd in causâ visitationis, planè (benedictus Dominus) pro nobis & per consequens pro omnibus Episcopis, est pronunciatum. Valete semper in Domino.

* Valdè suspicor nomenclaturas locorum; consulite chartas; quod mihi non per otium licet.

† Cod. Ben. Witland. rectius: ita enim appellabatur insula Vectis, huic parti Galliæ opposita.

Epist. 115. *Venerabili in Christo Patri H. Dei gratiâ tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali, Robertus miseratione divinâ Lincoln. Ecclesiæ, &c.* sicut in præcedentibus ad Cardinales datis.

VEstræ charitatis erga parvitatem meam conceptæ sinceritas, vultûs vestri serenitate, allocutionum suavitate ac efficaciâ operum manifestè se propalavit: proinde vestræ paternitati etsi non possum condignas, quàm uberes tamen & quàm devotas valeo, refero gratiarum actiones; sciens quòd ignis ille non tepescet nec imminuetur suapte naturâ, sed fervescet amplius & crescet in majus: ideoque confidenter vobis scribo, maximè cum quæ scribendo peto vel suadere intendo, ad opera pertineant charitatis. Novit autem vestra discretio quòd salus Ecclesiæ Anglicanæ & etiam regni plurimùm dependet à Venerabili patre, domino Archiepiscopo Cantuariensi; quapropter necessaria sunt ei latera, non

non ſolùm quæ ſapiant jura regni, vel civilia & canonica ſolùm, ſed & quæ ſapiant jura Dei, hoc eſt, quæ ſacram noverint Scripturam & ſapientiam illius inſcriptam habeant non ſolùm in mentis aſpectu ſed & in affectu, operum affectui correſpondentium exercitio firmatam: per hanc enim maximè, ut noſtis, Reges regnant & legum conditores juſta decernunt: hac ſolâ ad portum ſalutis dirigitur Petri navicula. Neceſſarium eſt igitur ut habeat dictus venerabilis pater dominus Archiepiſcopus, ipſum continuò ſtipantia latera talia, quæ alibi non inveniuntur niſi in ordine fratrum utrorumque: veſtra igitur ſapientia quæ ferventer zelat dictorum Eccleſiæ, Regni & Archiepiſcopi ſalutem, omnino procuret apud dominum Papam, quòd talibus lateribus jugiter fulciatur Dominus Archiepiſcopus: ego autem in receſſu meo à domino Papâ ſuper dicto negotio inſtanter eidem ſupplicavi; qui favorabiliter aſſeruit quòd meam in hac parte ſupplicationem effectui manciparet: veruntamen timeo quòd de memoriâ ipſius hoc citò elabetur, niſi veſtrâ diligentiâ & inſtantiâ in ipſius memoriâ efficaciter innovetur. Valeat paternitas veſtra ſemper in Domino.

Venerabili in Christo Patri W. Dei gratiâ Archiepiſcopo Eboracenſi, Robertus miſeratione divinâ Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem & quàm debitam tam devotam cum ſincerâ dilectione reverentiam. Epiſt. 116.

EX obedientia plerumque facere cogimur quod cum triſtitia facimus, & cum gaudio, ſi fieri poſſet, omitteremus: ſed quia quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle adquieſcere, omittere non poſſumus quod à ſuperiori injunctum habemus. Noverit itaque veſtra paternitas reverenda, quòd dominus Papa in receſſu noſtro ab ipſo nobis affectuosè & firmiter vivâ voce injunxit, quòd nos ex parte ipſius & omnium fratrum ſuorum; venerabilium videlicet patrum dominorum Cardinalium, vos cum omni inſtantiâ & diligentiâ rogaremus, quatenus charitatis intuitu & precum ipſius & fratrum ſuorum obtentu, negotium domini Cervienſis Epiſcopi cum ſua cognatione * exultantis, pro quo vobis ſuas literas dirigit, favorabiliter expedire velitis. Nos itaque quia ad præſens veſtram præſentiam perſonaliter adire non poſſumus, præſenti literâ quàm poſſumus devotè & affectuosè ſupplicamus, quatenus pietatis veſtræ viſcera (quæ ſuper afflictos omnes geſtatis) ſuper dictum dominum Cervienſem afflictum & indigentem, virum magni teſtimonii & reverendæ canitiei, clementer aperire dignemini; ſcientes pro certo quòd admodum erit hoc domino Papæ & omnibus fratribus gratum & acceptum, & in veſtris negotiis apud ipſos expediendis favorabiles & propitios hujus rei gratiâ eoſdem invenietis. Valeat paternitas veſtra ſemper in Domino.

* Fort. exulantis.

Hic fortaſſe Cervienſis reperietur inimicus Imperatoris.

Sanctiſſimo in Christo Patri & domino Innocentio, Dei gratiâ ſummo pontifici, devotus ſuus Robertus miſeratione divinâ Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis beatorum pedum oſcula devotiſſima. Epiſt. 117.

ME reverſo in Angliam, occurrente Dom. Regi revertenti à partibus Walliæ, habitoque cum eo ſecretius colloquio, cum inter cætera dixiſſem ei pro modulo meo aliqua verba ſuaſoria de obedientiâ, fidelitate & devotione veſtræ ſanctitati & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ exhibendis & obſervandis, & de firmiter & conſtanter adhærendo, maximè nunc, conantibus quibuſdam (ſed juvante Domino fruſtra) in tranquillitatis ipſius perturbationem aliquid moliri; ipſe hujuſmodi reſponſum dedit mihi, dicens, Domine Epiſcope, quæ pertinent ad Coronam & Regalitatem noſtram, intendimus, ſicut & debemus, conſervare illæſa; & deſideramus quòd dominus Papa & Eccleſia ſint nobis in hac parte in adjutorium; & pro certo habeatis quòd omnino & ſemper obedientiam & fidelitatem & devotionem domino Papæ, tanquam patri noſtro ſpirituali, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tanquam matri, exhibebimus & obſervabimus & in ſuis tam proſperis quàm adverſis firmiter, conſtanter & fideliter eis adhærebimus, & die quo hoc non faciamus, damus oculum ad eruendum, imò caput ad amputandum: abſit enim quòd vel vita vel mors vel aliquid quod accidere poſſit, nos à devotione ſpiritalium patris & matris ſepararet: præter communes namque rationes quibus omnes Chriſtiani Principes tenentur Eccleſiæ, nos ſpeciali ratione ei præ cæteris Principibus arctius obligamur. Cum enim eſſemus orbati patre, adhuc in minori ætate conſtituti, regno noſtro non ſolùm à

nobis

nobis averso, sed & nobis adversante, ipsa mater nostra Romana Ecclesia per dominum G. Cardinalem tunc in Anglia legatum idem regnum ad nostram pacem & subjectionem revocavit, nosque consecravit in Regem & coronavit * in regni solium sublimavit. Præscriptum itaque Domini Regis responsum vestræ sanctitati scribendum putavi, ut qualem erga vos & Ecclesiam Romanam dictus Dominus gerat devotionem, vobis certius innotescat. Incolumitatem vestram conservet Altissimus Ecclesiæ suæ per tempora longiora.

* Fort. deest [&.]

Epist. 118. *Viro venerabili & in Christo sibi charissimo domino T. Robertus Dei gratiâ Lincolniensis Ecclesiæ Episcopus, salutem & sincerum in Domino dilectionis affectum.*

CRedentes vos zelo fervere salutis animarum, ex desiderio salutis earum archidiaconatum de Huntingdon & præbendam de Bugeden vobis contulimus; quæ beneficia suscipere occasione qua quondam recusastis præbendam de Gretton, recusare nunc non potestis. Est enim (benedictus Dominus) inter nos & capitulum nostrum pacis tranquillitas. Præterea si zelum animarum & Dei amorem habetis, quos habere credimini, ea nullo modo recusabitis; cum in eisdem multipliciter amplius salutem animarum operari possitis, juvante Salvatoris gratiâ, quàm in curâ quam hactenus tenuistis. Sicut enim qui Deum diligit & sacrificium zeli, quo non est Deo acceptabilius, offert ad ejus vocationem & ordinationem, oves suas pascit: sic qui eum diligit & ut dictum est, ei offert sacrificium in minori cura, quasi super pauca fidelis inventus, ab eodem ad majorem, ut supra multa constituatur, vocatus, ejus vocationem non obaudit: * quod si faciat, in gaudium Domini non intrabit. Ne igitur convincamini Deum non diligere, sacrificium zeli non offerre, ac per hæc in gaudium Domini non fore intraturos; ne insuper nota inanis gloriæ verè vel verisimiliter vobis possit impingi, velut videri volentibus divitiarum & dignitatum habere contemptum; Dei amor, animarum zelus, spes æternæ remunerationis, nominis boni (quod melius est quàm unguenta pretiosa) non contemnenda salvatio, sicut nec adquisitio vos Dei vocationem (non enim nos, sed Deus per nos qualescunque ejus ministros vos vocat) non obaudire sed humiliter exaudire compellant. Valete semper in Domino.

* Sic est in MSS. debet fortè esse [vocationem non exaudit, obaudit]

Epist. 119. *Excellentissimo Domino suo Henrico Dei gratiâ Illustri Regi Angliæ, Domino Hiberniæ, Duci Normanniæ, Aquitan. & Comiti Andegaviæ, Robertus miseratione divinâ Lincolniensis Ecclesiæ minister humilis, salutem & quam debitam tam devotam cum sincerâ dilectione reverentiam.*

SCripsit nobis Reverenda Dominatio vestra Vos mirari non modicùm & moveri super eo quòd tallagium de viris religiosis & clericis assidere & colligere ad opus domini Papæ proponimus per nos ipsos. Noverit itaque vestræ sinceritatis discretio, quòd nos nihil in hac parte per nos ipsos facimus, hoc est nostrâ auctoritate, vel soli, cum venerabiles patres coepiscopi nostri id idem faciant, vel jam pridem effectui mancipaverint, secundum formam à Magistro Martino domini Papæ nuncio, dum adhuc in his partibus moram traheret, eisdem traditam; quos similiter ut nos ad id compellit summi pontificis auctoritas & præceptum, cui non obedire quasi peccatum est ariolandi & quasi scelus idololatriæ non adquiescere. Non igitur est admiratione dignum, quòd coepiscopi nostri & nos in hac parte facimus, sed admiratione multâ & indignatione quamplurimâ esset dignissimum, si etiam non rogati vel jussi aliquid hujusmodi vel etiam majus non faceremus. Videmus enim patrem nostrum & matrem spiritales, quibus incomparabiliter plus quàm carnalibus tenemur ad honorem, obedientiam, reverentiam & in suis necessitatibus omnimodam subventionem exilio relegatos, persecutionibus & tribulationibus undique coangustiatos, patrimonio suo spoliatos, de proprio (unde, ut decet, sustententur) non habentes. Si igitur eis in tali statu existentibus non subveniamus, certum est quòd mandatum Domini de honorando parentes transgredimur, nec super terram longævi erimus, nec in filiis jocundabimur, nec in die orationis nostræ exaudiemur, timoremque Domini abjecimus & benedictionem Ipsius nolumus, domosque filiorum infirmamus, nobis ipsis dedecori sumus, malam famam & maledictionem super nos accumulamus, sicut ex scripturæ testimoniis evidenter perpendere possumus. Non igitur Regia clementia

clementia quæ thronum firmat regium inhibebit aut impediet filios patrem & matrem honorare volentes, ſed magis hoc eorum propoſitum, ut Regiam decet magnificentiam & magnanimitatem, laudabit, juvabit & promovebit uſque ad conſummationem. Sciat quoque pro certo veſtra Dominatio quòd quicunque vobis in hac parte aliud conſulunt, honori Regio non proſpiciunt. Valeat Dominatio veſtra ſemper in Domino.

*Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus dilecto in Christo filio magiſtro J. de * Offinton domini Papæ capellano, ſalutem, gratiam & benedictionem.* Epiſt. 120.

* De quo M. Par. p. 817.

EGO & frater A. de Mariſco (qui vos ſpecialiter diligit in Domino) plurimùm imò omnino deſideramus quòd in Angliam veniatis, ibidem moraturi in miniſterio Jeſu Chriſti & ſalutis animarum, pro quibus ipſe ſanguinem fudit: hic enim tantus animarum dilector vobis tradidit puri metalli & probatæ monetæ talentum ſacri miniſterii ſalutis, & talentum potentiæ ejuſdem, talentum quoque curæ animarum; & hoc proculdubio non ut ea reponatis in ſudario, ſed ut in eis negotiamini dum venerit, & de negotiatione multiplicatum lucrum, non aliud pro certo quàm ſalutem animarum in die adventûs ſui reportetis: adventûs autem ipſius dies proculdubio unicuiquè noſtrûm dies eſt ſui de hac vitâ receſsûs; qui quando inſtat omnino eſt incertum; certiſſimum tamen quòd in brevi; quódque non reportans tunc de impigrâ & ſolicitâ, prudenti quoque ac fideli negotiatione in ſibi commiſſis talentis conveniens lucrum, ablatis ab eo talentis, ligatis manibus & pedibus ex judiciali ſententiâ projicietur in tenebras exteriores ubi erit fletus & ſtridor dentium. His itaque hac luce clarioribus & ex ſententiâ Salvatoris certiſſimè conſtantibus, quomodo poteſt veſtra circumſpecta ſapientia propriæque ſalutis proprius amor, terribilis quoque & diſtrictiſſimi Judicis timor vos non compellere ad ea quæ intendimus ſuadere? Certus ſum omnino quòd ſi vigilanter actu conſideretis, omnino vos compellent, & omnina retinacula velut ſtupam aut arenarum fila diriment. Poſſem quoque & alia quamplura omnino irrefragabilia de ſcripturâ ſacra & de philoſphia ad idem ſuadendum afferre; ſed ad veſtrum præclarum ingenium ſufficit hoc unum quod ſcribo, non ad inſtruendum ſed ad flabellandum & excitandum illum magnum ignem qui intra vos clauditur, ut erumpat in flammam, & luceat omnibus qui in domo ſunt & calefaciat eoſdem: novit enim ipſe ſcrutator cordium quòd ego & prædictus frater de veſtrâ ſalute, & veſtrâ etiam (cum Dei beneplacito) promotione plus ſumus ſoliciti quàm de alicujus clerici in hac vita degentis in habitu ſeculari. Valeat, &c.

Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus, dilectis in Chriſto filiis H. Decano & capitulo Lincoln. ſalutem, gratiam & benedictionem. Epiſt. 121.

ACcedens ad nos dilectus filius magiſter R. præcentor Eccleſiæ Lincoln. nobis ex parte veſtrâ dixit vos admirari quòd cum in capitulo Lincoln. dixerimus nos velle incipere viſitationem à capitulo Lincolnienſi & ſic ad membra viſitanda procedere, econverſo jam facere deponimus: ad quod reſpondemus, quòd antequam venimus Lincolniam propoſuimus viſitare capitulum Lincoln. in craſtino beati Vincentii (quod etiam ſitis expreſsè vobis diximus) & ſic deinceps deſcendere ad viſitandum archidiaconatum de Stowe & præbendas in eodem archidiaconatu exiſtentes: non enim ſufficiebat tempus inter Epiphaniam Domini & dictum terminum, ad complendum viſitationem prædictam in archidiaconatu prædicto: ſuper hujus itaque propoſiti fundamentum erat ſermo noſter de ordine viſitationis fundatus: ſed ad veſtras preces, ut ſcitis, hoc fundamentum eſt immutatum, & dilata viſitatio capituli uſque in diem lunæ proximam poſt purificationem. Conſiderantes itaque quòd tempus ab Epiphania uſque ad dictum diem lunæ, juvante nos Salvatoris gratiâ, ſufficit nobis ad prætactam in prædicto archidiaconatu viſitationem perficiendam, ne interim pigritemur, & in talento nobis tradito non negotiemur, ordinem viſitationis, quem non ſimpliciter, ſed prædicto fundamento ſuppoſito propoſueramus, commutavimus: ſuper quo non admirari, ſed magis congratulari debetis: qua enim admiratione dignum, ſi ſuper alterum fundamentum, alterum vel aliter erigatur ædificium? Præterea ſiquis quod etiam ſimpliciter propoſuit & ſimpliciter ſe facturum promiſit, in melius & animabus ſalubrius commutat, nunquid ex hoc mendacii

mendacii aut inconſtantiæ, aut imprudentiæ poterit redargui? Certiſſimum eſt a melius eſſe & Deo acceptius animabuſque ſalubrius, quod favente Domino nos ros circa viſitationis negotium diſponimus: ideoque decet vos ut Jeſu Chriſti non quæ veſtra ſed quæ ipſius ſunt quærentes, noſtro proceſſui, ut prædictum eſt, gratulari, precibus veſtris ut Dominus ipſum proſperum faciat & dirigat, imper præſertim cum in hoc conſiſtat oneris noſtri non modica ſublevatio, laboris veſtri tio, & magna, ut facilius & fructuoſius vos in cura vobis commiſsâ ſalutem oper præparatio. Valete ſemper in Domino.

Epiſt 122. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus dilectis in Chriſto filiis H. Decano & Capitulo coln. ſalutem, gratiam & benedictionem.*

* Prov.12.21. SCriptum eſt, * Juſtum non contriſtabit quicquid ei acciderit: quod autem qui tur, non quod ipſe facit, eidem accidere dicitur. Vos autem viri juſti eſtis: ergo quod vobis accidit vos contriſtabit: & ſi quicquam vobis accidens vos c ſtat, nonne non eſtis juſti? & ſi non juſti, nonne injuſti? quod longè abſit à vobis. igitur quicquam vobis accidens, & maximè leve ad ſufferendum viro forti, tant ros contriſtet. Hæc autem ideo dicimus, quia ex verbis & vultibus quorundam bis ſatis evidenter heri perpendimus quòd quædam vobis accidentia ſaltem ve ſenſualitatem moleſtaverant: ſed abſit quòd talis moleſtatio veſtram tetigerit ratio ne injuſti comprobemini: ſed veſtræ rationis firma conſtantia veſtram ſenſualitatem tra omnes corroboret moleſtationes. Viros enim fortes, & domum non ſuper are ſed ſupra petram fundatam, nec fluminum rapidiſſimorum fortiſſimi impetus, nec v rum irruentium violentiſſimi flatus concutere poſſunt: ſperamus autem vos & fortes, & domum ſuper petram fundatam. Non igitur vel ſignum aliquod comn nis in vobis appareat, & maximè ad lenis auræ flatum, vel leniter fluentis aqua tum. Quid autem ſunt ſtultorum ſtulta & vana verba, niſi lenis aura? Quid vere va & portabilis injuria, niſi leniter fluens aqua? Præterea vir juſtus Dei veritatem priæ præfert voluntati: vos autem, ut diximus, viros juſtos eſſe ſperamus: veri igitur Dei & per conſequens ipſius voluntatem (quia in ſua veritate ipſe ſibi placet) alacriter & totis viribus proſequamini; ut comprehendatis dicentes corde & opere eidem veritati, Non quod ego volo ſed quod tu, nec ſicut ego volo, ſed tu: in tantum autem mea voluntas fiat, & non amplius, in quantum tua volunta eſt, & mea tua. Ad Dei itaque veritatem & veſtram voluntatem, non propriam, ſed v tati divinæ conformem, ac per hoc divinam ſimul & veſtram perficiendas, vobi viribus, favente Salvatoris gratiâ, ſemper erimus conſiliatores & coadjutores; nec i aliquando, eadem juvante gratiâ, vobis deeſſe poterimus. Valete.

Epiſt. 123. *Robertus Dei gratiâ Lincoln. Epiſcopus dilectis in Chriſto filiis magiſtris Oxon. in The Regentibus, ſalutem, gratiam & benedictionem.*

PEriti ædificiorum conſtructores omni proſpiciunt diligentiâ quòd lapides omn fundamento ponendi verè ſint fundamentales, oneris viz. ædificii ſupereri ſupportationi ſuâ ſoliditate convenientes & apti. Vos autem eſtis domûs Dei cor ctores, ſuperædificantes eam & ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, angulari lapide Chriſto Jeſu. Lapides igitur fundamentales ædificii, cujus eſtis a tectonici, præter quos nemo poteſt alios invenire aut in fundamento ponere, libri Prophetarum; inter quos & legiſlator Moyſes non immeritò eſt annumerandus; quoque Apoſtolorum & Evangelium: quos lapides fundamentales vos in fundam ponitis & diſponitis, cum eoſdem libros per donum diſcretionis ſpirituum, ſecun mentem editorum auditoribus exponitis. Omni igitur circumſpectione vobis ca dum eſt, ne inter fundamentales lapides, vel pro fundamentalibus non-fundamen ponantur; ne fortè minor non-fundamentalium ſoliditas ſuperædificatum prius p rimoſum, & deinde ruinoſum. Tempus autem maximè proprium ponendi & diſpon prædictos lapides in fundamento (eſt enim tempus fundandi, ſicut & tempus ædific hora eſt matutina qua ordinariè legitis: Decet igitur veſtras lectiones omnes, max tali tempore, legendas eſſe de libris Novi Teſtamenti vel Veteris; ne, ſi ſecus fiat,

fundamen

fundamentales, vel pro fundamentalibus lapidibus non tales ponantur; tempus quoque unicuique negotio congruum, contra Scripturæ doctrinam & rerum naturalem ordinem, non tribuatur; & à patrum & majorum veſtigiis & conformitate Regentium Pariſiis Theologorum manifeſtè recedatur. Quia igitur totis affectamus charitatis viſceribus, quòd omnia in vobis honeſtè & ſecundum ordinem fiant, ſicut præcipit * Apoſtolus, Veſtram Diſcretionem omni qua poſſumus affectione & devotione rogamus, monemus & exhortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus omnes Lectiones veſtræ ordinariæ horâ legendi matutinâ de Novo ſint Teſtamento vel Veteri; ut ſitis ſimiles patrifamilias, imò potius ipſi patresfamilias, proferentes de theſauris veſtris nova & vetera, non alia quædam velut horum media, aut ab hagiographis patribus ſuperædificata doctrinæ, quorum eſt tempus aliud convenientius accommodandum. Valete.

* 1 Cor. 14. ult.

Hinc conſtat fuiſſe Epiſcopum Cancellarium Acad. Oxon. Quàm ſalubre hoc præceptum præ Lectionibus in Acad. exteris ex Aquinate, Scoto & neſcio quo!

Excellentiſſimo Domino ſuo Henrico, Dei gratiâ Illuſtri Regi Angliæ, Domino Hiberniæ, Duci Normanniæ, Aquitan. & Comiti Andegaviæ, devotus ſuus Robertus miſeratione divinâ Lincoln. Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem, & quàm debitam tam devotam cum ſincerâ dilectione reverentiam. Epiſt. 124.

EX Dominationis veſtræ præceptione vobis hanc ſcribimus pagellam; ideoque Veſtram Excellentiam devotè rogamus, quatenus eandem Regia clementia benignè ſuſcipiat, audiat & intelligat; nec ſolùm tanquam à ſuâ præceptione, ſed & ſimul à ſcribentis humili devotione, &, qualem habet, charitate emanantem.

Sicut litera, quam nobis ſcripſit veſtra Serenitas Regia inſinuat, duo novimus eſſe in humano genere Regiminis principia, ſacerdotium videlicet & Regnum: quorum hoc quidem omnia ſui regiminis dirigit ad æternam pacem, illud verò ad temporalem; ut per eam quæ temporis eſt, facilior ſit tranſitus ad eam quæ æternitatis eſt: Igitur, ut in eadem literâ tangitur, utrumque utriuſque juvativum: ex quo evidenter ſequitur quòd neutrum neutrius eſt impeditivum; ac per hoc, quòd utrumque officia ac miniſteria alterius promovet & nullo modo impedit, imminuit aut retardat: non enim impedit poteſtas ſacerdotalis quin Regia poteſtas rempublicam armis ſtrenuè tueatur, legibus juſtis moderetur & præclaris adornet moribus: nec econverſo Regalis ſacerdotalem præpedit, quo minus ipſa gregis æternam operetur inceſſanter ſalutem, panem verbi Dei eidem miniſtrando, ſanctorum operum exempla præclara monſtrando, vigiliis, jejuniis & orationibus aſſiduis inſiſtendo, quæ, teſtante Apoſtolo †, fieri nequeunt ab his qui ſecularibus negotiis implicantur. Quapropter Regia poteſtas, ſacerdotii juvativa, nullo modo in curâ conſtitutos paſtorali ſecularibus poteſt negotiis implicare; cum hoc eſſet ſolare lumen in lunare convertere, ſolares radios à vegetatione terræ naſcentium præcludere, animam à corporis vivificatione prohibere, cœlum etiam in terram deorſum trahere; ſacrata execrare, & rerum ordinem turbare & Dei ordinationi reſiſtere. Nos autem ex parte qua ſacerdotio, licèt indigni, fungimur, pro viribus noſtræ modicitatis deſideramus ut ſub utraque & ab utraque dicta poteſtate omnia honeſtè & ſecundum ordinem, ac per conſequens concorditer fiant; ut videlicet ſpiritalia tractentur ab Eccleſiaſticis & ſpiritalibus: ſecularia verò à ſecularibus; utpote militaria à militibus; correctiones & reformationes exceſſuum & defectuum in his quæ rempublicam regni contingunt, à ſecularibus perſonis in Regni juſtis legibus peritis & exercitatis; & non, ſicut veſtræ ſuggeſtum eſt Excellentiæ, aliquo modo conamur directè ſeu indirectè inter Imperium veſtrum & ſacerdotium diſſonantiam procurare. De eo autem quòd conſequenter de quodam clerico veſtro nobis ad quandam Eccleſiam præſentato, verbis generalibus veſtra ſcripſit ſerenitas, vos ſpecialiter certiorare volentes veſtræ clementiæ ſignificamus, quòd domino * R. Paſſelewe ad Eccleſiam beati Petri Northampton nobis præſentato, ex affectu paterno & ſalutis ipſius & animarum parochiæ dictæ Eccleſiæ & honoris Regii zelo, poſt plurima ſalutis monita, mente tranquillâ & in ſpiritu lenitatis reſpondimus, quòd ei juſtitiario Foreſtæ, fungenti hujuſmodi juſtitiariæ officio, curam animarum non traderemus; cum hoc facere non poſſemus niſi contra divinam legem & canonicas ſanctiones; & per hoc, contra noſtram in conſecratione noſtrâ profeſſionem.

† 2 Tim. 2. 4.

* De quo M. Par p. 840.

Quod autem in fine literæ veſtræ nobis mandaſtis, viz. quòd intimaremus quid unctionis † ſacramentum videatur adjicere Regiæ dignitati, cum multi ſint reges qui nullatenus unctionis munere decorentur; non eſt noſtræ modicitatis complere; hoc tamen non ignoramus quòd Regalis inunctio ſignum eſt prærogativæ ſuſceptionis ſeptiformis doni ſacratiſſimi Pneumatis, quo ſeptiformi munere tenetur Rex inunctus præminentius

† Sacramentum octavum.

non unctis regibus, omnes regias & regiminis sui actiones dirigere; ut videlicet non communiter sed eminenter & heroicè *dono timoris* se primò, & deinceps, quantum in ipso est, suo regimini subjectos ab omni cohibeat illicito: *dono pietatis* defendat, subveniat & subveniri faciat viduæ, pupillo & generaliter omni oppresso: *dono scientiæ* leges justas ad regnum justè regendum ponat, positas observet & observari faciat, erroneas destruat: *dono fortitudinis* omnia regno adversantia repellat & pro salute Reipublicæ mortem non timeat: Ad prædicta autem præcellenter agenda *dono consilii* decoretur, quo artificialiter & scientificè ordo hujus mundi sensibilis edocetur: deinde *dono intellectûs*, quo cœtus Angelici ordo dinoscitur: tandem verò *dono sapientiæ* quo ad dilucidam cognitionem Dei pertingitur; ut ad exemplar ordinis mundi & ordinis Angelici secundum leges æternas in æternâ Dei ratione descriptas, quibus regit universitatem creaturæ, rempublicam sibi subjectam ordinabiliter regat tandem & ipse. Adjicit ergo Regiæ dignitati unctionis sacramentum quòd Rex unctus præ cæteris in suo genere debet, ut prætactum est, ex septiformi Spiritûs munere in omnibus suis regitivis actibus, virtutibus divinis & heroicis pollere. Hæc tamen unctionis prærogativa nullo modo Regiam dignitatem præfert aut etiam æquiparat sacerdotali, aut potestatem tribuit alicujus sacerdotalis officii: Judas namque filius Jacob princeps tribûs Regalis, distinguens inter se & fratrem suum Levi principem tribûs sacerdotalis, ita ait *, Mihi dedit Dominus regnum & Levi sacerdotium, & subjecit regnum sacerdotio, mihi dedit quæ in terrâ, illi quæ sunt in cœlis, ut supereminet Dei sacerdotium regno quod est in terra. Ozias Rex Judæ, quia manum ad officii sacerdotalis parvum quoddam ministerium conatus est extendere, lepræ meruit percuti contagione, & usurpans quod supra se erat, decidit ab eo quod erat. Hæc breviter perstrinximus ne prolixitatis fastidio vestram serenitatem afficeremus; desiderantes plurimùm quòd super singulis prætactis articulis, nobis peritiores (dum tamen timentes Deum, in quibus sit veritas & qui oderint avaritiam) attentius audiatis. Valeat & vigeat Dominatio vestra per tempora longiora.

* Cum ego Lectori indicaverim tot S. Script. locos, oro ut is mihi indicet hunc unum.

Epist. 125. *Excellentissimo Domino suo Henrico Dei gratiâ Illustri Regi Angliæ, &c. devotus suus Robertus miseratione divina Lincoln. Ecclesiæ minister, &c.* sicut in Epistola superiore.

AUdivimus Excellentiam Regiam adversus nostram parvitatem motam esse, velut adversus mandatis vestris rescribentem, sicut deceret: novit Scrutator cordium & renum nos Regiæ majestatis honorem, virtutem, potestatem & imperium affectuosè desiderare, & pro horum augmentatione, consummatione & conservatione in orationibus nostris privatis & publicis Deum pro modulo nostro devotè deprecari: quod cum sit, non posset esse quòd Regiam dignitatem, circa quam sic afficimur, & cui etiam ad fidelitatem tenemur, scienter & voluntariè seu scribendo seu modo alio vellemus offendere, cum honor Regis judicium diligens offendi non possit nisi injustitiis. Revolvimus autem diligenter in memoria nostra quæ sc. ad mandata vestra vestræ rescripsimus Excellentiæ; & non occurrit nobis nos quicquam scripsisse falsum, aut verum non scribendum, aut verum scribendum aut alteriusmodi orationem modo alio scripsisse quàm decuit: in quibus tribus est scribens meritò reprehendendus; licèt fortè per imperitiam nostram non ita rhetoricè scripsimus ut pro qualitate materiæ eloquentia rhetorica requireret; in quo scribentis imperitia solùm est digna reprehensione scholasticâ. Sed ad Regiam clementiam non nunc agimus nos velut justificando, sed ejus benevolentiam summo desiderio captando; supplicantes devotissimè, quatenus si vel scribendo vel aliter eam offenderimus, offensam nobis clementer remittat; præsertim cum parati simus ad ejus clementiæ beneplacitum, omnem erga eam excessum corrigere & emendare in proximâ quam habituri sumus cum eâ colloquutione. Unde quantum possumus humili & devotâ rogamus affectione, quatenus & hoc & alia negotia nostra coram Regiâ serenitate tractanda benevolè ponere dignetur Regia magnificentia in respectum, donec cum eâ habuerimus colloquium. Speramus enim quòd Regia magnificentia quæ omnia vult dirigi ad Dei honorem, animarum salutem & Ecclesiasticam libertatem, nostraque parvitas, quæ eadem & non alia, favente Domino, quærit, brevi benevola & benignâ collatione * ad ipsam circa prædicta sapient & in id ipsum concorditer consentient. Valeat & vigeat Dominatio vestra per tempora longiora.

* Ita est in MSS. sed forsasse debet esse [id ipsum].

Venerabili

Venerabili in Christo Patri Bonifacio Dei gratiâ Cantuarienſi Archiepiſcopo, totius Angliæ Primati, Robertus miſeratione divinâ Lincolnienſis Eccleſiæ miniſter humilis, ſalutem, & quàm debitam tam devotam in omnibus obedientiam & reverentiam. Epiſt. 126.

NOvit veſtra paternitas vos ideo in capite conſtitutos Epiſcoporum, ut negligentium in ſuis officiis negligentiam ſuſcitetis; diligentium diligentiam juvetis, nec compellatis ad quicquam iniquum; ſed eos qui iniquè agunt canonicè corrigatis. Hæc eadem facere eſt & veſtri Officialis, cum in hac parte vices veſtras noſcatur gerere; qui ſi ſecùs egerit, non tam ſibi quàm vobis, cujus vices gerit, notam impingit & in gloria veſtra maculam ponit. Nos itaque, ſicut tenemur, gloriæ veſtræ lucem ſine maculâ ſplendere ſinceræ charitatis affectu deſiderantes, ſilere non poſſumus quæ ab Officiali veſtro attentanda timemus, non ſolùm in Officii veſtri præjudicium, ſed in veſtræ gloriæ denigrationem. Novit itaque paternitas veſtra quòd dominum Robertum Paſſelew, juſtitiarium foreſtæ domini Regis (ex cujus juſtitiariæ officio inquirit judicialiter de furto venationis & viridis in Foreſtâ Regis & inventos hujuſmodi crimine denotatos capi facit & incarcerari & ſententialiter punit non ſolùm laicos ſed & clericos, & alia exercet tali officio pertinentia) præſentatum nobis ad Eccleſiam beati Petri Northampton, ſæpe à nobis commonitum ut à talis officii functione ceſſaret, noſtris monitis obtemperare nolentem, ad dictam Eccleſiam, propter prædictam ſibi illicitam functionem & alias quamplures cauſas, admittere recuſavimus: in quo facto, nullo modo, ut credimus, debemus de negligentia argui, ſed magis ex diligentia paſtoralis officii laudari. Veſter autem officialis ad præfati domini R. querimoniam, nos reputans in hac parte negligentes nobis mandavit in virtute obedientiæ qua vobis tenemur, præcipiendo quatenus dictum R. vel procuratorem ſuum ad hoc conſtitutum, infra viii. dies poſt receptionem mandati ſui in Eccleſia tali perſonam, prout decet, canonicè inſtitueremus: alioquin ipſe extunc ex officii ſui debito, ad inſtitutionem ejuſdem in prædicta Eccleſia faciendam ratione prævia procederet: cui præpoſito in literis noſtris præfato mandato reſcripſimus in hæc verba, *Ad quod vobis non tanquam judici noſtro in hac parte, ſed tanquam amico & tanquam ea ſolùm quæ Jeſu Chriſti ſunt quærenti, reſpondemus, quod non minus eſt quaſi ſcelus idololatriæ præcipere obedire in illicitis & tali præceptioni obedire, quàm in licitis & canonicis non acquieſcere præceptioni. Illicitum autem eſt omnino & contra divinas & canonicas ſanctiones, hominem implicantem ſe ſecularibus negotiis & præſertim ex poteſtate & officio laicali inquiſitorem de furto, captorem, incarceratorem & judicem inventorum denotatorum per inquiſitionem ſuper hujuſmodi crimine viribus & armis & cum effuſione ſanguinis, ſi aliter capi non poſſint, malefactorum captorem & captorum judicem, pluries commonitum per ſuum Ordinarium ut ab implicatione in his & hujuſmodi ſecularibus negotiis ſe abſolveret, hujuſmodi monitis non obtemperantem; ac pluribus aliis irretitum, quæ non ſolùm reddunt eum inhabilem ad curam animarum ſuſcipiendam ſed & indignum omni cura paſtorali, ad curam paſtoralem admittere: dominus autem Robertus Paſſelewe prænotatis tam ſpecialiter quàm generaliter eſt irretitus; quæ omnia, ſi neceſſe ſit, coram competenti judice, licet ſint notoria, probare parati ſumus. Præcipere igitur nobis ut talem ad curam paſtoralem admittamus aut tali præceptioni obtemperare, quid eſt aliud quàm quaſi ſcelus idololatriæ? Scimus autem quòd forma verborum mandati veſtri non prætendit præfatam iniquitatem; ſed res & materia formâ illâ palliata nihil eſt aliud quàm quod prædictum eſt. Formam itaque mandati veſtri, etiam nullo mandante, per gratiam Salvatoris ſemper obſervare proponimus; quia actus officii noſtri canonicis regulis dirigere pro viribus noſtris cupimus; per quarum directionem præfatum dominum R. propter prætactas & alias quamplures cauſas ad Eccleſiam præfatam admittere recuſavimus: nec poteſt aliquo modo judicari paſtoris negligentia, ſed magis paſtoralis officii diligentia; recuſatio eorum ad curam paſtoralem, qui ſecularibus negotiis contra doctrinam Apoſtolicam & canonicas implicantur; maximè cum charitate pluries præmoniti ab hujuſmodi implicatione ſe abſolvere nolunt. Diſcretionem igitur veſtram totis charitatis viſceribus rogamus, quatenus præfatum dominum R. in præfatâ Eccleſiâ non inſtituatis; quia hoc fieret non ſolùm in præjudicium noſtri qui in hac parte non ſumus negligentes ſed magis diligentes (quo caſu officii veſtri debitum, locum ſibi juxta canonicas ſanctiones vendicare non poteſt) verumetiam in condemnationem æternam ipſius præfati domini R. & in perditionem animarum præfatæ Eccleſiæ, in ſcandalum cleri, & maximè veſtri, de quo certiſſimè præſumeretur, quòd hoc non faceretis juſtitiæ zelo, ſed ſolo timore regio; diceretúrque de vobis illud * Jeremiæ, quod princeps Cantuar. provinciæ factus eſt velut aries non inveniens paſcua & abiens abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Denunciamus autem vobis, non tanquam habenti poteſtatem, Officium Epiſcopale in noſtra diœceſi in hoc caſu exercere, ſed tanquam zelatori ſalutis animarum & juſtitiæ, ſæpefatum dominum R. eſſe talem,* * Lament. 1.6.

 qualem

qualem eum suprà descripsimus, ut vos quantum in vobis est, à puteo prædictorum malorum eum extrahere conemini antequam puteus inferni urgeat super eum os suum & non sit possibilitas egrediendi. Lator autem præsentium recessit à nobis ante viii. dies completos post mandati Officialis vestri prætacti susceptionem; ideo incerti de futuris, vobis in ejus recessu scribere non potuimus quæ dictus Officialis erat super prædictis facturus: ex his tamen quæ audivimus, & quæ nobis comminatus est, firmiter credimus quòd non obstantibus præscriptâ responsione nostrâ & denunciatione & justis appellationibus, ad institutionem præfati R. in præfatâ Ecclesia sancti Petri procedet, alias nobis in pluribus gravis existens & injuriosus. Quocirca vestræ paternitati devotissimè supplicamus quatenus providere velit vestra discretio ut vester Officialis vestros suffraganeos, quos in suis officiis protegere debetis & præmonere, ab officiis suis & maximè salutis animarum, non retardet, aut eis injuriosus existat; ne fortè, quod absit, per hujusmodi tepescat adversus vos eorum devotio, & in gloriâ vestrâ macula ponatur. Valeat semper paternitas vestra in Domino.

E. B. LECTORI SALUTEM.

QUID tibi tandem, Lector, videtur de Roberto Lincolniensi? Quamvis enim quæ hîc legisti vix sint quinquagesima pars ejus operum (quæ dudum collegerat edenda simul in tribus magnæ molis voluminibus * Johannes Williams, suus in eadem sede successor, si bella civilia non interrupissent opus) ex hoc tamen specimine *virum loquentem vidisti*, & qualis fuerit non potes non deprehendere. Fuisse illum suâ ætate, & ad nostram usque, scriptorem celeberrimum & multis nominibus nominatissimum ultrò fateris: sed mihi videor te audire objicientem, fuisse eum in rebus multis à doctrinâ & dogmatis Ecclesiæ Reformatæ alienum: idem equidem tecum sentio: quî enim fieri potuit ut Episcopus, regimini Romano adeo addictus & in mediis papatus tenebris versans, fuerit Protestans? Corruptæ religionis præjudicia non facilè excutiuntur: fortissimæ sunt longævi erroris catenæ, & vim maximam, ut disrumpantur, requirunt; & quis unquam è consuetudinis malæ captivitate & tyrannide integer evasit, nisi qui in intimis animi sui penetralibus secum sedulò perpendit totius mundi fraudes & offucias, voluntatis pravæ desidiam, præpeditæ & præoccupatæ mentis pertinaciam, artesque omnes quibus ignavus quisque & incautus capitur; & hæc omnia humanæ naturæ & libertati hominum genuinæ inimica & adversantia agnoscit? Quot seculis clamitatum est *Ecclesia, Ecclesia* (uti olim ab * aliis Templum Domini, Templum Domini) ab eis qui se saniorem & potiorem Christianorum partem, imò totum Christianitatis existimarunt; cum interim nihil minus sint? Quoties tibi occurrit in his epistolis *salus animarum, salus animarum*? cum tamen sæpenumero ea pro quibus tam acriter contendit Episcopus, ad salutem animarum nihil omnino spectent, sed eis potius officiant, ex ritibus & consuetudinibus Ecclesiasticis pristinæ & puriori Ecclesiæ inauditis & contrariis. Magna quædam res est & cœlestis, vera & Christiana libertas; non nisi cœlitus afflatis intelligenda, nedum amanda: eam diu oppressit auctoritas humana & potestas Pontifici Romano callidissimè attributa: unde non mirum est si sub obtentu religionis depravetur vera religio, & sub Ecclesiæ male intellectæ nomine larvato subruatur & pessundetur Ecclesia. Maxima enim pars hominum vult decipi, & nunquam desunt qui eorum voluntati morem cupidissimè gerunt. Consideranti quibus artibus Roma rempublicam Christianam administravit, & quales fuerunt quamplurimi Pontifices, & quale consilium zelo religionis astutissimè obduxerunt, res est apertissima & sole meridiano clarior, quo pacto adeo deformis facta sit, præ admirando pristinæ pietatis decore, professionis Christianæ facies. Nunquam tamen adeo in universum cæcutiit mundus, quin in omni seculo, divinæ lucis radios aliqui perceperint, & ejusdem lucis ope & ductu Veritatem, quantumvis nubilatam, lætanter & fœliciter aspexerint & animitus amaverint; & quò quisque studiosius S. Scripturarum cognitioni incubuit, eò facilius intellexit unde res Christianæ tam male cesserunt, & quantum distant inventa humana à mente divinâ. Vidimus vel in hoc Episcopo haud parvum fructum ex amore S. Scripturarum (licèt pluries confundat libros *apocryphos* cum Canonicis, non minus quàm Romanistæ recentiores) & ex eis solùm hausit, quicquid in Pontificum vel quorumcunque aliorum moribus culpandis eximium reliquit. Annon ergo fuit egregia ista vox Pauli V. Pont. & Pontifice digna, cum de patre Fulgentio Venetiano, juxta S. Scripturam prædicante, conquestus hæc ha- buit

* Vide Thomam Fullerum in libro de viris & rebus Angliæ memorabilibus, sub Comitatu Suffolciæ.

* Jer. 7. 4.

buit verba, † *Quel predicare la Scrittura ha del ſoſpetto; & chi verrà ſtar attaccato alla Scrittura, ruinerà la fede cattolica?* i. e. Iſtiuſmodi Scripturæ prædicatio res eſt ſuſpicioſa; & qui ſtrictè adhæret Scripturæ, deſtruet fidem catholicam. Utinam hæc dicenti papæ aſtitiſſet Robertus Lincolnienſis! reſponſum is proculdubio ſe dignum tuliſſet: licèt enim hucuſque Papis eum & Cardinalibus amicè & humiliter adblandientem videris; nondum tamen verum hominis genium noſti; plenius eum exploraturus es priuſquam diſceſſeris. Selegi has Epiſtolas (ex 128,) præ cæteris nunc emittendas; quoniam videbantur mihi aliquid continere quod uſui antiquitatum noſtrarum ſtudioſis eſſe poſſit; † reliquas, Deo volente, aliàs editurus ſum. Placuit tibi, Lector, proculdubio & diſplicuit author noſter in his quæ jam legiſti: memento igitur, ſi Eccleſiæ Anglicanæ filius ſis, eum non minus diſplicuiſſe ſuis, quàm tibi placuiſſe; & quis omnibus unquam ſatisfecit, aut ſatisfacere queat? Nequid autem Epiſcopum Lincolnienſem in ſuas omnino partes trahant noſtri adverſarii, eumque è manibus noſtris extortum, quaſi trophæum quoddam Romam deferant (ubi fortaſſe, ſi ſcrinia & archiva excutiant, primum ſermonem & hanc quam illicò daturus ſum Epiſtolam ſtatim invenient) & magnum religionis ſuæ patronum aſſerant, conabimur ut ejus fama, qua hactenus inter Proteſtantes celebratus eſt, non omnino fruſtra ſit; & ſicut eum non poſſumus ex integro noſtrum appellare; ſic nec Papa appellet ſuum: quem cum Pontifex olim noluit canonizare, agendum nobis eſt ut nunquam à Pontifice in poſterum canonizetur; & hoc in Groſſeteſti honorem & commodum fore credendum eſt. Niſi valdè fallor, quiſquis vitam Hieronymi Savonarolæ (Pariſiis editam A. D. 1674.) perlegerit, & partem illam extremam Apologiæ pro Gerſone (Lug. Bat. 1676.) quæ dicitur *Johannes de Gerſon in tumulo glorioſus*; ſtatim illi ſubolebit, conſilium fuiſſe utriuſque ſcriptoris, ut illi viri (ejuſdem fere religionis cum noſtro Roberto, & non minus eo curiæ Romanæ obnoxii) quaſi poſtliminio Pontificali gratiæ reſtituantur, & in albo ſanctorum locum inveniant: hoc occultè agunt utriuſque libri authores, quorum deſideriis cum Papa annuerit, ego etiam revocabo quod jamjam ſcripſi, & quantum poſſum (noſti tu quantillum hoc eſt) efficiam ut Robertus Groſſeteſt etiam eos in illo conſortio comitetur: ſed, quod optimum eſt, nemo trium horum μακαρίων tali honore indiget; illis ſufficit vocari & fuiſſe viros ſanctos & probos. Quæ autem nunc in medium profero, partim deſcripſi ex Matthæi Paris, hiſtoriographi Regii & fidelis, hiſtoriâ majore; partim ex MS. Epiſtolarum; partim ex actis & monumentis Johannis Foxii, è quo habes Epiſtolam Innocentii quarti de promovendo puero in Canonicum Lincoln. diligenter ad exemplar aliud MS^um^ antiquum in publica noſtrâ Bibliothecâ Cantabrigienſi collatam.

† Nella lettera 25. di fra Paolo di Venetia.

* Quæ ſunt 28.

Diu Pontifices Pontificumque nuncii populum Anglicum ſubſidiis (tam ſtulta & inſipiens erat gens noſtra tunc temporis) & clerum Anglicum *proviſionibus* cæteriſque technis papalibus oneraverant & intolerabiliter vexarant: & miſera res fuit gentem tam nobilem & fortem tamdiu ſuccubuiſſe tot & tantis gravaminibus; & tam deſidioſè ſiviſſe ſe bonis ſuis tam nequiter ſpoliari, & hoc ſub prætextu plerumque omnium ſtolidiſſimo, ut ſcilicet ſuccurreretur Terræ Sanctæ, i. e. ut molliter & luxurioſè Romæ viverent Papa & Cardinales, & faſtuoſè Principibus dominarentur, & mundo toti imponerent: hæc enim fuiſſe eorum Terram ſanctam non ſemel vides in Faſciculo. Impoſſibile eſt quin multi hæc viderint & ægerrimè tulerint. Tempore Henrici primi Regis, & Stephani, fecit quod potuit Gilbertus Folioth Epiſcopus Londinenſis, ut regnum in ſui curam expergefaceret; fecerunt & alii poſtea: ſed vorax illa terra ſancta auri argentique imbrem voluit, non querelas; donec tandem Henricus octavus, Sereniſſimus Angliæ Rex fraudis impatiens, ſibi providus & gentis ſuæ miſertus, reſumpſit fortiter quod Johannes viliter Papæ prodidit; & poteſtatem papalem adeo fregit & proſtravit; ut quicquid moliantur Pontifices, longè citius Terram ſanctam recuperabunt, quàm Monachi ſua priſtina cœnobia, in alios uſus jam olim converſa.

Unde verò ante hujus magnanimi Principis tempora, Reſpublica & Eccleſia ruebant in ſtatum miſerum & omnia ſuſque deque vertebantur ad beneplacitum Pontificis, non arduum eſt explicare: maxima enim cleri pars pendebat è curia Romana; & non minus ſibi cavens ne perderet *Immunitatem* quam vocant *Eccleſiaſticam*, quàm vehementi ambitione promotionis ſtimulata, nihil aliud curabat quàm ne minueretur poteſtas Pontificia; ad depreſſionem uſque & enervationem authoritatis verè primariæ, i. e. Secularis: & hac in re non parum culpandus eſt Robertus Epiſcopus: ille enim (quamvis ex ratione forte meliori, & ad finem magis probum quàm cæteri) frequens eſt in ſublimandâ & evehendâ poteſtate Eccleſiaſticâ ſupra civilem; & ſemper fuit tam conſtans Paparum cliens, quàm quivis alius; donec forte fortuna ab Innocentio quarto provocatus, papalem authoritatem contempſit & faſtidivit; quodque diu in mente preſſit, in Papæ ſinum

palam

palam effudit. Aspera inter utrumque verba convolarunt: & cum Pontifex nollet se intra propriæ jurisdictionis limites continere, quin jus etiam in alienam vendicet usurpetque; is ipse Robertus, qui tempore ignorantiæ suæ (seu potius connlventiæ ad injustitiam papalem) Romam cœlo & Pontificem soli comparavit, & sedem Apostolicam (scilicet) omnibus mundi regnis superimposuit & prætulit, erroris sui conscius, Romam non veretur (quod & fecerunt multi viri sancti) Babylonem, nec Papam antichristum credere & appellare. Haud igitur mirum si par hoc literarum (Innocentii & Roberti Pontificum) tantum observabatur apud scriptores nostros istius ætatis; tam diligenter tradebatur memoriæ ab historicis; & tot scaturiant earum exemplaria vetusta in bibliothecis publicis & privatis utriusque Academiæ Illustrissimæ: dignissimæ enim sunt quæ ab interitu vindicentur: illa, quasi Pontificii fastûs & tyrannidis monumentum; hæc, istius fastûs & tyrannidis correctorium. At, Deus bone! quantum fremuit Papa cum hanc Roberti Epistolam legisset vel recitatam audiisset! Sed hoc nihil est: fremat usque; Episcopus Lincolniensis non vult conculcari: mira quædam hanc digladiationem insequuta sunt (ut statim videbis) & totius mundi oculos & aures rapit in admirationem controversia; quæ omnia à Matthæo Paris aliisque istius ævi historicis tradita, tibi ob oculos sum positurus, eorundem verbis. Contra quorum fidem non sum nescius multos authores Pontificios multa solere excipere; sed incassum omnia; cum etiamnum nobis restent exemplaria vetusta, quæ contradictores (siquid habeant pudoris) cogent erubescere & editionum nostrarum fidem ipsis ringentibus asserere. Collegit dudum testimonia Reformatorum & Pontificiorum de Matthæo Paris Guil Watts: allatrant hi strenuè, defendunt illi fortius viri famam, fidelitatem & existimationem: inter Pontificios verò Nicolaus Coeffeteau (quem Petr. du Moulin egregiè olim debellavit) mirâ insolentiâ insurrexit in fidem historiæ Matth. Paris (ut vides in Editione ejus Londinensi A. D. 1640. qua semper utor) mendacia & fabulas & sannas & nescio quid impingit illi Parisiensis ille adversarius, quasi totus esset in dehonestando Pontifice, & exponendis ejus ministris invidiæ & odio Anglorum: cumque bilem suam exoneraverat non solùm in Historicum antiquum, sed in M. Ant. de Dominis contra quem ex instituto scripsit, *Certè*, ait, *ipsi Angli pontificiæ authoritatis hostes, multa in annalibus illis esse defendunt, quæ videntur esse ad speciem composita, ut quæ de Roberto Lincolniensi sanctissimo antistite inducuntur.* Bene habet; fatetur Robertum sanctissimum antistitem; quæ autem hic sanctissimus antistes in papam dixit, mox habebis; nequaquam, spero, sanctissimi antistitis famam denigratura. Sed Angli illi, *Pontificiæ authoritatis hostes*, licèt subinde somnia monachalia & inepta miracula & visiones fanaticas & similia quæ seriò aliquando narrat Matth. Paris, rideant & improbent (quod tamen Papæ amici non faciunt) res tamen gestas, quæque concordi aliorum historicorum narratione traduntur, summoperè laudant & probant; imò & quæ narrat de Lincolniensi adeo non excedunt fidem (non illam, omnium ingurgitatricem quæ à credulis obtrudi possunt; nec rerum impossibilium bibulam, sed) sobriam & rectâ ratione animatam, ut facilè possint persuaderi esse ea verissima. Aliqua quidem de hoc viro monachis credenda relinquimus; utpote * oleum sanativum è tumulo fluens; campanas & musicam in aere sonantes ad ejus obitum, &c. quæ à monachis tradita monachorum fidei sunt aptiora, quàm nostræ. Sermonem, illum, vel propositionem coram Papâ habuisse; & clericorum concubinariorũ mores turpes exagitasse; doctorem plurimis ætatis suæ fuisse; & Pontificem ipsum dixisse antichristianè agere cum Verbi Dei doctrinam transgrediatur, palam est omnibus; & his Angli (quos ille inter alios docuit authoritatis Pontificiæ esse hostes) contenti sunt. Vale.

* De quo Tho. Gascoign. MS. in Biblioth. Bodleianâ.

Epistola

Epistola Innocentii 4. Pontificis pro investiturâ cujusdam adolescentis Itali impuberis in Canonicatum Ecclesiæ Lincolniensis.

[Quæ in Analibus Burton. dicitur Litera papalis Deo odibilis & hominibus].

Dilectis filiis Archidiacono Cantuar. & magistro Innocentio Scriptori nostro in Angliâ commoranti, salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM dilectus filius noster G. Sanct. Eustachii diaconus Cardinalis dilecto filio Frederico de Lavania, clerico, nepoti nostro, de speciali mandato nostro Canonicatum Lincolniensem cum plenitudine juris canonici duxerit conferendum, ipsum per suum annulum corporaliter & præsentialiter investiens de eodem, ut extunc canonicus Lincolniensis existat, & plenum nomen & jus canonici consequatur ibidem, ac præbendam, siqua vacaverit in Ecclesia Lincoln. à tempore quo dudum literæ nostræ super receptione ac provisione faciendâ sibi in Ecclesia eadem de præmissis Venerabili fratri nostro Episcopo Lincoln. præsentatæ fuerunt, alioqui post vacaturam conferendam sibi donationi Apostolicæ reservarit: decernendo irritum & inane, siquid de præbenda hujusmodi à quoquam fuerit attentatum; necnon in contradictores & rebelles excommunicationis sententiam ubique promulgando, prout in literis ejusdem * exinde constitutis plenius continetur: Nos ipsius Frederici devotis supplicationibus inclinati, quod ab eodem Cardinale factum est super hoc & ratum & gratum habentes, idem authoritate Apostolica duximus confirmandum. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Fredericum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem prædictorum Canonicatûs & Præbendæ, authoritate nostrâ inducatis, & defendatis inductum, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: non obstantibus aliquibus consuetudinibus vel statutis, juramentis vel confirmationibus sedis Apostolicæ seu quacunque alia firmitate roboratis; vel quòd dictus Fredericus præsens non fuerit ad præstandum juramentum de observandis consuetudinibus ejusdem Ecclesiæ consuetis; sive si prædicto Episcopo vel capitulo ipsius Ecclesiæ communiter vel singulatim, seu aliis quibuscunque personis à dicta sede indultum existat, quòd ad receptionem vel provisionem alicujus compelli † nequeant, sive quod * nullus alius in eorum Ecclesia nemini providere valeat: vel quòd interdici, suspendi aut excommunicari non possint per literas Apostolicas sub quacunque forma verborum obtentas vel obtinendas, etiamsi totus tenor indulgentiarum hujusmodi de verbo in verbum in iisdem literis sit insertus, sive † quibus aliis indulgentiis quibuscunque personis, dignitati vel loco sub quacunque forma verborum concessis à sede Apost. vel etiam concedendis, per quas effectus hujusmodi provisionis posset impediri aliquatenus vel differri; * Tamen volumus ea de certa scientia, quantum ad provisionem factam & faciendam Frederico prædicto in Ecclesia Lincoln. viribus omnino carere. Cæterum si aliqui prædicto Frederico vel procuratori super præmissis, vel aliquo præmissorum, aliquatenus duxerint opponendum: illos ex parte nostra citari curetis peremptoriè ut infra duorum mensium spacium post citationem vestram personaliter compareant coram nobis, eidem Frederico super præmissis legitimè responsuri: non obstantibus privilegiis, sive quibuslibet indulgentiis personis regni Angliæ generaliter vel cuivis aliæ personæ, vel dignitati, vel loco specialiter à prædicta sede sub quacunque forma verborum concessis quod non possunt ultra mare, seu extra civitatem vel diœcesin suam in judicium evocari per literas Apost. sub quacunque forma verborum obtentas: quod privilegium & indulgentias eisdem personis de certa scientia nullatenus volumus suffragari, & constitutione edita de duabus * dictis in Concilio generali non obstante. Diem autem citationis & formam nobis, vestris literis tenorem præsentium continentibus fideliter intimetis. Quod si non ambo his exequendis interesse poteritis, alter vestrûm nihilomnius exequatur.

Datum Perus. 7. Kal. Febr. Pontificat. nostri anno 10.

* MS. Cantabl Ejusdem Cardinalis.

† In eod. deest [nequeant].

* Id. [quivis] non [nullus].

† quibuslibet. Burton.

* Cum velimus. Burt.

* Dictis. Burton. cui deest [non-obstante] idque male: quia omnia hæc [NON-OBSTANTIA] maximam dederunt Episcopo repugnandi ansam.

E. B.

E. B. LECTORI SALUTEM.

RESCRIPTUM Roberti Lincolniensis ad Epistolam illam Pontificis, quod statim lecturus es, in MS°. Cottoniano numeratur Epistola 128. & ultima. Hanc Epistolam Matthæus Paris, p. 870 (ubi habetur integra) immediatè fuisse missam Papæ innuit; nec reclamat quidem compellationis genus qua hic utitur [Discretio vestra] & non [Sanctitas vestra] quin hoc possit esse verum: in epistolis enim ad Archiepiscopos Cantuarienses & Cardinales passim eo stylo & titulo utitur; & quidni irato & commoto Roberto licuit ad papam scribere [vestra Discretio] cum præsertim *sanctitatem* suam ex arrogantissimâ istâ literâ perdidisset? In Annalibus verò Burtonensibus (ubi etiam celeberrima hæc Epistola Lincolniensis tota describitur, p. 326. &c. sicut & illa Innocentii papæ, p. 405. &c.) rescripta dicitur Innocentio, Innocentii Pontificis scriptori, homini Romano, & archidiacono Cantuariensi sub hac formâ,

Robertus Dei permissione Lincolniæ Episcopus, Cantuariensi archidiacono & Magistro Innocentio domini Papæ Scriptori salutem & benedictionem.

INtelleximus vos literam domini Papæ recepisse, in hæc verba, *Innocentius Episcopus, &c. dilectis filiis archidiacono Cantuariensi & Magistro Innocentio scriptori nostro in Anglia commoranti salutem, &c.* & infra, Noverit autem vestra Discretio, &c.

Non multum refert utrum horum verius sit: Papæ enim destinata est; seu directè hoc sive indirectè, mediatè vel immediatè factum sit: tonat quidem Papa in literis suis; tonat autem altius Episcopus idemque fulminat in responsione suâ; & parum abfuit quin excommunicationem excommunicationi retulisset. Intercesserunt fortasse inter Pontificem & Episcopum epistolæ aliæ molliores super hac re ante hasce rigidissimas; & cum Episcopus eum nullâ ratione probi & honesti potuisset flectere, exerit vim suam animumque erigit ut par pari referat; & cum Papa adeo superbus fuerit ut mandatum suum non statim ad Episcopum miserit sed ad ministros suos delegatos; Episcopus item non immediatè ad Pontificem scribere potuit, sed ad illius commissarios; qui certo certius responsum Episcopi Papæ significarent; non enim aliter audebant; nec (ut homines decuit omni modo conantes se in Papæ favorem insinuare) volebant. Contuli autem hanc Epistolam famigeratam ad aliud ejus exemplar MS. in codice Collegii SS. Trin. Cantab. unde descripsi sermones omnes (præter primum) & tractatus hujus authoris. Stylo conscripta est salebroso (ut bene notat editor ille ignotus fragmenti istius De cessatione Legalium in præfatione, p. 21.) sed duritiem & anfractus styli tibi, Lector, compensabit materiæ gravitas & solennitas. Nota autem obiter errorem Henrici de Knighton dicentis initium Epistolæ, qua Robertus corripuit Innocentium, fuisse [*Dominus noster Jesus Christus, &c.*] oblitus est ille canonicus Leicestrensis; hoc enim est initium sermonis coram papâ. Vide Decem Scriptores colum. 2436. missa autem est Epistola anno Domini 1253. Quomodo se gessit Papa ad ejus lectionem non è re tuâ est ut intelligas, priusquam tu etiam eam attentè legeris; cætera videbis postea. Vale, Lector, donec iterum occurramus; quod brevì fiet.

Robertus Lincoln. Episcopus ad Papam.

Epist. 128. & ultima. NOverit Discretio vestra quòd mandatis Apostolicis affectione filiali omnino & devotè & reverenter obedio; his quoque qui mandatis Apostolicis adversantur, parentelæ zelans honorem, adversor & obsto: ad utrumque enim similiter & æqualiter ☞ teneor ex Divino mandato. Apostolica autem mandata nec sunt nec possunt esse alia quàm Apostolorum doctrinæ & ipsius Domini Jesu Christi, Apostolorum Magistri & Domini, cujus typum & personam maximè gerit in Ecclesiastica hierarchia Dominus Papa, consona & conformia. Ait enim Dominus noster Jesus Christus, Qui non est mecum, contra me est: Contra ipsum non est nec esse potest Apostolicæ sedis sanctitas dignissima

dignissima. Non est igitur prædictæ literæ tenor Apostolicæ sedis sanctitati consonus, sed absonus plurimùm & discors: Primò quòd de illius literæ & ei consimilium longè latéque dispersarum superaccumulato [non-obstante] non ex legis naturalis observandæ necessitate inducto, scatet cataclysmus inconstantiæ, audaciæ & procacitatis & inverecundiæ mentiendi & fallendi, diffidentiæ cuiquam credendi vel fidem exhibendi, & ex his consequentium vitiorum, quorum non est numerus, christianæ religionis puritatem & socialis conversationis hominum tranquillitatem commovens & perturbans. Præterea, post peccatum Luciferi, quod idem erit in fine temporum ipsius filii perditionis Antichristi, quem interficiet Dominus Jesus spiritu oris sui; nec est, nec esse potest alterum genus peccati tam adversum & contrarium Apostolorum doctrinæ, 1 & ipsi Domino Jesu Christo tam odibile, detestabile & abominabile, & humano generi tam 2 perniciabile, quàm animas curæ pastoralis officio & ministerio vivificandas & salvandas, pastoralis officii defraudatione mortificare & perdere. Quod peccatum evidentissimis scripturæ sacræ testimoniis committere dinoscuntur, qui in potestate curæ pastoralis constituti de lacte & lana ovium Christi suis carnalibus & temporalibus desideriis & necessitatibus prospiciunt, & pastoralis officii ministeria in 3 Ecclesia Christi ovium salutem operandam 4 non administrant: Ipsa enim ministeriorum pastoralium non administratio est, scripturæ 5 testimonio, ovium occisio & 6 deperditio. Quòd autem hæc duo genera peccatorum, licet dispariter, sint pessima & omne alterum genus peccati inæstimabiliter superexcedentia, manifestum est ex hoc, quòd ipsa sunt duobus existentibus & dictis, licèt dispariter & dissimiliter, optimis directè contraria: pessimum enim est, quod optimo est contrarium: quantum autem est in dictis peccantibus, unum peccaminum est ipsius deitatis 7 superessentialiter & supernaturaliter optimæ: alterum verò deiformitatis & deificationis ex divini radii gratifica participatione essentialiter & naturaliter optimæ, interemptio. Et quia sicut in bonis causa boni melior est suo causato, sic etiam in malis causa mali pejor est suo causato; manifestum est, quòd talium pessimorum interemptorum deiformitatis & deificationis in ovibus Christi in Ecclesiam dei introductores, ipsis pessimis interemptoribus sunt pejores, & Antichristo & Lucifero proximiores: & in hac pejoritate gradatim magis superexcellentes qui ex majori & digniori sibi divinitus potestate, in ædificationem & non in destructionem traditâ, magis tenentur ab Ecclesia Dei tales interemptores pessimos excludere & perturbare. Non potest igitur sanctissima sedes Apostolica, cui à sancto sanctorum Domino Jesu Christo tradita est omnimoda potestas, testante Apostolo, in ædificationem non in destructionem, aliquid vergens in hujusmodi peccatum 8 odibile, detestabile & abominabile & humano generi perniciabile vel mandare vel præcipere, vel quocunque modo ad aliquid tale conari: hoc enim esset 9 evidenter suæ sanctissimæ potestati & plenissimæ vel defectio vel corruptio vel abusio, vel etiam à throno 10 gloriæ Jesu Christi summa elongatio, & in cathedra pestilentiæ pœnarum gehennalium duobus prædictis tenebrarum principibus 11 proxima coassessio: Nec potest quis immaculata & sincera obedientiâ eidem sedi subditus & fidelis, & à corpore Christi & eadem sancta sede per schisma non abscissus, hujusmodi mandatis vel præceptis vel conaminibus undecunque emanantibus, etiamsi à supremo Angelorum ordine 13 eveniret, obtemperare: sed necesse habet totis viribus contradicere & rebellare. Propter hoc, 14 Reverende domine, ego ex debito obedientiæ & fidelitatis, quo teneor 15 utrique parenti Apostolicæ sedi, 16 & ex amore unionis in corpore Christi cum eâ, his, quæ in prædicta litera continentur, & maximè quia 17 in prætactum peccatum, Domino Jesu Christo abominabilissimum & humano generi perniciosissimum evidentissimè vergunt & Apostolicæ sedis sanctitati omnino adversantur & contrariantur catholicæ 18 unitæ, filialiter & obedienter non obedio, 19 sed contradico & rebello. Nec ob hoc potest vestra discretio quicquam durum contra me 20 statuere, quia omnis mea in hac parte 21 dictio & actio, nec contradictio est nec rebellio, sed filialis divino mandato 22 debita patri & matri honoratio. Breviter autem recolligens dico, quòd Apostolicæ sedis sanctitas non potest nisi quæ in ædificationem sunt, & non in destructionem: hæc est enim potestatis plenitudo, omnia posse in ædificationem. Hæ autem 23 quæ vocantur provisiones, non sunt in ædificationem sed in manifestissimam destructionem: non igitur 24 ea potest beata sedes Apostolica; 25 etenim caro & sanguis quæ regnum Dei non possidebunt, eas revelavit, & non pater Domini nostri Jesu Christi qui in cœlis est.

1 In MS Trin. Coll. [& Evangelicæ.]
2 Pernecabile, in utroque.
3 Æternam. Id.
4 Debita. Id.
5 Sacræ.
6 Perditio.
7 Ita est in Cod. Trin. & M. Par. & Annal. Burton. in hoc autem aliter & vitiosé.
8 Dom. Jesu Christo.
9 Deest [evidenter] in Cod. Trin. sed non in Matt. Par.
10 Deest gloriæ in eodem (sed non in M. Par.) sed verba sic se habent, à throno Domini nostri Jesu Christi.
11 Prophanæ. Id. *mali*.
13 Processissent. Id.
14 Reverendi Domini. Id. & Matt. Par. & Burt.
15 Ut. Id.
16 Sanctissimæ. Id. Apostolicæ sedis sanctiss. Matt. Par.
17 In interitum animarum evidentissimè vergunt: Id. Matt. Par. paulo aliter.
18 Catholicæ unitatis. Id. Matt. Par. Catholicæ fidei, unice, filialiter, &c.
19 Deest [sed] in eod. & M. Par.
20 Deest statuere in eod. sed non in M. Par.
21 Ita est in MS. utroque; licet sit [contradictio] in M. Par.
22 Ita est syllabatim in MS. utroque: licèt [vestri] ponatur pro [matri] in M. Par.
23 Quas vocant. Id. & M. Par.
24 Eas, Id. & M. Par. & Burt.
25 Ita est in MS. utroque & Burt. sine [acceptare] quod est in Matt. Par.

E. B. Insperatum hæ literæ & prorsus novum nuncium Pontifici attulerunt: dum enim ille quotidie expectârit ut canonicatum Lincolniensem *nepotulo* suo gratularetur, gratiasque sibi invicem ab eo referri ob illam quam donaverat promotionem; dum nihil sibi somniârit nisi ab *archidiacono* & *scriptore*, mandati sui (quam dicunt) executionem & Episcopi Lincolniensis obedientiam promptissimam, authoritatisque suæ ab adulatrice Curiâ suâ admirationem; en! totâ spe decidit: Robertus enim non vult pueros abecedarios doctorum hominum locos occupare; nec possunt ministri vel delegati Pontificii, hoc ut fiat, cogere: aliunde ergo puero providendum est; & donec ex ephebis evaderet, expectandum; ut *missam* saltem *canere* peritè sciat. Voti autem impos Papa quid agit interea? Non credendum est eum patienter hæc & inulta tulisse, qui ne Imperatori quidem pepercit: magna res erat tunc temporis Pontifici sub qualicunque prætextu obsistere, cui sola lex fuit

Sic volo, sic jubeo; stat pro ratione voluntas.

Cave tibi Roberte Lincolniensis nequid durius in te obstinatum & repugnantem animadvertatur: tota enim Curia papalis (seu Lugduni, seu Assisii seu Anagniæ seu denique Perusiæ agens) obstupescit ad hoc tuum rescriptum; & res esset cognitu dignissima, quomodo se gessit Papa, cum ad ejus notitiam perlatum est tuum responsum: sed unde hoc post tot secula & in tantâ rerum Innocentianarum caligine expiscandum est? Delentur fortasse hæc omnia è monumentis historicorum exterorum; idque de industriâ (ut aliæ res majoris longè momenti) ne ad posteros emanet & descendat Episcopi cujusdam Anglici fortitudo, Papæ in faciem resistentis: Sed tot tunc temporis habuimus hinc *Transalpinatores* & *Romipetas* (ut falsè & facetè eos appellat passim Matthæus Paris) ut domi nobis suppetat, quod foris rescire non possumus. Multos habemus historicos patrios qui literis mandarunt totam hanc controversiam: inter quos, quia M. Paris rem plenius narrat, ex eo audiamus Pontificis animum: cum igitur historiographus ille Regius Epistolam hanc Roberti Episcopi operi suo interseruisset & quid de eâ sentiisset Pontifex (per nostrates proculdubio Papæ sequentes curiam) certior esset factus, hanc ejus rationem memoriæ tradit, pag. 872.

—'Hæc cum ad domini Papæ audientiam pervenissent, non se capiens præ irâ & 'indignatione, torvo aspectu & superbo animo ait, *Quis est ille senex delirus, surdus & 'absurdus, qui facta audax, imò temerarius judicat? per Petrum & Paulum, nisi moveret nos 'innata ingenuitas, ipsum in tantam confusionem præcipitarem, ut toti mundo fabula foret, stu-*☞ *'por, exemplum & prodigium. Nonne Rex Anglorum noster est vassallus, & ut plus dicam, 'mancipium, qui potest eum nutu nostro incarcerare, & ignominiæ mancipare?* Et cum hæc 'inter fratres Cardinales recitarentur, vix compescentes impetum Papæ, dixerunt ei, 'Non expediret, domine, ut aliquid durum contra ipsum Episcopum statueremus: ut 'enim vera fateamur, vera sunt quæ dicit; non possumus eum condemnare: catholi'cus est, imò sanctissimus, nobis religiosior, nobis & sanctior, excellentior, & excellen'tioris vitæ; ita ut non credatur inter omnes prælatos majorem, imò nec parem ha'bere. Novit hoc Gallicana & Anglicana cleri universitas, nostra non prævaleret con'tradictio. Hujusmodi Epistolæ veritas, quæ jam fortè multis innotuit, multos contra 'nos poterit commovere: magnus enim habetur philosophus, Latinis & Græcis literis 'ad plenum eruditus, zelator justitiæ, Lector in Theologia Scholis, prædicator in po'pulo, castitatis amator, persecutor simonialium. Hæc dixerunt dominus Ægidius His'panus Cardinalis & alii, quos propria tangebat Conscientia. Consilium dederunt do'mino Papæ, ut omnia hæc conniventibus oculis sub dissimulatione transire permitte'ret, ne super hoc tumultus excitaretur: maximè propter hoc, quia scitur quòd quan-☞ 'doque *discessio est ventura.*

Hactenus ille. Henricus autem de Knighton (inter Decem Scriptores, columnâ 2436) disertim ait (sicut alii) Lincolniensem fuisse excommunicatum ob hoc facinus. 'Ad Innocentium, inquit, Papam misit Epistolam satis tonantem pro eo quòd Ecclesi'as Anglicanas indebitis & insolitis exactionibus gravare videretur, & quia nepotulo 'suo, puero, Papa contulisset canonicatum cum proximâ præbendâ vacaturâ in Eccle'siâ Lincolniensi; quem tamen Robertus admittere noluit, rescribens Papæ se nec velle 'nec debere tales ad curam animarum admittere, qui se nescirent nec possint regere. ☞ 'Qua de causa ad curiam vocatus & excommunicatus, appellavit à curiâ Innocentii ad 'Tribunal Christi—Ita ille.

Ex cujus excommunicationis nodo adeo non se extricare studuit, ut sine minimo illius terrore eo ipso anno (qui erat A. D. 1253.) placidissimè (ut dicitur) in Domino

mino obdormivit. Quicquid igitur Epiſcopus noſter ſtrenuè egerat in vitâ pro cauſâ Pontificum; quicquid ille ſanus & robuſtus (at humanæ fragilitatis & erroris particeps) antea præſtiterat in curiæ Romanæ gratiam; quicquid grande dixerat, in terrorem laicorum, de vi excommunicationis Pontificiæ; totum id languidus & moribundus caſſat, cum animæ pientiſſimæ, jamjam ad cœlum evolaturæ, ardor non potuit ultrà rebus humanis adblandiri earumve fraudibus connivere.

Inter *Dicta* ſua (quorum partem tibi dedi ſub nomine *Sermonum & Tractatuum*) reperiuntur aliqua de *mendacio* (quod eſt in MS°. ſextū) & *de fraude palliatâ, & qua mala facit* (quod eſt duodecimū) ex quorū doctrinâ cuivis patet, eum ad inferos damnare quicquid hodie defendunt vel agunt (rerumpublicarū peſtes) Æquivocatores. Non igitur expectandū eſt ab Epiſcopo hoc Lincolnienſi ut in tumulum deſcendat cum mendacio (ut dicimus) in ore. Quod morti propinqui dicunt (præſertim ſi non inficiantur à nuperis inventis & excuſationibus mentiendi cum ſalvâ conſcientiâ; nec bullâ omnipotenti (quam ſibi ſomniant) muniantur) dicunt ex animo & ex intimo cordis receſſu; quoniam præ conſpectu ipſius Veritatis illico ſiſtendi ſunt; qui mendacium abominatur; & linguam fallacem ei conſortem adjudicat, *qui mendax eſt & pater ejus* (ut ipſe dicit S. Joh. 8. 44.) Urget ubique, ut vidiſti, Epiſcopus animi ſinceritatem ab omnibus; & quod ſalute integrâ aliis tam conſtanter prædicaverat, à ſeipſo decumbente & moribundo ſperandum eſt omnino. Quomodo igitur ægrotus & languidus ſeſe geſſit, accipe porrò ex Matt. Paris pag. 874. ſub anno 1253.

'Diebus ſub eiſdem, cum dies caniculares ſuam exercuiſſent malitiam, Epiſcopus Lin-'colnienſis Robertus apud Bukedonam, manerium ſuum, decubuit graviter infirmatus. Voca-'vit igitur ad ſe quendam fratrem de ordine Prædicatorum, magiſtrum Johannem de S. Æ-'gidio, in arte peritum medicinali & in Theologia lectorem, eleganter eruditum & eru-'dientem, ut ab eo corporis & animæ reciperet conſolationem: noverat enim in ſpiritu 'tribulationem in proximo Eccleſiæ ingruere, quam non providimus: unde præcepit ſa-'cerdotibus per ſuam diœceſim conſtitutis, ut ſolenniter in omnes *chartarum magnarum* de 'regni libertatibus violatores, ubicunque cognoſcerent homines conventuros, ſententiam 'excommunicationis indefeſsè innovarent: cui præcepto quidam aulici, tam clerici quàm 'laici, procaciter reſiſtentes presbyteris contumelias inferebant. Unde ex ipſo facto, ip-'ſos novimus vinculo anathematis irretitos: & cum una dierum confabularetur Epiſcopus 'cum memorato fratre Johanne phyſico, recitando facta Papæ, redarguit graviter confra-'tres ſuos *prædicatores* & alios; ſimiliter *minoribus* non pepercit, eò quòd ordo eorum id-'circo in paupertate voluntaria, quæ eſt *paupertas ſpiritus*, ſalubriter conſtituitur, ut liberius 'vitia potentum non palpent, ſed cenſoriâ auſteritate acriter reprehendant; quia

Cantabit vacuus coram latrone viator.

'In hoc autem quod tu, frater Johannes, & alii prædicatores peccata magnatum au-'dacter non redarguitis & facinora non *detunicatis*, hæreticos cenſeo manifeſtos. Et 'addit Epiſcopus, Quid eſt hæreſis? Da definitionem: & cum hæſitaſſet frater J. 'non recolens authenticam ipſius rei rationem ac definitionem, ſubjunxit Epiſcopus fi-'deli interpretatione Græci idiomatis in Latinum; *Hæreſis eſt ſententia humano ſenſu 'electa, Scripturæ ſacræ contraria, palam edocta, pertinaciter defenſa*: hæreſis Græcè, ele-'ctio Latinè: & conſequenter ſubjunxit reprehendens prælatos maximè *Romanos*, qui 'conſanguineis ſuis indignis, ætate & ſcientiâ inſufficientibus, curam committunt ani-'marum. Dare curam animarum parvulo, *ſententia* eſt alicujus prælati *humano ſenſu 'electa*, propter carnem vel terrenitatem; & eſt *contraria Scripturæ Sanctæ*, quæ 'prohibet fieri paſtores qui non ſunt idonei ad arcendum lupos; & eſt *palam edo-'cta*, quia manifeſtè portatur charta ſigillata vel bullata; & eſt *pertinaciter defenſa*; 'quia ſiquis voluerit contradicere, ſuſpenditur, excommunicatur, & ſuper eum præ-'lium ſanctificatur. Cui tota definitio hæretici convenit, hæreticus eſt. Sed quiſ-'que fidelis tenetur opponere ſe hæretico quantum poteſt: qui ergo poteſt contradicere '& non contradicit, peccat & videtur fautor eſſe, ſecundum illud Gregorii, *Non caret 'ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare*. Sed fratres, tam *minores* 'quàm *prædicatores*, maximè obligantur ad oppoſitionem contra talem, cum utrique 'habeant ex officio gratiam prædicandi, ſunt ad illud officium per paupertatem liberi-'ores; non ſolùm peccant, ſi ei non contradicunt, imò fautores ipſius exiſtunt; ſicut '& Apoſtolus ad Romanos, 1. *Non ſolùm qui talia agunt, ſed qui conſentiunt, digni ſunt 'morte*. Poteſt ergo concludi, quòd tam *Papa*, niſi ab hoc vitio ceſſet, quàm dicti 'fratres, niſi curioſos ſe exhibeant ad arcendum talem, digni ſunt morte, ſcilicet *per-'petuâ*. Item dicit Decretalis, quòd ſuper tali vitio, videlicet *hæreſi, poteſt & debet Pa-'pa accuſari*.

Probat papam hæreticum.

* i. e. 6. Oct. ‘Et quia noctes tunc temporis in longum protrahebantur (erat * autem tertia nox ‘ante festum S. Dionysii) Episcopus lethali tædio & infirmitate prægravatus accersiri ‘præcepit aliquos de clericis suis ut saltem mutuis collocutionibus recrearentur; qui-‘bus Episcopus dolens de jacturâ animarum per *Papalis curia avaritiam*, suspirans ait, ‘Christus venit in mundum ut animas lucraretur; ergo siquis animas perdere non for-‘midat, nonne *antichristus* meritò est dicendus? Dominus sex diebus mundum condidit ‘universum; Sed ut hominem repararet, plus quàm triginta annis laboravit: nonne er-‘go animarum destructor, inimicus Dei & *antichristus* censetur? Privilegia sanctorum ‘Pontificum Romanorum, prædecessorum suorum, Papa *impudenter* annullare per hoc ‘repagulum [*non-obstante*] non erubescit; quod non fit sine eorum præjudicio & inju-‘riâ manifestâ: sic enim reprobat & diruit, quod tanti & tot sancti ædificârunt: ecce ‘sanctorum contemptus! Meritò igitur contemptor contemnetur, secundum illud Isaiæ, ‘*Va qui spernis; nonne contemneris?* Quis ejus privilegia conservabit? Errorem suum ad ‘hoc respondens Papa sic tuetur, *Par in parem non habet imperium, ergo Papa me Papam* ‘*minimè prævalet obligare.* Ad hoc respondeo, ait Episcopus; Mihi videtur, non sunt pa-‘res, navigans in mundi periculo, & gratulans in portûs securitate. Da, ut aliquis pa-‘pa salvetur: absit dicere contrarium: Dicit Salvator, *Qui minor est in regno cœlorum, ma-‘jor est Johanne Baptistâ, quo major inter natos mulierum nemo surrexit.* Nonne major est ‘ergo aliquis Papa dator privilegiorum vel confirmator, isto vivente? Profectò ‘major mihi videtur; ergo in minorem habet imperium; non igitur debet præ-‘teritorum *. Nonne dicit Papa de suis plerisque prædecessoribus, *Ille vel ille pia recor-‘dationis prædecessor noster, &c.* & sæpe, *Adhærentes sancti prædecessoris nostri vestigiis, &c!* ‘Quare ergo quæ jecerunt, diruunt fundamenta qui sequuntur? plures Apostolici viri ‘unum aliquod privilegium prius piè concessum confirmârunt. Nonne plures divinâ ‘Gratiâ salvati, majores sunt uno solo adhuc periclitante? Item, antiqui patres nostri, viri ‘Apostolici, tempore sunt priores; & quos antiqui temporis attollit reverentia, *vene-‘rabiles* habere tenemur. Hoc bene attendebat sanctus (virtute venerabilis) Benedi-‘ctus, omnium spiritu sanctorum repletus in *regulâ suâ*; qui prius venientes qualescun-‘que authenticis viris tardius ad ordinem accedentibus præponit, & esse præcipit vene-‘rabiles & priores. Unde ergo hæc injuriosa temeritas, privilegia antiquorum sancto-‘rum multorum in irritum revocare?

* videtur aliquid deesse.

‘Præterea, etsi multi alii viri Apostolici Ecclesiam afflixerint, † iste gravius aliis ‘coegit ancillari, & inconvenientia multiplicavit. * *Caursini* enim manifesti usurarii; ‘quos sancti patres & doctores nostri, quos vidimus & audivimus, viz. magister ex-‘imius in *Francia prædicator, Abbas* quoque de *Flay Cisterciensis ordinis*, magister *Jacobus* ‘*de Viteri, Cantuariensis Archiepiscopus Stephanus* exulans, magister *Robertus de Curcun* præ-‘dicando à partibus Franciæ ejecerunt, quia antea hac peste *Anglia* non laborabat, iste ‘*Papa* suscitavit & protegit suscitatos: & siquis obloquatur, damnis & laboribus, te-‘ste Episcopo Londin. *Rogero*, fatigatur. Novit mundus quòd usura detestabilis habe-‘tur in *utroque Testamento* & à Deo prohibetur: nunc *domini Papæ mercatores vel scambi-‘atores*, obmurmurantibus Judæis, palam Londini fœnerantur, viris Ecclesiasticis & ‘maximè religiosis diversa machinantur gravamina, cogentes quos gravat egestas, men-‘tiri, & signa sua scriptis mendacibus appendere: quod est idololatrare, & veritati, quæ ‘Deus est, abrenunciare. Verbi gratiâ, Mutuò accipio † marcas per annum pro centum ‘libris; cogor conficere scriptum & signare, in quo confiteor me centum libras mutuò ‘in fine anni solvendas, recepisse: & si fortè sortem pecuniæ tibi infra mensem vel ‘dies pauciores adquisitam *usurario Papali* solvere volueris, non recipiet, nisi integrali-‘ter centum libras: quæ conditio gravior est quàm Judæorum; quia quandocunque ‘sortem Judæo attuleris, recipiet benignè, cum tanto lucro quod tempori tanto se com-‘mensurat. Præterea, novimus Papam fratribus *Prædicatorum & minoribus* præcepisse, ‘ut morituris assistentes, quos inquirant diligenter, persuadeant urgenter ut condant te-‘stamenta sua ad commodum & subsidium *terræ sanctæ*, & *crucem* assumant, ut cum con-‘valuerint, substantiolas eorum emungant; vel si moriantur, ab executoribus tantum ‘recipiatur vel extorqueatur. *Cruce* quoque signatos personis laicis, sicut quondam in ‘Templo oves & boves venundari consueverunt, vendit apportandos: inspeximusque ‘*literam Papalem*, in qua insertum reperimus quòd testamenta condentes, vel *crucem* ‘suscipientes, & subsidium *terræ sanctæ* impendentes, *tantundem* recipient *indulgentiæ quan-‘tum pecuniæ* largientur. Præcepit insuper *Papa* in multis suis scriptis, prælatis, ut tali vel ‘tali alieno & absenti & penitus indigno, qui nec literas vel linguam novit indigena-‘rum, ut prædicare posset vel confessiones recipere, vel saltem propter pauperes refici-‘endos & transeuntes suscipiendos, residentiam facere, providerent in Ecclesiastico bene-‘neficio

† Hæc quæ sequuntur, cum pars sint ultimi Lincolniensis sermonis, nolui à cæteris discindere, etiamsi ad causam suam non attineant.
† Papæ mercatores. Vide Gloss.
* Cod. Bened. centum marcas.

'neficio quantum vel quale duceret acceptandum. Item ſcimus dominum *Papam* ſcripſiſſe Abbati de S. Albano ut provideret cuidam *Johanni de Camezana*, quem nunquam viderat, in beneficio competenti; & infra breve tempus proviſum eſt ei in Eccleſiâ quæ annuatim 40. marcas & amplius valebat: ſed ipſe eâ non contentus, conqueſtus eſt *Papæ*: ſcripſit igitur *Papa* Abbati memorato, ut dicto clerico uberius provideretur; nihilominus tamen reſervata eidem domino *Papa* prioris Eccleſiæ donatione. Et non poſt hæc dies multos venerunt ad prædicti Abbatis cœnobium duæ *ſatis deſpicabiles perſonæ literas Papales* deferentes, in quarum tenore inſertum fuit, ut illico *ipſis viris nobilibus* ad ſua negotia expedienda, ſine difficultate ad manum X. marcas Abbas conferret; quibus *ampulloſa & minantia verba* proferentibus Abbas finem fecit. De viris quoque ſanctis & literatis, qui ſeculum ordine irregreſſibili pro Deo imitando reliquerunt, ſuos facit *Papa telonarios*, ad pecuniam *argumentosè extorquendam*: quod & ipſi onus inviti ſuſcipiunt, ne inobedientes eſſe videantur: & ſic de ſecularibus fiunt *ſeculariores*, & *mentitur in eis tragulorum vilitas*; dum ſub habitu paupertatis, *ſpiritus* habitat *elationis*. Et quia non debet mitti in Angliam *legatus*, niſi à Rege poſtulatus, mittit *Papa legatos ſophiſticos & transformatos*, ſed non *rubeis veſtibus* redimitos, magnis armatos poteſtatibus; nec eſt difficile exemplum invenire: tot enim frequenter adveniunt hujuſmodi, ut eorum nomina audientibus tædium generaret. Cæterùm, quod videre non conſuevi, concedit Papa ob favorem ſecularem, ut aliquis Epiſcopatum obtineat, nec tamen Epiſcopus exiſtat, ſed *electus ſempiternus*; quod tantundem ſignificat, ut *lac & lanam* habeat *ovium*, *lupos* tamen non abigendo, priſtinos etiam redditus retinendo, & cum hæc & alia enormia, videlicet omne genus avaritiæ, uſuram, ſimoniam & rapinam; omne genus luxuriæ, libidinem, gulam & ornatum, quæ in *curiâ illâ regnant*, deteſtaretur, ut verè de *ipſa* judicatur,

Ejus avaritiæ totus non ſufficit orbis;
Ejus luxuriæ meretrix non ſufficit omnis.

'Nitebatur proſequi, quomodo confiſa *curia illa* ut *Jordanis influat in os ejus*, patulo hiatu aſpirabat, ut etiam bona inteſtatorum & diſtinctè legatorum ſibi uſurparent; & ut licentius hoc facerent, Regem in rapinis ſuis conſortem facerent & participem. *Nec liberabitur Eccleſia ab Ægyptia ſervitute, niſi in ore gladii cruentandi.* Sed hæc profectò levia, ſed in brevi, ſcilicet hoc triennio ventura ſunt graviora. In calce verò hujuſmodi propheticæ locutionis, quam prærumpentibus ſingultibus, lachrymis & ſuſpiriis vix pronunciaſſet, abbreviata eſt lingua ejus, & deficiente halitu organum vocis ſiluit mutilatum.

'Migravit igitur ab hujuſmodi mundi, quem nunquam dilexit, exilio *ſanctus Lincolnienſis* Epiſcopus, *Robertus* ſecundus, apud *Bugedonam*, manerium ſuum, in nocte ſancti Dionyſii; domini *Papæ & Regis redargutor manifeſtus*, *prælatorum correptor*, *monachorum corrector*, *presbyterorum director*, *clericorum inſtructor*, *ſcholarium ſuſtentator*, *populi prædicator*, *incontinentium perſecutor*, *Scripturarum ſedulus perſcrutator diverſarum*, ROMANORUM MALLEUS ET CONTEMPTOR. *In menſâ refectionis corporalis, dapſilis, copioſus & civilis, hilaris & affabilis: in menſa verò ſpirituali, devotus, lachrymoſus & contritus: in officio pontificali ſedulus, venerabilis & infatigabilis.*

'In cujus obitu, eâ videlicet nocte qua migravit ad Dominum, Epiſcopus Londinenſis, *Fulco*, quaſi quoddam ſignum dulciſſimum audivit, cujus melos cor & aures audientis meritò potuit reficiendo detinere, in æthere ſublimi: & arrigens aures auſcultando (non enim erat procul à *Bukedonâ*) dixit circumſtantibus, Auditis & vos quæ audio? At illi interrogaverunt, Quid audis, domine? Reſpondit Epiſcopus, Sonum ſigni magni, & quaſi cœnobialis, ſupra quod humanitus eſt; delectabilem ſonum ordinatè pulſatum in ſublimi; ipſi autem confeſſi ſunt, ſe nihil hujuſmodi auribus, licèt attentis, audiviſſe: quibus Epiſcopus, *Per fidem quam debeo Sancto Paulo, credo quòd dilectus pater, frater ac magiſter noſter, Venerabilis Epiſcopus Lincolnienſis, tranſiens ex hoc mundo, in cœli collocetur regione, & hoc mihi ſignum pro ſigno manifeſto: non enim hic propè habetur Abbatia, in qua tale ac tantum habeatur: inquiramus incontinenti.* Et invenerunt & probaverunt totius aſſertione familiæ, quòd eadem horâ migravit Epiſcopus ab hoc ſeculo. Hujus rei mirabilis, imò miraculi primitivi, perhibuit teſtimonium, & ei aſſertivè narravit, qui hoc ſcripſit, dominus *Johannes Crachale*, Epiſcopi clericus ſpecialis, vir venerabilis, & inter omnes Epiſcopales non ultimæ authoritatis.

'Eadem

'Eadem quoque nocte quidam fratres de ordine minorum, dum versus Bukedonam, 'ubi Episcopus *Lincolniensis Robertus* morabatur, properarent (erat enim *Prædicatorum* & '*Minorum* pater & consolator) per sylvam Regiam quæ *Wanberge* dicitur, ignari com-'pendiorum oberrâssent, audierunt in sublimi quoddam classicum companarum melodi-'cum valdè: inter quas unum signum soni dulcissimi articulatim, ordinatè & distinctè, 'electum audierunt, omnibus præauditis incomparabilem; unde mirati sunt vehemen-'ter: nesciebant enim aliquam nobilem ecclesiam esse propé. Apparente autem dilu-'culo, post multos inutiles erroris labores, obvios quosdam habuerunt forestarios, à qui-'bus cum ad iter rectum dirigerentur, interrogavit unus fratrum, Quidnam significavit 'illud magnum classicum & solenne quod versus Bukedonam audierant? Qui responde-'runt se nihil audire vel audivisse; quod tamen adhuc aera demulcebat: fratres igitur 'inde magis admirantes, venerunt ad Bukedonam satis tempestivè; ubi certificabantur ' quòd eâdem nocte & noctis horâ qua dictam melodiam in æthere audierunt, Episco-'pus *Robertus* fœlicem animam exhalavit.

Hæc sunt ipsissima historici *Sanct-Albanensis* verba, ultimos Episcopi morientis sermones, ejusque obitum describentis; idque proculdubio fidelissimè; ut ab astantibus ejus lectui testibus probis ipsi inquirenti fuerat relatum; cui, quantumvis monacho credulo, religionem fuisse credi par est, nequid posteritati, in re tam gravi, fictiones & mendacia (præsertim ubi de Papæ honore & sedis Pontificiæ eminentiâ tam strictè agebatur) prudens proderet & obtruderet. Quæ autem *Johannes Crachall* (quem unicè dilexit Episcopus, qui mendaces & adulatores dilexit nunquam) ex ore fortasse *Fulconis* Episcopi *Londinensis* accepit, & Matthæo narravit de musicâ istâ mirabili; quæque *fratres* illi utriusque ordinis per sylvam Regiam oberrantes de campanarum numeroso pulsu in aere, narrabant horâ eadem; hæc ego in medio relinquo, cuilibet pro libitu vel credenda vel rejicienda; cum nihil certi de iis possim statuere præter historici audita referentis fidem; qua in re si Coeffetelli similes ogganniant, Cur non hæc æque ac illa accipis? Respondeo, disparem esse harum rerum rationem ab illâ, qua mihi refert historicus expirantis Episcopi exitum: nuda enim rei verisimilis gestæ narratio unum est; miraculosæ verò aliud: Mortuum esse Robertum Lincolniensem inter maximas Papæ injurias, & cum sensu totius Ecclesiæ ab illo pessimè administratæ, & propterea non potuisse sanctius mori, quàm in ipso mortis articulo de Paparum improborum moribus & vitiis amicos suos monentem, res sunt creditu facillimæ cuivis vim *Conscientiæ* sacram in tempore illo extremo, perpendenti: campanarum autem in aere saltitantium sonum, & monachorum choros ibidem cantitantes credat qui vult: neutrum est impossibile: majora enim fuisse facta omnino est credendum: satis autem esse debet homini ingenuo hæc non negare; sicut & prudenti quid credit, cavere: & quis adeo perfrictæ frontis esse audeat, ut Matthæi Paris fidem in omnibus suspectam habeat, quia in aliquibus tradit incerta aut veri dissimilia? Novimus autem bene, omnium Coeffetellorum (seu quocunque alio nomine appellentur) artem & subterfugium: nolunt enim ea credi quæ à suis male & iniquè acta sunt Pontificibus (etiamsi sint luce clariora) sub hoc prætextu, quòd nos ipsi in quæstionem vocare soliti simus quæ vellent ipsi avidissimè credi & deglutiri: *gratias agimus reverendi domini:* cui fidendum vel diffidendum est, non opus est à vobis doceri: circumspiciemus enim undiquaque & res funditus discutiemus, priusquam eis assensum præbeamus: si alia vobis est credendi regula; fides esto penes authores; & vobis prosint vestræ *Legendæ*.

Hæc autem cum ita sint, quòd Episcopus bonus injuriosissimè ab *Innocentio* quarto fuerit anathemate percussus, & nihil aliud remedii habuerit senex languidus, nisi ut injuriam & dedecus Christianè & patienter ferat; adeo non ille sententiâ fulminatâ terretur, ut nequaquam in gratiam cum Pontifice redire conatur, nec hinc in mundum alterum exire excommunicatus metuit; spem omnem in Deo ejusque misericordiâ omnipotenti ponens, ejusque judicio justissimo totam deferens causam suam & querelam; qui infinities major est omnibus Pontificibus (etiamsi essent qui ab insipientibus creduntur esse) & eò magis afflictorum miseretur, quo à Papis gravius læsi sunt. Jam tandem Papas Grossetestus novit, quos antea nescivit: vidisti, Lector Episcopi morientis de eis sententiam: Quantum, Deus bone, interest discriminis inter cogitationes hominis salute & valetudine fruentis, & ejusdem jamjam morituri! Eant nunc papistæ & Robertum Grossetest ex epistolis suum vendicent (ex quarum tamen non paucis vix, credo, illis placebit) nos utique è Matthæo Paris magis justè possumus eum asserere nostrum: Pontifici is vivus valdè addictus fuit; moriens autem illum contempsit & deseruit: *Finis*, Lector, *coronat opus*, &

Exitus

Exitus acta probat.

Res autem eſt non ſilentio prætereunda, ipſum Archiepiſcopum Cantuarienſem Bonifacium funera Roberti ſuâ præſentiâ honeſtaſſe (M. Par. p. 878.) & exequias fortè celebraſſe, etiamſi ſub irâ Papæ è vivis exceſſiſſet: præclarum eſt hoc ſancti hominis teſtimonium; quem ipſe totius Angliæ Primas, licèt excommunicatum, non veritus eſt ad tumulum comitari in Eccleſiæ Lincolnienſis latere auſtrali, ubi patrum noſtrorum memoriâ extitit marmor ſepulchrale cum æneâ laminâ affixa, ſubtus jacentis nomen & honorem explicante.

Cum mortui ſint homines & ſepulti, tuti nobis videntur ab inimicorum rabie & invidiâ; ut

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.

Sed reſtant eorundem cineres & cadavera, in quæ, ſi velint, malitioſi poſſint ſævire; licèt res ſit omnium ſtultiſſima & prorſus inhumana, eo modo hominum reliquias tractare, quas omnis jubet religio, poſtquam naturæ ceſſerint, quietè & pacificè ſacrum & deſideratiſſimum Reſurrectionis diem manere.

En tibi verò Papæ humanitatem! Anno poſt mortem Roberti Lincolnienſis (ut Matt. Par. p. 883.) proximo, recanduit Pontificis in eum ira: quid autem poteſt in defunctum Papa? Terriculamenta ſua vibrare quidem poteſt in viventes: mortui verò certè ſunt ἔξω βέλους, & ut *non mordent*, ſic *nec mordentur:* Animæ enim nudæ & ab exuviis liberatæ, longè ab omni hominum damno & nocumento receſſerunt; & putreſcentia corpora nullam ferocientis inimici vindictam ſentiunt: defunctorum autem memoriam & famam, ſi bene egerint, nulla unquam delebit invidia & obtrectatio; quia illa ipſa Providentia Divina, quæ viventium ſtatum conſervavit, bene mortuorum etiam nomina à malo tutabitur; cumque fruſtra ſæviatur in hæc tria, unde ſibi ſatisfacere poſſit livor in aliis?

Ira autem impotens & malevolentia, quamvis fruſtra graſſentur & exardeſcant in defunctos, acuent tamen ſeſe ad agendum id quod poſſunt. Innocentius enim (quale hoc nomen immerenti!) non contentus Robertum excommunicaſſe, &, quantum in ſe fuit, ad cœlum ei ingreſſum præſcidiſſe, de illius etiam cadavere puniendo totus meditatur. Sed vide rei exitum ab eodem nobiliſſimo hiſtorico pulchrè depictum, pag. 883.

'Hoc etiam anno, *inquit* (*i. e.* 1254.) dominus *Papa* dum una dierum iratus ſupra 'modum, vellet cum malâ gratiâ omnium fratrum Cardinalium, oſſa Epiſcopi *Lincol-'nienſis* corporis extra Eccleſiam projicere, & ipſum in tantam infamiam præcipitare, ut 'Ethnicus, rebellis & inobediens per totum mundum acclamaretur; juſſit talem literam 'ſcribi Domino Regi Angliæ tranſmittendam; ſciens quòd ipſe Rex libenter deſæviret 'in ipſum & in Eccleſiam deprædandam. Sed nocte ſequenti apparuit ei idem Epiſco-'pus *Lincolnienſis* pontificalibus redimitus, vultuque ſevero, intuituque auſtero ac voce ter-'ribili ipſum *Papam* in lecto ſine quiete quieſcentem aggreditur & affatur, pungens ip-'ſum in latere ictu impetuoſo ſuo cuſpide *baculi*, quem bajulabat, *paſtoralis*; & dixit ei, '*Senebalde, papa miſerrime, propoſuiſtine oſſa mea, in mei & Eccleſiæ Lincolnienſis opprobrium, ex-'tra Eccleſiam projicere? Unde hæc tibi temeritas? Dignius foret ut tu, à Deo ſublimatus & 'honoratus, Dei zelatores, licèt defunctos, coleres. Nullam poteſtatem in me habere te Dominus 'amodo patietur. Scripſi tibi in ſpiritu humilitatis & dilectionis, ut errores tuos crebros corri-'geres: ſed tu monita ſalubria ſuperbo oculo & faſcinanti corde contempſiſti. Væ qui ſpernis; 'nonne & tu contemnêris?* Et ſic recedens pontifex *Robertus*, ipſum papam, qui quando, ut 'dictum eſt, pungebatur, ab alto ingemuit, quaſi lanceâ tranſverberatus, dereliquit ſemi-'necem, & voce flebili cum ſuſpiriis ingemiſcentem: unde camerarii ejus hæc audientes, 'attoniti interrogaverunt, quidnam hoc ſibi vellet? *Papa* verò cum gemitibus & ſuſpiriis 'reſpondit, dicens, *Terrores nocturni conturbaverunt me vehementer: nec mihi penitus ut prius 'reſtaurabor reſtitutus: Heu! heu! quantum latus doleo! ſum lanceâ* genio *lanceatus*: nec co-'medit nec bibit illa die; fingens ſe anhelis febribus inflammatum: nec adhuc quievit 'Domini ſuper eum ultio, cum indignatione.

Hæc hiſtoricus: prima pars hiſtoriæ tibi, lector, movebit bilem; cum videris Pontificem mortui etiam tumulo diripiendo paratum: ſecunda tibi excitabit admirationem; cum videris Epiſcopi, probris & injuria affecti *manes* Pontificem moleſtaſſe; ad tertiam verò ſupprime riſum, ſi poſſis, cum videris *papam* ab Epiſcopo vapulantem, & ad illius ictus

ictus clamantem *heu! heu! quantum doleo latus! quantum doleo latus! iste genius me lanceâ lanceavit*, ohe! ohe! ohe! maledictum istum *Lincolniensem!*

Siccine verò Innocenti? cave ergo tibi in posterum, ne mortuos irrites & sanctos incessas: superstites enim eorum spiritus nolunt exuvias suas contumeliosè tractari. En tibi Legatum *à latere* cœlitus missum! & si costæ tibi sint lividæ, memento livoris tui in defunctos hoc esse insigne.

Sed nobis iterum facessent negotium obtrectatores garruli quærendo unde hæc constat esse vera? videte, obsecro, vestrum historicum, non nostrum: hæc proculdubio erant in curiâ Pontificia notissima & in ore omnium trita; non ausus est Matthæus hujusmodi fingere de Pontifice Romano; sed quæ nuncio certo à Româ (hîc enim tunc temporis agebat Pontifex) acceperat, ea tradit memoriæ.

Rem paulò aliter narrat Henricus de Knighton (Canonicus Abbatiæ Leicestrensis sub tempora Richardi secundi) qui (colum. 2436. lib. de eventibus Angliæ, inter Decem Scriptores) ait, 'Contigit ut post biennium mortis Roberti apparuit papæ de 'nocte quiescenti quidam Episcopus pontificalibus indutus, sic inquiens, Surge miser & 'veni ad judicium; & statim cum baculo pastorali pupugit Papam in latere sinistro, 'usque ad cor: unde & lectisternium *Papa* inventum est mane sanguinolentum; & ipse 'defunctus. Sed hoc falsum est; vixit enim aliquandiu postea: hæc autem habuit Henricus ille à Ranulpho Cestrensi, quem liquidò constat eum sequutum esse, ut partim videbis ex primo vol. Johan. Foxii; partim verò ex præfatione doctissimi Seldeni ad Decem scriptores. Sed audiamus porrò Matthæum Paris; 'Direxerat autem Papa, '(*inquit ille pag.* 884.) iter illis diebus versus Neapolim; licèt in latere quasi pleuresi 'infirmatus, vel lanceâ sauciatus: nec potuit ei Cardinalis *Albi* physica suffragari: non 'enim pepercit Robertus Lincolniensis Sinebaldo Januensi: & qui vivum noluerat audire corripientem, senserat mortuum impingentem: nec unquam postea ipse *Papa* unum 'bonum diem vel prosperum continuavit usque ad noctem, vel noctem usque ad diem, 'sed insomnem & molestam: donec eodem anno (ut idem historicus p. 897.) in crastino beati Nicolai obiit apud Neapolim, duplici incommodo sauciatus: postquam 'enim Episcopus *Lincolniensis Robertus* in visione nocturnâ, cuspide baculi sui pastoralis 'ipsum in latere iratus pupugit, & impetuosè (ut prædictum est) impegit, pleuresi 'laboraverat irremediabiliter: & postquam exercitus suus à Conrado adversario suo 'victus est & dissipatus; nunquam postea vel mente vel corpore prosperè egit sed ad 'mortem sensim declinavit. Iste semivivus, jam moriturus, cum videret consanguineos suos circumstantes lugere, plangere, &, ut moris est ibi, ululare, & vestes & capillos decerpere; ille sublevans oculos in morte natantes, ait, *Quid plangitis miseri? Nonne 'vos omnes divites relinquo? Quid amplius exigitis?* Et hæc dicens, districtum Dei judicium subituram animam exhalavit.

'Accidit autem (*ut pergit Matthæus*) eadem septimanâ qua *Papa Innocentius* quartus migravit ab hoc seculo, visio quædam nocturna mirabilis cuidam Cardinali, cujus nomen supprimitur ad cautelam. Videbatur enim sibi quòd fuerat in cœlo 'coram majestate Domini sedentis pro tribunali; à cujus dextris stabat Beata Virgo mater ejus; à sinistris verò quædam matrona nobilissima corpore, & habitu venerabilis; quæ extento brachio supra manum sinistram deferebat quasi templum; & 'scribebatur in fronte templi illius, literis aureis, ECCLESIA: coram verò majestate Divinâ incurvatus Innocentius quartus, junctis manibus & erectis, flexisque genibus petens veniam & non judicium. Nobilissima autem mulier ait ex adverso, Juste 'Judex, rectè redde judicium: accuso enim eum super tribus. Primò, cum in terris 'Ecclesiam fundasses, libertatibus eam donasti, quæ à teipso processerunt; hic verò eam 'reddidit ancillam vilissimam. Secundò, fundata est Ecclesia salus peccatorum, ut scilicet 'lucrifaceret animos miserorum; hic verò fecit eam mensam nummulariorum. Tertiò, ☞ 'fundata est Ecclesia in fidei firmitate, justitiâ & veritate; hic verò fidem & mores 'fecit vacillare, justitiam sustulit, veritatem obumbravit: justum ergo judicium redde ☞ 'mihi: ait autem Dominus, Vade & pro meritis tuis mercedem apprehende; & sic ablatus est. Cum verò ex terrore sententiæ evigilasset Cardinalis, clamans, effectus est 'quasi extra se, ut omnes sui dicerent ipsum furere. Tandem mitigato dolore, visionem suam plenius cœpit enarrare, & publica facta est in partibus illis. Ista visio '(nescitur si fantastica) multos perterruit; & utinam cum effectu castigans emendavit.

Sic exitum vidimus *Innocentii Pontificis & Roberti Lincolniensis*: & ex hac Cardinalis visione fas est conjicere decessisse *illum* cum minori longè sanctitatis opinione quàm *hunc* excommunicatum.

Figmenta

Figmenta dicent adverſarii hæc eſſe, & ſomnia monachorum; quia nihil hujuſmodi reperitur in Platinâ cæteriſve Paparum biographis; negent autem illi quicquid lubet; & fingant, per me licet, quodcunque poſſunt in contrarium: quærant illi, ſi placet, unde tibi conſtat Epiſcopum illum pontificalibus indutum, qui Papam cubantem percuſſit, fuiſſe veſtrum Robertum? Quaſi Pontifex ipſe conſcius (qui rem non potuit celare, & ex cujus ipſius terrefacti narratione aliis innotuit) neſciiſſet *Robertum* à dæmone diſtinguere: cujus ingenium & ſpiritum multò antè Lugduni noverat, ſuperbiæ & negligentiæ Papali infenſiſſimum.

Obſervandum autem eſt interea, jacuiſſe poſtea *Roberti* corpus tam quietè & honorificè in Eccleſia *Lincolnienſi*, quàm *Innocentii*, in Cathedrali *Neapolitanâ*; & ſiquid veri vidit in ſomnio ille Cardinalis, eò detruſa eſt Papæ anima, unde non minimus metus alicujus poſtea cum *Roberto* conflictationis.

Baronius, Bellarminus, Poſſevinus & cætera Tridentophilorum turba ſtrenuè calumniantur Matthæo Paris, hæc & hujuſmodi ſcribenti & ejus editoribus (ut videmus in ejus hiſtoriæ editione Watſianâ). Sed hoc nihil eſt, cum nihil probent contra ejus vel illorum fidem: doctiſſimus & verax Iſaacus Caſaubonus (ut *ibidem*) omnem eorum maculam diluit & abſtergit ex ipſorum Manuſcriptorum vetuſtorum ἀντιψία· allatrent illi quantum volent; non minus tuti ſunt, Matthæus Paris ab eorum obtrectationibus, & ejus editores ab eorum malevolentiâ & iniquâ ſuggeſtione, quàm Epiſcopus *Lincolnienſis* à furentis Papæ minis & fulmine.

In ſummâ, quicquid hic Epiſcopus ſcripſerit hodiernæ Eccleſiæ Romanæ conſonum, & Reformatæ contrarium, quicquid ſcripſerit quod papiſtis arridet & nobis diſplicet; auſim tamen affirmare, tantam illius animo infixam fuiſſe contra corruptiſſimos Paparum mores, & ſceleratiſſimam ipſius curiæ avaritiam & libidinem, averſionem & faſtidium; tantam veritatis Evangelicæ dilectionem & ſtudium; tantam denique de *diſceſſione illa* (de qua loquuntur Cardinales in ejus apologia, & ipſe in ſermone coram Papâ ſatis clarè; ſed multò clarius S. Paulus) jam completâ opinionem, ut ſi vidiſſet ille quòd præſtitit Eccleſiæ Reformatio (in Chriſtianorum fide ad Sacræ Scripturæ normam reducendâ, in ritibus Eccleſiaſticis ſimplici & intemerato priſtinæ Eccleſiæ uſui accommodandis, in regimine Eccleſiaſtico ſuo juri reſtituendo, & impedimentis omnibus, quæcunque morum probitati Chriſtianæ obſuerunt, amoliendis) multo clarius rem intellexiſſet, juvandoque tam ſancto operi junxiſſet manum. Aſſeverare nolo omnes, quotquot à Reformatione extiterunt, præſules Lincolnienſes fuiſſe ſanctos: unum autem in eâ ſede fuiſſe dicam Epiſcopum, cujus commercio ſi hic *Robertus* fuiſſet uſus, papatui proculdubio ſtatim remiſiſſet nuncium: fuit ille *Robertus* alter; Sanderſonus ille magnus, alterum Academiæ Oxonienſis decus; vir nunquam ſine ſummo honore (ſeu illius doctrinam ſtupendam planè & profundam, ſeu niveum morum candorem, ſeu vitæ denique ſanctitatem ſpectes) nominandus. Si *Robertus* ille *Lincolnienſis Robertum* hunc *Lincolnienſem* noſſet, quanta fuiſſet ὁμοψύχων & ὁμονύμων & ὁμοταθῶν in ſe invicem charitas & amicitia! cum uterque animum habuerit veritati Chriſtianæ ſtudioſiſſimè addictum; affectum promovendo Dei timori ſedulò invigilantem: mentemque rerum mundanarum contemptricem & ſanctorum beatitudinis ſitientiſſimam: & quantum illi defuerit, præ denſâ, in qua natus eſt & vixit, ſuperſtitionis caligine, ab hoc, ſub fœlici & claro doctrinæ Chriſtianæ meridie nato & diu verſato, facilè potuerit ſuppleri. Hæc ego non eâ fiduciâ & certitudine audeo dicere, qua Salvator noſter (qui omnia perſpexit, nobis obſcuriſſima) de civibus * Tyri & Sidonis pœnitentiam olim acturis pronunciat, ſi earum virtutum fuiſſent participes, quas ſtupidè neglexerunt populi Chorazin & Bethſaidæ; abſit hæc à me & quocunque alio temeritas: ſed humanâ ſolùm probabilitate & conjecturâ fretus nequeo non ſperare hominem, qui tot & tanta mala à *papatu* provenientia vidit & queſtus eſt, & moribundus deploravit, voluiſſe omnino ab ejus conſortio recedere, ſi illi (ſicut nobis, Deo Opt. Max. gratias) fuiſſet exploratum penitus & perſpectum, ſeceſſionem ab Eccleſia Romanâ adeo non eſſe ſchiſmatis ream, ut ea prorſus fuerit neceſſaria ad fidem Chriſtianam ab impurâ contagione & corruptelis multis & magnis vindicandam; ad Regum & magiſtratuum jura in libertatem aſſerenda; populumque Chriſtianum in ſuo ad Deum & proximos officio erudiendum; & hæc omnia inter nos eſſe facta, ſalvâ totâ doctrinâ Evangelicâ. Et (quod me non parum conſolatur) ſiquid mea me fallat de hoc viro opinio, nemo mortalium poteſt contrarium evincere vel erroris me arguere, niſi certius ſciat fuiſſe impoſſibile *Robertum Lincolnienſem* ullis argumentis, ut aliter crederet quàm aliquando credidit, perſuadendum fuiſſe. Vivum igitur eum & in ſuperſtitionis tenebris palpantem foveant, per me licet, papiſtæ; at nos vendicamus eum moribundum & reſipientem, & in noſtro (cum nolint illi in ſuo) ſanctorum

* S. Matt. 11. 21.

ctorum memoriali collocamus, nequaquam dubitantes eorum rejectaneos tam charos esse Deo & bonis omnibus, quàm possint esse in eorum calendariis *miniatissimi.* Sed præstolaris, Lector, ejus Constitutiones Episcopales; quas tibi demum reddo è codice Cottoniano descriptas & ad codicem Sidneiensem collatas: ex illis liquet quàm diligenter munus suum obiit Episcopus pro illorum temporum ratione: quæ autem papatum & superstitionem rancidè olent, istius ævi ignorantiæ ascribas oportet; nunquam autem obliviscere morientis authoris sermonem, aut Innocentii Pontif. plangentis & vociferantis pleuresim à Roberto inflictam; non minus papatum quàm papam contusuro, si meliori tempore vixisset.

CONSTITUTIONES EJUSDEM

Roberti Episcopi Lincoln. Rectoribus Ecclesiarum, vicariis, sacerdotibus parochialibus ejusdem dioecesis directæ.

Debentes de vobis rationem bonam reddere (quæ ratio, secundum Augustinum, est dicere, non tacere; flere cum dicimus & non audimur) sub silentio transire non possumus quæ vobis scire & observare necessarium credimus. Quia igitur sine Decalogi observatione salus animarum non consistit, exhortamur in Domino, firmiter injungentes, ut unusquisque pastor animarum & quilibet sacerdos parochialis sciat Decalogum, i. decem mandata legis Mosaicæ; eademq; populo sibi subjecto frequenter prædicet & exponat. Sciat quoque quæ sint septem criminalia, eademque similiter populo prædicet fugienda: sciat insuper, saltem simpliciter, septem Ecclesiastica sacramenta; & hi qui sunt sacerdotes maximè sciant quæ exiguntur ad veræ confessionis & pœnitentiæ sacramentum, formamque baptizandi, doceant frequenter laicos in idiomate communi: habeat quoque quisque eorum saltem simplicem fidei intellectum, sicut continetur in symbolo, tam majori quàm minori & in tractatu qui dicitur [Quicunque vult] qui quotidie ad primam in Ecclesiâ psallitur. Eucharistia autem, quæ sacramentum est Dominici corporis, in loco singulari mundo & signato semper honorificè collocata, devotè ac fideliter conservetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem suam ut cum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet: ☞ idem faciens cum eam portet presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu, supposito mundo velamine, ferat & referat manifestè ac honorificè ante pectus cum reverentiâ & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ; ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur; quemadmodum in generali Concilio scribitur: tintinnabulum quoque simul cum lumine venerandam corporis Christi hostiam semper præcedat, ut ejus sonitu excitetur fidelium devotio ad tanti sacramenti debitam adorationem. Observent etiam sacerdotes cum omni diligentia ne sacra Eucharistia ☞ per vitium aut diutinam conservationem contraxerit humiditatem seu mucorem, unde reddatur vel turpis aspectui vel gustui abominabilis. Sacerdotes autem promptissimi sint & paratissimi, non solùm diebus sed & noctibus, ut ægrotantes, cum requiruntur, visitent; ne eorum negligentiâ, quod absit, moriatur infirmus sine confessione aut Dominici corporis communicatione, aut unctione extremâ. * Super altaria quoque sint honesta & congruentis magnitudinis firmiterque fixa in circumdante ligno ut non moveantur ab ipso, neque usurpentur ad alios usus quàm ad divinorum celebrationem, ut videlicet non molantur super eâ colores, nec aliqua fiant in eis consimilia. Panni etiam chrismales in usus seculares non convertantur. In Ecclesia quoq; divinum † officium integrè fiat & devotè: ut videlicet lectiones, hymni, psalmi & alia quæ in Dei laudem recitantur in Ecclesia, integram habeant verborum prolationem, mentisque ad sensus verborum devotam attentionem; ne, quod absit, pro hostia integra & vivâ offeratur hostia mutilata * vel mortua. Omnes quoque pastores animarum & sacerdotes parochiales, finitis in Ecclesia divinis officiis, orationi & lectioni Sacræ Scripturæ diligenter intendant, ut per scripturæ intelligentiam, sicut ad eorum pertinet officium, parati sint semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de spe & fide: sintque semper inserti in doctrina & operatione scripturæ tanquam vectes in annulis Arcæ, ut assidua lectione veluti quotidiano cibo alatur & pinguescat oratio. Provideant etiam attentius Ecclesiarum rectores &

* Fort. Super-altaria.

† Cod. Sidn. servitium.

* & Id.

& sacerdotes parochiales ut pueri parochiarum suarum diligenter doceantur & sciant orationem Dominicam & symbolum & salutationem beatæ Virginis & crucis signaculo se rectè consignare. Et quia, ut audimus, etiam quidam adulti hæc ignorant, præcipimus ut cum laici ad confessionem accedunt, diligenter examinentur, utrum scierint prædicta, & secundum quod expedit in eis à sacerdotibus instruantur. Et quia mundi debent esse, sicut ait Isaias, qui ferunt vasa Domini, pollutumque non tangere, exhortantes præcipimus ut omnes beneficiati & infra sacros ordines constituti vitium luxuriæ omnemque voluntariam carnis immunditiam fugiant, continentiæ servantes puritatem; nullusque eorum uxorem ducat; & si quis, antequam esset in sacris ordinibus constitutus, uxorem duxerit, beneficium Ecclesiasticum non teneat, neque in sacris ordinibus si eos postea acceperit, ministrare præsumat. Cumque non solùm à malo sed ab omni specie mali abstinendum sit, inhibemus firmiter ne clerici sine rationabili & manifesta causa frequentent sanctimonialium monasteria & ne quisquam sacerdos retineat fœminam in domo sua sive cognatam sive aliam, unde possit rationabiliter mala de ipso oriri suspicio. Et quia in Levitico dicit Dominus ad Aaronem *, Vinum & omne quod inebriare potest, non bibas tu & filii tui quando intrabis in tabernaculum testimonii, ne moriamini; cum Aaron & filii sui sacerdotes veteris legis gerant typum sacerdotum hujus temporis, vinum quoque ac cætera inebriantia typum ebrietatis, sacerdotes quoque † die ac nocte debeant mysticè in tabernaculo manere observantes custodias Domini ne moriantur, sicut in eodem libro scriptum est; firmiter inhibemus ne quiquam beneficiati vel in sacris ordinibus constituti, sint ebriosi seu gulosi aut tabernas exercentes, ne morte æterna, secundum legis comminationem, moriantur: sed actu abstinentiæ & sobrietatis seipsos reddant habiles ut secundum doctrinam Dei habeant scientiam discernendi inter sacrum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceantque populum omnia legitima Domini quæ locutus est per manum Moysis. Quia etiam Levitis dictum est quòd non habebunt partem hæreditatis inter filios Israel, per quod abscinditur à ministris Ecclesiæ omnis fomes cupiditatis & turpis lucri, exhortantes firmiter præcipimus ne beneficiati aut sacris ordinibus ornati negotiationes exerceant, neque aliquid accommodent ad usuram, sed sicut præcipit doctrina Evangelica, mutuum dent nihil inde sperantes, neque dent aut recipiant Ecclesias aut Ecclesiastica ad firmam, nisi in casibus à Conciliis concessis. Ad amputandum quoque omnem cupiditatis speciem, inhibemus firmiter non solùm ordinaria sed speciali auctoritate apostolicâ, ne beneficiati vel ad sacros ordines promoti sint vicecomites vel justitiarii seculares vel ballivas teneant, unde laicis potestatibus obligentur ad ratiocinia de ballivis eisdem reddenda. Inhibemus quoque districtius ne aliquis rector Ecclesiæ faciat hujusmodi pactum cum suo sacerdote, viz. quòd ipse sacerdos præter cætera stipendia poterit recipere * annualia & tricennalia; quia hujusmodi pactio manifestum est indicium quòd sacerdos eo ipso recipit exilius stipendium: necesse quoque est ut aut non perficiat annualia vel tricennalia, aut in Ecclesiâ parochiali non ritè perficiat divina obsequia: ipsis autem sacerdotibus sufficiens & honesta tribuatur sustentatio ab Ecclesiarum rectoribus, ne propter diminutam sustentationem oporteat Ecclesias divinis obsequiis carere, aut ipsos sacerdotes lucris turpibus inhiare, seu victum mendicare.

* Levit. 10. 9.

* Cap. 8. 35.

* Vide glossaria.

Inhibemus etiam firmiter ne laicis quibuscunque committantur ad firmam liberæ terræ de dominiis Ecclesiarum, nisi forte iidem laici fuerint earundem Ecclesiarum servi; & tunc hoc fiat de licentiâ diœcesani. Et ne rectores vel vicarii de bonis Ecclesiæ ædificent in laico feodo extra fundum Ecclesiæ; & similiter ne decimæ in laico feodo reponantur sed in fundo ipsius Ecclesiæ.

Præcipimus etiam ut redditus assignati per devotionem laicorum ad luminaria vel ad alios usus honestos in ipsis Ecclesiis, non convertantur per ipsos rectores in usus & emolumenta eorundem.

Prohibemus quoque firmiter ne die sanctæ paschæ recipiantur oblationes laicorum post missam quando communicant; quia hoc est cupiditatis manifestum indicium & devotionis communicantium evidens detrimentum.

Hortamur etiam præcipientes ne mimis, joculatoribus aut histrionibus intendant, neque ad aleas seu taxillos ludant aut ludentibus assideant; quia licèt hæc quibusdam videantur levia, tamen, secundum sanctorum patrum doctrinas, qui talia faciunt, dæmonibus præstant sacrificia.

Et quia in clero nihil debet splendere nisi Jesu Christi humilitas & Evangelica perfectio, quæ consulit quòd siquis te percusserit in dextram maxillam, præbeas ei & alteram; monemus præcipientes ne clerici arma portent; sed coronam & tonsuram habeant ordini congruentem & habitum convenientem tam sibi quàm suis equitaturis, secundum

cundum quod determinant ſancta Concilia. Præcipimus etiam non ſolùm noſtrâ ſed ſpeciali auctoritate Apoſtolicâ, ne aliqui retineant plures curas animarum, cum quibus per ſedem Apoſtolicam non eſt ſuper hoc diſpenſatum: ſimiliter quòd filii proximò miniſtrantium, Eccleſias in quibus immediatè * ſucceſſerunt patribus, penitus reſignent, & patroni idoneos ad eaſdem Eccleſias præſentent.

* Argumentum hoc eſt nondum extincti conjugii ſacerdotalis; quicquid à Lanfranco uſque Eccleſiæ corruptore, à Papalinis fuerat attentatum: fundatur autem hæc Epiſcopi conſtitutio in conſtitutione Othonis legati, Concilium in Eccleſiâ S. Pauli Londinenſis celebrantis A. D. 1237. ut vides in Matt. Paris, p. 452.

Audimus autem (unde non mediocriter dolemus) quòd quidam ſacerdotes extorquent pecuniam à laicis pro pœnitentiâ, ſeu aliis ſactis miniſtrandis, & quòd quidam turpis lucri plenas injungunt pœnitentias; quales ſunt quòd mulier cognita à viro ſuo poſt partum ante purificationem ſuam, deportet deinceps oblationem ad altare cum qualibet muliere purificandâ in eadem parochiâ; & quòd homicida vel qui alterius mortem procuravit, offerat pro quolibet mortuo in eadem parochiâ. Hæc igitur & hujuſmodi, quia cupiditate ſunt plena, penitus inhibemus; & ne quiſquam ſacerdos injungat annualia vel tricennalia ex conſimili cupiditate; ut ipſe videlicet inde conſequatur emolumentum.

Audimus quoque quòd quidam *ſacerdotes* faciunt ſuos *diaconos* audire parochianorum ſuorum confeſſiones; quod quàm abſurdum ſit, non eſt opus commonere; cum evidenter verum ſit, quòd diaconis non eſt tradita poteſtas ligandi atque ſolvendi; ipſique ſacerdotes ex hoc non quærant niſi otium aut ſpacium intendendi negotiis ſecularibus: propterea firmiter inhibemus ne *diaconi* confeſſiones audiant, aut pœnitentias injungant, nec alia ſacramenta miniſtrent quæ conceſſum eſt *ſolis ſacerdotibus* miniſtrare.

Volumus quoque & præcipimus ut ſinguli beneficiati promoveantur ad ordines quos cura, quam ſuſceperunt, exigit.

Ad hæc, auctoritate ſpeciali apoſtolicâ commonemus & præcipimus ut omnes rectores Eccleſiarum & vicarii reſidentiam faciant in beneficiis ſuis; converſantes in eiſdem laudabiliter & honeſtè; niſi fuerit ob cauſam rationabilem, ut in Eccleſiis ſuis non reſideant, cum eis diſpenſatum.

In ſingulis quoque Eccleſiis, quarum facultates ad hoc ſufficiunt, ſint unus diaconus & unus ſubdiaconus in eiſdem ut decet miniſtrantes: in aliis verò Eccleſiis ſaltem ſit clericus unus idoneus & honeſtus, qui ſacerdoti cum habitu convenienti in divinis miniſtret officiis.

Præcipimus etiam firmiter auctoritate Evangelicâ & etiam de ſpeciali indulgentiâ apoſtolicâ ne in locis ſacris habeantur mercata; cum Dominus ementes & vendentes de templo ejecerit, ne domus orationis fieret ſpelunca latronum: adjicientes ad hujuſmodi ut cœmeteria ſint bene clauſa; & tam Eccleſiæ quàm domus ad eas pertinentes, competenter ſecundum Eccleſiarum facultates ædificatæ, ipſæque Eccleſiæ decenter ornatæ tam in libris quàm vaſis ſacris & veſtimentis; & quòd ornamenta & vaſa ſacra ſint de noctibus ſub tutâ & honeſtâ cuſtodiâ, nec reponantur in domibus laicorum, neque ſub eorum cuſtodiâ, niſi rationabilis & evidens ad hoc compulerit neceſſitas.

Execrabilem etiam conſuetudinem, quæ conſuevit in quibuſdam Eccleſiis obſervari de faciendo * feſto ſtultorum, ſpeciali authoritate reſcripti apoſtolici penitus inhibemus; ne de domo orationis fiat domus ludibrii, & acerbitas circumciſionis Domini Jeſu jocis & voluptatibus ſubſannetur.

* De hoc feſto abrogando monuit Epiſcopus Decanum & Capit. Linçoln. in Epiſt. 32. quibus autem ineptiis & ceremoniarum deliramentis hoc *ſtultorum feſtum* peractum eſt, nondum legi: de eo conſulendi ſunt ſcriptores rituales. Ex actu ultimo Seſſionis 21. Concilii Baſileenſis (in quo damnatum erat ſub nomine *feſti fatuorum*, A. D. 1435.) videtur idem fuiſſe cum illo de quo vir doctus Johannes Gregorius Oxonienſis tractat in *Epiſcopo puerorum:* quicquid demum fuit & quibuſcunque ritibus inhoneſtis actum, indicat miſeram iſtius ævi cæcitatem. Vide decreta Concilii Baſileenſis edita à Sebaſtiano Brand. Baſil. A. D. 1499. quæ longè cæteris recentioribus honeſtior eſt illius Concilii editio.

Inhibemus quoque ne aliqui ſacerdotes celebrent de aceto; & quia quiſque artifex arti ſuæ pluſquam alienæ debet intendere, præcipimus ut rectores animarum arti regiminis animarum vigilanter intendant, cum *ars artium* ſit, teſte beato Gregorio, regimen animarum; & ut ab hoc non avertantur, diſtrictius inhibemus ne quiſquam eorum audiat in ſcholis vel doceat leges ſeculares.

Præcipimus

Præcipimus quoque ut in qualibet Eccleſia *canon miſſæ* ſit rectè correctus. Præcipimus etiam ut in ſingulis Eccleſiis denuncietur ſolenniter ne quiſquam levet *arietes ſuper rotas*, vel alios ludos ſtatuat in quibus decertatur pro bravio; nec hujuſmodi ludis quiſquam interſit. Prohibeantur ſimiliter compotationes quæ vulgo dicuntur *ſcotales*: omnes quoque ludi & placita ſecularia à locis ſacris omnino arceantur: frequenti quoque prædicatione commoneatur ne matres vel nutrices parvulos ſuos in lectis ſuis juxta ſe collocent. Clandeſtina quoque matrimonia diſtrictius inhibeantur; nec permittant rectores Eccleſiarum & ſacerdotes parochiales quòd parochiæ eorum in annua viſitatione matricis Eccleſiæ decertent cum vexillis ſuis præire; quia inde ſolent tam pugna quàm mors provenire. Præcipimus etiam dictrictius ut in ſingulis Eccleſiis ſolenniter denuncietur ne quiſquam ſcienter & prudenter concubinas clericorum, niſi fortè tranſitum facientes hoſpitio ſuſcipiat; tunc cautius providens ne in eodem hoſpitio clericus fornicator hoſpitetur.

Ad hæc adjicimus ne laici ſtent vel ſedeant inter clericos in *cancello* dum divina ibidem celebrantur; niſi fortè ob reverentiam vel aliam rationabilem cauſam hoc ſolis patronis permittatur.

Et quia in multis Eccleſiis, ut credimus, non eſt ſcriptum *Oxonienſe* Concilium; principium ipſius de *excommunicationibus* in eodem concilio factis ad terrorem malitioſorum & eorum refrænationem duximus hîc adjungendum eiſdem verbis quibus in eodem concilio ſcriptum eſt; præcipientes ut dictæ excommunicationes ſingulis annis in ſingulis innoventur Eccleſiis; cujus principii tenor eſt talis.

Ex auctoritate Dei Patris & beatæ Virginis & omnium ſanctorum & præſentis Concilii excommunicamus omnes illos qui Eccleſias malitioſè ſuo jure privare præſumunt, aut per malitiam earundem libertates infringere vel perturbare contendunt: item omnes illos excommunicationis ſententia innodamus qui pacem & tranquillitatem Domini Regis & regni injurioſè perturbare præſumunt, & qui jura Dom. Regis injuſtè detinere contendunt. Adjicimus omnes illos ſimili ſententiâ involutos qui ſcienter & prudenter falſum perhibent teſtimonium, vel perhibere procurant, vel etiam qui tales teſtes ſcienter producunt vel ſubornant in cauſâ matrimoniali, ubi ſcilicet agitur contra matrimonium, vel ad alicujus exhæredationem. Advocatos omnes quoque excommunicamus qui in cauſis matrimonialibus malitioſè exceptiones apponunt vel apponere procurant nè matrimonia vera debitum ſortiantur effectum; vel ut contra juſtitiam proceſſus cauſa diutius ſuſpendatur.

Item excommunicamus omnes illos qui gratiâ lucri vel odii vel favoris vel aliâ quacunque de cauſâ alicui malitioſè crimen imponunt, cum infamatus non ſit apud bonos & graves, ut ſic ſaltem ei purgatio indicatur, vel alio modo gravetur.

Præterea omnes illos excommunicationis ſententiâ innodamus qui vacante Eccleſiâ malitioſè opponunt, vel procurant opponi patronatûs quæſtionem, ut ſic verum patronum illius Eccleſiæ collatione, ſaltem illâ vice, defraudent. Excommunicamus etiam omnes illos qui gratiâ lucri vel odii vel aliter contemnunt exequi mandatum Dom. Regis contra excommunicatos editum, claves Eccleſiæ contemnentes.

Hæc igitur volumus & præcipimus ſicut canonicè ſtatuta ſunt, à vobis reverenter & firmiter obſervari; ſciantque contemptores & tranſgreſſores horum, ſi ritè ſuper contemptu aut tranſgreſſione convicti ſeu confeſſi fuerint, nos eos pro poſſe noſtro, adjuvante Domino Jeſu Chriſto canonicè punituros.

Harum autem Conſtitutionum in eodem MS. compendium & ſumma proximè ſequitur hoc modo

Hæc

Hæc subscripta continentur per ordinem in litera hujusmodi præcedente, quæ intitulantur Constitutiones, &c. vide principium, &c.

Sciant	Decalogum. Septem criminalia. Septem sacramenta. Simpliciter fidem.	De honoratione Eucharistiæ & custodiâ. Quòd sacerdotes sint prompti ad infirmos visitandos. Quòd super altaria sint honesta.

Quòd panni chrismales non convertantur in usus seculares.
Quòd verba in divinis integrè proferantur cum mentis attentione.
Quòd intendant lectioni & orationi.
Quòd instruant subditos in oratione Dominicâ & symbolo.
Quòd sint continentes. Quòd non sint uxorati.
Quòd non frequentent *sanctimonialium* monasteria sine rationabili causâ.
Quòd non teneant in domibus suis mulieres, de quibus possit esse mali suspicio.
Quòd non sint ebriosi aut tabernas frequentantes.
Quòd non dent ad *firmam* vel recipiant Ecclesias vel Ecclesiam nisi in casibus concessis; unde obligentur laicis ad ratiocinia.
Quòd non sint vice-comites vel justitiarii vel teneant ballivas.
Quòd cum sacerdotibus non fiat pactio, ut possint recipere annualia vel tricennalia.
Quòd sacerdotes habeant rationabilem sustentationem.
Quòd laicis non dentur ad *firmam* liberæ terræ Ecclesiarum.
Quòd non ædificent de bonis Ecclesiæ in laico feodo, nec decimas reponant.
Quòd redditus assignati ad luminaria non convertantur in alios usus.
Quòd laici in die Paschæ non simul offerant & communicent.
Quòd non intendant histrionibus, aut ludant ad aleas vel talos.
Quòd clerici arma non portent, sed habeant tonsuram & habitum congruentes.
Quòd nullus habeat plures curas sine *dispensatione*.
Quòd filii proximè ministrantium dimittant sua beneficia.
Quòd sacramenta aut sacramentalia non vendantur.
Quòd sacerdotes non injungant pœnitentias ex cupiditate.
Quòd diaconi non audiant confessiones aut sacramenta ministrent, solis sacerdotibus concessa, &c.
Quòd ordinentur, secundum exigentiam suæ curæ.
Quòd faciant residentiam.
Quòd Ecclesiæ bonæ habeant diaconos; minores verò habeant saltem honestos clericos: ritè custodiantur.
Quòd mercata non sint in locis sacris.
Quòd cœmeteria sint bene clausa, & Ecclesiæ, & domus Ecclesiarum ædificatæ competenter & Ecclesiæ ornatæ & ornamenta & vasa sacra.
Quòd *festum stultorum* penitus tollatur.
Quòd non celebrent de aceto.
Quòd non audiant vel doceant leges seculares.
Quòd *Canon missæ* sit correctus.
Quòd ludi, in quibus decertatur pro bravio, prohibeantur & scotales.
Quòd in locis sacris non sint ludi aut placita secularia.
Quòd parvuli non jaceant juxta matres vel nutrices.
Quòd clandestina matrimonia prohibeantur; & decertatio quis præeat cum vexillo.
Quòd nullus teneat in hospitio suo concubinas clericorum.
Quòd laici non sint in cancello inter clericos dum celebrantur divina nisi forte solus patronus.
Quòd excommunicationes Oxon. Concilii singulis annis innoventur.

Ex.

Ex hiſce *Conſtitutionibus*, Lector, vides curam iſtius temporis Epiſcopalem, & nonnihil de ſtatu Eccleſiæ Anglicanæ ſub ruderibus diſciplinæ priſcæ exoleſcentis obrutæ: ſed ut multæ nugæ & ineptiæ, antiqui regiminis Eccleſiaſtici locum aliquando occuparunt; ſic in iſtarum nugarum & ineptiarum locum ſucceſſit apud nos diſciplina ſolidior, quam ſubvertere incaſſum hodie moliuntur Romaniſtæ: cum nihil tam Anglis exoſum quàm vel nomen Jeſuitarum & Monachorum, quicquid Pontifex & Cardinales ſibi blandiantur:

Hæc hactenus de Roberto Lincolnienſi: cujus opuſcula excipiunt non immeritò

Antiqua Regni & Eccleſiæ Angliæ Gravamina.

E. B. Lectori Salutem.

INdicium eſt & argumentum irrefragabile, iniquiſſimè adminiſtratæ Eccleſiæ, & collapſæ diſciplinæ, & morum cleri Pontificii minimè ferendorum, cum tot gentes Chriſtianæ unâ voce tam miſeras de papatu querelas & gravamina, undique coacervarint & reſonuerint: Chriſtus enim Salvator noſter (cujus doctrinâ cœleſtiſſimâ ſemper regenda eſt Eccleſia ſua) jugum * ſuum facile & onus ſuum leve pronunciavit: jugum igitur papæ (*cervicibus* Chriſtianorum *impoſitum, quod neque patres noſtri neque nos portare valuimus*, nec volemus) ejuſque *onera gravia difficiliaque portatu*, quàm diverſiſſima fuerunt à jugo & onere Domini noſtri Jeſu Chriſti, eaque ipſâ differentiâ ſeſe produnt fuiſſe antichriſtiana. Superiori ſeculo exhibuit Germania gravamina decem; (ut pag. 334. Faſciculi vides) quæ quia non tollebantur, ſubitò excreverunt in centum (ut in ejuſdem Faſcic. 352.) & tantæ fertilitatis eſt hæc ſcandalorum ſeges, ut in mille jampridem pullulaverint, niſi ea Principes ipſi extirpaſſent, cum id noluerint Pontifices. Si memoriæ fuiſſent tradita, aut nobiſcum ſaltem communicata, omnia hujuſmodi gravamina quæ ubique terrarum quælibet Chriſtiani orbis pars quoque tempore congeſſit contra Pontifices, in Orientali non minus quàm Occidentali Eccleſiâ, quanta foret eorum moles & acervus? Sed callidiſſimè hîc fuerunt delinita populi Chriſtiani ora, nequid palam quererentur, eoſque demulſerunt ſacerdotes ad injurias religioſè ferendas: illic publicè toti mundo propoſitæ ſunt querimoniæ & lamenta; ſed impiè celata ſunt omnia ne in proximi ævi notitiam devenirent. *Non ponitur Johanna papiſſa in catalogo Pontificum* (verba ſunt Martini ipſius Papæ pœnitentiarii in MS. hiſtoriâ penes Tho. Waggſtaff Rectorem S. Margaretæ Patton. Lond.) *propter muliebris ſexûs quantum ad hoc, deformitatem*: in libro impreſſo paulò aliter habentur. Nemo neſcit opprobria iſtiuſmodi delenda eſſe omnino, quæ veritatem de papatu produnt periculoſam: & ſi ego eſſem aliquandiu juxta Schelſtratium (*Manuſcriptificem Vaticanum*) in bibliotheca illâ elegantiſſimâ pariter ac nobiliſſimâ, ut aliquando fui, credo me potuiſſe invenire codices aliquos qui majorem longè veteribus aliquot papis infamiæ notam inurunt, quàm literæ iſtæ amatoriæ, quas Henrici octavi manu exaratas Anglis oſtentant bibliothecarii cum triumpho inepto, Principi illi poſſunt inurere; niſi monumenta illa veridica & periculoſa è medio ſuſtulerint, mutarint aut deleverint; in quibus omnibus artem ſuam ad unguem callent librarii iſtius loci. Sed quod nobis denegabit bibliotheca illa, amiciſſimè concedent noſtræ, eâ nequaquam inferiores in quovis literarum genere. Majores noſtri non minus conſcii extortionum & ſubſidiorum papalium ad oppreſſionem populi, quàm exemptionum & proviſionum ad oppreſſionem cleri, ubique vociferati ſunt & remedium petierunt honeſtum. Hæc omnia literis mandantur fideliſſimè à noſtris hiſtoricis, qui ex innatâ in patriam ſuam oppreſſam benevolentiâ diligenter caverunt ne à poſteris neſcirentur. Hæc quæ ſequuntur deſumpſi ex Matthæo Paris pag. 666. (de quo numero nunquam cogito ſine cogitatione ejuſdem explicati à S. Irenæo) cui ſi adjungas quæ narrant Annales Monaſterii Burtonenſis pag. 297. & 309. &c. unà cum harum rerum narratione Matthæi Weſtmonaſterienſis (pag. 327. &c. edit. Francof. 1601.) patebit tibi ſtupiditas admiranda iſtius temporis, non aliunde remedia quàm à papâ quærentis. Cum convocatum igitur fuiſſet concilium Lugdunenſe ab Innocentio IV. Pontifice, Rex Henricus tertius & totum regnum procuratores ad concilium miſerunt, querelis eorum nomine onuſtos, ut hic habes in ipſis hiſtorici noſtri verbis———

‘Aſſidentibus ibidem Anglicanæ Univerſitatis procuratoribus prænominatis (*quos vides* ‘*pag.* 659.) magiſter Willielmus de Poweric eorum procurator aſſurgens, gravamina ‘regni Angliæ, ex parte Univerſitatis Angliæ, proponens ſatis eleganter, conqueſtus eſt graviter;

* Matt. 11: vult.

'graviter, quòd tempore belli per curiam Romanam extortum est tributum injuriosè, in 'quod nunquam patres nobilium regni vel ipsi consenserunt nec consentiunt, neque in 'futurum consentient: unde sibi petunt exhiberi justitiam cum remedio: ad quod papa 'nec oculos elevans, nec vocem, verbum non respondit: & post paululum silentii di- 'ctus Willielmus proposuit de multiformi redditnum extortione in Anglia per curiam 'Romanam factam, hanc ostendens epistolam,

'*Reverendo in Christo patri, Innocentio, Dei gratiâ summo Pontifici, magnates & universitas regni Angliæ, recommendationem, cum pedum osculo beatorum.*

Epistola Universitatis Angliæ super extortionibus curiæ Romanæ.

'MAtrem nostram Romanam Ecclesiam totis visceribus diligimus & amamus, ut 'debemus; & ipsius honoris incrementum & augmentum affectione quanta possu- 'mus, affectamus; ad quam habere refugium nos oportet temporibus opportunis; ut 'dolor aggravans filialis materno solatio mitigetur. Quod quidem solatium mater filio 'eò tenetur mitius & facilius impertiri, quo ipsum maternæ dulcedinis alimento gra- 'tum repetit & devotum. Esse quidem non potest immemor mater illa illius gratitu- 'dinis quam ei à longè retroactis temporibus regnum *Anglicanum* impendit; conceden- 'do eidem ad exaltationem suam & conservationem majorem, subsidium decens & non 'modicè fructuosum; ut per hoc inter Ecclesiam ipsam & Regnum prædictum fœdus 'dilectionis firmiter ineretur. Quod quidem subsidium, processu temporis, beati *Petri* '*denarius* extiterit nuncupatum. Ipsa verò Ecclesia hujusmodi subsidio non contenta, 'aliis temporibus tam per legatos quàm per alios nuncios multiplicatos, subsidia petebat 'diversa in Regno prædicto; quæ ei à filiis suis tanquam devotis & matrem suam sinceræ 'dilectionis brachiis amplexantibus, fuerunt concessa liberaliter & libenter. Paterni- 'tatem etiam vestram non credimus ignorare quòd Prædecessores nostri, sicut viri catho- 'lici, Creatorem suum diligentes pariter & timentes, animarum suarum & Prædeces- 'sorum suorum, necnon & successorum saluti insistere cupientes, monasteria fundave- 'runt, & bonis suis, tam terris dominicis quàm Ecclesiarum patronatibus ditaverunt; 'ut viri religiosi in monasteriis illis primam religionem laudabiliter exercentes & cum 'summâ devotione Altissimo famulantes, pace & plenâ tranquillitate possent gratulari, 'prout religioni dignoscitur convenire, de dictis dominicis necessaria capientes. Et ut 'clerici sui patronatuum suorum Ecclesias obtinentes, pro eis labores subirent exterio- 'res, & eos defenderent, inhærentes religioni secundæ, ab incursibus aliorum. Qua- 'propter non sine magnâ molestia nostrâ & gravamine intolerabili nobis valdè, præfati 'religiosi possent patronatibus suis, aut Ecclesiarum collationibus aliquatenus defraudari. 'Sed ecce per vos & prædecessores vestros, nullam considerationem habentes quòd præ- 'ter subsidia supradicta jam ditantur in *Angliâ Italici* (quorum est jam numerus infinitus) 'Ecclesiis ad ipsorum religiosorum spectantibus patronatus, qui rectores Ecclesiarum 'dicuntur, præfatos religiosos, quos deberent defendere, relinquentes penitus indefen- 'sos, nullam curam animarum gerentes, sed lupos rapacissimos gregem dispergere & 'oves rapere permittentes. Unde verè dicere possunt quòd non sunt boni pastores, 'quoniam oves suas non cognoscunt, nec pastorum notitiam oves habent. Hospitali- 'tati eleemosynarumque largitioni, sicut statutum est in Ecclesiâ, non insistunt: sed 'fructus tantùm percipiunt, extra Regnum asportantes; Regnum non mediocriter de- 'pauperando & redditus occupando. Quibus redditibus fratres, nepotes, consangui- 'nei nostri & cæteri bene meriti de *Regno Angliæ* prædicto beneficiari tenerentur; qui 'possent & vellent dicta charitatis opera & etiam plura alia misericorditer & piè ex- 'ercere, & Ecclesiis ipsis personaliter deservire; ut *qui altari deserviunt, vivant etiam de* '*altari*, * secundum dictum Pauli. Ipsi verò nunc necessitate compulsi, laici & exules 'sunt effecti. Ut autem vobis veritas plenius innotescat, *Italici* percipientes in *Angliâ* 'sexaginta millia marcarum & eo amplius annuatim (aliis perceptionibus diversis ex- 'ceptis) plus emolumenti meri redditûs de Regno reportant, quàm ipse Rex, qui est 'tutor Ecclesiæ & Regni gubernacula moderatur. Porrò, post creationem vestram fir- 'miter sperabamus, & adhuc speramus, eam de vobis fiduciam reportantes, quòd vestræ 'paternitatis misericordia mediante gaudebimus eleemosynas nostras prædictas tempore 'vestro fore statui debito & pristino reformandas.

* 1 Cor. 9. 13.

'Sed tacere non possumus gravamen nostrum; quo non solùm gravamur, sed etiam 'opprimimur ultra modum: videlicet, quòd magister *Martinus* præfatum regnum sine 'Domini Regis licentiâ, cum majori potestate quàm unquam vidimus habere legatum à 'Dom.

'Dom. Rege postulatum, nuper ingressus (licèt non utens legationis insigniis, multipli-'cato tamen legationis officio) novas quotidie proferens potestates inauditas; excedens 'excedit: quædam beneficia jam vacantia, triginta marcas vel amplius annuatim va-'lentia, personis *Italicis* conferendo: quibus decedentibus & patronis ignorantibus, 'alii supponuntur; & sic patroni suis collationibus defraudantur. Adhuc etiam idem 'Magister Martinus beneficia consimilia, cum ea vacare contigerit, personis nititur assig-'nare; quorundam beneficiorum collationem sedi apostolicæ reservando, & à viris reli-'giosis pensiones immoderatas insuper extorquendo; contradictores & resistentes excom-'municationis & interdicti sententiis passim, non absque magno discrimine & animarum 'periculo, supponendo. Cùm igitur præfatus Magister *Martinus*, non sine totius Regni 'perturbatione non modicâ, jurisdictionem exercens memoratam, quam à conscientiâ 'vestrà credere non possumus emanasse, eò quòd in multis majori fungeretur offi-'cio quàm unquam fungi legatum aliquem videremus, privilegio Dom. Regis admo-'dum derogando, per quod ei à sede apostolicâ specialiter indulgetur nequis in *Angliâ* 'legationis fungatur officio, nisi à Dom. Rege specialiter postulatus; sanctæ paternitati 'vestræ supplicamus quantum possumus humiliter & devotè, quatenus (cum pius pater 'ad relevationem oppressionis filiorum manum misericordiæ teneatur extendere) ab op-'pressionibus & gravaminibus memoratis nos velit vestræ paternitatis benignitas tempe-'stivo ac efficaci remedio citò relevare. Quantumcunque namque Dom. noster Rex, 'qui est Princeps catholicus & jugi vigilatione obsequiis divinis intendit, corporis sui con-'sumptionem non considerans, in obsequio Jesu Christi sedem velit apostolicam revereri, '& Ecclesiæ Romanæ, sicut filius ejus charissimus, commodi & honoris desideret incre-'mentum & augmentum (jure tamen Regio dignitateque Regiâ plenius conservatis) 'Nos tamen, qui in negotiis suis portamus pondus dierum & æstus, & quibus unà cum 'ipso Dom Rege, intendere conservationi Regni diligenter incumbit, dictas oppressio-'nes, Deo & hominibus detestabiles, & gravamina nobis intolerabilia, non possumus 'æquanimiter tolerare; nec, per Dei gratiam, amplius tolerabimus, vestræ pietatis reme-'dio mediante; quod festinum & tempestivum habere credimus & speramus. Placeat 'igitur paternitati vestræ hanc supplicationem nostram taliter exaudire, quòd à magna-'tibus & universitate Regni Angliæ tanquam à filiis in Christo charissimis, speciales gratias 'debeatis meritò reportare.

Insunt quidem huic Epistolæ stricturæ aliquæ Rege & magnatibus dignæ; præsertim cum jura Regni explicet & magnanimitatem Anglicæ nationis præ se ferat: fuisse autem aliquem Episcopum in ea scribenda consultorem res ipsa indicat; ejusque stylus non alium quàm Robertum Lincolniensem videtur sapere; id quod etiam suggerit arguendi & ratiocinandi modus: & tanta erat illius apud Regem & magnates fama & sapientiæ opinio, ut ejus operâ fuisse usos in illa formandâ facile mihi persuadeo: sed cujuscunque ingenio & arte concinnata est hæc Epistola, dignissima omnibus videtur interpretatione ingenuâ, si vel illi, quorum nomine missa est, vel res & negotia, de quibus agebatur, adverterentur. Sed humilitas & ingenuitas neminem movent, nisi cujus Deus

E meliore luto finxit præcordia ——

Væ saluti & commodo Regnorum Magnatumque votis, si ea Papæ votis adversentur & cum ejus machinamentis non consistant. Sed Innocentius fortasse non adeo ferreus & Hildebrandinus erit, quin aurem facilem totius regni Angliæ petitionibus & supplicationibus clementer daturus sit: cave, Lector, quid speres & expectes à Pontifice; ne spem tuam & expectationem fallat: pergat igitur historicus hujus rei eventum narrare; &, si is Papam depinxerit Anglorum votis justissimis annuentem, me rigidioris cautelæ & suspicionis temerariæ demum, si velis, argue.

'Cum autem per prædictos nuncios (*inquit historicus, p. 668.*) in medio Concilio le-'gerentur [gravamina] & in propatulo manifestò, facto optimo silentio, proponeren-'tur, dominus Papa non respondit: quia, ut asseruit, tam arduum negotium morosâ in-'diguit deliberatione: suspendit igitur ad tempus responsionem; licèt urgenter insta-'rent nuncii prædicti tam solennes & magnifici, indistanter tamen se responsa daturum 'pollicendo. Addebant quoque iidem nuncii prioribus querimoniam gravem & seriam; 'videlicet de violentâ oppressione, intolerabili gravamine & impudenti exactione, quæ 'per hanc invisam adjectionem, papalibus literis frequenter insertam [non-obstante, &c.] 'exercetur.

Papæ igitur, in excommunicando Frederico Imperatore occupatissimo, & in statutis quibusdam conciliaribus de reparatione *Terræ Sanctæ* formandis, & instituendâ quam di-

cunt *cruciatâ* distento, nondum vacat dolentis Angliæ malis medelam adhibere: expectent res parvæ tempus & locum suum, dum tractantur majora. Agitur in Concilio de summâ rerum: & angulus iste extremi orbis, Anglia, in angulum obscurum conjiciendus est; ejusque res differendæ, donec altiora expedita fuerint. Determinandum prius est quis sit Imperator, Fridericus an Innocentius quartus, quàm gravaminibus universitatis Angliæ & hujusmodi nugis & minutiis attendendum. Bene habet: Cum cætera igitur à *Majestate* papali fuerint disposita ad libitum; sperant procuratores Angliæ rerum suarum sortem eo fore meliorem, quo diutius fuerint postpositæ: qualis autem ea fuit, pergit Matthæus narrare, pag. 681.

'Expectantibus autem Universitatis *Anglicanæ* procuratoribus, videlicet Comite Richardo Bigod cum suis consortibus prænominatis, placabile domini Papæ, prout promiserat, responsum; tandem expressum est, quòd postulata ad votum non reportarent. 'Irati igitur nimis procuratores memorati, recesserunt cum comminatione; terribiliter 'jurantes se nunquam tributum Romanæ cupiditati, omni seculo detestabili, soluturos, 'nec solvere permissuros; vel amplius reddituum Ecclesiarum (præcipuè quarum Nobiles Regni esse patroni dignoscuntur) proventus extorqueri non passuros. Veruntamen dominus Papa animo patienti & oculis conniventibus hæc omnia dissimulando 'pertransiens, tempus rigidius agendi, respirante prosperitate, tacitus expectavit. Misit igitur ad singulos Episcopos Angliæ præcipiens districtissimè, ut quilibet eorum illi 'chartæ detestabili; quam lachrymabilis memoriæ Rex *Anglorum Johannes*, reclamante 'Archiepiscopo Cantuariensi Stephano, infoeliciter confecit de tributo, signum suum 'appenderet ut magis roborata perpetuaretur: quod ipsi Episcopi timore inexcusabiliter 'effœminati, non sine enormi Regis & Regni, proh dolor! fecerunt præjudicio: unde 'cum Dom. Rex hoc audiisset, in maximam iram excandens, juravit quòd etsi etiam 'Episcopi turpiter sint incurvati, ipse firmiter staret pro Regni libertate; nec unquam 'dum vitales carperet auras, censum sub nomine tributi *curiæ Romanæ* persolveret.

Concilii autem Lugdunensis res arduæ Papæ animum fortasse irritaverant: Imperatoris enim excommunicati & depositi (sed tam excommunicationem quàm depositionem spernentis) exercitus ubique grassabatur, Domini sui jura ferro & flammâ vindicans contra potestatem Pontificis usurpatam; & quis hæc Pontifex æquè potuerit ferre? Magnum quoque discrimen subierat *Terra sancta*: (*Terra illa sancta* quæ Papas fecit Imperatores; cum eò mittendi fuerint exercitus ex hisce Europæ partibus conscripti, ut domi res negligerentur, & eò facilius omnia in Papæ potestatem cogerentur) Hæc cum cæteris Concilii istius negotiis Innocentium fortasse inturbidaverant, soluto Concilio ad se & pristinum serenitatis statum rediturum. Videamus igitur siquid spei de tollendis gravaminibus, Anglis illucescat post Concilium finitum, & sopitum negotiorum strepitum.

'Anno Gratiæ (*inquit Matthæus, p. 691.*) M.CC.XL.VI qui est annus regni Henrici tertii Regis XXX. fuit idem Rex ad natale Domini *Londini*; ubi convocatis multis 'regni Nobilibus, unà cum fratre suo, Reginâ quoque & Comitissâ Cornubiæ sorore 'Reginæ multisque magnatibus, qui cum eodem Rege in *Walliâ* pondera & æstus dierum 'sustinuerant, festa natalitia gaudenter celebrarunt, ut qui fuerunt in tribulatione consortes, participes fierent in exultatione. Eodemque tempore, ne gaudia mundi impermixta 'mœroribus mortalibus arriderent, ortus est rumor sinister; & ex rumore suspicio non 'modica quòd dominus *Papa* rancorem in corde retinuit; cum tamen non subfuisset causa rationabilis: iratus est valdè, & multiformiter ampullosè cœpit comminari *Anglorum Regi & Regno*, ut si posset *Fredericum* edomare, & per consequens recalcitrantium '*Anglorum*, qui de oppressionibus *Romanæ Curiæ* & maximè de tributo, in Concilio conquesti sunt, insolentem superbiam conculcabit: non enim, ut ei videbatur, licuit miseris Anglis, pro multiformi etiam injuriâ flagellatis, lachrymari vel mutire: conabaturque in illo diuturno ac secreto colloquio quod habuit apud Cluniacum cum Rege '*Francorum* persuadere & acuere Regem ipsum, ut insurgeret ad tantæ injuriæ vindictam tantum ut ipsum *Regulum Anglorum* vel usque ad exhæredationem impugnaret; 'vel enormiter læsum, sese omnimodè voluntati *Romanæ Curiæ*, vellet, nollet, inclinaret: & ad hoc juvaret eum omni conatu Ecclesia & papalis auctoritas: quod constanter 'Rex *Francorum* dicitur renuisse; tum quia ipsi Reges consanguinei sunt & eorum Reginæ sorores; tum quia jus non habet Rex *Francorum* in Regnum *Angliæ* manifestum; 'tum quia treugæ inter ipsos Reges initæ sunt, quos maluit prolongare, ratione peregrinationis suæ, quàm proditiosè rescindere, &c.

Væ igitur *Anglis* querulis si papa *Frederico* superior evaserit: vivat autem & vincat Imperator ne minarum *papalium* impetus in Anglos gravius irruat: Quàm misera res est injuriis lacessi nec audere de illis queri! certè autem quamplurimum falluntur papæ, dum sibi fingunt auctoritatem arbitrariam quidlibet in Angliam audendi, & Regem & proceres quasi sua mancipia (ut hic *Papa* dixit in causâ *Rob. Lincoln.*) tractandi: bella res erat, Papam, dum suppliciter à Regni ordinibus rogatur ut causas querelarum & gravaminum tolleret, nihil aliud voluisse tollere nisi querendi libertatem: Non tam facilè obstupefaciendi sunt *Angli*, *Innocenti Papa*; aperi tu oculos: quem tu enim contumeliosè *Regulum* appellas, invenies, si nimium provoces, Imperatorem; & quos tu manipulum populorum rudium & leporibus timidiorum tibi imaginaris, cave ne tuo damno numerosissimam gentem & bellicosam reperias, & non omnino ad tua crepitacula attonitam: Gratias agimus ob egregium illud amicitiæ pignus quo Angliam moliris cum Galliâ committere: Gallus autem sapientior est & melior quàm ut tuis audiat susurris & consiliis: & dum tu de medendis Angliæ malis curam non vis adhibere, illa ipsa quæ melius novit & potest & debet, te invito & stertente, sibi cavebit.

Promissa memorat & privilegia papæ varia enumerat Matthæus pag. 696. sed quam fideliter utraque observata sunt, pag. 698. & deinceps statim doceberis.

'Convenientibus igitur ad parlamentum memoratum (*pag.* 696.) totius regni Magnatibus (*inquit historicus, p.* 698.) die videlicet qua cantatur *Lætare Jerusalem*, in primis aggressus est Dominus Rex ore proprio Episcopos per se, postea verò Comites & Barones, deinde autem Abbates & Priores; videlicet super his, pro quibus miserat nuncios suos solennes ad Concilium Lugdunense: & quasdam indulgentias & literas papales præsenti libro prænotatas (p. 696.) quas dicti nuncii reportarunt, eis ostendit, & qualiter dominus papa dictis nunciis pro Rege & Regno multa bona promisit ac præmisit. Sed quia Dom. Rex post indulgentias memoratas dictaque promissa, magis sensit *papam*, prout communiter audivit & verè postea didicit, manum aggravare, & quasi per contemptum plus solito in Regnum protervire, Ecclesiam opprimendo, ostendit eis articulos super *gravaminibus* & *oppressionibus* Ecclesiæ & regni sui, quorum tenor talis est——

'*Gravatur* Regnum *Angliæ* eò quod dominus *papa* non est contentus subsidio illo quod vocatur *denarius beati Petri*, sed à toto clero Angliæ gravem extorquet contributionem; & adhuc multa graviora nititur extorquere; & hoc facit sine Dom. Regis assensu vel consensu, contra antiquas consuetudines, libertates & Regni jura, & contra appellationem & contradictionem procuratorum Regis & Regni in generali concilio factam.

'Item, *Gravatur* Ecclesia & regnum eò quòd patroni Ecclesiarum ad eas cum vacaverint, clericos idoneos præsentare non possunt, prout dominus *papa* per literas suas eis concessit; sed conferuntur Ecclesiæ *Romanis*, qui penitus idioma Regni ignorant, in periculum animarum, & extra regnum pecuniam asportant, illud ultra modum depauperando.

'Item, *Gravatur* in provisionibus à domino papa factis, in pensionibus exigendis, contra literarum suarum tenorem: in quibus continetur, quòd ex omnibus retentionibus factis in Angliâ non intendebat conferre nisi XII. beneficia post prædictarum confectionem literarum: sed credimus multo plura beneficia ab eodem postea esse collata & provisiones factas.

'Item *Gravatur*, quòd *Italicus Italico* succedit; & quòd *Anglici* extra regnum in causis auctoritate Apostolicâ trahuntur contra Regni consuetudines, contra jura scripta, eò quod inter inimicos conveniri non debent; & contra indulgentias à prædecessoribus domini *papæ*, Regi & Regno Angliæ concessas.

'Item, *Gravatur* ex multiplici adventu illius infamis nuncii NON-OBSTANTE, per quem juramenti religio, consuetudines antiquæ, scripturarum vigor, concessionum auctoritas, statuta jura & privilegia debilitantur & evanescunt, quòd infiniti de regno *Angliæ* oppressi sint graviter & afflicti, nec se dominus *papa* versus Regnum *Angliæ* in plenitudine suæ potestatis revocanda, curialiter ita vel moderatè gerit, prout procuratoribus regni ore tenus dederat in promissis.

'Item, *Gravatur* in talliis generalibus, collectis & assisis sine Regis assensu & voluntate factis, contra appellationem & contradictionem procuratorum Regis & Universitatis Angliæ.

'Item, *Gravatur* eò quòd in beneficiis Italicorum nec jura nec pauperum sustentatio, nec hospitalitas, nec divini verbi prædicatio, nec Ecclesiarum utilis ornatus, nec animarum cura, nec in Ecclesiis divina fiunt obsequia, prout decet, & moris est patriæ, sed in ædificiis suis parietes cum tectis corruunt & penitus lacerantur.

'Hæc autem attendentes universi ac singuli unanimiter consenserunt, ut adhuc ob 'reverentiam sedis Apostolicæ, domino papæ humiliter ac devotè tam per Epistolas 'quàm per solennes nuncios supplicarent, ut tam intolerabilia *gravamina* & jugum sub-'traheret importabile: scripserunt igitur domino papæ in hæc verba

QUERELA OMNIUM ANGLORUM ad Papam super prædictis Oppressionibus.

'*Reverendo in Christo patri, Innocentio Dei gratia summo Pontifici, Episcopi Cantuariensis 'provinciæ suffraganei cum recommendatione, pedum oscula beatorum.*

'SEDIS Apostolicæ benignitas, quæ nos nuper in Concilio Lugdunensi constitu-'tos in sinu honoris & specialis dilectionis collocavit; necnon ejus sublimitas quæ 'tot affectibus nostræ condescendit parvitati, ad zelum honoris & optatæ prosperitatis 'sanctæ matris nostræ, populi peculiaris, & spiritualium quodammodo adoptionis fi-'liorum animos nostros, cor & affectus fervore fidei & affectu sinceritatis advocant, 'utpote qui pro ea & ejus honoribus animo libenti laborare disponimus & ejus tran-'quillitati pro viribus studere, ut tenemur. Sanè, quantò magis in devotione optamus 'reperiri ferventiores, tantò profectò nostrum populum & regnum in unitate Ecclesiæ 'matris nostræ tenemur confovere studiosius: quod utique absque dictæ sedis adjutorio 'speciali nullâ prorsus viâ per nos poterit adimpleri. Nuper siquidem cum in Consi-'lio Illustris Principis & Domini Angliæ Regis, in mediâ Quadragesimâ, essemus præ-'sentes, quædam audivimus quæ vestræ sanctitati referimus dolentes, Regem scil. & 'Proceres, necnon populum quasi universum rodere ac multiplicatis querimoniis mur-'murare quòd in collationibus beneficiorum, quæ per *provisores* in *Anglia* fiunt incunctan-'ter, Nobilium atque aliorum vocationibus, contra eorum & regni privilegium, ad ju-'dicium extra regnum, necnon aliis plerisque molestiis quas vestræ beatitudini, ut cre-'dimus, plenius insinuare proponunt, ipsi & regnum atque populus universus jugo op-'pressionis intolerabilis existunt prægravati. Et hæc publicè objurgantes proponebant 'in cordibus, quasi se malle mori, quàm ea, cum magis ac magis de die in diem pullu-'lare videantur, diutius tolerare; præsertim cum eadem *gravamina* ipsos & eorum po-'pulum sæpius, ut asserunt, ac durius affligant, promissione moderaminis (quam ip-'sorum procuratoribus à vestra sanctitate in supradicto Concilio factam esse dicunt) 'jam non obstante. Clamor insuper & tumultus tot & tantorum, quamvis nobis pe-'riculosus videretur, & ad diu tolerandum gravis; tamen per nos qui ad hoc diligentiâ 'qua novimus laborare curavimus, ulla prorsus ratione nequiverat sedari. Sanè, cum 'hæc sic procedant, dolorum initia & multorum malorum in Anglia, ut perpendimus '& timemus, erunt fomenta, pedibus vestræ sanctitatis lachrymosis precibus prostrati 'deprecamur, quatenus fidei *Anglicanæ* fervorem attendentes & quòd idem regnum sa-'crosanctæ *Romanæ* Ecclesiæ specialiter extiterit devotum, turbationem ejusdem regni 'paterno occurrentes solatio, illis de regno in his quæ ad salutem & tranquillitatem per-'tinent ipsorum, ob Dei reverentiam prospicere velitis: & nos eosdem, quorum siti-'mus salutem & quietem, sic in unitate fidei & devotione Ecclesiæ studebimus con-'servare, quòd Deo & Ecclesiæ, necnon vobis, pater reverende, Christo propitio, ce-'det ad honorem. Ad hoc placeat sanctitati vestræ, præfati Principis nostri & fratris 'ejusdem Comitis *Cornubiæ* animos sub honestatis forma pacificare, qui in facto pro in-'vicem se fore proponunt non modicùm gravatos, & causam asserunt *gravaminis* me-'morati, favorem Ecclesiæ Romanæ parti adversæ nimis attributum.

Literæ

Literæ Abbatum Angliæ ad Papam.

'*Sanctissimo patri ac domino in Christo charissimo, Innocentio Dei gratiâ universalis Ecclesiæ 'summo Pontifici, devoti filii sui Abbates & Priores eorumque conventus Provinciæ Cantuariensis & Eboracensis, salutem & pedum oscula beatorum.*

'DIvinæ providentia majestatis in numero, pondere & mensurâ disponens universa, Ecclesiæ sponsæ suæ sic jecit in petrâ solida fundamentum, ut super structurâ stabilis fundamenti, cemento sanguinis filii sui fortius solidati, facilius & fœlicius surgeret paries erigendus. Ecclesia quidem universalis, quæ à sanguine Christi, qui plus clamat veniam quàm vindictam, sic suo sponso disponente, sub uno patre regitur ac pastore, sicut arca in cataclysmo regebatur in cubito consummata. Sanè Christus Dei virtus & sapientia, Ecclesiam universalem, tanquam sponsam unicam sibi copulavit, quia una est columba sua, electa sua; quæ licèt in particulares sit divisa, non tamen esse debet à cultu divino discrepans aut diversa. Ecclesia quidem *Anglicana* se semper sponso suo, qui cum ea traxit in utero Virginali absque macula sive rugâ, incessànter exhibuit gloriosam. De civitate enim Dei sc. Ecclesia *Anglicanâ*, usque ad tempora novissima dicta sunt gloriosa, quæ sacrosanctæ *Romana* Ecclesiæ membrum speciale, mons *Libani* decor, *Carmeli* & *Saron*, in divinis obsequiis frequens ac solicita; cum candore munditiæ, tanquam aquam cor effundens, puras ad Deum levat manus, orationis thura ad consistorium Trinitatis jugiter dirigendo. Licèt autem divinis obsequiis sit intenta non modicùm, condolet, tristatur & turbatur propter exactiones, oppressiones & tribulationes multimodas quæ invenerunt eam nimis: quia, ut ex assertione magnatum, necnon & clamore populari accepimus, ventus irruens à deserto quatuor ipsius angulos, tanquam domum *Job*, vehementer impulit & concussit: unde ipsa plausum in planctum & lætitiam commutavit in lamentum; quia anima ejus in amaritudine est, nisi per vestræ gratiam majestatis, caput ipsius jam demissum sublimius elevetur. Ad vos igitur, pater reverende, tanquam ad columnam, quam fixit Deus & non homo, Ecclesia Anglicana recurrit, confidenter sperans in Domino qui facit bonitatem, quòd contra oppressiones ipsius salubrem adhibebitis medicinam, & per justitiam quæ de cœlo prospexit, mediante Dei & hominis unione, unicuique jus suum tribuetis & in sua justitia conservabitis universos Cum igitur simus sacrosanctæ *Romana* Ecclesiæ filii fideles & devoti, ut jacula prævisa minus lædant, præmissa sedi Apostolicæ duximus intimanda; videntes eidem multiplex periculum imminere, & nisi in multis à vobis contingat remedium adhiberi, timendum est ne tumultus fiat in populo, scandalum oriatur & schisma multipliciter generetur. Commovetur enim populus contra Regem, ab ipsius fidelitate paratus recedere, nisi contra morbos imminentes per potentiam Regiam citius occurratur. Asserunt enim Proceres & magnates quòd, si Ecclesiæ collatæ monasteriis ab eisdem, clericis *Italicis* conferantur, ipsas Ecclesias & alia beneficia in proprietatem suam justè poterunt revocare; quia ex eis fructus provenientes ad usus pauperum & peregrinorum debent de jure deputari, cum hæc fuisset intentio conferentium & causa conferendi. Provideat ergo sanctitas vestra ut Regnum & Sacerdotium nullatenus sint divisa: quia si Ecclesia *Anglicana*, quæ quondam fuit posita in superbia seculorum, secundum verbum * Propheticum, quasi terra gigantum detrahatur in ruinam, inter Regnum & Sacerdotium divisionè facta, gemat tam populus quàm sacerdos & ex hoc strages multorum possit subsequi sine morâ. De injuriis, de quibus Proceres ac Magnates conqueruntur, per latores præsentium poteritis edoceri, ut correctione subsequente mœror eorum in gaudium convertatur.

* *Isai.* 26.19.

Literæ

Literæ Universitatis Angliæ ad Papam.

'*Sanctissimo, &c. devoti filii sui comes* Cornubiæ Richardus, Simon de Monte-forti
'*Comes* Legrecestriæ, de Boun, *comes* Hertfordiæ & Essexiæ, R. le Bigod, *comes*
'Northfolkiæ, R. *comes* Gloverniæ & Herefordiæ, R. *comes* Wintoniæ, W. *comes*
'Albemarliæ, H. *comes* Oxoniensis *& alii totius Regni Angliæ Barones, Proceres &*
'*Magnates, ac Nobiles portuum maris habitatores, necnon & clerus & populus universus,*
'*salutem & debitam tanto Pontifici in omnibus reverentiam.*

'SIC mater Ecclesia tenetur filios suos confovere, ipsos sub alas suas congregando,
'ut filii sui non degenerent in obsequio matris suæ, sed pro matre, si necesse fue-
'rit, manum suam mittat ad fortia, & arma & scutum assumentes pro defensione suâ
'cuilibet discrimini se opponant, de cujus uberibus lac sugunt consolationis & ad ipsius
'dependent ubera pietatis. Mater enim filiorum uteri sui debet reminisci, ne, si secus
'fiat lactis pabulum subtrahendo, videatur novercari. Pater etiam à filiis suam subtra-
'hens pietatem, non pater sed vitricus meritò debet appellari, cum filios naturales, spu-
'rios reputat aut privignos. Idcirco, Pater reverende, *currus Israel & auriga ejus*, ad
'asylum vestræ pietatis recurrimus confidenter, clamantes post vos: implorantes etiam
'humiliter & devotè quatenus ob spem retributionis divinæ, voces clamantium post
'vos dignemini misericorditer exaudire, & gravaminibus, injuriis & oppressionibus Reg-
'no Angliæ & Domino nostro Regi multipliciter impositis ac illatis velitis salubre re-
'medium adhibere: alioquin necesse est ut veniant scandala, clamore populi tam Domi-
'num Regem quàm nos intolerabiliter impellente: quoniam nisi de gravaminibus Do-
'mino Regi & Regno illatis Rex & Regnum citius liberentur, oportebit nos ponere
'murum pro domo Domini & libertate regni: quod quidem ob Apostolicæ sedis reve-
'rentiam, hucusque facere distulimus, nec ultra reditum nunciorum nostrorum qui prop-
'ter hoc ad sedem Apostolicam mittuntur, dissimulare poterimus, quin Regni *Angliæ*
☞ 'tam *clero* quàm *populo*, qui talia nullatenus sustinebunt, pro viribus nostris subveni-
'amus: & nisi citius prædicta per vos corrigantur, pro certo teneat vestra sanctitas
'quòd non immeritò timeri potest quòd tam Ecclesiæ Romanæ quàm Dom. Regi tale
'periculum imminebit, quòd eidem remedium (quod absit) de facili non poterit ad-
'hiberi.

Literæ Regis ad *Papam* pro liberatione Angliæ *ab oppressionibus Papalibus.*

Sanctissimo, &c.

'NOvit ille qui nihil ignorat, quòd matrem nostram *Romanam* Ecclesiam semper ha-
'bemus in visceribus dilectionis sinceræ, sicut eam quam non diligere * valemus,
'& ad quam imminentibus necessitatis articulis, ut filius ad matrem, quem suis lacta-
'vit uberibus, fovere tenetur, sub sua protectione specialiter militantem, confugimus
'confidenter. Verùm clamorem incomparabilem magnatum Angliæ, tam cleri quam
'populi, non possumus obaudire, quantumcunque dilectionis affectionem erga dictam
'matrem nostram gerimus, & gerere jugiter per Dei gratiam intendamus. Dicti nam-
'que magnates magis solito invaluere clamantes, ut nos ab oppressionibus, aliàs per
'nuncios suos solennes vobis ostensis, quæ, sicut ferunt, novissima magis gravant, ma-
'jestas Regia faceret liberari. Quapropter cum dicti magnates ad præsentiam † nostram
'meritò destinent nuncios speciales, sanctitati vestræ supplicamus attente, ut eorum
'supplicationibus taliter velitis annuere, quòd tam matri nostræ, quàm vobis filios
'nos reddatis benevolos & devotos; ne, si secus agatur, Ecclesia Romana & nos in tali
'simus periculo constituti (quod avertere dignetur suâ misericordiâ Deus mediante)
'quòd nos oporteat in perpetuum subjacere.

* Fortè--non diligere non valemus vel--non diligere satis valemus. Hic enim Rex eam amavit plusquam seipsum, pro ætatis excitate.

† Fort. vestram.

Aliæ

Aliæ ejuſdem ad Cardinales de eadem re.

'*Venerabilibus in Christo patribus universis & singulis, Dei gratiâ S. Romanæ Ecclesiæ Car-* '*dinalibus*, Henricus *ejuſdem gratiâ Rex Angliæ, ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.*

'QUantumcunque Romanam Eccleſiam diligamus, & ipſius affectemus commodum '& honorem, clamorem magnatum noſtrorum *Angliæ* tam cleri quàm populi, qui 'magis ſolito invaluere clamantes ſuper oppreſſionibus, tam domino *Papæ* quàm vobis 'alias ſignificatis per ſolennes nuncios eorundem, diſſimulando non poſſumus pertran-'ſire. Quapropter ipſi domino *Papæ* ſupplicant humiliter & devotè, ut juſtis ſuppli-'cationibus eorum ei faciendis per nuncios iteratos taliter condeſcendat, quòd ipſos di-'ctæ Eccleſiæ & nobis reddat magis favorabiles & devotos, & à fidelitate veſtrâ nul-'latenus alienos. Paternitatis etiam veſtræ dilectionem attentè rogamus, quatenus par-'tes veſtras velitis interponere diligenter; ut iterati nuncii dictorum magnatum à do-'mino *Papâ* & vobis poſſint taliter exaudiri, quòd præfatæ Eccleſiæ & nobis non vi-'deatur periculum imminere, cui nos oporteat in perpetuum ſubjacere; quod timetur 'non modicùm ab univerſis & ſingulis regni noſtri. Teſte Meipſo apud *Weſtmonaſteri-*'*um* xxviii° die Martii, anno regni noſtri trigeſimo.

'Cum autem Dom. Rex ſupra prædictis oppreſſionibus quotidie ſupervenientibus (de 'quibus querelæ multiplicabantur circumquaque) * acceſſerunt multi per *Curiam Roma-*'*nam* enormiter læſi & damnificati, ſperantes Dominum Regem & ſuos in concepto 'propoſito firmiter permanſuros, multas injurias ſibi illatas ad recentem memoriam Re-'gis & Regii Conſilii conquerendo ſuſcitarunt: & quædam quæ prius non recoleban-'tur, per querulos articulis prioribus addebantur injuriæ, non minimum Regi & Regno 'derogantes; in hunc modum,

* Deeſt aliquid: fortè [queſtus eſt].

'Nuper etiam ab Apoſtolica ſede emanarunt literæ non modicum Regis & Regni præ-'judicium continentes: videlicet, quòd aliqui prælati decem milites ſtrenuos, etiam ali-'qui quinque, & aliqui quindecim, invenirent domino Papæ, qui in ſervitio *Eccleſiæ* '*Romanæ* ſtarent per annum integrum, & prælatorum ſtipendiis militarent, cum equis & 'armis ſufficienter inſtructi, ubi dominus *Papa* duxerit providendum: quod ſervitium 'militare nulli niſi ſoli Regi & Regni Principibus debetur, nec ab aliquo uſque ad no-'ſtra tempora, aliquo tempore exactum fuiſſe recolitur: & ſi ſummo pontifici placu-'iſſet, abſque aſſenſu Regio hujuſmodi exactionem feciſſe, aut pro ea non modicam redem-'ptionem recepiſſe, nullatenus debuiſſet. Præterea ne Dom Rex contrà hoc ſibi proſpicere 'potuiſſet, fraudulenter fuit à quibuſdam nunciis Eccleſiæ proviſum & ſingulis Prælatis 'ab eiſdem mandatum, quòd hujuſmodi exactionem & pro ea gravem redemptionem 'receptam, uſque ad dimidium annum, ſub pœna excommunicationis, † nulli omnino re-'velarent. Item in univerſorum & ſingulorum patronorum Eccleſiarum *Angliæ* præju-'dicium non modicum & gravamen, his diebus Domino Cantuarienſi conceſſum eſt, ut 'obventiones ſive fructus * unius anni beneficiorum quæ vacare contigerint in provin-'cia *Cantuarienſi*, eidem Domino *Cantuarienſi* conferantur.

† Si non caſtè, tamen cautè.
* Vide querelam ſuper hac ipſâ re in ultimâ parte ſermonis Rob. Lincolnienſis coram Papâ, pag. 257 hujus Appendicis.

E. B. æquo Lectori ſalutem.

HÆC, & aliqua hujuſmodi alia ſummatim ex hoc ipſo authore excerpſit & annotavit vir doctiſſimus & pius Franciſcus Maſonus in *Vindiciis miniſterii Anglicani*, lib. 4. cap. 14. Edit. Lond. 1625. Tibi autem, Lector, non ingratum fore arbitratus ſum, ſi totam rei ſeriem, interpoſitis aliquando obſervationibus meis, in ipſis integris hiſtorici verbis exhiberem. Satis tibi ſuperque *gravaminum* narratum eſt nudè & fideliter, eâque qua decuit hiſtoricum religioſum, ſimplicitate; obſtupendum autem eſt planè & ſummopere mirandum, tot ſcandala & tantæ molis ponderiſque *gravamina* fuiſſe patriæ noſtræ impunè tamdiu illata; fuiſſe verò illa à *Curia Romana* illata non eſt mirandum omnino; cum ea per multa ſecula in Chriſtiano orbe ludificando verſatiſſima, toto conatu ſtuduit ut execrandæ illi pecuniæ φιλαργυρίᾳ, quâ

qua laboravit, satisfaceret. Et quis Anglus genuinus ad hæc avaritiæ & superbiæ monstra non etiamnum stomachatur? Sed tu & ego in diversa fortè admirationis genera rapimur: miraris tu, Lector, Pontificis famem auri sacram (sacram quia Pontificis) ejusq; sitim argenti insatiabilem (famis enim istius comes est individua hujus alterius sitis) miraris tu Papalis curiæ insolentiam incomparabilem, cum omni injustitiæ genere conjunctam; miraris generosam nimis (ne dicam asininam) & æquo indulgentiorem harum rerum tolerantiam, quæ in avitis Angliæ magnatibus eminebat; miraris clerum & populum nummis tam fraudulenter emunctum, & jure suo tam probrosè spoliatum: hæç equidem & ego tecum possem mirari; sed quod miror magis hoc est, non peperisse hæc gravamina & injurias (quas nulla nisi ætas occæcata tulisset) aliquam saltem Ecclesiæ Reformationem, & tale potestatis Pontificiæ exterminium, quale tertio post hæc seculo pepererunt. Hinc autem patet, nummi extorti & crumenæ tenuis vim, quantumvis querulam & clamosam, vi oppressæ veritatis & religionis læsæ minorem longè & inferiorem esse. Si enim majores nostri tam probè intellexissent animarum gravamina, quàm rerum suarum secularium detrimenta; si mutatam in pejus religionem, multosque Christianitatis priscæ articulos fraude & errore clericorum suorum depravatos & subversos fuisse nossent; si calluissent bene quibus artibus & in quem finem, in ignorantiæ & stupiditatis tenebras detrusi essent (id quod postea edocta melius Anglia novit) nunquam, crede mihi, fuissent tamdiu & tam inhonestè à papâ & ejus curiâ conculcati & neglecti & tam insigniter contempti; nec dignati essent è Româ vel Lugduno usque hisce malis remedium quærere, cum longè id propius & facilius ipsum esset domi in ipso Westmonasterio habendum: quod tandem Principes nostri, excusso servili jugo, magno totius regni & Ecclesiæ bono penitus invenerunt.

Nonnihil quidem fuit, ista reipublicæ detrimenta, de quibus instanter, instantius & instantissimè (ut loquuntur jurisconsulti) Rex & Regni Ordines questi sunt, sentiisse & indignissimè tulisse, nec ad Papæ nutum & arbitrium prorsus obmutuisse; cum is præsertim *Angliam* voluerit sine murmure & strèpitu excoriatam & excarnificatam: sed molles nimis & languidæ fuerunt querelæ quæ non ulterius progressæ sunt, & ab alienâ potestate medelam *gravaminum* sperarunt, quæ in suâ ipsorum virtute & potestate Deus auferenda collocaverat. Sed gens ingenua & religiosa omnia maluit tentare, ut pacem quovis pacto cum Pontifice redimeret & conservaret, quàm temerè à Romanâ sede ob rem nummariam dissociari, cum nondum id sibi licere ex obedientiâ cæcâ crediderit. Quàm modestæ fuerunt Magnatum & Universitatis Angliæ literæ, semel atque iterum ad Pontificem datæ? Quàm submissè proponuntur eorum *gravamina* lenienda? Quàm amica ipsa vox *gravaminum* præ eâ quam meruerunt? Quàm solidis argumentis & quàm prudenti modo urgentur Pontificis curæ, ut gentem miserè exhaustam & oppressam sublevaret? Non erant paucorum male-feriatorum & rerum novarum studiosorum querelæ; sed tota natio Anglicana, ab ipso Rege serenissimo & primoribus Regni excellentissimis ad plebem usque infimam, in eandem querimoniam de Papæ suorumque injustitiâ & violentiâ multiplici conspirarunt. Dum Rex Papæ & Cardinalibus scribit, Abbatesque non minus & Universitas Angliæ eidem impensè remonstrant, omnesque simul ei flectendo solerter incumbunt; & non solùm miserias suas patefaciunt, sed & ipsius & Ecclesiæ Romanæ periculum exponunt; & plebs quæ nescivit scribere, ne sub angustiis suis otiari & gaudere videretur, papam, cardinales, curiam Romanam & avaritiam & libidinem sacerdotum in mille malas cruces abire jubet (oppressio enim insanire facit vel sapientem, ut inquit Solomon: quanto magis indoctam & efferatam plebem?) Dum hæc omnia hic aguntur domi, & legati nobilissimi procuratoresque instructissimi rem apud Papam gerunt, negotiumque suum omni qua possunt sedulitate & animi constantiâ prosequuntur; & unusquisque tam magnifici & solennis nuncii exitum fœlicem avidissimè expectat; Papa adeo immergitur *Terra sancta* curis, & eousque Anglis succenset ob injurias suas ipsi Concilio *Lugdunensi* propalatas, ut delusa prorsus & frustrata jaceat spes totius negotii; contenti abire jubentur *Angli* suis *gravaminibus*, ne majora patiantur: nondum vacat *papæ* de reformandis abusibus cogitare; imo ne in ejus quidem mentem venit *Anglia*, donec forte fortuna ‘dominus Papa (*ut M. Par. p.* 705.) videns in aliquorum ‘*Anglicorum* ornamentis Ecclesiasticis, utpote in capis choralibus & infulis, *aurifrigia* con‘cupiscibilia, interrogavit ubinam facta fuissent: cui responsum est, in *Angliâ:* at ipse, ‘Verè hortus noster deliciarum est Anglia; verè *puteus inexhaustus* est; & ubi multa ‘abundant, de multis multa possunt extorqueri. Unde idem dominus *papa*, concupis‘centiâ illectus oculorum, literas suas bullatas sacras misit ad omnes ferè *Cisterciensis* or‘dinis Abbates in Anglia commorantes, quorum orationibus se nuper in capitulo Cister‘ciensi commendaverat, ut ipsi aurifrigia ac si pro nihilo ipsa possent adquirere, mittere

non

'non differrent præelecta ad planetas & capas suas chorales adornandas; quod mercenariis 'Londinensibus, qui ea venalia habebant non displicuit, ad placitum vendentibus: unde 'multi manifestam avaritiam Romanæ Ecclesiæ detestabantur.

Bene quidem accidit, esse aliquid Anglicum quod papæ in mentem revocet Angliam penitus oblitam: adeo capitur ille auro, ut cum id nequeat habere in moneta cusa, habere saltem concupiscat in vestimentis acu pictis & textorum filamentis; sed oculi non minus quàm loculi satiandi sunt: & quare cantabitur Anglorum missa ornatiùs quàm Romanorum? Esto quidem: sed quis interea papam constituit auri Anglicani patronum? Vix sufficiet * *denariolus S. Petri* omnibus capellæ Pontificiæ sacerdotibus deaurandis; & fortasse multò devotiùs celebrabitur missa absque ornamentis *aurifrigiatis*, & sub habitu viris religiosis convenienti, quàm cum cappis & planetis quovis *planetâ* fulgentioribus. Celebrantur quidem apud antiquos *lignei calices* & *aurei sacerdotes*: vix autem credendum est fuisse ita dictos ab auro metallico, sed ab interno animi ornatu & aurea virtutum sacerdotalium resplendescentiâ, omni auro illustriore.

* Vide leges Edovardi Regis, cap. 10. inter priscas Anglorum Leges à Lambardo collectas; edit. Cantab. p. 140.

Apage nugax: novit Papa quid capellanis suis convenit multo melius te ineptè sciscitante; & curandum est Abbatibus Cistercienfibus ne desiderio suo frustretur. Bene habet: quicquid in officinis propolarum Londinensium prostat venale quod sanctitatis suæ usui & votis respondet, præstò erit ad obsequium suum & Cistercienfium pretium numeratum: observabunt autem *Angli*, cum Pontifex, ætate gravis, tam vehementi appetentiâ feratur in cupiditatem rerum quæ pulchræ & bellæ in Angliâ videntur (in quo tamen opinaretur aliquis istiusmodi rerum ardorem fuisse extinctum) quàm infœlix fuisset, si sedes Romana habuisset plures unâ papissas; cum iste sexus longè vehementius aurifrigiis & omne genus ornamentis capitur; maximè cum graviditatis tempore prurienti animo indulgere gestit, & picæ sine periculo nescit resistere. Licèt enim *puteus inexhaustus* sit Anglia, & non minus quàm ipsa Hierosolyma Solomonis tempore, auro & argento sterni credatur; non tamen omnibus patent ejus divitiæ gratis; & fieri quidem posset aliquo tempore, ut nulli Abbates Anglici tam facilè ejus pretiosa, quæ *Papæ* salivam movent, possint comparare.

De illius gentis duritie & pertinaciâ (in rebus præsertim propriis conservandis) *Curiam papalem* satis docere potuit *Martinus*, papæ paulò ante nuncius, camerarius & subexactor: ille enim (*ut vides in M. Par. p. 659.*) ob nimiam, cujus arguebatur, depeculationem & exacta illicita tributa, in magnum vitæ discrimen adductus est; cum *Fulco* Episcopus *Londinensis* eum adiit nomine universitatis Angliæ, monuitque ut ille & sui statim in frusta conciderentur ab oppresso & furente populo, nisi quàm citissimè è regno discederet: unde periculi timore alatus, nescio quot Cantii caballos conductitios penè enecaverat ex præcipiti fugâ, quò temporiùs Doveram applicaret, & è persecutorum manibus elaberetur. Quæ ille omnia procul dubio cum non exiguo timore & animi perturbatione Papæ postea narravit, exaggeratâ quantum potuit furiosæ & concitatæ gentis insolentiâ: sed nihil horum magis *Papam* movit, quàm preces minæve publicæ Regis & Magnatum: nondum desiccatur evacuaturve *puteus inexhaustus*: omni modo tentandum est ut libidini Pontificiæ satisfiat; ne amittatur *Terra sancta* præ subsidii inopiâ ex *terrâ impiâ Anglia* extorquendi. Sed quæ *Curia*, quæso, sub cœlo, nisi *Romana*, gentem tam vexatam & deglubitam eousque irritârit? Quis nisi Innocentius quartus ejusque similes ad toties repetitas preces & querelas obsurduêrint? Næ illud gratiæ à *Papa* impetratæ, ut illius *nepotes* & *Cardinalium* familiares non ad beneficia capessenda admitterentur inconsulto Rege (quod legis pag. 706.) parum attingit remedium requisitum, & non omnino æquat *Anglorum* jacturas & detrimenta: hoc tamen instantibus jugiter & querentibus procuratoribus tanquam munificentissimum quid donatur, quasi abundè compensaret omnia, de quibus se animi angebant Angli. Nihil tam carò emitur, quàm *Papalis Curiæ* favor: pauxillum enim condescensionis Pontificiæ innumeris *gravaminibus* præponderat; & *honori* fortasse ducendum est, à S. Petri successore onerari. Vide, lector, ex ipsis Historici verbis in paginâ jam citatâ, quàm gratanter vel hoc *papæ* beneficiolum memoratur. 'Industriâ procuratorum Domini Regis elaboratum est in *Curiâ Romanâ*, quòd quanquam *Papa* pro suæ voluntatis arbitrio, ad intolerabile regni *Angliæ* '*gravamen*, passim & indifferenter provisiones fecerit in *Angliâ* de beneficiis Ecclesiasti'cis ad opus *Italicorum*; nunc gratiâ Dei, in ipsa parte ita sedata est tempestas illa, quòd 'quando *papa* alicui vel aliquibus ex *nepotibus* ejus vel Cardinalium *, ipse vel ipsi Car'dinales rogabunt Regem cum instantiâ quòd placeat Regi ut sic tali provideatur.'

* Deest [providerit] aut vox aliqua ejusmodi.

Nostin' tu hujus mysterium? Deliniuntur nimirum hoc modo clericorum murmurantium ora; idque callidissimè; ut placetur aliquantulum sacerdotum pauperum & neg-

lectorum vociferatio; quorum querelæ cum populi querelis conjunctæ discrimen *papatui* minitarentur omnium maximum & gravissimum: & pulchrum quidem fuit hoc sedandi populi artificium. Sed vide, Lector, utrum, cum nugas donat papa, non sibi magna inde aucupatur & pollicetur: vide utrum hæc, ut ita dicam, ejus *gratiola* Angliam sibi reddidit, ejusve querelas extinxit. Quantillum erat hoc *gravaminum* levamen, ut homines peregrini, quibus nullo omnino jure opima Angliæ beneficia occupare licuit (quia alienigenæ, & muneris pastoralis apud nos incapacissimi, ne durius dicam de moribus Italicis) à Rege prius veniam impetrent quàm parochias & dignitates Ecclesiasticas obtineant *Papali jure?* Magna hæc Papæ videbatur sui demissio; quia tanto altior Principibus & insignior sibi visus est, quanto sol lunâ sublimior & splendidior: sed Rex Angliæ ejusque populi nolunt sibi dari verba; nolunt nugis demulceri; nuncios igitur ad curiam mittunt ut omnes omnium querelas iterum ad papam deferant. 'In crastino diei 'Paschæ (*ut paginâ ead. 706.*) nuncii Universitatis Angliæ, quibus injunctum fuerat 'prædictum magnum nuncium domino Papæ nunciare; videlicet Magister Wilhelmus de 'Powic legisperitus & Henricus de la Mare miles, chartas prænotatas bajulaturi, iter 'ad *curiam Romanam* arripuerunt Cum nihil in Concilio *Lugdunensi* nec in *Papæ* consistorio profecissent antea preces & literæ & remonstrantiæ (quas dicunt) *Anglicæ*; ineunda est iterum (ut vides) ad *curiam Romanam* peregrinatio tentandi ergò si quid priore fœlicius obtineri possit: sed satius longè fuisset nunciis nostratibus mansisse domi: vix enim elapsum est duorum mensium ab eorum egressu spatium, quin nova excogitârat *Papa gravaminum* genera superioribus addenda, ex *puteo inexhausto* aliquid amplius extracturus; quasi nihil aliud esset meditatus quàm ut *gravamina gravaminibus* accumularet, injuriasque injuriis, & avaritiam suam quaque vice augeret qua illi illa à natione *Anglicanâ* ostenderetur; vel quasi omne, quod sperari potuit, malorum remedium, esset, ut *Angli* supplicandi tædio victi, fatigati & confecti omnem postea querelam deponerent, & de salute desperantes nihil aliud cogitarent nisi ut essent per vim & violentiam contenti & patientes. Si hoc ultimum fuerit *curiæ Romanæ* consilium, de ejus prudentiâ & misericordiâ actum est & conclamatum: nihil enim stultius & crudelius inter mortales agi potest; nihil bonitatis divinæ dissimilius, quàm ad opem implorantium voces & querelas occalluisse, & ab oppressis aurem avertere & de gentis ingenuæ servitute coactâ majorem deprædandi ansam arripere. Videamus autem porrò quid *Anglis* in *Curiâ* factum est. 'Cum audisset dominus papa (*ut pergit historicus pag. ead. 706.*) qualiter quidam in '*Angliâ* opulenti clerici, videlicet Magister *Robertus de Hailes*, archidiaconus *Lincolniensis*, 'qui paucis elapsis annis obierat intestatus, plura millia marcarum, cum vasis multis ar- 'genteis seculo & secularibus infœliciter dimiserat; archidiaconusque *Bedfordiæ Almari- 'cus*, quòd pecuniâ abundans maxima post se indecenter relicta obierat; nuper quoque 'Magister *Johannes de Hotosp*, archidiaconus *Northamtoniensis*, morbo repentino correptus, 'circiter quinque millia marcarum; cum triginta cuppis argenteis vel aureis & infinitis jo- 'calibus indecenter & improvisè obiisset intestatus, statutum super hoc novum & in- 'auditum, non sine notâ manifestæ cupiditatis, suscitavit in *Anglia* promulgandum, 'ut si clericus ex tunc decederet intestatus, ejusdem bona in usus domini papæ con- 'verterentur; quod negotium fratribus prædicatoribus & minoribus præcepit diligenter 'exequendum: quod cum audiisset Dominus Rex, detestans *Romanæ curiæ* augmentosam '& multiplicem & multiformem avaritiam, hoc fieri prohibuit, comperiens illud in 'damnum Regni & suum redundare præjudicium.

Reliquisse quidem hos tres archidiaconos post se tantam nummorum & divitiarum vim, res est notatu digna; & decessisse eos intestatos argumentum fortè est fuisse illos rebus mundanis corradendis quàm mortis meditationi magis intentos: frequenter hoc accidit ut homines opum accumulandarum curis obruti & præsentis seculi deliciis occæcati, quasi obstupefactione quadam perciti, futurum seculum periculosè & crassissimè negligunt & obliviscuntur: res est hæc in clericis magnopere damnanda & opprobrii plena, cum *thesaurizant* (ut inquit Psaltes, Psal. 39. v. 7.) *& ignorant cui congregabunt ea*. Quantulumcunq; autem hoc archidiaconorum laudem sonat; quid tamen *papæ* cum eorum vel aliorum intestatorum bonis? Quo jure hæc in illius cedent fiscum? Unde ille statuendus est intestatorum hæres, nisi parum Christianè per avaritiam infamem corrasa, pari vel majori infamiâ *papali* avaritiæ sint conferenda? Qui negabunt pontificem hunc fuisse aliqnde idololatram, eum, si possint, ab eo idololatriæ genere liberent & excusent, de quo S. Paulus ad Coloss. 3. 5. ubi avaritiam expertè vocat idololatriam, vel (ut interpres vulgaris) simulachrorum servitutem; nisi mallent hæc in *papa* molliori nomine quàm exoso isto avaritiæ appellare. Cum *Papa* verò nullam sui ipsius animæ curam agit, id

ejus

ejus vice agit Henricus Rex, statutumque pontificium cassandum curat; cumque *gravamina* non sublata sed aucta vidit, prælatis *Angliæ* protinus in mandatis dedit, ne *papæ* tallagium contribuerent. 'Dominus Rex (*inquit historicus pag.* 707.) literas suas misit prohibitorias prælatis *Angliæ* ne domino *Papæ* tallagium contribuerent: domino etiam abbati 'sancti Albani, sicut & aliis, scripsit in hæc verba:

'*Henricus Dei gratiâ Rex Angliæ, &c. dilecto sibi in Christo Abbati de sancto Albano, salutem.*

'AUdivimus quòd venerabilis in Christo pater F. Londini compellit vos ad tallagium ad opus papæ persolvendum: super quo miramur plurimùm & movemur maximè, cùm in prædicta convocatione provisum fuerat communiter per dictos prælatos & 'magnates, quòd nihil fieret de tallagio illo ante reditum nunciorum eorum à Curia Romana, ad quam iidem nuncii sunt, sicut nostis, pro specialibus totius regni nostri negotiis destinati. Quapropter vobis mandamus, firmiter inhibentes quòd nec ad mandatum præfati Episcopi nec alterius, aliquid attentetis contra provisionem prædictam, sicut baroniam vestram, quam de nobis tenetis, diligitis pacificè possidere: quoniam attentationem hujusmodi nòn possumus nec volumus sustinere. Teste meipso apud Westmonasterium 1°. die Apr. anno Regni nostri xxx°.

Hinc videmus quomodo sensim progressæ sunt exactiones *papales*: à *denario S. Petri* processerunt ad *tallagium* (i. e. censum capitalem; sicut ille alter erat de * singulis domibus) Profectò si non sibi cavissent majores nostri à vectigalibus pontificiis, vix quicquam habuissent quod jure proprium potuerint appellare, ne animas quidem: cum nihil magis studuit *curia Romana* quàm ut eos in ignorantiam detruderet, & ex ista inscitiâ facilius & occultius depeculari posset & depasci; cui astutiæ promovendæ non minimam, ut vidisti, operam dedit ipse *Robertus Grossetestus*; cum ille inter alios cæcâ ductus obedientiâ; tam servidè patris & matris in *mandato quinto* obsequium & honorem, de *papâ* & Ecclesiâ *Romanâ* duxerit maximè interpretandum; donec paulò ante obitum rem totam longè melius intellexerit.

* Vide M. Par. p 95.

Credendumne autem est ut, *statuto Henrici* Regis contradicente *statuto papæ*, res sic abeant in quietem? Minimè quidem hoc est expectandum. Non vult *papa* à *Rege* sibi repugnari. Nota, Lector, quid scribit historicus (*pag. eadem*) statim post Regis literas ad abbatem S. Albani.

'Et ne miseranda (*inquit*) afflictorum *Anglorum* cessaret tribulatio, infra eosdem dies 'exegit dominus *papa* instantissimè non sub minimâ quantitate pecuniam, ponens brachium confidentiæ in auro & argento, contempta domini Regis *Angliæ* ac *Universitatis* 'ejusdem Regni præcordialiter scribentium, & de talibus exactionibus conquerentium, 'lachrymabili querimoniâ, spretoque illo sapientiæ salubri documento, * *Beatus vir qui* '*post aurum non abiit nec speravit in pecunia thesauris.* Constituit executores in prædicto 'tallagio exigendo, extorquendo & colligendo Episcopum *Norwicensem Walterum* & quosdam alios, quos ad hoc assignavit speciales. Scripsit igitur *Norwicensis* domino abbati '*S. Albani*, sicut & quibusdam aliis in hæc verba, Epistolam *papalem* continentia

* Eccles. 31. 8.

Walterus Dei gratiâ Norwicensis Episcopus viris venerabilibus Abbati & Conventui sancti Albani, salutem sempiternam.

'Mandatum domini papæ in hæc verba suscepimus [*Innocentius Episcopus servus servo-* '*rum Dei, venerabilibus fratribus Wintoniensi & Norwicensi Episcopis, salutem & Apostoli-* '*cam benedictionem.*]

'OLIM sicut bene meminimus, vobis & venerabilibus fratribus nostris Lincolniensi, Wigorniensi, Londinensi & Coventriæ Episcopis scripsimus sub hac forma: Cum 'nuper priusquam à præsentia nostrâ in Angliam rediretis, unà vobiscum duxerimus or- 'dinandum, ut sex millium marcarum subsidium, quod ab Ecclesiis Anglicanis pro Apo- 'stolicâ sede fuerat postulatum, inter Episcopatus Angliæ dividere curaretis pro vestræ 'arbitrio voluntatis, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus

 'quicquid

'quicquid inde feceritis vel jam fortè fecistis, nobis per literas vestras latori præsentium 'assignandas exprimendo, tempus solutionis & locum studeatis quàm citiùs intimare: quòd 'si non omnes his exequendis poteritis interesse, saltem tres vel duo vestrûm ea nihilo-'minus exequantur. Quia hic nihil est postmodum nostris auribus intimatum, fraterni-'tatem vestram, de qua fiduciam gerimus specialem, monemus attentè, ac per Aposto-'lica vobis scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus Episcopos memoratos. qui 'præsentes fuerint in partibus Anglicanis, receptis istis literis, admonentes & eisdem au-'thoritate nostrâ mandantes ut vicesimo die post susceptionem præsentium in certo loco 'quem vos duxeritis eligendum, vobiscum pro divisione conveniant præliberata, & cum 'illis Episcopis quos eodem die ibidem contigerit convenire, distributionem hujusmodi 'priusquam ab illo loco recesseritis, facere procuretis. Si verò ipsis aut nullo convenien-'tibus eorundem non fuerit super negotio prænominato processum, extunc infra 'unius mensis spatium præscriptam subsidii quantitatem faciatis vobis vel nunciis vestris 'ad opus Apostolicæ sedis in loco quem elegeritis assignari, juxta ordinationem per di-'lectum filium nostrum Magistrum Martinum, cameræ nostræ clericum, authoritate no-'stra in illis partibus quondam factam, quam ad præsens sub bulla nostra vobis duximus 'destinandam: Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ com-'pescendo; indulgentiâ quacunque vel privilegio quolibet aut constitutione de duabus 'dietis in generali Concilio editâ, non obstante. Quicquid hactenus factum est vel 'fuerit in hac parte, nobis absque moræ dispendio per dilectum filium *Linasium* scri-'ptorem nostrum, latorem præsentium, rescripturi: proviso, quòd super præmissis il-'lam solicitudinem habeatis quòd non possitis exinde de negligentiâ reprehendi, sed po-'tius de diligentia commendari. Quòd si non ambo his exequendis poteritis interesse, 'alter vestrûm nihilominus ea exequatur.]

'Hujus igitur authoritate mandati vestram in Domino monemus & exhortamur fra-'ternitatem, vobis in virtute obedientiæ qua sedi Apostolicæ tenemini, firmiter injun-'gentes quatenus de portione præfati domini *papa* subsidii vobis assignata nunciis nostris 'literas vestras patentes super solutione ejusdem deferentibus apud novum Templum '*Londini* à die Paschæ in tres septimanas satisfaciatis, talem in facto præsenti adhibentes 'diligentiam ut devotionem vestram summo Pontifici meritò debeamus commen-☞ 'dare: est autem portio vestra, octoginta marcarum esterlingarum. Valete semper in 'Domino. Datum *Londini* nono Kal. April anno Domini M. CC. XL. V. Nos so-'li scribimus, quia venerabilis frater *Wintoniensis* Episcopus, collega noster, ad tempus se 'excusavit.

'Hoc autem mandatum (*ut pergit historicus*) cum ad aures Prælatorum necnon & Mag-'natum pervenisset, corda omnium audientium vehementer non immeritò medullitus 'exturbavit: maximè eò quòd nuncii universitatis Angliæ super talibus gravaminibus 'in Concilio *Lugdunensi* conquesti fuerant. Et postea in Angliâ in Parlamento Regis, 'ubi congregata fuerat totius Regni tam cleri quàm militiæ generalis Universitas, deli-'beratum fuerit, ut ob reverentiam domini papæ adhuc nuncius totius illius Universita-'tis ad ipsius papæ præsentiam destinaretur, ut manum correctionis talibus apponeret 'injuriis, non pondus oppressionis. Obstupefacti sunt igitur inopinabiliter, quia cum 'crederent levamen, spe frustratâ, tale gravamen reportarunt. Hæc igitur cum ad au-'dientiam Regis pervenissent, in iram & admirationem excanduit vehementem & Epi-'scopis Angliæ scripsit, in hæc verba

'*Henricus Dei gratiâ, &c. venerabili in Christo, tali Episcopo salutem.*

'Licèt aliàs vobis scripserimus semel, secundò & tertiò tam per literas nostras clau-'sas quàm patentes, ne ad opus domini *papa* vel alterius *tallagium* aliquod vel auxi-'lium exigeretis à viris religiosis, clericis vel laicis, cum nullum hujusmodi tallagium vel 'auxilium exigi possit vel consueverit sine magno præjudicio Regiæ dignitatis, quod 'nullo modo poterimus aut volumus sustinere: vos tamen mandatum nostrum in hac 'parte contemnentes, contra provisionem per Magnates nostros, tam Prælatos quàm Co-'mites & Barones factam in consilio nostro Londinensi, & concessam exactionem facia-'tis memoratam: super quo miramur plurimùm & movemur, præsertim cum facto ve-'stro proprio non erubescitis contraire, cum vos & alii Prælati in prædicto Consilio 'communiter concesseritis quòd nihil de exactione hujusmodi faceretis, donec nuncii no-'stri & vestri, necnon & aliorum Magnatum nostrorum & totius Universitatis Regni

'nostri

'nostri à *curiâ Romanâ* redirent, qui pro liberatione oppressionum, ad *curiam* illam, sicut 'nostis, fuerant specialiter destinati. Vobis igitur mandatis inculcatis mandamus in-'jungentes, firmius & districtius inhibentes, ne ad exactionem prædicti tallagii vel auxi-'lii faciendam aliquatenus procedatis, sicut gaudere desideratis Baronia vestra & posses-'sionibus vestris, quas in Regno nostro tenetis. Et siquid inde cepistis, extra Regnum 'nostrum asportari nullatenus permittatis, sed illud salvo custodiri faciatis usque ad re-'ditum nunciorum prædictorum, indubitanter sciturì quòd si secus egeritis, nos ad pos-'sessiones vestras manum gravaminis, ultra quàm credere velitis, extendemus. Hanc 'autem inhibitionem vobis injungimus faciendam archidiaconis & officialibus vestris; 'quam quidem pro libertate cleri & populi facimus, novit Deus, &c.

En tibi, Lector, *papæ bullam* pro exigendo *tallagio*, & *Regis mandatum* ne exigatur. Semper cedit in Reipublicæ bonum cum Reges & papæ diversa sentiant & mandent: valdè opus est *papæ* sex millibus marcis ab Episcopatibus *Angliæ*, velit, nolit Rex, colligendis; videant Episcopi quomodo iste census pro suâ cujuslibet proportione agatur; accelerandus autem est omni qua possit diligentiâ; imò juxta ordinationem illius *Martini* qui non ita pridem ex *Angliâ* profugus cervicem suam penè fregerat inter *Londinum & Doveram* ex præpropera fugâ. Væ contradictoribus qui solvendis hisce sex mille marcis obsistunt: & siquid privilegii vel indulgentiæ earum solutionem excusare vel præpedire credatur, enervandum est & cassandum illico; cum unius *papæ* viventis bullæ aut mandata plus valeant quàm centum mortuorum. Videsis, Lector, ingenium hominum mundana sapientium, ex actione Episcopi *Norwicensis* & silentio *Wintoniensis*. *Nos soli scribimus*, inquit Norwicensis, *quia venerabilis frater Wintoniensis Episcopus, collega noster, ad tempus se excusavit*: uterque Episcopus callidè sibi consulit Audacter enim *Norwicensis* in se recipit mandati pontificii executionem: *Wintoniensis* autem ad tempus se excusavit: videamus paulisper diversum horum hominum consilium politicum; *Norwicensis* ille, qui tam promptè morem gessit papæ contra statutum Regis & Parlamenti, in exili & tenui Episcopatu constitutus, opulentiorem sibi ex obedientiâ bullæ præstitâ ambivit & speravit: *Wintoniensis* autem sedem ditissimam jam adeptus metuit ne Regem sibi infensum reddat, si se huic negotio temerè immisceret; & nequid ei de redditibus temporalibus ex irâ Regis minuatur, *ad tempus se excusavit*: podagrâ fortassè aulicâ laborans vel aliâ aliquâ mentis ægritudine se subtraxit, & totum *tallagii* onus in *Norwicensem* conjicit, cum

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Dexterè hæc quidem utrinque agebantur: ille, ut altius surgeret, hic, ne ab alto caderet, rem suam curat; quàm autem fœliciter pro suâ utriusque sententiâ, serò nimis nunc quæreretur: liquidò autem constat fefellisse se Pontificem in Episcopo *Wintoniensi*; cum enim illius authoritate prædiviti ad negotium suum expediendum fœliciter usum esse se putavit; longè aliter res cedit; & totus est *Wintoniensis* in authoritate suâ ad tempus magis opportunum conservandâ & salvandâ. Hem! quàm plenus versutiæ est hic mundus! Et quàm difficile est ambitiosis & vafris non uti artificio, quo sibi caveant & prospiciant! Quam autem in his omnibus desideras ingenuitatem, vide, lector, & mirare in Rege *Henrico*: cujus literæ (jam quartò scriptæ) honorem Regium & populi sui curam honestam ubique spirant. Totam Regni authoritatem *curia papalis* contempserat (quasi ista *curia* à *non curando quemvis*, sicut *lucus* à *non lucendo*, diceretur) statuta Regni & querelas universi populi nihili fecerat; injuriasque omnibus inferre demum pergit, quasi tota gens injuriis assuefacta eas tandem pro deliciis habuisset, vel pati saltem à Pontifice profectas omni jure debuisset: Rex autem interea nec dignitatem suam nec populi jura vult à quovis lædi; & cum Pontifex nesciat se intra modestiæ terminos continere, omnino oportet ut ministri sui ejus subditos esse cognoscant: si igitur velint Episcopi Baroniis suis quietè frui, non papæ sed sui ipsius mandatis & statutis regni obsequium præstandum est: quia officio & potestati *papali* incongruum est omnino, jus sibi in pecuniam populi vendicare; id autem exigere reluctante Rege & Regno, res omnium insanissima: sed memento, Lector, in quibus jam versamur temporibus & tenebris; cum Reges Angliæ nondum intellexerunt satis potestatem & munus suum: pergamus igitur aliquanto ulterius explorandi ergo hujus controversiæ exitum. 'In bivio 'igitur (inquit historicus pag. 709.) angustiarum constituta Anglicana Ecclesia, quasi 'inter duas molas è contrario circumvolventes, miserabiliter conterebatur: hinc Scylla, 'inde Charybdis timebatur. Rex inde hac parte ad Regni salvationem & instauratio-'nem, consilio fretus & roboratus generali, nitebatur. Papa ad ejusdem depauperati-'onem

'onem anhelabat, utrique utroque jam eminus adversante. Multi itaque prælatorum, 'timentes Regis in hoc suo concepto proposito instabilitatem & Consilii Regii pusillanimitatem partem papalem confovebant; licèt nunquam vidissent quòd per tales pecuniæ effusiones Ecclesia fœlix susciperet incrementum: imò potius infaustum incurreret detrimentum.

Bene habet: cum infœlix natio à suis miseriis nolit doceri, nihil aliud agendum est nisi ut contenta sit esse misera: si Prælati malint *papæ* cedere, quam sua tueri jura & Regem strenuè contra ejus usurpationes (Rex enim Johannes nihil habuit potestatis, totius gentis jura papæ mancipandi) defendere, forte suâ contenti abeant. Utinam ultimum papæ responsum nunciis universitatis Angliæ datum sciremus! inde enim optimâ facienda esset conjectura quo pacto res in *Curia Pontificis* agitatur, & quam habemus emendandorum *gravaminum* spem: exerce & exere, Lector, tuam paulisper patientiam: fertur enim nuncios illos jam esse in itinere domum versus: dicunt autem alii jamjam transiisse eos pontem Londinensem fimo viarum multum conspersos, nec minore gravaminum sarcinâ oneratos, quàm secum extra Angliam dudum portarunt; id quod ex eorum vultibus minus hilaribus conjiciunt cives. Hæc si vera sint, statim nobis significabit Matthæus Paris: nihil enim hujusmodi illum fugit: eum ergo adeamus.

'Die translationis beati *Thomæ* Martyris (*ait ille pag. ead.*) habitum est magnum Consilium inter Regem & Regni Magnates apud *Wintoniam* super multiplici Regni totius & maximè Ecclesiæ desolatione. Venerant enim qui missi ad *Curiam Romanam* fuerant nuncii memorati: videlicet magister *Wilhelmus de Powic* & *Henricus de la Mare*, verba papalia, quæ nihil mitigationis, imò potius exasperationis tenorem continebant, nunciantes & affirmantes, quòd nec in gestu vel verbis *papalibus* aliquid humilitatis vel moderationis super oppressionibus quibus tam Regnum quàm Ecclesia *Anglicana* gravabatur & conquesta est, poterant reperire. Dixerat enim *papa* illis, aliquod optabile responsum expectantibus, *Rex Anglorum qui jam recalcitrat &* Frederizat, *suum habet Consilium; ego verò meum habeo; quod & sequar.* Et tunc vix aliquis Anglicus in curia negotium aliquod poterat expedire: imò velut schismatici repellebantur omnes, probris lacessiti. Hæc autem cum audisset Dominus Rex cum magnatibus suis, commotus est vehementer & meritò; præcepitque voce præconiâ in omnibus Comitatibus per omnes villas & fora & congregationes publicè acclamari, nequis per Regnum *papali* contributioni consentiret, vel aliquid pecuniæ in auxilium ejus transmitteret: quod & factum est. Illud autem cum audisset *papa*, in vehementem iram excanduit, & iteratò asperius Prælatis scripsit *Anglicanis*, ut sub pœnâ excommunicationis & suspensionis, infra festum Assumptionis, Nuncio suo apud *novum Templum Londini* commoranti, de prædicto auxilio satisfacerent. Et cum constanter pararetur Dominus Rex stare pro Regni & Ecclesiæ liberatione, comminationibus Comitis *Richardi*, fratris sui & quorundam Episcoporum, quorum principalis erat *Wigorniensis* (cui à domino *papâ* concessa fuit potestas terram etiam, ut perhibebatur, interdicendi) fractus succubuit & perterritus. Unde totus conatus tam magnatum quàm Episcoporum, & spes de Regni & Ecclesiæ *Anglicanæ* liberatione miserabiliter, & non sine multorum cordium cruento dolore, emarcuit annihilatus; & impunè hiatibus *Romanæ avaritiæ* de memoratâ contributione est satisfactum.

Qui jus suum semetipsos ab aliorum injuriis vindicandi & liberandi nesciunt, & ex illa ignorantiâ justitiam ab oppressoribus quærunt, libertatem suam reddunt precariam, mille artibus uti cogunt adversarios, quibus eos ab injuriarum opinione propellant, & in ista ignorantia & cæcitate detineant. Non fuisset ausus Pontifex *Angliam* eousque affligere, nisi miram ejus stupiditatem in tolerandis hujusmodi malis jamdiu expertus esset: visa est ea nonnunquam ad jus suum asserendum promptissima; sed à prosequendo consilio statim destitit & in mollem animi inconstantiam lapsa est, vel per prædicatam à clero papæ sanctitatem, vel nescio quam sedis Apostolicæ authoritatem, vel per hunc vel illum prætextum inanem genti occæcandæ inservientem; donec hinc didicit *curia Romana* ad extremum usque periculum *Angliam* tentare, ne ingens commodum præ defectu magnanimitatis rapacis perderet, & ne cedendo querentibus animum dedisse videretur. Sed cum nihil horum amplius valere videt, ad alias se convertit artes (ut vulpes non uni fidit antro) & per inimicitias & divisiones inter Magnates suscitatas & clanculum fotas id obtinere nititur, quod per alias artes non licet. Unde enim credendus est comes *Cornubiæ*, Regis frater, Regi populum suum liberaturo obstare, nisi ex secretis & insidiosis *curiæ papalis* machinationibus, tantum virum ab incepto opere avertentibus? Unde *Wigorniensis* ille & quidam alii Episcopi Regem à proposito deflexerunt, nisi ab eadem *curiâ* solicitati? Potestas interdicti Pontificii *Wigorniensi* credita, & cæterorum

rorum *papæ* impensè faventium metus ne Regis potentia nimium cresceret, totum reformationis conatum irritum reddiderunt, & *Angliam* avaritiæ *Romanæ* subdiderunt. Audisti, lector, *papæ* responsum legatis datum: quid hic loci ultrà moramur? tempus frustra & chartam terimus; cum nullum ab *Innocentio* expectandum sit levamen: aliò nobis illico abeundum esset, nisi operæ pretium fortè sit, ut *Cardinalem Anglicum Lugduni* jam agentem blandè solicitemus in causâ nostrâ, eumque obtestemur ut, siquid apud Pontificem valeat, aliquid in gentis suæ gratiam agat: vir enim est fortis & integer, *Grossetesti* non dissimilis, qui ne *papæ* quidem peccantis vitiis novit parcere. Purpuratus fortasse pater in curia Pontificiâ plus poterit in rem nostram quàm centum nuncii importuni, querelas *Anglorum* deferentes & verbis Regiis nomineque Magnatum suggillantes *papam*. Cardinalem illum statim adibimus, simulatque plenè intellexerimus ab historico nostro, quò devenit propositum de rerum emendatione Regium. 'Eisdemque diebus '(*inquit Matthæus pag. 715.*) enervatus est Regis rigor, quem viriliter conceperat, ut 'protervitatem *Romanæ curiæ* constanter, ut sperabatur & firmiter credebatur, potenter 'refrænaret, & hoc, ut veraciter dicebatur, consiliis eorum qui opimos redditus suos 'amittere per papalem indignationem vehementer formidabant: quæ enim nimis præcor'dialiter amabant, elabi verebantur, secundum illud poeticum,

'*Res est soliciti plena timoris amor.*

'Aversis igitur oculis & clausis auribus dominus Rex ad arbitrium voluntarium *Romanorum, Regni sui & Reipublicæ inimicorum*, permisit licenter Ecclesiam *Anglicanam sex mil'libus marcarum*, ad magnam totius regionis nostræ depauperationem, *spoliari*. Quas 'asportantes nuncii ac mercatores *papales* in auxilium *Landgravii*, insidias *Frederici* 'non penitus evaserunt: qui graviter redarguit *Anglicos* effœminatos, qui seipsis depau'peratis omne genus hominum tolerant saginari; gravemque de Comitis *Richardi* effœ'minatâ conniventiâ, & super hoc consensu reposuit coram suis commilitonibus queri'moniam: qui in *Regni Anglicani perniciem*, parti *papali* videbatur consensisse & in Im'perii detrimentum; eò quòd de cruce-signatorum collectis substantiolis, permittente 'papa, thesauros non minimos exaggeravit. Crevit igitur *Romanorum audax protervia* 'tantò procacius, quantò nullum in rapinis suis senserant contradictorem: fugant fugi'entes & fugiunt fugantes: decrevitque *Anglorum* suppeditatorum, quorum inimici sunt 'judices, spes cum consolatione.

Sex millia marcarum in bellum usum erogata! injustissimâ vi & fraude ab *Anglis* extorta ut *Landgravio* suppetias ferrent, rebellionem contra Serenissimum Imperatorem *Fredericum* moventi! mira sunt hæc! bene autem accidit quòd pars thesauri incidit in Imperatoris manus; & quæ ei in damnum destinata fuerit, cessit in commodum & opem. *Papa* interea vehementer excandescit, & totus est in interdicto contra *Angliam* meditando, ob novas exactiones à Rege impeditas: festinemus igitur ad *Cardinalem Anglicum*, ejusque opem rogemus ut *papam* ab interdicto fulminando divertat: licèt enim tu, Lector, & ego *interdicta papalia* non *hujus facimus*; si Cardinalem tamen in veterum *Anglorum* favorem poterimus flectere, rem illis facturi sumus gratissimam, à Papæ terriculis pondum liberatis.

Mentem autem Cardinalis nobis ostendet historicus eadem pagina 715.

'Cum audisset papa (*inquit*) quòd Dominus Rex *Angliæ* parabatur animosè exacti'onibus suis contradicendo resistere; quia nec advenerant nuncii, qui effœminatam for'midinem suam & incurvationem ipsius nunciarent, in iram magnam excanduit ve'hementer; & Regnum *Angliæ* ulciscendo supponere proposuit interdicto: cui talia in'frunito spiritu proponenti se magister *Johannes*, natione *Anglicus*, monachus *Cisterciensis* 'ordinis & *Cardinalis* opposuit, dicens, Domine, pro Deo parcatis iræ vestræ, si dicere 'licet, indiscretæ, frænoque temperantiæ motus voluntarios compescatis, considerantes 'quoniam dies mali sunt. *Terra Sancta* patet discrimini, *Græca Ecclesia* recessit à nobis, 'adversatur nobis *Fredericus*, quo non est potentior, imò nec par inter Principes *Chri'stianorum*. Vos & nos, qui culmen sumus Ecclesiæ, à sede *papali*, imò ab ipsa urbe, 'imò ab *Italiâ* exulamus expulsi. *Hungaria* cum suis terris sibi conterminis nihil aliud 'nisi à *Tartaris* expectat exterminium. *Alemannia* suis bellis concutitur intestinis. *His'pania* usque ad abscissionem * linguarum Episcopalium desævit. *Francia* usque ad ege'statem per nos jam depauperatur, quæ etiam in nos conspiravit. *Anglia* nostris injuriis 'multoties læsa, quasi asina *Balaam*, calcaribus & fustibus cæsa, tandem loquitur & ob'loquitur, & se nimis & intolerabiliter conqueritur fatigatam, & irrestaurabiliter dam'nificatam:

* Rex Arragonum linguam cujusdam Episcopi, quia eidem Regi fortè juste reprehendendo adversabatur, abscidit: quod vides in Matt. Par. eadem pag.

'nificatam: *Ismaelitico* igitur more omnibus odiosi, omnes ad odium provocamus. Et 'cum nec ad hæc verba mens *papalis* contrita ad compassionem vel humilitatem inclina-'retur, quin ad pœnam & ultionem inflammaretur; advenerunt nuncii ab *Angliâ* ani-'mum *papalem* emolumentis inhiantem mitigantes, & affirmantes quòd per amicos suos 'specialissimos in *Anglia* (quos non licet mihi hæc scribenti ad præsens nominare) in-'curvatus est animus Regis, ut quod optat effectui celeri mancipetur; unde gaudium 'vultum & animum ejus mirificè serenavit.

Nemo sinceriùs & apertiùs hoc *Cardinale Angliæ* papæ potuit consulere; qui illi ob oculos ponit omnia, quacunque minitabantur, Ecclesiæ pericula; nullis tamen argumentis eum à siti pecuniæ dimovere valuit: liberavit interea animam suam Cardinalis, quamvis non potuit *Angliam*; & non minores ei debentur gratiæ ob egregiam in patriam suam benevolentiam, quàm si res ex animi votis cessisset. Siquid *Innocentio* infaustum demum contingat ex universo orbe per avaritiam suam turbatissimo, ipse viderit; quisque sibi malorum autor est & faber, qui de eis nonvult præmoneri nec amicorum consilium adhibere. Quanta autem in exhilarando & pacando animo Pontificio vis pecuniæ! Legati *Anglici* novum papæ apportant jucundissimum, cum ei narrant gentis suæ crumenas metu interdicti fuisse reseratas, populumque iterum velle pacem suam à *curia* ad beneplacitum Pontificium redimere. Qui injuriam fert unam, invitat alteram; & qui minis *papalibus* à querelis dimoventur, faciliorem sibi ad majora *gravamina* viam sternunt. Læta de nummi contributione nuncia *animum Papæ* mirificè serenarunt: si autem ex aliis gentibus *Christianis* tantum pecuniæ pro proportione demesuit quantum ex solâ *Anglicanâ*, omnia *Lugduni* æraria thesauro non erant continendo. Nisi male somniârit Cardinalis ille, de quo pag. 408. consultius longè fuisset saluti *papæ*, ut ejus mens mansisset nubila, quàm hoc modo serenata; & regno *Anglicano* tutiùs, ut caperosâ fronte & vultu torvo & animo turbido esset *papa*, quàm ut ejus hilaritatem tam ingenti pretio emeret: cum avaritia nihil aliud sit quàm febris periculosissima; cui quo plus datur auri potabilis, eò magis sititur: adeo enim non satiatur *Innocentius* immensis quas ab *Anglia* exegit divitiis; ut novas adhuc extortiones excogitet; acsi nihil omnino aliud vigilanti & dormienti in mentem ei venerat, nisi *pecunia peculanda*; vel quasi fuisset peccatum ut quivis mortalium præter seipsum & *curiam* suam esset *dives*. Verte enim, Lector, folium proximum post lætum de nummo *Anglico* nuncium, & vide si avaritia quidquam aliud quàm avaritiam pariat.

'Assumens igitur (ut pergit historicus) ex præteritis audaciam dominus *papa* miseros '*Anglos* conculcandi & conculcatos aporiandi, imperiosè & solito imperiosius *Prelatis* '*Angliæ* demandavit, ut in *Anglia* omnes beneficiati, in suis beneficiis residentiam faci-'entes tertiam partem bonorum suorum domino *papæ* conferrent; non facientes residen-'tiam, dimidiam; multis adjectis durissimis conditionibus prædictum mandatum restrin-'gentibus per illud verbum & adjectionem detestabilem [*non obstante*] quæ omnem 'extinguit justitiam præhabitam. Ad quod primò exequendum diligenter, Episcopum 'constituit *Londinensem*.

'Episcopus verò memoratus cum quibusdam aliis quos ad hoc negotium exponen-'dum convocârat, cum in Ecclesia *S. Pauli Londinensi* hoc in propatulo demonstravit, 'de hac contributione terribili tractaturus in crastino *S. Andreæ*, dolentes quia quod ju-'bebatur, impossibile videbatur & erat, supervenerunt missi ex parte Domini Regis '*J. de Lexintunâ*, miles, & magister *Laurentius. de sancto Martino*, ejusdem Domini Re-'gis clericus, districtè prohibentes, ne illi contributioni prælocutæ, & in totius Regni 'desolationem demandatæ, aliquo modo consentirent. Ipsi igitur post omnium convo-'catorum murmur & appellationes, gaudenter incepta interrumpentes omiserunt: '& ne sub silentio contradicentium verba efficacissima transeamus, ipsa huic scripto 'duximus inserenda. Veruntamen etsi constanter responderunt, constantiùs & effica-'cius respondissent, si in verbis & actibus Regis titubantibus fiduciam habuissent.

Responsio Cleri super damnatâ exactione papæ.

'Si nota esset conditio & status regni *Anglicani* domino *papæ* & ejus fratribus tem-'pore Concilii, nunquam ad statutum illud promulgandum aliquâ ratione processisset: '& si essent ei exposita pericula & incommoda quæ occasione hujusmodi statuti immi-'nere possent *Ecclesiæ Anglicanæ*, ad hoc statuendum nullatenus moveretur. In Ecclesiis 'enim Cathedralibus id obtentum est & observatum, quòd per canonicos in eisdem re-'sidentes, quorum in quibusdam Ecclesiis modica est portio de proventibus beneficio-'rum Ecclesiasticorum, quæ in diversis locis obtinent, minores clericos exhibent, & 'alios Ecclesiæ ministros; quorum portionem si contingat usque ad medietatem defal-'cari, peribit obsequium Ecclesiæ, canonicis non valentibus exhibere; cum ipsi canoni-'ci, tantâ portione defalcatâ, in Ecclesiis Cathedralibus residere non valeant: & si in eisdem

'eisdem duxerint residendum, de medietate beneficiorum exteriorum, nec seipsos aut 'etiam alios poterunt sustentare: & maximè cum dominus *Papa* medietatem portionis 'absentium, in usus terræ *Romaniæ* intendat applicare; computata portione non residen'tis, acsi ipse resideret. Nec etiam deductis oneribus aut expensis, quas circa collecti'onem fructuum, & alia multa fieri contingit; quibus non deductis, vix quarta pars 'penes canonicos remanebit.

'Item cum loca religiosa per Regnum *Angliæ* constituta in proventibus de Ecclesiis 'parochialibus sint fundata, vix & in præsenti ipsis sufficiant beneficia cum aliis pos'sessionibus sic collata; si illorum beneficiorum medietas subtrahatur, compelletur una 'medietas mendicare, aut continget hospitalitatem subtrahi, aut utrumque in aliquibus 'locis fieri; quod sine scandalo & animarum periculo fieri non posset, cum aliquos 'ex ipsis contingeret per orbem evagari, & ejusdem evagationis prætextu in pecca'tum multiplex incidere; non observata sanctorum patrum regula, ad quam tenentur 'astricti.

'Item, cum in Regno *Angliæ* hactenus sit obtentum & de consuetudine observatum, 'ut rectores Ecclesiarum parochialium hucusque valdè hospitales extiterunt & parochi'anis ad inopiam vergentibus alimenta præbere consueverunt; & eo prætextu non so'lùm summo Creatori placere conati sint, sed etiam laicis quibuscunque, quibus cleri'ci oppidò infesti esse consueverunt; deductâ medietate beneficiorum, necesse habe'bunt hospitalitatem subtrahere & consueta pietatis officia denegare: quibus subtractis 'incurrent odium subditorum, amittent gratiam transeuntium & vicinorum, subtra'hentur rectoribus Ecclesiarum jura, nec ipsis prætextu paupertatis ea defendere valen'tibus, ab ipsis laicis penitus opprimentur, in universalis Ecclesiæ scandalum & jactu'ram. Quidam verò ex eis, cum essent beneficia quæ ad residentiam sex mensium non 'sufficiunt & vix aliunde victualia quærant; si resecetur illorum beneficiorum medi'etas, compellentur mendicare, & continget in eorum Ecclesiis obsequia divina cessare: 'quibus cessantibus, eorundem parochiani in decimarum & proventuum solutione cessa'bunt; nec erit qui illius Ecclesiæ jura præ inopiâ prosequatur; vilescet Ecclesiæ dig'nitas; clericorum cœtus in contemptu, cessabunt prædicationes, animarum cura omit'tetur, fides exinde periclitabitur populo contemnente Prælatorum doctrinam & corre'ctionem.

'Item, cum de bonis Ecclesiasticarum personarum pauperes, quorum infinitus est nu'merus, per annum sustententur, & multi generosi eorum consanguinei, & alii qui in 'eorum obsequiis commorantur, de bonis ipsorum victualia, necnon & stipendia recipi'ant; subducta medietate proventuum, cessabunt eleemosynæ, licentiabuntur familiæ; 'ad quod si deveniatur, pauperes fame peribunt; alii verò cum *fodere non valeant & men'dicare erubescant*, antequam fame pereant, necesse habebunt furtis, rapinis & depræ'dationibus intendere; ex quibus multa sequentur homicidia, insurget tumultus populi, '& de facili totius Regni *Angliæ* turbatio.

'Item, cum multi sint clerici in Regno *Angliæ* ære alieno graviter prægravati, si non 'subducto ære alieno, si non deductis expensis, quarum existimatio sextam partem red'dituum continet, quarum deductionem vix aliquis casus solet impedire; si non deductis 'Ecclesiæ oneribus consistentibus in pensionibus, prælatorum procurationibus & Eccle'siarum & ornamentorum reparatione, proventuum medietas exolvatur, ipsis de residuo 'vivere non valentibus, compellentur egere; cum tamen in talibus personis haberi de'beat ratio eorum ne egeant, & maximè ubi immineret scandalum *Ecclesiæ uni'versalis.*

'Item, cum nuper nomine *vicesimæ* sex millia marcarum domino *papæ* sint soluta, ha'bita ratione æstimationis vicesimæ ad æstimationem medietatis, summa petitæ pecuniæ 'sexaginta millia marcarum summam continere continget, unà cum sextâ parte redditu'um, quam in collatione fructuum refundere contingit, cum partem illam non dedu'cat, & cum præter hæc à personis in primo mandato exceptis, ab his qui centum mar'cas in redditibus obtinent vicesimam, ab his qui ampliores habent redditus, partem ter'tiam habere nitatur, usque ad summam quater viginti millium marcarum de bonis cle'ricorum per annum redigere oporteret; ad cujus quidem pecuniæ solutionem vix to'tum Regnum *Angliæ* sufficere posset; quantò minus & clerici? cum eorum bona tan'tummodo in fructibus existant, qui licèt venales annuatim exponi consueverunt, de 'eadem tamen pecuniâ multæ fiunt emptiones, cum de manu ad manum pecunia pro'ficisci contingat & in Regno remaneat. Ac si contingat de singulis venditionibus pecu'niam deducere & extra regnum deportare, deficerent emptores, nec contingeret in toto 'Regno tantam pecuniæ summam invenire, quod in gravi necessitatis casu per expe-

Kkk 'rientiam

'rientiam aliàs est declaratum; videlicet cum nobilis memoriæ quondam *Angliæ* Rex
'*Richardus* in partibus remotis captus esset & detentus, *ad ipsius liberationem sexaginta*

'*millia marcarum* soluta fuerint: ad quod solvendum totum Regnum contribuerat, nec
'exolvi poterat ad plenum, nisi ad hoc perficiendum, *cruces* & *calices* Ecclesiarum in solu-
'tum pro parte traderentur: quantò minus & nunc de bonis clericorū tantùm tanta pecuniæ
'summa redigi non posset, cum ipsam contingeret infra triennium triplicare? Cum igi-
'tur huic exactioni contradicat Ecclesia *Anglicana* per procuratores, ut hanc contradicti-
'onem communem domino papæ insinuare velitis pro statu Ecclesiæ *Anglicanæ*, præsen-
'tiam Domini nostri *Jesu Christi* appellantes, & Concilii Universalis aliquo tempore per
'Dei gratiam convocandi.

Vidisti, lector, *papalem gravaminum* correctionem; i. e. majora minoribus addita. Quis hæc à Pontifice *Romano* expectasset, nisi qui magnam ejus religionis partem in pecuniâ sitam esse nosset? recolens præsertim ex * S. Paulo, *existimantes quæstum esse pietatem.* Nil atrius exactione pontificiâ; nil defensione & excusatione *Anglorum* candidius: mirum verò ni *papa* eos artis magicæ insimularet, cum ad Mathematices partem illam arithmeticam, rei familiari tam utilem & necessariam confugissent in sui excusationem; præsertim cum ex ea mathematicè demonstrarunt infandam papæ avaritiam & suam ipsorum rerum inopiam. Certè *R. Baconus* noster & *R. Grosseteste* disciplinæ mathematicæ studiosi, leviori de causâ vix effugerunt apud multos tunc temporis, magorum & incantatorum infamiam. Ad artem aliquam recurrere unde cupido *papæ* palam poterat demonstrari esse detestanda, & cui tota *Angliæ* pecunia non erat par satisfaciendæ, imò & quæ captivi Regis redemptionem longè superavit, annuatim solvenda, res erat profectò audacula & periculosa, cum nulla ars Pontifici debeat obstare, quantumvis *liberalis* (cum consultores maximè efficiat minus *liberales* & valdè providos) & non numerandum est pecus vel à pauperrimis, cum *aulæ pontificiæ* splendor, vel *terra sancta* vel *Imperatoris Romani* oppugnatio opem exigant sine numero, pondere vel mensurâ. Quicquid autem his de rebus sentiit Pontifex, nihil omnino eis inerat magiæ vel artis illicitæ, imò nec ex nostratium parte, avaritiæ; cum res domesticas curare & familiam alere magis necessarium fuerit & honestum, quàm omnia sua ingluviei pontificiæ exedenda submittere, & ad angustias redigi ut *ἀναιδέσιμοις curiæ Romanæ* exactionibus gratificentur. Venter, qui non habet aures, habet linguam, eamque loquacem & querulam; & excusatius longè est ut minus phalerata incedat *papæ* * mula, quàm ut pauper *Angliæ* clerus fame & inediâ moriatur. Quicquid igitur *addunt, subtrahunt, dividunt, multiplicantve Angliæ* sacerdotes, ad rei familiaris rationem & computum totum reducendum est, & non omnino opus est ex instituto Christiano, ut *papæ* præfulgeant Imperatoribus & Regibus, vel ad ejus curiæ magnificentiam sustentandam, vel consilia pravissima promovenda depauperetur mundus; nisi infallibili quadam ratione probari possit, magis reipublicæ *Christianæ* interesse, ut decem millia clericorum non habeant quod comedant aut bibant, quàm ut *papa* desint vasa aurea & scyphi gemmis distincti quibus ad mensam serviatur ea majestate qua decet servum servorum Dei. Si numismata veterum *Romanorum* inter ædificiorum rudera & fundamenta nostri antiquarii hodie reperiant, quanti æstimant, sint licèt vel ænea! minori autem curiositate certè quærant *Romani* numismata *Anglica* è meliori cusa metallo, cum vel plaustra eorum hinc corraserint, nisi male parta male perierunt vel aliis imaginibus insigniantur. Hæc autem cum sic se habuerint, ut nescirent *papæ* veteres, limites desideriis suis ponere, non obscura fortè hinc emergit ratio conjugii sacerdotibus tam strictè prohibiti: si *clerus* enim *cælebs* tanto impetu contra extortiones Pontificias insurrexerit, cogita tecum, lector, quantum vociferatus esset si *uxores & liberos* pro honestate & decoro sacerdotali alendas & educandos habuisset, ut olim habuit, antequam sumptus familiares aliò divertendos pontifices, *Petri* dissimiles, statuerunt. Sed divitiis inhiantem *papam*, & clerum *Anglicum* loculis suis caventem, & *Jesum Christum* appellantem relinquamus: annus integer elapsus est ex quo *hunc* de *illius* avaritiâ insatiabili clamantem & querentem & redarguentem & reluctantem vidisti: pergemus, necne? mirum enim, cum tot sint in *Curia* medici, & tam altas *papa* tamdiu non audiverit querelas, si unquam de *surditate* curabitur. Perge verò tuopte Marte, Lector, si vis ultrà, ad annum proximum & alterum; eandem tibi canet historicus cantilenam; omnia murmure & detestatione *avaritiæ Romanæ* plena reperies; nullum autem harum rerum remedium: paginâ quidem 722. occurrit tibi privilegium quoddam umbratile Regi *Angliæ* à *papa* concessum, his verbis ab historico memoratum satis mordaciter, ut solet,

* 1 Tim. 6. 5.

* Vide inter Erasmi adagia, Magis phantasticus quàm Papæ mula.

'Eisdem

'Iisdem diebus Dominus Rex, nesciens se versutiis *Romanorum* subdolè verborum in-
'volucris muscipulatum, per quosdam Aulicos suos ipsi Regi placere cupientes, privile-
'gium quoddam sibi in curia Romana gratanter suscepit impetratum, cujus tenor talis
'esse dignoscitur.

'*Quanquam Papa pro suæ voluntatis arbitrio ad intolerabile Regni Angliæ gravamen, passim & indifferenter provisiones fecerit in Anglia de beneficiis Ecclesiasticis ad opus Italicorum; nunc gratiâ Dei ita sedata est tempestas, quod quando papa providet alicui vel aliquibus ex nepotibus suis vel Cardinalium, ipse vel ipsi Cardinales rogabunt Dominum Regem cum instantiâ magnâ, quod placeat Domino Regi, ut provideatur sic.*

Sed *crambe* hæc est *bis cocta*: gratias, domine *papa*, pro nihilo! hoc enim privilegiolum concessisti superiore anno (*ut pag. 706.*) sed favorculi iidem repetiti & iterata gravamina aliter in pontifice interpretanda sunt quàm in quovis alio: pro favore immenso habendum est (ut videtur) non rescissum esse hoc privilegium antea donatum; ut *Italici* non fierent in Angliâ Episcopi vel sacerdotes parochiales sine Regis licentiâ, id est, ut Pontifex Romanus posset hic, quos voluerit, ad dignitates & beneficia suo jure promovere, astipulante & concurrente Regis favore; ad cujus favorem obtinendum si non satis essent Pontificis ejusque *curiæ* consilia & rogatus, valerent demum minæ & mandata: quid autem ad hæc ait Matthæus Paris?

'Quo umbratili (*inquit*) privilegio ac deceptorio, amici Domini Regis fortunales, 'cor ejus demulcentes, ipsum strictius illaquearunt. In quo enim gravantur notarii ac 'tabelliones *Romanæ curiæ*, ad munera cerei ac prostantes, si imperante *papâ* petitiones 'urgentes & rhetoricas domino Regi transmittant, ut se ditent & Regem depauperent? 'nihil igitur aliud illud arbitror, nisi hamum inescatum.

Nec ego quidem, historice optime: gratias autem tibi agimus, *Matthæe*, ob hæc omnia memoriæ tradita, ne nesciremus unde gentis nostræ *conversionem* tam avidè quærat semper *papa Romanus*; quasi præ hac ipsa insulâ sorderet reliquus orbis, & nusquam tam dulcis aqua biberetur quàm ex *puteo Angliæ inexhausto*.

Miraris fortasse, Lector, res non fuisse à majoribus nostris sapientius gestas, & videre cupis hujus negotii exitum foelicem. Rogas autem, nunquamne igitur sublata sunt hæc gravamina & abusus intolerabiles? Imò quidem; ego tibi statim ostendam *Angliam* hisce omnibus oneribus & injuriis pulcherrimè liberatam: si peritus sis in transiliendis seculis, illico voti eris compos. Memento igitur audivisse te jam historiam Anni 1246: si uno saltu audeas illinc desilire ad 1546 (magnus quidem saltus est trecentorum annorum, sed ne metuas confracta crura; incides enim in *mollissima tempora*, tanquam in lectum plumeum) temet reperies inter initia *Edwardi* Regis sexti & dies halcyoneos; ubi vix prospicere possis, quin *gravaminum* loco, *sua* cuique *jura* reddita videbis; nec solùm *gravamina pecuniaria* sed *religiosa* (quæ nescierunt oppressi nostri majores) sublata penitus & Regno ejecta videbis; restauratam scilicet religionem & omnia ad Divinum cultum pertinentia pristino suo nitori & puritati restituta esse gaudebis, & Deo ages gratias, si beneficii tanti capax fueris; si, quid & quantum interest inter Verbum Dei & *papæ* doctrinam ritè intelligas; si, quantum superat *conclave* astutissimum pontificis, *cœtus Augustus* Regis & Ordinum in Parlamento, necnon & Venerabilis cleri Reverendi utriusque provinciæ in Convocatione: & quantum validior sit *Aula Westmonasteriensis* in tollendis, quàm *Aula Pontificis* in imponendis oneribus, æquo oculo & æqua mente perspicies & perpendes. Hæc tecum age, lector, per otium: nunc autem, si placet, ab avaritiâ stupendâ *Innocentii* Pontificis, ejusque in aureo fonte natantis, eamus ad Paupertatem *Christi* considerandam, ut *Occamus* noster hanc exagitat materiam contra Johannem xxii. *Papam* itidem *Romanum*, & non minus *Innocentio* quarto congerendis opibus *sacerrimè* devotum. De hujusmodi exactionibus vide* Epistolam Cassiodori in primo vol. Joh. Foxii, & vale.

* Extat etiam inter Acta Rom. Pontificum (in Bonifacio 8) Joh. Balei.

DEFENSORIUM VENERABILIS inceptoris *Guillermi Ockam* & fratrum suorum ordinis *minorum* de *paupertate Christi* & fratrum *minorum* ac statu Evangelico, contra multifarios & varios errores *Johannis Papæ* xxii. per modum Epistolæ ad universos *Christi* fideles in subsidium & defensionem oppressæ veritatis authenticissimæ & Catholicæ descriptum.

E. B. Lectori Salutem.

CUM pag. 42. hujus *Appendicis* tibi dederim, bone Lector, Articulos *Papæ Johannis* 22. contra monachos, inter cætera *Antilogiæ* opuscula, commodissimè in rem tuam accidit, ut responsum quoque monachorum ad istos articulos sive positiones *papales* tibi hîc dare potuerim: isti enim articuli sine hoc responso, vel responsum hoc absque istis articulis mutilum quid & mancum viderentur; cum alterius scripti ab altero intelligentia dependeat; & utraque in eodem opere fœlicissimè conveniant. Non ex diametro quidem hæc sibi ordine respondent: magnam autem lucem sibi invicem reddunt; & ex *Johanne papa* intelliges *Occamum*; ex *Occamo* autem (nisi tibi animus occallescat) longè melius intelliges *Johannem Papam*: quem ore rotundo (oblitus suæ infallibilitatis) probat reprobatque hæreticum & insanum. Mira tibi forsitan hæc videntur; sed quare quæso? nescin' tu *papas* à multis monachis non habitos fuisse infallibiles; imò & ab aliquibus, quovis monacho nupero longè majoribus & doctioribus, valdè suspectos fuisse *Antichristi*? Si ita; tempus profectò est ut tandem aliquando e tenebris in lucem manuducaris; & aliquid ab *Occamo* nostro discas quod tibi oculos & mentem purgabit. *Innocentius* hic 22. idem est omnino qui apud *Platinam* est 23. qui delibat tibi aliqua de hoc Pontifice & hac controversiâ, observatu non indigna: [Anno] *Millesimo*, inquit, *trecentesimo vigesimo secundo edictum proposuit, quo eos declaravit pertinaces & hæreticos qui affirmarent Christum ejusque discipulos nihil privati vel proprii habuisse: quod certè non multum cum sacrâ scriptura convenit, quæ multis in locis testatur Christum ejusque discipulos ac veros imitatores nil proprii habuisse; ut illud Evangelii, Qui non vendiderit omnia quæ habet & pauperibus dederit, non potest esse dignus me discipulus. Præterea verò hæreticum putavit esse siquis affirmaret ipsis discipulis vendendi, donandi, testandi, acquirendi suopte ingenio jus non competere, quod ad religionem euntes in alterius arbitrium transeant; unde fit ut domini mancipia non sibi, sed domino acquirant, vel acquisita prius, ex arbitrio & mandato ejus pauperibus distribuant. Harum autem institutionum literas Apostolicas ad gymnasia publica transmisit, ne amplius scholastici eâ de re disputare auderent. Damnavit præterea glossulam quandam fratris Petri ordinis minorum qui conventum quendam tertii ordinis ad imitandam Christi paupertatem animaverat; quorum de numero multi damnati & exusti fuere.* Et quî fieri aliter potuit, ut is, qui majorem auri vim in thesauris reliquerat quàm quisquam alius ante illum pontifex (quod etiam notat *Platina*) quovis modo adduceretur ut paupertati faveret, maximè in clericis? Exoleta scilicet vox erat *Petri* & istis temporibus minimè congrua, † *Argentum & aurum non est mihi*: & periculosa res erat possessionum abdicationem, & mendicantium fratricellorum doctrinam prædicare, & lucro obicem ponere; ne processu argumenti deveniatur tandem ad ipsum Pontificem, eique ob immensum thesaurum congestum & ampliandum obstrepatur. Vix quicquam boni ab avaro & insatiabili homine expectandum est; cum dicit S. * Apostolus cupiditatem omnium malorum radicem esse; & qui Apostolo † major est, neminem posse Deo servire & mammonæ. Cum S. *Johannes* Apostolus in tria malorum capita omne scelus distinguit, quasi in totidem origines toti doctrinæ *Christianæ* adversissimas & ex diametro oppositas; non alia enumerat

† Act. 3. 6.

* 1 Tim. 6. 10.

† S. Matt. 6. 24.

enumerat quàm *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum* & *superbiam vitæ.* 1 Epist. 2. 16. quorum duo posteriora adeo se invicem fovent & comitantur, ut alterum sine alterius consortio vix videatur vivere. *Superbia vitæ* gignit plerumque *concupiscentiam oculorum,* id est, avaritiam; quæ optimo jure sic describi meretur; utpote in cujus sectatorem & aucupem quadrat illud,

——— Populus mihi sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simulac nummos contemplor in arcâ.

Utrum autem alterum pariat, & in scelerato corde sedem primum figat, vix fieri potest quin qui unius reus erit, alterius quoque non insons fiet. Reperias mihi hominem avarum, & per fas & nefas augendis divitiis deditum, in eodem ego tibi citissimè ostendam hominem superbum; & vice versâ in superbo avarum; cum neutrum vitium sine altero possit stare. Videmus ergo *Johannem* unum alterius *Johannis* dissimillimum; *Johannem Papam Johannis Apostoli:* crepant quidem *papæ* ubique *Apostolica: Apostolica* scripta, *Apostolicam* benedictionem, imò & *Apostolica* anathemata; *Apostolicam* authoritatem & *Apostolicam* sedem; & *Apostolica* omnia præter virtutes & dotes *Apostolicas*; quibus per multa secula isti *Apostolici* nominis usurpatores fuerunt peregrini: sed hæc omnia in aerem evanescunt, cum semel ad examen per doctrinæ *Apostolicæ* lydium lapidem revocantur; ut innuit aliquantum *Robertus Grossetest* in epistola ultimâ, ad *Innocentium* quartum. In bina igitur incidit vitia *Johannes Papa* dum tantum nummos deperit & avaritiæ studet; superbiâ etiam & elatione animi turpiter fœdatus; unde in *pauperes fratres* & *mendicantes monachos* stylum strinxit & invidiam acuit, & quasi in tot *errones vagabundos* & *mendicos stupidos & infatuatos* ab alto despexit cum fastu planè *papali:* & mirum valdè erit si tertium quoque, quod recenset Apostolus, vitium in hoc homine non reperiatur; cum magna his tribus insit affinitas & duo ultima tantum præbeant fomitem primo. Imò quidem, ut nihil horum intentatum relinqueret *Papa* (qui nomen sibi assumpsit *Johannis* eâ ratione quâ *Gregorii, Urbani, Clementes, Fœlices, Innocentii, Pauli, &c.* i. e. ut minimè respondeant ei quod vocantur) non minus infamis erat concupiscentiâ carnis, quàm cæteris. Hic enim ille idem *Papa* est qui sororem *Francisci Petrarchæ* tam perditè amavit ob egregiam virginis formam & venustatem, ut aggressus fuerit ipsum *Petrarcham* pilei *Cardinalitii* spe allectare,ut operam is collocaret,quò soror citius fieret **sanctitatis suæ meretrix*; vel,ut mollius dicam, *concubina*, pro stylo istorum temporum: quasi privilegio quodam singulari non fuisset hoc in Pontifice peccatum; vel saltem non magis quàm peccatulum perexiguum, in senio lascivire & bene natam virginem sibi in consortem talem qualem pellicere; cum in ipso *Gratiani* Decreto, edito *Parisiis* 1519. *Dist.* 34. in *Paleâ* dicitur apertè (quod tamen rubeis characteribus oportuit depingi, modestiæ causâ) *Qui non habet uxorem, loco illius concubinam debet habere*; pro quo etiam citatur Concilium *Toletanum.* Nescio ego quid aliud de istâ *paleâ* dicam; nisi quòd ipsa impudentiâ impudentior sit & cum *fœno* & *stipulâ* (1 Cor. 3. 12.) ad accendendos æstus sacerdotum libidinosos apprimè paratis, numeranda; etiamsi in recentioribus editionibus mutetur titulus à [debet habere] in * [licet habere] Pulchram spurcitiæ emendationem! Quis autem crediderit papam octuagenarium & pedem alterum in Charontis cymbâ habentem, non potuisse dormire solum; nisi animi impetus in pecuniam ultra modum solutus hoc etiam secum trahit vitium, ut omnem pudorem etiam in exilium releget? In editione poematum Italicorum Francisci Petrarchæ Mediolanensi, A. D. M. CCCC. LXXXXIIII. annotat aliqua Franciscus Philelphus, vir celeberrimus, quæ huc spectant, & digna sunt quæ memorentur, quia rarissimè occurrit illud exemplar; & in aliis eorundem editionibus non solùm omittuntur, sed falsi à *Papa* amicis insimulantur. Ad *Cantionem* igitur Petrarchæ XIX, partem 1. pag. 46. ubi poeta sic incipit,

* Male conveniunt; sed viderit papa.

* Totus titulus rejicitur ab editione Gregorianâ.

'*Mai non vo più cantar com' io soleva*
'*Ch' altri non m' intendeva, &c.*

ad marginem sic commentatur *Philelphus*:

'*Tra l'altre egregie canzoni del Petrarca, questa XIX. è bellissima è di singolar gravità; à la cui intelligenza è da sapere che'l Petrarca hebbe una leggiadra & polita sirocchia, di cui inamoratosi il papa in Avignone se secretamente per uno suo fidato cubiculario tentare il Petrarca se gli la volea consentire che alcuna volta li scaldasse li fianchi; promettendoli farlo Cardinale come altra volta gli havea data intentione Il che udito messer Francesco aspramente sene turbò & rispose al cubiculario che lui si credeva esser huomo & non bestia, & che non havea punto bisogno d'un*

'*d'un capello si sporco fetido, con altre parole quali destar suole il disdegno congiunto con la ragione nelli 'animi generosi. Il che udito il disonesto & libidinoso pontefice n' hebbe quel dispiacere che la flagiziosa lussuria indur suole nel cuore di coloro che nulla curano fuor de la gola & del ventre. Onde 'non come prima con occhio benigno rimirava il Petrarca, ne gli parlava con domestico & giocondo sermone, secondo solea; significandoli per assai alla discoperta che da lui nulla potea sperare se non si disponeva andare à seconda degli suoi disfrenati piaceri: la qual cosa fù cagione 'che 'l Petrarca compose questa vaga & pellegrina canzone: chiar dimostrando al papa quanto 'stima lui fesse del suo disdegno, con significazione che si partirebbe da corte, come poco poi fece; 'quando del certo s' accorse che'l tristo papa havea ottenuto il suo disonesto disio per mezanità 'di quel suo vil fratello che poi finalmente si fece monacho*, Id est, Inter alias *Petrarchæ* cantiones egregias, hæc decimanona pulcherrima est & singularis gravitatis: quæ ut melius possit intelligi, sciendum est habuisse *Petrarcham* sororem quandam elegantem & formosam; cujus amore captus *Papa* in *Avenione*, secretè egit per camerarium quendam suum tenacem cum *Petrarcha*, ut illa cum bonâ illius pace *Papæ* aliquoties latus calefaceret; interposito promisso futurum se illico Cardinalem, sicut alias illi hoc fuerat significatum, si *sanctitatis suæ* votis hac in re faveret. Quo audito, dominus *Franciscus* magnopere animo angebatur, cubicularioque respondebat, se hominem quidem & non bestiam semet esse credidisse, nec minimùm sibi *pileo tam turpi & fœtidô* fuisse opus; cum aliis ejusmodi verbis, quæ indignatio sobria animis generosis suggerit. Quæ cum audiisset libidinosus & impudicus Pontifex, ea tam iniquè tulit quam luxuria scelerata eorum solet, qui nihil nisi gulam & ventrem curant. Hinc cœpit pristinam erga *Petrarcham* benignitatem exuere; nec postea ullâ usus est cum illo familiaritate affabili & jucundâ, sicut antehac solitus est; indicavitque illi apertissimè, nihil prorsus ab ipso expectandum esse, nisi morem voluptati suæ effræni gereret: quod quidem *Petrarchæ* ansam dedit ut mirandam hanc & placidam cantionem componeret: quo *papæ* clarius innotesceret quantillam ejus iræ rationem habuit; quòdque citissimè *curiæ* suæ tergum daret; sicut statim postea fecit, simulac perspectum habuisset infamem *papam*, operâ fratris sui improbi, qui postea monachus factus est, desiderii sui nefarii evasisse compotem.

Hanc *Philelphi* annotationem perstringit & carpit *Alexander Velutellus*, commentator itidem in *Petrarcham Italicus*, in editione poematum eorundem *Venetianâ* A.D. 1552. in præfatione; sed ne gru quidem affert argumenti quo minus *Philelpho* credatur; nec quicquam exhibet lectu dignum nisi quòd clarè demonstret *papam* illum (quem *Petrarchæ* sororem dicit *Philelphus* vitiasse) fuisse hunc *Johannem* vigesimum secundum (vel, ut biographi numerant, vigesimum tertium) & non *Benedictum* duodecimum, sicut vir nobilis & doctissimus *Philippus Mornæus* sibi visus est probare ex *Hieronymo Squarciafico*; in *Mysterio suo iniquitatis*. Hæc igitur tria vitia in uno Pontifice videmus concatenata; qui si senex exanguis & debilis tantum urebatur, tecum cogita, lector, qualis fuerat in calore juventutis. Hæc de Johanne: sed quid de *Occamo* dicendum est? quid de hoc ejus opusculo? Consulendi tibi sunt, Lector, *Balæus*, *Pitsæus* cæterique scriptores de scriptoribus *Anglicis*. Vir erat probus & prudens & fortis, quantum quidem ab istius seculi, quo vixit, monacho expectandum est: vindex acerrimus *Ludovici Bavari* Imperatoris contra usurpationes *papales*; & veritatis amicus haud infimus; cujus extant apud * *Gersonem* elogia dignissima; posteris notus tum ex nomine *Doctoris invincibilis*, tum ex sententiâ nomen illud confirmante, quando scripsit ad Imperatorem hæc verba, *Domine Imperator, defende me gladio, & ego te defendam verbo.* Multa hujus *Wilhelmi* opera recudit *Melchior Goldastus* juxta eorundem editionem veterem *Lugdunensem*; quam tamen *Badius Ascensius* queritur fuisse mutilam & eximiâ parte Scriptorum contra *papam* truncatam: quam utinam aliquis vir probus nobis aliquando integram redderet. Omne enim à veteribus *monachis* contra *papæ errores* vel *tyrannidem* conscriptum, eò majori habendum esset pretio, quo audacius hodie *Jesuitæ* mundi monarchiam & infallibilitatem *papali* sedi affigere satagunt, & universum mundi regimen pessundare & subvertere student: quibus aliquando Deus pro eorum meritis retribuet, tanquam humani generis hostibus.

* In tract. An liceat à summo Pont. appellare?

Ad hoc quod spectat *Occami* opusculum, quod tibi nunc subjicio, nescio an antehac impressum fuerit: simile autem veri est, fuisse: Id tibi exhibetur ex transcripto viri doctissimi *Wilhelmi Crashavii*; exarato partim illius, partim verò ignarissimi Amanuensis, qui non intellexit quod scripsit, nec abbreviationes scripturæ calluit, manu: cujus liturarii horrenda inscitia maximas mihi creavit molestias, & pensum reddidisset absolutu impossibile, nisi in examinandis citationibus diligentiam non minimam adhibuissem. Ex benignitate viri Reverendi D. *W. Asheton* penes me est ingens *fasciculus* (ita dicitur ab authore)

thore) scriptorum veterum & recentium MSS. contra Ecclesiam *Romanam* facientium: inter quæ hoc unum est quod jam edo: nullum collectoris nomen libro apponitur; fuisse verò collectum à *Crashavio* certissimè deprehendi ex comparatione manûs qua scribitur magna pars hujus voluminis cum manu *Crashavii* in scriptis penes M. *W. Paine* parochum meum, *Crashavii* in eandem Ecclesiam, necnon & doctrinam & ingenium successorem. Inter manuscripta Collegii *Magdalenensis Oxon.* recensetur in catalogo *Tho. James*, *Defensorium Ockami*, numero 52. quod idem fortè est cum hoc: importunum est à præsentibus Collegii nobilissimi possessoribus quærere; à futuris aliquando, spero, non erit. Effugisse hunc tractatum *Goldastum*, si excusus unquam fuerit, valdè miror; non aliud mihi argumentum *est fuisse excusum*, nisi quòd in *Fasciculo Crashaviano* dicatur, in *elencho tractatuum*, notari ea *asterisco* quæ nunquam adhuc impressa fuere; qui huic deest. Testatur *Trithemius Occamum* scripsisse contra *Johannem* 22, *De paupertate Christi & Apostolorum*; & libellum hunc eundem planè esse nullus dubito: confer hæc cum compendio errorum *Johannis* 22. &c. in collectaneis *Goldasti*, & hæc illius esse tu etiam nullus dubitabis; quinetiam mecum gaudebis opusculum aliud tanti viri è tenebris emersisse. Vale.

Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, humiles Christi pauperes, fideles & Catholici oppressi pro defensione veritatis fideique Christianæ salutem & pacem in eo qui, cum esset dives, pro nobis pauper factus est, & tradidit semetipsum pro nobis, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

VEritatem sapientis animus non recusat, nec fides recta patitur quamcunque jacturam: *sine fide* siquidem (secundum Apostolum) *impossibile est placere Deo*: Almus *Christi* confessor & vitæ ipsius præcipuus imitator *Franciscus*, ac ejus stigmatibus mirabiliter insignitus, divino spiritu illustratus, prædixit regulam suam ac vitam *Christi* acerrimè impugnandam; & quòd supervenient tentationes immensæ, & qui fuerint tunc probati, accipient coronam vitæ: væ autem illis qui de solâ spe religionis confisi tepescent, nec resistent constanter tentationibus ad probationem electorum permissis: qui verò spiritu ferventes ex charitate & zelo veritatis adhærebunt pietati, tanquam inobedientes & schismatici persecutiones & injurias sustinebunt: nam persequentes eos à malignis spiritibus agitati, magnum esse obsequium Dei dicent, tam pestilentes homines interficere & delere de terrâ. Erit autem refugium afflictis Deus, & salvabit eos quia speraverunt in eo: & ut suo capiti conformentur, fiducialiter agent, & per mortem vitam mercantes æternam, obedire Deo magis quàm hominibus eligent, & mortem potius quàm consentire falsitati & perfidiæ, nullatenus formidabunt: nam veritas à *prædicatoribus* tunc operietur silentio aut conculcata negabitur; & vitæ sanctitas à suis professoribus habebitur in derisum. Quare dignum dignis non pastorem sed exterminatorem mittet eis Dominus *Jesus Christus*; & quòd aliquis non canonicè electus & infectus hæreticâ pravitate, in articulo tribulationis illius ad *papatum* assumptus, multis mortem sui erroris contradictoribus propinare conabitur. Hæc prophetia nostri patris ad literam cernitur adimpleta in *Johanne* XXII; qui quantum in ipso fuit, perfectionem Evangelicam & totum statum Ecclesiasticum exterminavit & multas hæreses in Ecclesiâ seminavit, prout in quatuor statutis sub forma bullarum extravagantium per ipsum editis, evidenter annotatur: quorum primum incipit [*Ad conditorem canonum*] secundum [*Cum inter nonnullos*] tertium [*Quia quorundam mentes*] quartum [*Quia vir reprobus*]. Quorum errorum in prædictis statutis contentorum aliqui de pluribus, cum eorum veris reprobationibus hic breviter subscribuntur.

Extant tria priora in Corp. juris Canonici.

Primus

Primus Error.

Primus error est, *quòd Dominus noster Jesus Christus in quantum homo, viator mortalis, imò in quantum crucifixus, erat verus Rex in temporalibus, habens verum Universale regnum & dominium omnium rerum temporalium hujus mundi.*

QUI error Scripturæ sacræ & scriptorum doctorum & patrum doctrinæ contradicit apertè. Quòd autem Scripturæ contradicit, patet per illud quod legitur *Johannis* 18. *Christum* dixisse *Pilato, Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc: & Johannis* 6. *Ergo cum cognovisset quòd venturi essent ut raperent eum & facerent eum Regem, fugit iterum in montem:* solus ergo vitavit Regnum & regnare in temporalibus. Secundum hoc & *Luc.*12. ubi cuidam de turba dicenti sibi, *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem,* respondit dicens, *Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* Constat ergò quòd ad Regem tanquam ad ordinarium judicem spectat de hæreditatum divisionibus judicare & cogere ad easdem: Ergo non regnavit temporaliter; aliter saltum dixisset quòd non pertinebat ad eum: & sic articulus iste contradixit Sacro Textui. Quòd autem adversetur dictis sanctorum doctorum & patrum patet: Ait enim *Augustinus* in quodam Sermone de Innocentibus; Putabat se infœlix tyrannus Domini Salvatoris adventu, regali solio detrahendum; sed non est ita: non enim ad hoc venerat *Christus,* ut alienam gloriam invaderet, sed ut suam donaret: non venerat ad potestates dignitatesque rapiendas, sed ad contumelias perferendas: non enim ad hoc venerat ut illud sacrum caput ad diadema gemmarum, sed ut ad coronam spineam præpararet: non, inquam, venerat ut constitueretur supra sceptra magnificus, sed ut crucifigeretur illusus. Item idem *Augustinus* in Epist. ad *Madaurenses* dicit sic, Itaque *Christus* non regno decoratus, nec *Christus* terrenis opibus dives, nec *Christus* ullâ terrenâ fœlicitate præfulgens, sed *Christus* Crucifixus per totum orbem terrarum prædicatur: hoc ibi. Item *Ambrosius* super *Luc. l.* 3. super illud, Dabit illi Dominus Deus sedem *David* patris ejus, &c. Ergo si angelo non credis, ipsi saltem Domino crede dicenti, *Tu dicis quia Rex sum ego:* nunquid ergo ipse mentitus est, quia regnare se dixit qui non regnavit in terris? Quomodo Scriptura solvitur quæ Regem eum dixit & non regnare astruit? & infra, Qui dicit non esse de hoc mundo regnum suum, ostendit esse supra mundum; & ita erat regnum ejus & non erat; non erat in seculo, sed supra seculum. Item *Bernardus* super *Missus est* dicit; Dabit ei ergo Deus sedem patris ejus; non typicam sed veram; non temporalem sed æternam; non terrenam sed cœlestem: quæ idcirco memoratur fuisse *David,* quia hæc in qua temporaliter sedit *David,* æternæ illius gerebat imaginem. Item *Gregorius* in Cura Pastorali loquens de regno Christi dicit, Nolite plures magistri fieri: nam ipse Dei & hominum Mediator regnum percipere vitavit in terris, qui supernorum spirituum scientiam sensumque transcendens ante secula regnat in cœlis: qui idcirco in carnem venerat, ut non solùm nos per passionem suam redimeret, verumetiam per suam conversationem doceret; exemplum se sequentibus præbens, Rex fieri noluit, ad Crucis verò patibulum sponte pervenit: oblatam gloriam culminis fugit, pœnam opprobriosæ mortis expetivit ut membra ejus exemplo instrueret favores fugere, terrores minimè timere, pro veritate adversa eligere, prospera formidando declinare. Hæc *Gregorius.* Item sanctus *Leo Papa* in quodam sermone Epiphaniæ qui legitur in Ecclesia, loquens de regno Christi dicit sic, *Herodes* verò audiens *Judæorum* principem natum, successorem suspicatus expavit: & parum pòst, O cæca stultæ æmulationis impietas, quæ turbandum putas divinum tuo furore consilium: Dominus mundi temporale non quærit regnum, qui præstat æternum. Quibus authoritatibus nihil clarius dici potest ad ostendendum quòd regnum *Christi* in quantum homo viator fuit, non fuit temporale & terrenum, sed cœleste & æternum. Item quòd regnum *Christi* in quantum homo viator fuit, non fuit temporale sed spirituale & cœleste, apparet per hoc, quoniam tale fuit regnum *Christi* quale non venit contemnere & despicere: sed *Christus* venit prædicare & annunciare regnum cœlorum & contemnere atq; despicere regnū temporale & terrenū propter regnum cœlorum: qui ait, *Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo Matt.* 19. *& Mar.* 10. *& Luc.* 18. non fuit ergo temporale & terrenum. Prætерea ille qui venerat temporaliter non judicare, sed judicari, non venit temporaliter principari & dominari, sed magis temporaliter subjici & subdi. Item regnum Christi

pro

pro quo mortuus est non fuit temporale, quia temporale regnum *Judæorum* propter mortem *Christi* extitit dissipatum; & prophetæ prædixerunt, per *Christum* regnum suum esse reparandum: sed regnum temporale non fuit reparatum per eum sed dissipatum: concluditur ergo evidenter quòd regnum *Christi* non fuit temporale sed spirituale & cœleste. Nota pro sanâ intelligentiâ veritatis quòd regnum *Christi* tripliciter intelligi potest: primo modo pro regno æternali & divinali: secundo modo, pro spirituali: tertio modo, pro regno materiali vel seculari. Primum spectat ad *Christum* quantum ad suam divinitatem; qua æqualis est Patri & unus & idem cum Patre ratione creationis & gubernationis cunctorum: & de hoc non est quæstio: quantum etiam ad humanitatem spectat ad ipsum per communicationem idiomatum ratione personalis sive hypostaticæ unionis; quia quicquid prædicatur de deitate, prædicatur de homine *Christo* & econverso: secundum etiam competit *Christo* ratione creationis & redemptionis, justificationis & glorificationis, doctrinæ & pastoralis curæ vel spiritualis desponsationis suorum fidelium & electorum, sive membrorum; nec de hoc est quæstio. Tertium verò non spectat nec spectare potest ad *Christum* nec ratione divinitatis, cum contradictio sit, regnum vel regimen temporalium corruptivum, æternum posse esse vel divinum: nec ratione humanitatis sicut probatur supra, quòd ad ipsum ex officio sibi commisso pertinebat de temporalibus judicare, hæreditates dividere, leges civiles condere, homicidas, latrones & malefactores punire; peregrino, pupillo & viduæ cum opprimerentur à potentibus mundi, temporale auxilium impendere, & alia quæ ad officium regum secularium pertinent, exercere: & de isto tertio modo est quæstio & controversia. Est igitur *Christus*, in quantum Deus, Rex omnium angelorum & hominum, bonorum & malorum, fidelium & infidelium, rationalium & irrationalium & cunctorum, & eodem regimine quo Pater omnia regit: est igitur *Christus* homo eodem modo quo dictum est. Secundò, *Christus* fuit Rex spiritualis, in quantum Deus & in quantum homo, à spirituali regimine, quia ad hoc venit in mundum, ut fideles sibi credentes quantum ad spiritualia gubernaret: & isto modo *Christus* est Rex credentium sive fidelium suorum, sive sint *gentiles* sive *Judæi*, quia soli credentes, sint *Judæi* aut *Gentiles*, conversi sunt in Spiritu. Tertiò, nec Christus quantum ad divinitatem nec quantum ad humanitatem sive in quantum homo mortalis, fuit Rex regendo temporaliter, seu in quantum aliquis dicitur Rex per supremum modum regendi temporaliter. Prophetæ igitur in suis prophetiis loquuntur de regno *Christi* spirituali & æternali. Quòd autem *Papa Joh.* 22. loquatur de regno temporali patet quia dicit quòd Christus nisi in valdè paucis pro Rege vel Domino se non gessit: ergo loquitur de regno temporali & seculari; ergo hæreticus manifestè ut supra patuit: si autem loquatur de regno divino & spirituali, tunc est hæreticus manifestus & blasphemus, dicere quòd non gerat se pro rege nisi in valdè paucis; quia ut Rex est Deus omnia creando, gubernando & conservando. Quòd autem loquatur de regno temporali seu seculari patet per hoc, secundum quod dicit quod ideo pauper fuit quòd se fructibus regni non juvabat: perceptio autem fructuum ad adjumentum & conservationem vitæ, emolumenta verò pertinent ad regnum civile vel seculare: ergo de regno temporali & seculari loquitur; igitur hæreticus. Si autem loquatur de regno divino & spirituali, tunc est hæreticus & bestialis, ponendo quòd Deus indigeat fructibus & conservatione ex aliquâ re temporali vel mundi: plures rationes possunt adduci, sed causâ brevitatis omittuntur.

Secundus Error.

Christus in quantum homo mortalis, fuit Dominus habens proprietatem & dominium omnium rerum temporalium.

QUI quidem error sive articulus S. Scripturæ, S. Doctoribus & determinationi Ecclesiæ contradicit. Quòd autem S. Scripturæ contradicit, patet; nam *Luc.* 9. dicit Dominus, *Vulpes foveas habent & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet:* ubi glos. *Hier.* in personâ Christi ait, Quid me propter divitias & lucra seculi vis sequi, cum sim tantæ paupertatis, ut nec hospitiolum quod meum sit habeam, sed tecto utor alieno? Et *Chrysostomus* super eodem, Aspice qualiter paupertatem, quam Dominus docuerat, per opera demonstrat: non erat ei mensa, non candelabrum, nec

nec domus nec quidquam talium. Item Apostolus 2 *Corinth.* 8. *Scitis*, inquit, *gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui propter nos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus*; *& in hoc consilium do.* Et in * Psalmo in persona Christi dicitur, *Ego verò egenus & pauper sum*: ubi glos. dicit, Egenus fuit *Christus*, quia pauper, id est, sibi insufficiens. Et in alio † Psalmo, *Ego autem mendicus sum & pauper*: ubi glos. dicit: Christus secundum quod homo, mendicus fuit: & mendicus est qui ab alio petit; & pauper, qui sibi non sufficit: hæc glossa.

* 109. 22.

† 40. 17.

Quòd autem determinationi Ecclesiæ adversatur, patet; nam Extra. de verb. signif. lib. 5. cap. * Exiit. scribit propterea definitivè sic: Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum, tam in speciali quàm etiam in communi, propter Deum meritoria est & sancta; quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit & exemplo firmavit: hic ergo sancta mater Ecclesia definitivè pronunciat quòd *Christus* exemplo firmavit abdicationem proprietatis omnium rerum; & per consequens *Papa Johannes* 22. qui dicit quòd Christus habuit proprietatem omnium rerum temporalium, contradicit in formâ Ecclesiæ determinationi: ergo est hæreticus.

* Sext Decret.

Item quòd sanctis doctoribus adversetur patuit suprà; sed ut abundantius pateat, ait *Hieronymus* ad *Nepotianum*, Turpe est ante fores sacerdotum nostri *Jesu Christi* crucifixi & pauperis, qui cibo quandoque vescebatur alieno, lictores militum & consulum excubare. Item idem ad *Heliodorum*, Affatim dives est, qui cum *Christo* pauper est. Item *Gregorius Nazianzenus* dicit, Vestigiis illius incedamus, qui propter nos factus est pauper, cum dives esset: Et Chrysostomus super Epistolam ad hæc dicit, Nemo causetur de paupertate, tanquam causa sit multorum malorum, nec obloquatur de *Christo*, quòd perfectionem illam dicit, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, &c.* hoc enim ipse & verbis dixit & operibus ostendit & discipulos suos docuit. Item idem, Si vis audire paupertatis prædicamenta, ipsam professus est *Christus*, qui dicit, *Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Item *Anselmus* in libro de Sacramentis ait, Pauper ita fuit *Christus* ut veniens in mundum non in suâ sed in alienâ domo vesceretur; & natus, propter inopiam loci in præsepe brutorum animalium poneretur; & vivens, in mundo non haberet ubi caput suum reclinaret, nec moriens, unde nuditatem suam tegeret; nec mortuus, unde involveretur, nec sepulchrum aut locum ubi corpus mortuum collocaretur. Præterea omnia ad perfectionem & fidelium utilitatem spectantia quæ *Christus* docuit, ipse fecit: sed abdicare temporalium divitiarum dominium & proprietatem ad perfectionem & utilitatem fidelium spectat, & hanc abdicationem *Christus* docuit; ergo hanc abdicationem ipse servavit. Probatur *Actuum* 1°. *Cœpit Jesus facere & docere*: & fecit ergo & docuit: & Matt. 5°. dicit, *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Sed *Christus* non fuit minimus sed maximus in regno cœlorum; Ergo fecit & docuit: patet etiam in suprà dictâ authoritate *Chrysostomi.* Quòd *Christus* docuerit divitias abdicare, dominium & proprietatem, patet per illud Matt. 19. *Vade & vende omnia quæ habes, &c.* & *Amen, dico vobis quòd vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, &c.* & Matt. 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ.* Et in multis aliis locis Christus docuit mundum contemnere & divitiarum dominium abdicare. Paupertas Religiosorum non est major nec perfectior paupertate *Christi*: sed religiosi abdicant dominium & proprietatem divitiarum, saltem in speciali: ergo & *Christus* saltem in speciali dominium divitiarum abdicavit, & constat quòd alius à *Christo* habuit dominium omnium temporalium commune cum ipso Ergo non *Christus* in speciali nec in communi habuit universale dominium omnium temporalium: nam omnes religiosi imitantur *Christum* in paupertate, non præcedunt: Ergo, &c.

Tertius

Tertius Error.

Tertius error est *quòd Dominus noster Jesus Christus in quantum homo mortalis, per successum temporis acquisivit sibi diversis modis dominium proprium in speciali quamplurium rerum temporalium, ut vestimentorum, calceamentorum, loculorum & alimentorum, partim per collectionem fidelium, partim per emptionem.*

QUI error contradicit Evangelicæ veritati; quia ipse *Christus* dicit *Luca* 14. *Omnis ex vobis qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus:* constat autem quòd *Christus* fecit quæ docuit, ad perfectionem pertinentia, ut probatum est suprà *Act.* 1°. *Cœpit Jesus facere & docere*; & *Ambrosius* in Sermone 8. Epiphaniæ dicit, Facere prius voluit, quod faciendum omnibus imperabat, ut bonus magister doctrinam suam non tam verbis significaret quàm actibus exerceret, & ad fidem nos gestu pariter firmaret & sensu: hæc *Ambrosius:* Aliter enim non fuisset magnus in regno cœlorum, ut dictum est, quia non fecisset quæ docuit. Item *Hieronymus* super Psalm. 34. Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, dicit fuisse *Christum* de manibus & potestate *Judæorum* ereptum: inops enim in hoc mundo fuit *Christus*, qui non proprium habuit: unde Ipse ait, *Vulpes foveas habent, &c.* hæc *Hieron.* Item *Basilius* in regulâ suâ dicit, Siquis ergo dicit proprium aliquid esse, alienum se facit ab electis Dei & charitate Domini; qui & quæ docuit verbo, opere complevit. Item *Hieron.* ad *Rusticum* monachum, Si habes substantiam, vende & da pauperibus & nudum exemplum nudus sequere: durum est hoc, grande & difficile; sed magna sunt præmia. Idem ad *Eustochium* dicit de exemplo, pauperrimum & abjectum se ostendit. Item glossa super illo verbo *Johannis* 14. *venit princeps mundi hujus & in me non habet:* dat, voluit nihil habere dans quod perderet: pauper venit ne haberet diabolus quod auferret: hæc glossa. Sed omnino temporale proprium, modicum aut satis, auferri potest & perdi: Ergo *Christus* nullius rei temporalis proprietatem habuit: & *Bernardus* * *ad fratres de monte Dei* dicit de *Christo*, Cum dives esset pauper pro nobis factus est; & qui voluntariæ paupertatis dedit præceptum, ipse ejusdem in semetipso nobis formam dignatus est demonstrare: ut enim sciant Evangelici pauperes quid eis faciendum sit, ipse etiam à fidelibus pasci voluit, nonnunquam etiam ab infidelibus, (sed ut fideles faceret) vitæ necessaria accipere non recusavit. Hæc *Bernardus.*

Vide opus Occami Nonaginta dierum in Goldasto, tom. 2. p. 1165. &c.

* P. 1034. edit. Antuerp. 1620.

Iste error contradicit prædictis in propria formâ: quia ibi dicit, Quòd ab instanti conceptionis suæ habuit universale dominium omnium rerum temporalium: & hîc dicit quòd acquisivit sibi dominium aliquarum rerum, quarum dominium non habuit antè: habere ergo universale dominium omnium rerum, & aliquarum non habere, est contradictio in formâ: hinc patet quòd convenit sibi illud *Augustini* ad *Bonifacium* comitem contra *Donatistas*, & ponitur Cauf. 23. q. 7. cap. *Quod autem.* Sic inquiens, Quidam adeo calumniandi cupiditate cæcantur ut non attendant quàm sunt inter se contraria quæ loquuntur. Quòd autem non habuit *Christus* proprietatem calceamentorum, ut dictus hæreticus dicit, patet quia nec usum habuit: dicit enim *Hieronymus* ad *Eustochium*, Discipuli sine calceamentorum onere & vinculis pellium nudi ad prædicationem novi Evangelii destinantur; & milites vestimentis *Jesu* sorte divisis, caligas non habuere quas tollerent: nec enim Dominus poterat habere quod prohibuerat in servis. Item *Chrysostomus* super Matth. homiliâ, ultima Apostoli unâ tunicâ induti & discalceati circuierunt & omnes superaverunt. Idem homilia 32. Nunquid aliquid defuit vobis quando misi vos nudos & discalceatos? Et *Bernardus* de septem horis, hora tertiâ, Pòst considera quoniam habebat ipsos illos sanctos pedes confractos, nec credas quòd esset calceatus, quia nec ipse nec discipuli ejus calceamentis utebantur: patet etiam, quia ipse discipulis suis interdixit calceamenta portare, ut habetur *Mat.* 10. & *Luc.* 10. & ipse fecit quod docuit, ut patet suprà: Ergo nec ipse nec discipuli ejus calceamentis utebantur.

Ad rationem verò quam pro se adducit hæreticus iste ad probandum quòd *Christus* habuit calceamenta, quia *Johannes Baptista* dicit de eo, Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, respondent glossæ; quarum una dicit, calceamentum mysterium, corrigiæ ligatura mysterium: non enim valet *Johannes* corrigiam calceamenti solvere, quia mysterium incarnationis non sufficit explicare. Et alia glossa dicit, *Non sum dignus corrigiam calceamenti solvere*, id est, *nomen sponsi non mihi usurpo.*

Quòd verò *Christus* non habuerit proprietatem in loculis, sicut iste hæreticus dicit, patet per *Hieronymum* super illud *Matt.* 17. *Vade ad mare*; ubi dicit, Tantæ paupertatis fuit Dominus, ut unde tributa solveret, non haberet. Quòd si aliquis objecerit, quomodo *Judas* in loculis pecuniam portabat? respondebimus, quòd res pauperum in usus suos convertere nefas putavit: hoc ad literam dicit glossa. Item *Chrysostomus*, super illud *Johan.* 13. quòd loculos habebat *Judas*, dicit, nimirum quòd nullus discipulorum pecuniam portabat, sed per hoc quod dicit hic, occultè insinuat quòd quædam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant. Item *Augustinus* super *Joh.* parte secunda, homil. 8. (& ponitur caus. 12. q. 1. cap. habebat.) Habebat Dominus loculos à fidelibus oblata conservans & suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuebat: tunc primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta. Hæc Augustinus. Sed constat quòd pecunia quoad proprietatem & dominium non est Episcoporum & prælatorum Ecclesiæ, sed quoad administrationem & dispensationem, ut idem Augustinus (& ponitur caus. 23. qu. 7. cap. Quod autem nobis.) sic inquiens, Non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus; non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus. Nec obstat illud *Johan.* 4. *Discipuli ejus iverant in civitatem ut cibos emerent*; quia tunc non erant facti Apostoli, & per consequens non tenebantur expropriari pecuniam; quod fuerunt ad Apostolatum vocati in Sermone de monte; ut patet expressè *Luca* 6. qui, ut patet *Matt.* 4. fuit factus in Galilæâ: de quo habetur Johannis 4°. qui quidem secundum Augustinum lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 17. fuit † factus ille de quo dicitur *Matt.* 4. Cum audisset *Jesus* quòd *Johannes* traditus esset, secessit in *Galilæam*: & pòst infrà narrat illam tertiam & perfectam vocationem *Petri* & *Andreæ* & *Johannis* & *Jacobi*: & pòst in principio † ubi ponit sermonem factum in monte in quo facti sunt Apostoli; ac deinde fuerunt eis imposita à *Christo* illa præcepta in quibus dicitur quòd nihil possiderent, nec aurum nec argentum nec pecuniam, & quòd nihil portarent in via, &c. ut patet Matt. 10. Marc. 6. & Luc. 9. Ergo dicendum quòd ex pecunia mulierum emissent quæ sequebantur eum, ut dicitur Luc. 8. Nota autem summam *Christi* sapientiam in hoc casu & consimilibus; quòd aliud est dare formam condescensionis, aliud formam prædicationis vitandæ: aliud formam curæ pastoralis; aliud formam mediocris religionis; aliud formam vitandi erroris, aliud formam spiritualis principii præcavendi. *Christus* enim rarò usus est loculis partim condescendentiâ tam pro infirmis quàm pro forma mediocris religionis; partim pietate curæ pastoralis, ut ostenderet quòd prælatus oblationes Ecclesiasticas in usus pauperum debet convertere potius quàm in suos, & quòd sic debet inopias pauperum sublevare & eorum curam habere, quòd tamen congregationi magnorum thesaurorum non debet pro hac re insistere: unde dicti sunt diminutivè loculi, i. e. parvi locelli. Usus est autem ad docendum quòd in casu periculoso, aut inevitabili necessitate licitum est imò debitum quantumcunque perfectis uti loculis aut æquivalenti: usus est etiam *Christus* in condemnationem futurarum hæresum dicentium quòd nulli *Christiano* & præcipue clerico vel prælato licet habere aurum vel argentum: docuit etiam per hoc esse formidandam providentiam & conservationem temporalium; quia unus ex duodecim Apostolis cecidit in latrocinantium cupiditatem: Et in hoc ipse docuit quantum sit fugiendum malum cupiditatis Ecclesiasticorum bonorum; quia *Judas* per hoc factus est proditor *Christi*: docuit etiam quoscunque prælatos ut dispensationem rerum temporalium etiam necessariarum alteri relinquant; ipsi verò soli orationi instent, sicut fecerunt postmodum Apostoli Act. 6. & ne in hoc nimis curiosè timerent de infidelitate dispensationum, aut pro tali timore dispensationem hujusmodi ad se revocarent; cum tolerabilius sit temporalia perdi quàm a spiritualibus officiis retrahi: Habuit igitur *Christus* res aliquas absque earum dominio & proprietate; & illa vocabula meum, tuum, suum, istius & illius, & habere & similia multipliciter accipiuntur in Scripturis: aliquando autem important dominium & proprietatem; aliquando usum facti; aliquando licitam potestatem utendi; aliquando custodiam; aliquando locationem; aliquando originem patriæ & aliis quasi innumerabilibus modis accipi possunt. Quare potest concedi quòd *Christus* varias res habuit quantum ad usum, quantum ad licitam potestatem utendi, quantum ad consuetudinem utendi, quantum ad originem patriæ, quantum ad dispensationem sive dispositionem licitam; non quòd habuerit dominium & proprietatem: & ita vestimenta *Christi* & cætera necessaria quibus necessariò utebatur, erant *Christi*, in quantum homo erat, quoad usum. Dicit etiam *Bernardus* de *Christo* & Apostolis & apostolicis viris & Evangelicis religiosis, Cui nempe de proprio nihil est, totum profectò quod habet, Dei est. Unde pro tota ista quæstione & materia de *Christi* & Apostolorum paupertate, notandum est primò quòd *Christus* & Apostoli fuerunt in duplici statu: fuerunt enim Universales prælati Ecclesiæ Novi Testamenti; & hoc modo

† Mirè hic excutiit amanuensis; cujus errorem facilè reparabis ex Augustini loco citato & cap. sequente.

modo habuerunt, quantum ad hoc, authoritatem dispensationis & distributionis pro dando pauperibus & ministris Ecclesiæ: sicut de Apostolis scribitur Act. 4. & negare quòd non habuerunt isto modo, esset hæreticum; & de hoc modo non est quæstio: & ista plantationis authoritate dicitur *Christus* loculos habuisse. Secundò *Christus* & Apostoli possunt considerari ut speciales personæ & singulares, fundamenta perfectionis religiosæ & perfecti contemptores mundi & gloriam mundi calcantes, & Christi consilia de supererogatione perfectionis in seipsis observantes: & si quæratur utrum isto modo habuerunt; distinguendum est de duplici modo habendi: quorum primus est civilis & mundanus, quemadmodum leges *Imperiales* definiunt, duas ejus partes ostendentes, in hæc verba, Ea in nostris bonis dicuntur esse in quibus habitis exceptionem & defensionem, & non habitis repetitionem habemus. Et primum, quia qui habet aliquid civiliter & mundanè, potest defendere rem suam ab invasore, & repetere à detentore sub judice Imperiali. Et isto modo dicere quòd Christus & ejus Apostoli habuerunt res mundanas, esset hæreticum, quia est contra sanctum Evangelium: nam *Christus*, Rex pacificus, qui apostolos suos fecit filios pacis, separavit eos ab omni mundano litigio, dicens *Matt. 6. Et qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere, prabe ei & pallium.* Et *Luc. 6. Ab eo qui aufert tibi vestimentum, & tunicam noli prohibere, & qui aufert qu. tua sunt, ne repetas.* In quibus verbis *Christus* removet à se (quoniam ipse fecit quod docuit) & à suis Apostolis, quibus hæc imposuit, duas partes juris civilis & mundani, secundum defensionem habiti & repetitionem perditi: & iste modus habendi dicitur propriè habere in re proprietatem & dominium, & Christus & Apostoli ejus isto modo non habuerunt. Idcirco beatus *Petrus* pro se & aliis Apostolis dicit, sicut verus pauper, *Matt.* 19. Ecce nos reliquimus omnia: dicere ergo quòd *Christus* & Apostoli ejus isto modo habuerunt in communi vel in speciali proprietatem & dominium, est hæreticum & blasphemum. Alio modo possunt haberi res temporales, scilicet quantum ad jus naturale communis charitatis fraternæ; & isto modo *Christus* & Apostoli habuerunt bona temporalia jure naturali, quod ab aliquibus dicitur *jus poli*, ad sustentationem naturæ, repellentes omnia quæ divitias saperent, vel delicias redolerent, vel mundi pompam redolerent: & isto modo habuerunt vestes, panes & pisces; sicut dicit Apostolus, 1 Tim. 6. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus: nec aliqua perfectio nec aliquid consilium *Christi* est quod prohibeat talem modum habendi: sed quantum ad necessarium usum vitæ: & ideo dicere quòd *Christus* & Apostoli ejus non habuerunt isto modo, esset hæreticum.

Secundò notandum est, quòd ad tollendum cavillationes, ista quæstio vel materia est in tales terminos resolvenda, utrum, si servando vitam tunicam suam Christus instituit & servavit & Apostoli servaverint, & beatus *Franciscus* in regula sua servandam accepit, prout sancta Ecclesia confirmavit, possit quis habere proprium in speciali vel in communi civiliter & mundanè prædictam vitam in sua perfectione servando? & tenendum est pro fide indubitabili Evangelii omnino quòd non, &c.

Quartus Error.

Quartus error est, *quòd Apostoli postquam fuerunt ad Apostolatum assumpti habuerint in speciali & sigillatim, non solum in commun., proprietatem & dominium multarum rerum; quòd nunquam abdicaverunt à se proprietatem & dominium universaliter omnium rerum temporalium, nec votum paupertatis emiserunt; sed etiam post emissionem Spiritûs Sancti super eos factam habuerunt in speciali & sigillatim per proprietatem & dominium proprium vestimentorum, calceamentorum & alimentorum; & quod Christus nunquam consuluit eis abdicationem proprietatis & dominii omnium rerum.*

QUI error contradicit Evangelicæ veritati & est destructivus Evangelicæ perfectionis: dicitur enim Matt. 4. de Petro & *Andreâ*, Jacobo & *Johanne*, Et illi continuò relictis retibus secuti sunt eum: ubi glossa dicit, *Amplius ad propria non reversuri*; super quo etiam *Gregorius* dicit, * *Multum dimisit qui nihil sibi retinuit; multum dimisit, qui cum re possessâ etiam concupiscentiis renunciavit* Et Matt. 6. *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terrâ*, Et, *Nolite esse soliciti, dicentes, Quid manducabimus?* Et Luc. 12. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Et Matt. 10. *Nolite possidere aurum nec argentum*: &

* Homilia 5. in Evang. S. Matt.

19. *Petrus*

19. *Petrus* in persona omnium Apostolorum ait, Ecce nos reliquimus omnia: & Luc. 14. *Omnis ex vobis qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Super quo *Ambrosius*, Negat *Christus* suum esse discipulum quem viderit aliquando possidentem: & *Augustinus* de contemptu mundi dicit, Qui dicit omnibus, nil proprium à suis discipulis possideri voluit: qui quicquam possidet, remotus est à *Christi* disciplinâ. Item *Hieronymus* super Psalmo 29. *Comminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius unicornium,* dicit, † Apostolos filios unicornium intelligimus, qui ex *Judæis* processerunt: hi adeo pauperes fuerunt & nudi ut eis nihil proprium remansit, eisdem testantibus & dicentibus, Ecce nos reliquimus omnia. Item ad Exuperantium, nemo Apostolis pauperior fuit, & nemo tantum pro Deo dereliquit. Item *Gregorius* super Cantica, super illo verbo, *Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ,* &c. [cap. 8. 7.] dicit, Homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione tribuit, quando quicquid in mundo possidet, pro *Christo* distribuit: & parum pòst: Hoc Apostoli fecerunt, qui non solùm possessa, sed concupita, ut *Christum* sequerentur, dimiserunt. Quòd autem votum abdicationis proprietatis omnium rerum Apostoli emiserunt, patet: Dicit enim *Augustinus* de Apostolis lib. 17. cap. 4. De civitate Dei; Dixerunt illi potentes, *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te*: hoc votum potentissimi voverunt: sed unde hoc eis nisi ab illo de quo continuè dictum est, Dans votum voventi? non enim Deo quisquam quicquam ratum voveret, nisi qui ab illo acciperet quod voveret. Hæc *Augustinus*: Ex quibus verbis manifestè concluditur quòd Apostoli voverunt sequi *Christum* in abdicatione proprietatis omnium rerum: quod etiam multiplici ratione probari possit: sed causâ brevitatis omittimus; quia ex suprà dictis & dicendis satis patet.

† Hæc verba non occurrunt in Comment. ad Text. Psalmorum in editione Erasmi.

Obviat etiam hæreticalis assertio antedicta determinationi Ecclesiæ sacrosanctæ, ut patet Extra de verb. signific. cap. Exiit: ubi definitivè dicitur, Dicimus quòd abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quàm in communi propter Deum meritoria est & sancta; quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmavit; quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfectè vivere per doctrinæ ac vitæ ipsorum alveos derivarunt. Concluditur ergo quòd ipse sit hæreticus manifestè; tam ipse quàm ejus assertio antedicta.

Quintus Error.

Quòd Christus non imposuit aliam legem vivendi Apostolis quàm quibuscunque aliis discipulis, per discipulos intelligens quoscunque fideles *Christi*, sicut exemplificat de *Lazaro, Mariâ, Marthâ, Joseph* ab *Arimathæâ* & *Dorcâ*.

QUI error contradicit Scripturæ divinæ & Ecclesiæ & doctoribus; quod patet: nam Matth. 10. scribitur, *& convocatis 12 discipulis suis dedit eis potestatem spirituum immundorum: & infrà, Hos 12. discipulos misit Jesus, præcipiens eis & dicens, In viam gentium non abieritis: & infrà, Nolite possidere aurum nec argentum neque pecuniam in zonis vestris; non peram in viâ, nec duas tunicas, nec calceamenta nec virgam.* Et similiter Lucæ 9. *Nihil tuleritis in viâ, nec virgam nec peram, nec pecuniam.* Et Marc. 6. *Et vocavit duodecim, & cœpit illos mittere, & præcepit nequid tollerent in viâ nisi virgam tantùm, nec peram neque panem, nec in zonâ æs.* Item *Hieronymus* contra *Jovinianum*, Nunquid omnibus præceptum est, ne duas tunicas haberent, ne cibos in perâ, æs in zonâ, calceamenta in pedibus, & ut vendant universa quæ habent, & dent pauperibus & sequantur exemplum? Non; sed tantùm scilicet his, qui volunt esse perfecti. Item *Gregorius* 27. Moralium, super illud *Job, Judicium pauperibus* tribuit, speciali, *inquit*, jussione paucis & perfectioribus; & non generaliter omnibus dicitur hoc quod adolescens dives audivit, *Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus:* si enim hoc sub præcepto cunctos jussio generalis astringeret, culpa profectò esset, aliquid nos de hoc mundo possidere! sed aliud est quod per scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur; aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hæc *Gregorius*. Hæreticus ergo supradictus tanquam insanus contra Scripturam sacram & contra sanctos garrulat impudenter. Est ergo sciendum quòd discipuli fuerunt in duplici differentiâ: quidam erant Apostoli: quidam verò præter Apostolos ad prædicandum fidem

fidem Christi fuerunt specialiter deputati à Christo; & isti fuerunt 72. de quibus habetur Luc. 10. tertii erant similiter conversi ad fidem; sed officium prædicationis à *Christo* minimè receperunt. Primi & secundi non habebant temporalia, quoad dominium & proprietatem: sed tertii poterant habere quæcunque temporalia, saltem pro illo tempore: & ideo exempla sua in nullo concludunt.

Sextus Error.

Quòd Apostoli non abdicaverunt, sed habuerunt & habere licitè potuerunt bona immobilia ut agros & prædia quoad proprietatem & dominium in communi; & quòd illa in Judæâ non receperunt nec retinuerunt, non fuit quòd repugnaret hoc eorum prædicationi; sed quòd prævidebant se in spiritu transituros ad gentes.

QUI error contradicit scripturæ divinæ & sanctis doctoribus, ut priores; patet enim *Luc.* 14. Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus; & *Matt.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, &c. Item *Africanus*, in legendâ *Simonis & Judæ*, refert quòd Apostoli dixerunt, nobis non licet aliquid possidere super terram, quia possessio nostra in cœlis est, quæ est æterna, ubi immortalitas regnat, & primo nulla ratione possumus aurum & argentum recipere, aut vestes aut domos aut prædia, aut servos aut ancillas: ista omnia terrena sunt, & morientem hominem non sequuntur. Aug. de facultatibus Ecclesiæ dicit, De Evangelio vivunt qui nihil proprium habere volunt. Ad hoc faciunt omnes authoritates scripturæ & sanctorum in supradictis duobus erroribus, positæ ad Decretum *Melchiadis* quod pro se allegat caus. 12. q. 1. cap. *Futuram*. Dicendum * .... glossam super nomen *Melchiadis*, quæ dicit, *falsus est testis, quia Melchiades fuit ante Silvestrum & Constantinum*, de cujus donatione cum expresso nomine *Constantini* fit mentio in dicto cap. [*futuram*] *Johannis* non potest esse *Melchiades*: Secundò dicendum quòd illa non fuit causa pro Apostolis quare non receperunt prædia, sed paupertas Evangelica quam assumpserant: pro aliis verò credentibus bona fuit illa causa; quia si prævidissent Ecclesiam permansuram in *Judæâ*, non imposuissent eis illam tantam paupertatem; sicut nec conversis in Ecclesiâ de gentibus imposuerunt Unde pro sanâ intelligentiâ veritatis circa istum articulum, notandum quòd duplex fuit communitas in Actibus Apostolorum; ipsorum Apostolorum, tanquam majorum & perfectiorum & ad majora obligatorum: alia verò reliquorum credentium & inferiorum: de qua duplici communitate loquitur *Bonaventura* * Apologiæ suæ cap. 7. dicens, Quamvis enim legatur in Actibus Apostolorum quòd multitudinis credentium erant omnia communia, & quòd rerum venditarum ponebantur pretia ad pedes Apostolorum; non est intelligendum quòd Apostoli aliquid proprium vel commune possederunt; quia communitas illa non refertur ad Apostolos; sed ad turbam, sicut glossa ibidem insinuat: Doctorum & auditorum, *inquit*, discernit ordinem: nam multitudo credentium, rebus spretis, copulâ charitatis jungebatur: Apostoli verò virtute fulgentes mysteria Christi pandebant: & infrà, *in quibus insinuat quòd Apostolis in suâ egestate manentibus, eorum dispositioni, quoad res & personas, primitiva illa Ecclesia suberat: hanc tamen rerum dispositionem maluerunt committere aliis:* † non quòd per illud mysterium aliquid possiderent: Unde & *Petrus* in eadem urbe ubi hæc fiebant, pauperi eleemosynam petenti respondit, Argentum & aurum non est mihi: ubi glossa; Memor illius præcepti, Nolite possidere aurum neque argentum. Hæc *Bonaventura*. Ergo falsum est quod asserit hæreticus supradictus.

* Fort. deest [primò quòd consulendum est.]

* In Editione Moguntinâ Bonaventuræ (1609.) reperiuntur hæc verba tomo 7. Cap. 1. Resp. 3. Apologiæ pauperum, pag. 407.

† *Locus integer Bonavent. sic est*—aliis, sicut in Actibus consequenter legitur, Non est æquum nos relinquere Verbum Dei, & ministrare mensis: quod quidem dixerunt, ut distractionem ministrandi refugerent, non quia per illud ministerium aliquid possiderent.

Septimus

Septimus Error.

Quòd litigare pro rebus temporalibus in judicio, non detrahit neque diminuit de perfectione Evangelicâ, & Apostolis & Evangelicis viris licuit in speciali & sigillatim etiam in communi pro rebus temporalibus tanquam propriis in judicio contendere & litigare.

QUI error adversatur doctrinæ Regis pacifici *Jesu Christi*, dicentis *Matt.* 5. *Qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; & quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo. Et Luc. 6. Ab eo qui aufert tibi vestimentum & tunicam noli prohibere; & qui aufert quæ tua sunt, noli repetere.* Et Apost. in 1 *Corinth.* 6. Jam quidem omnino delictum est in vobis, *quia judicia habetis inter vos: quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini?* Unde *Augustinus* in Enchiridio, cap. 44. propterea citans dicta verba dicit: nam & hic putari posset, judicium habere adversus alterum non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle judicari, nisi secutus adjungeret, *Jam quidem omnino delictum est in vobis quia judicia habetis vobiscum:* & nequis hoc ita excusaret ut diceret se justum habere negotium, sed iniquitatem se pati quam velit à se, judicum sententiâ, removeri; continuò talibus cogitationibus & excusationibus occurrit, atque ait, *Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini?* Ut ad illud redeatur quod Dominus dicit, *Siquis voluerit tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*: & alio loco, *Qui abstulerit*, inquit, *tua, noli repetere.* Prohibuit itaque suos de secularibus rebus habere judicium cum aliis hominibus; ex qua doctrinâ dicit Apostolus esse delictum: tamen cum sinit in Ecclesiâ talia judicia finiri inter fratres, fratribus judicantibus; extra Ecclesiam verò terribiliter vetat; manifestum est etiam hic quid secundum veniam concedatur infirmis. Propter hæc atque hujusmodi peccata & alia, licèt iis minora —— quotidie crebroque dicamus, crebroque oremus Deum, atque dicamus, *Dimitte nobis debita nostra*, nec in eo quod sequitur mentiamur, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hæc *Augustinus.*

Item glossa interlinearis super illud, *Jam quidem omnino delictum est in vobis*, dicit, Ex hoc solùm [quòd judicium habetis] peccatum est litigare, cum pax esse debeat. Notandum ergo quod inter præcepta vel consilia *Christi* posita in sermone de monte, quædam sunt negativa, quædam affirmativa; ut noli repetere; dimitte ei & pallium: quorum unum est negativum & aliud affirmativum: illa ergo quæ sunt negativa in prædictis præceptis suasit *Jesus* discipulis suis in communi tempore in operis executione servare; quæ tamen imposuit Apostolis sub præcepto; & aliis suasit omni tempore dictum præceptum secundum non contendere in judicio, in operis executione servare, sicut Apostolus ad *Corinthios.* Illa verò quæ affirmativa sunt, secundum *Dimitte pallium volenti tunicam*, &, *percutienti in unâ maxillâ præbe & aliam*, non imposuit Apostolis sub præcepto, sed secundum præparationem cordis vel animi: negativa verò, ut dictum est, aliis suasit; sine fraude tamen & sine litigio, ut dictum est superius.

Octavus

Octavus Error.

Quòd Dominus noster Jesus Christus non interdixit simpliciter & absolutè Apostolis suis ne possiderent aurum neque argentum & pecuniam in zonis; sed solùm pro tempore viæ, quando ibant ad prædicandum: post reditum autem à prædicatione poterant liberè possidere & portare.

ISTE Error contradicit Evangelicæ veritati, sicut & cæteri: nam præcepta illa Mat. 10. & Lucæ 9. & Marc. 6. non sunt tantùm pro tempore viæ. Dicit *Chrysostomus* super illo verbo, Nolite possidere aurum, &c. Intende * .... denudans, omnia eis dedit, permittens in domo aliorum condecenter manere, & nihil habentes introire: & pòst, si in aliena patria existentes nihil oportet petere excepto quotidiano cibo, quanto magis domi manentes?

* In veteri tralatione Georgii Trapezuntii, homiliâ 33. in cap. 10. S. Matt. (Edit. Basil. 1525.) sic se habent verba, quæ ignarissimus Crashavii scriba nesciit exscribere — Sed illud non prætermittendum, quòd cum omnibus eos privasse videatur, cuncta concessit: permisit enim ut in eorum domos intrarent, qui disciplinam suam susciperent, ut ibi diutius manerent; hoc pacto & ab omni Apostolos curâ liberabat, &c. *Et paulo infra*: Quòd si ab alienas regiones petentibus & ad ignotos proficiscentibus nihil plus quærendum sit quàm quotidianus cibus: quantò minora quærenda sunt ab his qui domi suæ morantur. *Hinc patet, quamcunque versionem Chrysostomi Occamus sequutus sit, hunc esse locum quem indigitat.*

Item Actuū 3. dixit Petrus paralytico, Argentū & aurū non est mihi: ubi glossa, Petrus memor illius præcepti, nolite possidere aurū, &c. certū est autem quòd tunc *Hierosolymis* erat.

Item *Hieronymus* ad *Exuperantium*, *Nemo Apostolis pauperior fuit; & nemo tantum pro Domino dereliquit*: quod non esset verum si omni tempore non reliquissent omnia. Item idem ad *Gerontiam*, Apostoli toto orbe peregrini, non æs in zonâ, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus. Item idem ad † *Hedibiam*, Vis esse perfecta & in primo stare fastigio dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli; vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & sequere salvatorem, & nudam solamque crucem nuda sequaris & sola. Item *Ambrosius* super 2 Cor. 6. Quantum ad præsentem vitam pertinet, pauperes videbantur, sed spiritales divitias credentibus largiebantur, egeni in terris, in cœlis divites; ut *nihil habentes & omnia possidentes*. Hoc fuit in Apostolis gloriosum ut sine solicitudine & nomine possidendi, non solùm ea quæ in possessionibus erant, sed & ipsorum dominos possiderent. Item *Bernardus* ad *Eugenium* lib. 2. cap. 5. Nam quid aliud tibi dimisit sanctus Apostolus? *Quod habeo*, inquit, *hoc tibi do*: quid illud est? Unum scio, non est aurum neque argentum; cum ipse dicat, *Argentum & aurum non est mihi. Et infrà, Esto ut alia quacunque ratione hæc tibi vendices, sed non Apostolico jure: nec enim tibi ille dare quod non habuit, potuit.* Item *Chrysostomus* super *Matt.* homilia 66. Quid, inquam, Apostolos magnos ostendit? Pecuniarum contemptus, gloriæ despectus, ab omnibus hujus vitæ necessariis ejectio: quòd si hæc non habuissent & decem millia mortuorum suscitassent, non solùm non profecissent, sed etiam seductores æstimati fuissent.

† Quæst. primâ.

Præterea dictum suum destruit & convincit seipsum quòd Apostoli magis indigebant prædictis in viâ quàm domi existentes, ut dicit *Chrysostomus* in authoritate prius allegatâ.

Est igitur sciendum quòd in missione Apostolorum *Christus* quædam præcepit, quædam permisit & quædam prædixit. Præcepit illa per quæ eorum prædicatio fieret credibilis & provocaret auditores ad credendum, & ostendendum mundi contemptum; sicut non portare, nec velle nec possidere pecuniam nec aliquid temporale; & hoc non tantùm pro tempore viæ, sed ut essent exempla lucidissima omnis perfectionis omnibus sequentibus usque in finem mundi; ut patet in superioribus multipliciter. Concessit sive permisit sumptus ab auditoribus excipere in casu quòd aliunde non haberent; ut ait *Gregorius*, Qui sacculum & peram portare prohibuit, sumptus & alimenta ex eadem prædicatione concessit. Prædixit persecutiones & odium omnium contra eos, ut ipsos ad tolerantiam præmuniret. Ad illud quod iste hæreticus pro se adduxit, *Quando misi vos sine sacculo*, &c. & infrà, sed nunc qui haberet sacculum, &c. arguens per hoc quòd illud præceptum fuit temporale, audi * *Basilium* dicentem super illa verba, sed nunc qui

* Vide responsionem ad interrogationem 251. in Brevioribus Basilii regulis, in Latinâ ejusdem operum editione Gillotii. Paris. 1603. pag. 469. Quamvis enim non inde sumpta sit hæc citatio; ibi tamen idem penè loquitur, quod hic; quod fortasse in aliqua Basilii oratione inveniri poterit.

habet sacculum, &c. *Christus* enim dispensavit pro tempore necessitatis, sed prædixit & prophetavit eis tribula tiones post suam captionem & mortem superventuras: unde dicit, quòd qui nunc habet sacculum, tollat; similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium: quasi imperativè non permissivè sit dictum; sicut vendet, tollet, emet; quia prædictivè & pronunciativè sit dictum.

Et hoc satis claret ex dictis textibus ibidem, scilicet de emendo gladios, quia certum est quòd non permisit eis se defendere cum gladiis; imò prohibuit, dicens, *Mitte gladium tuum in vaginam.* Præterea erroneus sermo est & contra sanctos, ut concedatur sine necessitate ibidem quod est generaliter prohibitum: dicit enim *Chrysostomus*, pro tempore necessitatis & persecutionis *Christus* relaxavit Apostolis prioris præcepti rigorem: hoc idem dicit *Beda* in sua sententiâ: ideo concluditur contra eum, quòd si pro tempore viæ fuit eis prohibitum portare pecuniam & calceamenta, ubi tamen magis videbatur esse necessarium, multò magis domi manentibus.

Nonus Error.

Quòd bona primitivæ Ecclesiæ seu multitudinis credentium de qua habetur Actorum 2°. 3°. 4°. nec quisquam eorum qua possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, non erant illis communia post distributionem; sed quilibet post distributionem efficiebatur proprietarius & dominus portionis sibi assignatæ; & quòd votum religiosorum absque proprio vivere profitentium non se extendit ad illa quibus necessariò eget vita humana.

QUI error contradicit sacro textui ibidem Act. 4. *Nec quisquam eorum qui possidebat aliquid*, secundum glossam, *suum*, hoc est proprium, *esse dicebat*: & sic exponitur c. 12. q. 1. cap. *Scimus*: Item super illo, *erant eis omnia communia*, dicit glossa interlinearis, Indicium fraterni amoris est, omnia possidere & nihil proprium habere. Item *Clemens Papa* c. 12. q. 1. cap. *Dilectissimis*, dicit, Communis vita omnibus necessaria est & maximè his qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari volunt: communis enim usus omnium quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius dicit hoc esse suum & alius aliud; & sic inter mortales facta est divisio *: & sicut non potest dividi aer, nec splendor solis, ita nec reliqua quæ communiter in hoc mundo omnibus ad habendum, dividi debere, sed habenda esse communia. Propterea monachi & canonici regulares B. Augustini tenent figuram & imitantur regulam primæ multitudinis credentium: dicit enim Hieronymus in lib. Illustrium virorum, Apparet primam talem Christi credentium fuisse Ecclesiam, qualem nunc monachi imitantur & cupiunt esse ut nihil cuicunque proprium sit. Quòd autem monachis & canonicis regularibus non liceat habere proprium, patet etiam apertè: dicit enim Innocentius tertius Extra. de statu monachorum, 1. cap. Cum ad monasterium. Prohibemus districtè in virtute obedientiæ sub interminatione divini judicii, nequis monachorum proprium aliquo modo possideat; sed siquis habeat aliquid proprium, totum incontinenti resignet, si verò proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissâ, de monasterio expellatur; nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam: quòd si proprietas apud aliquem fuerit deprehensa in morte; ipsa cum eo in signum perditionis, extra monasterium in sterquilinio subterretur; ut narrat B. Gregorius in Dialogo se fecisse: & postea: Nec existimet Abbas quòd super habendâ proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere. Et ut clarius intelligatur hoc esse præceptum de his quibus necessariò eget vita humana, patet per regulas sanctorum patrum: dicitur enim in regulâ B. Benedicti ab Ecclesiâ approbatâ, Nec quis præsumat aliquid dare vel recipere nec aliquid habere proprium, nullam omnino rem, nec codicem nec tabulas nec graphium, sed nihil omnino; quippe quibus nec corpora sua nec voluntates licet habere in potestate propria: & infrà, Accipientes nova, vetera semper reddant in præsenti reponenda vestiario propter pauperes: & pedulia & quodcunque est vetus vestimentum, reddant dum accipiunt novum. Item Basilius in regulâ sua approbatâ dicit, Siquis sibi dicit esse proprium, sine dubio alienum se facit ab electis Dei & à charitate Domini, qui quod verbo docuit, opere complevit: & infrà, Quærentibus fratribus si licet cuiquam veterem tunicam

* Omittitur hic citatio sententiæ Pythagoræ, quæ occurrit in Gratiano & in 5. Epist Clementis, in Clementinis Lamb. Gruteri edit. Colon. 1569.

tam aut calceamenta dare cui voluerit, misericordiæ causâ propter mandatum, respondet sanctus Basilius, Dare aliquid mandati gratiâ non est omnium, sed eorum quibus officium illud traditum est. Item Augustinus in Regulâ suâ dicit similia supradictis. Item beatus Franciscus 6. cap. Regulæ suæ dicit, Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem.

Decimus Error.

Quòd in rebus usu consumptibilibus, nec usus juris nec usus facti licitus potest à proprietate & dominio separari; & quòd in talibus rebus nec jus utendi nec jus facti separatum à proprietate rei seu dominio potest constitui vel haberi, eò quòd per usum talium rerum earum proprietas & dominium consumatur.

QUI error omnem religionem voventem vivere sine proprio destruit & confundit; & S. Scripturæ & Evangelicæ & Apostolicæ, & sanctorum doctrinis, ac determinationi sanctæ & Universalis Ecclesiæ catholicæ repugnat. Scribitur enim in 1 Tim. 5. [23.] *Utere modico vino propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates.* Et ad Philip. cap. ultimo, *Misistis mihi in usum:* super quo glossa August. Præter usum in rebus nihil aliud est quærendum, & qui amplius quærit, malum invenit. Item super illud 1 Tim. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus, glossa Hieronymi*, signanter dicit *quibus tegamur*, ut ostendat se non quærere nisi usum. Et. Numerorum 18. *Universa frugum initia quæ gignit humus & Domino deportantur, cedent in usus tuos.* Et Josuæ 5. dicitur, *Nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel* Et in pluribus aliis locis Sacræ Scripturæ hoc ostenditur manifesté.

Vide Mich. de Cæsenâ in Goldasto, tom. 2. pag. 1358.

Quòd contradicit sanctis doctoribus, patet: dicit Augustinus in libro *De Doctrina Christiana* quòd sapiens sine aliquo vitio cibo pretiosissimo potest uti: & similiter lib. Quæstionum Evangel. dicit, quòd ciborum non usus sed concupiscentia reprehendenda est: & Idem in eodem, & ponitur in glossâ, Rom. 8. Omnia vestra sunt, non dominio sed usu; sicut res dominorum sunt famulorum, non dominii potestate, sed utendi facultate, qua utuntur eis ad victum & ornatum aut aliquid hujusmodi. Item Clemens papa c. 12. q. 1. cap. Dilectissimis. Communis usus omnium quæ sunt in hoc mundo omnibus hominibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dicit hoc esse suum, alius illud; & sic inter mortales facta est divisio; & sicut non potest dividi aer nec splendor solis; ita nec reliqua quæ data sunt communiter ad habendum, dividi debent, sed habenda esse communia. Item Innocentius & Hostiensis, Extra. de causâ proprietatis in possessionibus, in apparatibus suis dicunt in hæc verba, Hoc notandum est quòd non prælatus sed Christus habet proprietatem & dominium rerum Ecclesiæ; unde quæcunque offerunt homines Ecclesiis dicuntur esse Deo oblata. Et infrà, post multas allegationes, dicunt, Et si aliqua in jure inveniantur, quia hæc bona Deo oblata sunt, Episcoporum vel prælatorum vel capellanorum, dic esse illa eorum quoad gubernationem & administrationem, & dicuntur esse pauperum quoad sustentationem: unde propriè loquendo prælati dicuntur procuratores non domini; Extra. de donationibus cap. 2. Ecce quàm clarè & apertè dicti summi pontifices dividunt usum à dominio & proprietate; & secundum eos dictarum rerum dominium est Christi; dispensatio prælatorum; sustentatio quæ habetur per usum, est pauperum. Item *Hieronymus* ad *Nepotianum* dicit quòd *Christus pauper cibo vescebatur alieno*, & ita habebat usum sibi à proprietate & dominio separatum. Et *Bernardus* ad *Carthusienses*, Cui nempe de proprio nihil est, totum profectò quod habet, Dei est: *ergo* religiosi pauperes (secundum *Bernardum*) habent usum à proprietate & dominio separatum: & qui propter Deum abdicaverunt proprietatem & dominium suorum corporum & suarum voluntatum, multò fortius reliquerunt proprietatem & dominium quarumcunque rerum temporalium; ut suprà patuit per sanctos institutores sanctarum religionum.

Præterea dicta hæreticalis assertio obviat legi civili: dicit enim De acquirendâ possessione l. *Quicquid*, quòd quicquid filiusfamilias habet ex peculio, sive sint cibaria, sive vestes, sive pecunia vel alia quæ usu consumuntur, solum habet usum facti, & proprietas sive dominium residet apud patrem. Item in Institut. * de usu & habitatione, dicitur sic, Minus juris est in usu quàm in usufructu; nam qui usum fundi nudum habet, nihil ulterius habere intelligitur quàm ut oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis & lignis

* Lib. 2. Tit. 5.

lignis ad usum quotidianum utatur —— nec ulli alii jus, quod habet, aut vendere aut locare aut gratis concedere potest; cum is qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere. Et dominus .... in summa institutionum de usu & habitatione dicit sic, Usus qui est jus vel servitus, non potest esse in rebus quæ usu consumuntur, cum in eis non potest esse salva substantia: sed usus qui est *facti* vel in *facto* consistit, & in bibendo & comedendo bene potest esse. Item glossa in c. 12. q. 1. cap. *non dicatis*, dicit, Nunquid dicitur possidere vestem? non videtur; quia vestis servi semper est de peculio domini. Præterea, exemplum habemus de hospitibus, qui licitè utuntur cibis, potibus, lectisterniis & similibus absque proprietate communi vel speciali: & servi licitè utuntur rebus dominorum suorum, quarum non habent dominium commune aut speciale: & eodem modo filiusfamilias. Præterea, fur qui furatus est panem, vinum, vestes, carnes & pecuniam, utendo illis rebus vel habet proprietatem & dominium, vel non: si non, habemus propositum; scilicet, quòd usus talium potest à dominio & proprietate separari: si sic, *ergo* fur habet proprietatem & dominium illarum rerum quas furatus est; & per consequens, furtum nullum peccatum est: quod est tam hæreticum quàm blasphemum & abominabile.

Item iste error contradicit determinationi Ecclesiæ & definitionibus multorum summorum Pontificum, suorum prædecessorum, qui dicunt & determinant quòd *fratres minores* nihil proprii habere possunt, nec in speciali nec in communi, etiam in rebus usu consumptibilibus quibus utuntur: dicit enim *Nicolaus papa* in decretali *Exiit* superius allegatâ, Verum condecens fuit ei professioni quæ sponte devovit *Christum* pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium & rerum sibi commissarum necessario usu fore contentam. Nec per hoc, quòd proprietatem usus & rei cujuscunque dominium, à se abdicasse videtur, simplici usui omnis rei renunciasse convincitur: qui inquam usus, non *juris* sed *facti* tantummodo nomen habens, quod *facti* est tantum, in utendo præbet utentibus nihil juris. Hoc idem dicunt *Gregorius* nonus, *Innocentius* 4. *Nicolaus* 4. *Alexander* 4. *Clemens* 4. *Martinus* 4. quibus consonat *Clemens* 5. in Concilio *Viennensi* in Decretali quæ incipit [*Exivi de paradiso*] sic inquiens, Cum vir sanctus paupertatis præmissæ in regula modum exprimens dixerit in eadem, fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum, nec aliquam rem —— sitque declaratum per nonnullos prædecessores nostros *Romanos* pontifices hanc expropriationem intelligi debere tam in speciali quàm etiam in communi, propter quod & rerum omnium concessarum, oblatarum & donatarum fratribus (quas & quarum *usum facti*, scilicet ordini vel ipsis fratribus licet habere) proprietatem & dominium, in se & in *Romanam* Ecclesiam receperunt, dimisso ipsis fratribus in eis tantummodo *usu facti* simplice. Ecce quàm apertè & clarè venerabiles patres D. *Romani* summi pontifices dividunt *usum* à *proprietate*, & definiendo pronunciant quòd *Christus* & Apostoli à se abdicaverunt dominium & proprietatem omnium rerum temporalium: quibus dominus *Johannes* non tantùm contradicit in supradictis erroribus, sed ipsos hæreticos facit, & *Romanam* Ecclesiam quæ recepit eorum determinationem: dicit enim in suo tertio statuto hæreticali, quod incipit [*Quia quorundam*] Quicunque scienter verbo vel scripto asseruerit aliquid contra definita & determinata in priore suo statuto, quod incipit [Ad conditorem] tanquam rebellis & contumax Ecclesiæ habeatur; & in ipso statuto [Ad conditorem] determinat & definit expressè, quòd usus rerum usu consumptibilium non potest à dominio & proprietate separari: sed supradicti summi pontifices & Scriptura Apostolica & sancta mater Ecclesia, ut patet ex præmissis, asserunt oppositum evidenter: *Ergo* doctrinam Apostolicam & determinationem sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ facit erroneam & schismaticam.

Præterea, cum in secundâ ejus hæreticali constitutione, quæ incipit [Cum inter nonnullos] definiendo pronunciat, Quòd pertinaciter asserere Redemptorem nostrum Dominum Jesum Christum ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi, assertionem hujus pertinacem deinde erroneam fore censendam & hæreticam, de fratrum nostrorum consilio, hoc perpetuo declaramus edicto. Hæc est definitio & determinatio ejus: sed sancta mater Ecclesia in Decretali superius sæpius allegatâ, solenniter pronunciando determinat, Dicimus quòd abdicatio proprietatis omnium rerum tam in *speciali* quàm etiam in *communi*, propter Deum meritoria est & sancta: quam & *Christus* viam perfectionis ostendens, verbo docuit & exemplo firmavit, &c. Quæ definitio & determinatio dudum est ab Universali Ecclesiâ recepta & in *Corpore juris* clausa sub titulo *De verborum significatione*; & etiam per generale Concilium *Vienna* approbata.

Tunc

Tunc arguitur sic, Aut *Nicolaus* 3. & *Clemens* 5. definierunt *hæreticè* aut catholicè, definiendo *Christum* & Apostolos nihil habuisse jure proprietatis & dominii, & declarando quòd ad hoc tenerentur *fratres minores* ex præcepto suæ *regulæ*: si hæreticè, tunc ipse fuit hæreticus approbando & confirmando quod ipsi definierunt; quia in suo statuto quod incipit [*Quorundam exigit cæca scrupulositatis ambiguum*] dicit, *Præfatas declarationes salubriter editas, solidas quidem, claras & lucidas multaque maturitate digestas, nostras, Domino favente, indubias ipsorum prædecessorum nostrorum declarationes declarationibus adjungimus, &c.* Si catholicè, tunc est hæreticus manifestus & sibi ipsi contrarius, definiendo hæreticum esse *Christum & Apostolos nihil habuisse jure proprietatis & dominii*: sequitur enim inde quòd Ecclesia erravit & in errore fuit usque ad sua tempora; quod dicere vel sentire est hæreticum & insanum: *sequitur* etiam, quod Sacra Scriptura dicit, esse falsum; quæ, ut à doctoribus est exposita, dicit *Christum* & *Apostolos*, maximè viam perfectionis ostendendo, non habuisse aliquid jure proprietatis & dominii. *Papa Johannes* definit hoc esse hæreticum; & quòd sancti doctores, *Augustinus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Gregorius*, *Chrysostomus*, *Rabanus*, *Basilius*, *Beda* & similes expositores erraverunt, & falsum tenuerunt, dicentes, *Christum* & *Apostolos* fuisse pauperes & non habuisse proprium in rebus. *Papa Johannes* definit igitur esse hæreticum. Præterea, beatus *Franciscus* ab Ecclesia canonizatus est & sacris stigmatibus Domini nostri *Jesu Christi* mirabiliter insignitus; sed in hoc fuit hæreticus: nam non solùm fuit professus hanc paupertatem, sed tanquam prælatus & doctor & legislator in *Regulâ* strictissimè mandavit servari; quæ *Regula* & ipsius professores, tam præteriti quàm præsentes & futuri, fuerunt, sunt & erunt hæretici, talem paupertatem profitentes, & Ecclesia erravit quæ errorem eis confirmavit. *Sequitur* etiam quòd omnis religiosus vovens vivere sine proprio, vovet & promittit errorem; nec aliquis religiosus imitatur Christum nisi proprietarius in speciali & in communi. Sequitur etiam quòd *Regulæ* sanctorum *Basilii*, *Benedicti*, *Augustini*, *Bernardi*, *Dominici*, *Francisci*, sunt erroneæ & falsæ; & similiter earum institutores, & fuerunt *decepti & deceptores*; & per consequens in statu damnationis: nam omnes mandaverunt in suis *Regulis* suos *fratres* vivere; *profitentes* fuerunt & sunt & erunt rebelles & contumaces Ecclesiæ, & tanquam hæretici ab omnibus vitandi: nam *Papa Johannes* damnat tanquam rebellem & contumacem Ecclesiæ, & hæreticum, omnem contradicentem determinatis & definitis in Decretalib. [*Ad conditorem canonum*] & [*Cum inter nonnullos*] in quibus definit *non posse usum haberi à proprietate & dominio separatum in rebus quæ usu consumuntur*: & *esse hæreticum*, tenere, *Christum & Apostolos non habuisse proprium in speciali nec in communi*. Sequitur etiam quòd Dei filius, Dominus noster *Jesus Christus* & ejus sancti Apostoli doctrinam falsam & erroneam mundo tradiderunt: nam, secundum sanctum Evangelium & secundum sanctos doctores, ejus expositores, nihil habuerunt jure proprietatis & dominii, & alios volentes ipsos perfectè sequi docuerunt nihil habere; sicut multipliciter tam per sanctos doctores quàm per determinationem Ecclesiæ sacrosanctæ superius multipliciter est ostensum: sed hoc est hæreticum, erroneum & blasphemum. *Sequitur ergo* quòd dictus *Papa Johannes* est hæreticus manifestus, & per consequens, damnatus & excommunicatus & ab omni authoritate privatus: dicit enim *Hieronymus* c. 24. q. 3. c. *hæresis*. *Quicunque aliter sacram Scripturam intelligit vel exponit quàm sensus Spiritus Sancti flagitat à quo scripta est; licet ab Ecclesiâ non recesserit, tamen hæreticus appellari potest*: ideo ab omnibus catholicis evitandus.

Et quia nos zelo catholicæ fidei & obedientia sanctæ matris Ecclesiæ resistimus hæresibus supradictis, sustinemus calumnias & defamationes, injurias & persecutionem & mortem. Dato quòd non sit omnibus respondendum; quia aliqua tangunt personas nostras particulares, quæ committimus Domino nostro *Jesu Christo*, cui publica & secreta sunt æqualiter manifesta: aliquibus tamen propter nostram informationem duximus, ut sequitur, respondendum.

I. Primò, dicunt aliqui, *quòd Papa Johannes revocavit.*

II. Aliqui, *Quòd, si Papa Johannes fuit hæreticus, non sequitur quòd successores sunt hæretici.*

III. Alii, *Quòd Papa omnia potest.*

IV. Alii, *Quòd propter hoc non debemus ab eis separari, & potissimè ante sententiam.*

V. Alii, *Quòd & hoc sequitur, quòd Ecclesia erravit, & quod Papa non est Papa, Episcopi non sunt Episcopi, Presbyteri non sunt Presbyteri, Corpus Christi non est Corpus Christi, Christiani non sunt Christiani.*

VI. Alii, *Quòd non pertinet ad nos reprehendere Papam vel alios prælatos; quia inferior non debet reprehendere superiorem.*

VII. *Quòd*

VII. *Quòd non debemus judicare, Chriſto dicente Matt. 7. Nolite judicare, & non judicabimini.*

VIII. Alii, *Quòd omnes judicamus & neminem excuſamus.*

IX. Alii, *Quòd nos pauci contradicimus toti multitudini & ſcindimus tunicam Chriſti inconſutilem.*

X. Alii, *Quòd Papa ſimoniam non committit conferendo beneficia & ordines per pecuniam, dato quòd, &c.*

Ad primum, ſcilicet *quòd* * *Papa Johannes revocavit*, dicendum quòd verum eſt quòd ipſe revocaverit: tunc ſequitur quòd omnes perſequentes nos propter impugnationem dictarum hæreſum ſunt hæretici; quia quod *Papa Johannes* retractavit, quia & retractationem bonum eſſe neceſſarium reputavit, ipſi pertinaciter tenent & defendunt: ad evidentiam autem hujus eſt ſciendum quòd dictus *Papa Johannes* ultra præfatos errores ſuperaddidit hæreſes hæreſibus cumulando: fecit enim quendā * ſermonē A. D. M. CCC. XXX. I. in feſto *Omnium ſanctorum*, qui incipit [*Mementote patrum veſtrorum*] & alium in eodem anno in tertia ſequenti Dominica de *Adventu*, qui incipit [*Gaudete ſemper* [illegible] *Domino*] & alium qui incipit [*Tolle puerum & matrem ejus*] quem fecit anno ſequenti, in vigiliâ *Epiphaniæ*: in quibus tres errores peſtiferos dogmatizavit.

* Vide præſtigias Bellarmini 1. tom. Controv. de Rom. pont. cap. 14. lib. 4.

* Extat hic Sermo, ſicut & huic proximus, in Bibliothecâ noſtra publicâ Cantabr. vol. MS. 179. in quo etiam habentur (inter alia) ſcripta Thomæ Waleys contra eoſdem, unà cum ejus reſponſione ad Inquiſitorum ſuper hac re articulos & aliis huc ſpectantibus. Vide cap. 12. Mich. de Cæſenâ, ſub finem; ubi recitantur quædam quæ ſequuntur. Goldaſt. tom. 2. pag. 1360.

Primus error eſt, 'Quòd animæ ſanctorum quantumcunque juſtorum, à corpore ſeparatæ non viderunt nec vident nec videbunt Deum facie ad faciem ante diem futuri judicii generalis, & futuram corporis reſurrectionem.

Secundus error eſt, 'Quòd animæ quantumcunque reproborum & damnatorum, non iverunt neque ibunt in infernum, nec pœnis infernalibus cruciantur nec cruciabuntur ante prædictum diem judicii.

Tertius error eſt, 'Quòd diabolus & dæmones non ſunt in inferno, nec pœnis infernalibus cruciantur, nec cruciabuntur ante prædictum diem judicii.

Hos errores non tantùm in prædictis ſermonibus, ſed pluribus aliis & quodam libello de hoc edito ſpecialiter & publicè divulgato, qui incipit [*Quæritur utrum animæ ſanctorum ab omnibus peccatis purgatæ videant divinam eſſentiam*] pertinaciter tenuit uſque ad diem mortis ſuæ. Item in quodam ſermone qui incipit [*Pſallite Domino qui habitat in Sion*] quem fecit A. D. M. CCC. XXX. inter cætera dicit, *Verè Filius Dei incarnatus eſt magnus, & ſalvâ reverentiâ Patris & Spiritûs Sancti, major eſt utroque: nam licèt Pater ſit Deus, & Spiritus Sanctus ſit Deus; tamen Pater non eſt incarnatus, nec Spiritus Sanctus humanatus, ſed ſolus Filius; & in hoc major eſt & Patre & Spiritu Sancto.* Quod quidem eſt hæreticum manifeſtè; quia ſecundum catholicam fidem, Filius eſt æqualis Patri ſecundum Divinitatem, & minor Patre ſecundum humanitatem. Item in quodam alio ſermone publico quem fecit in victoria Regis *Caſtellæ* contra *Saracenos*, qui incipit [*Tulerunt juſti ſpolia impiorum*] dixit & aſſeruit, *quòd Deus de ſua potentiâ abſolutâ non poſſet facere quòd res aliter evenirent quàm eveniunt:* quod quidem eſt hæreticum manifeſtè; quoniam ex hoc ſequitur, quòd omnia quæ fuerunt, de neceſſitate abſolutâ evenerunt; ex quo tollitur *liberum arbitrium, meritum* & *demeritum* humanum; pariter *gratia* evacuatur, Dei libera *prædeſtinatio* ſubtrahitur & ejus potentia annullatur: quæ omnia ſunt hæretica & blaſphema. Item in * alio ſermone publico qui incipit [*Gaudete in Domino ſemper*] dixit & aſſeruit, *quòd in Trinitate Filius non diſtinguitur à Patre, nec Spiritus Sanctus diſtinguitur à Patre & Filio:* quod quidem eſt hæreticum manifeſtè; quia eſt apertè confundere perſonas in Divinitate, ſicut *Sabellius* hæreticus faciebat. Item in quodam alio ſermone publico quem fecit in feſto *Purificationis* A. D. M. CCC. XXX. II. qui incipit [*Statim veniet ad Templum*] dixit & aſſeruit, quòd *Chriſtus* in quantum homo, non regnabit nec illuminabit niſi uſque ad diem judicii, & tunc tradet regnum Deo Patri. Quod eſt hæreticum & contradicit ſymbolo quod cantatur in Eccleſiâ, ubi dicitur, *Et iterum venturus eſt cum gloriâ judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis.*

Prædictorum omnium errorum duos primò poſitos, ſc. de materiâ viſionis animarum beatarum, & pœnis damnatorum, in ultima horâ mortis dicitur † revocaſſe; quædam male

* Videtur hic ſermo fuiſſe pars ſecunda ſuper eodem themate: in MS°. enim Cantab. nihil tale occurrit: totus ille ſermo eſt contra viſionem ſanctorum facialem ante diem judicii; quem Occamus hic impugnat & hæreticum probat.

† Cujus bullam revocationis haberi in Chronico Petri Præmonſtratenſis dicit Joh. Baltus in Actis Rom. Pontificum, ad finem vitæ Johannis 23. Obſerva autem, lector, quàm præclarum infallibilitatis papalis argumentum fit illa revocatio: ſi enim Johannes infallibilis fuerit, cum pugnavit contra viſionem facialem; tum non fuit infallibilis cum errorem ſuum revocavit: & vice verſâ, ſi non erravit moriens, erravit vivus: eximant mihi hunc ſcrupulum Jeſuitæ vel quilibet alii infallibilitatis pontificiæ defenſores.

&

& falsè: quam * revocationem apud nos habemus & per ſeptem rationes ſolennes in operibus magiſtrorum fratrum minorum, hic ob brevitatem dimiſſas, probatur, quòd ipſa revocatio non valuit nec fuit vera nec fuit in forma: ſed quicquid ſit contra iſtos & alios in ſupradictis ſermonibus poſitos errores & hæreſes, allegationes & reprobationes non curamus adducere; tum quia de ſe ſatis patent; tum quia * ſucceſſores ejus tenuerunt & tenent; & ideo non oportet contra ipſos inſiſtere. De materiâ autem paupertatis *Chriſti* & Apoſtolorum nulla fit mentio ſpecialis in dictâ literâ revocatoriâ, nec aliquid de prædictis Decretalibus expreſsè revocavit: ſed quòd per illud quod in fine dictæ revocationis ſubjungitur, dicendo, *Ac prædicta & omnia alia quæcunque dicta, prædicata & ſcripta per nos de quacunque materia, ubicunque & in quocunque loco & in quocunque ſtatu quem habemus vel habuimus hactenus, ſubmittimus determinationi Eccleſiæ ac ſucceſſorum noſtrorum*; quòd per hæc, inquam non excuſetur patet: Non certum eſt quòd ubi aliqua ſunt in fide dubia, illa ſunt ad examen & definitionem ſedis Apoſtolicæ deducenda: ubi verò ſunt aliqua apertè & explicitè in fide per S Scripturam vel per ſanctam Eccleſiam definita, aut aliqua ſunt tanquam hæretica & fidei catholicæ obviantia, damnata & reprobata, talia non debent amplius in dubium revocari, neque ad diſpenſationem vel concertationem adduci; ſed ſunt firmiter tenenda; Extra. de ſummâ Trinitate & fide catholicâ, cap. 2 in principio, in textu & gloſſa: imò quicunque illud revocat in dubium, hæreticus eſt cenſendus: Extra. de hæreticis cap. 1. & c. 24. q. 1. cap. *Apertè:* in textu & gloſſa: Et per illud *Auguſtini* 8°. de Trinitate dicentis, *Nemo ſalva fide Chriſtianâ dicit, Fortè de Virgine natus eſt Chriſtus:* non enim debet ſub dubio poni, quod certa & indubitabili fide debet teneri; & ſicut qui diceret *fortè de Virgine*, vel non ſupponendo determinationi Eccleſiæ, non excuſaretur, imò foret ab omnibus cenſendus hæreticus & tanquam hæreticus vitandus, juxta illud *Hieronymi, Dubius in fide infidelis eſt*; ſic de omnibus aliis, quæ apertè & clarè in Scripturâ ſacrâ continentur, vel per Eccleſiam determinata & definita ſunt, qui in dubium revocaret, foret ab omnibus cenſendus hæreticus. Et quia in dictis Decretalibus multa continentur Sacræ Scripturæ & determinationibus ſacroſanctæ Eccleſiæ clarè & apertè multipliciter adverſa (quas Decretales in bullâ ſuâ ſub pœna rebellionis & excommunicationis & etiam hæreſis recipi juſſit) *ergo* per illa verba generalia in dictâ revocatione contenta, ſcilicet, *Quæcunque dicta, prædicata vel ſcripta* —— *ſuppono determinationi Eccleſiæ*, ipſe ab *hæreſi* minimè excuſatur: quod patet, quia illis qui in hæreſes incidunt, & publicè tenuerunt & dogmatizaverunt hæreſim, ſancta Eccleſia in ſacris canonibus formam, quam ſervare debent, tradidit, ſi volunt ſe oſtendere correctos & ad fidem catholicam rediiſſe; ut purè & ſimpliciter abſque alicujus excuſationis pallio confiteantur ſe erraſſe, & errorem ſuum revocent, & ut veritatem fidei catholicæ clarè & apertè confiteantur; ut probatur expreſsè c. 1. q. 7. cap. *Donatum:* ubi ſanctus *Papa* dicit, *Donatum Salicinenſem* ex *Novatiano*, ut comperimus cum ſuâ plebe converſum; ita Dominico gregi volumus præſidere, ut libellum ſuæ fidei meminerit ad nos dirigendum, quo & *Novatiani* dogmatis damnet errorem, & pleniſſimè confiteatur catholicam veritatem: & quod habetur in ſequenti cap. *Saluberrimum*; & in alio cap. immediatè ex Concilio *Martini Papæ* habetur ſic, 'Si quis Epiſcopus vel alicujus Epiſcopi presbyter in alicujus hæreſis opinione offenderit, & ob hanc 'cauſam fuerit excommunicatus, nullus Epiſcopus in communionem eum recipiat niſi 'prius in communi concilio, porrecto fidei ſuæ libello, ſatisfaciat omnibus, & ita liberam teneat ſuam purgationem. Hoc idem & de fidelibus laicis ſit decretum, ſi aliqua 'hæreſis opinione fuerint nominati. *Et in eadem Cauſ. & qu. cap.* Convenientibus: *in 'una Synodo edita dicitur ſic*, Conſtitutio Eccleſiaſtica habet canonicè tradita ab antiquo à 'ſanctis Apoſtolis & ſucceſſoribus eorum, ſanctis patribus noſtris & magiſtris, & ſanctis 'Univerſalibus ſex Synodis —— ut qui ab aliqua hæreſi revertuntur ad orthodoxam fidem, & traditionem Eccleſiæ Catholicæ, ſcripto negare debeant hæreſim ſuam & confiteri catholicam fidem: *hæc ibi. Hoc idem ponitur Extra. de hæreticis*: Ad abolendam. '*Prædictam formam ſervavit ad literam* Berengarius. *abſque pallio excuſationis, ut habetur, de 'conſecr. diſt. 2. dicens*, Ego Berengarius ſancti Mauritii Andegavenſis Eccleſiæ diaconus 'cognoſcens veram & catholicam & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim; præcipuè eam de qua hactenus infamatus ſum, quæ aſtruere conatur panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo ſacramentum, & non 'verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe —— & ita conſentio 'ſanctæ Rom. Eccleſiæ & Apoſtolicæ fidei, & ore & corde profiteor de Sacramentis 'Dominicæ

* Extat Italicè in Joh. Villano. p. 655. edit Flor. 1587.

* Hinc patet confectum fuiſſe hoc Defenſorium tempore ſaltem Benedicti duodecimi; quia loquitur Occamus de ſucceſſoribus Johannis; quorum proximus fuit Nicolaus 5. (Imperatoris papa, ut omnes eſſe debent) & alter iſte Benedictus. In Oudini ſupplemento p. 607. certiores facti ſumus extare in Bibliotheca Colbertinâ Tractatum quendam Guil. Ockam quòd Bened Papa 12. nonnullas hæreſes Johannis Papæ 22. amplexus eſt & defendit.

'Dominicæ mensæ eandem fidem me tenere quam dominus & venerabilis papa Nicolaus & hæc sancta synodus authoritate Evangelicâ & Apostolicâ tenendam tradidit mihique confirmavit; sc. panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem, non solùm sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse—— jurans per sanctam & homousian Trinitatem & per hæc sacrosancta Christi Evangelia, eos qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuncio. Quòd si ego ipse aliquando contra hoc aliquid sentire aut prædicare præsumpsero, canonum severitati subjaceam. Lecto & perlecto sponte subscripsi. *Hæc verba dicti* Berengarii; *& sequitur in textu*, Hanc confirmationem suæ fidei de corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi à Berengario Romæ coram CXX. Episcopis factam Papa Nicolaus misit per urbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ & ad quæcunque loca ubi fama pravitatis ejus antè potuit pervenire; ut Ecclesiæ quæ prius doluerant de adverso atque perverso, postea gaudeant de reverso atque converso. *Hæc ibi.*

Ex quibus omnibus constat clarè secundū formam traditam per sacros Canones & sacrosancta Concilia, quòd sua revocatio nulla fuit, ubi nec se errasse confitetur, nec errores revocat, nec etiam mentionem eorum aliquam facit, nec veritatem catholicam confitetur: & ideo mortuus est pertinax * hæreticus; quia non revocavit, sed potius confirmavit; quia talia verba generalia, sc. quæ dixit, nihil ponunt de erroribus suis, & quilibet Catholicus, qui nunquā in fide erravit, hoc facere potest; & bene, propter verba inadvertenter prolata.

* Sententia Occami de Johanne 22. mortuo sine plenâ hæresum retractatione.

Ad secundum, scilicet *quòd si Papa Johannes est hæreticus, non sequitur quòd successores sui sunt hæretici*, dicendum est, quòd ipsi incidunt in eandem sententiam: scribitur enim extra. de immunitate Ecclesiasticâ, adversus hoc in glossâ sic, Delictum prædecessoris est delictum proprium successoris, ex quo ipse non purgat: qui succedit in vitium eadem sententia ligatur, cum contumacia procurationis dominum suum involvat, quando dominus ipsam non purgat: Hæc ibi. Ipsi verò non solùm non correxerunt, sed etiam defenderunt errores Papæ Johannis; insuper persequuti sunt & persequuntur usque ad mortem, occidendo & occidi faciendo omnes impugnantes dictas hæreses; & non modò tunc hæretici sed hæresiarchæ, pejores illo qui erravit, appellandi sunt: dicit enim *Urbanus Papa* c. 24. q. 3. cap. *Qui aliorum.* Qui aliorum errorem defendit, multò damnabilior est illis qui errant; quia non solùm ipse errat, sed etiam aliis offendicula erroris præstat & confirmat: unde quia magister erroris est, non tantùm hæreticus, sed hæresiarcha dicendus est. Item dist. 83. dicit *Innocentius Papa* cap. *Error.* Error cui non resistitur, approbatur, & veritas cum minimè defensatur, opprimitur: negligere quippe cum possis perturbare perversos, nihil aliud est quàm favere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Item *Gregorius Papa* dicit ibidem, Consentire videtur erranti qui ad resecanda quæ corrigere debuit, non occurrit: & ibidem *Pius Papa* dicit, Quid prodest suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? Item dist. 86. c. *Facientis.* Facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere negligit emendare.

Ad tertium, scilicet, *Quòd Papa omnia potest*, dicendum quòd falsum est; quia non potest contra articulos fidei & contra S. Scripturam & contra determinata per sanctos patres in his quæ pertinent ad fidem & bonos mores. Dicit beatus Leo papa, & ponitur c. 25. q. 1. cap. *Quæ ad.* Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nullâ commutatione varientur; nec ad privatum trahantur commodum quæ sunt ad bonum commune præfixa: super quo c. dicit *glossa ordinaria* quòd ex hoc capitulo patet, quòd *papa* non potest contra generale statutum dispensare nec contra articulos fidei: nam si omnes ei consentirent, non valeret statutum, sed omnes essent hæretici & excommunicati. Item sanctus *Urbanus* Caus. & qu. eisd. cap. *Sunt quidam.* Sunt quidam dicentes *Romano* Pontifici semper licuisse novas condere leges; quod & nos non solùm non negamus, sed etiam valdè affirmamus: sciendum verò summopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ aliquid & prophetæ nequaquam dixerunt: ubi verò apertè Dominus vel ejus Apostoli & eos sequentes sancti patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem *Romanus* pontifex dare, sed potius quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet: si enim quod docuerunt Apostoli & prophetæ, destruere (quod absit) niteretur; non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Et sic patet quòd non potest omnia; imò est hæreticus pertinax quando contra definita prius attentare præsumpserit; sicut *de facto* ipse fecit, determinando hæreticum esse pertinaciter asserere Dominum nostrum Jesum Christum ejusque Apostolos non habuisse proprium *in speciali* nec *in communi*; imò hæreticus manifestus: dicitur enim c. 24. q. 1. cap. *Hæc est fides*: quòd

quòd quicunque improbat quod semel est per Apostolicam Ecclesiam approbatum, hæreticus est: & c 25.q.1.cap. *Contra statuta*: beatus Papa *Zosimus*: Contra statuta patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem sedis potest authoritas: & beatus *Gregorius* (& ponitur c. 25. q. 2.) dicit, Si ea destruerem quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor sed eversor justè comprobarer.

Ad quartum, scilicet *quòd non debemus ab eis separari, & potissimè ante sententiam*, dicendum, quòd cogimur præceptis sanctæ matris Ecclesiæ, quæ strictissimè mandavit omnibus catholicis, ab hæreticis & excommunicatis separari: nam quinque *Concilia generalia* dederunt sententiam contra hæreticos, separando eos à communione fidelium: sc. *Concilium Lateranense Innocentii tertii* Extra. de hæreticis. cap. *Excommunicamus.* Excommunicamus itaque & anathematizamus omnem hæresim extollentem se adversus hanc orthodoxam & Catholicam fidem quam suprà exposuimus, condemnantes hæreticos universos, quibuscunque nominibus censeantur. Et cap. 2. *Excommunicamus. Concilium Carthaginense* 4. q. 3. cap. *Clericus*: ubi dicitur, Cum hæreticis nec orandum nec psallendum est. *Concilium Martini* Papæ c.1.q.1. *Non liceat.* Non liceat clericis vel laicis ab hæreticis eulogias accipere, quia maledictiones sunt magis quàm benedictiones; neque liceat aut cum hæreticis aut cum schismaticis orare. *Concilium Laodicense* ibidem, cap. *non oportet. Concilium Africanum*, Extra. de hæreticis & paganis: & cap. *Ad Abolendam*: & c. 24. q. 1. cap. *Quæ dignior*, dicit Ambrosius, *Fides igitur inprimis Ecclesiæ quærenda mandatur; in qua si Christus habitator sit, haud dubiè sit legenda: sin verò populus perfidus aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda synagoga censetur: ubi dicit glossa*, Quòd duæ sunt Ecclesiæ; una *catholicorum*, quæ non patitur pollutos habitare in se, cum habeat Christũ habitatorem: alia est *hæreticorum*, quæ vera non est: hæc semper vitanda est, ne ariditate ejus polluamur. Item eâdem caus. & qu. *Didicimus* omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere pietatis & juris: *& infrà*, Invênimus in tali facinore non solùm duces & authores sed etiam principes eorum pœnis destinari, nisi à communione malorum se separaverint; præcipiente per Moysen Domino & dicente, *Separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangere de omnibus quæ sunt eorum, ne simul pereatis in peccatis eorum.* Item in cap *Audivimus quòd Henricus*, dicitur in fine, Liquidò constat eum qui ab integritate catholicæ fidei recedit, maledicendi vel benedicendi potestatem minimè habere: catholicum namque, utpote se superiorem, maledicere non valet; in alienum à fide, tanquam in sibi æqualem sententiam dare non potest: & glossa in principio hujus quæstionis dicit, Et tu dic indistinctè, quòd sive veterem sequatur hæresim, sive novam, excommunicatus est, licèt sit occultus; & ideo non potest alium excommunicare. Extra. de hæreticis cap. Ad abolendam, ita dicit, Hodie omnis hæresis est damnata, & omnis hæreticus est excommunicatus quantumcunque sit occultus: & ideo non potest alios excommunicare: & cap.... dicitur quòd potius est mortem arripere quàm accipere communionem de manu hæretici: Ex hoc patet quòd est à jure ..... Et ut amplius pateat, c. 24. q. 1. cap. *Achatius*, dicitur in glossâ, Hic est casus in quo papa papam ligare non potest, & in quo papa in canonem latæ sententiæ incidit; nec obviat illa regula, Quòd par parem solvere vel ligare non potest; quia si *papa* efficiatur *hæreticus*, in eo quòd hæreticus est, minor est quolibet Catholico fideli. 12. q. 1. cap. Scimus quia lex factum notat etiam sine sententiâ: * De ritu nuptiarum l. palam; hæc glossa. * ff. §. ulti
Item Extra. de sententia excommunicationis, cap. *Cum non ab homine*: ipsum debes vitare, quamvis non sit denunciatus: sed hodie omnis hæreticus est excommunicatus; ut suprà patuit. Item gloss. 3. q. 7. cap. *Sacerdos*, dicit, si prælati sunt excommunicati, vel simoniaci, vel hæretici, vel notorii fornicatores, vel non servent canones, tunc potest recedi ab eis *ante sententiam.* Dist. 19. cap. *nulli.* c. 16. q. 7. cap. *Sanè*: & 22. dicit cap. *nullus*: in alio crimine ante sententiam non est recedendum. Item gloss. in 8. q 4. cap. *Nonne.* respondendo objectioni dicit, Nec obstat scilicet quòd non sit recedendum ante sententiam, 52 dist. nullus. & 81. dist. *siqui.* Et 11. *Qui* c. *Sanè*: ubi de suspensis à Canone loquitur: nam in illis tribus criminibus speciale est; sc. in simoniâ, in hæresi & in notoriâ fornicatione. Item 19. dist. *Anastasius*: habetur quòd multi clerici se abegerunt à communione *Anastasii Papæ hæretici* qui communicaverat *Photino* hæretico. In chronicis etiam habetur exemplum beati Eusebii recedentis à communione *Liberii Papæ hæretici*; & *Hilarii* etiam recedentis à *Leone Papa hæretico*: Nec potest papa privilegium vel prærogativam aliquam plusquam alii habere in facto hæresis; quoniam fit subditus omnibus pœnis & sententiis hæreticorum; imò minus; quod probatur c. 2. q. 5. cap. *Præsul.* 1. Cardinalis Episcopus *non damnatur nisi cum 72. testibus*: supple de hæresi: ubi dicit *glossa*, sed nunquid contra papam duplicabuntur testes? non: imò duo sufficiunt: & in hoc deterioris conditionis est, quia ipse sine comparatione aliorum creatus est

 major;

major; imò sine spe veniæ damnandus ut diabolus: De pœn. dist. 2 *Principium*: & ut suprà patuit, minor est quolibet Catholico. Item *Gregor*. 2. q. 7. c. *Admonendi sunt subditi ne plusquam expedit sint subditi, ne cum student plus quàm necesse est hominibus subjici, compellantur eorum vitia venerari*. Et beatus *Bernardus*, Par periculum est obedientiam præbere cui non debetur, quàm denegare cui debetur. *Augustinus* 11. q. 3. Non semper malum est, non obedire præcepto; cum enim dominus jubet ea quæ sunt contraria Deo, tunc ei obediendum non est: & idem dicit *Bernardus* ad Adam monachum: Si igitur juxta sententiam *Augustini* & *Bernardi* non debemus obedire prælatis non rectè præcipientibus; multò minus hæreticis; cum quibus nullo modo communicare permittitur. Igitur ex Conscientia, tanquam obedientes præceptis sanctæ matris Ecclesiæ, recessimus ab obedientiâ hæreticorum & simoniacorum & excommunicatorum; quia non obedientes præceptis Apostolicæ sedis crimen *paganitatis incurrunt*: dicit enim beatus *Gregorius* (& ponitur dist. 81. cap. *Siqui sunt*.) Peccatum igitur *paganitatis* incurrit, quisquis sedi Apostolicæ obedire contemnit. Et *Nicolaus Papa* 25. q. 2. cap. *Siquis*. Siquis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro Catholicâ fide vel Ecclesiasticâ * disciplinâ pro correctione imminentium vel futurorum malorum à sedis Apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit. Et sanctus *Damasus* eadem causâ q. 1. cap. *Violatores*: Spiritum sanctum blasphemant, qui sacros canones violant. Et 1. q. 7. cap. *Siquis*: ex synodo habetur sic, Siquis omnem traditionem Ecclesiasticam, scriptam vel non scriptam, violat, anathema sit. Notetur ergo quantâ necessitate cogimur nos & omnes catholici à prædictorum obedientiâ & communione separari.

* In editione Decreti Gregorianâ est [pro catholicæ fidei disciplinâ] sed in antiquâ Parisiensi est ut hic in MS°. [pro catholicâ fide & Ecclesiastica disciplinâ.]

Ad quintum, *scilicet quòd ex hoc sequitur quòd Ecclesia erravit, & quòd papa non est papa, &c.* dicimus quòd falsum est quòd hoc sequitur ex prædictis: & quoad primam partem dicimus quòd Ecclesia Christi nunquam erravit, nec errare potest aliquando in fide & moribus; & de hoc est articulus fidei, *Credo unam sanctam Ecclesiam catholicam & Apostolicam*: & de hoc 24. q. 1. cap. *A rectâ fide*: & cap. *Memor*. Quæro de qua Ecclesiâ intelligas, quando dicitur quòd non potest errare? Si de ipso papâ, qui dicitur Ecclesia suprà eod. c. *Quicunque* & c. 7. q. 1. *Scire debes*: sed certum est quòd papa errare potest, ut dicitur 19. dist. *Anastasius* 40. dist. cap. *Si papa*. Respondeo, quòd ipsa congregatio fidelium dicitur Ecclesia, ut De consecr. dist. 1. *Ecclesia*: Et talis Ecclesia non potest non esse, ut infra ead. caus. *pudenda*: nam ipse Christus oravit pro Ecclesiâ, 21. d. 1. qui voluntate labiorum suorum non fraudabitur: hæc *gloss*. Item 21. d. cap. *Quamvis*: & *glossa*, Argumentum quòd ubicunque sunt boni, ibi est *Romana* Ecclesia.

Ad secundam verò partem, sciendum quòd in papa prælato sunt duæ authoritates vel potestates; sc. *jurisdictionalis*, qua habet administrationem & correctionem super suos subditos; ad quam pertinet absolutio vel ligatio, electio vel confirmatio vel distributio: & hæc potestas non est necessariè annexa ordini vel sacramento; sed potius officio vel dignitati; quia non est nisi quoddam spirituale dominium super Ecclesiasticis personis vel rebus; & hanc perdit per hæresim totaliter & de facto; quoniam tunc non habet subditum, quia minor est omni catholico: ut habetur 24. q. 1. cap. *Acatius*; in glossâ. Alia verò potestas vel auctoritas vocatur *sacramentalis* vel *characterica*, quæ sequitur ordinis sacramentum; qua potest conficere *corpus Christi* & *ordines conferre*: & licèt illa interdicantur hæreticis & privatis, tamen auferri de facto non possunt; quin conferat de facto Ordines & vera conficiat sacramenta, quantumcunque sit hæreticus, apostata, homicida & privatus; ut habetur dist. 32. *præter hoc* §. *porro*: & 1. q. 1. cap. *Quod quidam*. Et c. *Qui perfectionem* in glossâ: ubi dicitur quòd quilibet Episcopus, sive catholicus sive hæreticus, sive in Ecclesiâ sive extra Ecclesiam, conferat Ordinem, dum tamen conferat in formâ Ecclesiæ; recipit ordinatus Ordinem, licèt non recipit executionem ordinis: similiter si taliter ordinati alios ordinent; & sic in infinitum. Et 9. q. 1. in principio dicit glossa: hæc ergo sit fides tua, quòd hæretici & depositi & excommunicati vera sacramenta conferunt & verum *Christi* corpus conficiunt. De utraque autem simul potestatum istarum in gloss. 24. q. 1. cap. *Audivimus* §. *Si autem*, super verbo *non valet*, dicit, Conficit tamen extra Ecclesiam, si formam observet: quòd hoc ordinis est; quem retinet recedens ab unitate Ecclesiæ. 1. q. 1. *Quòd quidam*: Sed non potest excommunicare, quòd hoc jurisdictionis est, quam amittit, qui recedit ab Ecclesiâ 1. q. 1. *Remissionem*.

Item quòd hæretici & præcisi dent vera sacramenta, quantum ad formam, vacua tamen & inania quantum ad fructum (præter baptismum in necessitate) habetur 32. d. *præter hoc* §. *porrò* & 1. q. 1. c. *etiam corde*: & cap. *His qui baptismum*: & cap. *Remissionem peccatorum*. Sed quòd non habeat jurisdictionem, vel quòd non possit dare remissionem

sionem peccatorum; quæ pertinet ad jurisdictionem, habetur primâ quæst. cap. *Remissionem*; & 24. q. 1. *Audivimus. Sin autem*: & cap. *Ait Celestinus*: & cap. *Aperte*. His authoritatibus dant ergo hæretici & præcisi vera sacramenta, licèt sint vacua fructu: unde non debent sacramenta per eos data reiterari; sed per impositionem manuum revertentibus ad Ecclesiam præstabitur virtus sacramenti, quam nemo extra Ecclesiam accipit, ut dicitur in dicto. His authoritatibus & 1. q. 1. *Leo papa* dicit, Hi qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, solâ Spiritûs Sancti invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt; quia formam tantùm baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt; & hanc regulam, ut scitis, servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nullâ ratione violetur, dicente Apostolo, *Unus Deus, una fides, unum baptisma*; cujus ablutio nullâ iteratione temeranda est; sed, ut diximus, sola sanctificatio Spiritûs Sancti invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit, à catholicis sacerdotibus consequatur. Et 24. q. 1. cap. *Si quem fortè*. Igitur consequentia prædicta est hæretica: est enim hæresis *Donatistarum* qui tenebant quòd baptizati ab hæreticis erant rebaptizandi; quæ hæresis tunc temporis per generale Concilium fuit condemnata. Non dicimus ergo, quòd Papa non est Papa, Episcopi non sunt Episcopi, &c. quia nec Beatus *Petrus*, vel beatus *Gregorius* vel aliquis sanctus prælatus habuerunt plures ordines vel veriores; quia in veritate, quantum ad substantiam ordinum, nihil minus eis habent: sed quia sunt hæretici, simoniaci & excommunicati; &, per consequens, ab omni authoritate privati modo supradicto.

Ad sextum, scilicet, *quòd non pertinet ad nos reprehendere papam vel alios prælatos, quia inferior non debet reprehendere superiorem: dicimus primò*, quòd quilibet fidelis est superior & major quocunque hæretico, ut probatum est 24. q. 1. cap. *Acbatius*, in glossâ, *Hic est casus*, &c. ut suprà posita est. *Prǽterea* falsum est, quòd non possit de hæresi reprehendi: habetur enim d. 40. cap. *Si papa*: A nemine reprehendendus est, nisi in fide erraverit: ubi dicit *glossa*, sed quare non potest de alio crimine accusari? ponamus quòd notorium sit crimen ejus vel per confessionem, vel per facti evidentiam: quare non accusatur vel de crimine simoniæ, vel adulterii, & cum admonetur & incorrigibilis est & scandalizat Ecclesiam per factum ejus? Certè credo quòd si notorium est crimen ejus quodcunque, & inde scandalizat Ecclesiam & incorrigibilis sit, quòd inde possit accusari: nam contumacia dicitur hæresis, ut 81. dist. *Si qui sunt*: & contumax dicitur infidelis, ut 38. dist. c. *nullus*. Hic tantùm specialis fit mentio de hæresi, ideo quia si occulta esset hæresis, de illa posset accusari: sed de alio occulto crimine non possit; & quòd non possit statuitur quod non posset accusari de hæresi, quia per hoc periclitaretur tota Ecclesia. Item 2. q. 7. cap. *Testes*. His ita respondetur, quòd prælati sunt reprehendendi à subditis si à fide exorbitaverint, vel alios exorbitare exemplo suo aut verbo coegerint. *Præterea* 2. q. 7. cap. *Plerumque*, ultimò dicitur quòd non omnes prælati pro prælatis habendi sunt: & ibid. cap. *Paulus*, dicit *Gregorius*, Quem non vita seniorem facit, graviter est increpandus: & cap. *Non omnis*, dicit *Hieronymus*, Dignitas non facit Episcopum sed vita; & *non omnis* qui dicit pax vobis, ut columba audiendus est: & cap. *Qui susceptum*, dicit *Augustinus*, Qui susceptum non administrat officium ut sua & subditorum delicta deterserit, non Episcopus dicendus est, sed canis impudicus.

Quibus authoritatibus ostenditur quòd non solùm hæretici, qui pro prælatis habendi non sunt, vel pro superioribus, ut suprà patuit; sed etiam veri pastores pro loco & tempore ex charitate possunt reprehendi: dicit enim beatus *Gregorius* (& ponitur 2. q. 7. cap. *Sicut*) Sicut laudabile discretumque est reverentiam & honorem debitum exhibere prioribus; ita rectitudinis & Dei timoris est, siqua in eis sunt quæ indigeant correctione, nulla dissimulatione postponere; ne totum (quod absit) corpus incipiat morbus invadere, si languor non fuerit curatus in capite. *Prǽterea* non reprehendimus papam & alios prælatos, sed damnatos ab Ecclesia vitamus; & ad hoc cogimur sanctorum patrum decretis superius allegatis; quibus non obedire paganitatis crimen & anathematis sententia incurritur ipso jure, ut patet 81. dist. *Si qui sunt* 26. q. 1. *violatores*: & ead. causâ, q. 2. *Si quis dogmata*. & 1. q. 7 *Si quis*.

Ad Septimum, scilicet, *quòd non debemus judicare, Christo dicente Matt. 7. Nolite judicare*, dicendum est, quòd Christus loquitur de occultis & de his quæ bono & malo animo fieri possunt, ut dicit glossa Bedæ super illud Nolite judicare; & ponitur Extra. de Regulis juris, cap. *Estote*: quia de occultis & de his quæ bono & malo animo fieri possunt, non permittitur judicare, sed de manifestis, & de his quæ non possunt nisi malo animo fieri; ut est furtum, blasphemia, homicidium, ebrietas & fornicatio, &c. nobis permittitur judicare; ideo qui dicit, Nolite judicare, dicit Joh. 7. *Nolite judicare secundum faciem; sed rectum judicium judicate*. Item *Augustinus* 22. q. 2. cap. *Non ita*: Non ita

caveatur arrogantia ut veritas relinquatur. Et sanctus *Hieronymus* in lib. de obitu...... dicit quòd tacere contra vitia est humilitas diabolica.

Ad octavum, scilicet, *Quòd omnes judicamus & neminem excusamus*, dicendum, quòd nos nullum condemnamus, quia simplices personæ & sine prælatione non habemus authoritatem condemnandi; sed tanquam filii obedientes jussionibus & præceptis Ecclesiæ sacrosanctæ (quæ Spiritu Sancto inspirata condemnat hæreticos & schismaticos universos: necnon fautores & defensores eorum) ipsos vitamus & vitandos clamamus: nec est verum quòd neminem excusamus; quia quos probabilis ignorantia excusat, nos excusatos habemus. Dicit enim *Augustinus* in libro Quæst. Evangel. Non omnis ignorans immunis est à culpa: ille enim ignorans poterit excusari à pœnâ, qui quod disceret non invenit: illis autem hoc ignosci non poterit, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt: cum illa ignorantia voluntaria sit omnibus noxia, sacerdotibus est perniciosa, ut patet dist. 37. in Concilio *Toletano*. Ignorantia est mater omnium errorum: & gloss. super verbo Apost. *Qui ignorat ignorabitur*, i. e. Qui negligit scire vel contemnit: & infrà, Nec etiam excusatur quis per ignorantiam, qui potest habere copiam peritorum, *ff. de juris & facti ignorantia l.* 2. vel sua prudentia facilè potuit illud scire *c. de negligentiâ:* dicitur enim 38. dist. cap. 1. in glossâ, Ignorantia alia est juris naturalis: hæc neminem excusat, si est adultus & discretus: *alia*, juris Civilis vel Canonici, quæ neminem excusat (in dist. *Si in laicis.*) præter milites & mulieres, rusticos & minores: *alia* est ignorantia facti probabilis; & hæc excusat, quia peritissimos fallit: *alia* est crassa & supina, ut cum quis ignorat quod publicè factum est in civitate; & hæc neminem excusat. 16. dist. *Quod dicitis:* & 12. q. 2. *Qui & humanis:* Ignorantia crassa & supina est qua homo non laborat ut sciat quæ debet, & sicut quæ debet, vel quia laborem refugit addiscendi, ut possit se per ignorantiam vel inertiam excusare: dicit enim *Gregorius* XV. lib. Moralium, super illud *Job*, [*Scientiam viarum tuarum nolumus*,] sed aliud est nescire; aliud nescire voluisse: nescit namque qui apprehendere vellet & non valet; qui autem ut nesciat, aurem à voce veritatis avertit, iste non nesciens sed contemptor dicitur. Et idem *Greg.* in eodem (& ponitur dist. 38.) dicit, Qui ea quæ Dei sunt sapiunt, à Deo sapiuntur: *gloss.* 1. approbantur: & qui ea quæ Dei sunt, nesciunt, à Deo nesciuntur, *Paulo* attestante qui ait, *Siquis ignorat, ignorabitur:* ideo qui stultus est in culpâ, sapiens erit in pœnâ.

Ad nonum, scilicet, *quòd nos pauci contradicimus toti multitudini, imò & scindimus tunicam inconsutilem Christi*, dicendum, quòd non ad multitudinem, sed ad rem & veritatem intuendum est, sicut dicit beatus *Augustinus* contra literas *Petiliani*, & ponitur 23. q. 4. cap. *Qui peccat.* Restat ergo ut nihil aliud requirendum esse fateamini, nisi utrum justè an impiè feceritis: & *Seneca* ait, Argumentum pessimi turba est: & *Chrysostomus* in homilia super *Abientes Pharisæi consilium inierunt, &c.* A veritate se nudos professi sunt, qui multitudine se armaverunt: & *Christus* in Evangelio, *Ampla est via quæ ducit ad mortem, & multi gradiuntur per eam; & arcta, quæ ducit ad vitam, & pauci vadunt per eam:* Et iterum, Multi sunt *vocati, pauci verò electi:* super quo verbo *Anselmus*, Qui vult esse securus an sit de electis, debet conari, ut ejus vita non sit de numero multorum, sed de numero paucorum: & si vult esse securissimus, debet fieri de numero paucissimorum: est etiam præceptum Dei Exod. 23. ubi dicit Dominus, *Non sequêris turbam ad faciendum malum; nec in judicio multorum acquiesces sententiæ ut à vero devies.* Jus sive jurisdictio Universitatis in uno residet, ut dicit glossa Extra. de postulatione cap. *Gratum:* & extra de electione cap. *illa quotidiana:* dicit *Innocentius* 3. in apparatu, quòd si omnes excommunicati eligunt, & solus unus & alius non excommunicatus alium, tenet electio non excommunicati. Item 9. dist. cap. *Ego solis:* in glossâ dicitur, Non est magis credendum honorabiliori personæ quàm alteri; quia veritas * prolata semper præferenda est; &, ut *Celestinus* ait, docendus est populus, non sequendus: nos quoque si nesciant quid liceat quidve non liceat commonere, non his consensum præbere debemus: & mirum certè quomodo *Christianus* multitudine se armat contra veritatem *Christi:* nam unus potest contradicere toti multitudini & Universitati, si habeat rationabilem causam, ut habetur 31. dist. cap. *Nicæna*, in textu & glossâ; exemplo Paphnutii qui revocavit totam *Nicænam* Synodum & in melius reformavit: Ergo tunicam *Christi* scidit, quia solus erat: & beatus *Athanasius*, in cujus persecutionem universus præ ira conjuravit orbis: in ejus *legendâ* & in martyrologio legitur quòd commoti sunt papa, reges, principes, regna & populi, nec aliquis ei ad latendum supererat locus: ergo falsum tenebat & falsum dixit; quod est hæreticum dicere, quia ipse defendit fidem Christianam in partibus orientalibus & composuit [*Quicunque vult salvus esse, &c.*]

* Deest [à quocunque.]

Similiter

Similiter *Eusebius* & *Hilarius* qui soli tempore *Arrianorum* in confessione & defensione fidei permanserunt: & sic sequeretur de alio Eusebio presbytero, in cujus *legenda* habetur, quomodo restitit *Liberio*, *papæ hæretico*, & tandem tenetur à *Constantio* & ipso *Liberio*: cui dixit ipse *Liberius*, *Tu solus Christianus es in urbe Româ?* Ad quem dixit *Eusebius*, *Sic in Domino confidimus, quia fideles* * *non invenit Christus*: Si ergo quia solus erat in urbe Româ, & confessus est cum diceret Papa, Tu solus, &c. Tunicam Christi laceravit: ex hoc ergo erravit Ecclesia ipsum canonizando & annuatim venerando pro sancto: † Ubertinus (in x. c. Jesus spirans afflatus) dicit, *Verum est tamen quòd si tota Ecclesia* * .... *receperit adulterum pro sponso, hæreticum pro catholico, lupum pro agno, & pro pastore schismaticum & idololatram, qui etiam contra statuta Christi & Ecclesiæ usurparet sibi sedem papalem; si unus solus sibi catholicè resisteret & totus alius mundus eum prædicaret & ei obediret, à toto mundo recederet gratia Jesu & autoritas Ecclesiæ, & in solo illo qui catholice resisteret, remaneret*: Ergo non ad multitudinem, nec ad semetipsum recurrendum est, ad sciendum veritatem fidei, ut testatur *Leo Papa* 24. q. 3. *Quid autem iniquius est quàm impia sapere & sapientibus doctoribus non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Evangelicas autoritates, sed ad semetipsos recurrunt, & ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt.*

* In pag. 973 Tom. 2. Goldasti legitur [nos innominet.]

† Cujus cognomen [de Casali] de quo vide Trithemium de Scriptoribus.

* Deest fortasse [aliquando] nota autem bene hoc Ubertini dictum; sicut & illud, quod sequitur, Leonis.

Nos verò de nostro nihil ponimus, sed sacram Scripturam, dicta sanctorum doctorum & determinationes Ecclesiæ recitamus: & sic patet intuentibus, quòd quamvis pauci sumus, non ideo minus vera sunt quæ dicimus: & certè *Noe* cum paucis in Arcâ salvatus est: *Loth* de *Sodomis* cum duabus filiabus; & beata Virgo sola remansit fidelis in triduo passionis, & multitudo clamavit, *crucifige, crucifige*.

Ad decimum & ultimum, scilicet *quòd Papa Simoniam non committit conferendo beneficia & ordines per pecuniam, dato quòd, &c.* Notandum primò quid sit simonia; deinde quibus pœnis simoniaci ab Ecclesiâ feriantur. Est igitur simonia studiosa voluntas vel cupiditas vendendi vel emendi aliquid spirituale. 1. q. 1. cap. *Presbyter*, dicit beatus Gregorius, Altare & decimas & Spiritum Sanctum emere vel vendere, simoniacam hæresim esse nullus fidelium ignorat: Et ead caus. & q. cap. *Qui studet*, dicitur, Nam Spiritûs Sancti donum pretio comparari, quid aliud est quàm capitale crimen & simoniaca hæresis? Item eâd. q. 3. cap. *Salvator*: dicit Urbanus Papa præposito S. * Vincentii, Quia tibi objicitur, utrum vendere rem Ecclesiasticam, simoniacum sit? Simoniacum esse patenter colligitur ex hoc, quòd beatus Petrus Simoni ait, *Pecunia tua sit tecum in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri.* Donum quippe Dei est Spiritus Sanctus, & donum Dei est res ipsi Ecclesiæ oblata: & *infrà*, Ideo qui easdem res non ad hoc ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ vel indebiti obsequii vel pecuniæ largitur vel adipiscitur, simoniacus est: ubi *glossa* ostendit auctoritatibus, quòd vendere Ecclesiastica beneficia simoniacum sit. Item ibidem ait Innocentius cap. *Si quis*, Si quis præbendas vel prioratum vel decanatum vel quodlibet sacramentum Ecclesiasticum, utpote chrisma vel oleum sanctum & consecrationes altarium vel Ecclesiarum, interveniente execrabili ardore avaritiæ, per pecuniam acquisivit, honore male acquisito careat, &c. nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis antè vel pòst aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat, quoniam simoniacum est.

Definitio Simoniæ.

* Vel [Jucentii.]

Pœnæ simoniacorum sunt multæ; quarum inter alias prima est quòd ipso jure sunt excommunicati & anathematizati ut patet 1. q. 1. per *Ambrosium*, dicentem, *Reperiuntur* quamplurimi negotio muneris perituri mercari velle gratiam Spiritûs Sancti: dum vile pretium donant ut pontificalis ordinis sublimitatem accipiant, obliti verborum *Petri* qui dixit ad *Simonem*, *pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei per pecuniam possideri*; proinde quia & usitatum est tantum malum, & majorum frequenter constat mucrone succisum, nos quoque huic vulneri cancroso ignitum (quod superest adhuc) injicimus ferrum, decernentes omnino ut quicunque deinceps propter accipiendam divini doni dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione Corporis & sanguinis *Christi* alienum, ex quo illum constat execrabile *Christo* perpetrasse flagitium. Ubi *glossa* super verbo [*condemnatum*] dicit, argumentum quòd ipso jure sit anathematizatus clericus simoniacus: & alia *glossa* ait, à statutis patrum ipso jure ex genere delicti: & super verbo [*ex quo*] dicit, Quasi dicat, ex eo tempore sit excommunicatus vel sciat se esse condemnatum, ex quo perpetraverit crimen: notetur verò quod dicitur ibi in *glossa*, quòd simoniacus suspensus est quoad se & quoad alios ipso jure. Item *Gregorius* ait 1. q. 1. cap. *Quicunque*, Quicunque sacros ordines vendunt vel emunt, sacerdotes esse non possunt; unde scriptum est anathema danti, anathema accipienti;

pienti; hoc est, simoniaca hæresis: quomodo ergo, si anathema sunt, & sancti non sunt, sanctificare alios possunt? Et cum in corpore *Christi* non sunt, quomodo corpus *Christi* tradere vel accipere possunt? Et qui maledictus est, quomodo benedicere potest? Ubi *glossa* super verbo [*scriptum est*] dicit, Qui offert aliis vel accipit, ut ordinetur, excommunicatus est. Item 1. q. 1. cap. *Placuit*, ita dicitur, Placuit ut de ordinatione clericorum Episcopi munera nulla accipiant, sed, sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Non aliquo pretio gratia Dei & impositio manuum venundetur; quia antiqua definitio patrum ita de Ecclesiasticis ordinationibus statuit, dicens, *Anathema sit danti & accipienti.* *Item* sancta Synodus ait 1. q. 1. cap. *Dictum est.* Dictum est solere in quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari; similiter pro baptismo & communione: hoc simoniacæ hæresis semen detestata est sancta synodus & anathematizavit; & ut de cætero nec pro ordinatione nec pro chrismate vel pro baptismo vel pro balsamo, nec pro sepultura vel communione quidpiam exigatur, statuit; sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur. *Item* ead. caus. q. 3. cap. *Ex multis*, dicit *Alexander Papa*, Constituimus & eodem modo firmamus ut nullus cujuscunque gradus clericus pro Ecclesiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Ecclesiarum, vel donariis Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum; quia, teste Scriptura, qui aliquid male accipit ut bene dispenset, gravatur potius quàm juvatur: quòd si aliquis divinorum præceptorum & animarum salutis immemor, præfatum beneficium Ecclesiæ, iniquâ cupiditate ductus, vendere vel emere temerario ausu præsumpserit, sicut in *Chalcedonensi* Concilio definitum est, gradus sui periculo eum subjacere decernimus; nec ministrare possit Ecclesiæ quam pecunia venalem fieri concupivit; & insuper terribili anathematis mucrone perfossus (nisi resipuerit) ab Ecclesiâ Dei, quam læsit, modis omnibus abscindatur.

Alia pœna est, quòd in Sacramentis & divinis officiis à fidelibus vitari jubentur, ut patet per beatum *Gregorium* 22. dist. cap. *Præter hoc:* ubi dicitur, officium simoniacorum & in fornicatione jacentium, nullo modo recipiatis, & quantum potestis tales à sanctis ministeriis, ubi oportuerit, prohibeatis. Et in *glossa*; Unde ab occulto simoniaco, quem scis esse simoniacum, non debes recipere sacramenta. *Item* in eod. cap. infrà sequitur, Sed agentibus vel suscipientibus hæc eadem sacramenta, nisi fortè sola morte interveniente, utpote, ne sine baptismate vel communione quilibet humanis rebus excedat, eis, inquam, in tantum obsunt, ut verè idololatræ sint; cum talibus & ordinationum & sacramentorum confectio & aliter quàm præmissum est susceptio, vehementer à sanctis canonibus prohibeantur. Quæ verba declarans *Innocentius* 3. in apparatu Extra. de hæreticis C. *Fraternitatis*; idem dicimus de omnibus præcisis, depositis, excommunicatis & suspensis à collatione sacramentorum, sive à jure sive ab homine sint suspensi; quia si à talibus suscipiantur sacramenta, cùm à collatione eorum privati sint, inobedientes sunt qui recipiunt ab eis; * nisi sit notorius fornicator & simoniacus; qui licèt suspensi sint à collatione sacramentorum, tamen in articulo mortis Corpus *Christi* & baptismum conferunt. 32. dist. cap. *Præter hoc:* † verum & cum à talibus sit licitum sacramenta recipere, eis licitum erit tangere non tamen conficere, nec licitum credimus ab hujusmodi extremam unctionem accipere nec alia sacramenta: nam cum sint generaliter prohibita, & de his specialiter concedatur, consequens intellectus patet quòd de his aliis negatur. *Item Innocentius* extra. de simoniâ in Apparatu cap. *Tanta*, dicit, sed simoniacorum officium audire non debent, etiamsi nulla feratur sententia contra eos: est enim speciale in eis sicut in notoriis fornicatoribus quòd eorum officia audire non debent. Item *Johannes Chrysostomus*, ut habetur in libro pœnitentiali, baptismus à quovis hæretico vel facinoroso suscipi potest, si in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti baptizaverit: si autem quis in infirmitate detentus morti appropinquaverit, & sacerdos vel clericus defuerit, tunc ab alio in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti baptizari potest: pœnitentia autem aut communio à nullo suscipienda est nisi à catholico; catholicus autem sacerdos quamvis facinorosus sit, non tamen privatus; quicquid sacramentum est, unusquisque fidelis suscipere potest sine culpâ; quia Salvator dicit discipulis suis, *Omnia quæcunque dixerint vobis servate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere:* si autem nullus sacerdos catholicus affuerit, rectius est sine communione manere visibili & ideo invisibiliter communicari, quàm ab hæretico communicari & à *Christo* separari. *Nulla conventio Christi ad Belial*, ait Apostolus, *nulla pars fideli cum infideli:* omnis hæreticus infidelis est, simoniacus autem est hæreticus; ergo infidelis. Sacram communionem *Christi* quam visibiliter & corporaliter catholici habere propter imminentes hæreticos non possunt, dum tamen mente ac corpore *Christo* conjuncti permaneant, sacram communionem *Christi* invisibiliter habent. Hæc *Chrysostomus*.

* Videntur hæc mendosè excripta: vide autem glossam in dist. 32. ad verbum [officium] &c.

Alia

Alia pœna est, quòd sunt privati ab officio collationis gratiæ ordinem consequente & ab executione ordinum & administratione temporalium, & similiter à beneficio, ut patet per beatum *Leonem Papam* 1. q. 1. cap. *Gratia.* Gratia si non gratis datur vel accipitur, gratia non est: simoniaci autem non gratis accipiunt; igitur gratiam quæ maximè in Ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiunt: si autem non accipiunt, non habent; si autem non habent, nec gratis nec non gratis cuiquam dare possunt: quid ergo dant? Profectò quod habent: quid autem habent? Spiritum utique mendacii: quomodo hoc probamus? Quia si spiritus veritatis (testante ipsâ Veritate, de qua procedit) gratis accipitur, proculdubio spiritus mendacii esse convincitur, qui non gratis accipitur. Item *Innocentius Papa* dicit, *Qui perfectionem* spiritus quam acceperant perdiderunt, non dare ejus plenitudinem possunt cuiquam, maximè in ordinationibus, quam per suam perfidiam perdiderunt: & iterum, Qui honorem non habuit, honorem dare non potuit, nec aliquid ipse accepit, quia nihil erat in dante; sed damnationem quam habuit, per pravam manûs impositionem dedit. Quòd autem privati sunt à beneficio & dignitate, jurisdictione & administratione rerum Ecclesiasticarum, patet ex Concilio *Chalcedonensi* 1. q. 1. cap. *Si quis Episcopus* & cap. *Quisquis per pecuniam.* & ead. caus. q. 3. cap. *Siquis dator:* & *Urbanus Papa* ibidem ait, *Ea quæ à* sanctis patribus de simoniacis statuta sunt, nos quoque & judicio * & Apostolica authoritate firmamus: quicquid ergo vel in sacris ordinibus vel in Ecclesiasticis rebus vel datâ vel promissâ pecuniâ acquisitum est, nos irritum esse & nullas unquam vires obtinere censemus. Hoc idem habetur in multis literis Apostolicis.

* In editione Gregorianâ est [judicio Sancti Spiritûs] sed in antiquâ Parisiensi legitur ut in hoc transcripto.

Alia pœna est, ut quantumcunque quis ignoranter à simoniaco ordinetur, non recipit executionem; ut patet 1. q. 1. cap. *Statuimus:* & cap. *Siqui à Simoniacis:* ubi dicit *glossa,* Nam quantumcunq; occulti sunt, & etiam ignoretur, iste non consequitur executionem; & hoc in simoniaco in ordine: & licèt sine culpâ istius ordinari contingat, indiget tamen dispensatione: & hoc in detestationem criminis, & ideo dicit [misericorditer] & licet hoc in ignorante: & infrà, Hoc teneas pro certo, quòd si ego scio aliquem esse simoniacum, licèt occultum, non debeo recipere ordines ab eo, ut Extra. de simoniâ cap. *Per tuas:* & si vellet me cogere, potius debeo pati excommunicationem; ut Extra. de sententia excommunicationis cap. *Inquisitioni:* & nota magnitudinem hujus pestis: nam uno committente simoniam, omnes ab eo ordinati & ab eo descendentes usque ad infinitum privantur executione, ut dicit glossa 1. q. 1. super cap. *Qui perfectionem,* licèt non commiserint simoniam ordinati ab eo Episcopi. Quilibet autem Episc. &c. ut suprà in quinta responsione.

Alia pœna est, quòd tenentur de necessitate salutis renunciare beneficio, & executioni ordinis, ut patet per glossam Extra. de simoniâ, capp. *Tanta* & *Tua,* quæ dicit, non potest agere pœnitentiam nisi renunciet beneficio & executioni: & 1. q. 7. cap. *Requiritis:* & Gregor. 1. q. 1. cap. *Si quis neque:* Si quis injusto cordis amore, vel sordidis precibus, sive comitatu, sive manuali servitio, sive fraudulento munusculo episcopalem seu sacerdotalem, non lucro animarum sed inanis gloriæ avaritiâ fultus dignitatem acceperit & in vitâ suâ non sponte reliquerit, eumque insperata mors impœnitentem invenerit, proculdubio in æternum peribit: & 24. dist. cap. * *Nemini,* in textu & glossâ dicitur, Iste si vult salvari, dimittat locum & sit in perpetuâ pœnitentiâ: nec aliquis potest se excusare propter aliquam consuetudinem, ut habetur Extra. de simoniâ, cap. '*Cum in Ecclesiæ* corpore horribile nimis est quod in quibusdam Ecclesiis locum 'venalitas perhibeatur habere, ita ut pro Episcopis vel Abbatibus seu quibuscunque 'personis Ecclesiasticis ponendis in sedem sive introducendis presbyteris in Ecclesiam, 'necnon & pro sepulturis & exequiis mortuorum & benedictionibus nubentium seu aliis 'sacramentis aliquid requiratur: putant autem plures ex hoc licere quia legem mortis de 'longa invaluisse consuetudine arbitrantur; non attendentes quòd tanto graviora sunt 'crimina, quanto diutius infœlicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituen'dis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus seu aliis sacramentis aliquid 'exigatur, districtius prohibemus: & habetur hoc statutum ex Concilio *Lateranensi:* & cap. *Non satis,* habetur, 'Pro sepulturâ quoque & chrismatis & olei receptione, nulla 'cujusquam pretii exactio attentetur: nec sub obtentu cujuscunque consuetudinis reatum 'suum quis tueatur; quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget: & idem habetur cap. *Jacobus:* & cap. *Sicut pro certo,* dicitur —— hujusmodi consuetudo magis dicenda est corruptela, & prohibetur talis consuetudo. Et nota quòd notarius aliquid pro scripturâ recipere non potest, ut habetur 1. q. 2. cap. *Sicut Episcopum.* Sicut Episcopum non decet manum quam imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinatione

natione ejus vocem vel calamum venundare: ubi *glossa* super verbo *calamum*, i.e. scripturam quam ordinatus recipit ab ordinatore, ne dubitetur de ejus ordinatione: & infrà, In collatione ordinis non est distinguendum an habeat salarium vel non: nam nec pro labore nec pro chartâ aliquid debet accipere; sed Episcopus procuret ita, ut sine alicujus muneris acceptione scribatur.

Alia pœna est, quòd simoniaci hæreticis comparantur, ut patet per plura decreta superius allegata; & 1. q. 1. dicit *Gregorius*, * Benedictio in maledictionem illi convertitur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur. Super hoc dicit glossa, Qui sic honorem accipit, hæresim incurrit: est enim consecutivum & causativum: & idem *Gregorius* ibidem, Quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc, ut fiat hæreticus promovetur.

* Cap. Cum liqueat.

Plures sunt pœnæ *simoniacorum*; & quasi innumera capitula ad hoc probandum sunt quæ brevitatis causâ omittuntur. Sed aliqui dicunt quòd apud papam est plena potestas; ideo potest absque *simoniæ* vitio vendere ordines & beneficia: sed dicendum est quòd papa nihil potest contra jus divinum, ut suprà in tertiâ responsione: de *simoniâ* verò habetur Extra. de pactis cap. *Cum pridem*: glossâ ordinaria signanter super verbo [*illicitæ pactionis*] pertractans utrum authoritas papæ sine dispensatione aliqua possit excusare à peccato *simoniæ*, dicit sic, † In his quæ de sua naturâ simoniaca sunt in Veteri & Novo Testamento sunt prohibita, ut vendere sacramenta & spiritualia, non excusat authoritas papæ: potest enim *papa* de *simoniâ* accusari, 40. dist. cap. *Si papa*; in glossâ, ut supra in sextâ responsione.

† Mutatur glossa à nescio quibus in editionibus recentioribus Vide locum.

Supplicamus igitur omnibus præsentes literas inspecturis, ut non tædeat nos opponentes pro domo *Israel* i. e. pro defensione fidei, quæ communis est omnibus fidelibus; dist. 96. cap. *Ubinam*: & *Joh. Chrysostomus* 11. q. 3 cap. *nolite*, dicit, Non solùm ille proditor est veritatis qui transgrediens veritatem, pro veritate palam mendacium loquitur; sed etiam ille qui non liberè pronunciat veritatem quam liberè pronunciare oportet; aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere convenit, proditor est veritatis: nam sicut sacerdos debitor est, ut veritatem quam audivit à Deo, liberè prædicet: sic laicus debitor est, ut veritatem quam audivit à sacerdotibus probatam quidem in scripturis divinis, fiducialiter defendat; quod si non fecerit, prodit veritatem: *corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hieronymus* etiam in prologo 1. Bibliæ c. 4. (& ponitur 2. q. 7. cap. *Sancta*) Sancta quippe rusticitas solùm sibi prodest; & quantum ex vitæ merito Ecclesiam *Christi* ædificat, tantum nocet si destruentibus non resistat. Ille igitur pro cujus amore pugnamus & fide, qui etiam primaria paupertate & afflictione suæ carnis misericorditer nos redemit, faciat nos salubriter intelligere prædicta & operibus exercere, cui cum Patre & Spiritu sancto in Trinitate perfectâ omnis sit laus, honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Explicit Epistola defensoria *Venerabilis inceptoris Magistri* G. Ockam *& suorum de paupertate* Christi *&* fratrum minorum *contra errores Johannis Papæ 22. & constitutiones erroneas ipsius: quæ magis nunc videtur necessariò publicanda, eò quòd quædam ex constitutionibus* extravagantibus *&* bullis *erroneis & reprobatis ipsius* Johannis 22. *in eadem exempla querimoniose allegatis, & errores hujusmodi contra paupertatem* Christi *&* fratrum minorum, *& etiam contra determinationes suorum prædecessorum continentes, nunc de novo in fine aliquarum* Clementinarum (*sine debitâ earundem enucleatione & hujusmodi errorum & revocationum ipsarum declaratione*) *cum quibusdam aliis* extravagantibus *inconsultè impressæ sunt in calumniam prædicti status Evangelici* minorum. *Qui quidem reverendus pater & magister, frater* G. Ockam *multò etiam plenius & diffusius atque prolixius prædictos errores dicti domini* Johannis Papæ 22. *eliminat in suo* Dialogo de potestate Ecclesiæ *& domini nostri Papæ, ut intelligentibus clariùs patet. Item in summâ magistri* Antonini *de* Florentia *similiter multi errores contra hujusmodi sacratissimam paupertatem* Christi *& Apostolorum ejus & Regulæ ac statûs* fratrum minorum, *interseruntur, allegantes & insequentes dictos errores dicti* Johannis 22. *& constitutionum & extravagantium ipsius prædictarum. Qui quidem errores & calumniationes dicuntur fuisse inserti, in dicta* summâ *domini* Antonini *de* Florentia, *ordinis* prædicatorum, *à quodam alio invido & pessimo detractatore, eò quòd dictus de* Florentia *tam ibi quàm alibi in multis locis contrarium asserat; & si ab eodem tales & tanti errores contra hujusmodi paupertatem* Christi *& Apostolorum ejus &* minorum *inibi positi essent, non solùm manifestæ veritati sed etiam sibi ipsi multipliciter contradiceret: quod non præsumitur de tanto viro, licèt quidam alii hæc etiam de eodem fateantur. Ad hos tamen errores & hæreses in dicta* summâ *M.* Antonini *de* Florentia *contra hujusmodi statum paupertatis Evangelicæ* minorum *infestos, &* Johannis Papæ 22. *est & alius egregius tractatus cujusdam venerabilis patris hujus ordinis fratris* Quintini Caulier, *incipiens* [Ecclesiastici primo capite scriptum est, Curam habe de bono nomine] *noviter editus. Item & ad idem de paupertate* Christi

est

est & alius solennior tractatus reverendi patris fratris Stephani Brulifer, *hujus ordinis, doctoris* Parisiensis, *postmodum editus. Item & ad hac sunt libri supradicti magistri* Guillermi Ockam *solennissimi de potestate Ecclesiæ*; *& fratris* Michaelis *de* Cesena, generalis ministri; *& plures determinationes* Capitulorum generalium: *item & Apologia S.* Bonaventuræ: *& quidam parvulus tractatus* Scoti, *& nonnulli alii tractatus sanctorum doctorum multa egregia de hujusmodi sacratissimâ paupertate* Christi *& Apostolorum ejus, &* Regulæ *ac* status fratrum minorum *continentes. Verum quia multa & prolixa sunt, imò in præsentibus commodè describi & poni non potuerunt, sed alibi commodius requirantur, & hac ibidem pro brevi informatione sufficiant.*

E. B. Lectori sal.

PRIMA pars istius, quod legisti, *Defensorii*, breviarium est quoddam seu compendium *Operis nonaginta dierum*; ut facilè constabit cuivis illud cum hoc ipso conferenti in editione *Goldastiana* vel illa veteri *Ascensianâ*: pars verò illa apologetica nihil * habet cum aliis hujus authoris operibus in istis editionibus commune; & propterea dignior quæ nunc in lucem ederetur. Admonitio ista in fine *Defensorii* videtur mihi assuta à quodam *Franciscano*, aliquanto tempore post annum M. D. suppetit mihi editio *Clementinarum* & *Extravagantium* eo anno impressa; in qua tamen ne una quidem extat istarum constitutionum *papalium*, quarum hic mentio: liber ille *Stephani Bruliferi de paupertate Christi* prodiit Par. 1500 (ut *Simler.* in *Bibliothecâ*) Si rescire possemus quo tempore editus fuit tractatus ille *Quintini Caulier*, facile esset assequi ipsum fortasse annum quo scripta est hæc admonitio: non opus est pluribus; quære, Lector, mecum alia exemplaria, vel scripta vel impressa, hujus *Defensorii*, siquid tibi nævorum huic editioni inesse videatur: pergamus autem nunc ad contrariam partem; & videamus quàm pulchrè non solùm mendicantes sed multos alios errores Pontificiorum vellicet & increpet præstantissimus Dominus, Archiepiscopus *Armachanus*; & quàm doctè & sanctè *Defensorium Defensorio* trudat & pellat. Sed alterius Armachani (Illustrissimi & sanctissimi Jacobi Usserii) scripta contra jesuitam & crassissimos *papatus* totius errores, ama & frequenter lege; ut *Armachanum* etiam *Armachano* corrigas. Vale.

* Nisi obiter, ut cap. 8. compendii errorum Papæ. p. 973. tom. 2. Goldasti.

DEFENSORIUM CURATORUM

Contra eos qui privilegiatos se dicunt.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

* De quo vide D. J. Waræum de scriptoribus Hibern. pag. 69. &c.

Incipit propositio * *Richardi* Archiepiscopi *Armachani* primatis *Hiberniæ*, facta in consistorio coram domino *Papa* & dominis *Cardinalibus* ac *Prælatis*, ad utilitatem cleri & populi *Christiani*, super materiâ *mendicitatis* ac privilegiorum contra *fratres* de ordinibus *mendicantium* quibuscunque, apud *Avinionem* octava die mensis *Novembris*, anno Domini *millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo.*

Cujus quidem propositionis thema fuit hoc. *Nolite judicare secundum faciem: sed secundum justum judicium judicate. Johannis septimo cap.*

† Cassationem. Goldast.

* Obedire paratus. Id.

PATER sanctissime, In principio mei sermonis protestor quòd non intendo aliquid asserere aut temerè affirmare quod fidei obviet *Christianæ* aut doctrinæ Catholicæ, quòd etiam non est intentionis meæ destructionem seu * quassationem ordinum *mendicantium* approbatorum ab Ecclesiâ, aut â summis pontificibus confirmatorum expetere, aut etiam suadere. Sed potius suadebo ipsos ordines debere reduci ad puritatem suæ institutionis primariæ, semper sanctitatis vestræ correctioni † paratus. Et ut ad materiam meam statim descendam, ecce, pater sanctissime, accedens *Londoniis* pro meæ Ecclesiæ *Armachanæ* quibusdam negotiis, doctores aliquos satis doctos super *mendicitate* & *mendicatione Christi* domini Salvatoris nostri ex adverso reperi disceptantes: Et sæpius invitatus ut populo prædicarem, septem aut octo sermones ibi protuli in vulgari, & sub protestatione præscriptâ in publico novem conclusiones expressi, propter quas & quæ tunc dixi, fratres ad istam sanctam sedem, licèt frivolè, appellarunt.

Prima conclusio hæc erat, *quòd Dominus Jesus Christus in suâ conversatione humanâ semper pauper erat, non quia propter se paupertatem dilexit aut voluit.*

Secunda fuit, *quòd Dominus noster Jesus Christus nunquam spontaneè mendicavit.*

Tertia erat, quòd *Christus nunquam docuit spontaneè mendicare.*

Quarta conclusio erat, sive quartus articulus, *quòd Dominus noster Jesus Christus docuit non debere hominem spontaneè mendicare.*

Quinta conclusio erat, sive quintus articulus, *quòd nullus potest prudenter & sanctè spontaneam mendicitatem super se assumere perpetuò observandam.*

Sexta conclusio, *quòd non est de regulâ fratrum minorum mendicitatem spontaneam observare.*

Septima conclusio erat de materiâ illâ, *quòd bulla domini Alexandri papæ quarti, quæ magistrorum libellum condemnat, nullam præmissarum conclusionum impugnat.*

Octava conclusio & prima de privilegiorum materia erat ista, *quòd pro confessione parochianorum alicujus Ecclesiæ faciendâ cùm exclusione loci alterius, eligibilior est parochialis Ecclesia, quàm fratrum oratorium sive ipsorum Ecclesia.*

Nona

Nona conclusio erat & secunda in istâ materiâ, *quòd ad confessionem parochianorum cujusvis Ecclesia uni personae singulariter faciendam eligibilior est persona ordinarii quàm fratris persona.* Has conclusiones, pater sanctissimè, in publicis meis sermonibus, scripturis sacris & rationibus tanquam probabiles suasi ut potui; & in praesenti, Deo duce, suadebo. Et etiam declarabo aliqua graviora quae inibi tunc non dixi, sicut *fratribus* ipsis ibi promisi adjiciam in praesenti: Sanctitati vestrae humiliter supplicans & devotè, quòd in conclusionibus praetactis & rationibus, quas ad eas suadendas adduxi & adducam, & fratrum rationibus ex adverso, * si *fratrum* rationes fuerint fortiores; sim ego punitus: si verò econtra, ipsi fratres pro scandalis, detractionibus, & conviciis publicè & occultè mihi per eos illatis, super quâ materiâ malo tolerare quàm agere; legitimè puniantur: Observato quoad omnia quod primò assumpsi: *Nolite judicare secundum faciem: sed justum judicium judicate.*

* ---adverso justum judicium adhibeatur, ut--Id.

Sed quia secundum legem Dei atque naturae (ut in capitulo *Bene* de postulatione) commune negotium privato praeferri debet; à privilegiorum materiâ quae totum clerum & totum populum *Christianum* concernit, volo incipere. Et dico (ut mihi videtur) quòd si quaeratur, quis locus est eligibilior pro confessione alicujus Ecclesiae parochianorum singulariter faciendâ, videtur mihi quòd sua parochialis Ecclesia est locus eligibilior oratorio *fratrum* sive ipsorum Ecclesiâ: quia est conscientiae parochiani confessi hujusmodi locus securior & plura vitans incommoda, quàm *fratrum* oratorium: Quòd parochialis Ecclesia sit locus, † ut singulariter scilicet cum exclusione cujuscunque loci alterius ibi fiat confessio & etiam ut sepultura fiat inibi, patet, quia est locus à Deo & lege ejus praeceptus. Dicitur enim *Deuteronomii* cap. xii. *Haec sunt praecepta atque judicia quae facere debetis.* Et cito pòst. *Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris ut ponat suum nomen ibi & habitet in eo, venietis & offeretis in illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum & vota atque donaria primogenita boum & ovium.* Et postea sequitur ibi prohibitivè hoc modo: *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris: sed in illo quem elegit Dominus in unâ tribuum tuarum offeres hostias & facies quaecunque praecipio tibi:* Haec ibi. Ubi constat quòd non tantùm est praeceptum ut in loco electo à Deo (quem Ecclesiam parochialem juxta verba praedicta debemus intelligere sive accipere, in quo debemus accipere cuncta quae praecepit Dominus ex sacramentis) facere debet quisque de quibus est confessio facienda: Sicut patet *Levitici* quarto capitulo: ubi dicitur quòd *quicunque per ignorantiam peccaverit, offeret sacerdoti & orabit pro eo & dimittetur ei:* Sed etiam quòd alia loca quaecunque sunt à lege prohibita. Certum autem videtur quòd locus *fratrum* non est à Deo per legem suam ad haec facienda electus: sed tantùm à summis pontificibus est concessus: sed juxta verba praemissa est de lege prohibitus. Cum ergo locus praedictus sit certior loco de lege divinâ prohibito, ac solummodo permisso aut concesso, sequi videtur quòd parochialis Ecclesia est locus certior sive securior ad confessionem parochianorum pandendam, quàm oratorium *fratrum* sive eorum Ecclesia. *Item* parochianus non haesitat, nec suspicari habet (intelligo de cursu communi) quòd sua parochialis Ecclesia supposita sit interdicto Ecclesiastico. Hoc autem verisimiliter poterit suspicari de *fratrum* Ecclesiâ: Unde videtur quòd Ecclesia sua est locus sibi securior. Suadetur minor per *decretalem* illam de sepulturis in *sexto* [*Animarum periculis*] ubi sub certo modo poena interdicti tam Ecclesiae quàm coemeterii infligitur quibuscunque religiosis qui inducunt aliquos ad vovendum juramento seu fide interpositâ vel aliàs promittendum, ut apud eorum Ecclesias eligant sepulturam, vel jam electam ulterius non immutent. Et communiter affirmatur quòd *fratres* ita inducunt homines. Unde consequitur quòd verisimiliter poterit quis suspicari quòd loca eorum sunt supposita interdicto Ecclesiastico. Istud aliter confirmatur, quoniam videtur quòd nullus parochianus sciens (ut scire tenetur) quòd sua parochialis Ecclesia est locus à Deo ad sacramenta exercenda electus atque praeceptus, & locus *fratrum* à lege prohibitus, ibi (nisi informatus aut suasus à *fratribus*) eliget sepeliri. Quoniam satis firmum videtur quòd nullus parochianus ad hoc faciendum est à seculari aliquo taliter informatus aut ita inductus, vel, ut verius dicam, seductus.

† Locus securior. Id.

Ex his videtur posse concludi (sicut fieri potest in materiâ morali) quòd parochialis Ecclesia est pro confessione pandendâ parochianis suis locus securior loco *fratrum.* Dixi & dico secundò, quòd parochialis Ecclesia parochianis ipsius est pro confessione pandendâ & etiam sepulturâ habendâ locus utilior loco *fratrum.* Primò: quia est locus à Deo electus ac per hoc à Deo amplius acceptatus quàm *fratrum* Ecclesia, quae à Deo non est expresse electa; sicut nec à sua Ecclesia: sed solùm ad procurationem *fratrum* concessa: Unde videtur utilior, ex quo est acceptior Deo. Item in parochiali

 Ecclesiâ

Ecclesiâ parochianus (ut debet) ritè confessus, duplicis obedientiæ meritum sibi adquirit; scilicet meritum obedientiæ, quâ paret mandato Dei de confessione pandendâ: & meritum obedientiæ, qua obedit præcepto divino, de loco ad hoc à Deo electo servando: hoc secundo merito obedientiæ caret, ut videtur, quisquis apud fratres confessus, cum nulla lex parochiano præcipiat, aut etiam illi suadeat, ut apud *fratres* confiteatur, aut habeat sepulturam: *ergo* est parochialis † parochianis pro istis exercendis locus utilior loco *fratrum*. *Item* in parochiali Ecclesiâ sunt ubique aut quasi ubique aut esse debent de jure divino & suæ Ecclesiæ, plures in decuplo communiter oratores, quàm in Ecclesiis *fratrum* sint fratres: Unde debet quisque parochianus verisimiliter æstimare quòd ibi per orationes plurium poterit amplius adjuvari quàm in fratrum Ecclesiis. Dixi & dico tertiò, quòd confessio facta in parochiali Ecclesiâ modo prædicto, vitat plura incommoda, quàm confessio facta in *fratrum* Ecclesiâ. Et similiter ibi habita sepultura: Quoniam ex quo ibi sunt utilitas amplior, & major securitas: econtra si omitteretur & fieret confessio singulariter, ut suprà expressi, in *fratrum* Ecclesiâ, tolleretur securitas, ac etiam tollerentur utilitates præmissæ: Et hæc sunt (nemo dubitat) gravia multùm incommoda, sive dispendia. Dixi & dico secundò *, si quæratur quæ persona est eligibilior pro confessione parochiani sui singulariter facienda, scilicet an persona *fratris* vel *ordinarii* sui persona? quòd ordinarii persona eligibilior est censenda *fratrum* personis: quia securior & utilior, & quia confessio sibi facta singulariter vitat plura incommoda & dispendia. Dico primò, quòd est persona securior: quia est (ut in articulo præcedenti suasi) persona à Deo præcepta & à sua Ecclesia de lege communi; & *fratris* persona de lege prohibita: Unde consequitur quòd ordinarii persona est securior. *Item* persona ordinarii est parochianis suis personis *fratrum* amplius † alligata: Unde rationabiliter potest de eâ confidere quòd solicitior erit ad providendum eis, quàm *frater* qui est sibi persona extranea: sicut persona medici corporalis est ægroto magis carnaliter secura, quæ est ægroto magis obligata. *Item* quia parochianus de lege communi sive de cursu non hæsitat nec hæsitare habet de ordinarii sui personâ, quòd ejus potestas absolvendi suos subditos sit ligata: De *fratrum* verò personis habet verisimiliter suspicari, quòd propter excommunicationes varias est in eis potestas ligata: Nec est dubium quin securius sit homini confessionem pandere liberam potestatem habenti, quàm habenti potestatem ligatam: *Ergo* persona ordinarii est certior sive securior. Probatur minor prætacta primo per cap. *Religiosi* in Clementinis, de decimis: ubi dicitur quòd religiosi quicunque beneficia non habentes, qui novalium aut alias decimas Ecclesiis debitas ad eos ex aliqua causa legitimè non spectantes appropriare sibi præsumpserint, aut exquisitis fraudibus sive coloribus usurpare tentaverint, & cætera: sententiam excommunicationis incurrunt. Nec videtur ambiguum; quoniam de jure divino legatorum & liberè donatorum decimæ sunt solvendæ; & hoc Ecclesiis & earum curatis. Quod etiam Innocentius dicit, & Hostiensis affirmat. Unde consequitur quòd quicunque *fratres* qui de legatis eis & de eis donatis decimas ab Ecclesiis subtrahunt & eas sibi appropriant, sententiam excommunicationis incurrunt, cum de illis nunquam decimas solvant, ut communiter affirmatur. Secundò probatur minor prædicta per capitulum, *Religiosi*, de privilegiis, in Clementinis: ubi omnes religiosi sunt excommunicati de facto qui à sententiis latis per statuta provincialia seu synodalia quoscunque absolvunt: à quibus sententiis, ut communiter affirmatur, ab Ecclesiæ prælatis & pœnitentiariis eorundem, sæpe, imò communiter ligatos *fratres* confessiones audientes absolvunt. ☞ Ego enim in meâ diœcesi Armachanâ (ut puto) habeo duo millia subditorum qui singulis annis propter sententias excommunicationis latas contra homicidas voluntarios, fures publicos, incendiarios & istis consimiles, sunt excommunicationis sententiis involuti: de quibus vix veniunt ad me seu pœnitentiarios meos quadraginta in anno; & recipiunt sacramenta omnes tales ut cæteri, & absolvuntur vel absoluti dicuntur, nec per alios quàm per fratres, non dubium, cum nulli alii absolvant, absoluti creduntur. Unde à parochianis potest verisimiliter suspicari quòd illi confessores sunt tali sententiâ involuti; Ita quòd potestas sacerdotalis est in eis ligata. Et ita minus tutum est eis talibus confiteri ex quo sine peccato mortali non possunt eos absolvere. Et si illud credant ipsi confessi, consentiunt *fratrum* peccatis si absolutionem accipiant: Ait enim apostolus ad Romanos primo cap. *Qui talia agunt digni sunt morte. Non solùm autem qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et secundo paralipomenon xix. cap. dicitur quòd *Jehu* propheta dicit ad *Josaphat* regem *Juda*, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris*, & cætera. Unde consequitur quòd securior est persona ordinarii * quàm *fratrum* personæ. Idem etiam suadetur per capitulum *Cupientes*, de pœnis in Clementinis: ubi triplex est lata excommunicationis sententia.

Prima

† Ecclesia Id.

* principaliter. Id.

† obligata. Id.

* Scil. Curati. Id.

Prima est lata in omnes religiosos qui aliqua ut audientes à solutione decimarum Ecclesiis debitarum retrahunt in sermonibus suis vel alibi proferre præsumunt; quod faciunt (ut fertur communiter) confessores de *fratribus*: affirmant enim in publico quòd nec de eleemosynis panis & vini, cervisiæ aut aliarum rerum hujusmodi modicarum teneantur donantes in decimando lucra mercationis ipsorum aliquid decimare: Ego verò econtrario affirmavi, quòd de parvis sicut de magnis donariis tenentur inter lucra sua mentionem facere. Quia alias possent mercatores quicunque totum lucrum totius anni per talia parva dona ita distrahere, quòd de maximo lucro suo nihil deberent penitus decimare, totum per modica distribuendo pauperibus, & illusio fieret juri communi. Sunt ergo *fratres* tales majoris excommunicationis sententiis involuti. *Item per eandem decretalem, Cupientes*, sunt omnes *fratres* ab officio prædicationis suspensi, & consequenter excommunicati, qui infra certum terminum conscientiam eis confessis de decimis solvendis non faciunt; ubi & verisimiliter æstimatur quòd omnes confessores deputati de *fratribus*, vel quasi omnes, sunt ista sententiâ canonis involuti: quia, ut fertur communiter, & per eos qui eis confitentur, potest probari, quòd aliqui de hoc penitus nihil dicunt confessis eis; quidquid loquuntur proferunt * avida verba, non pro materiâ, sed pro formâ videlicet: quod non est conscientiam facere, sed magis illudere. Unde si ad consensum constituentis canonem conscientiam facerent, ipsos eis confessos de rebus quibuslibet decimandis de modo & de tempore informarent: Et quia non faciunt, non video quin incidant in istam excommunicationis sententiam. *Item* per idem capitulum, *Cupientes*, omnes religiosi sunt excommunicati qui aliquos ad vovendum jurando vel fide mediâ seu alias promittendum inducunt ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulterius non immutent: quod tamen facere fratres, affirmat clericorum & laicorum communis opinio. Et ad hæc videtur ratio satis probabilis jam adducta ad confirmationem secundæ rationis primæ conclusionis articuli præcedentis

Item quòd persona ordinarii sit parochiano suo securior, aliter suadetur; scilicet quia de ejus personâ rationabiliter parochianus poterit judicare quòd quoad hoc scilicet per pœnitentiam congruam & utilem sibi imponendam pro suis peccatis est judex sibi minus suspectus seu æquior: Quoniam quæstum subsidii temporalis per confessionis suæ auditionem in suo ordinario non habet supponere aut aliqualiter suspicari, cum necessaria vitæ de lege Dei & suæ Ecclesiæ ordinarii ministerio sint annexa: de personis verò *fratrum* econtra. Quoniam, ut in appellatione quam contra me fecerunt in Anglia continetur, quòd ex suâ fundatione ad mendicitatem & paupertatem arctissimam asserunt se astrictos, non obstante in eis facultate audiendi confessiones omnium sibi confiteri volentium. Unde quæstum relevationis mendicitatis in eis causam auditionis confessionis hominis extranei probabiliter parochianus poterit suspicari, & rationabiliter in animo suo ita arguere, Cur iste mendicus meam confessionem audiendo & à necessariis pro victu sibi adquirendis desisteret, nisi de me tale suffragium expectaret? Unde cum egestas ad peccatum, cujus mediatione indigentiæ succurratur, impellat: Juxta illud Salomonis proverbiorum 30. cap. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, sed tribue tantum victui meo necessaria; ne fortè satiatus illiciar ad negandum te & dicam, quis est dominus? & egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei*: consequitur quòd pro omni genere peccatorum *Eleemosynam* applicando qua poterit ejus mendicitas relevari, velit mihi imponere, Et ita non ero spiritualiter bene sanatus. Salvator enim suis discipulis quærentibus, quare non potuimus ejicere dæmonium illud, † hoc loquentes, respondit, *Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium*, Matt. 17. cap. Ex quo dicto colligitur, quòd sicut cuicunque morbo corporali diverso, diversa congruit medicina: sic spirituali morbo cuilibet est providenda propria medicina, qualem iste mendicus circa sua intentus, ut suspicor, mihi nullatenus ministrabit. Confirmat hoc ratio: quoniam satis apparet in facto quod isti *fratres* ubique per orbem post privilegium de confessionibus audiendis obtentum, monasteria pulcherrima & regalia palatia construxerunt: Cujus rei evidentia sive causa præcipua illa est confessiones audiendi facultas: quoniam antequam illam facultatem haberent, nullatenus talia construere potuerunt. *Item* nunquam auditur quòd *fratres* ad refectionem parochialis Ecclesiæ aut stratæ communis seu pontium reformandos defectus, tales eleemosynas largiendas confessis imponant: nec *minores* ut eas * *prædicatores* seu quicunque vel quicunque de aliis mendicantium ordinibus *minoribus* largiantur, imponunt cuncta sibi & suo ordini applicantes. Unde verisimiliter poterit judicari quòd quæstus proprius est in causâ quare talis *mendicus* pro personâ extraneâ est ita solicitus quòd tempus mendicationis negligit, illi extraneo totus intentus. *Item* feci ad hoc & facio semper in præsenti quintam rationem; cujus conclusionem nolebam asserere: Dixi tamen in publico & in præsenti dico, quòd rationem illam nesciebam dissolvere. Conclusio

* Nuda. Id.

† Deest [hoc loquentes] in eod.

* Eas Prædicatoribus, aut Prædicatores seu quicunque de— sed imponunt ——

clusio illius rationis est ista, *Quòd quisque parochianus confessus fratribus, ordinariis neglectis juxta potestatem quam habent, post confessionem hujusmodi remanet in peccato mortali, & a nullo peccato mortali absolvitur.* Ad hanc conclusionem aliqualiter suadendam, nitebar unum principium suadere; quod etiam principium propter constitutionem Johanninam *Vas electionis* volebam astruere, quoniam ibi damnantur de dictis Magistri Joh. de Poliaco tres subsequentes articuli.

Primus est, quòd confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata quæ confessi fuerunt, iterum confiteri proprio sacerdoti.

Secundus articulus est, quod stante statuto *omnis utriusque sexus*, edito in concilio generali, Romanus pontifex non potest facere quòd parochiani non teneantur confiteri omnia sua peccata semel in anno suo proprio sacerdoti quem dicit parochialem curatum: imò nec Deus posset hoc facere: quia ut dicebat, hoc implicat contradictionem.

Tertius articulus est, quòd papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones; quin confessus habenti generalem licentiam audiendi confessiones, teneatur eadem peccata iterum confiteri suo proprio sacerdoti, quem dicit (ut præmittitur) parochialem curatum. Et erat principium ad hoc probandum quòd simul possunt stare & nullatenus repugnant, quòd quisque parochianus *fratribus* sit confessus, & quòd idem parochianus teneatur sub præcepto Ecclesiæ omnia sua peccata semel in anno, suo sacerdoti proprio sive ordinario confiteri. Primò istud suasi, quia non amplius repugnare videretur confiteri fratribus, & nihilominus obligari sive teneri semel in anno omnia sua peccata mortalia suo ordinario sive suo sacerdoti proprio confiteri, intelligendo de confessione quantum ad id quod est iterabile in eadem, quàm sibi repugnant semel aut sæpius apud *fratres* offerre & teneri sive obligari ut semel aut bis sive ter teneatur in suâ Ecclesiâ parochiali in anno offerre; cum unus actus sit iterabilis meritoriè sicut alter. Ista verò duo ultima in nullo sibi repugnant: Igitur nec duo prima mutuo se impugnant. *Item* nullus ambigit quin quæcunque duæ propositiones affirmativæ super simili actu iterabili à diversis personis aut ab eadē personâ pro diversis locis, ac diversis temporibus prolatæ valeant simul stare, sicut quòd iste parochianus audiet unam missam vel plures apud parochialem Ecclesiam, saltem semel in mense, & maximè si uterque actus sit meritorius & Deo acceptus, qualis actus non dubium extat confessio. Omnes autem doctores in illo concordant, quòd actus confessionis est iterabilis meritoriè quantum ad expressionem peccatorum & pœnitentiam. Et nos omnes sæpe sic agimus, Deo ut credimus sic præstantes obsequium. Nec mirum est, quoniam actus tales iterabiles meritoriè possunt cadere sub præcepto, ut suprà expressi in principio articuli præcedentis. Possunt igitur confessio facienda fratri, & confessio eorundem peccatorum ordinario facienda cadere sub præcepto: ergo multò fortius potest una confessio facienda sub præcepto venire, alterâ liberâ remanente. *Item* dominus Martinus Papa quartus qui *fratribus minoribus* facultatem audiendi confessiones concessit, in ipsius privilegii fine sic dicit, *Volumus autem quòd hi qui fratribus confitebuntur, eisdem suis parochialibus presbyteris confiteri, saltem semel in anno (prout generale concilium statuit) nihilominus teneantur; quodque iidem fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter secundum datam eis a Domino gratiam exhortentur. Nulli ergo,* & cætera. Hæc ibi. Unde iste dominus Papa mandat apertè quòd non obstante confessione factâ *fratri*, confitens teneatur juxta concilii generalis statutum eadem peccata suo presbytero parochiali confiteri. Sed huic decreto videtur hæc constitutio Johannina *vas electionis* juxta sensum quem *fratres* de ea concipiunt, obviare, * si populum eo modo informant in publico se ipsos (ut videtur) & illos damnando, si præmissum mandatum domini Martini sit fixum, sicut firmum videtur esse juxta rationes præmissas. Ideo, pater sanctissime, ne tantum dispendium continuetur in populo christiano, amore Crucifixi illa constitutio cum celeritate possibili declaretur. Mihi enim videtur quòd ita potest intelligi, & sic intelligo, quòd nullus confessus *fratribus*, tenetur propter defectum potestatis absolvendi in *fratribus* eadem peccata confiteri suo proprio sacerdoti; cujus contrarium Magister Johannes de Poliaco intellexisse videtur. *Item* videtur valdè mirabile, qua fronte *fratres* audent astruere quòd simul stare non possunt, ut quis sit confessus *fratribus* de suis criminibus, & quòd eadem teneatur suo ordinario sive suo sacerdoti proprio confiteri; cum econtra in suâ regulâ (ut communiter affirmatur) habeant quòd quicunque in ordine ipsorum professus seu habitum ipsorum assumens, in suâ professione aut in suo ingressu, non obstante quacunque confessione priori factâ, tenetur uni ipsorum omnia sua crimina confiteri. Cur enim abnegant de nobis posse servari quod de se ipsis observant, videtur mirabile. *Item* dominus Benedictus undecimus in constitutione sua revocatoriâ constitutionis Bonifacii, quæ incipit, *Super cathedram* (si bene recordor) *fratribus* mandat quòd ipsi hortentur eis confessos, quòd eadem

* Ex. Id.

eadem sua peccata confiteantur suo proprio sacerdoti. Ipse ergo sensit (ut videtur) quòd una confessio obligationem ad alteram omnino non tollat, quoniam si insimul stare possunt, potest alterum præcipi, altero libero remanente (ut mihi videtur) juxta adducta superius. *Item* sanctus Augustinus in *De verâ & falsâ pœnitentiâ*, cap. nono, & sanctus Thomas, & Bonaventura, & alii doctores & glossatores catholici, sæpe affirmant quòd expedit eadem peccata sæpius confiteri. Cur igitur idem sub præcepto venire non possit propter meritum in populo * æmulandum? Nam posset sanctè præcipi à prælato quòd quilibet parochianus audiret singulis diebus Dominicis duas missas. Hoc igitur principio probabiliter sic suaso nimis dura videtur posse inferri conclusio, scilicet quòd quisque parochianus confessus *fratri*; ordinariis suis curatis omissis, per totum annum neglectis, spretis, sive contemptis, est contemptor sive transgressor mandati Ecclesiæ contenti in illâ decretali, *Omnis utriusque sexus:* & per consequens, redit à fratre cum peccato mortali: Et cum Deus non remittat peccatum mortale unum nisi mortalia cuncta relaxet; infertur ulterius quòd taliter à fratre confessus revertitur cum omnibus peccatis mortalibus, cum quibus oneratus accessit ad *fratrem*. Et quid isto intolerabilius aut damnosius possit in Ecclesia *Christi* accidere? Verè, pater sanctissime, istam rationem nescivi solvere nec scio in præsenti dissolvere. Unde rogavi Londoniis ipsos * in publico ut me informarent verbo vel scripto qualiter possem præmissam rationem dissolvere: sed illud hucusque non valui obtinere ab eis. Igitur mihi videtur quòd ex præmissis possum inferre quòd persona ordinarii est parochiano securior pro confessione pandendâ, singulariter scilicet uni personæ, quàm *fratris* persona. Super quo, pater sanctissime, *nolite judicare secundum faciem: sed rectum judicium judicate.* Dico secundò & dixi quòd persona ordinarii est parochiano suo utilior pro suâ confessione pandendâ, quàm *fratris* persona, quia est persona à lege Dei & suæ Ecclesiæ ordinata atque de mandato Dei ad illud ministerium explendum exhibita: *frater* vero ex solâ concessione sive licentiâ summi pontificis ad id obtinet facultatem; nec videtur ambiguum, quoniam quisque observando sive sequendo præceptum, sibi utilius agit quàm præcepto neglecto, sequendo sive observando licentiam; cum sequendo solam licentiam, nullus ob hoc præmium mereatur, & quisque observando præceptum meretur. Unde consequitur quòd utiliùs confiteri potest quisque parochianus (de cursu communi intelligo) ordinario suo quàm cuiquam *fratri:* non tamen nego quin raro in casu contrarium possit contingere, sicut cum ordinarius ex aliquâ causâ certâ redditur suo parochiano suspectus: *Item* hoc sequi videtur ut in priori articulo, quia suo ordinario confitendo habet duplicis obedientiæ meritum; scilicet obedientiæ quoad legem confessionis, & etiam quoad legem personæ; Et confitendo *fratri* caret horum meritorum præmio. Secundò cum non sit parochianis præceptum sive consultum quòd fratribus sint confessi; unde confiteri ordinario videtur sibi utilius. *Item* persona ordinarii est amplius suo parochiano obligata quàm *fratris* persona & amore sancto, ut quisque de cursu communi debet supponere, amplius, ut tenetur ex curâ suo parochiano magis affecta: Unde videtur quòd solicitior erit circa utilem medicinam spiritualem sibi adhibendam, quàm frater, cum sit sibi extraneus. Igitur ex illo capite, videtur confessio utilior. *Item* quia juxta conclusionem immediatè præmissam persona ordinarii est ad hoc persona securior: unde consequitur quòd est utilior. *Item Innocentius* in capitulo illo, *etsi animarum*, unam causam ad istam conclusionem assignat; scilicet, quia facilior ad curatum quàm ad extraneum habetur accessus; † concluditur quòd utilius pandenda est illi parochiani confessio: Et hæc causa specialiter habet locum in causâ infirmitatis de nocte, quando non potest haberi accessus ad *fratrem*, nec *frater* ad infirmum: * de nocte patet accessus ad curatum. Ita quòd tunc non obstante confessione antea factâ fratri parochianum oportebit ordinario confiteri, ubi illi confessio multum esset expediens, quòd ordinarius suam vitam priorem agnosceret; quoniam sic posset sibi pœnitentiam magis aptam imponere, cum satis sit notum quòd quanto quisque sæpius remissionem accepit de peccatis, & quanto peccata ante remissa graviora existunt, tanto redditur gravius sequens delictum. Qualiter ergo eo casu poterit ordinarius parochiano aptam & congruam pœnitentiam, ignorans sua† priora peccata, imponere, aut saltem tam congruam, sicuti si ejus priorem vitam agnosceret? * Omnino non censeo: Unde utilius esset ita confesso propter casus hujusmodi ordinario confiteri quàm fratri. *Item Innocentius* secundam causam adducit; scilicet, quòd in confessione ordinario facta, est erubescentia amplior quàm cum confessio est *fratri* facta: quoniam quisque amplius erubescit pandere sua peccata illi quem quotidie cernit præsentem, quàm uni extraneo, quem fortassis non videt nisi semel in anno. Item multum est utile uxoratis ut † unus suam & suæ uxoris confessionem audiat indivisè; quia sic eorum confessor tanquam medicus singulorum duorum membrorum unius corporis utilius potest languidis in spiritu sicut infirmis

* Ita est in 2. antiquis editionibus. in Goldasto verò [cumulandū] addito etiam [non video.]

* Fratres. Id.

† Concludens. Id.

* Cum tamen de — Id.

† Propria. Gold. *sed malè.*

* Omnino igitur, ut certo, utilius — Id.

† Imò quidem: & seculo maximè meretricio: sed hæc omnia superarunt Jesuitæ, cæteris fraterculis astutiores.

infirmis corporaliter providere, quàm duo medici, quorum unus unum membrum duntaxat, & secundus medicus aliud membrum solummodo curare laborat: Vir verò & mulier unum sunt corpus: Itaque ait Salvator, *Jam non sunt duo sed una caro*, Matt. 19. cap. Satis ex istis videtur quòd persona ordinarii est persona utilior pro sui parochiani confessione illi pandendâ quàm *fratris* persona. Super quo, pater sanctissime, *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate*.

Dico tertiò, ut tunc dixi, quòd confessio facta ordinario singulariter ut præscripsi, vitat plura incommoda sive dispendia quàm facta *fratris* personæ. Ubi incepi dilatare materiam suadendo quòd ea privilegia quæ in capitulo, *Dudum*, exprimuntur *fratribus* esse concessa, & etiam alia multiplicia afferunt & inducunt dispendia; & per consequens observantia juris communis in illorum privilegiorum materiâ * vitat incommoda.

* multa. Id.

Dico ergo quòd privilegiorum horum observantia, non solùm abusus eorum à *fratribus* afferunt multa incommoda confessis, curatis, clero, populo *christiano* & *fratribus*.

Dico primò, quòd horum privilegiorum abusus à *fratribus* plurima incommoda afferunt confessis eisdem, quoniam auferunt securitatem prætactam in primâ conclusione hujus articuli. *Item* utilitates præscriptas in secundâ conclusione hujus articuli: quarum ablatio infert confessis *fratribus* contraria eis incommoda quæ debent quasi intolerabilia judicari. *Item* juxta verba domini *Innocentii* quarti ubi suprà, alia plurima dispendia inde proveniunt. Dixit enim hoc modo, *Attendentes quod ex usurpatione hujusmodi non tantùm contemptum & indevotionem populi producunt contra proprios sacerdotes: verum erubescentia quæ est maxima pars pœnitentiæ, tollitur; cum quis non proprio sacerdoti quem habet continuum & præsentem, sed alieno & aliquando transeunti, ad quem difficilis & aliquando impossibilis est recursus, sua crimina confitetur. Ecce autem incommoda confessis tria: scilicet, contemptus proprii sacerdotis, & indevotio & sublatio erubescentiæ quam maximam pœnitentiæ partem affirmat: quæ ex confessione facta fratribus proveniunt & sequuntur immediatè: quoniam damnabilis etiam est oblationum detentio & periculosa detractio decimarum: quæ non (ut quidam mendaciter asserunt) velut ceremonialia transeunt, sed ei à quo omnia recepimus, in signum dominii reservari parochialibus Ecclesiis indixerunt.* Hæc ibi: ubi duo alia damna adjungit, scilicet detentionem oblationum quæ solent à confitentibus sæpe solvi eis qui eorum confessionem auscultant, & *fratres* eas sibi appropriant, cum de jure parochialibus Ecclesiis debeantur: & est in *fratribus* damnabile ut affirmat: quæ etiam duo sunt curatis damnosa; quia ea quæ pro victu eis de lege Dei & suæ Ecclesiæ providentur, per *fratres* ratione hujus privilegii subtrahuntur. Dicitur enim Numer. 18 cap. *Omnia quæ sanctificantur à filiis Israel, tibi tradidi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitimâ sempiternâ*: & ibidem: *Omnis oblatio & sacrificium & quicquid pro peccato atq; delicto redditur mihi aut accedit in sancta sanctorum, tuum erit & filiorum tuorum*. *Item* per usum privilegiorum à *fratribus* provenit ipsis curatis unum aliud mirabile dispendium, scilicet quòd vultus suorum pecorum quorum curam ab Episcopo suo recipiunt non agnoscunt: quod in curam gerente carnalem de animalibus quibuscunque esset damnosum. *Item* est valdè damnosum *curatis* à suis parochianis contemni, & tamen contemptus eorum (ut suprà Innocentius affirmat) procedit in populis ex hoc quòd parochiani ipsorum, *fratribus* confitentur. *Item* est gravius damnum *curatis* quòd occasione abusûs privilegiorum *fratribus* concessorum quoad tres * cartas omnium funeralium aliter provenientium *fratribus* ex legatione sive donatione distinctè sive indistinctè ad usus quoscunque, in capite *Dudum*, concessas: & quoad † cartam concessam curatis & ibi taxatam: quam * cartam de multis legatis donatis atque oblatis *fratres* non solvunt *curatis*, sed infinitis cautelis adhibitis, ut curati asserunt, ipsi *fratres* sibi appropriant, diversis quæsitis coloribus, quod inter eos & *fratres* quasi ubique in populis *Christianis* sunt lites, contentiones, & jurgia infinita: ita quòd in locis quamplurimis à verbis pervenitur ad verbera, & in mentibus caritas procul abjicitur. Quæ etiam incommoda curatis ex alterius privilegii abusu proveniunt, scilicet, quòd cum *fratres* habeant conservatorias duas, nolunt *curatos* aut alios habentes quæstiones cum ipsis coram propinquiore suo conservatore facere ad judicium evocari: sed citari eos faciunt coram magis ab eis remoto, ut propter vexationis timorem (ut dicitur) compellant eos à causarum suarum prosecutione desistere: quod in meâ provinciâ sæpius actum extitit, ut aliqui in istâ curia præsentes affirmant, & est super hoc fama communis. Hæc & alia multa incommoda ex usu vel verius ex abusu privilegiorum *fratribus* concessorum proveniunt in *curatis*.

* [Quartas] in Goldasto; addito [& etiam] ante [omnium] sed in utraque veteri ut hic.
† quartam.
* quartam.

Item ex abusu privilegiorum *fratribus* concessorum incommoda multa in clero proveniunt. Primò quòd occasione privilegii super confessionibus audiendis juvenes quasi omnes in Studiis generalibus & in domibus parentum suorum, in quibus quasi ubique

fratres

fratres propter facultatem audiendi confessiones tanquam familiares existunt, *fratribus* confitentur: qui juvenes *fratrum* fraudibus & eorum munusculis datis allecti, quia homines provectæ ætatis circumvenire non possunt, eorum ordines ingrediuntur nec postmodum permittuntur (ut fama laborat) quòd exeundi ab ordine habeant libertatem. Sed cum eis detinentur inviti donec * perficiantur in ordine: imò nec permittunt (ut dicitur) quòd cum patre aut matre loquantur, nisi sub *fratrum* custodia & timore. Super quo, isto die in exitu mei hospitii unus probus de Anglia qui ob remedium obtinendum ad curiam istam accessit, mihi exposuit, quòd statim post paschâ proximò jam elapsum *fratres* apud Studium *Oxoniense* eo modo sibi suum filium non habentem annos tredecim subtraxerunt, cum quo illuc adveniens non poterat nisi sub *fratrum* custodiâ existente habere colloquium: cum Scriptura sacra præcipiat qui *furatus fuerit hominem & vendiderit eum, convictus mox morte moriatur.* Exodi 21. cap. Hanc igitur pœnam si non subeant aut aliam pœnam legitimam, non mihi videtur justum. Si enim secundum legem pro furto bovis aut ovis debet quis puniri: multò potius pro graviori furto, & proximo læso magis nocivo amplius deberet quisque puniri: quale est furtum hujusmodi puerorum ante annos discretionis à custodiâ suorum parentum. Nec poterunt affirmare quòd quia pueri sic surrepti, ad Deo obsequendum devotius adducantur, ideo furari eos & circumvenire licet fraudibus, mendaciis & fictis promissis; quoniam hoc est contra decretum Apostoli affirmare: dicit enim, *Et non sicut blasphemamur & sicut ajunt nos quidam dicere, Faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio justa est*; ad Roman. cap. 3. Utinam viderent in contrarium hoc dicentes libros beati *Augustini de mendacio & contra mendacium*; in quibus apertè declarat, quòd non est faciendum mendacium pro aliquo malo vitando, nec pro commodo acquirendo; etiam nec pro hominis liberatione aut vitâ salvandâ: & pariter videtur de aliis generibus peccatorum: & exprimit inter alias unam pulcherrimam rationem: *Si*, inquit, *liceret ex tali causâ proferre mendacium, tota Ecclesiæ doctrina periret: quoniam tunc prædicans fidem in publico, ex tali causâ posset mentiri; cur ergo in docendo fidem, sicut & cætera, auditores in cordibus suis non ita possent arguere? Iste secundum suam doctrinam potest dicere licitè in multiplici casu mendacium, nescio, nec scire nunc possum an talis casus jam instet sibi: igitur fidem in docendo non debeo adhibere:* unde concludit quòd ad officium justi hominis nunquam pertinet ullatenus proferre mendacium. *Item* hoc est novæ legis præceptum, sicut patet *Marci* 10. cap. ubi quærenti à Domino, *Quid faciam ut vitam æternam percipiam?* taliter respondetur, *Præcepta nosti, Ne adultereris: Ne occidas: Ne fureris; Nec falsum testimonium dixeris: Nec fraudem feceris: Honora patrem & matrem, &c.*

* proficiantur. Id.

Non autem licet homini propter causam aliquam à seipso inventam præceptum solvere, ut videtur: tum quia propter hoc *Saul* ejectus erat à regno suo, quia contra præceptionem divinam de demoliendâ totâ *Amalechitarum* substantiâ animalia pinguiora pro offerendo Deo sacrificio reservabat; ubi à *Samuele* prophetâ est sibi responsum, *Melior est obedientia quam victima, & auscultare magis quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, non acquiescere*, 1. *Reg. cap.* 15. Item quia *Oza* extendit manum ad *Arcam* Dei & tenuit eam; quoniam recalcitraverunt boves & declinaverunt eam: iratusque indignatione Dominus contra eum, percussit eum super temeritate suâ, & mortuus est, 2. Reg. 6. cap. *Item* propheta Domini qui de *Judâ* missus est in *Bethel*, quia contra præceptum Domini ne comederet aut biberet in illo loco ubi comedit & bibit, & tamen suasus & invitatus ab alio prophetâ loci illius, qui audito ab eo divino præcepto dicit se esse prophetam sibi similem, à leone est in redeundo occisus, sicut scribitur 3. Reg. 13. cap. Hæc & istis similia satis affirmant esse delictum mortale in fratribus pueros ita furari à suis parentibus: imò non solùm videntur peccare mortaliter propter furtum, sed etiam propter circumventionem & fraudem; cum Dominus ipse in auctoritate prætactâ ita affirmet esse præceptum, *Ne fraudem feceris*, sicut affirmat esse præceptum, *Ne occidas*; aut etiam, *Ne fureris*. *Item* pariter affirmat ibi falsum testimonium esse prohibitum † sicut præceptum; quod tamen (ut videtur) *fratres* exercent in pueris, cum eos suis circumventionibus ita alliciunt. Unde *Paulus* Apostolus præcepit *nequis supergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* 1 Thess. cap. 4. Ex istis consequitur grave damnum in *populo*; quia à multis * subtrahitur id quod amplius diligunt in hoc mundo. *Item* consequitur grave damnum in *clero*, in hoc, quòd jam in *Studiis* regni *Angliæ* propter talem subtractionem à suis parentibus puerorum, laici ubique retrahunt suos filios ne mittant eos ad *Studium*, quia potius eligunt eos facere cultores agrorum eos habendo, quàm sic in *Studiis* eos taliter amittere: & sic fit quòd ubi in *Studio Oxoniensi* adhuc meo tempore erant *triginta millia studentium, non reperiuntur sex millia his diebus*;

† Et vitari præcep—Id.

* frustrabitur. Id.

diebus; & major hujus minutionis causa sive occasio, præmissa puerorum circumventio æstimatur. Et quid est isto damno gravius toti clero? non video. *Item* aliud damnum tam grave quod tendit ad consumptionem seu evacuationem doctrinæ in secularibus cujuslibet facultatis, est, quòd isti *ordines mendicantium* propter infinita lucra quæ mediantibus prædictis privilegiis de sepulturis & confessionibus & aliis quæ acquirunt, tantum multiplicati sunt in conventibus & personis conventuum, quòd non reperitur in Studiis communibus de facultate *Artium*, sacræ *Theologiæ* & *Juris Canonici*, ut fertur à pluribus, de facultate *Medicinæ* aut de facultate *Juris Civilis*, nisi raro, aliquis utilis multum liber venalis, sed omnes emuntur à *fratribus*: ita ut in singulis conventibus sit una grandis ac nobilis libraria, ut singuli *fratres* habentes statum in *Studiis*, quales sunt modò innumeri, nobilem habent librariam: unde etiam de meis subjectis rectoribus tres aut quatuor misi ad *Studium*; & dictum est mihi quòd quia nec Bibliam eis utilem nec libros alios Theologiæ venales eis congruos ibi poterant reperire, ad suam patriam sunt reversi, aut unus eorum saltem rediit jam. Si ista non sit in clero grandis jactura, nulla poterit in ipso esse, cum ad exitum talem, ut videtur, intendat quòd *Clericus* in Ecclesiâ nullus remaneat propter *fratres*; & sic peribit fides Ecclesiæ nisi quatenus residebit in *fratribus*: & ita, ut multis videtur, potius expediret quòd prælati eis cederent ut totam, ad quod anhelare videntur, haberent Ecclesiam, quàm quòd eam demoliantur hoc modo. Unde non solùm admiror sed stupeo quali audaciâ tot homines supra omnes mortales in sapientiâ se publicè extollentes, contra physicam rationem & contra sacræ Scripturæ doctrinam taliter se sine modo multiplicant: dixit enim *Aristoteles* secundo libro suo de animâ, quòd *omnium natura constantium determinata est ratio magnitudinis & augmenti*; unde consequitur quòd legem naturæ non servant, sed eam abjiciunt, qui in magnitudine & augmento terminum sibi non statuunt. Item cum Scriptura nos instruat Sapient. xi. c. quòd *Deus omnia in mensura, numero & pondere disposuit*; cum talis multiplicatio super mendicitate seu mendicatione, ut *fratres* asserunt, sit fundata, quæ nec personarum *numerum* certum potest statuere quibus provideat; imò nec uni personæ de cætero poterit providere; nec *pondus*, scil. ut locum fixum mendicantes obtineant, possit præfigere; cum verè mendici per singulos dies aut quasi suum locum, egestate urgente, compellantur exire; nec *mensuram* personis possit statuere; sc. ut in singulis divinis officiis sint in numero certæ personæ; cum pari modo egestate compulsi ministeriis relictis mendicare sæpissimè oportebit; consequitur quòd * modum Omnipotentis sapientiæ disponendi, isti de mendicantium ordinibus se hoc modo multiplicant, per hoc *clerum* & *populum* importunè velut effrontes ubilibet onerantes. Jam enim istis temporibus non poterit magnus aut mediocris in *clero* & *populo* vix cibum assumere, nisi tales non vocati affuerint *mendicantes*; non more pauperum petentes ad portas vel ostia humiliter eleemosynam, ut *Franciscus* in testamento præcepit & docuit, mendicando; sed curias sive domos sine verecundia penetrantes & inibi hospitantes nullatenus invitati edunt & bibunt quæ apud eos reperiunt; secum nihilominus aut grana aut similia aut panes aut carnes seu caseos (etiamsi in domo non fuerint nisi duo) secum extorquendo reportant; nec quisquam eis poterit denegare nisi verecundiam naturalem abjiciat. Et est mirum quòd domini *Gregorii Papæ* sententiam non formidant, qui in quodam privilegio publicato prælatis Ecclesiæ ita scribit, *Quia verò vitia sæpe sub specie virtutum occultè subintrent & angelus Satanæ in angelum lucis se plerumque simulatè transformat; præsentium vobis mandamus auctoritate quatenus si quos de † prædictorum fratrum ordine se dicentes in vestris partibus prædicaverint, ad quæstum pecuniæ se convertendo, per quod religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contigerit infamare, vos tanquam falsarios capiatis & condemnetis eosdem.* Tanta est jam in ipsis subtilitas hujus artis: unde pauperes vicarii & rectores & * communes de populo quasi ubique istis temporibus conqueruntur. Mirabilis iste modus vivendi apparet in istis, qui se affirmant debere ex sua professione Evangelium observaturos contra *Christi* sententiam discipulos ad evangelizandum mittentis, *Nolite transire de domo in domum*, Luc. x. cap. & contra aliam Scripturam dicentem, *Vita nequam hospitari de domo in domum*, Ecclesiastic. 29. cap. Ita de curia in curiam, de domo in domum discurrere ut eorum claustrum eis sit carcer; annon est illud damnum grave in clero & populo? Veraciter hoc multis apparet, & omnia occasionaliter ex usu privilegiorum, imò abusu proveniunt; quoniam ipsa privilegia prædicationis & auditionis confessionum tam extensè exercere prætendunt, quòd quisque eos verecundatur repellere. *Item* ista privilegia & alia infra tangenda afferunt ipsis fratribus multa incommoda, quia videtur quòd inficiunt eos multis generibus peccatorum: peccatum enim est se immergere peccato inobedientiæ, peccato avaritiæ & peccato superbiæ: videtur enim tam procuratio quàm observantia horum privilegiorum omnium contentorum

* videtur debere esse [præter modum].

† Prædicatorum. Id.

* omnes. Id.

rum in capitulo, *Dudum*, De sepulturis in *Clementinis*; & etiam aliorum præmissorum peccatis *fratres* inficere. Procuratio eorum videtur eos inficere quoad *Curatos* in peccato injuriæ; quia facta est contra jus sive divinum mandatum, quo dicitur, *Non concupisces domum proximi tui; non desiderabis uxorem ejus, non ancillam, non bovem, non asinum nec omnia quæ illius sunt*, Exod. xx. cap. Constat autem quòd hæc jura procurata à *fratribus* fuerant tempore procurationis jura *Curatorum*: igitur contra divinum mandatum tunc fuerat ea concupiscere: procuratio verò concupiscentiam habebat annexam & * primam in quocunque. *Item* cum non licebat tunc concupiscere bovem aut asinum *curatorum*, juxta divinum præceptum: multo minus licuit concupiscere ea quæ *curatis* erant utiliora, scilicet jura præmissa. *Item* illa procuratio fiebat contra præceptum de dilectione proximi, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; quoniam quisque seipsum sic diligit quòd nollet alterum indebitè concupiscere bona sua. Constat autem quòd illa jura *Curatorum* tunc non debebantur *fratribus*; Igitur erant ab eis indebitè procurata; & sic contra mandatum Dei præmissum.

* In Goldasto [pœnitentiam: aliàs, penuriam] quære editionem. Paris 1633.

Item pariter suadetur per illud, *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis, vos facite illis: hæc est enim Lex & prophetæ*: ubi constat quòd per *facere*, tam agere, quàm omittere debemus accipere; scil. ut omittamus aliis facere ea quæ nollemus, scil. quæ nolle debemus nobis fieri: & quis fratrum vellet, aut secundum eos velle deberet, quòd ab eis monachi aut canonici regulares aut fratres alterius ordinis tollerent ab eis privilegia quæ jam habent? non puto quòd aliquis: igitur nec ipsi talia injuriosa curatis illi facere debuerunt. Item privilegiorum procuratio peccato inobedientiæ fratres inficit; quoniam ipsa privilegia regulas suæ professionis impugnant. Primò quidem, quia in approbatione sua supponunt & suggerunt quòd illi quatuor Ordines ab Ecclesia sunt instituti atque fundati super mendicitate atque arctissimâ paupertate: videtur autem quòd habere jus prædicandi fidelibus non potest stare cum hujusmodi fundamento, si huic privilegio sive juri sit annexa potestas exigendi necessaria vitæ ab his quibus Evangelium fratres annuntiant; sicut erat in Christi discipulis, quando ad illud ministerium exercendum eos direxit; juxta illud Lucæ 10. cap. jam prætactum. In quamcunque domum intraveritis, &c. dignus enim est operarius mercede suâ: mendici verò rectè tales, ut videtur, dici non possunt: qualiter enim dici possit verè mendicus (non dico mendicans) habens jus liberum vitæ necessaria exigendi, non video: unde nec Inquisitores pravitatis hæreticæ, qui dicuntur abuti sæpissimè potestate eis concessâ, vexantes sæpe diversas personas literatas & laicas, volentes remedium quærere de injuriis illatis per eosdem inquisitores aut Ordinis sui fratres, ita ut timore verecundiæ seu notationis super causâ hæresis & finalis injusti judicii, quale dicuntur sæpius exercere, pecuniæ summas graves ab eis extorquent: nec quivis pœnitentiarius aut lector habens de certo sive ex pacto necessaria vitæ suæ, videtur dici verè mendicus: Et sic ista ministeria procurando & etiam exercendo suam professionem dissolvunt: & ita videtur quòd tam procurando quàm volendo tale privilegium, ipsi procurantes suam regulam de mendicitate, non dico de mendicatione quæ actum solum signat, volebant abjicere: & sic eam in cordibus suis abjecerunt, sicut in simili ait Salvator, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo, Matt. 5. cap. Si verò fratres astruxerunt (& verè, ut mihi videtur, sicut inferius suadebo) quòd huic ministerio sive officio prædicandi in ipsis non est annexa facultas exigendi vitæ necessaria ab his quibus Evangelium Christi annunciant: quoniam non sunt vocati fratres aut missi ad tale ministerium exercendum; sed * habent licentiam qua hæc præcepit eis aut eos exhortatur ut ministerium illud exerceant, ex alio capite idem consequitur scil. ex privilegiis sepulturæ & facultatis recipiendi oblata tunc Deo, [& † alia ibi Deo oblata,] & ex privilegio audiendi confessiones omnium sibi confiteri volentium: quoniam de lege Dei, confessi non apparebunt vacui in conspectu Dei, scilicet ingredientes Ecclesiam Dei pro sacramentis habendis, sicut patet Exodi 23. cap. Inobedientiæ peccatum incurrunt: quia contra doctrinam Apostoli ad Romanos 10. cap. id exercent, cum dicat, *quomodo prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona!* & ad Hebræos, 5. cap. *Nemo sumat sibi honorem; sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Et contra Christi doctrinam, *Nolite vocari Rabbi, nec vocemini magistri: unus enim est magister vester Christus.* Matthæi 23. cap. Sunt ergo inobedientes qui in professione suâ Evangelium Christi servare promittunt, & tamen contra legem suam in Evangelio traditam, privilegium tale procurant. Item de fratribus minoribus hoc specialius videtur posse inferri; quoniam nemo ambigit quin facilioris & laxioris observantiæ ac minoris meriti sit in eis, cum istis privilegiis super facultate prædicandi, confessiones audiendi, sepulturas habendi, & tres quartas omnium proventuum sibi appropriandi, malle vitam transigere, quàm vivere sine illis, sine quibus à beato *Francisco*

* nudam. Id.

† verba inclusa desunt in Gold.

fuerunt instituti. Igitur illa privilegia procurando retro respexerunt, postquàm miserunt manus ad aratrum, contra præceptum & regulam sancti *Francisci*. Dicitur enim in ejus regulâ isto modo, cap. 2. *Finito verò anno probationis accipiantur ad obedientiam, promittentes istam vitam & regulam semper observare, & nullo modo licebit eis de ista religione exire juxta mandatum domini Papæ, quia secundum sanctum Evangelium, Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retrò aptus est regno Dei.* Hæc ibi. Qui igitur talia privilegia procurarunt, quia retrò, non dubium, respexerunt, peccatum inobedientiæ contraxerunt. *Item* cum dicatur in principio ejusdem secundi capituli, *Si qui voluerint hanc vitam accipere & venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros provinciales quibus solummodo & non aliis recipiendi fratres licentia concedatur: ministri verò diligenter eos examinent de fide catholicâ & de Ecclesiasticis sacramentis; & si hæc omnia credant & velint ea fideliter confiteri & usque in finem fideliter observare*, & cætera. *Finito verò anno probationis*, & cætera. *Fratres* verò econtrario privilegium procurarunt, quòd tam inferiores in ordine, quàm provinciales ministri, possunt homines ad ordinem suum recipere: imò ipsi *fratres* indifferenter hoc faciunt: & cum sic privilegium procurando volebant regulam in illa parte dissolvere seu laxare, consequitur quòd peccatum inobedientiæ commiserunt, aut si sine privilegio ita agant, non minus contra suam professionem inobedienter hoc agunt. *Item* hoc idem consequitur propter illam clausulam regulæ, *Ministri verò diligenter eos examinent*, & cætera: Contra quam clausulam directè agunt quotidie, cum quasi nullus ad eos accedat, nisi juvenis circumventus, qui nec novit quot aut qualia sunt Ecclesiæ sacramenta; nec scit fidem ab hæresibus separare: & nihilominus vix reperitur *fratrum* locus notabilis, quin sit ibi puerorum infra decennium conventus unus aut saltem dimidius. Quis potest ambigere quin istud in *fratribus* inobedientiæ sit peccatum? proveniens in ipsis ex privilegiis prætactis, quibus ita ditantur & taliter honorantur, quòd pueri ad eorum vota faciliter inclinantur, & præcipuè quia audiunt confessiones in domibus suis & in domibus parentum puerorum. Igitur hujusmodi procuratio privilegiorum istorum & abusus eorum peccato inobedientiæ inficit ipsos *fratres*. *Item* cum in regulâ sancti *Francisci* dicatur, & in capitulo *Exiit: De verborum significatione*, libro sexto, etiam declaretur à *fratribus* observandum, quòd *fratres* non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab illo fuerit illis contradictum. Et sanctus *Franciscus* in testamento suo sic dicit, *Et si haberem tantam sapientiam quantam Solomon habuit & invenirem pauperculos sacerdotes hujus seculi in parochiis quibus morantur, nolo prædicare ultra voluntatem ipsorum, & ipsos omnes alios volo timere, amare & honorare sicut meos dominos*, & cætera: *Et domini mei ibi sunt*. Hæc ibi. Qualem verò reverentiam *fratres* sacerdotibus pauperculis exhibent, * abscondi non potest nec poterit, cum sit nulla; sed irreverentia ubilibet loco sui reperiri poterit subrogata. Ipsi econtra privilegium in capitulo *Dudum* contentum, procurarunt sibi concedi: & sic procurando in voluntate suâ peccatum inobedientiæ habuerunt: quia legem illam eis prius impositam tollere voluerunt. Dicit enim beatus *Augustinus* super illo versiculo psalmi centesimi decimioctavi, *Legem pone mihi Domine*, hoc modo, *Qui timore pœna, non amore justitiæ opera legis facit, profectò invitus facit: quod autem invitus facit, si fieri posset, vellet utique non juberi: ac per hoc legis quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus: nec mundatur opere qui immundus est voluntate*: Hæc *Augustinus*. Constat autem quòd fratres procurantes ut non obtentâ licentiâ Episcopi in sua diœcesi possint prædicare & confessiones audire, volebant regulam contrariam omnino non esse: & sic extunc eam non amore justitiæ, sed solùm timore pœnæ servaverunt; & volebant eis illam jussam non esse, & ita non illius legis prioris amici, sed inimici tunc erant, & secundum *Augustinum* immundi voluntate. *Item* isti procurantes privilegia quæ suam regulam seu professionem impugnant, non possunt (ut videtur) fideliter eo casu proferre illam clausulam orationis *Dominicæ, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terrâ*, Matth. 6. cap. cum tamen ad id ex professione Evangelii teneantur. Sic enim sanctus *Franciscus* suam regulam inchoat, *Regula & vita fratrum minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi Evangelium observare*, cum nulli sit dubium quin voluntas Dei, scilicet ejus præceptum sive consilium sit quòd *fratres* suam regulam ab eis professam in finem observent: cum hoc etiam præcipiat in Regula, secundo cap. Et isti procurantes in corde suo econtra procurant ut observantia relaxetur. Unde consequitur quòd procurantes peccato inobedientiæ quoad Deum, & quoad suam regulam sunt infecti. *Item*, ex alio capite videtur hoc: quoniam nec confessiones audire, nec prædicationis officium exercere poterunt isti *fratres*, sicut nec alii, nisi ad sacros ordines promoti; ad quos cum peccato inobedientiæ (ut videtur) promoventur, cum sit lex communis Ecclesiæ quòd nullus promoveatur ad ordinem sacrum, nisi habeat titulum sufficientem ad vestitum habendum & victum, qualem titulum quia *fratres* non habent,

* Ostendi.Id.

habent, cum sint (ut dicunt) verè mendici, contra hanc legem (ut videtur) omnes & singuli promoventur: & sic non tantùm inobedientiæ, sed etiam ambitionis, tam sublimem statum procurando sibi concedi, peccatum incurrunt. *Item* cum regula sancti *Francisci* præcipiat eodem capitulo de prædicationibus, quòd nullus *fratrum* populo penitus audeat prædicare, nisi à generali ministro hujus *fraternitatis* fuerit examinatus & approbatus & ab eo prædicationis officium sibi concessum: & contra est privilegium procuratum, ut scilicet ministri provinciales possint id facere: *fratres* hoc procurantes iterum contra suam regulam procurabant, peccatum per consequens inobedientiæ committendo. *Item* sanctus *Franciscus* in testamento suo sic præcepit, *Præcipio firmiter per obedientiam fratribus universis, quòd ubicunque sint, non audeant petere aliquam literam in curiâ Romana per se, vel per interpositam personam, neque pro Ecclesiâ, neque pro aliquo loco, neque sub specie prædicationis, neque pro * persecutione suorum corporum.* Hæc ibi. Et *fratres* econtra per seipsos ista privilegia & etiam per literas procurabant, quoniam in ipsis privilegiis continetur, *vestris precibus inclinati, &c.* Et sic videtur quòd illa procuratio ipsos procurantes inobedientiæ peccato infecit. Sed forsitan *fratres* hic dicerent quòd dominus *Papa Gregorius* nonus (sicut dicitur in decretali domini *Nicolai* tertii: *Exiit de paradiso*) declaravit *fratres* non teneri ad mandatum *Francisci* in illo testamento contentum: Et respondetur eisdem *fratribus*, quòd dominus *Nicolaus* non asserit quòd *Gregorius* nonus taliter declaraverit, sed dicit, *sicut asseritur.* Unde videtur quòd *fratres* super hoc nullam declaratoriam literam habuerunt: quoniam verisimile est, siquam literam habuissent, quòd illam exhibuissent coram domino *Nicolao*: Et tunc (ut videtur) non dixisset *ut asseritur*: sed, ut in eorum literis vidimus contineri. *Item* esto, quòd dominus *Gregorius* taliter declaraverit, non aliud intendebat quàm id quod suæ rationes concludunt: Dicit enim dominus *Nicolaus* in prædicta decretali *Exiit*, isto modo loquens de ipso domino *Gregorio* nono: *Qui, sicut asseritur, attendens periculum animarum, & difficultates quas propter hoc possent incurrere, dubietatem de ipsorum † cordibus amovens, dicit fratres ipsos ad ipsius mandati observantiam non teneri, quod sine consensu fratrum & maxime ministrorum, quos universos tangebat, obligare nequivit, nec successorem suum quomodolibet obligavit, cum non habeat in parem par imperium: Nos autem circa præsentem articulum nihil duximus innovandum.* Hæc ibi. Ubi quia dominus *Gregorius* dicit, videtur quòd dominus *Gregorius* si quid fecit, non aliud in hoc egit, quàm decretum aut declarationem, quòd *fratres* ad illud mandatum sancti *Francisci* non fuerant obligati, intelligendo quatenus erat mandatum ipsius, quoniam nil amplius probatur per rationes ipsius, scilicet quia non fuerant evocati ad hoc omnes quorum interfuit, & quòd par in parem non habet imperium. Cum qua declaratione videtur stare quòd *fratres* illud testamentum nihilominus servare tenebantur & in præsenti tenentur, si auctoritate divinâ per *Franciscum* illud traditum erat eis: quoniam ad mandatum Dei non oportuit vocare ministros, nec successor *Francisci* Deo mandanti par fuit: sic quòd rationes illæ non obstant, quin de mandato Dei & auctoritate ejus intimatis *fratribus* per *Franciscum*, fratres tunc tenebantur & in præsenti tenentur illud testamentum servare. Quòd autem sic fuerit, ex eodem testamento in fine videtur, ubi sic dicitur, *Et non dicant fratres, hæc enim est alia regula, quæ est recordatio, admonitio, & exhortatio & meum testamentum, quod ego frater Franciscus parvulus facio vobis fratribus meis benedictis propter hoc, ut regulam quam domino promisimus melius catholicè observemus, & generales ministri & omnes alii ministri & custodes per obedientiam teneantur in istis verbis non addere vel minuere, & semper hoc scriptum habeant secum juxta regulam, & in omnibus capitulis quæ faciunt quando legunt regulam, legant & ista verba, Et omnibus fratribus meis, clericis & laicis, præcipio per obedientiam, ut non mittant glossas in regulam, nec in istis verbis dicendo, ita voluit intelligi, sed, sicut mihi dedit dominus, purè & simpliciter dicere & scribere regulam istam & verba ista, simpliciter & sine glossa intelligatis, & cum sanctâ intentione observetis usque in finem.* Hæc ibi. Ex quibus videtur quòd *fratres* possunt unum eligere de duobus; aut institutorem ordinis sui *Franciscum* mendacium affirmasse & ita esse damnatum: vel verum esse quod dicit, quòd scilicet suum testamentum non est alia regula, sed recordatio prius datæ: & ita sicut tenentur priorem regulam, sic & hoc testamentum tenentur servare. *Item* cum *Franciscus* affirmet quòd propter hoc ipse testamentum hoc fecit *fratribus* suis benedictis ut regulam quam Deo promiserunt, melius catholicè observarent; aut illud fecit mendacio, & iterum dicent illum damnatum: aut testamentum suum servando, suam *regulam* magis catholicè observarent: & per consequens sine observantiâ testamenti illius minus catholicè suam *regulam* observarent: & ita fuerunt in procurando declarationem contrariam, respicientes retrò, & in via regni Dei retrogradi & inepti & sic inobedientiæ peccato infecti. *Item* cum ipse per obedientiam *fratribus* suis præceperit, quòd non adderent nec immutarent, & quòd istud testamentum secum haberent, & cætera

* Defensione; Goldast.

† [Conscientiis] in Decret.

Armachani dilemmata, à fratribus solvenda.

cætera quæ sequuntur: aut impiè in negotio tanti periculi præcepit, & astruere deberent hoc peccato ipsum esse damnatum; aut, quòd justè & sanctè ita præcepit: & haberet ostendere cur alleviando tantæ sanctitatis pondus non respexerunt retrò sic se regno Dei faciendo ineptos. *Item* cum in his verbis *Franciscus* affirmet quòd Dominus dedit sibi simpliciter & purè hanc *regulam* & hæc verba dicere & scribere; aut propter tantum mendacium in exitu hujus vitæ dicent eum damnatum; aut quòd verè Dominus dixit sibi ut & ita diceret *fratribus* suis; & sic ipse divinum mandatum in hoc *fratribus* suis dixit; & per consequens non obstante quòd illud testamentum ratione mandati sancti *Francisci* non teneantur *fratres* servare, nihilominus quia est mandatum Dei eis per sanctum *Franciscum* suum institutorem expressum, istud servare tenentur. Eligant *fratres* quod voluerint ex duobus, & puto quòd eligent affirmare quod sanctè sine tantorum mendaciorum peccatis decessit: & sequitur quòd *fratres* procurando literas Apostolicas contra mandatum Dei & suæ regulæ se peccato inobedientiæ infecerunt. Loquor contra *fratres minores* diffusius super isto, quia ipsi Londoniis inchoarunt negotium, occasionem aliis *ordinibus* ministrantes. Et quia ipsi præ cæteris de perfectione evangelicâ disputantes eam spontaneæ mendicitati ascribunt intantum quòd unus de ipso *ordine*, prædicando in festo *omnium sanctorum*, ut mihi fuerat reportatum, descriptis quatuor gradibus paupertatis, quartum perfectionis majoris imò summæ perfectionis evangelicæ affirmabat, scilicet nihil in mundo habere proprium aut commune, sed mendicare cum Christo. Quod dictum vestrum statum sicut & omnium nostrûm qui sumus inferiores, pater sanctissime, scandalizat. Et ob hoc, super hoc (sicut super aliis supratactis) *Nolite judicare secundum faciem; sed rectum judicium judicate.* Videtur enim valdè mirabile; imò verius loquendo verisimile non videtur, quòd per mille annos & ferè ducentos, nullus ordo erat in Christi Ecclesiâ militante, quam Johannes Apostolus appellat *Hierusalem* circa principium Apocalypsis 21. cap. *Et ego Johannes vidi civitatem sanctam Hierusalem novam de cœlo descendentem à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo*, qui perfectionem evangelicam observavit: sed quòd *Franciscus* ad hoc primò ordinem adinvenit. Si enim Ecclesia militans, in verbis *Johannis* (si pro quia) *Hierusalem* appellatur, cum affirmet eam de cœlo descendere: satis constat quòd tempore illo Ecclesia militans, quia de cœlesti triumphante descendens, sui institutoris *Christi* perfectionem habebat, tanquam sponsa à *Christo* sponso suo ornata: & non erat ita deformis, ut apice summæ perfectionis careret tunc & tot annis sequentibus. Quis tolerabiliter possit audire quòd *Franciscus* in fide novitius, melius atque utilius viam humanæ perfectionis instituit quàm Deus Omnipotens, Omnibonus, Omnisapiens fecerat in hominis institutione primariâ: quem tamen Deus instituit, quòd eo formato statim posuit in paradiso, ut operaretur & custodiret illum, initio Sacræ Scripturæ tradente: ubi operationem corporalem, sufficientiam ac possessionem rerum immobilium & earum quæ pro suo usu, custodiam mendicitati (ut mihi videtur) docuit præferendas, quem tamen in paradiso posuit ut operaretur. Et alia scriptura concordat, quia *homo nascitur ad laborem ut avis ad volatum*, Job quinto: Et ut illum paradisum scilicet tanquam suum custodiret, in quo bonorum mobilium & immobilium affluentiam obtineret: sed de isto infra loquar diffusius. Videtur igitur ex præmissis quòd *fratres* procurando ista privilegia, seipsos peccato inobedientiæ infecerunt.

Pulchrè monachos otiosos conterit, & hypocritas excucullat, argumento à primævâ hominis institutione sumpto: vah! ignavum Pecus, Franciscum & Franciscanos & cæteram *πτωχοπεγέρτων* (ut facetè eos Aventinus appellat) turbam & asinorum greges! Sunt omnes ranæ Apocalypticæ.

Item in procurando ista privilegia *fratres* videntur peccatum avaritiæ incurrisse. Primò, quia non procuraverunt sibi privilegia alia super aliis articulis sacerdotalis officii, scilicet ut possent pueros baptizare, ut possent in subsidium curatorum in die paschæ parochianis sacramentum Eucharistiæ ministrare, aut extremæ Unctionis eis sacramentum conferre; ubi esset tantum meritum pietatis, quantum in istis aut amplius: sed super his solum privilegia hujusmodi, omissis cæteris, procurabant, quibus directè vel indirectè commoda temporalia annectuntur, mirabiliores cunctis mercatoribus & etiam artificibus in hoc effecti artifices, quoad lucrum adjuncta sua professione, quam fingunt super suâ mendicitate servanda: non enim puto quòd erat à mundi origine via facilior sive callidior ad opes facilè perquirendas quàm per præmissa privilegia mendicitati facta, obligatione verè seu fictè adjuncta. *Item* cum constet non obstante quòd *fratres* haberent potestatem liberam recipiendi ad sepulturam in locis ipsorum, nihilominus remanere poterat in suo robore jus commune, scilicet quòd omnes oblationes & omnia funeralia deberentur Ecclesiis & ipsorum curatis. Cum igitur unum cum altero à *fratribus* fuerat procuratum,

curatum, patenter videtur innuere, quòd illius procurationis avaritia causa erat: Est enim regula *Aristotelis*, primo *posteriorum*. *Ad cognoscendum alicujus passionis seu effectûs subjectum seu causam præcipuam, inquiratur, quæ est causa, qua immediate posita ponitur ipse effectus & quâ peremptâ perimitur:* quæ regula satis affirmat quòd commodum temporale fuit in procuratione horum privilegiorum causa præcipua; cum sine illa, procuratio hæc non fiebat, & ea sola fuerant procurata, quæ ista commoda obtinebant. Cujus rei satis patens est signum, quòd non more *Thobiæ* ad sepeliendum rapiunt corpora pauperum defunctorum; sed instar vulturis ultra mare ad quingenta milliaria sua alimenta odorando sentientes ea quærunt, sicut dicit *Averroes* commentator, *secundo de anima*, si bene recolo, cap. *De odore*. Hoc enim signum satis affirmat quòd *fratres* istud sepulturæ cum aliis annexis oblationibus privilegium propter alimentum præcipuè, non propter misericordiæ exercendæ meritum procurarunt. *Item* de privilegio audiendi confessiones omnium indistinctè, aliud probabiliter (ut videtur) suspicari non poterit; cum quisque sanctus (præter ipsos) audire confessiones horrescat; quoniam nimium est cuique peccata sua agnoscere etsi aliena non discat. Unde nec *monachi albi* aut *nigri*, nec *regulares canonici* officium tale desiderant, aut alii viri sancti: nec dubium, si ex devotione sanctâ talis procuratio procederet, quòd in aliquibus aliis viris devotis, non in solis * sanctis *fratribus* aliquotiens appareret. Unde probabiliter potest inferri quòd avaritia tanquam causa præcipua in tali procuratione mentem procurantis infecit. *Item*, ad hoc, quòd regula sancti *Francisci* præcipiat isto modo: *Præcipio firmitèr fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum, neque ingrediantur monasteria monacharum præter illos quibus à sede Apostolicâ concessa fuerit licentia specialis, aut fiant compatres virorum aut mulierum, ne hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur:* & *fratres* econtrario prócurarunt; videlicet ut audire poterunt consilia secretissima mulierum, reginarum & aliarum omnium indistinctè, etiam capite inclinato ad caput multum * obedienter, non insequentes vestigia sancti *Job* qui dicit, † *Pepigi fœdus cum oculis meis ne cogitarem de virgine:* ita ut per tale consortium jam cum pulcherrimis dominabus * philosophentur in cameris: Unde per orbem scandala, quæ nolo exprimere, de *fratribus* sunt exorta patenter (ut multis videtur) per abusum hujus privilegii, imò per abusum suæ *Regulæ* à privilegio occasione sumptâ inobedientiæ peccato seipsos inficiunt. *Item* quòd horum privilegiorum procuratio peccato superbiæ mentes procurantium infecit, multipliciter suadetur. Primò, quia in decretali *Exiit*. in Clementinis *de verborum significatione*, affirmat, quòd sanctus *Franciscus* suos *fratres* in paupertate & humilitate fundare volebat: Et constat quòd procurare honoris ecclesiastici statum sublimem, humilitatem impugnat & ambitionis peccatum habet annexum; *ergo*, & cætera. Probatur minor assumpta per auctoritates jam tactas, & per illud Salvatoris filiis *Zebedei* responsum, *Nescitis quid petatis*; ipsis per matrem suam petentibus quòd unus eorum sederet ad dexteram ejus in regno suo, & alius ad sinistram. Super quo dicit *Chrysostomus* in opere imperfecto: *O error salutaris, qui totius mundi solvit errorem: Si enim Apostoli non errassent: unde nos cognoscere poteramus, quia non omne quod videtur bonum, desiderare bonum est? Nunc autem scimus quia aliud est opus bonum, aliud primatus honoris:* & citò post, *Nam desiderium primatûs ex * jactura nascitur cordis: qui autem est humilis corde, nunquam desiderat superior apparere:* & infra, *Secularem quidem primatum desiderare, etsi ratio non est vel causa est, quia si justum non est, utile est: primatum autem ecclesiasticum concupiscere neque ratio est neque causa; quia neque justum est neque utile:* hæc ibi. Et multa addit similia quibus nititur suadere quòd nunquam sine ambitione desideratur primatus in Ecclesiâ. Constat autem quòd habere statum prædicandi & confessiones audiendi, est in Ecclesiâ status honoris sive primatûs: Inficit se ergo peccato superbiæ qui illum procurat. *Item* confirmatur hoc aliter: Cum enim Apostolus dicat: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem & evangelizantium bona!* Rom. 10. capitulo: nec ipsi sunt missi à Deo ad illud officium per * aliquod quod ego vidi hucusque. Sed videtur quòd ex præsumptione propriâ ad officium illud ascendunt. Caveant ne per alium quàm per *Christum* ostium ascendentes ut latrones ab eo judicentur & fures, juxta dicta ipsius *Johannis* 10. cap. *Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium sed aliunde ascendit, ille fur est & latro.* Et consequenter affirmat, *Ego sum ostium:* & sic videntur esse de eis † aut eis similes de quibus dicitur, *Hieremiæ* 22. *Non mittebam prophetas & ipsi currebant; non loquebar*

* Deest [sanctis] in edit. Goldasti: sed in hoc vetustissimo quo utor exemplari impresso ponitur; idque satis commodè: ita enim appellantur ironicè.

* Irreverenter. Goldast. † Cap. 31.

* Monachi sunt philosophi cum paucis, cum philosophantur cum fœminis (maximè pulchris & juvenibus) in cameris: cogita tecum, lector, quam philosophiam tuentur: Burchardi pœnitentiale mille præstat Aristotelibus, eorum opinione: ridenda sunt hæc, sed lugenda magis, fratres philosophari (ut ait Archiepiscopus) cum pulcherrimis dominabus in cameris; & vel dominarum cubicula fieri cellas vel monachorum cellas fieri γυναικεῖα: pudefecerunt hæc Armachanum; sed nullus cucullis rubor.

* Jactantiâ. Gold.

* Aliquod præceptum. Id.

* Eis prophetis. Id.

loquebar ad eos, & ipsi prophetabant: Unde citò adjungitur, *Ecce ego ad prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea unusquisque à proximo suo.* Si enim non sunt missi à *Christo*, ipsi furantur verba *curatorum* & superiorum suorum, quibus solum de jure communi officium prædicandi dicitur convenire. *Item* quòd observantia privilegiorum illorum inficiat *observantes* etiam modo præmisso, suadetur, quoniam nec præcipitur *fratribus*, nec ad eorum professionem seu *regulam* pertinet prædicationis officium exercere: Unde liberum eis non videtur prædicare in publico, aut confessiones audire: cum ergo officium tale volunt admittere, peccare mortaliter volunt: *Primò* quia noscunt aut scire deberent quòd privilegia ipsa erant procurata mediantibus peccatis mortalibus supratactis, & pro usu ipsorum. Cum ergo illis utuntur, gratificant procurationem iniquam; sicut quis manducans de rapinâ aut furto obtento pro usu ipsius, gratificaret manducando ipsam rapinam aut furtum; & possidens beneficium ad ejus commodum simoniacè procuratum communicaret cum procurante in simoniæ peccato,& illud gratum haberet,& esset sub illo decreto Apostoli ad Rom. primo cap. *Qui talia agunt digni sunt morte:* non solùm autem, &c. ut suprà posui: nec excusari per concessionem sive licentiam domini *Papæ* potuerunt, ut videtur, quoniam dominus *Papa* in suâ concessione obstantiam illam non posuit, nec eum eam ponere decuisset, scilicet, *Concedimus ista fratribus non obstante conscientia eorum perversa:* sed solas * instantias jurium humanorum videtur intendere relaxare; sicuti si homicidæ aut simoniaco aut habenti corporalem defectum latentem, qui eum redderet inhabilem, concederet facultatem plura beneficia curata retinendi: non propter hoc potest inferri quòd licitè sive justè illa poterit retinere, sed justè *secundum quid*, scilicet quàntum ad hoc quòd non impugnaret illius legis obstantiam: & sic si beneficia retineret non obstante dispensatione, peccaret mortaliter. Sic enim mihi videtur in nostro proposito, scilicet, quòd licet quoad jus illud quo talia ministeria solum debentur *curatis*, per dominum summum pontificem cum *fratribus* dispensetur: non propter hoc potest inferri quòd *fratres* justè poterunt simpliciter privilegiis illis uti, sed justè *secundum quid*, scilicet quoad hanc legem eis prius obstantem. Cum quo stare videtur quòd sine peccatis mortalibus, illis privilegiis uti non possunt: quoniam (ut videtur) per gratificationem illam continuè ab eis retentam, remanent in peccato mortali, acsi ipsi tunc aut procurarent aut procurantibus assentirent. Et si dixerint ipsi *fratres* quòd *fratres* possunt & poterunt pœnitere de isto peccato; & sic non potest concludi, quòd jam aliqui remaneant in peccato: econtrà dicetur quòd sicut in furto non poterit quis veraciter pœnitere, nisi prius factâ restitutione sublati, sic nec in nostro proposito: sed dicent quòd in præsenti saltem habent justè, quantum ad *curatos*, hæc jura & emolumenta inde sequentia; quia per summum pontificem qui sufficientem potestatem habet & habuit ad eadem concedenda, & ita ea restituere non tenentur: ibi econtrà dicetur, quòd non obstante titulo acquisito per dominum summum pontificem, restituere indirectè licèt non directè arctari videntur, quoniam dominus *Papa* illam culpam gratificationis prætactam in concedendo privilegium non relaxat: imò nec potuit relaxare *fratribus* ipsis non verè pœnitentibus aut contritis: & quamdiu illud peccatum manet in fratribus, non possunt (ut videtur) veraciter pœnitere, nisi jura subtracta rectoribus, quantum in eis est, restituant. Unde videtur quòd *fratres* quamdiu non restituunt illa jura, quamvis etiam propter concessionem domini *Papæ* factam *fratribus* * non videtur de lege humanâ *curatis*, *fratres* non possunt veraciter pœnitere. Quis enim verè pœniteat de alicujus rei acquisitione iniqua, & nihilominus de ejus retentione lætatur? nemo; ut videtur probabiliter judicandum. *Fratres* igitur † præsentes & ipsa privilegia observantes, sunt peccatis prætactis mortalibus involuti sive infecti. *Item*, de ista licentiâ in casu consimili tractat beatus *Bernardus* diffusè in secunda epistola ad *Adam* monachum: Et est casus quòd ille monachus post professionem suam in monasterio suo factam, quoad perpetuam moram ibidem (sicut habent de more ut dicitur) ad aliud monasterium cum suo abbate accessit, ubi moratus est de licentiâ sui *abbatis* & ejus mandato, petitâ etiam super hoc *summi pontificis* licentiâ & obtentâ: quem *Bernardus* apertè redarguens, nititur ratione multiplici affirmare, quòd nec sine peccato, etiam de jussu sui *abbatis* debeat hoc facere, nec de licentiâ *summi pontificis*, cujus licentiam petere non debebat. Ad suadendum primum supponit unum principium, quod etiam & Aristoteles tertio *Ethicorum* describit & ponit, scilicet quòd sunt aliqua simpliciter bona quæ fieri mala non possunt, & aliqua mala quæ fieri simpliciter bona non possunt; Et inter ista extrema sunt duo media quæ bene fieri possunt & male. Exempla primi sunt secundum eum, *charitas*, *fides*, & *spes:* Exempla secundi, *furtum*, *homicidium*, *incestus*, & istis similia. Exempla tertii gradus sunt, obedientia, jejunium & istis similia, quæ etiam bene & male possunt fieri juxta conditiones annexas: in quibus solùm, ut sibi videtur, obedientia locum habet. Hoc posito, inquirit

* Substantias, Gold. sed neutrum fortè vera lectio est; cum videatur potius esse debere [obstantias.]

* Non debeantur. Id.

† Pœnitentes. Id.

inquirit in quo gradu sit hoc factum in quo paruit jussui sui *abbatis*; & affirmat quòd fuit in secundo, scilicet in gradu malorum simpliciter: ex hoc (ut sibi videtur) verè concludens quòd non potuit bene fieri, & ob hoc in hoc facto jussui sui *abbatis* parere non debuit, sed planè resistere, quia in tali opere de se malo, scilicet in solutione promissi sui abbati debebat obsistere. *Item* ponit pro regulâ, quòd duobus præcipientibus contraria, potius majori est parendum. Cum igitur Deus præcipiat vota sua re & * obedientia sibi debitè observari, si *abbas* suus Deo inferior præceperit illud dissolvere, debebat Deo potius obedire, mandato sui *abbatis* contempto. *Item* sanctus *Bernardus* allegat illud Salvatoris *Matthæi* 18. cap. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo ab scandalis, necesse est enim ut veniant scandala, veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit:* atque adjungit quòd iste *Adam* monachus suum monasterium deserendo, non solùm scandalizavit unum Christi pusillum, sed multos. Ex hoc apparet (ut sibi videtur) concludens quòd ipse væ illud Salvatoris incurrit suo *abbati* parendo in casu præmisso. Utinam igitur *fratres* attenderent qualiter istorum privilegiorum abusu, ab eis non solùm scandalizantur pauci & pusilli, sed & multi & magni, & per totam Christi Ecclesiam, & ex illo coram Deo sanctè concludetur quid merentur; & multa alia ibi adduxit. *Item* quantum ad licentiam *summi pontificis*, dicit apertè quòd affert mali compendium; quia non excusat factum sequens de se malum; & ejus petitio fuit mala, quia, ut dixit, velle habere ad malum licentiam, semper est malum. *Item* quantum ad dominum Papam concedentem licentiam, ipse sic dicit: *Quis malum esse neget, assensum præbere malo? Quod tamen fecisse summum pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.* Hæc est sancti *Bernardi* sententia. Videant ipsi *fratres* an non ita sit circa istam licentiam impetratam per eos, sicuti circa *Adæ* monachi licentiam procuratam, & cum sancto *Bernardo* concludant quòd peccatum procurationis licentiæ cum inobedientiâ & solutione suæ Regulæ subsecutâ, affert eis mali compendium, sicut ipse *Bernardus* affirmat in simili. *Item* ex quo quisque *frater* cum prædicationis officium, aut audiendæ confessionis exercet, possit id respuere sine peccato, consequitur (ut videtur) quòd ipse illud officium tunc contra suam professionem gratis assumit: & ita sicut in procuratione privilegiorum parum superius est suasum, quòd procurantes peccaverunt mortaliter contra divina præcepta ibi expressa; sic iste peccat mortaliter contra eadem divina mandata liberè utendo licentiâ impiè procuratâ, & inficitur peccatis † invidiæ, inobedientiæ, avaritiæ, atque superbiæ (ut videtur) cum ex eisdem causis iniquis ipse utatur licentiâ procuratâ, ex quibus alius procuravit, scilicet propter * prædicationem & honorem. Utinam adulterium hujus usûs licentiæ causa tertia non existat, licet super hoc in clero & in populo sit communis fama. De istâ privilegiorum materiâ & eorum abusu & contrarietate ad professionem *fratrum*, & quoad duas conclusiones per me suasas superius ista mihi sufficiant in præsenti. Alia plura, si oportebit, adjiciam, & non ambigo quin si vellem illud facere, alii non omitterent. Super his omnibus per me modò petitis atque expressis, pater sanctissime, *Nolite judicare secundum faciem; sed justum judicium judicate.* Per vestram sanctitatem aut per aliquos meos dominos cardinales suspenso usu privilegiorum tactorum per me materiam contingentium, in quacunque sui parte, lite pendente, & prædicta † conclusio declaretur si id fuerit visum justum.

* Obedientiam sibi debere observari. Id.

† Injuriæ. Id.

* Ditationem. Id.

† Constitutio. Id.

Prima conclusio erat, quòd *Dominus Jesus Christus in conversatione sua humanâ, semper pauper erat, non quia propter se paupertatem dilexit aut voluit.* Verum quia quoad paupertatem quam Dominus noster sustinuit, mihi adversantes & ego non fuimus contrarii; sed quoad modificationem adjectam, *non quia propter se paupertatem dilexit aut voluit*, illam particulam suadebo. *Primò*, quia esse pauperem est esse miserum sive in miseria esse: Nemo vero propter se diligit miseriam: *ergo* nullus propter se diligit paupertatem. *Item* secundum doctrinam *Aristotelis* primi *Ethicorum*: *Nihil est propter se diligibile, nisi quod sublato omni commodo subsequente * gratuitè captaretur.* Paupertas verò etsi propter ejus tolerantiam facit ut homines mereantur: tamen si nihil commodi propter tolerantiam sequeretur, nec à Deo, nec ab homine, nec a diabolo captaretur. Igitur paupertas à *Christo* nunquam propter se est dilecta. *Item* nullus effectus peccati est propter se diligibilis; sicut nec ipsum peccatum est diligibile, etiam si corrupto animo diligatur: paupertas verò est effectus peccati, *ergo*, &c. Probatur minor: quoniam si primi parentes nostri innocentiam tenuissent, nunquam de nostrâ progenie pauper aliquis extitisset. *Item*, nulla privatio boni est per se diligibilis, cum omnis habitus bonus sit propter se diligibilis: & juxta regulam philosophi tertio *Topicorum*: *Si propositum de proposito, & oppositum de opposito.* *Item*, quòd si habitus est bonus, privatio est mala: & si privatio

* Gravitate. Id.

vatio est bona, habitus ejus est malus. Ditatio verò quæ est habitus, bona est & Deo amabilis, cum ipse summè sit dives, *ergo* paupertas quæ ditationem privat, est mala: non est ergo propter se diligenda paupertas. Et videtur nimis puerile ad istud probandum insistere, cum nemo (ut puto) nisi propter defectum in * philosophia aut logicâ diceret oppositum.

* Physica. Id.

Secunda conclusio erat, quòd *Dominus noster Jesus Christus nunquam spontaneè mendicavit:* quam sic primò suasi. Si ipse spontaneè mendicasset, contra divinum mandatum egisset, *Non concupisces domum proximi tui, non desiderabis uxorem ejus; non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* Exodi 20. capitulo: quoniam qui spontaneè mendicat, petit, & per consequens concupiscit rem proximi sui: igitur qui spontaneè mendicat facit contra divinum præceptum; quod de *Christo* nemo auderet astruere. *Item* si *Christus* spontaneè mendicasset, aliud mandatum divinum solvisset, scilicet; *Omnino egens & mendicus non erit inter vos,* Deuteron. 15. cap. quoniam scilicet non servaret legem regiam, præcipientem quòd in civitate non sit quisquam inermis qui permitteret † alios esse inermes, cum posset * aliis de armis succurrere: sed sicut ille qui cum posset remanere armatus, arma sua sponte in flumine demergeret, esset inermis, & fineret alios esse inermes, ergo peccaret: sic ille sacerdos in Ecclesiæ legem delinqueret, qua sacerdotibus est præceptum ut offerant dona & sacrificia pro peccatis, qui ad hoc sponte se redderet impotentem sive inhabilem: sed nemo (ut æstimo) auderet de Salvatore asserere quòd fecerit contra divinum mandatum: nunquam ergo spontaneè mendicavit, gratis se faciens mendicum: nec fingere quis potest quòd præmissum præceptum est ceremoniale, cum sit verè morale & arctius in lege nova quàm in lege antiquâ expressum: cum Salvator præcipiat *Luc.* 11. cap. *Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis:* ubi quicquid est ultra sufficientiam, præcipitur dari, ut nullus mendicus aut egenus sive egens in plebe remaneat, & non servanti comminatur pœnam æternam, Matthæi 25. isto modo. *Esurivi & non dedistis mihi manducare,* &c. *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus:* Unde clarescit quòd arctius *Christicolæ* obligantur à Domino ad non permittendum inter eos mendicos, quàm homines sub lege antiquâ. *Item Christus* imperatoriæ legi erat subjectus, quoniam & solvit tributum Cæsari, sicut legitur Matthæi 17. cap. ubi sic dicitur. *Et cum venisset Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum & dixerunt ei, magister vester non solvit didrachma? Ait, etiam. Et cum intrasset domum, prævenit eum Jesus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis: Dixit illi Jesus, ergo liberi sunt filii: Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderis tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Hæc ibi. Et decrevit tributum illi esse solvendum cum quærentibus ab eo an licet censum dare Cæsari, & obtulerunt ei denarium cujus superscriptio Cæsaris erat, ait illis, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo,* Matthæi 22. cap. Nec fuisset conveniens (ut videtur) quòd ipse tanquam legem communem decrevisset esse servandam, quam subire nolebat. Voluit igitur tali legi esse subjectus sicut erat subjectus *Joseph* fabro, tanto magis (ut videtur) voluit esse subjectus legi imperatoriæ quæ fuerat naturalis, quæ præcipiebat ut mendicantes validi non remanerent in civitatibus: & quanto magis nec mendicantes spontaneè in civitatibus debuerant remanere? *Item* si *Christus* spontaneè mendicasset, legem de dilectione proximi mendicando solvisset: quoniam qui verè diligit proximum suum sicut seipsum, non vexat eum indebitè, sicut nec velle debet seipsum à proximo vexari indebitè. Petere verò à proximo quod suum est non egendo, est ipsum vexare indebitè: Christus ergo nunquam sic egit. *Item* cum Scriptura dicat, *Proximo suo pauper odiosus erit,* Proverbiorum 14. cap. quanto magis mendicus proximo redditur odiosus? Si ergo Christus spontaneè mendicasset, se reddidisset proximis suis odiosum; quod non videtur, nisi alia rationalis causa subesset. *Item* si *Christus* spontaneè mendicasset, suo Evangelio offendiculum posuisset, quod ipse miraculis confirmavit: quoniam audientes ejus doctrinam & videntes ejus miracula, rationabiliter (ut videtur) potuissent illa potius dicere esse illusiones, & magica, quàm vera miracula, cum sit verisimile quod quilibet sibi potius ac prius succurrere debet quàm alteri. Quomodo ergo pasceret ista quatuor aut quinque millia hominum faciendo miraculum, qui sibi non poterat procurare victum? sicut aliàs illudebant ei in cruce pendenti ita dicentes, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israel est, descendat de cruce nunc & credemus ei,* Matthæi 27. capitulo. *Item* si *Christus* spontaneè mendicasset, legem suam propriam (quam dicit esse legem & prophetas) solvisset. *Omnia*

† aliquos. Id.
* eis. Id.

quæcunque

quæcunque vultis ut faciant vobis homines, vos facite illis: Hæc enim est lex & prophetæ, Matthæi 7. cap. quoniam nec ipse † aliud velle debebat, ut sine proximi indigentiâ inquieta retraheretur ab eo: quod tamen facit quicunque sponte, scilicet non egendo mendicat. *Item Paulus* Apostolus primæ ad *Timoth.* 6. cap. condemnat eos qui quæstum æstimant pietatem: quicquid verò *Paulus* condemnat, *Christus* per *Paulum* condemnat, quia Evangelium suum accepit per revelationem ipsius, ut ipse *Paulus* affirmat ad *Galatas* primo capitul. Igitur si *Christus* spontaneè mendicavit, cum spontaneè mendicare sit quæstum expetere, vel veriùs procurare, *Christus* exercuit per seipsum quod condemnavit per *Paulum*; & erat sibi contrarius (quod nefas est dicere) ergo *Christus* nunquam spontaneè mendicavit. *Item* si *Christus* spontaneè mendicavit, *Christus* facto fecit mendacium, quoniam qui ita * contra facto mentem agendo sine verbo mentitur: qui verò non † agendo sed spontaneè postulando eleemosynam, affirmans verbo se esse egenum sive mendicum mentiretur in verbo. Igitur qui ita petit eleemosynam non egendo, facto mentitur, quod nemo dicit de *Christo*. *Item* si *Christus* spontaneè mendicavit, verè fuit hypocrita, apparens mendicus, non existens: *Christus* verò nunquam fuit verè mendicus, quoniam nullus est verè mendicus quamvis mendicet, sed fictus qui sibi potest sufficere: qui verò mendicat spontaneè, est sibi sufficiens: aliàs scilicet non spontaneè sed impellente indigentiâ, mendicaret. *Christus* ergo ex quo non erat hypocrita, nunquam fictè aut spontaneè mendicavit. *Item* si *Christus* spontaneè mendicavit, cur *Petrus* Apostolu matrem sancti *Clementis*, discipuli sui, quam ad laborandum manibus æstimabat fuisse robustam, quia eam inter mendicantes reperit, acriter increpavit; sicut fecisse legitur in vitâ sancti *Clementis*? ex quo in hoc secuta est *Christum*. Qui *Christum* dicunt spontaneè mendicasse, habent ostendere: quod, ut videtur, non possunt: nunquam ergo *Christus* spontaneè mendicavit. *Item* si *Christus* spontaneè mendicavit, *Clemens*, *Petri* successor, multum erravit, qui mendicitatem in cunctis conversis ad fidem pro viribus excludere laboravit; ex hoc specialiter ab Ecclesiâ commendatus; cum mendicitas ipsorum perfectionem secundum istam philosophiam auxisset. *Item* si *Christus* spontaneè mendicavit, cur *Clemens Jacobo Hierosolymitano* Episcopo in Epistolâ sibi directâ (ut ponitur in *decretis* 12. quæstione, cap. primo. *Dilectissimis*) doctrinis & exemplis Apostolorum obedire præcepit, si mendicare ad perfectionem vitæ pertineat? Et inter Apostolos & discipulos (ut ibi præmittitur) nullus erat egens, sic dicentes habent ostendere. *Item* si *Christus* summus Sacerdos existens spontaneè mendicavit, Ecclesia sancta scienter erravit, cum statuit nullum debere sine sufficienti titulo ad sacros Ordines promoveri, cum caput Ecclesiæ suo exemplo docuerit mendicandum. *Item* si *Christus* spontaneè mendicavit, scandalum intulit Ordini clericali, cum juxta canonicas sanctiones Episcopus aut clerus mendicans inferat Ordini clericali opprobrium. *Item* si *Christus* spontaneè mendicasset, reddidisset seipsum de peccato suspectum; quoniam sibi verecundiam intulisset, cum non aliunde præcipuè dicatur spontanea mendicatio meritum mendicanti acquirere, nisi quia est actus humilis atque difficilis propter annexam erubescentiam naturalem: erubescentia verò sive verecundia non cadit in hominem studiosum, sicut affirmat *Aristoteles* quarto *Ethicorum* in fine: non ergo erat in *Christo*; & per consequens nec spontaneè mendicavit. *Item* si *Christus* spontaneè mendicavit, mendicare spontaneè ad perfectionem vitæ pertinuit: ineptè igitur dedit *Christus Dominus* legem antiquam, statuens ut sacerdotes, in quibus debebat esse summa vitæ perfectio, possessiones haberent & decimas, si eis fuisset perfectius mendicare. *Item* † totus mundus sub lege naturæ errasset, statuens sacerdotibus provideri de publicis horreis certa cibaria, sicut legitur in fine *Genesis*, si eis fuisset amplius & amplioris meriti mendicare. *Item* si *Christus* spontaneè mendicavit, tunc mendicitas ad perfectionem Evangelii pertineret, & Ecclesia Dei erravit scienter dotationem Ecclesiarum admittens; & sic perfectionem suorum prælatorum imminuens, quod nefas mihi videtur; licèt nescio quæ somnia ferant in contrarium. *Item* si sic mendicatio sive mendicitas ad perfectionem vitæ pertineret *Christiana*, ut à *fratribus mendicantibus* affirmatur, cur nec *Christus* nec Spiritus Sanctus in scripturis sacris super hoc alicubi nos instruxit, videtur nimis mirabile; nec verisimiliter credi potest: & puto quòd erit mirabilius, quia à principio sacræ Scripturæ usque in finem, unum ad hoc verbum notabile non poterit inveniri, quin ad alium sensum sit dictum. *Item* cum *Christus* discipulis suis promiserat, *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, Johannis 16. cap. Aut Spiritus Sanctus sui officii erat oblitus quando venit ad Apostolos in die *Pentecostes*, non docens hanc veritatem mendicitatis Apostolos, cum de hoc penitus in eorum *Actibus* nihil appareat: aut ipsi posteris invidentes, veritatem eis doctam à Spiritu ejus tradere noluerunt: quorum neutrum providus homo affirmabit: non ergo pertinuit spontanea mendicatio sive mendicitas ad tradendam

† Aliis velle debebat, ut ipsi sine indigentiâ inquietarentur ab eo; quod--Gold.

* Facto contra mentem agendo, sicut verbo mentitur--Id.

† Egendo. Id.

† Item si sic. Id.

per Apostolos veritatem. *Item* quid dicent ipsi de *Melchisedech* qui erat sacerdos Dei Altissimi & rex *Salem*? quem supra *Abraham Paulus* extollit ad *Hebræos* 7. cap. qualiter sine mendicatione spontaneâ tantus erat, cum non ipse, secundum cujus Ordinem *Christus*, erat sacerdos, non ut *Christus* spontaneè mendicavit ordinem suum tradens: habent contrarium affirmantes ostendere. *Item* cum propheta dicat propheticè, *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*: † cur econtra *Christo* ascribitur contra sermonem propheticum, qui erat justissimus? *Item* si *Christus* spontaneè mendicavit, cur mittens discipulos ad Evangelium prædicandum, non id eis præcepit, sed directè contrarium, scilicet ut de mercede laboris sui manducarent & biberent, ita dicens: *In quamcunque domum intraveritis, in eadem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt: Dignus est enim operarius mercede sua*, Lucæ 10. cap. *Item* si *Christus* spontaneè mendicavit, nunquam laborem ad victum acquirendum mendicationi præposuisset: quoniam si econtrà fecisset, scilicet si laborem aliquotiens prætulisset, nullus ex ejus operibus didicisset nunc quid eligibilius esset; videlicet victum sine mendicatione, manuum labore perquirere, an labore postposito mendicare: quòd autem *Christus* victum laborando sibi acquisivit, probabile est, quòd à vulgo vocatus non sòlùm filius fabri, sed faber: quoniam ex hac appellatione vulgari videtur, quòd pro victu suo cum *Joseph* patre putativo opus fabrile exercuit. Pro ista conclusione ad nunc ista sufficiant, donec per adversantes fortiora adducenda ista impugnent.

† Quomodo mendicitas Christo ascribitur. Id.

Tertia conclusio hujus materiæ fuit quòd *Christus nunquam docuit spontaneè mendicare*: Hæc taliter suadetur: *Christus cœpit facere & docere* Act. 1. cap. Si igitur mendicare spontaneè docuisset, cum juxta præcedentem conclusionem nunquam spontaneè mendicavit, fuisset sibi contrarius in opere & sermone, scilicet docens & non faciens; quod non verisimile videtur. *Item* si *Christus* nunquam spontaneè mendicavit, & alios docuit mendicare, reddidisset se de suâ doctrinâ suspectum, sicut * in articulo secundæ conclusionis prioris. *Item* posuisset offendiculum Evangelio suis apostolis, sicut deducitur in sexto † articulo ibidem. *Item*, sic dicendo, legem imperatoriam justam solvere docuisset, sicut ibi in tertio articulo tactum est. *Item* si docuisset spontaneè mendicandum, contra leges superius allegatas & rationes quasi omnes ad præcedentem conclusionem adductas fecisset; quia ita istam & illam conclusionem affirmant. *Item* si docuisset spontaneè mendicandum, tunc *Petrus* particeps hujus doctrinæ, nimis imprudenter egisset in allegando causas meritorias præmii sibi reddendi, illam tam sublimem secundum istos causam merendi tacens, cum dicit, sicut legitur *Matthæi* 19. cap. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te*, non addens [& mendicamus spontaneè propter te] quod quia non fecit, consequi satis videtur quòd illa conditio ad statum perfectionis non pertinet.

* Sicut patet in Argumento sexto conclusionis—Id.
† Argumento. Id.

Quarta conclusio fuit quòd *Dominus noster Jesus Christus docuit non debere hominem spontaneè mendicare*, sicut scribitur Lucæ 14. cap. *Cum facis convivium, voca pauperes & debiles, claudos & cæcos, & beatus eris: quia non habent unde retribuere tibi.* Igitur non debent vocari * ad mendicorum convivium pauperes robusti, quia possunt retribuere, saltem suo labore, sicut nec divites debiles, claudi, aut cæci debent ad tale convivium vocari, quia habent unde retribuere. Non cerno cur surdos & † mancos non nominat inter vocandos; quia nec ipsi si sint debiles vel claudi, nec cæci, possunt mendicando transire de loco in locum, quod facere nequeunt debiles, claudi & cæci: sed *domini fratres* istam expositionem ponunt inter errores. *Item Paulus* Apostolus tanquam decretum affirmat, *Qui non vult operari, non manducet*: Loquens de hominibus qui aliunde victum de certo non habent, 2 ad *Thess.* 3. cap. Et sequitur pœna quam præcepit non parenti suis dictis infligi, quòd *si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*: nec dubium, quoniam non præciperet tam gravem pœnam negligenti laborare, nisi valdè grave tali casu delictum committeretur. Dicit enim ibidem de seipso hoc modo: *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, nec gratis panem manducavimus ab aliquo; sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem; sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos, denunciavimus vobis, ut qui non vult operari, non manducet*: ubi satis apparet quòd à fortiori volebat arguere, scilicet ex quo ipse qui potestatem habuit sumendi carnalia ab his quibus tanquam verus Apostolus seminabat spiritualia, ne quemquem gravaret, potius nocte & die in fatigatione erat atque labore pro victu: tanto magis alii potestatem hujusmodi non habentes laborare deberent, & non inquietando alios, mendicare. Et utinam hi homines qui labori otium mendicationis præponunt, attenderent librum beati *Augustini*, *De opere monachorum*: ubi hanc conclusionem pertractans per totum

* Ad eleemosynæ convivium. Id.
† Monachos & mutos non nominat. Id. Sed [monachos] vitiosè.

tum librum usque prope finem, conatur ostendere, quòd labor debet otio contemplationis præferri, cujus in præsenti rationes omitto, sed aliàs eis utar. *Item* ex quo sacra *Scriptura pigrum hominem reprehendit*, hoc modo, *Usquequo piger dormis?* & cætera, *paululum manus conferes ut quiescas; veniet tibi quasi turbo egestas tua, & mendicitas quasi vir armatus.* Proverbiorum cap. 6. & cap. 20. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo in æstate & non dabitur ei.* Et *mulierem fortem, cujus digiti apprehendere fusum*, commendat Proverbiorum cap. ultimo; constat igitur quòd propter hoc dissuadetur mendicationis otium labore neglecto. Item sanctus *Franciscus* in suo testamento dicit, *Et ego manibus meis laborabam & volo vos laborare, & omnes alii fratres firmiter volo quòd laborent & vivant de labore suo, quod pertinet ad honestatem, & qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi mercedem laboris; sed propter exemplum boni operis, & ad repellendum otiositatem: & quando non datur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini petendo eleemosynas ostiatim.* Hæc ibi: & in regulâ suâ sic dicit, *Fratres illi quibus gratiam Dominus dedit laborandi, laborent fideliter & devoté.* Unde est valdè mirandum qua fronte *fratres* audeant aut spontaneam mendicationem exercere, aut mendicationem labori, econtrario suo institutori præferre: & eo amplius est mirandum, quòd *homo ad laborem nascitur*, ut dicitur *Job.* 5. cap. & mendicare est contra legem institutionis nostræ primariæ; in qua servata, nullus fuisset unquam mendicus sive mendicans. *Item Christus* in hoc non mendicare spontaneè docuisse videtur, quòd ipse in sua personâ uti potius miraculo voluit, quàm voluit mendicare; scilicet cum misit *Petrum* ad mare ut staterem in ore piscis reciperet, & inventum exactoribus didrachmatis pro se & pro *Petro Petrus* exolveret; cum tamen eo casu, tam honoratus in populo staterem mendicando facilè impetrasset. Item, alia facta ejus idem videntur ostendere, quoniam potius usus fuisse videtur illâ lege divina, *Dignus est operarius mercede sua*, Luc. 10. cap. ac Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo:* sicut discipulis suis indixit, quando asinum, cui insedit, sibi jussit adduci; & quando apertè *Zachæo* præcepit, *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere:* ubi tanquam ad hoc potestatem habens, apertissimè imperavit, *Festinans descende:* Sic quando erat in templo & circumspectis omnibus, cum jam vespera esset facta, exivit in *Bethaniam* cum duodecim, sicut legitur *Marci* 11. potius illo jure uti voluit, quàm ab aliquibus mendicare. Prius enim in *Bethania* Evangelium nunciabat. Aut si potestate hac usus non fuerat, sed declinaverat ad amicos, tunc saltem maluit amicos suos onerare, quàm ab aliquo mendicare: * sic suis operibus ostendens, quòd non, nisi impulsu egestatis, debemus ab aliquo mendicare. *Item* hoc apertè præcepisse videtur discipulis suis, eos mittens, *Nolite transire de domo in domum*, Luc. 10. cap. quod tamen de cursu communi oportet facere mendicantes (scripturâ nihilominus alia affirmante) *Vita nequam hospitari de domo in domum*, Ecclesiastici 29. capitulo. Sacrâ Scripturâ alibi talem mendicitatem pariter reprobante hoc modo, *Pes fatui facilis in domo proximi*, Ecclesiastici 21. cap. & *Ecclesiastici* 40. cap. *Fili mi, tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori quàm indigere. Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in cogitatione victûs: alit enim animam suam cibis alienis: vir autem disciplinatus & eruditus custodiet* se: in ore imprudentis conculcabitur inopia, & in ventre ejus ardebit ignis. Hæc ibi. Item juveni, ut esset perfectus, ita consuluit, ut venderet omnia sua & daret pauperibus & sequeretur eum: ubi sequelam, non dubium, in modo vivendi debemus accipere.

* Desunt hæc verba usque ad [Item] in exemplari Goldasti.

Cum igitur secunda conclusio firmavit quòd *Christus* nunquam spontaneè mendicavit, consequitur quòd sine spontaneâ mendicatione docuit juvenem debere ipsum sequendo esse perfectum: & sic saltem perfectum docuit non debere spontaneè mendicare: ex his probabiliter potest inferri quòd Dominus noster *Jesus Christus* docuit hominem non debere spontaneè mendicare.

Quinta conclusio hujus materiæ mendicitatis erat, quòd *nullus potest prudenter & sanctè spontaneam mendicitatem super se assumere perpetuò observandam.* Ista sequitur planè ex aliis suprà suasis: quoniam ex quo talis mendicitas vel mendicatio est dissuasa à *Christo*, Apostolis & discipulis, & ab Ecclesiâ ac Sacris Scripturis etiam reprobata; consequitur quòd non potest prudenter & sanctè assumi; quamvis † ad æmulationem Dei possit assumi, sicut *Marcus* imprudenter, etsi zelo bono, pollicem sibi præcidit. *Item*, sic mendicitatem assumens se in tentationem inducit, contra doctrinam Orationis Dominicæ, *Matthæi* 6. cap. *Et ne nos inducas in tentationem*: qua enim conscientiâ potest quis petere à Deo ne Deus inducat eum, scilicet permittat induci, in tentationem, qui se spontaneè in tentationem inducit? Quæ enim est major tentationis occasio, quàm mendicitatem assumere? Cum *Salomon* apertè dicat & pronunciet, *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: sed victui tantùm tribue necessaria: ne fortè satiatus alliciar ad negandum te,*

† Secundum Id.

&

& dicam quis est Dominus? & egestate compulsus, furer & perjurem nomen Dei mei, Proverbiorū 30. cap. Ubi patenter ostendit quòd mendicus ad furtū & perjurium nominis Dei sui facilè impulsu egestatis urgetur. Unde *Ecclesiastici* 27.cap. dicitur, *Propter inopiam multi deliquerunt.* Constat ergo quòd qui mendicitatē super se sponte assumit, occasionem gravem & facilem tentationem assumit. *Item* mendicitatem assumens, ad officium sacerdotale, imò ad omnes ordines sacros (ut videtur) se reddit inhabilem, cum sine titulo sufficienti de victu & vestitu, secundū leges Ecclesiæ * statum talem habere non possit: quod non videtur providè esse factum sed potius imprudenter. *Item*, talem mendicitatem assumens se arctare videtur ad Dei leges prædictas in conclusione secundâ de *Christi* mendicitate solvendas, scilicet, *Non concupisces domum proximi tui*, &c. Et ibi, *egens & mendicus non erit inter vos*, &, *omnia quæcunque vultis*, &c. Et ferè rationes omnes conclusionum trium præcedentium hanc ut illas affirmant. Unde non video in sermonibus, de quibus in propositionis istius principio mentionem jam feci, qualiter ista opinio de observantiâ mendicitatis spontaneæ fuerit introducta, nisi ignorando scripturam, aut fingendo eam esse *Christi* vitæ conformem, ut per ipsam quæstus amplior haberetur. Unde sexta conclusio materiæ hujus erat, *quòd non est de regulâ fratrum minorum mendicitatem spontaneam observare*: hæc occultâ fide poterit suaderi, per hoc, quòd in *regulâ* & in *testamento* sanctus *Franciscus* suis fratribus indistinctè mendicationi præfert laborem. *Item* rationes conclusionum præcedentium istam probant, ut illas, principio hoc adjecto, quòd regula ipsa est sancta, quòd principaliter asseritur & probatur. cap. *Exiit.* supradicto. Septima conclusio hujus materiæ erat quòd *bulla domini Alexandri quarti quæ libellum magistrorum condemnat, nullam præmissarum conclusionum impugnat*: Hæc taliter suadetur, quòd dominus *Johannes* vicesimus secundus in constitutione suâ, *Quia quorundam*, dicit expresse quòd dominus *Nicolaus* tertius illam bullam & omnes literas prædicti *Alexandri* quarti, quantum ad omnes articulos quos sua declaratio continet, revocavit. Constat autem quòd paupertatem *fratrum minorum* quàm arcta esse debeat, *Nicolaus* tertius declaravit, quam *fratres* mendicitatem intelligunt.

Item constat quòd dominus *Nicolaus* tertius de *fratrum* labore declarat, & etiam de prædicatione non faciendâ in Episcopatu alicujus Episcopi, ubi * fratribus fuerit contradictum: *ergo* quoad istos articulos bulla domini *Alexandri* est à *Nicolao* quassata: nec in ipsa bulla recordor aliud quicquam esse quod aliquam præmissarum conclusionum infirmet.

Dicerem multa plura, objiciendo contra mea propria dicta & respondendo & præmissa quæ dixi amplius solidarem: sed sanctitatem vestram & dominorum meorum reverentiam satis vexavi.

Unde concludo & humiliter ac devotè deposco, quòd super his sicut supra materiam primam, per me tactam, juxta petitionem quam feci, *Nolite judicare secundum faciem: sed justum judicium judicate.*

* In Goldasto legitur [fa.is talis] vitiosissimè.

* ubi ab eodem. Id.

DIXI.

Explicit Defensorium Curatorum, habitum coram Innocentio sexto & Cardinalibus, anno 5°. Pontificatûs Innocentii Pont. Novemb. 14. 1357.

E. B. Lectori benevolo salutem.

MONET nos * *Labbaus* excusos fuisse quatuor sermones Richardi hujus Archiepiscopi Armachani & (ut vult *Volaterranus*) † Cardinalis, ad crucem S. *Pauli Londini* habitos A.D. MDXI. sed *fratres mendicantes* fortè eos tractarunt, sicut *Jesuitæ* postea alios libros utilissimos: sed contra istiusmodi librorum carnifices, eorumque invidiam, insurgent aliquando, spero, viri probi qui veritatem suppressam & obrutam in apricum proferent. Aliquid quidem est vel hoc *Defensorium* non intercidisse: conabor autem ut alia hujus præstantissimi Archiepiscopi à *fratribus mendicantibus* & *pediculosis* oppressi, opuscula tui juris sint: Tempus enim hoc nos

* De scriptoribus Ecclesiasticis, sub Richardo Arm.

† De quo vide D. Jac. Waræum de scriptoribus Hib. p. 69.

nos Anglos urget, ut larvam monachis detrahamus, & scripta veterum doctorum, qui contra *Romanæ* Ecclesiæ squalores declamitarunt integerrimè, & viam Reformationi straverunt, instauremus. Cum *Franciscanorum* igitur paupertatem & hypocrisim profligatas videris, arrige aures, Lector, ut *Nic. Oresmii* etiam Sermonem * celebratissimum coram *Papâ* etiam, contra *Papam* & totam *Papæ* Ecclesiam, intelligas & in succum sanguinemque vertas. Vale.

* Vide Launoii Acad. Parif. tom. 2. p. 457.

NICOLAI ORESMII SERMO coram Papâ.

Isaiæ 56: *Juxta est salus mea, ut veniat: & justitia mea, ut reveletur.*

SEcundum sententiam beati *Pauli* Rom. 2. & in pluribus locis, ante Christi nativitatem, totus mundus erat divisus in duo genera hominum, scilicet Judæos & Gentiles. Iis quidem Judæis expectantibus apertionem januæ Paradisi per sanguinem Salvatoris venturi, per quem populus gentium, qui ambulat in tenebris, erat vocandus ad lucem, & justificandus ex fide, ut habetur Ro. 5. Hanc autem salutem promiserat olim Deus patribus in prophetis, ut hujusmodi rei desideria in eorum cordibus accenderet, & firmam spem & fidem augeret. Mich. 6 Vox Domini clamat, & salus erit hominibus timentibus nomen suum. Esa. 46. Dabo in *Sion* salutem, & in Jerusalem gloriam meam. Item multa rursum. Quia spes quæ differtur, affligit animam: nimirum spes frequentius intulit de tarditate fastidium, & de propinquitate solatium. Esa. 14. Propè est ut tempus ejus veniat. Et Abacuc. 2. Veniet & non tardabit, & multa similia. Expectabant enim sancti patres in Limbo, ut ipse educeret de conclusione vinctum, & de domo carceris sedentem in tenebris. Esa. 42. Et appropinquavit tempus, in quo plenitudo gentium intraret. Rom. 11. Et in qua voluit Dominus notas facere divitias sacramenti hujusmodi, quod erat absconditum à seculis, & à generationibus Col. 1. Dominus igitur uno eodemque oraculo patres nostros de Salvatoris adventu certificat, de propinquitate lætificat, & justificationem gentium pro fidei intelligentia instare designat Dominus in verbis assumptis, Juxta est salus, &c. Hoc autem impletum est, quando notum fecit Dominus salutare suum, & in conspectu gentium revelavit justitiam suam. Quantum igitur ad prius, & ad propositum, Prima pars assumpti verbi, ad Dominicæ nativitatis vicinitatem debet applicari, qua Dominus dicit, Juxta est salus. Secundò ad mysterium adventus Christi, cujus est hodie quarta Dominica, potest aptari: cum dicitur, Ut veniat: Prope enim est ut veniat; quia, Ecce ego ad vos, dicit. Tertiò de severitate divinæ vindictæ nobis tremenda poterit exponi. Quia dicit [& justitia ut reveletur,] scilicet primitiva, de qua Amos 5. Et revelabitur quasi aqua judicium, & justitia quasi torrens fortis. Primo igitur ad contemplationem solennitatis sacratissimæ vigiliæ, cum gaudio suscipiamus verbum Dei Patris, Juxta est salus mea; scilicet Christus, cui dicit Esa. 49. Dedi te in lucem gentium ut sis salus mea ad extremum terræ. De quo Esa. 46. Salus mea non morabitur. Nam ejus proximationem Evangelium hodiernum patefecit, ubi Matth. inquit: Cum esset desponsata Maria mater ejus Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Ex hac re apertè cognosci poterit quòd Salvator debeat in brevi de claustris pudoris oriri, sicut Propheta prædixit: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Nam quemadmodum grossior uva maturat ad vinum, & flos expansus festinat ad fructum: ita salus mundi in elevatione ventris Virginis cœpit humano generi propius imminere. Tunc enim apparuit benignitas & humanitas Salvatoris, cum mater ejus inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, sicut in sequentibus testatur. Angelus dicit: Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Sed quomodo in ea natum est? Quia si non sicut cæteri, de cursu novem mensium paulatim formatus, sed ab instanti conceptionis ejus simul fuit & verus Deus, & verus homo perfectus: & si non mole corporis, tamen decore virtutis, & quasi jam natus: ut dicit Augustinus in Epistola ad Dardanum: Etiam potest dici jam natus, quia propè est ortus ejus, dicente Domino, Esa. 51. Propè est justus meus, egressus est salvator meus, sicut in prima parte verbi propositi dicebatur.

Secunda

Secunda pars ejusdem verbi, contemplationi mysterii adventus Christi in carnem, potest aptari, cum dicit, [ut veniat,] Aggæi 2. Veniet desideratus cunctis gentibus. Quamvis & de secundo adventu, de quo Esaiæ 3. dicit, Dominus ad judicium veniet, posset exponi: pro cujus memoria, quarta Dominica fuit olim à sanctis patribus dedicata, & de ista die judicii dicitur illud Sophoniæ primo: Juxtà est dies Domini magnus, juxtà est & velox nimis.

Et quamvis non in se, tamen in tribulationibus, præambulis ejus, sicut ait beatus Gregorius: Ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur, licèt nondum statim sit finis. Ideo transeundo ad tertium videamus, si fortè de tribulationibus prævenientibus ultimum adventum Christi, sit propinqua aliqua ventura, ut de ea exponatur ultima pars verbi propositi, quo dicit dominus [Et justitia mea, ut reveletur] scilicet primitiva, ut adducatur justitia, & impleatur prophetia Danielis 9. Et ad finem: Quòd hoc malum per nostram conversionem ad Dominum cum humana prudentia posset vitari, aut minui, aut saltem differri.

Circa hæc, quatuor sunt dicenda: primò, quòd sit futurum de tribulatione, ut reveletur. Secundò de ejus acceleratione, quia juxta est. Tertiò de falsa æstimatione circa hæc, quia dicit, Ut veniat: & quartò de consultatione, quæ potest fieri, ut juxta sit salus.

Quantum ad primum, ita notorium est, & exercitatum in sacra Scriptura, quòd Ecclesia patietur, quod superfluum videtur ad hoc allegare: ut quia ex hoc potuit hujusmodi mali modus & causa perpendi, & terminus conjecturari. Pro qua promitto duas regulas. Una est, quod per duo regna gentis Hebræorum quæ fuerunt olim, videlicet per regnum Israel, cujus caput erat Samaria, significatur in Prophetis synagoga, & per secundum regnum Judæ, de cujus stirpe natus est Christus, à quo videlicet Judæi sumus, secundum Apostolum: & per Jerusalem, quæ fuit secundum regnum Metropolitana, designatur Ecclesia. Ista regula non est mea, sed habetur in glossa authentica Hieronymi, & est Origenis & ultima in homilia super vetus Testamentum, per Ecclesiam approbata: ubi probatur multiplici ratione, & sacri canonis authoritate. Alia regula est, quod per meretricium & fornicationem intelligitur simonia, & abusiva dispensatio atque promotio, quæ fit lucri causa, seu alio adulterino favore. Nam tale quid, quoad officia & honores seculi per leges gentium reprobatur, ut scitis: Merx dicitur namque à mercede, pro qua venditur illud quod natura fecerat non venale. Dare ergo aliquid pro pacto, quod erat debitum pro virtute est quoddam genus corruptionis spiritualis, quod olim meretricium dicebatur: secundum quod Esaiæ 1. de Jerusalem queritur, Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? Et Oseæ 9. Jerusalem fornicata es à Deo tuo, dilexisti mercedes super omnes areas tritici, & in multis locis Scripturæ non potest fornicatio aliter recipi. Ergo si secundum doctrinam beati Petri Apostoli voluerimus sermoni Prophetico benefacientes attendere, ac noscere, quòd Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines; super hanc Ecclesiam indagemus, seu etiam discurramus Scripturas, instructi regulis supradictis, quibus tanquam duabus clavibus referabitur nobis, & aperietur intellectus earum super statu Ecclesiæ præterito & futuro.

Synagogæ & Ecclesiæ post Christum consideratio.

Ex causa videamus de uno. Dominus enim Ezech. 16. huic Ecclesiæ loquens sub nomine Jerusalem, sic ait: In die, in qua nata es, vidi te conculcari in sanguine tuo; videlicet loquitur de tempore martyris: Sequitur: Et multiplicata es, & grandis effecta, & mundavi sanguinem tuum ex te (scilicet ex cessatione persecutionis) & dedi coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro & argento, vestita es bysso, & decora facta es vehementer, & perfecta es in decore meo, quem posueram super te. Et magis videtur historia, quàm prophetia, de prosperatione Ecclesiæ. Sequitur: Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo; fornicatione supradicta, quòd de carnali nequaquam potest intelligi. Et post omnes abominationes tuas, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ: scilicet de statu primævo, quando eras nuda, id est, pauper & conculcata in sanguine tuo: & abominabilem fecisti decorem tuum. Ecce quomodo lucidissimè prædicitur deterioratio Ecclesiæ; & statim sequitur punitio: Et ecce, dicit Dominus, Dabo te in manus odientium te, & destruent lupanar tuum, & demolientur prostibulum tuum: scilicet locum ubi exercebas injusta: & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa gloriæ tuæ, & derelinquent nudam, plenam ignominia.

Ecce potestis videre, quid Ecclesiæ sit venturum, & subdit capitulum dicens: Soror tua Samaria, id est, Synagoga, dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eam sceleribus tuis. Ergo & tu porta confusionem tuam. Et infrà 23. cap. postquam

quàm diffusè descripsit malitiam & deteriorationem synagogæ, adjecit de Ecclesia dicens: Quod cum vidisset soror ejus, plus illa insanivit. Libidinem & fornicationem suam præbuit impudenter ducibus & magnatibus ad se venientibus, indutis veste varia. Insanivit, inquam, libidine, cupiditate divitiarum, & concupiscentia deliciarum. Erat namq; futurum, ut prælati non vererentur Ecclesiæ primitivæ venerandam pudicitiam precio & precibus, & primis actibus infamare. Cui sic prostitutæ consequenter Dominus dicit: Confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ, & subjungit punitionem dicens: Recessit anima mea ab ea, sicut recesserat à sorore ejus: scilicet synagoga. Et repetit causam dicens: Scelus tuum & fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi. Similia reperiuntur in Isaia, Hieremia, Ezechiele, & cæteris Prophetis: ex quo eodem sensu ac prope eisdem verbis locuti sunt, concluditur, quòd omnes uno ore pronunciaverunt, hanc Ecclesiam graviter peccaturam, & suis excessibus multa mala passuram, ac bonis temporalibus, nisi pœniteat, spoliandam. Unde Oseæ 2. Auferat fornicationes suas à facie sua, ne fortè expoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem nativitatis suæ, id est, in paupertate primitiva: quoniam nisi sic faciat, ipsa erit de quo Naum tertio dicitur: Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ & gratæ, & habentis beneficia, quæ vendidit. Item & post pauca sequitur, Ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Patet igitur, quòd super hanc Ecclesiam aliquando est revelanda Dei justitia primitiva. Et hæc de primo.

Ad secundum, quia dicitur in themate, Juxta est, item, quamvis non sit nostrum nosse tempora: forsitan tamen ex quibusdam signis, quæ dicam, poterunt suspicari aliqua de proposito. Unde recipio ex Apostolo ad Thessalonicenses 2. cap. 2. ubi ait, Nisi venerit discessio: quod Hieronymus in ultima quæstione, ad inquisitiones Januarii allegoricè exponit de Romani Imperii desolatione, inter quam & persecutionem Ecclesiæ præsentia Antichristi nullum ponit medium. Nunc autem qualis ejusdem Imperii præsens sit status, & præcipuè ad ejus pristinam majestatem, vos judicate. Quædam glossa dicit: Quòd erit discessio aliquarum Ecclesiarum ab ipsa Romana. In illud, Signum erit quando Ecclesia erit pejor moribus, quàm fuerat synagoga, ut patet per Glossam Ordinariam alligatam Hieremiæ 3. ubi dicitur, Justificavit animam suam aversatrix Israel, id est, synagoga, in comparatione prævaricationis Judæ, id est Ecclesiæ, ubi Origenes; De vobis dictum intelligite. Ezechielis 16. Dominus dicit: Vicisti sororem tuam sceleribus tuis. Pharisæos, qui (ut ait Hieronymus) erant clerici Judæorum, Salvator noster vocavit, ut scitis, de avaritia, quia permittebant vendi columbas in templo Dei: & de hoc, quòd solis labiis honorabant Deum: & quod dicebant, non faciebant: & erant hypocritæ. Videatis igitur, si pejus est sacramenta & beneficia vendere, quàm permittere vendi columbas in templo.

De apostasia à S. Paulo prædicta.

Hic sunt aliqui, qui nec labiis Deum honorant, qui non solùm non faciunt bona, sed nec dicunt, nec prædicant: canes muti, non valentes latrare: canes impudicissimi, nescientes saturitatem. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, à summo usque ad novissimum, ubi thema. Sic etiam sunt nonnulli, quorum insolentia & malitia ad modum ignis in tantum succensa est, quòd hypocrisis pallio nequit operiri, sed facti sunt verecundi, quorum Ecclesiæ improperando dicitur: Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.

Tertium signum sumitur ex proportione inæqualitatis nimiæ: quia alius quidem esurit, alius verò ebrius est. Sicut enim ad bonam harmoniam requiritur vocum inæqualitas moderata in musica, quæ si nimis excedit, tollit melodiam: ita secundum Philosophum, propter immoderatam disparitatem civium corrumpitur politia: unde taliter instituta, in qua sunt mediocres, est diuturnior & securior. Nunc autem non puto posse in historiis reperiri, quòd unquam fuerit aliqua gentium politia benè instituta, in qua esset tanta doctrina, quàm nunc sit in politia sacerdotum: ut ii quidem essent majores quàm Principes seculi, cæteri dejectiores vulgo, communitas talis vocatur oligarchia. In corpore enim (cui juxta sententiam Apuleii, Plutarchus scribens ad Thraicinum, assimilavit Rempublicam) idem videamus, si nutrimentum fluat ad unum membrum, ita ut enormiter ingrossetur, & alia nimium macerentur, non potest diu vivere: sic in corpore Reipub. Ecclesiasticæ, si superiores augmentatione substantiæ ita graves in statu sunt, quòd vix possunt ab inferioribus sustineri, hoc est signum & causa propinquæ ruinæ. De hoc enim ultra se offert illud Esaiæ 1. Omne caput, &c. Item,* si verò videt, operibus languentem capita: quibus dicitur Amos 6. Væ qui opulenti estis in Sion, & qui confiditis in monte Samariæ; optimates, &c. Item sequitur, A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas: in inferioribus, præ inopia non potentibus vivere: & superioribus, excessu divitiarum impediente à bono opere, & ultra, Vulnus & livor & plaga tumens. Ecce periculum,

* Suspicor hic esse mendum: ita autem est in utraq; editione Catalogi Test. Verit. in fol.

riculum, ut ſequatur vulnus diviſionis & diſcordiæ, livor rancoris & invidiæ, plaga tumens rebellionis & contumeliæ.

Faſtus Prælatorum. Quartum ſignum eſt, faſtus prælatorum. Fuerunt enim quidam, qui fatuè diſputaverunt de paupertate Chriſti, & invexerunt in prælatos, quia non ſunt ſancti: depinguntur Apoc. ſed hæc fantaſia venit ex ignorantia Moralis philoſophiæ & Theologiæ, & defectu naturalis prudentiæ, quam in omni gente & lege vulgata de jure, quod eſt propriè naturale, ſacerdotes habuerunt, & debent habere, unde poſſent vivere honeſtius quàm populares, & prælati quàm ſubditi: ſed ex hoc non conceduntur equitaturæ, ſeu familiæ ſuperflua pompa, quæ raro poteſt abſque ſuperbia duci, & ſalva juſtitiâ ſuſtineri, & prælium non ſine injuriis indebitis. Unde Juſtinus de Carthaginenſibus. Familia, inquit, tantorum Imperatorum gravis erat liberæ civitati. Talis faſtus in Eccleſia Dei, potiſſimum temporibus iſtis, non tantum movet paucos ad reverentiam, quantum multos ad indignationem: & plures invitat ad prædicta, qui ſe reputarent Deo ſacrificare, ſi poſſent quoſdam craſſos presbyteros ſpoliare: iſtos præcipuè, quos nec nobilitas generis, nec ſcientia ſuffragatur: ſed ſunt viri mendaces, ſerviles & fraudulenti, quibus Dominus dicit Amos 4. Vaccæ pingues Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, ecce dies veniet, &c.

Tyrannis eorundem. Quintum ſignum eſt tyrannis præſidentium, quæ cum ſit res violenta, durare diu non poteſt. Sap. 6. Oportebat ſine excuſatione venire interitum exercentibus tyrannidem. Proprietas tyranni eſt, quærere non bonum ſubditorum, ſed utile proprium: tales ſunt paſtores, qui non paſcunt gregem Domini, ſed ſemetipſos: quibus dicitur Ezech. 34. Væ paſtoribus, qui paſcebant ſemetipſos, &c. Item multa ibidem contra paſtores: Væ qui gaudent de malefactis eorum, quos poſſunt peculiariter condemnare, nec quærunt quantum ſolvere poſſit: quibus Dominus dicit Mich. 3. Vos odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum: & ita comederunt carnes populi mei, & pellem eorum deſuper excoriaverunt. Idem dicit Ezech. 34. Ceſſare eos faciam, ut non paſcant ultrà gregem meum: liberabo eum de ore eorum, & non erit eis ultra in eſcam.

Indignorum promotio. Sextum ſignum eſt promotio indignorum, & vilipenſio meliorum. Hæc, ſecundum Ariſtotelem, eſt maxima cauſa diſſolutionis politiæ, & ſæpe contingit in militia ſeculari, quòd inhonoratio illuſtrium, & exaltatio inferiorum, ſeditionem parit. Nam propter hoc in parte, & propter quædam præmiſſa, non ſolum in codicibus legimus, ſed oculis noſtris vidimus, quædam regna penè deſtructa, ubi homines pauci facti ſunt, & vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore: effuſa eſt contentio ſuper Principes, ſicut Haimo in Chriſtianarum rerum memoria recitat ex Origene. Hæc eſt ſemper humanæ duritiæ incredulitas, ut non ſolum audiendo, ſed etiam videndo non credat alios interiiſſe, niſi & ſeipſos videant interire.

Diſciplinæ everſio. Septimum ſignum eſt, tribulatio politiæ ſecularium, & commotio populorum, quæ in multis partibus jam experta eſt: & quoniam ait Seneca, Mala indignantur ſola venire, timendum, ne poſtmodum Eccleſiaſtica politia non ſolum incidenter, ſed etiam intrinſecus patiatur, & impleatur quod dicitur Hierem. 3. Contritio ſuper contritionem vocata eſt repentè, vaſtata ſunt tabernacula mea, Ezech. 7. Adducam peſſimos de gentibus, & poſſidebunt domos eorum: & quieſcere faciam ſuperbiam potentum, & poſſidebunt ſeminaria eorum: Conturbatio ſuper conturbationem, auditus ſuper auditum, & lex peribit à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus.

Induratio Cleri. Octavum ſignum eſt recuſatio correctionis, ſi forſitan de principibus Eccleſiæ evenit, quod ſcriptum eſt Hier. 7. Noluerunt attendere, & cor ſuum poſuerunt adamantem, ne audirent verba quæ miſit Dominus in Spiritu ſuo, per manus Prophetarum ſuorum. Et Eſa. 3. Filii mendaces, filii nolentes audire legem, qui dicunt, nolite accipere verba quæ vera ſunt, loquimini nobis placentia. Hoc autem implebitur, quando prælati veridicos & ſcientificos habebunt inviſos, ſicut de ipſis ſcriptum Amos 5. Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati ſunt. Et ideo Eccleſiæ Hieruſalem dicit Dominus Oleæ 4. Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi, & oblitus es legis Dei tui, gloriam filiorum tuorum in ignominiam commutabo: & erit ſicut populus, ſic ſacerdos. Multa quidem alia dicta ſunt in Prophetis de dejectione ſacerdotalis honoris. Et præter hoc ſunt alia ſigna, utputa receſſus juſtitiæ, & penuria ſapientum, prælatio puerorum, & novitas opinionum. Sed attentis prædictis, judicare poteritis utrum præſentia tempora ſecura, & utrum habeant locum hæc quæ Dominus in themate dicit: Juxta eſt juſtitia mea ut reveletur.

Et hæc de Secundo.

Quantum

Quantum ad tertium, quatuor opiniones possunt hominibus circa hoc occurrere, quibus tamen sacri Canonis contradicit authoritas. Una est enim, nimis confidentium, atque dicentium quòd prælati sunt Ecclesia, quam Dominus semper custodiet, nec deseret eam: sicut promiserat eis in personis Apostolorum, dicens Matth. 28. Ego autem vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Sed hoc intelligendum est, quantum ad fidem, de qua Christus dicit Lucæ 21. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Unde Eccl. 9. Fides in seculum stabit, & dum refrigescet charitas, fides manebit in paucis, inter mundi pressuras, quas idem Salvator frequenter prædixit esse venturas. Et ne fortè aliqui se putent à tribulatione securos, quia sunt de Ecclesia, huic opinioni obviat Dominus, cùm dicit, Hier. 7. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, Templum Domini est, & paululum plus: Vos confiditis in verbis mendacii, quæ non proderunt vobis.

Quo sensu dicatur Christus suæ adesse Ecclesiæ.

Alia opinio est prorogantium. Benè enim concedunt, quòd Ecclesia turbabitur: sed non ita citò, quia jam multæ causæ prætactæ, & signa aliàs extiterunt. Nam dudum per sanctos doctores Gregorium, & Bernardum, fuerunt reprehensi prælati, de receptione muneris, de pompis, de promotione indignorum & aliis vitiis, quæ quidem regnaverunt in Ecclesia etiam plus quàm nunc: & tamen Dei gratia usque adhuc prosperè stetit. Non vides, quòd si domus aliquandiu fuit ruinosa, quòd propter hoc sit à casu remotior, aut minus periculosa? Etiam multotiens accidit in principatibus, quòd posteri pereunt temporaliter pro peccatis prædecessorum. Unde Thren. 5. Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitatem eorum portamus. Justè huic cogitationi occurrit Dominus in exemplo Ezech. 12. dicens: Fili hominis, ecce domus Israel dicentium: Visio, quam hic vidit, in dies multos, & in tempora multa ipse prophetavit. Propterea dices ad eos, dicit Dominus: Non prolongabitur ultrà verbum, sed in diebus vestris faciam illud, & Esa. 3. Subitò vidimus diebus quædam quæ nuper erant incredibilia, & simile aliàs evenit, sicut scriptum est Thren. 4. Non crediderunt reges terræ, & omnes habitatores orbis, quòd ingredietur hostis, & inimicus per portas Hierusalem, propter iniquitatem sacerdotum ejus, &c. Per Hierusalem, sicut dictum est, designatur Ecclesia.

Securitatis Pontificiæ refutatio.

Tertius error est valde perversus quorumlibet dicentium: Veniat, quod poterit, conformemus nos huic seculo, temporizemus sicut illi qui dixerunt, Sap. 2. Fruamur bonis quæ sunt, & impleamus nos item, &c. Tales namq; sunt valde præjudiciales bonis in Ecclesia Dei: & si principes Ecclesiæ forent ita viles, ut haberent hanc cogitationem tam pessimam, non possent in Tartarum nimis profundè intrudi. Hæc quidem Ecclesia per Apostolos in Christo fundata, tot martyrum sanguine dedicata, tot Sanctorum virtutibus & meritis aucta, & tam magnificè principum seculi devotione dotata, & ita diu prosperata, si tandem in manibus talium posita, in periclitationis dispendium incidat, ob eorum culpam & negligentiam, succurrere satis possent adeò maledici: imò etiam vel ipsi hic incurrent temporale periculum, quod magis timent, dicente eis Domino Proverb. 1. Omne consilium meum & interpretationes meas neglexistis, & ego in interitu vestro ridebo, cùm irruerit super vos tribulatio & angustia.

Quartus est alius error diffidentium, & non videtur remedium in hoc posse dari, sed quòd, sicut aliæ res & præterita regna habuerunt periodum suam, seu periodos suas, juxta illud Matth. Tempus habent, ipso incursu seculi irrevocabili, necesse quòd hujusmodi Ecclesiæ dominatio capiat finem, exigentibus demeritis & obstinationibus gubernantium, sicut Hier. 8. Nullus est qui agat pœnitentiam, omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas: & vos poteritis bonum facere, cum vos malum didicistis, Jer. 13. & cap. 17. de Juda significante Ecclesiam: Pactum Judæ est scriptum stylo ferreo in ungue adamantis, quasi diceretur, quod est indelebile: sicut & de pœna Ezech. 21. Ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem. Verùm hæc omnia non significant impossibilitatem, sed difficultatem: quia perversi difficilè corriguntur. Unde opinio de * mutabilitate eventuum futurorum, non solùm adversatur Theologiæ, Philosophiæ & Astronomiæ: sed quod plus est, veteri superstitioni doctrinæ, quæ fortunas hominum tribuit fato: unde N. Marcellus de doctorum indagine, post allegationes famosissimorum, Virgilii, Salustii, Lucilii, & Homeri, ex eorum dictis concludit, quòd in potestate nostra sit mutare fatum: Potest, inquit, fatum morum mutabilitate converti, ut ex iis celerius vel tardius aut bonum fiat, aut pessimum. Hoc dixi propter eos, qui magis adhærent talibus, quàm sacræ Scripturæ. Namque & ipsæ de hoc canunt. Nam Jonæ 3. dicitur: Quis scit si convertatur, & ignoscat Deus? Item, propterea quòd dicitur Hier. 26. Noli subtrahere verbum, si fortè audiant, & convertatur unusquisque à via sua mala, & pœniteat me mali, quod cogitavi facere propter malitiam studiorum suorum, sicut

* immut —

Exod. 32. legitur, quòd Dominus placatus est, ne faceret malum, quod locutus fuerat contra populum suum. Reperitur & Ninive conversa remansisse, similiter & Constantinopolitanæ urbis destructionem Dominus revelaverat, cujus & signa monstravit, ut recitat Augustinus in quodam sermone: & hoc tertió.

Ultimò restat salubre consilium, quod concluditur ex prædictis, videlicet quòd si juxta causas & signa præmissa super Ecclesiam sit tribulatio præparata, nihilominus animos cum prudentia * modestemus, si corde & opere ad Deum recurramus, ipse modo inæstimabili nos juvabit, & à flagellatione cessabit: sicut ipse dicit Hieremiæ 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam, ita egi pœnitentiam super malo, quod cogitavi facere, & loquitur more humano. Nunc ostenditur, quòd ad Dei misericordiam postulandam, pronior quidem est conspectus tribulationis de propè imminentis. Quia puto, quòd à multis annis non fuerunt tot & tanti malevoli, corde rebelles, & animosi contra Ecclesiam Dei, sicut iis diebus: nec desunt, qui libenter machinarentur, novitatis sectarii: & videtur, quòd Dominus convertet cor eorum, ne oderint populum ejus, & dolum facerent in servos ejus, scilicet in sacerdotes, quos reputat pejores presbyteris: Quia adhuc per Dei gratiam multi sunt boni, veruntamen non est aversus furor Domini, sed adhuc manus ejus extenta. Et nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, & paravit illum. Sed postea expectat Dominus, ut misereatur vestri: Esaiæ trigesimo. Et idcirco, sicut ad supplicandum nos incitat vis timoris, ita nos debet attrahere spes salutis: præcipuè hac sacra die, quando incipiunt festa natalia, solennia festa, frequentia, Deo dante, sine intermissione proderit oratio sancta, & continuata devotio: quia valet deprecatio justi assidua. Et si reges terreni in die celebritatis suæ se solent liberaliores ostendere: quantò magis sperare debemus, quòd Rex cœlestis clementissimus, in die ortus sui ritè petentibus veniam non negabit? Ideo sicut scriptum est Josuæ septimo, Sanctificamini in crastinum: & dicite ei illud primo Regum 25. Inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus ad te. Extra * hoc invenire poteris: quòd si illud petiveritis, quod ipse in nativitate attulerit, scilicet pacem Ecclesiæ temporalem, quam Angelicus sonus cecinit, & per experientiam probavit, testibus Tito Livio, Plinio, cæterisque historicis gentilibus, qui sunt hoc admirati. Dixerunt enim, tantam pacem in terra non nisi divino munere contingere potuisse. Sic enim Dominus promiserat Esa. 66. dicens: Declinabo super eam, quasi fluvium pacis: & in Psalmo: Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis. Ergo patres in Domino conscripti, & vos alii, Ecce nunc dies salutis, nunc est opportunitas Deum deprecandi, ut quod ista vice contulit orbi, Ecclesiæ suæ diebus istis dignetur largiri, & quemadmodum Ninive subversa est non in membris, sed in moribus: ita hoc quod dicit Dominus in themate, juxta est justitia ut reveletur, verificetur in nobis, non de justitia primitiva, sed de nostra sanctificatione per gratiam, ut in ortu crastino nostri Salvatoris oriatur justitia nostra simul: & super nos fiat benedictio, quam promisit Deus dicens, Juxta est salus mea ut veniat, de qua Esaiæ 51. Salus mea in sempiternum erit. Hanc salutem nobis concedat Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Amen.

* Fort. [moderemur.]

* Ita est in editionibus: sed *corrupté*.

Hunc sermonem fecit Magister Nicolaus Orem, coram Papa Urbano & Cardinalibus, in vigilia nativitatis Dominicæ, quæ fuit quarta Dominica Adventus, Anno Domini 1363. ipsius anno secundo.

Hæc quidem non minus Christianè quàm apertè & sine fuco dicta sunt: utinam alia hujus viri optimi opera haberemus, à Launoio laudata. Extat (quod tuâ, Lector, nequaquam interest nescire) Bulla Luciferi ad Prælatos Ecclesiæ, *ab hoc Nicolao confecta: inde conjicies qualis erga Papam, &c. fuerit: eam require apud Gabr. Powell* De Antichristo, &c.

E. B. Lectori

E. B. Lectori candido Salutem.

NEC amici nec inimici desunt *Johanni* de *Rupescissâ*: si *Trithemio* credimus, vir erat nugax & vanus; si * *Proßardo*, nobili historico *Gallico*, æquali suo, vir erat pius & doctus, & in rerum eventu præsagiendo, spiritu prophetico indutus: aliqua utrique ratio. Qualis autem revera fuit, ex hisce ejus scriptis facilè tibi constabit. Famâ viri motus (ut à *Flacio Illyrico* in *Catalogo testium veritatis*, & Illustri Domino *Mornao*, in *mysterio iniquitatis*, celebratur) conspectum mihi gratulabar eorum quæ lecturus es; in quibus aliqua quidem probè & bene dicta reperies; aliqua verò garrulè & ineptè. Parum vel minimum *prophetiæ* mihi pollicitus sum à monacho *Franciscano*: Solidius tu & ego edocti sumus, Lector, quàm ut à *fraterculis* donum tam divinum expectemus: non quòd Deus afflatu miro nequeat aut nolit res futuras hominibus fanaticis & insanis patefacere; cum vel ipsi *Balaam* pseudoprophetæ aliqua dignatus sit inspirare, quæ Ecclesiæ suæ postea magno fuerunt usui; sed quòd hominibus superstitiosis & in *papatûs* tenebris & erroribus versatis, non adeo probabile sit Numen divinum tam solenni modo adfuisse, ut *prophetæ* sui evaderent. Res est maximi momenti *prophetia*, & nihil apud homines unquam extitit illustrius vel præstantius quàm commercium illud cœleste, quo divinitus erant donati *Prophetæ* Veteris & Novi Testamenti; cujus ne ultima quidem pars (ut mihi videtur) in *monachos* & istiusmodi homines potest cadere, nisi uno eodemque luminis ictu, eorum quoque cultûs & religionis vanitatem & improbitatem simul arguat, eosque aliò quàm ad *Papæ* mentem ducat. Non omnis qui futura prænunciat, *propheta* statim censendus est: fieri enim potest (præter certas artis astronomicæ regulas, quibus ex motu & conjunctione syderum, solis lunæque Eclipses monstrantur) ut homines sobrii & providi & sapientes, qui rerum momenta sagaciter perpendunt, & quò tendunt & quid paritura sunt mundi negotia, indagine ingeniosâ speculantur, exitus & eventus eorum longè possint discernere & prospicere; idque multo clariùs quàm qui rebus præsentibus solùm intenti, nullum futurarum prospectum adhibent. *Johannes* hic de *Rupescissâ* mira quidem prædixit, & multum sibi nominis conciliavit apud sui ævi homines ex opinione vaticinii: loquitur nonnunquam, ut hominem decet pium & gravem; ex vitiosissimis cleri moribus, Ecclesiam fore castigandam significavit; sed hæc facilè autumantur ex ipsius rei naturâ. Si aliqua fortè denunciavit quæ à communi hominum cognitione fuerunt abscondita; nescio an ea conjecturâ sua fœlice, an ex instinctu impulsuve superiore prodiderit. Insitus est menti bonæ calor quidem divinus, qui quanto ad Deum promptior est, tanto ab eo fovetur magis; & aliquando contingit ut homines boni & prudentes ea mente concipiant de rebus futuris, ex ope divina, quæ nulli alii nisi numini cœlesti accepta referenda sunt. Etiam aliqua sunt non contemnenda in *Joachimo*, *Brigitta*, *Hildegarde*, *Malachia Hibernico* & *Merlino*, & multis aliis qui *prophetulæ* habentur. Laudo hunc hominem, cum S. Scripturam statuit vaticiniorum suorum fundamentum: Sed dum ex scripturâ eruit res ei contrarias, easque male applicat, tuæ eum, Lector, censuræ castigandum relinquo. Ut preces B. Virgini *Mariæ* funderentur, in auxilium *Christianorum*; ut Imperator quidam *Romanus* fieret *antichristus occidentalis*; ut *papa* aliquis illi ævo proximus orbem repararet & omnia virtutum genera instauraret; ut duo *Cordelarii fratres* collapsum mundum restituerent, & nescio quot alia ejusdem farinæ; hæc hominis deliramenta ridenda sunt, & *thyrso monachali* tribuenda, omni futilitate futiliora. Hæc autem, qualiacunque demum sunt, transcripsi ex Fasciculo *Guil. Crashavii* (de quo antea) partim sui ipsius, partim amanuensis cujusdam illiteratissimi (cui omnes, quotquot sunt, errores debentur) manu scripto: unde ea collegit *Crashavius*, nescio equidem: nec multum refert: primo intuitu vides quid in eis laude, quidque vituperio dignum; & quousque *monachus* altum sapiendo desipuit. Eum verò si prophetam agnoscas, pari ratione me quoque talem potes appellare; qui tibi *Angliam* Jesuitis, pestilentissimis Reipublicæ hostibus, & monachis insulsis liberatum iri brevi spondeo, ne res eis ad restim redigatur. Vale.

* Vide Catalog. testium Veritatis, col. 1786. &c.

COPIA

COPIA PROPHETIÆ FRATRIS *Johannis* de *Rupescissâ*, Ordinis fratrum *minorum* provinciæ *Aquitaniæ*, custodis *Ruthenensis* ac Causidici *Aureliaci*, in *Romana* curia *Avenione* capti in carcere domini *Papæ Clementis* VI. Pontificatûs sui anno 8. qui Carcer vocatur *Carcer Soldan*, in mense Novembris, Anno ab Incarnatione Domini MCCCXLIX.

VOS misistis ad me hanc schedulam, salvo honore vestro, ad maximam blasphemiam Dei; quia solus Deus potest ista quæ hic continentur infallibiliter scire: Ego autem sum vilis & abominabilis peccator; & illa quæ ego dico de futuro, non dico de capite meo, nec ut propheta, sed tamen per intelligentiam prophetarum. Quare, domine, desideratis quærere à me aut à quocunque homine, quod est in solius Dei potestate, pro certo & infallibiliter scire?

Quod autem quæritis de bellis aut .... durabunt & crescent usque ad cœlum, & adhuc quicquid vidimus, est quasi nihil; quia necessarium est totum seculi statum mutari & citò tyrannia ubique regnabit; multi potentes & nobiles cadent & per communitates occidentur & dejicientur à dignitatibus suis: infideles regna *Latinorum* invadent, & durities flagelli *Anglicorum* amplius ingravabitur, donec omnis regni pars sit percussa: & sunt plusquam xx. anni, antequam hodiernæ guerræ inceperunt, quòd ista publicè prædicabam, sed stultus reputabar & demens.

De redditibus Ecclesiasticis hoc vobis notum sit, quòd omnis perdetur in brevi, quia populi plures terrarum viros Ecclesiasticos spoliabunt à temporalibus rebus, ita quòd vix habebunt victum suum. Curia *Romana* fugiet à civitate *Avenionensi* peccatrice, & non erit ubi nunc est. Antequam compleantur VI. anni ab isto anno præsenti M.CCC.L.VI. tota superbia Clericorum concludetur in luto, & tota orbis pravitas destruetur: omnis homo præ timore malorum propinquorum lugebit, ac prævalebunt prædones; sed postmodum deprædabuntur & ipsi: mulierum superbia & status marcescet; plures defraudabuntur & viduæ tristissimæ relinquentur.

Civitas deliciarum convertetur in luctum, & orbis avaritia semetipsum consumet; sed post tribulationes innumeras transactas scandalis in Christianitate propinquis, misericordia veniet ad desolatam gentem, quia unus Anglus vicarius Christi, qui sciet omnes voluntates ejus, qui universos Ecclesiasticos reducet ad modum vivendi Christi & Apostolorum ejus, universa fere scelera extirpabit, omnes virtutes Evangelicas seminabit in mundo, Judæos convertet plurimos, destruet Saracenos, Tartaros convertet, Turcos autem destruet, nolentes converti ad Christum: totus orbis sub ipso pacificabitur & pax fere mille annis durabit. Et ideo ab hoc tempore & ultra, mala crescent in mundo; princeps magnus lugebit, Rex induetur in mœrore, manus populi dissolventur, donec mittatur iste Christi vicarius futurus & totius destructi seculi reformator. Fœlix orabit pro illo ut citò veniat; sed tamen interim orator pœnitentiam agat. Salvabuntur omnes qui fugerint ad montes, quia vindicta Domini generaliter & specialiter super omnes fideles. Igitur prænominati in schedula, si in pace bene morantur, & cito ne videant tot mala, & ad quos eorum hæreditates devolvantur non curant, quoniam qui acquirit non possidebit; & qui possidet, quicquid possidet non tenebit; quia rota fortunæ jam venit ad casum antedictum.

* Hic fortasse incipiunt Revelationes authoris ad Cardinalem Hostiensem. Vide authores citatos initio præfationis.

* Reverendissime pater & domine charissime, quia vestra Paternitas mihi mandavit quòd interdum deberem vobis scribere, & quamvis ego peccator maximus sum, & magis deberem flere quàm scribere, maxime isto flebili tempore, tamen licèt sum pulvis & cinis, loquar ad dominum meum. Et quia vos estis unus desiderosus ad exemplum Danielis desiderantis scire quæ dicuntur per nonnullos Dominum timentes & mundum contemnentes, quæ etiam sunt dicta per aliquos Christi amicos & eis manifesta dum vivebant, ante mortalitatem, qui etiam prædixerunt mortalitatem prædictam: dicunt enim quòd

quòd peccatis nostris exigentibus suspicantur & credunt quòd de proximo erunt tribulationes, & suspicantur quòd mortes subitaneæ & sanguinis effusio, quia per mortalitatem prædictam & propter alias tribulationes seu persecutiones non sumus emendati, sed facti sumus pejores quam antea fuimus & respuimus disciplinam; induravimus enim facies nostras & noluimus reverti & sunt multiplicata in terris mala, tam in Præsidentibus quàm in populo. Et ista dicunt provenire ex culpâ Præsidentium in Ecclesiâ Dei, qui relinquunt gregem suum & pascunt seipsos, quærentes quæ sua sunt, & non quæ Christi sunt; qui derelicta non visitant, dispersum non quærunt, contritum non sanant & carnes pingues comedunt: de quibus, ut dicunt, loquitur Propheta dicens, *Congregamini super montes Samariæ, videte insanias, multas in medio ejus, & calumniam patientes in penetralibus ejus, & nescierunt facere rectum, thesaurizantes iniquitatem & rapinam in diebus suis, & ideo tribulabitur & circuietur terra, & detrahetur fortitudo ejus, & diripientur ædes, & amputabuntur cornua Altaris & cadent in terram & percutietur domus hyemalis cum domo æstiva & peribunt domus eburneæ & dissipabuntur ædes multæ* [Amos 3. 9, 10, 11, 14, 15.]

Et suspicantur aliqui Deum timentes quòd citò verificetur illud quod dixit *Jeremias*, *Ascendet leo de cubili suo, & prædo gentium se levabit & ponet terram in desolatione, civitates vastabuntur, remanentes absque habitatore; in illa peribit cor Regis & cor Principum, & obstupescent sacerdotes & consternabuntur*, [cap. 4. 7, 9.]

Et si prædictæ ruinæ veniant, hoc proveniet ex culpâ sacerdotum, qui non curant vigilare super gregem suum, sed absentant se ab Ecclesiis suis & dantur in ruinam: Et prout fuit revelatum aliquibus ante mortalitatem, beatus qui poterit tolerare hanc tribulationem; & multi plangent se quia non decesserunt ante mortalitatem, vel cum aliis in mortalitate. Et dixerunt etiam quòd summè recurrendum esset ad devotas orationes cum lachrymis & jejuniis & aliis multis pœnitentiis, sicut fecerunt illi, Josaphat & *Ninivitæ* & *Hester* & *Judith* & beatus *Gregorius* & plures alii sancti; & maximè ad beatam Virginem *Mariam*, quæ (ut dicunt aliqui) prædicta monstravit in visione ante mortalitatem: & quòd vita Præsidentium & status & præcipuè clericorum revocaretur per humilitates, amovendo fastus, carnalitates & cupiditates, quibus mundus maculatur; quia ex ipsis scilicet clericis perdentur animæ secularium; & corda eorum deberent convertere ad se, ut postularemus indulgentiam cum lachrymis, quòd secundum voluntatem suam faciat nobiscum misericordiam suam, & sic de humilitate nostrâ possemus gloriari: & si prædicta ordinarent Præsidentes in Ecclesia Dei, securam possemus obtinere consolationem in tribulationibus quæ cito invenient nos, nisi præoccupemus faciem Dei in conversione & in ..... Insuper sciatis, Pater Reverende, quòd propter impositionem decimarum & visitationum, orationes quæ deberent fieri per clerum & præsidentes in Ecclesiâ Dei pro populo, convertuntur in maledictiones & lamentationes & maximè contra illos qui talia imposuerunt; quia tanta est paupertas in clero quòd onera non possunt supportare; & multa inde inconvenientia sequuntur & sequentur in futurum, quia Ecclesiæ non deserviunt, sacramenta non ministrantur, ædificia corruunt, & populus qui deberet trahi ad devotionem, trahitur ad indignationem; & dicunt quòd non dabunt decimas, quia eis subtrahuntur capellani & alii Ecclesiæ servitores: & ista non sunt provocantia misericordiam, sed potius iram Dei excitantia; quia scriptum est, *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* [Psal. 12.6.]

Et quia prætextu guerrarum prædictarum sunt imposita, utinam reducerentur ad mentem verba quæ ego audivi à domino Benedicto sanctæ memoriæ super factis guerrarum, quòd nunquam fuit intentionis faciendi guerras, etiam pro patrimonio Ecclesiæ, nisi cum armis spiritualibus: & dicebat etiam quòd guerræ quæ fuerunt factæ per Ecclesiam, vel fierent in futurum, sortientur tristem effectum; & quòd plus confidebat orationibus & lachrymis quàm impositionibus decimarum & visitationum, & ideo nunquam voluit talia concedere, sed cunctos ab omni gravamine conservabat: tamen dicta & facta sua, & plurium aliorum Deum timentium, reputantur phantastica & conversa sunt in cantica & musicum carmen: Sed provideat Jesus Christus, prout expedit, saluti animarum. Prædicta, Pater Reverende, non scribo ex præsumptione, sed ex charitatis fervore: Et quia Deus vos fecit unam de columnis majoribus in Ecclesiâ sua, cogitetis si in præmissis poteritis proficere, nec cessetis loqui, & instetis opportunè & importunè pro salute & bono regimine Ecclesiæ Dei dum adhuc tempus habetis; quia quamvis vos & filii modò *sitis sicut dii* ætherei, tamen cogitetis quòd *omnes moriemini & sicut unus de principibus cadetis*, & tunc non erit locus bona agendi, sed mercedem recipiendi.

Parcat

Parcat mihi vestra Paternitas, &, si sunt aliqua minus bene dicta, corrigat zelus vestræ charitatis, & me filium suum in suis orationibus participem faciat, & mihi suo pauperculo oratori præcipiat: & prædicta hic notata non occultata sunt amatoribus Jesu Christi, maximè domino meo, domino *Petagoricensi*, nec manifestanda amatoribus hujus mundi. *Jesus Christus* qui est fons charitatis, infundat in vobis suam gratiam & omnibus in Ecclesiâ suâ sanctâ. Amen.

EJUSDEM JOHANNIS DE RUPESCISSA liber inscriptus, Vade mecum in tribulatione.

In nomine Domini nostri *Jesu Christi*. Amen.

Incipit liber qui dicitur *Vade mecum in tribulatione*; & prima Epistola propheticalis, ex modulo Evangelicæ Charitatis.

JOhanni dilectissimo patri suo in Christo Jesu Domino nostro, fratri Petro magistro Ordinis fratrum minorum, pauper incarceratus frater Johannes de Rupescissa, ejusdem Ordinis: petita per vos in Avenione de futuris eventibus & per me vobis promissa, cum laude Domini nostri Jesu Christi, recipite, & cum perfecta plenitudine iter rectum ad cœlestem patriam præparate.

Noscat, Pater, firmiter vestra paternitas, licèt in curia *Romana* omni volenti audire denunciavi terribiles eventus futuros in proximo in universo mundo, me non esse prophetam missum à Domino per verbum *Hæc dicit Dominus Deus*, cujusmodi fuerunt *Esaias*, *Jeremias* & *Ezechiel* ac XII. sanctissimi prophetæ; sed sicut in capitulo nono, sicut intellexi numerum annorum, de quo factus est Sermo Domini ad *Jeremiam* prophetam, ut complerentur desolationes *Jerusalem* LXX. annis: sic enim contulit mihi indignissimo intelligentiam spiritus prophetalium Scripturarum Dominus *Jesus Christus* ad intelligendum inferius describenda, quæ instant in annis, sicut certa experientia declarabit * non utrumque, sed probationibus certissimis scripturarum sacrarum prophetalium arcanorum: voluit enim Deus me venire cum probatione manifesta ad clericos; ne auditis validis probationibus, aliquam de non agenda pœnitentiâ Excusationem haberent. Cum enim de Scripturâ sacrâ certissimæ probationes sumantur in confirmatione certissimorum eventuum futurorum, cum determinatione & infallibili tabulatione terminorum certorum & expressorum annorum, certior fit talis denunciatio quàm per miracula & signa, potissimè in facie tanti cleri ac talis; quoniam, sicut habetur in Evangelio, excæcati homines *Pharisæi* de dignissimis fide Christi miraculis dicebant, *In Belzebub principe Dæmoniorum ejicit dæmonia*.

* Claudicat hic Crashavii liber.

Ego quidem in hac Epistolâ non possum vobis loqui cum probatione certissimâ, sed tantùm narrativè; tum causa brevitatis, tum quia non habeo opportunitatem tam prolixè scribendi, tum quia in libris aliis, ex quibus traxi hunc librunculum, de inferius dicendis ad plenam comprobationem tractavi, potissimè in libris 4.* *De speculis temporum*, & *De reserationibus arcanorum Scripturæ Sacræ*, & in volumine magno & intitulato, *Ostensor quòd adesse festinant tempora*, & in aliis extra illos; & ob hoc in isto loco narrativè cum manifesta comprobatione procedam: & scribo vobis ista non ad celandum & claudendum sub modio obscuro, sed ad innotescendum fratribus quibuscunque devotis & dignis fugere typhonicam de scelesti turbatione paratam, volentibus pœnitere perfectè, & orare ut digni habeantur misericorditer reservari à facie gladii præparati ad eradicandum sceleratos peccatores de terrâ.

* Recensio scriptorum aliquot propheticorum Johannis de Rupescissa.

Ista etiam non latent, me dicere Rectores summos orbis terrarum, supremos Dominos Ecclesiæ generalis: quoniam librum præfatum, qui intitulatur, *Ostensor quòd adesse festinant tempora*, direxi Reverendissimo in *Christo* patri Domino meo, domino Petagoricensi, Procuratori *ordinis* nostri ac etiam correctori: cujus vidit unam partem antequam recederet de curia *Romana* ad legationem ad quam profectus est; potissimè super causâ futuræ tunc, nunc (heu dolor!) captionis præteritæ domini nostri Regis; quem utinam citò liberet Deus cum manu potenti & brachio extenso de manibus inimicorum suorum: & pro certo hoc anno, ante casum præfatum Domini nostri Regis & exercitus

citus ejus, in carcere accessistis ad me, in mensa multas fabulationes vobiscum habui de casu terribili potentiæ & imperii Principis * *Galliarum*, & expressi (si bene recorder) unde certissima demonstratione probaretur ex divina scripturâ. Ego quidem, mi pater, nolo quòd vos aut quisquam hominum adhibeat fidem dictis meis, nisi inquantum oculata experientia demonstrabit ad sensum, quoniam ea quæ denuncio erunt immobiliter vera, aut Domino aliter disponente non evenient sicut evenire prædixi: Si enim eveniant immobiliter, pro certo multum erit orbis culpabilis coram Deo, qui tam cæcè meam veram denunciationem contemnit; si autem non eveniant flagella gravia inferius describenda, hoc erat hoc quod ego quæro, videlicet, ut sententia durissima egressa, in formâ fulguris & ignis, à facie *Antiqui dierum* & ab *ira Agni sedentis super thronum*, per pœnitentiam revocetur, sicut *Ninive*, & ego confusus & iratus remaneam sicut *Jonas*. Annon legistis *Michæam* prophetam dicentem, *Utinam essem homo non habens Spiritum, & mendacium potius loquerer?* Gaudeo de reparatione futurâ, sed contristor de imminenti pressurâ universi populi *Christiani* durissimâ, qualis nunquam fuit ab origine mundi, nec postea futura est unquam usque ad finem orbis.

* fort. Wallorum: sc. Edwardi, qui Johannem Regem Galliæ abduxit huc captivum.

Opusculum autem istud volo vocari [*Vade mecum in tribulatione*] quia habens spiritum, à periculis instantibus, si dignus inventus fuerit, poterit præcavere, & se & alios dirigere in agendis: nec præstet vobis impedimentum si clamer i.e. dicar à multis mundi sapientibus insanus, phantasticus & delirus: sed mementote quòd non sum melior *Jeremia* prophetâ, qui denuncians casum *Jerusalem*, missus est velut blasphemus & arreptitius in carcerem conclusus, & in lacum lutosum ad extremum conjectus; & de Domino *Jesu* dicebant, *Samaritanus es tu & dæmonium habes*: hoc est, hæreticus es tu; & omnes quotquot missi fuerunt à Domino, tribulationes & solennes impugnationes passi sunt: nam verbum egregii doctoris *Gregorii* in quadam homiliâ dicentis, *Exhibitio præteritorum certitudo est futurorum*, adhærentiam multam facit, ut verba mea audientibus terrorem & formidinem præstent: primò, quia casum Regis & ejus exercitûs, antequam eveniret, clarè descripsi, sicut ex præfato libro [*Ostensor quòd adesse festinant tempora*] manifestè habetur. Secundò, quia anno Domini M.CCC.XLIX. qui fuit primus annus adventûs mei ad Curiam, ad denunciandum & dicendum, à quo jam VII. anni confluxerunt, palam denunciavi per intelligentiam prophetalium Scripturarum, quòd cum filius *Alphonsi*, tunc Regis *Castellæ*, sc. hodiernus Rex *Petrus* compleret in ætate XXI. annum, quem complevit in A.D.M.CCC.LV. anno scilicet immediatè jam præterito, tanta tribulatio *Hispanos* arriperet, ut putarent *Hispani* finem seculi advenisse. Quam denunciationem conscripsi tunc in Apocalypsis libro, aspectorum septem verborum arcanorum in verbo Dei experientia auctore, docet heu! dolor & gemitus in his duobus annis prænotatis totam ad plenum denunciationem completam, cum sint in *Hispaniâ* per bella & dissensiones confractæ vires usque ad plures fines ejus & fautores eorum, & in melioribus regnis eorum non putatur tertia pars populi remansisse. Tertiò, quia nepoti meo, magistro *Anselmo*, per Dei revelationem denunciavi, cum requirerer per literam si beatæ *Mariæ Aureliaci* Ecclesiam obtineret, quis suum prosequeretur, & de carceribus *Romanorum* sibi per literam manu meâ descriptam, feci, & declarationem prædictam per multam verificationem mearum denunciationum per ea quæ evenerunt, declaravi in quodam libello quem intitulavi [*Ut non erubescant detractoribus laudatores*] Nam & stupenda concussio cordium multorum accidit his diebus, quando viderant corruisse Regem & exercitum ejus, & expavescentes dixerunt, *multùm timendum est ut sicut casus prædictus per illum miserrimum incarceratum evenit certissimè, ita cætera ad plenum eveniant, quæ prædicit.*

Suscipite igitur munusculum illud cum honore *Christi* & gloria ejus; quia ad intendendam orationem, ad agendam pœnitentiam, ad prævidendum futura præparata, ad præcavendum à periculis & ad vitandum errores, ad cognoscendum seductores propinquos, ad aperiendum oculos mentis, ad fugiendum varios laqueos, ad quærendum loca opportuna pro fugâ ventura & ad providendum de victualibus pro toto tempore tribulationis, ad illuminandum fideles simplices & ad ipsos stimulandum, & ad eos retrahendum à malis & præcavendum à tribulationibus, notabiliter prodest per internam cooperationem gratiæ *Jesu Christi*.

Conficitur interea librunculus iste ex *Intentionibus viginti*.

Intentio autem *prima* dicitur esse in tribulationibus inchoatis, & de gradu in gradum agendis, totum seculum in unam fidem catholicam Ecclesiæ generalis rectè sub obedientia unici *Romani* summi pontificis, in uno ovili Dominico per totam mundi machinam

nam

nam congregare, convertere *Judaos*; *Saracenos*, *Turcas*, *Tartaros*; & *Gracos* ad unitatem generalis Ecclesiæ reducere, & schismaticos omnes, hæreticos universos & omnes pravos *Christianos* in omnibus sceleribus induratos funditus extirpare de terrâ; cum citius cœlum periret & terra vertetur in nihilum quàm excideret: *Joh. X. Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile & unus pastor*: Quum, sicut patens experientia docet, nunc prædicatores in tota *Asia* majori & universa *Africa* subversi sunt præter *Petri* prædicationem, pro cujus fide *Christus* (Luc. 22.) ne perderetur oravit: sancti autem Apostoli cum piissima Virgine, gloriosâ *Mariâ*, incessanter instantissimè orant ut repararentur prædicationes quæ per maximam negligentiam pigrorum prælatorum extinctæ sunt, sicut eleganter exprimit *Augustinus* doctissimus in homilia † 313 annorum, & antequam perveniat mundus ad annum Dom. M. CCC. LXX. volo dicere, antequam fluant XIII. ab isto anno Domini, anno M. CCC. LVI. quem perfecimus nunc, erit notabiliter prædicta orbis recuperatio inchoata, & patebit ad oculum verum esse quod dico.

† Aliquid deest, vel vitiosè scribitur.

Intentio secunda est universum clerum ac dominos supremos, dominas summas & universæ Ecclesiæ papas & cardinales, patriarchas, primates, archiepiscopos & episcopos cum subditis clericis eisdem, reducere ad modum vivendi sanctissimum *Christi* & Apostolorum sanctorum; quoniam impossibile foret Ecclesiæ aliter recuperare præfatum seculum perditum & execratum; quoniam impossibile foret infidelium populorum, *Judæorum*, *Tartarorum*, *Saracenorum* & *Turcarum* ad *Christi* religionem repugnantem carnem & sanguinem reducere, nisi per viros spiritualissimos, legem spiritualissimam *Christi* non tam verbo quàm opere prædicantes: si enim Prælati Ecclesiæ incederent ad prædicandam paupertatem *Christi* cum 200. vel 300 equis, sicut nonnulli ex eis hodie incedunt; & ad prædicandam *Christi* humilitatem stabulariam cum militibus & scutilatis, & pompâ tantâ ac tali; & ad injungendum *Christi* castitatem cum ribaldis, quorum fluxus luxuriæ hodie est sicut fluxus equorum, & sic de singulis virtutibus; talibus utique prædicatoribus dicerent infideles illud Evangelii, *Vade cæce, medere & cura teipsum.* Quare omnino necesse est, ad reparationem mundi, modum vivendi *Christi* & Apostolorum suorum inchoari à summis & omnibus prælatis Ecclesiæ generaliter; ut verificetur prophetia *Isaiæ* prophetæ, cap. 1. dicentis, *Convertam manum meam ad te; & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum; & restituam judices tuos ut fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis civitas Justi, urbs fidelis*: cum enim vivent in proximo prælati summi sanctæ Ecclesiæ juxta regulas vitæ *Christi* & Apostolorum Matt. cap. 10. tunc erunt idonei ad convertendum orbem. Et ad hunc modum vivendi reducentur cum flagellis durissimis, viz. infra A. D. M. CCC. LXX. prælibatum, prout inferius clarius distinguemus: quoniam necesse est præcedere reparationem Ecclesiasticorum virorum conversionem orbis, sicut causa præcedit effectum.

Intentio tertia est de graduum futurorum ordine, effectu & fine: supra enim omnem æstimationem humanam pondus instantium flagellorum super clerum vertetur, in tantum ut hac vice periret universalis Ecclesia, nisi quia perire non potest; *Christo* Domino orante pro eâ; licèt graviter fluctuabit pro certo, ita ut multi æstimant *Christianam* aliquando penitus suffocatam: de hac tribulatione prophetavit expressè beatus *Petrus* in Epistolâ primâ, cap. 4. *Tempus est ut incipiat judicium à Domo Dei: si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?* Et si vultis capere verba mysterii, legatis cum intellectu in *Ezechielis* cap. 9. ubi viris interpretatoribus per concordiam ad prophetiam *Petri* dicit, *A sanctuario meo incipite*, &c. & totum capitulum, de verbo ad verbum ad propositum tribulationis propinquæ super sanctuarium Domini diligenter notate; quia profectò qualis ibi describitur, veniet nunc super clerum & populum *Christianum.* Fiet quidem super clerum persecutio memorata, ideo quia maxima pars ejus indurata est in superbia, *Christo* detestabili, in divitiis & avaritia, in cultu *Belis* gulosi & *Veneris*, intantum quòd citius multi ex iis subirent, sicut subibunt, gratis infernum horrendum, quàm redirent ad sanctam *Christi* vitam & Apostolorum, & se disponerent ad convertendum orbem: & ideo quidam digni morte ex clericis dabuntur in satietatem oris gladii sitibundi crudelium tyrannorum; alii erunt in cibum ignis; alii cladibus variis succidentur fame, & peste & variis flagellis: qui autem flagellati, juxta verbum *Isaiæ*, *recipiunt intellectum*, cum sanctis prælatis *pro semine servabuntur à Domino*: & hæc omnia fient ante annum M. CCC. LXX. prælibatum.

Intentio

Intentio quarta est certissima quota anni & diei, infra quem fugiet Curia *Romana* de hac peccatrice *Avenione*; unde firmiter teneatis, intantum subitò tribulationes excrescere in universo mundo, ut infra Annum Domini M. CCC. LXII. & diem 15. mensis *Julii* ejusdem anni, fugient Cardinales de amœnâ requie *Avenionis* hujus à facie tribulationis prævalidæ; & ecce lætabuntur cum securam requiem poterunt invenire ad manendum. Hæc intelligatis quòd tantum tardetur fuga; sed hoc est certum quòd fiet infra terminum præfinitum aut citius; quum à præfatâ fugâ & ultra disponentur generalis Ecclesiæ Præsidentes supremi, papa, cardinales & Episcopi in purgationem prædictam & ad reductionem vitæ Domini nostri *Jesu Christi*, ut aptificentur, qui à tribulatione erunt residui, ad convertendum orbem infidelem ad *Christum*. Et quia præfatus terminus non distat ab anno in quo sumus nisi per V. annos & semis, præfata fuga tenet solenne principium præstupendorum eventuum, futurorum post ipsum. Est ergo summâ diligentiâ per fideles notandum, tanquam hostilium secretorum solenne caput, an rubrificabitur, & stilla roris tepidi innocentium pauperum exquiretur.

Intentio quinta est in apertione futurorum horribilium eventuum ab anno Domini M. CCC. LX. usque ad annum LXV. quoniam ab anno Domini M. CCC. LX.° & ultra per V. annos continuos, erunt in mundo novitates horrendæ: primò vermes terræ tantam fortitudinem & inimicitiam induent, ut crudelissimè devorent omnes ferè leones, ursos, leopardos ac lupos: alaudæ & merulæ, ululæ, aves rapaces, falcones & accipitres laniabunt: hoc enim est necessarium, ut impleatur vaticinium *Isaiæ* cap. 33. proclamantis, *Væ, qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, non sperneris?* Consurget enim infra illos V. annos justitia popularis, & tyrannos proditores nobiles in ore bis-acuti gladii devorabit, & cadent multi principum & nobilium & potentium à dignitatibus suis & à gloriâ divitiarum suarum; & fiet afflictio in nobilibus ultra quàm credi possit, & rapientur majores, qui cum proditionibus deprædari fecerant populum tam afflictum. *Secundò*, antequam veniamus ad annum M. CCC. LXV. apparebit publicè *orientalis antichristus*, cujus discipuli in partibus *Hierosolymitanis* publicè prædicabunt cum falsis signis & portentis in omni seductione erroris. *Tertiò*, infra illos V. annos, scilicet ab anno Domini M. CCC. LX. usque ad annum LXV. abundabunt terribiles clades ultra omnem æstimationem humanam; tempestates de cœlis; & aliàs nunquam visa diluvia aquatica, inaudita in multis partibus orbis (præter diluvium generale) fames gravissimæ supra modum; pestilentiæ & mortalitates; gutturum squinantiæ & aliæ apostematicæ passiones; quibus plagis interficietur maxima pars pravæ generationis præsentis, ut renovetur orbis, & reprobi indurati deleantur de mundo, ad unitatem fidei catholicæ reducendam. *Quartò*, in præfatis V. annis tanta perditio abundabit tam contra dominos majores, quàm ad invicem inter pares, ut sit fœlix qui in diebus illis fidelem servum aut socium poterit invenire. *Quintò*, infra illos V. annos præfatos excæcati *Judæi* sequentur suum falsum *Messiam* & plagam maximam inferent populo *Christiano*. *Sextò*, destruentur in multis partibus Ecclesiæ, & altaria subvertentur. *Septimò*, fiet horribilis apostasia à fide, ita ut vix de decem remaneat unus verus in fide, quoniam tunc implebitur illud verbum *Christi*, Matt. 24. *mittentur in errorem, si fieri potest, & electi*. Et ab his VII. lector intelligens alia infinita per necessariam consequentiam inferre poterit; quæ inexplicata, causâ brevitatis, relinquo.

Intentio sexta est intelligere medullam futurorum in anno præsenti M. CCC. LVI. & immediatè futura VII°. VIII°. IX°. quoniam his annis quos percurrit mundus antequam incipiat annus Domini M. CCC. LX. qui est primus de V. in *Intentione quinta* immediatè præmissâ, disponunt se ad fugam Principes Ecclesiæ generalis de hac peccatrice *Avinione* & ad VII. præmissa in V. annis in *quinta Intentione* præterita; quoniam inclytissimi atque Christianissimi Principis Regis nostri *Francorum* ac * deliberationum adventuum Imperii *Gallici*, qui multum heu! In hoc anno excrevit, ut dolentes cernitis, præcedere debet fugam Ecclesiæ de *Avinione* & antichristi propinqui pro eo: quòd si robur *Christianissimi* imperii *Francorum* duraret in vigore pristino, nunquam possent affligi viri Ecclesiastici, nec ferox proximus *antichristus* venire. Quare teneatis pro firmo quòd supra modum robur & fortitudo *Francici* imperii imminuentur hac vice, usque quo non possit viros Ecclesiasticos à tyrannis tueri, quos supra modum necesse est castigari hac vice. Et scitote bella plurima inter populum *Francorum* & adversarios regni futura, ut mihi indignissimo ostendit Dominus in die S. *Michaelis* immediatè præterito propter captionem Regis nostri *Johannis*. Non erunt minora bella quàm prius, sed multo graviora, ut accidant nobis miseris, in quos fæces omnium malorum & tribulationum

* Miserè hic corrumpitur textus ob egregiam scribæ vel transcriptoris inscitiam: siquid ex laceris verbis sensûs possis elicere, bene est: vide autem interea, Lector, quantum damni patiuntur authores, cum amanuenses stulti, qui manuscripta antiqua nesciunt legere, eorum opera excribenda in se recipiunt. *Dulcissima musica asini ad lyram.*

tribulationum venerunt; ut sic verificetur id verbum *Michea* prophetæ, *Et dicent pax, pax*; & *non erit pax impiis, dicit Dominus.* [Isai. 48. 22.] Super quorum intellectum, cap. 7. *Ezechielis* cum profundâ intelligentiâ perlegatis. Disponuntur quidem hi tres anni immediatè futuri ad omnes eventus istorum annorum in *quinta Intentione* dictorum, ad bella quæ fient in *Hispania* & *Italia*, & ad dolorosos conflictus infidelium qui acriter consurgent contra populum *Christianum.* In conflictibus quidem *Hispanorum* unus Rex prævalebit, qui demum victor tantum excrescet, ut sit ei concessum pro magna parte delere populum *Mahometicum*, potissimè *Africanum.* Egredietur quidem in his diebus malis, antequam perveniat mundus ad A. D. M. CCC. LXV. exercitus unus infidelium ab Oriente, de quo sub *angelo sexto* scribit *Johannes* Apocalypsis IX*. Venient enim infideles *Saraceni*, *Turcæ* & *Tartari* contra populum *Christianum*, ita ut *Italiam* in parte conculcent; *Hungariam* totam & *Poloniam* & partem *Alamaniæ* vastabunt mensibus ad literam † XLII. & annus immediatè sequens, sc. M. CCC. LXVII. notabiliter cum duobus sequentibus disponet ad istam terram * misericordia *Christi*, unum reparatorem futurum in proximo, inferius describendum; nec tardabunt dies quòd unum passagium indicatur in *Terram sanctam*, quod ob infirmitatem custodum *Crucis* nullum effectum habebit, & per mundi .... astutiam poterit pax fieri, quæ impediat futuros eventus in *quinta Intentione* descriptos.

† Apoc. 11.

* Hic iterum Crashavii amanuensis mirè in transcribendo peccavit, in cujus transcripto sensus non constit: ideoque pro [cor] reposui ex conjecturâ [misericordia] nisi malis [cura.]

Intentio septima est intelligere modum denudandi Ecclesiam universam ab omnibus temporalibus rebus: indignabitur siquidem mundus ante annum Domini M.CCC.LXV. contra fastum divitiarum, temporalem gloriam mundanæ superbiæ clericorum, & tyrannici ac laici populi subitò & insperatè consurgent & auferent ab eis dominia temporalia, regna, ducatus, comitatus, redditus, civitates & castra, & ipsos relinquent in puris & nudis Evangelicis declaratis, & insuper multis tribulationibus & derisionibus eos afficient, nec ipsis quibuscunque excommunicationibus aut bellicosis insultibus poterint obviare, sicut experientia declarabit: quoniam *Sathanas* jam seduxit corda multorum hypocritarum incedentium in habitu humilitatis, in specie sanctitatis, in effigie pœnitentiæ, in fictione zeli ficti & falsi; & indignabuntur corda Principum, tyrannorum & populorum secularium imponentes eis peccata abominabilia publica quæ multi clericorum committunt; & hi sunt hypocritæ errantes in fide & fidelitate, ratione Ecclesiæ: & ad extremum cognitâ eorum nequitiâ ipsi delebuntur & destituentur ac trucidabuntur per populos seculares: postquam autem videbunt principes Ecclesiæ nullo modo de paupertate se posse resurgere, dabit illis *afflictio intellectum*, ut culpas suas humiliter recognoscant & disponant redire ad modum vivendi *Christi* & Apostolorum sanctorum, & convertet Deus corda iratorum contra illos Principum & populorum ad pacem, & ordinabuntur duntaxat qui tribulantur eis, videlicet competenter necessaria vitæ, & his contenti Ecclesiastici divini à tribulatione quiescent, jubente Domino nostro *Jesu Christo.*

Intentio octava in adventu *antichristi occidentalis* unius Neronis in modum in præsidendo, imperatoris hæretici pestilentis in proximo affuturi, ad generalem Ecclesiam graviter affligendam: hic persecutor *Christi* & Ecclesiæ publicè apparebit in *Romano* Imperio infra annum Domini M. CCC. LXX. & ab anno Domini M. CCC. LXII. vel ante, usque ad LXX. vel .... non tardabit persecutio ejus, quæ transiet ante annum Domini M. CCC. LXX. cum non duret ejus flagellum nisi duntaxat per tres annos & semis: ego assero hunc fore. Apocalyps. cap. 13. abundanter de ipso ac de suo pseudo-prophetâ, scilicet de bestiâ ascendente de terrâ disertissimè tractat: pauca de ipso dico; quia si omnia mala, quæ fuerunt ab origine mundi, congregarentur in unum, fere non æquiparentur malis futuris ab hoc præsenti anno usque ad annum Domini M. CCC. LXX. vel circa, infra XIII. annos.

Intentio nona est super provisione quam facturus est generali Ecclesiæ *Romanæ*, matri nostræ, Dominus *Jesus Christus*, contra omnes tribulationes futuras, ne *Petri* navicula submergatur: cum his enim tribulationibus, post fugam *Curiæ Romanæ* de hac peccatrice *Avenione* cum suis complicibus summi solii tribuerit afflictio intellectum, per ministerium angeli sancti faciet *Christus* eligi canonicè, sede tunc vacante, unum summum Pontificem, reparatorem orbis: & si vultis ipsum & officium suum in Scripturâ Sacrâ cognoscere, ipse est vir indutus lineis, signans electos signo *Tau* in fronte, *Ezech.* 9. qui ibidem & cap. X. accipit ignem de medio rotarum *Cherubin*, & effundit in orbem; *Christus est*; vel ipse est vir indutus lineis, volo dicere camisia * ...... qui XLVII. ejusdem libri sub typo aquarum universum infidelium orbem baptizat, & totam mundi machinam concludit sub typo piscium cum sagenâ: infra Ecclesiam generalem ipse *Christus* est angelus iste qui Apocalypsis cap. 8. in principio, habet thuribulum aureum, & super altare quod est ante oculos Dei, dat orationes omnium sanctorum, & implet thuribulum de igne al-

* Scribitur [R ..]

taris

taris & effundit in terram donec fiant in toto mundo tonitru & voces & fulgura & terræmotus magni ad delendum populum Saracenorum. Et ut perfectè noscatis eundem, ipse est Angelus dicti capituli libri Apocalyps. descendens de cœlo amictus nube, & iris in capite ejus, cujus facies lucet ut sol, ad illustrandum orbem, clamans quemadmodum leo cum rugit, habens omnium arcanorum prophetalium, quæ expedit ad tempus, & gestans in manu libellum apertum, qui in fine capituli prædicatores mittit ad convertendum orbem. Hic est Angelus fortis Apocalyp. 18. in principio; à cujus aspectu illuminatur universa terra cum sit valdè tenebricosa.

Hic est Angelus cap. 20. ejusdem libri, habens catenam magnam ad satanam ligandum: hic est *Elias* mysticus, de quo *Christus* Matth. 18. prophetizat dicens, *Elias quidem venturus est & restituet omnia:* de quo multos tractatus feci cum abundanti sermone in pluribus libris; scilicet in *commentario meo Prophetici libri horoscopi*, & duobus *commentariis super librum tabularum Dei ad illum*, ac in *commentario meo libri prophetici de summis Pontificibus*, qui incipit, *Ascende calve:* & in *commentario canonis*, qui incipit, *Ad alta vocaris*; & potissimè super illo verbo canonis, ubi dicitur, *Iste solus clarè aperiet librum scriptum digito Dei vivi*; & in 4^or^ libris *de speculis temporum, & reserationibus arcanorum Scripturæ Sacræ*, & in tribus libris .... *rugitus muti ante faciem miserentis Dei pro apertione forti luminis tertii status generalis orbis ad reparandum mundum*; potissimè in tertio libro, ubi ostendo quòd ipse est Angelus habens catenam magnam ad ligandum Satanam in abysso, ne seducat amplius gentes, donec consummentur M. anni ad literam solares; & ibidem revelo catenam & virtutem ejus; & in commentario quod edidi *super librum Ambrosii Merlini vatis Britanniæ* & de summis Pontificibus quem direxit sancto *Blasio* † *Londinensi* Episcopo in tractatu qui incipit, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*; & demum in libro præfato, qui incipit, *Ostensor quòd adesse festinent tempora*; potissimè in primo libro, in multis tractatibus ejus, & in pluribus aliis libris meis de ipso propinquo Reparatore, ac ejus actibus & officiis & modis orbem reparandi, abundanti sermone peregi; quæ hic dicta minimè replicabo. Ipse est post *Christum* pro principio tertii status generalis orbis, lapis abscissus de monte sine manibus, qui *Babylonicam* statuam percutiet in pedibus fictilibus, & eam comminuet, & implebit lapide *Christo*, & ejus lege universam terram, ubi *Gog* remanebat, convertendo ad *Christum*. De isto tractatu, prophetæ *Isaias* & cæteri ubicunque agunt de *Christo* fere in secundo sensu pro tertio statu seculi memorato; nisi quòd ea quæ Divinitati *Christi* conveniunt, debent duntaxat reservari Domino nostro *Jesu Christo*; sicut *Isaia* 9. dicitur, *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Hoc, quod ibi dicitur Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, convenit duntaxat (sumendo ad literam *Deus* propriè) Domino nostro *Jesu Christo:* sed alius Reparator sicut verus homo peccator, erit puer, qui ad literam per potentiam *Christi* obtinebit generale imperium mundi in annis ferè decem, ac Princeps pacis millennariæ erit & consiliarius Evangelicus & Deus adoptivus, sicut *Exod.* 3. dicit Deus Moysi, *Ego constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus, erit propheta tuus:* & sicut Exod. cap. 22. *Diis non detrahes:* & in Psalmo, *Ego dixi, dii estis, &c.* & per eum aperientur omnia mysteria sigillata Sacrarum Scripturarum.

Alia opera hujusce cæci vaticuli.

Intentio decima est super apparitione duorum admirandorum prophetarum induendorum factis, qui Apocalypsis cap. 10. resistent *bestiæ ascendenti de mari*; quoniam antequam perveniat mundus ad annum Domini M. CCC. LXV. mittet Deus miraculosè duos pauperrimos Cordelarios, abjectos fratres minores, qui ad literam, sunt de quibus dicit Dominus *Jesus Christus* Apocal. 11. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus M.CC.LX.* hoc est ad literam, tribus annis & semis: *hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes; & siquis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum; & siquis voluerit eos lædere, oportet eum occidi: hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat in diebus prophetiæ eorum, & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint:* Et nunquam legi alicui puro homini tantam potestatem concessam ad flagellandum orbem: unus autem horum duorum erit *Papa Romanus*, generalis *Christi* vicarius; & alter, ejus socius *Romanæ* Ecclesiæ cardinalis. Primus erit *minor Papa*; alius, persona scilicet *Eliæ*, de quo *Christus* dicit, quòd venturus sit & restituet omnia; *Elias* quidem mysticus, & non ille *Thisbites* qui personaliter venturus est in fine seculi tempore ulterioris antichristi: quoniam inter hunc *Eliam*, & illum fluent mille anni solares. Hi igitur duo pauperculi sacratissimi minores abjecti, Cordelarii abjecti, sunt mysticè *Elias* & *Enoch:* quoniam sanctus antiquorum Cardinalis replebitur Spiritu Sancto *Henoch*, ut gentibus decipiendis per *draconem* proximi antichristi impugnent: sapientiam præstent, & marinam bestiam in viribus roboris *Jesu Christi* impugnent.

Inter vaticuli & scribæ ineptias miserè torquemur.

Signum

Signum autem adventûs horum duorum prophetarum accipise in adventu propinquo infidelium ab Oriente & fugâ *curiæ Romanæ* de hac peccatrice *Avenione:* qui duo eventus valdè modicum distant. Hi soli duo *draconi* pro fide obviabunt; sponsam *Christi* regent in capite & in membris, & facient ut omnes deceptæ, ad *Christum* veniant nationes.

Intentio undecima est in casu quodam gravi qui accidet præfato reparatori pauperculo memorato; quoniam circa principium introductionis ejusdem inimicos Dei hæreticos, * *mammonistas, Mauros* ac infideles in brachio Domini & virili pauco sensim confundet: sed postmodum sui de bene factis lapidantes eundem, consurgent in eum; & timendum est, si temerè capiatur ab eis, ne..... in dicto pestifero aggravetur: sed *Christo* providente Ecclesiæ desolatæ, mittet duas grues de his quæ caput habent rubrum, & assument ipsum in viribus *Christi*, super pennas suas, & de manu inimicorum suorum ipsum eripient, Virgine gloriosâ *Maria* Filium exorante pro eo; & sic cum gratiâ Dei in honore & prosperitate evadet. Fœlix qui in diebus illis ab obedientia & fide pauperis illius apostaticè non discedet: corroborabitur siquidem super omnem æstimationem humanam auxilio *Christi* existentis in eo, & crescet juxtà omnem voluntatem *Christi*; quia ipse post *Christum*, in secundo sensu, est ille *David* futurus, de quo prophetat *Ezechiel* cap. 34. & *Jerem.* in vaticinio, à tricesimo cap. sui libri & ultra usque ad 36.

* Fort. Mahumedistas.

Hic est etiam *Jonas* propheta mittendus de ventre ceti in proximo in signum & portentum *Ninivitico* populo scelerato ad publicam pœnitentiam prædicandam & ad convertendum corda filiorum ad patres cum *Johanne Baptistâ:* & præparabit viam Domino *Jesu Christo* venturo proximè ad perimendum *antichristum* propinquum.

Intentio duodecima est super reparatione proximâ virorum Ecclesiasticorum & orbis per cœlestem reparatorem propinquum: quoniam hic est *Elias* qui juxta verbum Domini restituet omnia; omnes utique corruptos sacerdotes, luxuriosos & avaros *Christus* cum hoc flagello (ad literam) facto de funiculis pauperculis; scilicet *cordelatis* abjectis, de Templo expellet pro certo, ne ei ministrent in sacrificio; & simoniacos deponet à ministerio Ecclesiastico, & offendentes naturam tradet brachio seculari ut sacrificentur in igne ut purgetur natura; libertatem antiquam eligendi prælatos sedibus Episcopalibus restituet; lupos voraces effugabit à grege; sanctos viros sistet super candelabrum & indignos sub modio abscondet; intuitum carnis & sanguinis castigabit; collapsam justitiam renovabit & contra universa scelera congruam medicinam aptabit; & universas virtutes Evangelicas cum collapsis hominibus replantabit, & bonos homines in suo sancto proposito confirmabit; librum reparationis orbis arte *Christi* conficiet, cujus virtus usque ad finem seculi perdurabit: Regem *Francorum*, qui veniet in principio suæ creationis ad videndam angelicam claritatem ejusdem, assumet, contra morem *Alamanicæ* electionis, in Imperatorem *Romanum*, cui Deus generaliter subjiciet totum orbem occidentem & orientem & meridiem; qui tantæ sanctitatis existet, quòd ei Imperator aut Rex similis in sanctitate non fuit ab origine mundi præter Regem Regum & Dominum Dominantium, Dominum *Christum Jesum.*

Somnia ridenda.

Hic Imperator renuet coronari coronâ aureâ, ad honorem spinarum Coronæ *Jesu Christi*: hic Imperator sanctissimus erit executor omnium mandatorum reparatoris prædicti: per illos duos totus orbis reparabitur & ab eis destruetur tota lex & tyrannica potentia *Mahometi:* ambo, tam *Papa*, quàm *Imperator*, *Graciam* & *Asiam* personaliter visitabunt, destruent schisma, *Græcos* liberabunt à *Turcis*, *Tartaros* fidei subjugabunt, regna *Asiæ* reparabunt; & constituet *Papa* ut in perpetuum quamdiu mundus erit, cardinales assumentur de Ecclesiâ *Græcâ:* ascendetur contra montem, qui in *Asia* appellatur *Taurus*, *Asia* † rehabendum: hic destruet *Italiæ* schisma *Guelphorum* & *Ghibellinorum*; & terras Ecclesiæ sic disponet, ut Papa eas Ecclesias in æternum non impugnet: avaritiam omnem & superbiam extirpabit, à clero hæreses annullabit; & quia, sicut dixi, jam futurum est in brevi, ut infideles *Italiam*, *Hungariam* & multas provincias *Christianas* invadant & Christianitatem affligant mensibus 42. ad literam, hic est qui eos destruet & de manibus *Mahometi* liberabit populum *Christianum.*

Hæc sufficiant causâ brevitatis; qua causa breviter hic sunt dicta de ipso; qui post 9. annos & semis aut novem menses aut circa, finiet vitam suam, & Imperator post 10. annos & semis aut circa; & ambo miraculis magnis coruscabunt in morte.

Præfatus autem *Papa* in regno *Siciliæ* unum regem constituet qui in manu potenti & brachio extento regnum *Hierosolymitanum* acquiret, post cujus acquisitionem relinquet Rex ille mundum, & habitum & vitam fratrum minorum assumet; & in fine rutilabit miraculis, præclarâ sanctitate renitens; filium relinquet qui erit Rex *Lumbardia*,

dia, filius Ecclesiæ; sed qui annorum 15. morietur; de quo gemet valdè Ecclesia generalis.

Intentio decima tertia est in tribulatione religiosorum cunctarum professionum: ex prædictis enim claret quòd cuncti religiosi divites, monachi *nigri* & *albi*, *grisei*, *Carthusienses*; *pramonstratenses* & *militares* tam in corporalibus quàm in temporalibus graviter affligentur. *Primò*, à pressurâ bellorum & à raptoribus populis & baronibus; quia & Principes Ecclesiam spoliabunt temporalibus. *Secundò*, multi occidentur, & eorum monasteria destruentur ab *antichristo orientali* & ab ejus discipulis & ab excæcatis *Judæis*. *Tertiò*, in multis partibus à *Tartaris*, *Saracenis* & *Turcis*. *Quartò*, ab *antichristo occidentali*, quem voco *Neronem*, bestiam scilicet ascendentem de mari, & ab ejus pseudo-prophetâ Apoc. 13. bicornuta ascendens de terris vocatur. *Quintò*, à fame horribili futurâ, ut suprà memoravi. *Sextò*, à pestilentiis variis, in *quintâ intentione* superius memoratis. *Septimò*, multi corrigentur cum canonum severitate à *reparatore* superius expresso; quoniam eorum excessus non corrigetur nisi per excessus: ab eo enim & ab istis plagis multæ religiones divites reducentur ad nihilum; & omnes, nullâ exceptâ, multum affligentur.

Intentio decima quarta in afflictione religiosorum *mendicorum* & incredibili destructione eorum; quoniam isti concutientur omnibus modis quibus & divites percutientur, ut *in intentione* supradictâ proximâ; & præcipuè præcidentur à *Nerone* prædicto, ab Imperatore scilicet hæretico futuro infra breve, & à bestiâ ascendente de mari: & eorum monasteria jacebunt prostrata pariter & destructa, & probabunt *mendici* quantum eis prosunt superflua in altari *Catharina* de sanguine † pictorum. Et transgressores ordinis *fratrum minorum* sunt in causâ quòd omnes præfatæ tribulationes infundentur in orbem, sicut expressè Deus dixit beato *Francisco*, sicut in *Legenda* veteri continetur expressè; quoniam Deus dixit beato *Francisco*, quòd si *fratres*, filii sui, permanerent in observantia *regula*, (sicut inceperant) ostensæ à beato *Francisco*, instantes tribulationes non venirent: ideo de hac tribulatione benedicens in morte *fratres*, sicut 14. cap. vitæ suæ dicit per spiritum prophetiæ, & quando futura tentatio à tribulatione appropinquat, fideles qui perseverabunt in his quæ cœperunt liberabuntur, quoniam propter peccatum transgressionis Regulæ permisit Deus scandalum impugnationis Evangelicæ paupertatis per *prædicatores* contra *fratres minores*, & minores succumbere per fugam *Michaelis* ab astutia *fratrum prædicatorum*, & sicut Deus dixit beato *Francisco*, sicut dicitur in lib. 12. sociorum ejus, qui *Legenda vetus* dicitur, quia fratres in futurum relinquent observantiam Regulæ, cum essent toti dissolutioni & voluptatibus dediti, relaxaret Deus dæmonibus potestatem ut mutarent cor populi contra eos, donec fugarentur de medio populi ad deserta, pluribus ac variis injuriis & detractionibus lacerati (liberabuntur enim miraculosè quidam ex eis meliores & minus mali, qui nituntur & desiderant *Regulam* observare ad punctum) & in fame futurâ inter annum Domini M. CCC. LX. & LXV. affligentur mendici.

Et nisi Deus Ordini *fratrum minorum* providisset de præfato *reparatore*, qui eorum ordinem funditus reformabit, sicut cæteri, remanerent deserti: sed precibus B. *Francisci* & sanctorum *fratrum*, post tribulationem reparabitur Ordo & dilatabitur per universum mundum, sicut stellæ cœli quæ præ multitudine numerari non possunt: sed non in superbiâ habituum & ædificiorum, nec in avaritia & cæteris laxationibus hodiernis; sed in modo vivendi *Christi* & Apostolorum & B. *Francisci* & sociorum ejusdem.

Intentio decima quinta est in futurâ percussione urbium solennium diversarum in mundo. Mihi quidem, charissime *frater Petre*, infra annum immediatè præteritum, licèt indigno, ter ostendit Dominus quòd vestra solennis villa *Aureliaci*, quæ multum, ut audio, fortitudine lapidum novæ clausuræ confidit, in futurum concutietur; & rogo Omnipotentem Deum ne fiat cibus ignis & ne reducatur in calcem: timendum est enim, quòd quia exemplo *Ninive* non pœnituit, prout domino terræ scripsi, domino scilicet abbati, anno præterito, & pauperibus terræ non satisfecit ut debuit, irascatur eis Deus, ut ostendat quòd non est murus lapideus qui suæ iræ resistat. Monasterium quidem vestrum, *fratrum* scilicet *minorum*, quod tam amœnum est in villâ prædictâ, infra paucum temporis vobis relinquetur desertum: cujus desertionem Dominus mihi pluries revelavit, ut discant *fratres* humilibus consentire: & hæc pro certo vobis evenient, tam villæ quàm monasterio, nisi hoc digni fructus pœnitentiæ impediant: quod tamen non facient, prout firmiter puto; & valdè contristor quod de villâ vestrâ & conventu vestro prædictum est: & intelligatis de aliis villis, & vicinis vestris pluribus provinciæ vestræ & aliarum provinciarum per orbem; quia plurimæ civitates solennes graviter opprimentur in tribulatione propinquâ.

Primò

Primò per horribiles terræmotus, quales non fuerunt ab origine mundi; qui erunt inter annum Domini M. CCC. LX. & LXV. quorum imago præcessit hoc anno in festo S. *Lucæ*, in *Alamaniâ*, in illa famosâ Imperiali civitate *Basileæ*, quæ concussâ est inaudito terræmotu; quæ per 10 horas funditus corruit, universis habitatoribus interfectis; quoniam erumpens miraculosus ignis de visceribus terræ per triduum in typum ignis infernalis, reduxit eam in calcem exemplo antiquarum *Sodomæ & Gomorrhæ*, & 75. castris circumquaque destructis; & sacerdos dignus fide, qui vidit oculis suis, hæc nobis omnia prædicta narravit: sed quia de præfatis terræmotibus in multis libris meis plura inserui, sileamus de ipsis donec convenientius in Chronicis scribantur. *Secundò*, multæ solennes civitates peribunt per distentiones bellorum, tam interiorum quàm exteriorum, potissimè in *Italiâ* in singularitate .... est tenenda suprà quàm credi possit: signanter *Roma* valdè concutietur tempore *Neronis* Imperatoris hæretici memorati: *Florentia* valdè imminuetur, & eam expectat formidanda vindicta: cultus Libyæ ..... per ... devastabit omnino: *Sena* & *Pisa* iræ Dei percutientis malleum verissimè non evadent; nec *Lucani* tenebras timendi horroris; & *Aretium* non ridebit de plagis vicinarum, sed luet; & *Lumbardia* tota funditus evertetur; & tyrannia *Mediolani* desinet; & *Genua* hostium tribulationes incurret, sicut ostendit mihi Dominus. *Turci* cum lignis futuris *Venetias* polluent & eis non spernendum prælium intentabunt; & *Marchia* certissimè prælio confundetur; *Anconitana Marchia* cum *Ducatu Spoleto* & *Patrimonio* tam à tyrannis quàm ab Imperatore futuro hæretico rapientur: & utinam vellet Deus ne supervenientibus infidelibus Ecclesiæ patrimonia premerentur; *Campania* cum toto regno *Siciliæ* punietur; &, nisi Deus sententiam mutat, anno Domini M. CCC. LXV. in Regali civitate *Neapolitana* super Regem timenda novitas inducetur. *Tertiò*, gravissimè affligetur mundus tempore prædicationis duorum præfatorum *prophetarum* sacristarum, aliàs sanctissimorum, mittendorum in brevi contra dictum Imperatorem futurum hæreticum; quos dixi fore duos *fratres minores Cordelatos* abjectos ad literam, juxta regulam repetitam satis: cum enim facta fuerit per bestias futuras de mari ac de terrâ, solennis apostasia à fide citra annum Domini M. CCC. LXX. & multo citius; quia annus Domini M. CCC. LXII. non longè est à principio rerum

Præfati duo *prophetæ*, testes Agni, affligent orbem infidelem omni plagâ, quotiescunque voluerint; quia erunt homines austeri, suprà quàm credi potest; & variis plagis affligent infideles, sicut *Apocal.* 11. dicitur: inhabitantes terram gaudebunt de morte eorum & munera mittent invicem; quoniam hi duo *prophetæ* sunt qui cruciaverunt eos qui inhabitant terram. Plagæ autem exprimuntur in textu; clausio cœli, ut non pluat; conversio aquarum in sanguinem; evomitio ignis ex ore; percussio terræ omni plagâ quotiescunque voluerint, quæ omne genus tormentorum includit.

Intentio decima sexta est in remediis totius tribulationis instantis: Salvator etenim noster *Jesus Christus* in Evangelio *Matt.* cap. 24. dat remedia plurima: *primum remedium*, Videte ne seducamini, &, Nemo vos seducat; & hoc remedium fit per prævisionem periculorum superius descriptorum; quoniam qui primo informati fuerint, virilius erroribus resistent; maximè cum sciant tempus & certas quotas annorum; & quòd tribulatio *Neronis* & *antichristi* non durabit nisi duntaxat per tres annos & semis; & quòd consequenter est integra Ecclesia reparanda. *Secundum remedium* dat ibidem, dicens, *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes*; & confirmatur Ezechielis cap. 7. ubi dicitur, *Salvabuntur qui fugerint ex eis, & erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua.* Et quia suprà dictum est quòd tribulatio durabit per XV. annos immediatè post annum Domini M. CCC. LX. jam est certa regula data quòd ad totidem fit provisum in cavernis montium, de fabis, leguminibus, melle ac carnibus salsis & fructibus siccis provisio facienda: beatus autem qui eam faceret ad 10. annos, usque ad annum Domini M. CCC. LXX. ut sic omnes tribulationes tutè transirent. *Tertium remedium* est considerare signa quæ *Christus* dat ibidem; scilicet, terribiles terræmotus, qui fuerunt hoc anno in *Alamaniâ*, *Burgundiâ* & *Hispaniâ*; quia in *Hispaniâ* periit in Regno *Portugalliæ* maxima pars civitatis *Ulissiponæ*, palatium Regale & Ecclesia cathedralis, & interiit ibidem populi maxima multitudo, ac maxima pars civitatis *Hispalensis* in regno *Castellæ*; & in *Vasconiâ* concussa est *Baiona*; ac inspicere docet *Christus* concussiones regnorum, ac casus Regum & concussiones plurium civitatum; quæ omnia videmus contra nos: videmus regnum *Scotorum*, *Francorum*, *Hispanorum*, *Neapolitanorum*, *Longobardorum* & omnium *Italorum*; & sic de aliis: & ferè nil aliud nisi sanguis auditur cum bellis & pressuris terrarum & dejectionibus Regum. *Quartum remedium* Domini est, ut tempore prædicationis errorum, & operationis falsorum signorum, nullus velit videre

videre vel audire discipulos *antichristi*; nec fraudulentas operationes eorum & prædicationes: horum enim remedium docet *Christus* Luc. 17. dicens, *dicent vobis, Ecce hic & Ecce ibi, nolite ire nec sectemini*: quoniam supra omnem æstimationem humanam dæmones potestatem habebunt ut seducant mundum in falsis verbis & mendacibus signis, ita ut in errorem mittentur, si fieri posset, & Electi, sicut *Matt.* 24. dicit Dominus *Jesus Christus*: & ideo tutissimum remedium est fuga. *Quintum remedium* est diligenter addiscere, & cum intellectu scrutari scripturas propheticas quæ sunt de omnibus prædictis; quoniam multum roborant animum *Christianum* in fide Catholicâ, & viriliter errori resistunt & proditionem falsorum prophetarum impugnant. *Sextum remedium* est orare ferventer & dignos fructus pœnitentiæ facere, & pravam vitam relinquere, & eleemosynis erogandis & operibus pietatis vacare, sicut *Christus* manifestè docet, *Vigilate in illo tempore & orate. Septimum remedium* est desiderare & ferventer postulare reparationem orbis collapsi, extirpationem vitiorum, plantationem virtutum ac conversionem universi populi infidelis, & reductionem collapsorum clericorum ad modum vivendi *Christi* & Apostolorum & aliorum sanctorum: tales enim evadent, sicut expressè habetur *Ezechielis* 9. cap. ubi dicit Deus viro, *Signa Thau super frontes virorum gementium ac dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in civitate*: nam ibidem præcipit Dominus interfectoribus, ne tangant signatos memoratos. Est autem aliud advertendum, quòd omnes incorrigibiles & indurati in mortalibus criminibus, qui redire contemnunt ad innocentiam quam nos docet lex *Christi*, quantumcunque muniti locis tutissimis, in hac tribulatione peribunt, & si non per gladium ferreum, morientur cladibus variis pestilentiarum, perditionum, terræmotuum atque famis, sicut *Jerem.* 15. manifestè habetur, *Et dixit Dominus ad me, si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum; ejice illos à facie meâ & egrediantur: Quod si dixerint ad te, Quo egrediemur? dices ad illos, Hæc dicit Dominus Deus, Qui ad mortem, ad mortem; & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem; & qui ad captivitatem, ad captivitatem. Et hoc quidem Ezechielis* 14. *dicitur manifeste, si fuerint isti tres viri, Noe, Daniel & Job coram me, ipsi animas suas liberabunt, sed filios & filias non liberabunt.*

Intentio decima septima est intellectum occulti modi inire revelationis per quam *proximus antichristus* mentaliter excæcabit sectatores suos, ut firmiter ipsum sine omni hæsitatione credent esse verum *Messiam*, in Lege & Prophetis promissum; quoniam (sicut sancta *Hildegardis* prophetissa, contemporanea S. *Bernardi Clarevallensis* & ejus amica, in suis libris scripsit ex ore Dei; cujus libros canonizavit *Eugenius* Papa in Concilio *Trevirensi*) *Lucifer* in mente sua recondit quædam ab initio sui casûs, quæ nulli homini revelavit, & ipsa aperiet *antichristo*, & scribet ea in chartulis & imponet in fronte adhærentium sibi aut in manu. Et quicunque illa verba super se portaverit, de *antichristo* & ejus lege, minimè dubitabit, sed firmiter ipsum verum credet esse *Messiam*, & *Jesum Christum* fuisse seductorem: & illa *scriptura* * in grammatica Apocalypsis 13. 14, 15. *character bestiæ* appellatur: & propter hoc dicitur in præfatis capitulis, omnes debere cavere à receptione illius *Luciferana scriptura*; quoniam siquis pusillanimus timore mortis illam *scripturam* recipiat, cogitans apud se evadere, & in corde suo non credere *antichristo* præfato, decipietur omnino; quia virtute illius *scriptura*, justo Deo permittente, irruet mortaliter in cæcitatem erroris & damnabitur in æternum; sicut in Apocal. cap. 14. *Tertius angelus clamat, dicens, siquis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem bestiæ in fronte sua aut in manu suâ, hic bibet de vino iræ Dei quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum & ante conspectum Agni, & fumus tormentorum suorum ascendet in secula seculorum; nec habebunt requiem die aut nocte, qui adorabunt bestiam aut imaginem ejus, & siquis acceperit characterem nominis ejus. Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei & fidem Jesu.* In illa enim *scripturâ* continebitur nomen unum competens Deo soli, quod sibi appropriabit fallaciter *antichristus* in blasphemiam Dei; sicut ad honorem Dei *Aaron* nomen Dei *tetragrammaton* sculptum in lamina sacri indumenti portabat in fronte: in quo nomine puto contineri numerum DC. LX. VI. Apocal. 13. ubi dicitur quòd intellectus illarum rerum est sapientia magna; & non est in mundo qui sciat aut sciverit illud nomen præter ipsum.

* fort. ænigmatica.

Nec Deus illud revelavit prophetissæ prædictæ; quia primò omnium illud per *Luciferum* revelabitur *antichristo*; cognoscetur autem illud non per computationem numeri illarum literarum: cavere igitur ab illo nomine, sicut ibidem dicitur, est sapientia maxima, & hæc scire est de majoribus hujus mundi scientiis.

Intentio decima octava est in revelatione præmii magni quod habebunt omnes illi qui citius morientur quàm recipiant memoratam *scripturam*: quoniam qui pro *Christo* patientur martyrium, nolendo adorare bestiam & imaginem ejus, nec recipere characterem memoratum, omnes resurgent in die interfectionis *bestiarum duarum* Apocal 19. & *ligationis draconis* ad M. annos cap. 20. & per *Christum* in corpore & animâ transferentur in cœlum, nunquam amplius morituri: ita dicitur clarè ad literam Apocal. cap. 20. *Et vidi sedes & sederunt super eas & judicium datum est illis; & vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu & propter verbum Dei; & qui non adoraverunt bestiam neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis, & steterunt super pedes suos & vixerunt & regnaverunt cum Christo M. annis. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus qui habet partem in Resurrectione prima: in his enim secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi ejus, & regnabunt cum illo M. annis.* Hic igitur prima ista resurrectio est futura in proximo, in die mortis *antichristi propinqui*: & tota litera de corporali resurrectione martyrum *Christi* sub *antichristo* literaliter accipienda est, quia ad literam per M. annos ad minus resurgent, & in corpore & anima ad cœlum ascendent & cum *Christo* regnabunt antequam cæteri mortuorum in generali resurrectione resurgent. Nec ex hac litera sciri possunt certitudinaliter annus & dies finis mundi & Judicii generalis; quia litera non dicit quòd ab una ad alteram sunt M. anni locandi; sed dicit, *Cæteri mortuorum non vixerunt* (sc. in Resurrectione generali) *donec consummentur M. anni*, quos oportet currere ad literam; post quos in anno & die, noto soli Deo, veniet ad Judicium generale. Solum igitur hoc privilegium deberet movere omnes fideles, ad ferventer suscipiendum martyrium pro *Christo*, sub proximo reprobo *antichristo*.

Intentio decima nona est in revelatione *millennaria* pacis propinquæ & pacificatione orbis tam tribulati: firmiter ergo teneatis & nullatenus dubitetis, charissime frater *Petre*, ordinem habere sicut textus Apocal. (qui non potest mentiri) ponit: ponit enim *duas* proximas *bestias* in stagno ignis puniri, & continuando ponit immediatè puniri *draconem*, qui seduxit præfatas *bestias* in cap. 20. in stagno ignis, & in puteo abyssi claudi M. annis; post quos exibit, ut adducat *Gog* & *Magog* de montibus *Caspiis*; sed secundum textum, *de 4. angulis terræ*, ad subvertendum orbem: ex quo ordine literæ clarè potestis comprehendere, quòd *duæ bestiæ* nondum sunt experientiâ in stagno ignis clausæ: igitur cum *draco* qui eas seducet, adhuc punitus est clausus in puteo ad M. annos, ne seducat amplius gentes, donec consummentur M. anni à suâ clausione; sed claudetur quia seducet *bestias* in die mortis *duarum bestiarum* in puteum, ne in illis M. annis futuris immediatè post mortem *bestiarum* & suam ligationem, seducat amplius gentes donec mille anni decurrant.

En dignum iterum tali *prophetastro* scribam obscurum!

Quibus visis, videtis clarè in die mortis *antichristi* ista fieri per ordinem ad textum: *primò Christum* interfectorem *duarum bestiarum* Apocal. 19. super equum album, cum exercitibus cœli, advenientem de cœlis: *Secundò* interfici *bestias* supradictas & *draconem* vivum in stagnum infernale concludi. *Tertiò*, apparere angelum fortem de cœlis cum magna catenâ in manu: *Quartò*, Satanam incarcerari ad mille annos duntaxat: *Quintò*, in mille annis consequenter futuris pacificari orbem; cum ad hoc clauditur *Satanas* in puteum, ne seducat amplius gentes, donec consummentur præfati M. anni: *Sextò*, resurgere eadem die martyres qui sub *antichristo* morientur pro *Christo*: *Septimò*, incipiet eadem die conversio populi excæcati *Judæorum* & orbis, & conversio cunctorum infidelium, & illuminatio mundi: *Octavò*, præfata dies erit ita clara ut exinde possint scire fideles annum adventûs *Gog* & *Magog*, vel prope; quia cum consummati fuerint M. à præfato die, solvetur *Satanas* de carcere suo, & seducet gentes quæ sunt super 4. angulos terræ, *Gog* & *Magog* adducet, &c.

Istæ sunt infallibiles claves futurorum ad finem orbis vel propè: propter quod scitote quòd præfatus *reparator*, ad orbis pacificationem, constituet nova decreta contra omnia vitia, non modicùm dura hoc suo tempore, secundum *Hildegardis* vaticinium, ad fovendam pacem *millennariam*; ut quicunque arma bellica præsumpserit, cum eisdem occidatur sine dispensatione quacunque. Illa die verificabuntur scripturæ *Isaiæ*, & *Michææ*, dicentes, *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*; Spiritus Sanctus solenniter, ut in Apostolos, effundetur; reserabuntur arcana Scripturarum, & dabitur spiritus prophetiæ, & Ecclesia tota indicibili sanctitate fulgebit; evanescent vitia in populo, & notabiliter honestas vigebit nunc sub proximâ orbis conversione de fæcibus seductorum induratorum, qui modò fugabuntur ad orbis latera, mansuri in 4. mundi lateribus per dictos M. annos, prænominati *Gog* & *Magog* conflabuntur pro certo. Erunt tamen aliqua bella per quædam loca, fames & clades; sed subitò cessabunt

bunt. Cum verò à præfatâ die mortis *antichristi* septingenti anni transiverint, quod erit quando mundus computabitur à *Christo* 2. M. annorum, vel circa, incipiet sanctitas declinare, & hodiernæ luxuriationes sive elationes concrescere, tam in populo quàm in clero, & etiam in religiosis; & pro peccatis concrescentibus fiet notabilis apostasia Ecclesiarum à *Romana* Ecclesiâ, donec *Gog* veniat à præfatâ die mortis *antichristi* M. annis completis; quod non multum distabit à tempore in quo *antichristo* computabit mundus annos 2. sc. M. CCC. LXV. vel circa. Quantum potest celebri gyraci vertigo.

Post *Gog* verò & *Magog*, seu sub eis veniet *ultimus antichristus*, & de paradiso terrestri contra eum occurrent *Enoch* & *Elias*, & signa finis seculi apparebunt quando velit Deus Rector orbis.

Intentio vigesima finalis est intellectus in probatione terminorum & superius taxatorum annorum; quia competit brevitati præsenti extensio anni Domini M. CCC. LXVI. circa quem, tam citra quàm post, tot stupenda evenient: accipitur à libro *Danielis*, à cap. 12. ubi angelus dicit, *A tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio desolationis, dies M. CC. LXXXX.* Ad cujus numeri verum intellectum, oportet vos scire quod *Christus* Marci. cap. 13. loquitur de adventu antichristi, solvens quæstionem discipulorum (in principio ejusdem scilicet) dicentium *Christo, Dic nobis, quando hac erunt? & quid signum* * *Adventûs tui,* &c. revelando tempus quæsitum, remittit ad *Danielem*, dicens, *Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele prophetâ, stantem in loco sancto* (*qui legit, intelligat*) *tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes*, &c. voluit dicere illa verba *Danielis*, viz. *Cum ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio desolationis*: ille est *terminus à quo* iste numerus computatur, ut expressè docetur in eodem libro *Danielis* cap. 9. ubi sic dicitur, *Occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.*

* alíter est in Textu.

Clarum est quòd hoc fuerit completum tricesimo anno ætatis *Christi*, vel circa, per *Judæos*: sequitur in *Daniele*, *& civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vastitas.*

Clarum est quòd populus iste & dux fuerint *Romani*, & hoc 42°. anno post passionem *Christi*, & 72. anno ab ejus nativitate, civitatem *Hierosolymam Christo* incredulam destruxerunt, & *Judaicum* populum vastaverunt, & Sanctuarium Domini funditus everterunt. Sequitur in *Daniele*, *Confirmabit autem* (sc. *Titus* & populus *Romanus*) *multis* Judæis *pactum hebdomadâ una* annorum, eis Templum non destructum relinquendi usque ad 7. annos; donec senatus *Romanus* definiisset quid faceret de Templo; licèt essent muri civitatis destructi: sequitur, *Et in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium* Veteris Testamenti, *& erit in Templo abominatio desolationis*; sicut ad literam fuit; quia *Judæi* contra pactum ad 7. annos inceperunt rebellare *Romanis*: quare post 3. annos & dimidium, qui sunt dimidium hebdomadis 7. annorum, *Romani* exercitum miserunt & Templum funditus destruxerunt: & sic *in medio hebdomadis defecit hostia & sacrificium* Veteris Testamenti; & sic est quod subditur, *Et erit abominatio desolationis in Templo*: & in hoc intellectu concordant omnes sacri doctores.

Et sic quasi infallibili demonstratione concluditur quòd verba cap. 12. ubi dicitur, [*A tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium & posita fuerit abominatio desolationis*] expressè sonant tempus destructionis *Hierusalem* & Templi, prout supra est dictum: à quo tempore necesse est in subjectum numerum computare: quo autem anno à *Christi* incarnatione, numerus ille M. CCC. X. finiat, si LXXV. annos à *Christi* ortu usque ad annum destructionis *Hierusalem* fluxerant. ponamus super illum numerum M. CC. XX. qui signant annos M. CCC. LXV. punctatim, tantum inde faciunt LXXV. & ita habetis tempus *Christianæ* tribulationis extractum de ipso sacro textu, ad quem *Christus* remittit suos discipulos ad sciendum tempora *antichristi propinqui*.

Confusa hic sunt omnia, exscriptoris partim vitio; partim verò ipsius *authoris* crassâ inscitia & judicio pravo.

Sed Templũ post destructionẽ civitatis duravit per 3. annos & semis, qui debent addi super prædictũ numerũ anni Domini M. CCC. LXV. & erunt anni Christi M. CCC. LXVIII. & semis. Et sic vides clarè quod citra annum Domini M. CCC. LXV. tribulatio incipiet vacuari, & orbis reparari. Annus autem Domini M. CCC. LX. ubi inchoatur, ad quinque annos eventûs horribilis extrahitur ab oraculo mihi per præcedentem revelationem transmisso, quæ incipit, *Connectat floris* * *ursi*: super quo edidi quartum tractatum primi *Ostensoris quòd adesse festinent tempora*; ad quem in hoc loco remitto: annus autem Domini M. CCC. LXII. intra quem terminum & diem XV. *Julii* fugiet *Romana curia* de hac *Avenione* peccatrice, extrahitur à venerabilibus prophetiis *Neapolitana* & *Beneventana*, ubi Deus docet octo annos computari ab igne terris prope accenso in capite anni Domini M. CCC. LIV. quintadecima die *Julii*, qui octo anni non complebuntur donec de *Avenione* fugiant Domini Cardinales.

* Quantum nobis negotii cum *astris* & *ursis*!

Hæc ideo scripsi, ut sciant omnes quòd non loquor futura, ut propheta, sed ut intellector, per lumen *Christi*, veritatis Spiritûs prophetalium scripturarum. Suscipite igitur, ad gloriam *Christi*, librunculum istum, ut vadat vobiscum in tribulationibus instantibus, ad aperiendum oculos mentis; ut possitis præcavere à malis tantis ac talibus tam proximis: quem, sicut omnes alios per me editos vel edendos, submitto correctioni Ecclesiæ sacrosanctæ *Romanæ*, ad gloriam *Christi*, & ejus matris semper Virginis, gloriosæ *Mariæ*, & omnium sanctorum Dei, & præcipuè † Seraphici vestri Patris, nostri *Francisci*, & ad consolationem simplicium Electorum. Amen.

† Superstitiosissimé.

Explicit librunculus iste intitulatus *Vade mecum in tribulationibus*.

De hoc homine vide Bzovii contin. ad Baron. ad A. D. 1357. & Waddingi Biblioth. Minorum.

PETRI DE ALLIACO, CARDINALIS *Cameracensis*, *Recommendatio Sacræ Scripturæ*, in magisterio Theologiæ; unà cum ejusdem *Principio in cursum Bibliæ*, præsertim in Evangelium *Marci*; & *Quæstione vesperiarum, de potestate Ecclesiæ*; & *Quæstione de resumpta.*

Juxta editionem Parisiensem A. D. 1500. in fine commentar. super 1. 3. & 4. Sent.

Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Scriptum est *Matth.* 16.

MAgnus Ecclesiæ doctor *Augustinus* in libro *de Civitate Dei* duas describit civitates, duas signantes Ecclesias inter se diversas pariter & adversas: Una est civitas *Hierusalem*: alia est civitas *Babylon*. Una civitas est Ecclesia Dei: alia civitas est Ecclesia diaboli. Una ecclesia bonorum, de qua dicit *Psal. Laus ejus in Ecclesia sanctorum*, Psal. 149. alia Ecclesia malorum, de quâ idem Propheta, *Odivi*, inquit, *Ecclesiam malignantium*, Psal. 25. Una est igitur supra Petram ædificata, quam Psalmista *David* admirans alloquitur, * *Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei: sicut audivimus, ita & vidimus* † *in Civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum:* Alia est super arenam fundata, quam idem Propheta videns abominatur. *Vidi*, inquit, *iniquitatem & contradictionem in civitate.* Et iterum, *Super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia, & non deficiunt de plateis ejus usura & dolus.*

* Psal. 48. 8.
† In civitate Domini virtutum, in civ--

Hæ sunt igitur civitates duæ; hæ sunt duæ Ecclesiæ sibi invicem adversariæ, & inter se plurimum contrariæ, quarum unam regit diabolus, aliam regit Christus. Unam diabolus ædificat super instabilem arenam: aliam Christus ædificat super stabilem petram, de ea dicens præmissam pro themate sententiam, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sed investigandum nobis est quæ sit hæc petra super quam ædificanda erat Christi Ecclesia, & adversus Ecclesiam diaboli confirmanda. Ubi ex variis sanctorum dictis magna oritur prolixitas quæstionis. Nam beatus *Augustinus* quodam loco in libro *Contra epistolam Donati* de apostolo *Petro* dicit, quòd in illo tanquam in Petrâ fundata sit Ecclesia. Quem sensum in quibusdam versibus *Ambrosii* canimus, ubi de gallo & gallicantu ait, *Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam* * *delevit.* Eundem quoque sensum legimus in quodam sermone de *festo cathedræ sancti Petri*, &c.

* Amb. [diluit.]

Adversus quem sensum *Augustinus* in pluribus aliis passibus aliter exponit hunc Evangelii locum. Nam libro primo *de verbis Domini* ita inquit, *Quia enim Christus petra, Petrus Christianus, ideo Petrus à petra, non petra à Petro, sicut non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram (quam confessus es, & cognovisti, dicens tu es Christus filius Dei vivi) ædificabo Ecclesiam meam. Quasi dicat, super me ædificabo te, non me super te:* hæc ibi; Et his similia alibi super *Johannem* sermone 134. & in homiliâ quadam *de transfiguratione* Domini. Licet autem ipsemet *Augustinus* libro primo *Retract.* cap. 21. quæ harum duarum sententiarum probabilior sit, electioni lectoris reliquerit, non tamen videtur quòd in petrâ *Petrus*, sed in petrâ *Christus* sit intelligendus,

dus, de quo agit Apoſtolus, *Petra autem erat Chriſtus*, primâ ad *Corinthios* cap. 10. Quis enim in *Petri* infirmitate Eccleſiæ firmitatem ſtabiliat? de cujus infirmitate ancilla oſtiaria interrogata reſpondeat. Ad cujus vocem (ut Gregorius ait) dum mori timuit, vitam negavit. Cum ergo vacillaverit *Petrus*, nec firmus fundatus ſit *Petri* vicarius, cumque jam diſcrepent de ſummo *Petri* ſacerdotio Pontifices, & litigent de ſummo Pontificio ſacerdotes, quis affirmare præſumat quempiam, quantalibet ſanctitate, aut dignitate fulgentem, ſive ſacerdotem, ſive Pontificem, ſive *Petrum*, ſive *Petri* vicarium, aut quemvis alium præter *Chriſtum* eſſe *Chriſtianæ* Eccleſiæ fundamentum? Cùm econtra dicat Apoſtolus, quia fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt *Chriſtus Jeſus*, primâ Corinth. 3. Sed ut ea quæ præmiſimus ad concordiam reducamus, ita concedamus *Chriſtum* eſſe Eccleſiæ fundamentum principale, ut non negemus ſuper ipſum plura fundamenta ædificari poſſe. Sic enim Apoc. 21. murus civitatis illius (per quam intelligitur Eccleſia) *duodecim* dicitur habere *fundamenta*. *Chriſtus* itaque ſuper ſeipſum tanquam ſuper ſolidiſſimum fundamentum, Eccleſiam ſuam adverſus Eccleſiam diaboli firmiter ſtabilivit; & ſuper hanc firmam petram *Petrum* ſtabiliter firmavit; de eo dicens præmiſſam ſententiam, *Super hanc*, &c. Sed ſalvâ omnino *Chriſti* Salvatoris ſententiâ, ſive in petrâ *Petrum*, ſive in petrâ *Chriſtum*, ſecundum literalem ſenſum intelligere valeamus; tamen ſecundum ſpiritualem intellectum, per hanc petram divinam Scripturam, & ſacram *Chriſti* doctrinam ſignare poſſumus: Quæ tam firmæ ſoliditatis, & ſolidæ firmitatis exiſtit, ut non immeritò ſuper eam *Chriſti* Eccleſia fundata ſit. Quid namque firmius? quid ſolidius quàm ſacra eloquia, quàm divina teſtimonia à *Chriſto* in æternum fundata? Sic enim *Chriſtum* alloquitur propheta: *Initio*, inquit, *cognovi de teſtimoniis tuis quia in æternum fundaſti ea.* Quotquot ergo ſunt *Chriſti* eloquia, quot *Chriſtianæ* doctrinæ teſtimonia, tot dici poſſunt *Chriſtianæ* Eccleſiæ fundamenta. Sacra igitur Scriptura *Chriſti* teſtimoniis in æternum fundata, ſpiritualiter intelligi poteſt illa firma petra ſupra quam ædificata eſt Eccleſia: Super cujus firmitatem petræ *Chriſtus Petri* infirmitatem timentem prius ac trementem, poſtea ſolidâ perſeverantiâ roboravit, & Eccleſiam ſuam contra omnem Eccleſiæ diaboli perſecutionem invictâ conſtantiâ ſolidavit, de ea dicens: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* Quæ fuerunt verba primò propoſita veſtris reverentiis ſæpius repetita. Ad quorum declarationem verborum, omiſſis diviſionum * rychmis, ſtilum patrum, ut poſſumus, inſequentes, oſtendamus qualiter ſuper Scripturam Sacram, tanquam ſuper firmam petram, *Chriſtus* ſuam ædificavit Eccleſiam.

* fort. rhegmis.

Sciendum itaque quòd in quolibet ædificio rationabiliter ordinato, *primò* præcedit fundatio; *ſecundò* procedit ædificatio; *tertiò* ſuccedit conſummatio. Hoc igitur modo ordinatiſſimus omnium artifex *Chriſtus* ſuper Scripturæ Sacræ petram, Eccleſiam ſuam ædificavit. *Primò* namque fundamentum jecit [*ſuper hanc petram.*] *Secundò* incrementum adjecit, [Ædificabo] inquit. *Tertiò* complementum fecit [Eccleſiam meam.] *Primò* igitur inquiramus hujus ædificii fundamentum. [*Super hanc petram.*] *Secundò*, videamus hujus ædificii incrementum, [Ædificabo] inquit. *Tertiò*, proſpiciamus hujus ædificii complementum [Eccleſiam meam] ſic enim ſatis, ut arbitror, declarabimus præmiſſam pro themate ſententiam, *Super hanc petram, &c.* *Inprimis* ergo inquiramus Eccleſiaſtici ædificii fundamentum, *Super hanc petram.* Hæc namque *petra* ſuper quam fundatur Eccleſia (ut jam præmiſimus) ſacra poteſt intelligi Scriptura, ſive verbi *Chriſti* veritas in æternum fundata, de qua, Chriſtum alloquendo, dicebat Propheta * *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo; in generationem & generationem veritas tua.* Conſpicite igitur orthodoxæ Eccleſiæ fundamentum: videte mirabile myſterium: nulla enim domus eſt quæ non habeat ſua fundamenta deorſum, ſurſumque tendunt parietes, deſuper tecta ponuntur; ſola autem Eccleſia ſuum fundamentum ſurſum habet, & dum ipſa deorſum in terra manet, veritas illa ſuper quam fundata eſt, ſurſum in cœlo in æternum permanet. Sic tamen veritas in cœlo permanſit quòd etiam deorſum ad terram deſcendit, & juxta ſapientis dictum, *de cœlo à regalibus ſedibus venit*; immò ut Propheta dicit †, *Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit*: Habet igitur Eccleſia veritatis fundamentum, & in cœlo ſurſum, & in terra deorſum. Sed ubi deorſum? Sanè non in ſordibus terrenis, ſed in ſublimibus locis; quia, teſte Prophetâ, * *Fundamenta ejus in montibus ſanctis.* Non enim credendum eſt ſupervacuum eſſe in verbis iſtis quod dicitur *in montibus ſanctis.* Adhibeamus ergo mentem, ut hujus dicti valeamus accipere rationem; & quid montes iſti ſibi velint, audiamus. Mons itaque juſtitiæ magnitudinem & veritatis altitudinem ſignat: in quo monte *Chriſtus* habitat, ibique Eccleſiæ ſuæ fundamentum ſtabiliens ipſam Sacræ Scripturæ veritatem collocat.

* Pſal. 119. 89, 90.

† Pſal. 85. 11.

* Pſal. 87. 1.

Aſcendamus

Ascendamus igitur in montem ut inveniamus ipsum fundamentum Ecclesiæ, ipsam scilicet Sacræ Scripturæ veritatem. Sed *quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in monte sancto ejus?* Certè juxta responsum Prophetæ, † *Innocens manibus, & mundo corde.* Ascendant ergo innocentes, & mundi; quòd si fortè non omnes sumus hujusmodi, ut montem ascendere valeamus, omnes tamen levemus oculos in montem, & à pede usque in montis verticem, quantum possumus, videamus. Videamus itaque primitus in pede montis hujus; videamus ibi numerosam gentilium philosophorum multitudinem tantâ veritatis alacritate pollentem ut etiam ascendere nitatur in montem: Videamus ibi *Xenocratis* severitatem, *Diogenis* patientiam, *Catonis* pietatem, *Socratis* continentiam, qui tantam cordis & corporis narratur habuisse, ut sublimium ac beatorum spirituum contortium & familiaritatem adeptus sit. Hinc *Plato* ejusdem *Socratis* discipulus dicit, quòd ob egregiam vitam & castimoniam ab infantiâ neminem habuit comitem: siquidem pura puris, sincera sinceris misceri, atque contiguari fas est. Hinc *Apuleius Platonica* scholæ philosophus, de Deo *Socratis* librum scripsit. Videamus denique in hujus montis pede, qualiter hujusmodi philosophi catervatim sese comitantur, ut ascendant facilius, & ut currant velocius: alter alterius sequitur vestigia: *Plato Socratem* insequitur, *Aristoteles, Platonem*; *Lucilius, Senecam*: *Seneca* verò *Paulum* sequi cupiens post eum clamitat, dicens, O mi *Paule* charissime, optarem ejus esse loci apud meos qualis tu es apud *Christianos*. Verba sunt *Senecæ* * ad *Paulum* in Epistolâ 12. Currunt ergo velociter, currunt pariter; & tamen quia nec Sacræ Scripturæ, nec veritatis catholicæ viam tenent, in montem ascendere non valent. Nam ut quodam in loco de ipsis asserit *Augustinus, Bene currunt, sed tamen in via non currunt; ideo quanto plus currunt, tanto plus errant.* His itaque dimissis, in hunc modum currentibus atque errantibus, oculos mentis in montem erigamus sublimius, & videamus ibi antiquos patres veteris testamenti, patriarchas scilicet & prophetas currentes; siquidem & licèt non in viâ planâ, tamen sub umbrâ tenebrosá ascendentes in montem. Ibi ille patriarcharum maximus *Jacob*, qui scalam in cœlo tenus erectam, ascendentesque ac descendentes angelos, & innixum scalæ Dominum vidit: ibi ille familiarissimus Deo *Moyses*, qui legem colloquiumque Dei obtinere meruit: ibi *Helias* clarioribus portentis emicuit, & tandem ad cœlum flammante vehiculo raptus fuit: ibi denique Prophetæ singuli & tam præsagis visionibus illustrantur, ut procul absentia tanquam propinqua, & futura tanquam præsentia præloquantur, quos omnes singulatim numerare ipsa multitudo non sinit, ipsa quoque temporis brevitas non permittit. His igitur omissis, in montis verticem vertamus oculos, & videamus ibi eminentioris vitæ viros. Ibi namque ille inter natos mulierum maximus, *Johannes* sanctus ab utero, quem è summo cœli fastigio venturus ad terram *Christus*, ut luciferum sol præmisit, ad antra deserti sub ætate tenerâ fugit: ibi ipsemet Salvator, fons omnium salutarium exemplorum, in montem oraturus ascendit, tentantem adversarium vicit, turbas instruit, beatitudines distinguit, & in montis excelso transfiguratur; ubi super eum æterni Patris vox auditur: ibi *Petrus, Jacobus* & *Johannes* hanc transfigurationem vident & pavent, vocem audiunt & mirantur: & ut innumera sanctorum turba brevi sermone perstringatur, ibi evangelizant *Apostoli*, annunciant discipuli, triumphant *martyres*, exultant *confessores*, *doctores* prædicant, *sacerdotes* orant, psallunt *claustrales*, canunt *virgines*, ac *universi sanctorum Chori* illud *Psalmographi* personant, *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto ejus*, Psal. 98. Hic est ergo mons insignis, mons celebris, mons salutis, mons Dei, mons pinguis, in quo bene placitum est Domino habitare in eo. In cujus montis vertice *Christus* suum habitaculum prædisponens, ibi Ecclesiæ suæ fundamentum posuit, & in altissimo verticis cacumine Sacræ Scripturæ veritatem fundavit, ipsamet teste quæ ait, *Ego in altissimis habitavi*, Eccl. 24. Et hæc quantum ad primum articulum; in quo inquirere volebamus Ecclesiastici ædificii fundamentum.

Sed ulterius videamus Ecclesiastici ædificii incrementum, *Ædificabo*, inquit: *Christus* namque Dei virtus, & Dei sapientia, Ecclesiæ suæ domum quam æternâ mente concepit, super Sacræ Scripturæ fundamentum temporali ædificatione complevit: implevitque illud quod dictum erat per sapientem, *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem*, Prov. 9. Habet siquidem domus ista, catholica scilicet Ecclesia, non solùm septem columnas, sed & singulas partes suas super Sacræ Scripturæ veritatem fundatas; habet *lapides* habet *cementum*, habet *parietes*, habet *murum*, habet *fenestras*, habet *ostium*, postremò habet *columnas*, & desuper habet *tectum*. Hæc autem omnia plena sunt mysteriis, & abundant spiritualibus documentis: Habet namque Ecclesia suos *lapides*, singulos sc. *Christianos* & fideles per fidei stabilitatem quadros, per patientiæ virtutem firmos, per exercitationem politos, per immobilitatem stabilitos. Habet *cementum* per fidei

† Psal. 24. 4.

* Credidit Alliacensis Epistolas Pauli & Senecæ fuisse genuinas.

fidei unitatem: per quam dum fideles concordi glutino connectuntur, lapides in Dei ædificio copulantur. Habet *parietes* veros religiosos & spirituales, à terrenis elevatos, à cœlestibus non remotos, à transitoriis ad æterna erectos, à corporalibus ad spiritualia sublimatos: habet *murum* inexpugnabilem spei virtutem, per quam, dum æterna præmia proponuntur, temporalia quæque & adversantia mala facilè repelluntur: habet *fenestras* viros speculativos, prædicatores & doctores, per quos veri solis radio illustramur, & à cæcitate ignorantiæ liberamur. Habet *ostium* divini eloquii veritatem, quæ dum in sensus varios vertitur, cœlestis secreti cognitio, & occulti consilii nobis illustratio aperitur.

Postremò habet *columnas* viros activos, pastores & rectores; per quos in *Christi* ædificio sustentamur & firmitate constantiæ solidamur. Qui ideo *septem columnæ* dicuntur, quia per septem virtutes, tanquam septem bases fundantur, per septem beatitudines elevantur, per septem Spiritûs Sancti dona firmantur, & per septem *Christi* sacramenta stabiliter roborantur. Denique habet Ecclesia super has *septem columnas tectum* suum; ipsam sc. Dei & proximi charitatem, quæ dum veram dilectionem operatur, totam legem complectitur, quoniam, ipso legislatore teste, in hoc universa lex pendet & Prophetæ, *Matth.* 22. Audistis igitur qualiter ex diversis partibus domum suam ædificat *Christus*: sed audite rursus qualiter ad ædificandum cum *Christo* hortatur Apostolus; *Dei*, inquit, *adjutores sumus*: Unusquisque ergo videat quomodo, & quæ superædificet; quoniam *unusquisque propriam mercedem secundum suum laborem accipiet*, 1 Cor. 3.

Ad hanc itaque vocem ad operam excitatur universus sanctorum cœtus, & cum *Christo* ædificant omnes; sed pro statuum qualitate; alii plus, alii minus. Alii namque *lapides* parant; alii *cementum* præparant; alii *parietes* sustentant; alii *murum* corroborant; alii *fenestras* aperiunt; alii *ostium* custodiunt; alii *columnas* erigunt; alii *tectum* superponunt: si ergo sancti, cum *Christo* ædificant Ecclesiam, sed frustra laborant qui sine *Christo* ædificare satagunt domum suam; quia juxta Prophetæ sententiam, * *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Sed audite insuper, quæso, qualiter * Ps. 127. 1.
super Sacræ Scripturæ fundamento tota hæc domus ædificatur, & instruitur omnis Ecclesiæ cœtus, omnis status, omnis gradus, omnis sexus. Nam ut beati *Augustini* paulo minus verba sequar, lib. *de moribus Ecclesiæ*, cap. 32. Ipsa pueriliter pueros, fortiter juvenes, quietè senes, piè mulieres exercet, corrigit, docet & instruit. Ipsa fœminas viris suis pro rei familiaris societate, casta & fideli obedientiâ subjicit, & viros conjugibus sinceri amoris legibus præficit. Ipsa parentibus filios liberâ quadam servitute submittit, & parentes filiis piâ dilectione præponit. Ipsa dominis servos non tam conditionis necessitate quàm officii dilectione adhærere constringit, & dominos servis unius summi Dei, & communis Domini consideratione placabiles facit. Ipsa cives civibus, gentes gentibus, & prorsus homines omnes primorum parentum recordatione quadam fraternitate conjungit. Ipsa docet Reges proficere populis; monet populos se subdere legibus; docet quibus honor debeatur, quibus reverentia, quibus timor, quibus obedientia, quibus monitio, quibus doctrina, quibus coertio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus pœna: ostendens quemadmodum non omnibus omnia, sed omnibus charitas, & nulli debeatur injuria. Audistis ergo qualiter Sacra Scriptura Ecclesiam ædificat, & tanquam ejus solidum fundamentum ei incrementum præstat. Sed adhuc audite quid super hoc beatissimus *Augustinus* in quodam sermone de Sacræ Scripturæ laudibus dicat. *Ipsa*, inquit, *docet juvenes, provocat declinantes, revocat errantes, instruit ignorantes, sanat ægros, roborat infirmos, improbat pigros, increpat otiosos, somnolentos excitat, laborantes lætificat, Reges humiliat, humiles visitat, sapientiam erogat, rectam viam indicat, gratiam dat, gloriam multiplicat.* Et hæc quantum ad secundum articulum, in quo videre volebamus Ecclesiastici ædificii *incrementum*. Sed tandem prospiciamus Ecclesiastici ædificii *complementum*: [Ecclesiam meam] Ecclesia namque primitus parva fuit, quando scilicet *Christus* primò in ea fundamentum posuit; postea verò incrementum cepit, quando *Christus* eam domum ædificavit: sed postremò complementum accepit, quando *Christus* eam Civitatem constituit. Prius ergo super scripturam sacram ædificata Ecclesia, ut domus magna, posterius verò ædificata est, ut Civitas ampla. Sic enim de ea prædixerat prophetica veritas, *Hierusalem quæ ædificatur ut civitas*, scribitur in Psalmo 121. Sed audiamus qualiter huic Civitati *Hierusalem* insidiatur civitas *Babylon*, & Civitati Dei semper civitas diaboli pertinaciter adversatur. Harum ergo duarum civitatum videnda sunt certamina, numeranda bella, considerandi triumphi, pensandæ victoriæ. Igitur ut ab urbe condita, hoc est, à fundatione Civitatis Dei, & ab initio nascentis Ecclesiæ sumamus exordium, Ecce princeps mundi, dux inferni, actor scandali, pater mendacii, adversus Civitatem Dei erigit machinas, tendit insidias, parat bella, movet prælia: Et in prima belli acie ponit

ponit idololatras sacrilegos, plures deas atque deos in contemptum unius veri Dei colentes, ac per hoc contra veræ religionis cultum turpiter oberrantes; adversus quos pugnant Apostoli, pugnant martyres: Ex quibus alii arctantur vinculis & verberibus confringuntur: alii detruduntur carceribus & jejuniis macerantur: alii cæduntur fustibus, vel gladiis jugulantur: alii cremantur flammis, vel lapidibus obruuntur: alii ligantur laqueis, & scorpionibus flagellantur: alii suspenduntur patibulis, & tormentis variis perimuntur. Sed contra hæc tormentorum genera inter persecutiones diaboli & consolationes Dei pugnando vincit Ecclesia. Nam sicut dicit Scriptura, * *Sancti per fidem vicerunt regna*; Et, ut ait doctor veridicus *Augustinus* libro 18. *De civitate Dei*, c. 50. *Inter horrendas persecutiones, & varios cruciatus ac funera martyrum, prædicatum est toto orbe Evangelium; ita ut populi gentium credentes eum qui pro eorum redemptione crucifixus est, Christiano amore venerarentur sanguinem martyrum, quem diabolico furore fuderant; ipsique reges quorum legibus vastabatur Ecclesia, & Nomini salubriter subderentur, quod de terrâ crudeliter auferre conati sunt, & falsos deos inciperent persequi, quorum causâ cultores veri Dei fuerant antea persecuti.* Hæc *Augustinus*.

* Hebr. 11. 33.

Prospiciens itaque diabolicus ille princeps victam esse primam belli sui aciem, secundam parat, sc. hæreticorum cohortem, & ut verbis utar præmemorati Doctoris ejusdem libri cap. 51. Videns diabolus templa dæmonum deseri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit qui sub vocabulo *Christiano* doctrinæ resisterent *Christianæ*: Hi fuerunt *Manichæi, Arriani, Sabelliani, Pelagiani*, aliique innumeri, qui variis timoris stimulis, doloris tormentis, laboris molestiis, & tentationum periculis *Christi* Ecclesiam infestarunt, adversus quos doctores Catholici per scripturæ sacræ fidem victoriosissimè pugnaverunt: Sacrâ dicente Scripturâ, *hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*: 1 Joh. 5. Sed esto, victi sint & ad veritatis viam reducti hæretici, aut ad obedientiam schismatici (quod quando erit nescio, deus scit) nunquid ideo pax est Ecclesiæ Dei? nunquid ideo cessant persecutiones diaboli? Sanè qui hoc crediderit & falsâ sibi pace blanditur. Nam juxta præallegati Doctoris definitivam sententiam, non est definiendus numerus persecutionum quibus exerceri oportet Ecclesiam: quòd si fortè ab his quæ foris sunt non sævientibus videatur esse tranquillitas, tamen sævit mundus, fremit diabolus, & adversus Spiritum pugnat carnis stimulus; nec unquam desunt qui cordibus piè viventium suis perditis moribus inferant cruciatus: Propter quod Apostolica tuba sonat, & Christi fidelibus protestatur quòd *omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*, 2 Timoth. 3. Quamvis ergo pacem habere videretur Ecclesia, sive ab idololatris, sive ab hæreticis, sive à schismaticis; tamen continuè persecutionem patitur, & expugnatur ab iniquis, ipsamet dicente de seipsâ, *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea*, Psal. 128. Quod pulchrè declarans *Augustinus* super Psalmo prædicto *Aliquando*, inquit, *in solo Abel Ecclesia erat, & expugnatus est à fratre malo & perdito Cain; aliquando in solo Enoch Ecclesia erat, & translatus est ab iniquis: aliquando in solâ domo Noa Ecclesia erat, & pertulit eos qui diluvio perierunt, & sola Arca natavit in fluctibus, & evasit ad siccum: aliquando in solo Abraham Ecclesia erat, & quanta pertulerit ab iniquis novimus: aliquando in solo fratris sui Loth, & in domo ejus Ecclesia erat, & pertulit Sodomorum iniquitates, quousque eum Deus de medio eorum sustulit: aliquando cæpit esse in populo Israel Ecclesia, & pertulit Pharaonem & Ægyptios: Tandem ventum est ad dominum Jesum Christum: Prædicatum est Evangelium, & adhuc pertulerunt justi iniquos.* Hæc ille. Nemo ergo, cum jam senectus Ecclesiæ expugnatur, aut miretur aut timeat; sed cum de juventute Ecclesiæ hæc audiat, sese consoletur, & ex præteritis exemplis discat, quia etiamsi expugnari posset Ecclesia, nequit tamen penitus superari. *Sæpe*, inquit, *expugnaverunt me à juventute meâ, sed non potuerunt mihi*. Non possunt ergo Ecclesiam vincere ejus adversarii; quia qui fundavit eam Altissimus, qui ædificavit eam *Christus*, ipse est qui custodit Civitatem Dei, ipse est qui defendit eam adversus civitatem diaboli. Nam juxta prophetæ sententiam, *nisi Dominus ædificaverit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*. Custodit itaque civitatem suam Dominus. Sed cum eo custodiunt eam, & vigilant ad ejus custodiam sanctorum exercitus quos *Christus* excitat ad pugnam, & roborat ad victoriam, asserens & promittens taliter munire Ecclesiam suam, quòd *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Matth. 16. Portæ siquidem inferi vitia sunt mundi, quæ impugnare Ecclesiam satagunt, sed adversus eam prævalere non possunt; quia ipsa est civitas muris firmata, armis vallata, & velut castrorum acies ordinata, civitas invincibilis ab hostibus, insuperabilis à falsitatibus, inobliquabilis ab erroribus, civitas inter minas secura, inter pressuras fida, inter pugnas semper invicta: quæ (ut beatus *Hilarius* libro 7. de Trinitate dicit) *Dum opprimitur crescit, dum contemnitur proficit, & dum læditur vincit.* Sed quibus armis vincat Ecclesia quæso diligenter attendamus. Certè non in curribus, non

in

in equis, non multitudine exercitûs, non in pompâ regii apparatûs, sed lanceâ perseverantiæ, balistâ sapientiæ, loricâ justitiæ, galeâ spei, scuto fidei, & gladio Spiritûs quod est verbum Dei: per hæc igitur arma, hoc est, per divini eloquii verba defenditur Civitas Dei adversus civitatem diaboli, dicente Apostolo ad Ephes. 6. *Induite vos armaturâ Dei ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Per hæc arma vincuntur erronei, corriguntur hæretici, feriuntur schismatici, percutiuntur iniqui, percussi quassantur, quassati comminuuntur, comminuti in pulverem vertuntur, in pulverem conversi ad nihilum rediguntur. Quoniam, ut ait Apostolus, *vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs*; ad Hæbræos 4. Per hæc itaque arma, hoc est, per divini sermonis & Sacræ Scripturæ documenta, Ecclesia pugnando vincit, vincendo crescit, crescendo proficit, proficiendo *complementum* accipit. Hic scilicet per *gratiam*, & in futuro per *gloriam*: quam nobis concedat qui *supra petram suam ædificavit Ecclesiam* Dominus noster *Jesus* per omnia sæcula benedictus. Amen.

INCIPIT PRINCIPIUM EJUSDEM in cursum Bibliæ, præsertim in Evangelium Marci: in quo principio Theologicam scientiam aliis, ut æquum est, præfert scientiis humanitus adinventis, multipliciter eam commendans & extollens.

QUænam doctrina hæc nova? Ista quæstio movetur Marci primo capitulo. Reverendi patres magistri, & domini charissimi, sæpe & multum hoc mecum cogitavi, quidnam expedientius esset, quidve mihi foret utilius, vel sacræ doctrinæ, divinæ videlicet Scripturæ laudes edicere, vel easdem sub silentii pace transire. Qua in re variis factus agitationibus temulentus, varia mihi superest agitatio, sed perplexa. Nam diversis & adversis perplexitatis funiculis hincinde contentiosè protractus nunc loqui prohibeor, nunc tacere non possum: loqui enim prohibet laudantis demeritum, quo me indignum reperio verbo laudis, quia *non est speciosa laus in ore peccatoris*, Eccl. 15. &, ut venerabilis verba *Alani* sequar,

Nec myrti præsunt lauris, oleaster olivis,
Nec saliunca rosis, vilis nec alga hyacinthis
Præfertur gemmis velutum, violisve cicuta,
Nec ovis à caprâ mendicat velleris usum,
Nec tumidus torrens à rivo postulat undam,
Nec solet à Davo Narcissus quærere formam,
Nec addit lucem candelæ flamma diei.

Et ideo loqui prohibeor. Sed tacere dissuadet laudis debitum, quo me totum sentio enarrandis sacræ doctrinæ præconiis obligatum, de quibus magis, ut puto, veniam merear, si pauca dixero, cum plura non possim, quàm si taceam omnia, cum debeam universa; & ideo tacere non possum, imò cogor in admirativæ quæstionis prorumpere verba, dicens, *Quænam doctrina hæc nova!* Cum verò meæ intelligentiæ detrimenta considero, cum animi mei calamitates colligo, qui peccator sum levioris scientiæ, gravioris, *qui stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, non didici sapientiam, nec novi scientiam sanctorum*: Proverb. 30. Certè sic elinguis linguâ, memoriâ immemor, insensibilis sensu, & de ineffabilibus sacræ doctrinæ laudibus, de quibus etiam sancti cum timore loquuntur & tremore, loqui nimirum pertimesco; ideoque *timor & tremor venerunt super me* in Psalmo; quare loqui prohibeor: sed si diutius taceo, de ingratitudine redarguar, quia juxta moralium dogma philosophorum, eam laudare teneor quæ me, si non stet per me, suis ditavit beneficiis, beavit muneribus, & documentis salutaribus erudivit. Quare tacere non possum, imò cogor in admirativæ quæstionis prorumpere verba, dicens, *Quænam doctrina hæc nova?* Dum autem ad sacratissimæ doctrinæ hujus laudem tota laborat intentio, dum tota concurrit affectio, tam excellentis dulcedinis copiam

piam effusura voluntas in cogitatione non proficit, sed & lingua penè deficit in sermone; Et, ut quidam eloquens ait,

Dum sibi verba tero laudis, plus contero laudem.

Quamobrem erubesco dicere, vel narrare ineptæ cogitationis meæ, & temulentas fantasiæ propriæ conjecturas, demissoque capite veritus sum quid de tantâ re sentiam judicare, consulente mihi sapientissimo Solomone, *Altiora te ne quæsieris*, Eccl. 3. Idcirco loqui prohibeor. Sed dum consolari cuperem inscientiam meam silentio, & ignorantiam meam tacendo compescere, quam ipse dum loquor accusare compellor, instat ex adverso conscientia propria, quæ laudis debitum recognoscens instanter, instantius, instantissimè petit ipsum ad quod teneor persolvi tributum. Idcirco tacere non possum, imò cogor in admirativæ quæstionis prorumpere verba, dicens, *Quænam doctrina hæc nova?* Si ipsa ergo hujus gloriosæ præconia doctrinæ de intellectûs mei venâ paupere fluvium exigunt locupletem, Ignarus ego & elinguis incipiam balbutire. Ecce verecundia signat ora silentio, voluntatem cohibet, imaginationem gravat, dum quod nescit homo, quod miratur angelus, insciè promit imperitus, & loquitur impudenter ignarus. Igitur loqui prohibeor. Sed de illius misericordiâ loquendi sumens audaciam qui *mutorum labia reserat, & linguas infantium facit disertas*, Sapien. 10. ut quod debeo tributi hujus sacræ doctrinæ præconiis, quamvis solvendo non sum sufficiens, in ejus tamen id quod potero commendatione persolvam. Spirabit animus meus devotionis affectum: *eructabit cor meum verbum bonum, & velut calamus scribæ* laudibus ejus officiosus assistam: igitur tacere non possum, imò cogor in admirativæ quæstionis prorumpere verba, dicens, *Quænam doctrina hæc nova?* Quæ fuit quæstio à principio proposita, vestris reverentiis sæpe repetita. Ad cujus quæstionis solutionem me diu quidem cogitantem, sed nihil proficere valentem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut cum ad solvendam tam arduam quæstionem minimè sufficiam, aliorum consulam facultatem. Considero igitur quòd inter plurimas & quasi innumerabiles quæstiones quatuor sunt præcipua quæstionum genera, in diversis scholis, & doctoribus variis perquirenda. Nam primò, quædam sunt quæstiones subtiles & studiosæ. Secundò, quædam sunt quæstiones difficiles & curiosæ. Tertiò, quædam sunt quæstiones civiles & contentiosæ. Quartò, quædam sunt quæstiones utiles & virtuosæ Primum quæstionum genus solet disputari in scholâ theoricâ Philosophorum. Secundum quæstionum genus solet perscrutari in scholâ fantasticâ Mathematicorum. Tertium quæstionum genus solet disceptari in scholâ politicâ Jurisperitorum. Quartum quæstionum genus solet pertractari in scholâ catholicâ Theologorum.

Ad primum quæstionum genus pertinet illud Job. 26. *Quis extendit aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum? Quis ligat aquas in nubibus suis ut non erumpant pariter deorsum? Quis terminum circumdedit aquis usque dum finiantur lux & tenebræ?* Et illud Proverbiorum 30. *Quis colligavit aquas in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ.* Tales enim quæstiones subtiles, & studiosæ solent disputari in Scholâ theoricâ Philosophorum.

Ad secundum quæstionum genus pertinet illud Eccl. 1. *Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies seculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est?* Et illud *Senecæ*: Licet nescias quæ ratio oceanum diffundat, quid sit quod gemellorum conceptum separet, partum jungat; cur simul natis fata diversa sint? non multum nocebit tibi transire quod nec licet scire nec prodest: tales enim quæstiones difficiles curiosæ solent perscrutari in Scholâ fantasticâ *Mathematicorum.*

Ad tertium quæstionum genus pertinet illud Lucæ 22. *Facta est contentio inter eos quis eorum videretur esse major:* Et illud Exod. 2. *Quis constituit te principem, aut judicem super nos?* Tales enim quæstiones civiles contentiosæ solent disceptari in Schola politica *Jurisperitorum.*

Ad Quartum quæstionum genus pertinet illud Job. 13. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Et illud Psal. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Tales enim quæstiones utiles & virtuosæ solent pertractari in Scholâ catholicâ *Theologorum.* Considerata igitur præmissa quæstionum quadrifariâ serie. & Scholarum varietate quadruplici, mihi visum est expedire pro nostræ quæstionis solutione singulas adire Scholas, & doctores consulere singularum, ut quod in unâ nequit, in aliâ saltem inveniri valeat. Sic enim quod ubique quæritur, alicubi plerumque reperitur, juxta verbum veritatis dicentis, *Quærite & invenietis*, Matth. 7. Vado igitur, & per ordinem ad singulas discurro Scholas Et *primò*, ad Scholam *Philosophorum*, in qua studiosè disputantur quæstiones subtiles & theoricæ. *Secundò*, *Mathematicorum* in qua curiosè perscrutantur

scrutantur quæstiones difficiles & fantasticæ. *Tertiò*, ad Scholam *jurisperitorum* in qua contentiosè disceptantur quæstiones civiles & politicæ. *Quartò*, ad Scholam *Theologorum*, in qua virtuosè pertractantur quæstiones utiles & Catholicæ. *Primò* ergo venio ad Scholam Philosophorum, in qua studiosè disputantur quæstiones subtiles & theoricæ; & ibi nostram propono quæstionem, interrogans ab eis de lege *Christi* Evangelicâ *Quanam doctrina hac nova?* In primo verò hujus Scholæ ingressu sermocinalium scientiarum, *Grammatica*, *Logica*, *Rhetoricæ*, & *Poetica* artis doctores invenio: qui omnes juxta suæ facultatem doctrinæ mihi aliquid offerunt; alii Grammaticalia *Prisciani* rudimenta; alii logicalia *Aristotelis* argumenta; alii Rhetoricæ *Tullii* blandimenta; alii poetica *Virgilii* tegumenta; nec solùm ista, quinimò *Ovidii* præsentant fabulas, *Fulgentii* mythologias, Odas *Horatii*, Hormestas *Orosii*, *Juvenalis* satyras, *Senecæ* tragœdias, comœdias *Terentii*, invectivas *Salustii*, *Sydonii* epistolas, *Cassiodori* formulas, declamationes *Quintiliani*, Decades *Titi Livii*, *Valerii* Epitomata, *Martialis* Epigrammata, centones *Homeri*, Saturnalia *Macrobii*, & generaliter singula, quæ vel suavis lyram *Rhetorica*, vel gravis *Poetria* musam resonant. Sed cum præmissi doctores in his omnibus nihil prorsus doceant, quod ad propositam satisfaciat quæstionem, ipsi tamen mihi jam penè de solutione quæstionis desperanti inquirendi laudant propositum, laboris diligentiam recommendant, & diligenter inquirenti spem inveniendi confirmant. Confortat me siquidem illud commune dictum *Boetii*, de disciplinâ Scholarium, *Cujuslibet operis obtusitas laborum diligentiâ permollitur.* Confortat me etiam illud dictum *Valerii* in epistolâ ad *Rufinum*, *Ad summa quaque fastigia non nisi per salebras evadimus, nec est via plana qua ducit ad gaudia plena.* Cujus rei ponit exemplum, *Audivit*, inquit, *Jason quòd per mare adhuc intactum ratibus & remis, & per Tauros sulphureos, ac per toxicati serpentis vigilias sibi viandum esset ad aureum vellus, & sano consilio licèt non suavi usus, abiit & rediit, & optabilem thesaurum retulit. Sic absynthium veritatis acceptat morosa mentis humilitas, fœcundat officiosa sedulitas, & in fructum producit perseverantia utilitas, & dura principia dulci fine munerantur: sic arctus callis ad ampla ducit palatia, sic angustus trames ad terram viventium.* Hæc ille. Confortat me insuper illud dictum *Virgilii* in *Æneide*,

Labor improbus omnia vincit.

Confortat me denique illud dictum *Architrenii* novelli poetæ,

Velificatur Athos, dubio mare ponte ligatur,
Remus arat colles, pedibus substernitur unda,
Puppe meatur humus, pelagi Tethys exuit usum,
Salmoneus fulmen jaculatur, Dædalus alas
Induit, ingenii furor instat & invia præceps.
Rumpit, & artifici cedit natura labori.

Ex his namque dictis vires animi colligo, spem mentis erigo, ut ad propositæ quæstionis apertionem procedam ulterius, investigans à profundioribus naturalis & moralis philosophiæ doctoribus quidnam de propositâ sapiant quæstione: ipsi verò solâ excusatione contenti talem responsionem prætendunt. Scimus, inquiunt, elementorum propositiones, elementorum conditiones, vaporum impressiones, mineralium mixtiones; scimus vires herbarum, virtutes gemmarum, mores animalium, origines animarum: scimus complexionum distantias, humorum repugnantias, sanitatum harmonias, ægritudinum dystrasias, aliàs dyscrasias: scimus varietates actuum, causalitates habituum, extremitates vitiorum & medietates virtutum; &, ut unum dicamus, scimus de naturâ quicquid humana potest ratio naturaliter perscrutari: sed nimirum de eâ, quam proponis, quæstione nihil utique scimus, quia in ejus solutione natura silet, ei canones succumbunt, & fides sola de naturali ratione triumphat. Ad hanc itaque vocem, Primam exeo scholam, & transeo ad secundam. *Secundò* ergo venio ad scholam *mathematicorum*, in qua curiosè perscrutantur quæstiones difficiles & fantasticæ; & ibi nostram propono quæstionem interrogans ab eis de lege *Christi* Evangelicâ, *Quanam doctrina hac nova?* In primo verò hujus scholæ ingressu quosdam ego reperio sibi nomen *mathesis* usurpantes indebitè, ex quorum infamiâ tota fere *Mathematicorum* schola infamis redditur & suspecta. Hi [illegible] qui, teste beato *Augustino*, in lib. *de natura dæmonum*, à terrâ *Geomantici*, ab aere *aeromantici*, ab igne *pyromantici*, ab aris idolorum *arioli*, à consideratione fatalium, *genethliaci*, ab inspectione ararum *aruspices* & à volatilibus aut vocibus avium *augures* nuncupantur: ab his itaque *pseudomathematicis* seu potius maleficis nihil interrogo

rogo de proposita quæstione, hoc sacra prohibente Scriptura, *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini*, Levit. 20. Sed ad veros *Mathematicos* transeo, qui in *Arithmeticâ* numerorum pugnas, in *Musicâ* sonorum *Syzygias*, in *Geometriâ* quantitatum mensuras & in *Astrologiâ* cœlorum influentias scientificè perscrutantur, inter quos tenet *Pythagoras* calculum, Orpheus plectrum, *Æsculapius* baculum, *Euphranor* horoscopum, *Archimedes* radium, *Perdix* circinum, *Campanus* perpendiculum, *Ptolemæus* astrolabium. Nec investigare desistit *Thales* tempora, *Atlas* sydera, *Zeno* pondera, *Chrysippus* numeros, *Euclides* mensuras, *Albumasar* influentias. Ab his itaque *Mathematicis* nostræ peto solutionem quæstionis, & ecce horum aliqui dum quæstionem istam solvere tentant, ita desipiunt, ut *Christi* doctrinam, *Christi* vitam, *Christi* opera, *Christi* miracula, causis naturalibus à cœlestibus influentiis audeant deputare. Sic enim ausus est ille fantasticus *Albumasar*, tractatûs primi de conjunctionibus differentiâ tertiâ. Sic & ille *Mahometicus Avicenna* 10. Metaphysicæ suæ; quorum tam fatuam, quàm obscuram & fastuosam præsumptionem Apostolus ipse reprehendit, *Obscuratum est*, inquit, *insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*, ad Rom. 1. Non sic devoti *Mathematici*, tres illi *magi orientales* præclari quibus, ut Matth. 2°. legitur, *Christum* natum stella mirabilis nunciavit, illa scilicet de qua meminit *Calcidius* super 2°. Timæi *Platonis*: post cujus apparitionem, teste *Augustino* ubi suprà, nativitatem alicujus è cœlo interpretari non licuit; non sic, inquam, non sic præsumunt hi devoti *Mathematici*, sed in propositæ quæstionis solutione imperfectum suum humiliter recognoscunt. Nescit, inquiunt, acribologia Mathematica hujus quæstionis solvere nodum. Nescit quippe divinum aperire secretum; nam, cum Deo claudente nemo aperiat, sanè frustra sudatur divinitus obserata humanitus reserare. Ad hanc itaque vocem, secundam exeo scholam, & transeo ad tertiam.

Tertiò ergo venio ad scholam *Jurisperitorum*, in qua contentiosè disceptantur quæstiones civiles & politicæ: Et ibi nostram propono quæstionem, interrogans ab eis de lege *Christi* Evangelicâ, *Quænam doctrina hæc nova?* In primo verò hujus scholæ ingressu civilis juris doctores invenio, qui Imperatoris leges, Cæsaris edicta, tantâ veneratione suscipiunt, tantò honore præferunt, ut pro ipsis venerandis aliqui plerumque cœlestis Imperatoris leges contemnant, pro ipsis defendendis, edictis *summi Cæsaris* contradicant. Sed reperio iterum in hac scholâ quosdam *juris canonici* professores qui etiam suas *decretales epistolas* quasi divinas Scripturas accipiunt, & eas taliter venerantur, ut propter hoc eorum aliqui plerumque in divinarum prorumpant blasphemiam Scripturarum. Tales enim reprehendit magnus ille utriusque juris doctor Dominus *Gratianus*, sui voluminis distinctione 9. cap. *Ego solis*, verba recipiens *Augustini* epistolâ 8. ad *Hieronymum*. *Ego*, inquit, *solis eis scriptorum qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque referre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere:* Appellatione *Canonicorum librorum* solos comprehendens libros divinarum Scripturarum, & non jurium humanorum: in quibus, eodem *Augustino* teste, lib. 2°. ad *Vincentium*, & *Gratianus* distinctione eadem, cap. *Negare*. *Negare non possumus nec debemus multa esse quæ possunt justo judicio, & nulla temeritate culpari.* Ipsorum igitur qui vel in civilis, vel in canonici juris scholâ aut student aut docent, bifariam divisionem reperio; nam quidam, & multi (proh dolor!) linguam prostituunt, quæstum quærunt, æquitatem solvunt, pacem confundunt; sopitarum litium cineres suscitant, pactiones violant, adulteria dissimulant, matrimonia diffamant, luxuriantur in lachrymis viduarum, in fame pupillorum, in afflictione simplicium & in pauperum nuditate. Nam, ut *Sidonii* verbis utar, *Hi sunt qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt ammoniti, obliviscuntur locupletati; Hi sunt qui emunt lites, vendunt intercessiones; judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos:* quid plura? Hi sunt qui dum in capturam pecuniæ retia tendunt, jura omnia intervertunt, omnes leges interpretantur ad libitum, & pro sua voluntate nunc abdicant, nunc admittunt, bene dicta depravant, prudenter allegata pervertunt, condemnant innoxios, nocentes absolvunt, impios fovent, opprimunt innocentes. Ab his itaque litigiosis causidicis de quæstione propositâ nihil quæro, sed eorum consortia fugio, & eorum condemno litigia, dicente mihi Apostolo, *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes*, Sec. ad Timo. 2°. Alii verò sunt, & utinam multi, qui in ipsa jurium scholâ student & docent non ad quæstum, non ad iniquum juris dispendium, sed ad inquisitionem veritatis & judicii æquitatem. Hi sunt qui advocantur pro pupillo & viduâ, pro utilitate reipublicæ, & Ecclesiæ libertate, quorum judiciarius rigor adversus sontes vehementius excandescit, & circa simplices mansuescit; hi sunt qui erigunt lapsos, fractos consolidant, liberant servos, pauperes ditant, vagos congregant, revocant oberrantes: hi sunt apud quos admittitur clamor pauperum, erigitur dignitas Ecclesiarum,

rum, per quos relevatur pauperum indigentia, firmatur in Ecclesiis libertas, pax in populis, in civitatibus quies. Ab his itaque tento aliquid audire de propositâ quæstione: Sed dum ipsi ad hujus quæstionis solutionem pervenire contendunt, vires eorum, interiori oculo caligante, scrutantes scrutationes, ex inani scrutinio deficiunt, & à tantâ victi sublimitatis excellentiâ, retrorsum in terram abeunt provoluti; ideoque peritiores eorum de nostræ quæstionis solutione humiliter se excusant: Scimus, inquiunt, quòd divinæ res perfectissimæ sunt, humani verò juris conditio semper in infinitum decurrit, & nihil est in eâ quod stare perpetuò potest. C. de vete. ju. enu. l. 2. §. *sed quia.* Cum igitur humana jura ad scholam nostram pertineant, non divina, sanè propositæ quæstionis solutio non ad juridicam spectat peritiam, sed ad theologicam facultatem, nec nobis licet falcem nostram in messem mittere alienam. 13. q. 1. c. *Ecclesias* §. his ita. Ad hanc itaque vocem tertiam exeo scholam, & transeo ad quartam & ultimam.

Quartò ergo venio ad scholam *theologorum*, in quâ virtuosè pertractantur quæstiones utiles & Catholicæ, & ibi nostram propono quæstionem, *Quænam doctrina hæc nova?* In primo verò hujus scholæ ingressu veteris legis doctores invenio sanctos patres, patriarchas videlicet & prophetas; interrogo igitur primò primum illum patrem *Adam*, qui ad imaginem Dei factus, & in Paradiso positus divina secreta creditur percepisse. Sed respondet *Adam*, doctrinam hanc novam sibi maxima in parte esse ignotam: Unionem, inquit, Dei & hominis non intelligo, & quòd verbum caro fieri possit ignoro, quodque Virgo concipiat & pariat, non minus est à meâ intelligentia extraneum, quàm à consuetudine alienum. Nec enim *Eva* mea aut concipere potuit nisi à me cognita, aut parere nisi corrupta. Vade, inquit, potius ad *Noe* virum justum qui per Arcam in diluvio salvavit genus humanum, Gen. 7. fortè ipse propositam quæstionem aperiet, & signacula ejus solvet. Interrogo igitur *Noe* virum justum; sed excusat se etiam, & dolabro occupatus promptiorem ad fabricandum quàm ad docendum, nec ego, inquit, ipse hanc quæstionem aperire, aut signacula ejus solvere sum idoneus; vade potius ad *Abraham* patrem multorum gentium, ad quem promissio facta est, *quia in semine tuo benedicentur omnes gentes*, Gen. 12. Interrogo igitur *Abraham*, sed expavescit etiam ipse, & tantæ rei novitate perculsus, noli, inquit, turbare peregrinationem meam: egressus enim de terrâ meâ, & de cognatione meâ, & de domo patris mei in minandis gregibus & armentis in pascuis comitandis, in fodiendis puteis ego valeo: sed quam proponis quæstionem solvere nequeo, sed vade potius ad *Moysen* famulum Dei, cui *locutus est Dominus facie ad faciem, quasi homo ad proximum suum*, Exod. 33. Interrogo igitur *Moysen*, & ecce *Moyses* medio consessu surgens velatâ facie, & libris onustus, congeriem & sylvam mandatorum legalium proponit nec exponit; pentateuchum suum sub cujus sarcinâ sudat, projicit in medium; inveniuntur ibi præcepta quædam moralia, quædam ceremonialia; moralia autem quamvis proficientia, non tamen sufficientia ad salutem; ceremonialia verò tantis obumbrata figuris, tantis imaginibus operta, ut non dicam impleri, sed non intelligi quidem possint. Ibi cultellus Præputii, libellus repudii, oculorum & dentium taliones: volvit ergo, & revolvit *Moyses*, consumptóque frustra toto legendi officio, latent eum hujus doctrinæ mysteria. Erubescit itaque *Moyses*, & defectum suum confitens ait, Velatâ facie ego sum, parce quæso pudori meo, & cum tabulis meis lapideis populum meum lapideum permitte docere: Vade potius ad *David* quem *invenit Dominus secundum cor suum*; fortè in citharâ & psalterio eructabit tibi verbum bonum, & aut ipse solvet quæstionis signacula, aut de stirpe ipsius surget qui solvet ea. Interrogo igitur *David*, sed excusat se etiam *David* dicens, Non sum dignus ad tantæ quæstionis sublimitatem assurgere, quoniam *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me*, Psal. 37. Ideoque hujus mysteria quæstionis non minus sunt obscura mihi, quàm tenebrosa aqua in nubibus aeris; Vade, inquit, potius & convoca omnes simul prophetas ad spectaculum istud, si fortè revelet eis Deus, & aperiatur oculus intelligentiæ eorum: fortè quod non intelligunt singuli, intelligent universi. Interrogo igitur simul omnes prophetas. Convenientibus verò prophetis in unum, & ad solutionem quæstionis laborantibus, cum singuli multa dicant, & deficiant, surgit *Paulus* qui eorum labori compatiens, & eis manu silentium indicens, ait, *Lex neminem ad perfectum adduxit: Justicia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes qui credunt in eum*, ad Hebræos 7. Consonat etiam *Petrus* collegæ suo *Paulo*, & volventibus atque revolventibus libros legis & Prophetarum exclamat, *Quid tentatis imponere jugum quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* Non sic, inquit, sed *per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari*, Actuum 15. Vera sunt, inquit *Johannes*, quæ *Petrus* & *Paulus* dicunt, quoniam *lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*, Johannis 1°. His itaque auditis manifestè perpendo me frustra pro nostræ quæstionis solutione

solutione interrogasse doctores theologos antiquæ legis *Mosaicæ*; quapropter accedo ad doctores theologos novæ legis evangelicæ, & eis propono admirativæ quæstionis verba, dicens, *Quænam doctrina hæc nova?* quæ fuit quæstio à principio proposita, vestris reverentiis sæpius repetita.

Ad quam quidem quæstionem, novæ legis doctores Catholici sub conclusione respondent quadruplici. *Prima* est quòd hæc est doctrina profundæ capacitatis & subtilitatis inaccessibilis. *Secunda* est quòd hæc est doctrina stupendæ sublimitatis & difficultatis imperscrutabilis. *Tertia* est quòd hæc est doctrina timendæ severitatis, & civilitatis imperturbabills. *Quarta* est quòd hæc est doctrina quærendæ fœlicitatis, & utilitatis incomparabilis. Unde Apostolus *Paulus* doctorum catholicorum eximius, & cæteris audacior ad loquendum, præmissas quatuor conclusiones breviter innuens, & pariter comprehendens de hac novâ doctrinâ altè exclamat, dicens, *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Roma. 11. Ubi animadverto doctorem hunc eximium correspondenter ad præmissa quatuor notare correlaria, ac si apertè mihi diceret, frustra quæsisti solutionem quæstionis propositæ alibi quàm in *Scholâ doctrinæ Evangelicæ.* Et *primò*, frustra quæsisti in scholâ *philosophicâ* disputante subtilia; nam ecce altam sublimitatem & inaccessibilem, quia *altitudo divitiarum.* *Secundò*, frustra quæsisti in scholâ *Mathematicâ* scrutante difficilia, nempe ecce latam difficultatem & imperscrutabilem, quia *sapientia & scientia Dei.* *Tertiò*, frustra quæsisti in schola *juridica* disceptante civilia; nam ecce firmam civilitatem & imperturbabilem, quia *incomprehensibilia sunt judicia ejus.* *Quartò*, frustra quæsisti in schola *Mosaicâ* pertractante utilia: nam ecce summam utilitatem, & incomparabilem, quia *investigabiles viæ ejus.* Hæc itaque *Paulo* dicente, assurgunt ei pariter omnes doctores Catholici, & ejus concordant sententiæ. Sed ut unus loquatur pro omnibus, ecce doctor veridicus *Augustinus* quasi syndicus aliorum unus verbum proponit pro singulis, & dictis *Pauli* testimonium perhibet veritatis. *Vera sunt*, inquit, *quæ Paulus asserit, & nihil verius dici potest. Nam in hac sacrâ doctrinâ novâ supereminenter continetur quicquid in aliis utiliter invenitur. Quicquid enim homo extra didicerit, si noxium est hic damnatur, si utile est, hic invenitur, & cum ibi quisque invenerit omnia quæ utiliter alibi didicerit, multo abundantius inveniet ea quæ nusquam alibi invenire potuit.* Verba sunt *Augustini* secundo *de doctrina Christiana*, capitulo ultimo. Quibus auditis, prostratis in terram genibus corporis, & flexis poplitibus cordis mei, doctrinæ salubris supremum doctorem & magistrum exoro suppliciter & devotè, humiliter postulans cum sapientissimo *Solomone*, Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret. Sapientiæ 9. Quod nobis concedat qui sine fine vivit & regnat. Amen.

QUÆSTIO EJUSDEM IN SUIS Vesperiis.

Utrum Petri Ecclesia lege reguletur?

Reverendi Patres & Domini

EGO reus & indignus peccator *Petrus*, de pastore *Petro* & ejus grege vel Ecclesia tractaturus, imò indignus prævaricator *Christianus* de legislatore *Christo*, & ejus lege seu regulâ primitus locuturus, formido nimium, & demisso capite veritus sum ne mihi conveniat illud prophetæ *David* elogium, *Peccatori antem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testimonium meum per os tuum?* Igitur tremunt labia, hærent fauces, balbutit lingua, & omnia vocis organa ferè penitus obmutescunt. Et dum in tantorum virorum præsentia de materiâ tam arduâ loqui vereor & tacere prohibeor, fugam cupio, sed quò fugiam nescio. Si enim fugiam, ovis ad pastorem, *Petrus* ad *Petrum*, imò si confugiam filius ad patrem, *Christianus* ad *Christum*, timeo repelli, & propter peccata mea nullatenus exaudiri. Non est ergo quò securius fugiam quam filius ad matrem, filius Ecclesiæ ad matrem Ecclesiam. Spero namque per hanc piam matrem

trem quæ peccatores conciliat apud Patrem, non repelli quidem sed suscipi, & per maternæ pietatis viscera confortari. Ad hanc igitur confugiens, & suâ lege regulari cupiens, me & dicta mea omnia suæ & suorum filiorum, tam præsentium quàm absentium charitativæ correctioni committo, & sub hac & aliis protestationibus fieri consuetis, quas supplico haberi pro repetitis gratia brevitatis ad quæstionis responsionem accedo.

Pro qua tres breves articulos faciam, & in quolibet articulo sic procedam. *Primus* erit de *Christi* regulâ sive lege. *Secundus* erit de *Petri* Ecclesiâ sive grege. *Tertius* erit de gregis *Petri*, & legis *Christi* conformitate. *Primò* præmittam tres distinctiones. *Secundò*, ponam tres conclusiones responsivas. *Tertiò* inferam tres propositiones corollarias. Decisio quæstionis.

Quantum igitur ad primum articulum, in quo videndum est de *Christi* regulâ sive lege, sunt tres distinctiones præmittendæ. *Prima* erit generalis de lege. *Secunda*, specialis de lege divinâ. *Tertia* specialior, de lege *Christi* seu regulâ. Primus articulus.

Prima ergo distinctio est quòd lex (ut ad propositum pertinet) multipliciter & pro diversis capi solet : quandoque sumitur pro primâ lege quæ est lex increata : & sic definit *August.* legem lib. 1°. *de libero arbitrio.* Lex æterna est summa ratio cui semper obtemperandum est, &c. Et 22. *contra Faustum.* Lex æterna est divina mens seu voluntas, ordinem naturalem servari jubens, turbari vetans. Unde patet, quòd sicut voluntas divina est simpliciter prima causa in genere causæ efficientis, sic ipsa est lex simpliciter prima in genere legis obligantis. Quare, sicut nulla causa secunda potest agere ipsa non agente, sic nulla lex potest obligare ipsa non obligante, prout aliàs declaravi. Quandoque verò sumitur lex pro signo primæ legis, quòd est lex creata : & sic definit *Tullius* in *Philippicis*, quòd lex nihil aliud est quàm recta ratio, à numine tracta, à Deo derivata, imperans honesta, prohibensque contraria. Sed sic capiendo legem pro lege creatâ, adhuc quandoque sumitur generaliter pro qualibet tali lege naturali humana vel divina, scripta vel non scripta. Et sic definit *Tullius* lib. *de natura deorum*, quòd lex est recti præceptio, pravique depulsio. Quandoque verò sumitur specialiter pro lege naturali, & sic definit *Tullius* lib. *de legibus*, quòd lex est ratio insita à natura, quæ jubet quæ sunt facienda, prohibetq; contraria. Quandoq; etiam sumitur specialiter, pro lege humana scripta : & sic definit *Gratianus* distinctione primâ, quòd lex est constitutio scripta : & distinctione secunda, c. *lex est* constitutio populi, qua majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt. Et sic quamvis iste terminus [*lex*] sit generalis ad omnem legem, tamen quandoque restringitur ad unam determinatam speciem. Prima distinctio.

Secunda distinctio est quòd lex divina (ut sumitur pro lege divinitus inspirata, qualis est lex *Moysis*, vel *Christi*) uno modo potest sumi pro aliqua una regula data à Deo aliquid præcipiente vel prohibente. Alio modo pro aliquâ unâ congregatione plures tales regulas continente. Qualiter tota doctrina *Christi* dicitur lex *Christi*; & sic sumitur in proposito. Sed sic capiendo, adhuc potest sumi strictè pro aliquâ tali congregatione solùm continente præcepta & prohibitiones; quia hæc duo solùm pertinent ad legem propriè dictam. Alio modo potest sumi largè pro aliquâ tali congregatione non solùm continente præcepta & prohibitiones, sed etiam consilia & permissiones, testimonia historialia, exempla imitabilia, miracula, sacramenta, promissiones præmiorum, comminationes suppliciorum & multa hujusmodi; quæ licèt non sint de substantiâ legis propriæ, quia nec ligant nec obligant, eò quòd his nihil imperatur aut prohibetur; ipsa tamen sunt fortissima adjutoria ad legem sustinendam, ideo dicuntur partes legis divinæ communiter dictæ. Secunda distinctio.

Tertia distinctio est quòd lex *Christi* seu regula uno modo potest sumi strictè pro congregatione illorum, & simul eorum quæ docuerunt Apostoli & discipuli ejus authoritate suâ. Et sic sumitur hic : Unde lex *Christi* seu regula dicitur tota doctrina Evangelica, intelligendo per Evangelium, non solùm doctrinam quatuor Evangeliorum, sed generaliter novum Testamentum; quemadmodum doctrinam suam vocat *Paulus* Evangelium 2. ad *Timoth.* 1. Sed sic capiendo adhuc potest multipliciter sumi : uno modo pro talis doctrinæ veritate, sive sit in mente, sive in scripto, vel in voce : alio modo potest sumi pro talis veritatis vel objecti intellectuali cognitione. Unde non minus propriè dicitur lex vel præceptum vel prohibitio, ipsa cognitio agendorum vel non agendorum, quàm ipsa veritas enuncians quid agendum vel non agendum. Ideo dicit venerabilis *Hugo* primo *de sacramentis*, parte 6. c. 6. *Quia cognitio faciendorum fuit, nisi quædam ad cor hominis facta præceptio; & quid rursum cognitio vitandorum nisi prohibitio?* Hæc autem cognitio potest esse multiplex; quia vel solùm apprehensiva, vel judicativa : & si judicativa, vel cum formidine, vel cum certitudine : Et si cum certitudine, vel potest esse habitualis, vel actualis; vel ab habitu acquisito solùm, vel ab habitu etiam infuso. Unde secundum hoc loquendo propriissimè, lex Tertia distinctio.

Christi

Christi potest dici fides infusa, vel actus ejus quo creatura rationalis firmiter assentit doctrinæ *Christianæ* veritatibus. His ergo distinctionibus præmissis ad videndum qualiter hujusmodi lex seu regula est rationali creaturæ pro statu viæ perfectissima lex creata, tres sunt conclusiones declarandæ.

Prima conclusio est quòd lex naturalis, vel humana, vel etiam lex divina *Mosaica* viatori non est lex perfectissima creata. Patet *primò* de lege naturali vel humana; quia aliter sequeretur quòd viator ex puris naturalibus sine fide posset omnia ad quæ tenetur, perfectissimè cognoscere & adimplere, contra Apostolum ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* *Secundò* idem patet de lege *Mosaica*; quia secundum Apostolum ad Hebræos 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex*, & loquitur de lege veteri per *Moysen* datâ, quare, &c.

Secunda conclusio est quòd lex *Christi* seu doctrina vocalis aut scripta, vel ipsa mentalis solùm apprehensiva, vel etiam ipsa adhæsiva, si non sit ex fide infusa, non est viatori perfectissima lex creata. Patet, quia nullus viator per legem *Christi* sine fideli credulitate potest omnia ad quæ tenetur perfectè intelligere, juxta illud Isa. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.*

Tertia conclusio est quòd lex *Christi* sola seu doctrina (id est, fidei infusæ habitus, vel actus quem viator habet de eâ) est sibi perfectissimè lex creata. Patet, quia nullus viator per aliud signum seu directivum creatum, nisi per hujusmodi fidem vel ejus actum, omnia ad quæ tenetur perfectè cognoscit, ut ex prædictis apparuit, & per hujusmodi signum illa perfectè cognoscit, quia si non, tunc fidelis operans secundum fidei *Christi* directionem, non sufficienter operaretur ad consequendum *salutem* contra illud *Marci* ultimo, *Qui crediderit*, &c *salvus erit*, &c.

Ex prædictis sequuntur aliquæ propositiones corollariæ. *Prima*, quòd sicut virtus justitiæ solùm est in mente, & non in scripto vel voce, sic in ipsa est propriè lex seu regula justæ vitæ. Patet, quia nullo existente scripto vel voce, adhuc lex esset, nec regulæ intellectuales, quæ sunt rerum naturales imagines minus essent servandæ, nec homo minus obligaretur ad eas quàm si ipsas legeret vel audiret: quare, &c.

Secunda est, quòd sicut vox audibilis non est lex propriè, sic nec scriptura legibilis, sed solùm æquivocè: Patet, quia vox vel scriptura lex non dicitur aut regula, nisi ea figura vel tropo, qua nomen rei & veritatis imagini imponitur vel signo, sicut imago regis rex dicitur: Patet, quia Juristæ definientes legem, definiunt eam secundum ejus minus propriam acceptionem, quia ut supra patet, *Gratianus* & alii solùm definiunt legem scriptam.

Tertia est, quòd sicut ad legis *Christi* habitualem fidem omnis viator obligatur sine ullâ excusatione; sic ab ejus actuali fide nullus excusatur nisi solâ incapacitate. *Primum* patet ex illo dicto Apostoli ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere deo.* Unde licet inter homines alii aliis minus sunt capaces propter brevitatem intellectûs, experientiæ paucitatem aut defectum doctrinæ vel gratiæ, quia non omnes obligantur æqualiter ad credendum singula legis in particulari & explicitè; tamen nullum est genus hominum adeo tardum intellectu quod saltem in universali & implicitè non possit omnia credere, id est, credere universaliter quicquid ibi asseritur esse verum; ideo à tali credulitate habendâ loco & tempore nullus omnino excusatur nisi solâ incapacitate. Parvulos autem & furiosos cæterisque passionibus mente captos seu alia naturali impossibilitate prohibitos, incapaces voco; & si non simpliciter, tamen secundum quid, scilicet dum his defectibus laborant, quare non oportet quòd aliquid actualiter credant: ideo, &c. Et hæc de *primo articulo*. Quantum ad *secundum articulum*, in quo videndum est de *Petri* Ecclesiâ sive grege, sunt distinctiones præmittendæ; *Prima* erit generaliter de Ecclesiâ. *Secunda*, specialiter de militante Ecclesiâ. *Tertia* magis specialiter de *Petri* Ecclesia. *Prima* ergo distinctio est ista, Quòd Ecclesia potest multipliciter sumi; uno modo pro templo materiali; & sic sumitur in veteri Testamento Deut. 23. *Eunuchus non intrabit Ecclesiam*: & in novo Testamento, 1 Corinth. 11. *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Alio modo sumitur pro templo spirituali; & sic multipliciter potest sumi: Uno modo particulariter; & sic quælibet rationalis creatura, quam Deus specialiter inhabitat, potest dici Ecclesia Dei, sicut dicitur *templum*: alio modo magis generaliter, pro aliquâ congregatione talium creaturarum, sive universali sive particulari: & sic iterum multipliciter potest sumi; uno modo pro omnibus cognoscentibus clarè vel beatificè catholicas veritates; & sic vocatur Ecclesia triumphans: de qua dicitur, *Laus ejus in Ecclesia sanctorum*, Psal. 149. Alio modo pro omnibu cognoscentibus ænigmaticè hujusmodi veritates: & sic non solùm sanctos, ut Ecclesia triumphans, sed etiam cum bonis malos, & cum hominibus dæmones comprehendit: unde etiam

etiam quandoque nomine Ecclesiæ maligni significantur, ut cum dicitur, *Odivi Ecclesiam malignantium*, Psal. 25. Licèt autem hoc modo iterum Ecclesia multipliciter posset sumi, tamen ut ad propositum pertinet, Ecclesia sumitur pro hominibus in mortali corpore naturaliter viventibus, & ænigmaticè cognoscentibus catholicas veritates. Et sic vocatur Ecclesia militans, de qua dicitur Actuum 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei:* & sic sumitur in proposito. *Secunda* distinctio est ista, quòd Ecclesia militans dupliciter potest sumi; uno modo pro Ecclesia universali; & sic est unica Ecclesia, & extra quam non est salus, de qua dicit Apostolus, quòd *Christus est caput corporis Ecclesiæ, & ejus corpus est Ecclesia*, Col. 1. alio modo pro Ecclesia particulari; & sic sunt plures Ecclesiæ, juxta illud dictum ejusdem Apostoli, *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi*, Ro. 16. Utroque autem prædictorum modorum adhuc multipliciter sumitur Ecclesia: Nam sumendo eam pro Ecclesia universali quandoque sumitur pro congregatione omnium fidelium actu existentium; quandoque verò generalius sumitur pro congregatione omnium fidelium à tempore *Christi* vel Apostolorum usque nunc succedentium: & sic distinguitur Ecclesia *Christi* contra Synagogam *Moysis*: & isto modo accipit *Augustinus* Ecclesiam in lib. *contra Manicheos*; ut habetur 11. distinctione ca. *palam.* & alibi, ubi dicit quòd *Evangelio non crederet, nisi eum Ecclesiæ auctoritas compelleret.* Hoc enim modo Ecclesia est majoris authoritatis quàm Evangelium sit; quia hujus Ecclesiæ Evangelista sive Scriptor Evangelii pars existit. Quandoque autem adhuc generalius sumitur Ecclesia pro congregatione omnium fidelium à principio mundi usque ad consummationem seculi; & sic non solùm comprehendit Ecclesiam *Christi*, sed etiam Synagogam *Moysis*, & eos qui fuerunt sub lege naturali; & isto modo accipit Aug. lib. 15. *de civit. Dei* capite 1. ubi dicit *quòd non solùm a tempore corporalis præsentiæ Christi, & Apostolorum ejus, sed ab ipso Abel usque in hujus seculi finem peregrinando percurrit Ecclesia.* Et Greg. in quadam homilia dicit quòd *ab Abel justo usque ad ultimum electum semper manet Ecclesia*: hoc enim modo Synagoga in veteri Testamento appellatur nomine Ecclesiæ. Num 20. *cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?* Sed etiam sumendo Ecclesiam pro Ecclesiâ particulari, iterum multipliciter potest sumi: uno modo pro quacunque congregatione fidelium, sive virorum sive mulierum: & sic dicitur 1 Petri 5. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone*, & isto modo sumitur in pluribus sacræ Scripturæ locis: alio modo sumitur specialiter pro totâ congregatione clericorum; & sic nunquam accipitur in textu Scripturæ divinæ, sed clerici nomen Ecclesiæ appropriaverunt ad seipsos, vocantes se Ecclesiasticos. Alio modo adhuc sumitur magis specialiter pro aliquo particulari collegio clericorum: & sic in jure Canonico Ecclesia iterum habet varias significationes, ut notatur *extra de ver. sig. cap. cum clerici: in gloss.* Sed his & aliis significationibus omissis, Ecclesia militans propriè sumpta pro Ecclesiâ universali potest isto modo describi: *Ecclesia est omnis homo fidelis, vel omnes homines fideles in mortali corpore naturaliter viventes:* Et voco homines fideles, actu vel habitu implicitè vel explicitè credentes, vel ænigmaticè cognoscentes omnes catholicas veritates: voco autem Catholicas veritates, veritates quibus quilibet viator actu vel habitu, explicitè vel implicitè firmiter assentire tenetur. Sed dico [omnis homo] vel [omnes homines] quia secundum aliquos, non solùm in pluribus hominibus, sed in uno solo potest vel potuit stare Ecclesia. Nam, ut dicit *Augustinus* super Psalmo 128. *Aliquando in solo Abel Ecclesia erat*: Et, ut quidam dicunt, aliquando, scilicet tempore passionis *Christi*, tota Ecclesia & tota fides Ecclesiæ *Christiana* in *Mariâ*, matre *Christi* remanserat. *Tertia distinctio* est ista,quòd *Petri* Ecclesia dupliciter potest sumi: uno modo pro Ecclesiâ quam *Petrus* Ap. personaliter rexit: alio modo pro Ecclesiâ particulari in qua ipse sedem tenuit. Et quia illa dicitur fuisse Ecclesia Romana, Ideo distinguendum quòd *Romana* Ecclesia multipliciter sumitur: Quandoque pro summo pontifice & quibusdam presbyteris & diaconis, quos non ex authoritate divinæ Scripturæ, sed ex consuetudine observantiæ humanæ *Papam & Cardinales* vocamus Quandoque autem sumitur pro solis Cardinalibus; quandoque pro omnibus clericis *Romanis*; Quandoque pro omnibus fidelibus *Romanæ* diœcesis; Quandoque pro omnibus credentibus fidem Apostolicam prædicatam *Romanis.* Et sic universalis Ecclesia potest vocari Ecclesia *Romana*, & omnes fideles possunt appellari *Romani*,ut dicunt aliqui; sicut *Paulus* Apostolus extra *Italiam* natus, antequam *Romæ* fuerit, se esse hominem *Romanum* asseruit, ut patet Act. 16. Et isto modo secundum illos sumitur Ecclesia *Romana*, ubicunque innuitur quòd contra fidem errare non potest *Romana* Ecclesia, ut 24. quæst. 1. *Pudenda*, & cap. Advocavit. His ergo distinctionibus præmissis, ad videndum qualiter utraque Ecclesia, scilicet tam Ecclesia universalis quàm particularis Ecclesia *Romana*, sive *Romana* Diœcesis fuit Petri Ecclesia, tres sunt conclusiones declarandæ.

Prima est quòd *Petrus* Apostolus ex *Christi* institutione principatum habuit universalis Ecclesiæ.

Secunda est quòd *Petrus* Apostolus ex *Christi* ordinatione Episcopatum tenuit *Romanæ* Ecclesiæ.

Tertia est, quòd *Petrus* Apostolus prius tempore summus Pontifex fuit quàm Episcopus *Romanæ* Ecclesiæ. Ad declarationem autem harum conclusionum sciendum est, quòd circa istam materiam sunt variæ assertiones istis conclusionibus aliquomodo repugnantes: *Prima* est quòd nullus sacerdos ex *Christi* institutione super alios habet aut habuit majorem potestatem, sed omnes æqualem. *Secunda* est quòd *Petrus* Apostolus non habuit super alios Apostolos, nec per consequens super universalem Ecclesiam principatum: & si habuit inter eos aliquo modo primatum, hoc non fuit per modum præsidentiæ, vel dominationis, sed per modum voluntariæ reverentiæ & humiliationis; sic quòd alii Apostoli non tanquam sibi subditi, sed ratione suæ antiquitatis & perfectionis ei in multis voluntariè deferebant. *Tertia* est quòd *Petrus* habuit super alios propriè principatum, tamen non ex institutione *Christi*, sed ex ordinatione Apostolorum. *Quarta* est, quòd *Petrus* non fuit Pontifex *Romanus*, sive *Romanæ* Ecclesiæ Episcopus. *Quinta*, quòd *Romana* Ecclesia non habet super alias *Ecclesias Principatum*, nisi impropriè capiatur Ecclesia *Romana* pro universali Ecclesiâ: & de istâ intelligitur quòd *Romana* Ecclesia est caput omniũ Ecclesiarum. *Sexta* quòd particularis Ecclesia *Romana* habet super alias principatum. Et hoc ponitur secundum quadruplicem modum. *Primus* modus est quòd ipsa habuit hujusmodi principatum non ex ordinatione divinâ sed humana: & iste modus est duplex: unus est quòd hujusmodi principatum habuit auctoritate Imperatoris *Constantini* sive aliorum imperatorum. *Secundus* modus est quòd ipsum habuit auctoritate Generalium Conciliorum. *Tertius* autem modus est quòd hujusmodi principatum habuit non ex ordinatione humanâ sed divinâ: & iste est duplex: unus modus est quòd hunc principatum habuit immediatè ex institutione *Christi*, & eum accepit quando *Petrus* factus fuit summus Pontifex, dicente *Christo* Matth. 16. *Tu es Petrus*, &c. Alius & *quartus* modus est quòd ipsum habuit non immediatè à *Christo*, sed à beato *Petro*, qui de *Antiochiâ* in *Romanam* Ecclesiam sedem suam transtulit, & eam omnibus aliis Ecclesiis prætulit. Licèt autem non sit facile prædictas assertiones efficaciter impugnare, tamen contra eas probandæ sunt conclusiones præmissæ. Unde ad declarationem conclusionis *primæ*, tres sunt propositiones præmittendæ. *Prima* est quòd in *Petro*, & cæteris Apostolis duplex fuit potestas; scilicet potestas ordinis, & potestas Regiminis. *Prima* fuit potestas consecrandi, ligandi & solvendi. *Secunda* fuit potestas ordinandi subjectos, & ad eorum salutem gubernandi. *Secunda propositio* est quòd in *Petro*, & cæteris Apostolis fuit æqualis potestas Ordinis; quia unus ordo erat in singulis; scilicet ordo sacerdotalis; ideo in his quæ ad hoc pertinent ratione ordinis non erat major potestas in uno quàm in aliis. *Tertia* est, quòd in *Petro* & cæteris Apostolis non fuit æqualis potestas regiminis, sed ex *Christi* institutione in hac potestate *Petrus* fuit major, & præfuit aliis: ideo in multis primam ordinis potestatem ligare, & cohibere potuit in eis. Unde quòd hujusmodi potestas, ex *Christi* institutione, in eo major fuerit quàm in aliis, ex verbis *Christi* concluditur non præcisè ex eo quòd *Petro* dixit Matth. 16. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Nam Matth. 18. similia verba dicuntur omnibus Apostolis, & Johan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: Sed ex eo quòd prius tempore, & singulariter dicit illud præmittens, &c. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum.* Et Johannis 1. *Tu vocaberis Cephas.* Et Joh. ultimo, *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; majores, per agnos, & per oves simpliciores intelligens. Plura alia possent induci Scripturæ testimonia; sed ex his patet *conclusio prima*.

Secunda conclusio non potest efficaciter probari ex Scripturis divinis: quia in eis non legitur quòd *Christus* ordinaverit *Petrum* Episcopum *Romanum*; imò quòd *Petrus* fuerit vel manserit *Romæ* non invenitur in tota Scriptura Sacra describente Actus Apostolorum: hoc tamen potest rationabiliter persuaderi ex historiis authenticis quæ narrant quòd *Petrus* existens *Romæ*, persecutione in ea crescente, urbem *Romanam* voluit dimittere, sed occurrente ei *Christo*, ait *Petrus*, *Domine quo vadis?* Ad quem *Christus*, *Vado Romam iterum crucifigi*: Ex quo dicto *Petrus* intelligens seipsum tanquam alterum *Christum* seu *Christi* vicarium ibidem debere martyrio coronari, reversus est, & ibi usque ad finem vitæ remansit. Unde verisimiliter concluditur quòd ibi sedem & Episcopatum tenuerit; non quidem ordinatione humanâ cujuscunque terreni Imperatoris sive Concilii generalis, sed ordinatione divina Imperatoris cœlestis: licèt hæc ordinatio fortè postea fuerit & per Imperatores roborata, & per Concilia generalia confirmata. Et sic patet conclusio, &c.

Tertia

Tertia conclusio probatur, quia *Petrus* existens Pontifex summus prius in *Antiochiâ* sedit, quàm *Romæ*, sicut patet Act. 11. Unde, sicut legitur in Chronicis, *Petrus* per quatuor annos post passionem *Christi* in partibus *Hierosolymitanis* Ecclesiam rexit; postea per septem annos *Antiochiæ* sedit. Et sic à passione Domini fluxerunt undecim anni antequam *Romæ* sedem suam transtulerit; & per consequens pluribus annis fuit Pontifex *Rom.* Quare patet quòd esse Pontificem *Romanum* non est necessarium esse Pontificem summum, quia non est de essentiali necessitate Pontificis summi quòd sit Episcopus *Rom.* nec alterius particularis Ecclesiæ Episcopus: & sic patet *conclusio tertia.*

Ex prædictis sequuntur aliquæ propositiones correlariæ. *Prima* est, quòd Pontificatus summus, & Pontificatus *Romanus*, sunt Pontificatus distincti, licèt sint in eandem personam divina ordinatione conjuncti. *Secunda* est, quòd Pontificatus isti non sunt necessariò sic annexi, quin ex causa rationabili valeant separari; puta si summus Pontifex cum Concilio Generali judicaret esse utile Ecclesiæ universali, quòd Ecclesiam *Romanam* omnino dimitteret, & se alteri copularet: & hoc ex causa rationabili; sicut si *Roma*, aut diœcesis *Romana* subverteretur ut *Sodoma*, vel à fide everteretur ut *Hierosolyma*, vel propter aliud grande crimen, aut grave schisma. *Tertia* est, quòd si Pontificatus isti essent de facto separati, *Romana* Ecclesia non esset caput omnium Ecclesiarum, nec haberet principatum populi *Christiani*: Patet quia hanc dignitatem capitis principatus honoris semper Ecclesia tenet & tenuit, quam summus Pontifex sibi specialiter copulavit. Ideo *Antiochia* illam dignitatem perdidit, & eâ causâ Romana Ecclesia acquisivit, quando *Petrus* de *Antiochenâ* civitate *Romam* translatus fuit. Quare patet quòd *Romana* Ecclesia non est caput aliarum nisi ratione sui capitis, id est, summi Pontificis, qui de facto Pontifex *Romanus* existit. Ideo excluso hujusmodi capite, vel ipso manente summo & non *Romano* Pontifice, ipsa caret illâ dignitate; quare, &c. Et hæc de *secundo articulo.*

Quantum ad *tertium articulum*, in quo pro responsione ad quæsitum videndum est de gregis *Petri*, & legis *Christi* conformitate, pro tituli quæstionis declaratione sunt tres distinctiones præmittendæ. *Prima* ergo *distinctio* est ista, quòd *lege regulari* dupliciter potest intelligi: uno modo ut idem sit quod legem habere, & ea obligari: & isto modo satis clara est ex primo articulo quæstionis veritas. Alio modo, ut idem sit quod secundum legem vivere, & ei conformari. Isto modo tractanda est in præsenti articulo quæstionis difficultas. *Secunda distinctio* est, quòd *legi conformari* potest esse dupliciter: uno modo in credendis: alio modo in volendis. *Prima* conformitas pertinet ad intellectum, & fit per spem & charitatem: nam secundum Apostolum prima Corinth. 13. Hæ sunt tres virtutes Theologicæ in quibus consistit perfecta conformitas legis divinæ, & tota perfectio religionis *Christianæ*. *Tertia distinctio* est quòd *legi difformari* etiam dupliciter potest esse: uno modo secundum intellectum, errando contra legem errore hæresis, seu alicujus falsitatis repugnantis fidei: alio modo secundum affectum, errando contra legem, non errore hæresis, sed alterius culpæ mortalis repugnantis spei aut charitati. Unde secundum hoc, est intellectus quæstionis *Utrum Petri Ecclesia lege reguletur?* hoc est, utrum legi conformetur sic quòd nunquam propter aliquem errorem legis regulæ difformetur?

His ergo *distinctionibus* præmissis, sciendum est quòd de prima conformitate vel difformitate est in hac quæstione difficultas specialis; ideo de illa principaliter dicam, & de ea intelligam in *conclusionibus* ponendis; sed prius recitandæ sunt quædam assertiones, circa istam materiam plurimùm differentes. *Prima* est, in qua communiter omnes fideles videntur consentire, quòd tota Ecclesia sive multitudo omnium *Christianorum* hæreticari non potest, sive contra fidem errare. *Secunda* est, quòd nec etiam Concilium Generale. *Tertia*, quòd nec *Romana* Ecclesia. *Quarta*, quòd nec collegium Cardinalium. *Quinta* quòd nec *papa* canonicè intrans. Aliæ autem sunt quinque assertiones prædictis valdè repugnantes. Una est, quòd *papa* intrans canonicè hæreticari potest, sive contra fidem errare; quia *Petrus* & multi alii leguntur sic errasse. *Septima* est, quòd Ecclesia *Romana* etiam potest sic errare, sive capiatur pro collegio Cardinalium, sive pro collegio *papa*, sive in quacunque alia significatione sumatur; dummodo nomine *Romanæ* Ecclesiæ non importetur tota multitudo fidelium; quia illa Ecclesia sc. sic errante, adhuc staret Ecclesiam illam non errare, cui *Christus* promisit perseverantiam in fide. *Octava* est, quòd etiam Concilium Generale potest contra fidem errare, quia ipso sic errante, adhuc staret aliquos extra Concilium non errare, & per consequens fidem Ecclesiæ non deficere. *Nona* est, quòd tota multitudo, non solùm Clericorum sed generaliter omnium virorum potest sic errare, & fides Ecclesiæ in solis mulieribus conservari; quia sic conservata fuit in sola *Mariâ* Virgine tempore passionis *Christi*. *Decima* est, quòd tota multitudo *Christianorum* non solùm virorum, sed etiam mulierum usum rationis habentium, potest contra fidem errare; quia hoc stante, adhuc in parvulis baptizatis possunt salvari omnes promissiones *Christi* de

de fide Ecclesiæ duraturâ usque ad consummationem seculi. Licèt autem omnes prædictæ assertiones habeant, secundùm magis & minus, aliquas apparentes rationes, tamen eas ad præsens pertractare non patitur temporis brevitas: sed conservando eas usque aliàs, dico pro nunc probabiliter, quòd ex tribus conclusionibus probandis satis poterit apparere aliqua dictarum assertionum veritas. Ex Sacrâ Scripturâ convincitur, quòd semper est aliqua Ecclesia quæ *Christi* lege reguletur: ex Sacrâ Scripturâ non convincitur, quòd sit alia Ecclesia particularis quæ *Christi* legis regulæ conformetur. Ex Sacrâ Scripturâ convincitur, quòd semper est aliqua universalis Ecclesia quæ nunquam *Christi* legis regulæ difformetur. Et quia istæ conclusiones multùm ad invicem connectuntur, ideo simul unâ ratione probantur. Unde arguitur sic: Ex Sacra Scriptura convincitur, quòd semper est aliqua Ecclesia quæ per rectam fidem legis *Christi* regulæ conformatur; intelligendo semper à tempore *Christi* usque ad consummationem seculi: sed ex ea non convincitur hoc convenire alicui Ecclesiæ particulari; intelligendo per particularem Ecclesiam quamcunque Ecclesiam distinctam ab Ecclesiâ universali: igitur sufficienti divisione ex ea convincitur hoc convenire Ecclesiæ universali: & per consequens sequitur intentum in conclusionibus præmissis; intelligendo eas, ut prædixi, de *conformitate* & *difformitate* primo modo dictis. *Consequentia* patet; sed *minor* rationis probatur; quia illud quod in Sacra Scriptura promittitur toti, & nulli parti, non debet alicui parti attribui; sed semper rectam fidem habere, aut nunquam contra veram fidem errare, in Sacra Scriptura à *Christo* promittitur toti & soli fidelium congregationi, ut patebit ex probatione *majoris*: *Igitur* hoc non debet alicui particulari Ecclesiæ catholicorum attribui: imò debet temerarium censeri: *Major* autem principalis rationis probatur, *primò* ex illo verbo *Christi*, Luc. 22. *Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Nec dubitandum est ipsum in hoc fuisse exauditum; quia secundum Apostolum ad *Hebr.* 5°. *Exauditus est pro sua reverentiâ.* Constat ergo quòd *Christus* promisit *Petro* quòd non deficiet fides sua; non intelligens de ejus fide personali, sed de fide generali Ecclesiæ Dei, committendæ regimini *Petri.* Et cum non loquatur de aliqua Ecclesia partiali; sequitur quòd intendit de Ecclesia totali.

Secundò, patet idem ex illo verbo *Christi*, Matth. ultimo, *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*; ubi *Christus* promittit suis discipulis, non solùm pro se, sed pro suis successoribus in Ecclesiâ Dei, seipsum non quidem corporaliter, aut solùm Sacramentaliter, sed per fidem spiritualiter semper adesse, vel adfuturum. Unde dicit *Greg.* quòd per hoc quod *Christus* usque ad consummationem seculi cum discipulis se esse promittit, ostendit ipsum nunquam à credentibus recessurum.

Tertiò, idem sequi apparet ex illo verbo *Christi* Matth. 24. ubi loquens de persecutione *Antichristi*, dicit quòd *inducentur in errorem, si fieri potest, etiam electi.* Unde ex hoc modo loquendi *Christi* patet, quia de potentiâ ordinatâ hoc non potest fieri; quia ejus promissio est, quòd etiam tempore *Antichristi* erunt aliqui electi non errantes in fide *Christi*: Et quia minus videretur de illo tempore promisso, sequitur quòd semper sunt aliqui credentes fidem *Christi*, & illi continentur sub aliquâ Ecclesia, non particulari, sed universali, quare, &c. Ex prædictis sequuntur aliquæ propositiones correlariæ. *Prima* est, quòd semper in Ecclesia universali erunt plures adulti illustrati veritate *fidei*. *Secunda* est, quòd semper in Ecclesia universali erunt plures justi formati virtute *Spei*. *Tertia*, quòd semper in Ecclesia universali erunt plures electi inflammati *charitate* Dei. *Prima* propositio patet; quia in auctoritate præallegatâ, ubi *Christus* dicit quòd *si fieri potest, etiam electi inducerentur in errorem*, intendens quòd illo tempore *Antichristi* erunt plures electi non errantes contra fidem; constat quòd non intendit de parvulis baptizatis (cum in eis non cadat inductio in errorem) sed de adultis credentibus fidei veritatem. Unde patet quòd promissiones *Christi* de fide Ecclesiæ usque ad finem seculi permansura non possunt salvari in parvulis baptizatis; & per consequens non debent intelligi solùm de fide infusa, sed etiam de fide acquisita.

Secunda propositio patet ex *primâ* & *tertiâ*; quia *fides* & *charitas* non possunt haberi sine *spe* de communi, sive de potentia ordinata, ut ad præsens suppono: *Igitur*, &c. *Tertia* propositio patet, quia minus videretur, quòd Ecclesia debet stare in charitate in illo tempore novissimo & pessimo persecutionis *Antichristi*, quàm quocunque alio tempore; quia de illo tempore dicitur, Mat. 24. quòd *abundabit iniquitas, & refrigescet charitas*, & tamen adhuc illo tempore Ecclesia stabit in charitate; quia ibi dicitur quòd refrigescet charitas & non quòd ipsa totaliter corrumpetur. Item dicitur *charitas multorum*, & non dicitur omnium. Item ibidem de *antichristo* dicitur quòd *abbreviabuntur dies ejus*; quare non videtur quòd debeat interficere omnes charitatem habentes. Item ibidem dicitur in plurali, quòd electi non poterunt in errorem induci: & per consequens tunc erunt

erunt plures electi contra legem non errantes, & per consequens, fidem & charitatem habentes; quare, &c. Ex prædictis patet responsio quæstionis; videlicet, quòd *Petri* Ecclesia lege regulatur; hoc est, quòd universalis Ecclesia nunquam per errorem legi difformatur; sed semper legis *Christi* regulæ conformatur, non solùm per fidem mortuam, sed etiam per *fidem spe & charitate* formatam, etsi non quantum ad quamlibet ipsius portionem. Et in hoc consistit conformitas Ecclesiæ ad *Christi* Regulam seu legem. Hæc igitur sufficiant de *tertio articulo*, & pro præsenti, & totali quæsito,

Utrum Petri Ecclesia	Rege gubernetur? Lege reguletur? Fide confirmetur? Jure dominetur?

QUÆSTIO EJUSDEM de Resumpta.

Utrum Petri Ecclesia fide confirmetur?

ARguitur *primò* quòd non; quia *Petrus* non habuit regalem monarchiam totius Ecclesiæ, seu politiæ *Christianæ*; imò talis monarchia videtur ad Imperatorem pertinere: igitur politia *Christiana* non debet dici *Petri* Ecclesia; & per consequens quoad suppositum quæstio falsa. *Consequentia* tenet, quia quælibet politia dicitur propriè esse illius qui in eâ est Rex seu monarcha: *antecedens* patet, quia *Christus* pro se & *Petro* vicario suo futuro fecit solvi tributum imperatori *Matth.* 18. igitur, &c.

Secundò, si Ecclesia esset fide confirmata, maximè hoc videretur verum de fide infusâ; sed hoc non: igitur &c. *Antecedens* quoad primam partem videtur notum, sed quoad secundam probatur, quia fides infusa non sufficit ad firmandum in nobis actum credendi respectu articulorum, nisi ad hoc concurrat apparentia rationum: ex quibus secundum *Augustinum* 14. *de Trinit.* Gignitur in nobis fides, nutritur, defenditur & roboratur. Igitur fide non confirmatur Ecclesia, sed magis ex ipsâ rationis apparentiâ. Sic enim per apparentia miracula Ecclesia fuit confirmata, juxta illud, *Prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Mar. ultimo; quare, &c.

Tertiò, Ecclesia *Petri* in his quæ sunt fidei, potest errare: igitur non confirmatur fide. *Consequentia* clara est; quia confirmatio in fide importat constantem firmitatem, quæ est invertibilis in errorem. *Antecedens* probatur, quia Ecclesia *Romana* propriè dici debet *Petri* Ecclesia, eò quòd in eâ fuit sedes sua; sed ipsa, sicut una alia particularis Ecclesia, potest errare in fide; nam ipsa sic errante, adhuc staret universalem Ecclesiam non errare: & sic salvarentur omnia dicta Scripturæ, & omnes promissiones à Christo factæ de stabilitate Ecclesiæ & firmitate in fide, &c.

Oppositum arguitur, quia *Christus* oravit pro *Petri* Ecclesia, ut esset fide confirmata, juxta illud, *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* Luc. 22. Sed hæc oratio *Christi* fuit exaudita; Nam, ut dicit Apostolus, *Exauditus est pro suâ reverentiâ,* Heb. 5. igitur, &c. Juxta tres terminos quæstionis ad materiam tactam in tribus prioribus argumentis (præmissis tribus præambulis) ponam tres conclusiones responsales, in quibus aliqua dicam non tam assertivè quàm probabiliter collativè.

Primum præambulum est de isto termino [*Petri* Ecclesia] qui licèt multipliciter potest sumi, prout dixi in Vesperiis meis in secundo articulo quæstionis, tamen in proposito sumitur pro Ecclesia universali, quæ dicitur Ecclesia *Petri*, quia in spiritualibus fuit caput ejus, & in ea ex *Christi* institutione sacerdos summus. Et per hoc posset solvi primum argumentum ante oppositum quæstionis factum; quia dicitur *Petri* Ecclesia non propter monarchiam temporalem, sed propter spiritualem & sacerdotalem. Per hoc etiam posset solvi tertium argumentum; quia Ecclesia universalis magis propriè dicitur *Petri* Ecclesia quàm Ecclesia *Rom.* seu quævis alia particularis, prout aliàs in eodem articulo declaravi.

Secundum

Secundum praambulum est de isto termino [fides] qui multipliciter potest sumi: uno modo pro fide habituali, de qua dicitur, *sine fide impossibile est placere Deo*, Heb. 11. *Alio* modo pro fide actuali, de qua dicit *Aug. fides est credere quod non vides*. *Tertio* modo, pro fide objectali; id est, pro objecto fidei; de qua in symbolo, *Hac est fides catholica*, &c. Adhuc autem *primo* modo potest sumi pro habitu infuso, vel pro habitu acquisito; & iterum tertio modo, vel pro actu fidei infusæ, vel pro habitu ex actu acquisito procedente; qui actus vel habitus quando est sine charitate, dicitur fides informis; de qua dicitur, *Dæmones credunt & contremiscunt*, Jacob. 2. Quando verò est cum charitate seu gratiâ, dicitur fides formata; de qua dicit propheta, *Justus in suâ fide vivit*, Abaccuc 2. Sed omnibus aliis modis ad præsens exclusis, capio hic fidem pro habitu infuso, vel actu credendi ab eâ procedente, sive sit informis, sive formatus charitate.

Tertium præambulum est de isto termino [confirmatio] qui licèt etiam multipliciter possit sumi, tamen hic sumitur ut importat constantem firmitatem in aliquâ virtute quæ de lege ordinata est, invertibilis in vitium contrarium, sicut aliquem diceremus in gratiâ confirmatum, quia aliqualiter invertibilem ad peccatum. Unde ex prædictis apparet quòd titulus quæstionis dupliciter potest intelligi; secundùm quod huic ablativo [fide] duplex præpositio potest subintelligi, vel suppleri: Nam potest intelligi, utrum confirmetur *ex* fide, vel *in* fide. *Primò* est sensus quæstionis, Utrum universalis Ecclesia ex fide, scilicet infusâ, confirmetur, sic quòd ex ipsâ absque rationis apparentiâ ad constanter & firmiter credendum sufficienter inducatur? Juxta illud quod solet in Ecclesia cantari, *Et si sensus deficit, ad confirmandum cor sincerum sola fides sufficit.* Et juxta illud *Gregorii, Fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum.* Et contra hunc sensum arguit secunda ratio ante oppositum. *Secundo* modo est sensus quæstionis, Utrum universalis Ecclesia in fide infusâ confirmetur, sic scilicet quòd de suæ fidei constanti & firmâ perseverantiâ certitudinaliter instruatur? Et ad hunc sensum procedit ratio facta post oppositum. Unde hujusmodi confirmatio in fide duo importat: *Primum* est, quòd semper quamdiu erit Ecclesia, ipsa perseverabit in fide. *Secundum* est, quòd de perseverantiâ ipsa est certificata ex instructione Scripturæ Sacræ, seu alterius revelationis divinæ, juxta illud prius allegatum, *Petre, rogavi pro te, &c.* Ubi *Christus* revelavit quòd semper *Petri* Ecclesia in fide perseverabit.

His igitur præmissis ponam tres conclusiones. *Prima* erit de Ecclesia & monarchiâ *Petri*; & erit responsiva ad quæstionis suppositum. *Secunda* erit de habitu & actu infusæ fidei; & erit præambula ad primum quæstionis sensum. *Tertia* erit de quæstione, & confirmatione Ecclesiæ *Christi*, & erit responsiva ad utrumque quæstionis intellectum.

Prima ergo *conclusio* juxta materiam *argumenti* ante oppositum facti, est de Ecclesia & monarchia *Petri*; & est ista, quòd licèt tam *Christus* quàm ejus vicarius *Petrus*, in quantum caput Ecclesiæ, habuerit monarchiam spiritualem, non tamen Regiam temporalem. *Prima* pars patet de *Christo*, quia secundum Apostolum, Coloss. 1. *Christus* est caput corporis Ecclesiæ, & corpus ejus est Ecclesia, sed caput habet monarchiam principalem & supremam respectu & circa sui corporis membra: igitur, &c. De *Petro Christi* vicario idem patet ex dictis in *secundo articulo* quæstionis, quam tractavi in Vesperiis; ubi ostendi quòd *Petrus* Apostolus ex *Christi* institutione fuit caput, & habuit principatum universalis Ecclesiæ, fuit in ea Pontifex summus, & per consequens, spiritualis monarchiæ supremus. Sed *secunda* pars *conclusionis* patet ex illa propositione quam posui in prima lectione contra Rev. Magistrum, quæ fuit hæc, Sicut nec *Petrus* Apostolus ultra monarchiam sacerdotalem, sic nec *Christus* secundùm humanitatem habuit monarchiam Regalem: cujus *secunda* pars est contra *primam* partem *secundæ* conclusionis principalis *tertii articuli*, in quâ in Vesperiis suis posuit, quòd *Christus* unctus est à Deo ut esset secundum humanitatem monarcha Regalis & sacerdotalis totius orbis generalis: Contra quam probavi prædictam propositionem meam *tribus* rationibus. *Primò*, quia si *Christus*, &c. tunc *Petrus* Apostolus, sicut successit Christo in monarchia sacerdotali, sic succedere debuisset in monarchia Regali: *Consequentia* videtur bona, quia non apparet ratio diversitatis: sed *consequens* videtur falsum, quia quòd *Petrus* talem monarchiam habuerit, non habetur ex Scriptura Sacra; quare hoc asserere apparet temerarium. Hîc respondet dupliciter. *Primò*, negando consequentiam, & assignando rationem diversitatis, dicendo quòd ex causa rationabili, quæ tamen non habuit locum in *Christo* tempore novæ legis, *regnum* divisum est à *sacerdotio*; scilicet ne sacerdotes vocati ad altius exercitium spiritualis vitæ, negotiis secularibus implicarentur. Et hæc est, ut dicit, ratio Apostoli, ii. *Timothei* 2. Alio modo respondet, negando consequens illatum non esse inconveniens de beato *Petro* & de quolibet *papâ* ejus successore, intelligendo de monarchia Regali quoad auctoritatem originalem & architectonicam. Sed contrà arguitur; quia si *prima* responsio

sit

sit bona, & ratio diversitatis in ea assignata, sequitur quòd *secunda* responsio sit mala; quia per *primam* in nova lege regale dominium non est cum sacerdotio, nec sacerdotes debent secularibus implicari. Igitur summus sacerdos non dominatur tali dominio temporali per quod retraheretur ab exercitio spirituali, juxta illud Apostoli, *Nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis*, 2 Tim. 2. Sic una responsio interimit aliam. Tamen ad fundandum *secundam* responsionem ponit *duas* propositiones. *Prima*, est quòd quamvis papa de jure divino & naturali, utramque (scilicet spiritualem & temporalem) habeat jurisdictionem authoritativè, non tamen æqualiter executivè. *Prima* pars probatur, quia temporalia se habent tanquam dispositiones ad spiritualia; igitur apud quem est plena auctoritas spiritualium, apud illum etiam est auctoritas ordinandi de temporalibus, &c. *Item*, quicunque habet auctoritatem judicandi de spiritualibus, ad illum etiam reducitur auctoritas judicandi de temporalibus; igitur, &c. *Antecedens* probatur, quia temporalia non nisi secundum spiritualia debent judicari & ordinari, juxta illud Apostoli, 1 Corinth. 6. *Angelos judicabimus, quanto magis secularia*, glos. i. e. *de rebus seculi.* Et ad hoc inducit decretalis *extra.* Qui filii sunt legitimi. *Per venerabilem. Item* deduci potest ex dictis Apostoli, 1 Cor. 2. dicentis, quòd *Spiritualis omnia judicat, &c. Secunda* probatur, quia in temporalibus *papa* non habet meram executionem sicut in spiritualibus; sed solùm in certis casibus habet executivam jurisdictionem temporalem, sicut probant *jura*, quæ tamen non allegat causa brevitatis. Tangit etiam ibi auctoritatem Scripturæ, *Deut.* 17. ex qua concludunt *jura*, sicut ipse dicit, quòd cum in temporalibus aliquid fuerit difficile vel ambiguum, tunc est ad judicium sedis apostolicæ recurrendum, &c. Sed ista possent apparenter solvi, & contra ipsum reduci. Unde ad *primam* & ad *secundam* simul potest dici, quòd temporalia, id est, negotia rerum temporalium & secularium, sicut principatus, dominium, vel judicium coactivum litium aut contentiosorum actuum civilium, non disponunt nec ordinantur ad spiritualia; imò magis ea impediunt. Unde super illo verbo Apostoli prius allegato, *Nemo militans Deo, &c.* dicit glossa *Ambrosii*, quòd *sicut nemo potest duobus Dominis servire, sic nec Deo militare in spiritualibus, qui implicat se in secularibus negotiis quibuslibet*; & dicit [*quibuslibet*] nullum excipiendo. *Item* nec concludit illa auctoritas Apostoli, 1 Corinth. 6. *Angelos judicabimus*, &c. quia ibi alloquitur Apostolus generaliter omnes de *Corinth.* ad quos scribebat Epistolam. Unde quia contendebant de secularibus judicibus, ipsos monebat, ut ex cœtu fidelium aliquos judices constituerent, non quidem Episcopos aut sacerdotes, sed alios. Propter quod subdit, *Secularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum*, &c. Ubi glossa secundum *Ambrosium* & *Augustinum*, *contemptibiles*, id est, *aliquos sapientes, qui tamen sunt minoris meriti* [supple] quàm Apostoli, vel ministri Evangelii, *constituite ad judicandum*: Et causa redditur, Quia Apostoli talibus non vacabant: Unde etiam glossa secundum *Gregorium*: *Hi*, inquit, *terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt: qui autem spiritualibus donis ditati sunt terrenis non debent negotiis implicari.* Et hæc est etiam sententia *Bernardi* ad *Eugenium Papam* lib. 2. cap. 5. Si autem aliqua dicta sanctorum videantur innuere quòd judicia secularia ad Episcopos pertineant, sicut etiam videtur innuere illa *Decretalis, per venerabilem*, Ad omnia talia posset dici, ea debere intelligi non de judicio coactionis sed de judicio discretionis, vel hoc ad eos pertinere non jure naturali aut divino, sed humano & positivo, de quo ad præsens non est intentio. *Item* illa auctoritas, *Spiritualis omnia judicat*, non videtur digna solutione, quia omnino est extra propositum: nam Apostolus vocat *spiritualem*, non Episcopum aut sacerdotem, sed prout distinguitur contra *carnalem*; quod patet per illud quod præcedit, *Animalis homo*, inquit, id est, qui habet animum ad carnalia depressum, *non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei*, id est, spiritualia; nec Apostolus loquitur de judicio rerum secularium sed spiritualium: quod patet ex auctoritate quam allegat ex Esaiæ 40. *Quis enim cognovit spiritum Domini?* &c. Item ad illam auctoritatem Deut. 17. *Si difficile & ambiguum*, &c. potest dici, quòd loquitur de sacerdotib veteris legis: nec secundum sensum literalem debet extendi ad sacerdotes novæ legis, propter causam suprà tactam. Ideo per illam non sufficienter probatur quòd ad eos pertineat judicium coactivum de jure divino, &c. *Secunda* propositio sua est, quòd *sacerdos Apostolicus se habet ad res & principes, sicut architector ad manuartifices.* Probatur, quia sacerdos Apostolicus habet cognoscere propter quid, & dare leges & regulas judicandi, secundum quas principes seculares debent populum regere & jurisdictionem exercere, nec possunt legibus uti quæ eis aliquo modo sint contrariæ, vel earum impeditivæ. Sed quia hoc dicit purè voluntariè, & sine allegatione Scripturæ authenticæ, ideo non insisto; reputo enim clarum quòd hoc non probat esse de jure naturali aut divino, sicut nec alia dicta sua. Hic autem dicit quòd miratur de modo meo arguendi, quem feci

Objectio conferentis.

feci in primâ ratione, dicendo, Hoc non habetur ex Scripturâ Sacrâ, igitur temerarium est hoc asserere: nam multa circa materiam Trinitatis, & corporis *Christi* tenemur credere, quæ Sacra Scriptura non expressit; sed per doctrinam vocalem Apostolorum, & traditiones Ecclesiæ ad nos pervenerunt; *quare*, &c. Ad hoc respondeo quòd in materiâ de qua loquimur, non erat opus de hoc expressam mentionem facere, cum sit clarum quòd nec ex doctrinâ vocali Apostolorum, aut traditione Ecclesiæ habetur quòd *Christus*, aut *Petrus* & alii Apostoli & eorum successores gesserint se tanquam reges aut principes temporales, nec ex eis imposuerunt leges aut regulas judiciales, nec quòd circa eos judicia secularia exercuerunt, sed suis legibus & judiciis se humiliter subjicere voluerunt. Nam *Christus* per *Pilatum* vicarium *Romani* Imperatoris sustinuit judicari; & licèt fortè significaverit se pati injustum judicium; non tamen contra ipsum tanquam contra *non judicem* reclamavit: imò per hoc quod dixit ei, *non haberes potestatem ullam adversum me, nisi tibi datum esset desuper*, Jo. 19. innuere videbatur quòd haberet potestatem ipsum judicandi; & hanc desuper, id est, à Deo, secundum *Augustinum*. *Petrus* etiam non dicebat totum mundum in temporalibus sibi esse subjectum, sed, loquens de principibus secularibus, dicebat, *Obedite dominis vestris, etiam dyscolis*, 1 Petri 2. Et *Paulus*, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, Rom. 13. & dicit *omnis anima*, id est, omnis homo, nullum excipiendo. Ipse etiam ad *Cæsarem* tanquam ad judicem appellavit. Unde dicit *ad tribunal Cæsaris sto, ubi me judicari oportet*, Actuum 25. ubi glossa, *quia hic est*, inquit, *locus judicii*, &c. His ergo consideratis, videretur esse temerarium dicere & asserere illa quæ superius recitata sunt, esse de jure divino, nisi ad hoc cogat Scripturæ Sacræ auctoritas, &c. Et hæc non assertivè, sed tantum collativè dicta sint de *prima* ratione.

Alliaci responsio.

Secundò, principaliter arguebam sic, quòd *Christus* secundum humanitatem habuerit totius orbis monarchiam regalem, non convincitur ex Scriptura Sacra, nec ex illis auctoritatibus quas iste magister allegat, quia omnes illæ & siquæ sunt similes, vel non dicuntur de *Christo* secundum sensum literalem, vel intelliguntur de *Christo* secundum Divinitatem. Igitur illud dictum est voluntarium, & qua facilitate dicitur, eadem facilitate respuitur: & confirmatur, quia ex Scriptura Sacra apparentius convincitur oppositum: Nam *Christus* interrogatus utrum Rex esset, respondit *Pilato*, *Regnum meum non est de hoc mundo*. Jo. 18. per hoc dans intelligere, quòd ipse secundum humanitatem, quantum ad temporalia, quæ mundana vocabat, non habebat totius orbis monarchiam regalem. Contra rationem, quia videtur replicatio esse solutio argumenti sui, ipse replicat per aliquas auctoritates. *Prima* est Apostoli, Ephes. 1. ubi dicit de *Christo* quòd *Deus Pater operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens illum ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationes, &c. & omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam qua est corpus ipsius*; ubi gloss. *Omnia subjecit sub pedibus ejus, id est, sub humanitate ejus, quam etiam Angeli adorant, & ipsi homini Christo omnia subsunt.* Secunda est Psalmistæ dicentis, *Sedes tua vel thronus tuus, Deus, in seculum seculi; virga æquitatis, virga regni tui:* Quod allegat Apostolus, Heb. 1. probans per hoc *Christo* esse datum regnum, vel dignitatem regiam, seu sedem judiciariam permanentem in seculum seculi: quòd talis potestas fuerit sibi data à Patre secundum humanitatem, patet per hoc quod consequenter allegat Apostolus, *Propterea unxit te Deus*, &c. glossa, *id est, unxit te secundum hominem*: & concludit ex hoc, quòd per hoc quod ipsum esse Regem unctum signat, eum esse Regem & esse Sacerdotem. *Tertia* est ad Heb. 2. *Non enim angelis subjecit Deus orbem terræ:* & paulò pòst, *Omnia subjecisti sub pedibus ejus:* & loquitur de *Christo* homine, de quo idem dicit, quòd *ipsum paulominus ab angelis minoravit*, juxta dictum Psalmistæ. *Quarta* est Apocal. 19. *Habet in vestimento & in femore suo scriptum, Rex regum & Dominus dominantium*; ubi glossa, *per vestimentum & femur intelligit humanitatem Christi.* *Quinta* est Matth. ultimo, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ*: Ubi secundum gloss. *Hieronymi* non loquitur de coëterna Patri Divinitate, sed de assumpta humanitate. Ex quibus omnibus infert iste magister quòd *Christum habuisse monarchiam*, &c. non voluntariè dictum est, &c. Pro solutione istorum pono istam distinctionem, quòd Regnum *Christi*, sive ejus Regale dominium potest imaginari triplex: *unum* scilicet divinum, per quod secundum divinitatem est Rex & Dominus omnium, sicut Deus Pater: & de isto dominio potest intelligi illa auctoritas Apocal. *Rex regum & Dominus dominantium*; licèt secundum glossam *Christus* habuerit scriptum in vestimento humanitatis, quia scilicet verbum Dei fuit unitum cum pelle humanâ: ratione cujus per communicationem idiomatum idem dominium quod conveniebat Deo, conveniebat etiam homini. Nec etiam loquitur ibi de tali dominio de quo loquimur, scilicet temporali, sed de dominio Regni æterni: unde *glossa* subdit [Rex regum] *scilicet super omnes sanctos.* Hi autem sunt in patria, non in via, quare:

Replicatio socii conferentis.

Solutio replicationis.

quare, &c. *Aliud* est *Christi* dominium, scilicet humanum, quod sibi convenit secundum humanitatem: & istud potest subdistingui, & intelligi duplex: *unum* spirituale, sive sacerdotale: *aliud* temporale, sive seculare. De spirituali sive sacerdotali regno loquitur *secunda* auctoritas allegata de Psalmista, *Sedes tua*, &c. & generaliter Regnum sive Imperium *Christi*, de quo prophetæ sunt locuti, sive ejus sedes, aut thronus, aut potestas Regia intelligenda sunt de Regimine spirituali quoad salutem æternam acquirendam; & non de temporali, sive de corporali: Quod posset faciliter ex Scripturis declarari; sed ad præsens sufficit illud quod allegatur ad Heb. 1. ubi secundum Apostoli sententiam, ista sedes vel potestas permansura est in seculum seculi, quia cum omne regnum temporale, & omnis potestas temporalis sit transitoria, non potest dici permanere in seculum seculi, id est, sine fine. Ad idem facit illud Dan. 7. *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non destruetur, sive corrumpetur.* De temporali ergo & corruptibili regno, non intelliguntur Scripturæ, nec tale regale dominium dicunt *Christo* convenire; & maximè loquendo de generali regno totius mundi: quicquid sit de speciali regno *Judaici* populi, de eo nihil ad præsens; sed intelligitur de regno sacerdotali Nec obstat si sacerdotium *regnum* dicatur in veteri Testamento, cum etiam in novo *Petrus* Apostolus sacerdotium *Christi* vocet *regale sacerdotium*; quare, &c. Sed adhuc est aliud *Christi* regnum sive regale dominium, non temporale seu terrenum, sed cœleste & æternum ac supernaturale seu miraculosum: & de tali dominio vel potestate intelliguntur aliæ tres auctoritates; scilicet *prima*, *tertia*, *quinta*, superius allegatæ. Nam *præesse in cœlo super angelis, principatibus, & dominationibus*; *Et omnia habere subjecta sub pedibus ejus*; *Et habere omnem potestatem in cœlo & in terrâ*, licèt conveniat *Christo* secundum humanitatem, prout sonant prædictæ auctoritates; tamen ista non pertinent ad dominium humanum seu temporale vel terrenum, de quo ad præsens loquimur, sed ad dominium Regni æterni quod *Christus* in suâ passione meruit; juxta illud Apostoli Philip. 2. *Humiliavit semetipsum*, &c. *Propter quod exaltavit eum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.* Hoc ergo dominio, licèt ipsum *Christus* ab instanti suæ conceptionis habuerit secundum aliquos, tamen non nisi rarò & supernaturaliter ac miraculosè usus fuit, sicut in ejectione dæmonum in porcos, & præcipitatione porcorum in mare, *Marci* 5. *Matth.* 21. in arefactione ficulneæ; & aliis quibusdam factis miraculosis, ad confirmationem fidei, & suæ Divinitatis ostensionem discipulis exhibitis, & non ad ostendendum potestatem, seu auctoritatem humani seu terreni principatûs. *Quare* ex his satis patet, prædictas auctoritates non esse ad propositum, nec probare intentum, &c. Sed adhuc pro responsione ad confirmationem rationis meæ ponit istam *tertiam* propositionem, Licèt *Christus*, secundum humanitatem, plenam de temporalibus immediatè ordinandi habuit potestatem, non tamen illam per se exercuit, ad ostendendum aliud nobilius officium per se pertinens ad regalem dignitatem. *Prima* pars, dicit ipse, patet ex jam dictis; sed per præmissa apparet contrarium, ideo probatio sua nulla. *Secunda* pars, scilicet quòd illam per se non exercuit, patet; Nam juveni dicenti *Christo*, *Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*, respondit, *O homo, quis me constituit judicem super vos?* Luc. 12. Sed ista authoritas non solùm probat quòd non exercuit, quod satis clarum est, sed etiam probat contra *primam* partem, quod exercendi jurisdictionem dominium non habuit, quia negat se esse judicem; ad judicem autem non tantum pertinet jurisdictionis exercitium, quantum judicandi dominium; *quare* &c. *Tertia* pars propositionis suæ est, quòd *Christus* per hoc quòd non exercuit per se talem jurisdictionem, ostendit quid per se ad regnum pertinet; scilicet subjectos regere per leges studiosas in his quæ pertinent ad finem humanum, tam politicum quàm ultimatum; & quòd discutere negotia temporalia litigiosa, solùm per accidens ad eorum pertinet officium; scilicet propter materiam hominum; & hoc ostendit, quia primum exercitium fuisset in statu innocentiæ, secundum verò non; ideo *Christus* ad dandum exemplum perfectæ vitæ, suum regale dominium reduxit ad exercitium talis statûs. *Item* patet in hoc psalmo, ubi propheta in personâ *Christi* dicit, *Ego autem constitutus sum Rex*, &c. & subjungens officium suum Regale dicit, *Prædicans præceptum ejus.* *Item* quòd tale officium per se ad reges pertineat, patet ex dictis *philosophi* primo politic. ubi ostendit quòd principatus paternus, qui similis est regali, magis habet solicitari circa homines quàm circa possessiones, & circa virtutes hominum quàm circa divitias. Sed contra hæc instatur; quia ex his sequitur quòd non erit differentia inter principatum *regni temporalis*, & principatum *regni spiritualis*, seu *sacerdotalis*; quod est absurdum. Et *consequentia* tenet; quia differentia inter istos principatus est; quia principatus temporalis ordinatur ad temporalia, sacerdotalis ad spiritualia; & ad reges temporales pertinet principaliter de per se & propriè, subditos regere per leges studiosas;

non quascunque, sed per leges humanas civiles seu politicas, & per virtutes morales eos ordinare ad finem politicum hujus vitæ: ad sacerdotes principaliter & de per se pertinet eos regere per leges divinas, & per virtutes Heroicas eos ordinare ad finem ultimum vitæ futuræ & salutis æternæ. Et hoc fecit *Christus*, per hoc ostendens se esse *sacerdotem*, & non *regem temporalem*. Nec auctoritas Psalmistæ, quam allegat, facit ad propositum suum, sed magis contra ipsum: nam per hoc quod subdit, *prædicans præceptum ejus*, clarè patet quòd non loquitur de regno temporali, sed de sacerdotali; quia non ad reges temporales, sed ad sacerdotes proprie pertinet prædicatio præceptorum Dei; *quare*, &c.

Sed adhuc pro solutione rationum mearum, ponit istud correlarium, quòd quamvis rex seu dominus temporalis possit licitè in divitiis & honoribus gloriosus apparere, non tamen de ratione regis vel domini temporalis est taliter jurisdictionem suam exercere. *Prima* pars patet, quia hoc potest fieri ad utilitatem reipublicæ. *Secunda* patet de *Christo*, qui, secundum eum, fuit verus Rex temporalis secundum humanitatem; & tamen, sicut patet ex decursu Evangelii, in regendo servavit paupertatem & humilitatem. Et hoc, sicut dicit, probant rationes meæ, & nihil plus: unde quando *Christus* respondit *Pilato*, *Regnum meum non est de hoc mundo*, intelligendũ est, secundũ eũ, quoad communem modum regendi aliorum; scilicet in divitiis & gloriâ mundanâ. Sed ista expositio videtur distorta; nec est dictis sanctorũ consona. Nam super isto passu dicit *Chrysostomus*; *Non privat*, inquit, *mundum à suâ providentiâ & prælatione, scilicet divinâ vel spirituali, sed ostendit Regnum suum non esse humanum sive corruptibile.* Sed constat quòd omne regnum temporale est corruptibile; quare patet quòd dicebat se non habere regnum temporale seu corporale, sed solùm spirituale. Et ad idem est sententia beati *Augustini*: igitur, &c. & hoc de *secunda* ratione principali. *Tertiò* principaliter arguebam sic, *Christus* tenuit arctissimam paupertatem: igitur non habuit monarchiam temporalem seu regalem. *Consequentia* tenet; quia arctissima paupertas excludit tam in proprio quàm in communi omne dominium temporalium rerum, & per *consequens* regale dominium. *Antecedens* patet, quia *Christus* tenuit & servavit omne illud quod ipse ad Evangelicam perfectionem pertinere docuit, juxta illud Act. 1. *Cœpit Jesus facere & docere*: & ipse docuit arctissimam paupertatem ad Evangelicam perfectionem pertinere; igitur, &c. Confirmatur *antecedens* probando per octo media quòd *Christus* facto & verbo summam paupertatem docuit:

Primò, quia ipse per Prophetam, suam futuram paupertatem prædixit: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute meâ*, Psal. 88.

Secundò, quia propter nos egestatem & paupertatem assumpsit: *Propter nos egenus factus est*, &c. 2 Cor. 8.

Tertiò, quia ex pauperibus natus, omnia paupertatis signa ostendit. *Invenietis infantem*, &c. Luc. 2.

Quartò, quia inter homines conversando paupertatẽ servavit: *Vulpes foveas habent*, &c. Mat. 8

Quintò, quia pauper & nudus in cruce pependit: *Recordare paupertatis meæ*, *Thren.* 3.

Sextò, quia pauperes discipulos, scilicet piscatores, elegit: *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. Matth. 19.

Septimò, quia paupertatis consilium dedit: *Si vis perfectus esse*, &c. Matth. 19. *Qui non renunciaverit omnibus*, &c. Luc. 14.

Octavò, quia pauperibus regnum cœlorum promittit: *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est*, &c. Matth. 5. His ergo attentis, cum ex Scripturâ pateat, quòd *Christus* secundum humanitatem in omnibus se ostenderit esse pauperem, mirandum est quòd modò aliquis dicat ipsum fuisse monarcham totius orbis & regem temporalem, cum etiam se esse regem negaverit Joh. 18. & à turbis regnum respuerit, Jo. 6. & Cæsaris imperium recognoverit, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, &c. Matth. 22. *Igitur*, &c. Ad istam rationem respondet negando primam *consequentiam*: & ad probationem, negat mihi quòd arctissima paupertas excludit, tam in proprio quàm in communi, omne dominium temporalium rerũ, ut dicit, patere ex dictis, & per illud Zach. 9. *Exulta*, &c. *Ecce rex tuus venit tibi justus & salvator & ipse pauper.* Ideo licèt *Christus* in omnibus ostenderit se esse pauperem, ut probant præmissæ auctoritates, non tamen sequitur ex hoc ipsum non fuisse Regem.

Solutio rationis prædictæ per Socium.

Sed contra istam responsionem arguitur, probando *consequentiam* meam principalem, & *assumptum* in ea quod ipse negavit: nam licèt *Christus* quantum ad usum aliqua tam in proprio quàm in communi habuit: in proprio quidem, sicut cibum, potum & vestimenta sua propria sibi singulariter appropriata: in communi verò, quia sicut patet Joh. 12. loculos habebat quos *Judas* servabat: in quibus erant, secundum gloss. Matth. 18. communia, scilicet *Christo* & Apostolis: legitur quòd *erant eis omnia communia*, Actuum 4. Tamen hoc certũ est, quòd in istis seu in aliis quibuscunque rebus temporalibus *Christus* ultra usum non habuit propriè dictũ dominiũ, sive in proprio sive in communi; & quòd sua arctissima

Instatur contra responsionem.

arctissima paupertas quam docuit & servavit, tale dominium excludit. Nam ubi dat consilium perfectionis dicens, *si vis perfectus esse*, &c. nihil excipit sed dicit, *omnia quæcunque habes, da pauperibus*: nec addit proprium vel commune, sed universaliter hoc intelligit; ideo signum universale ingeminat, dicens [omnia] & [quæcunque] igitur tale dominium non habuit nec habere voluit: quod Scriptura plerisque locis *possessionem* nominat, ut ibi, *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet*, &c. Matth. 10. *Nolite possidere aurum neque argentum*, &c. *igitur*, &c. Ad hoc possem inducere *Decretales* factas super declaratione regulæ beati *Francisci*; sed transeo causa brevitatis. Nec auctoritas Zach. quam inducit, facit ad propositum suum, quia loquitur de rege spirituali: ideo dicit, *Justus & salvator*. Et cum indecens sit regem temporalem esse pauperem, si de rege temporali loqueretur non diceret, *Exulta & jubila*, quia quod ipse pauper esset, & contra honorem regni *super asinam insideret*, non esset causa exultationis vel jubilationis, sed magis tristitiæ & doloris populo *Judaico* ejus auxilium præstolanti; *quare*, &c.

Sed adhuc pro solutione quorundam prius allegatorum ponit hanc *quartam* propositionem, Licèt *Christus* in omnibus ad regnum pertinentibus habuit generaliter in orbe potestatem, non tamen per hoc destituit Imperatorem vel alios habentes Regiam dignitatem: quia scilicet noluit habere exercitium in temporalibus, ideo à turbis respuit regnum: & quoad hoc dicit, *Date quæ sunt Cæsaris*, &c. & Imperatorem recognovit; tamen, his non obstantibus, dicit iste magister, quòd Imperator & Reges alii terreni in suis gradibus à Deo permissi fuerunt tanquam ministri *Christi* hominis, super quos & omnia negotia eis commissa habuit plenam authoritatem pro suo libitu ordinandi. Sed, ut patet ex supradictis, hoc non probant rationes suæ: & etiam si hoc verum esset, cum secundum *Augustinum*, omnis *Christi* actio nostra sit instructio; *Christus* de suis actibus de hoc nos debuisset instruxisse: quod tamen, ut patet ex superioribus, ipse non fecit; sed magis verbo & facto docuit oppositum: *quare*, &c. Et hæc de *tertiâ* ratione principali, & de *primâ* conclusione & suis adjunctis probabiliter dicta sint, &c.

Secunda conclusio juxta materiam *secundi* argumenti ante oppositum quæstionis facti, est de habitu & actu infusæ fidei; & est ista, quòd licèt ad salubriter credendum requiratur fides infusa, tamen ipsa non sufficit ad actum credendi producendum sine rationis apparentiâ. *Prima* pars non potest convinci à pura ratione naturali; quia secundum eam nulla esset necessitas ponendi habitus infusos, cum omnia possent salvari ponendo habitus naturaliter acquisitos. Sed tamen ad eam facit auctoritas Scripturæ: nam Apostolus dicit *Hebræorum* 11. *quòd sine fide impossibile est placere Deo*, & per *consequens*, sine ea impossibile est de lege ordinata salubriter credere; & tamen Apostolus loquitur de infusa fide; quia sine fide acquisita potest quis placere Deo; sicut patet de parvulis baptizatis, & de adultis quibusdam: *quare*, &c. *Item* ista pars potest aliquo modo persuaderi ratione probabili, licèt non inconvincibili. Nam sicut arguit *Guillermus Parisensis* primâ parte tractatûs *De fide & legibus*, Ex solis naturalibus non ascenditur super naturam vel *naturalia*; nec aliqua virtus vel potentia per semetipsam est major vel fortior semetipsâ. Intellectus igitur per semetipsum vel naturalia sua non potest credere contra se, vel supra se, vel seipsum vincere; sed ipse multa habet credere contra se, id est, contra naturalem inclinationem suam; quod probat ibidem; quia eodem jure & æquè pleno tenetur subditus esse humanus intellectus Deo sicut affectus; sed humanus affectus sic est debitor Deo, quòd propter ipsum habet contra se operari & contra seipsum & suam inclinationem amare vel odire; *quare*, & humanus intellectus propter Deum habet contra seipsum credere; igitur necesse habet super omne lumen naturale illuminari fortiori lumine: naturalibus autem illuminationibus nulla est fortior hic in viâ, quàm ipsa *Gratia*: quare concludit fidem esse *gratiam*, hoc est, divinæ largitatis donum gratuitum, quo intellectus propter Deum credit contra seipsum. *Item* ex eodem fundamento concedit, quòd actus seu operationes fidei infusæ, & acquisitæ, non solùm differunt secundum magis & minus, ut quidam dicunt, sed differunt specie; quia lumina descendentia desuper à *Patre luminum* alterius modi sunt quàm lumina ascendentia à rebus creatis: & aliter secundum *speciem* lucet intellectus ex irradiatione *primi luminis*; aliter ex reverberatione à rebus infimis.

Secunda pars probatur, quia parvulus baptizatus, vel adultus, habens fidem infusam, ex illâ non sufficeret producere actum credendi respectu articuli de *Trinitate*, seu alterius rei inevidentis, nisi prius confortaretur, aut manuduceretur ex aliqua apparentia. Nam per hoc, sicut dicit *August*. ut allegatum est superius, fides, scilicet acquisita, gignitur, nutritur, defenditur & roboratur: & istud postea clarius probabitur: sed oppositum hujus partis tenet Doctor prædictus in tractatu præallegato.

Poteſt autem ejus opinio ad aliquas *propoſitiones* reduci. *Prima*, quòd credere improbabilia, fortitudinis eſt atque vigoris noſtri intellectûs, ſicut amare damnoſa & moleſta, fortitudinis atque vigoris noſtri affectûs: quia ſicut humanus affectus habet velle contra ſeipſum propter Deum, ſic humanus intellectus credere contra ſeipſum. *Secunda* propoſitio, credere ea quæ apparent eſſe vera non eſt virtutis, ſed credere ea quæ non apparent, vel non videntur eſſe vera, hoc eſt virtute credentis; quia talis credulitas, ſeu ei debita fides, quæ ſibi impenditur propter ſuaſiones aut probationes, quia talis etiam cuilibet alteri daretur, igitur ſublimior ei debetur. Unde poteſt ſic argui: Aut credendum eſt deo ſine aliqua ſuaſione, aut non: ſi ſic, habetur propoſitum: ſi non, ergo non aliter ſibi credendum eſt, quàm cuilibet alteri: nec valet dicere quod ei creditur ſine ſuaſione, ſed tantùm quia verax eſt; quia hoc eſt credere cum ſuaſione: nam qui ſic credit, ſuaſum habet quòd Deus verax non vult mentiri: & ſic crederetur cuilibet viro bono, nec in hoc honorificatur Deus; quia ſic cuilibet crederetur qui eandem cauſam credulitatis haberet, modo debetur Deo ſpecialis honorificentia & obedientia in credendo; *quare*, &c. *Tertia propoſitio*, non eſt intellectus firmus aut fidelis qui credit per probationes aut apparentiam rationis; quia talis eſt velut infirmus requirens baculum ad ambulandum, & ratio eſt baculus cui innititur: *igitur* qui per rationem credit, non firmiter credit. *Item* talis eſt ſicut venditor incredulus, qui emptori aliter non credit, niſi pignus & cautionem ei dederit; & probatio eſt velut pignus aut cautio ſine qua non credit: quare manifeſtum eſt intellectum exactorem hujuſmodi pignoris eſſe credulitate infirmum & incredulum. *Quarta* ſequitur ex prædictâ, quòd ſicut multitudo & magnitudo pignoris in domo venditoris, licèt ei ſecuritatem faciant, ſigna tamen ſunt incredulitatis ipſius; ſic pignora & ſecuritates probationum deſignant incredulitatem intellectûs. Idem patet exemplum de multitudine baculorum, & apodiaculorum quæ deſignant infirmitatem ambulantis. *Quinta*, ſicut hujuſmodi credulitas ſive fides quæ fit per probationes vel ſuaſiones, non eſt virtuoſa; ſic ipſa eſt vitioſa, & Deo contumelioſa, ideoque damnatione ac ſupplicio digniſſima. *Primum* patet, quia virtus eſt circa difficile; hujuſmodi autem credulitas non ſolùm non eſt difficilis, ſed facilis; quia ſicut impoſſibile eſt non credere manifeſtè vera, ſic difficile eſt non credere probabilia. *Secundum* patet, quia ſicut contumelia fit viro notæ bonitatis, ſi ei abſque pignore non credatur; ſi Deo, tanto major, quanto melior. *Item* non eſt ita mendax cui cum pignore non credatur; quæ ergo reverentia fit Deo ſi ei ſic credatur, vel fides attribuatur? *Item* tali credulitate non creditur Deo, ſed probationi, ſicut venditor non credit *empturi* ſed *pignori*; *quare*, &c. Ex prædictis ſequitur *Sexta*, quòd Deo digna credulitas eſt illa, & ſola talis, qua ei creditur ſine omni pignore rationum aut probationum cautione, grati ſcilicet, obedienter & non propter hoc; quia verax eſt, aut quia verum eſt quod loquitur; & omnis alia credulitas eſt irreligioſa, & Deo contumelioſa; quia per talem Deo non creditur, ſed pignori; quare nec talis facit fidelem. *Septima*, quam poſtea infert ex prædictis, eſt quòd inquiſitio probationum eſt unum impedimentum in cognitione legis *Chriſti* ſeu veritatis articulorum. Sed huic & aliis propoſitionibus prædictis iſte Doctor videtur in eodem tractatu contrarius: nam poſtea diffusè ibidem probatur, & per multas rationes, quòd una eſt fides ad quam credendam omnes homines obligantur: perſuadet etiam quemlibet articulum fidei articulariter; poſtea generaliter probat quòd ſola lex vel fides *Chriſti* eſt illa ad quam omnes tenentur; ſed quòd omnis contraria eſt falſa: & ſic inducit probationes ad ea quæ ſunt fidei: inſuper dicit ibidem, quòd prophetis & Apoſtolis non eſt creditum niſi ex teſtimoniis miraculorum; *quare*, &c. Item *Chriſtus* dicit Johannis 15. *Si opera non feciſſem in eis quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent*: & loquitur de peccato infidelitatis, ſecundum *Auguſt.* ergo patet quòd *Chriſtus* faciebat opera miraculoſa, & propterea ſibi, & ſuæ legi fides adhibetur: in miraculis autem fundatur quædam rationis apparentia; *quare*, &c. *Item*, miracula facta ſunt ad confirmationem fidei, juxta illud prius allegatum *Marci* ultimo, *Prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: igitur apparentia miraculi, aut rationis, non tollit firmitatem fidei, ſed magis eam facit; *quare*, &c. *Item* ſpecialiter arguitur contra *primam* & *ſecundam* propoſitiones; quia ſecundum *Philoſophum*, & etiam ſecundum adverſarium, Sicut ſe habet voluntas ad bonum, ſic intellectus ad verum; & ſecundum *Philoſophum* tertio *Ethicorum*, Voluntas non poteſt velle aut diligere niſi apparens bonum, & per conſequens, ſicut voluntas non poteſt amare damnoſa aut moleſta, niſi ſub ratione alicujus apparentis bonitatis, ita nec intellectus credere ardua & difficilia contra ſeipſum, niſi ex apparentiâ veritatis: hoc enim quilibet experitur, quòd illud quod credit apparet ſibi verum; & interrogatus de illo quod credit, reſpondet quòd ipſum ſibi verum videtur: unde & noſtrum credere

dere est quoddam apparere, sicut & quodlibet aliud judicium intellectûs; & ideo quando dicit Apostolus Hebræor. 11. quod *fides est argumentum rerum non apparentium*, intelligendum est *non evidentium*; ut sit sensus, quòd fides est notitia inevidens: *quare*, &c. *Item* contra *tertiam*, *sextam* & *septimam* propositiones arguitur; quia sicut se habet voluntas ad meritoriè diligendum Deum, sic intellectus ad meritoriè credendum Deo: sed voluntas dignè & meritoriè ipsum potest diligere propter retributionem, juxta illud Psalmi, *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*: *Igitur*, &c. intellectus dignè & meritoriè Deo potest credere propter rationem. Nec ex hoc sequitur quòd non aliter sibi creditur quàm cuilibet alteri; quia sicut Deus non est diligendus propter retributionem præcisè & principaliter, sed propter seipsum: sic non est sibi credendum præcisè aut principaliter propter rationem, sed principaliter propter ejus auctoritatem. Et sic intelligenda est communis authoritas *Gregorii*, *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*: non obstante ergò ratione probabili, stat meritum fidei, quia principaliter creditur propter obedientiam Dei; & ita plus creditur sibi quàm rationi; quia propter ipsum firmiter creditur illud quod ratione solùm probabiliter suadetur: Et ita non est facile sed difficile & virtuosum probabilia non solùm probabiliter, sed etiam firmiter credere: *quare*, &c. *Item* contra *quartam* & *quintam* propositiones arguitur; quia sicut, secundum *philosophum* in *secundo de anima*, ad videndum requiritur lux corporalis; sic ad credendum, naturaliter requiritur apparentia rationis, quasi quædam lux spiritualis: igitur ratio probabilis non facit intellectum, aut ostendit ipsum infirmum, infidelem aut incredulum; nec est sicut *baculus*, aut *appodiaculum* accidentaliter sustentans ipsum; sed est quasi pes naturaliter portans eum, & naturale ejus adjutorium, requisitum ad spiritualiter ambulandum; id est, ad credendum; quare nec multitudo, aut magnitudo probationum, sicut multitudo & magnitudo pignoris, incredulitatem intellectûs designant, sicut dicit iste doctor; imò magis ejus credulitatem augent, sicut docet experientia, & in ipso firmitatem faciunt, sicut dicit *Gregorius* in *homilia Ascensionis*: *Ipsa*, inquit, *resurrectio Apostolis dubitantibus per multa argumenta demonstrata est*: *quæ dum nos legentes cognoscimus, quid aliud quàm de illorum dubitatione solidamur?* &c. Unde patet quod probabilia argumenta seu rationes probabiles non ex suâ ratione secum afferunt formidinem; capiendo *formidinem* pro quantocunque parvo dissensu conclusi, aut assensu ejus oppositi. Nam tunc talis ratio aliqualiter, quamvis remissius, probaret oppositum conclusi; & sic non posset stare cum firmitate fidei; quod est falsum: *quare*, &c. Patet etiam ex eodem falsitas *octavæ propositionis*, quia insuper ponens eam non solùm contrariatur sibiipsi, sed etiam omnibus fere sanctis & doctoribus, qui inquirunt & inducunt rationes probabiles ad ea quæ sunt fidei; quod non facerent si esset impedimentum in cognitione legis *Christi*; imò ipsemet Legislator ad suæ legis probationem fecit per seipsum & suos Apostolos miracula, ut dictum est suprà: *quare*, &c.

Sic ergo ex prædictis patent solutiones rationum hujus doctoris, & falsitas suæ propositionis; ac per consequens, veritas *octo propositionum* contradictoriarum propositionibus præmissis. Et hæc de *secunda conclusione* & suis adjunctis.

Tertia conclusio juxta materiam *tertii* argumenti ante oppositum quæstionis facti, est de confirmatione Ecclesiæ *Christi*; & est ista, quòd licèt *Christi* seu *Petri* Ecclesia ex fide solâ non sit ad credendum sufficienter confirmata; tamen ex fidei auctoritate principaliter concluditur confirmatio Ecclesiæ in fide *Christianâ*: & hæc conclusio directè responsiva est ad quæsitum: Nam *prima* pars respondet ad primum quæstionis intellectum; *secunda* verò ad *tertium*. *Prima* pars autem patet ex dictis in *secundâ conclusione*, quia ex solâ fide infusâ non inducitur sufficienter Ecclesia ad credendum, seu ad constanter & firmiter assentiendum; sed ad hoc inducta fuit ex apparentiâ rationum, sicut etiam arguit secunda ratio ante oppositum: & specialiter ex apparentiâ miraculorum; sicut ostendit auctoritas allegata *Marci* ultimo capitulo: *quare*, &c. Unde de multis rationibus quas in primâ quæstione sententiarum inducit *Doctor subtilis*, & etiam alii doctores in diversis locis, tantùm unam tango, causâ brevitatis, arguendo sic: Illa sunt vera & constanter ac firmiter credenda, in quorum veritatis testimonium Deus invocatus fecit miracula: ista est probabilis in lumine naturali: sed sic est de dictis & doctrina *Christi*; ista patuit per experientiam, & nunc est etiam probabilis in lumine naturali per formosam historiam de resuscitatione *Lazari* & aliis multis miraculis per *Christum* & ejus Apostolos factis: *igitur*, &c. Hanc rationem innuebat *Richardus de sancto Victore* 1°. de *Trinitate*, capitulo 2. loquens, *Domine*, inquit, *si error est, à te decepti sumus: tot enim & tantis prodigiis attestata sunt, quæ non nisi per te fieri potuerunt*: & loquitur in personâ indifferentis. Et si fortè hujusmodi miracula negarentur esse facta,

hoc

hoc nobis grande miraculum sufficit, quòd sine miraculis penè totus orbis crediderit; sicut dicit *Aug.* 22. de *Civitate Dei*: sufficit enim, quantum scilicet ad indifferentem; quia aliter esset de protervo. Hanc eandem rationem similiter innuebat *Christus*, dicens *Johannis* 5. *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me*: & iterum *Johannis* 10. *Si mihi non creditis, saltem operibus credite*; & multa hujusmodi in pluribus locis Evangelii: *Quare*, &c. *Secunda* pars conclusionis patet ex dictis in tertio articulo quæstionis, quem tractavi in *Vesperiis* meis: ubi sub *tribus conclusionibus* probavi, quòd semper, scilicet usque ad consummationem seculi est, & erit, aliqua Ecclesia quæ per rectam fidem *Christi* lege regulabitur, & ei conformabitur: & ista est Ecclesia universalis, & non aliqua particularis ab universali Ecclesiâ distincta. Sed quòd sic semper perseverabit universalis Ecclesia in fide, non potest convinci ratione, sed principaliter convincitur ex Scripturæ auctoritate; sicut ibidem probavi ex tribus auctoritatibus, sc. illâ Lucæ 22. *Petre rogavi pro te*, &c. Et illâ Matthæi ultimo: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem*: & insuper ex illo dicto *Christi* dicentis de persecutione *Antichristi*, quòd tunc *inducentur in errorem, si fieri potest, etiam electi*. Inductionem dimitto causâ brevitatis. Ex his ergo, ac etiam ex dictis in *tertio praambulo* hujus quæstionis, satis patet *secunda pars* conclusionis.

Sed contra unum dictum quod immediatè tactum est, & quod probatum fuit in *secundâ conclusione* dicti *secundi articuli* Vesperiarum mearum, quæ conclusio fuit [Ex Sacrâ Scripturâ non convincitur, quòd semper est aliqua particularis Ecclesia quæ *Christi* legis regulæ conformetur] posuit dictus magister hic istam propositionem collativam, ex Sacrâ Scripturâ convincibilem [Videtur quòd semper usque ad diem Judicii aliqua particularis Ecclesia militans *Christi* legis regulæ conformetur]. Et sic secundum eum sequitur quòd confirmatio in fine non solùm convenit *universali Ecclesiæ*, sed etiam *particulari*. Cujus oppositum nunc & aliàs tetigi, & in primâ lectione meâ respondendo ad rationes istius Magistri dixi, quòd una sola, scilicet *quinta*, vadit contra intentionem meæ conclusionis. Et contra hoc ipse postea arguit; sed quia processus localis est, & magis vocalis quàm realis, ideo transeo, causâ brevitatis, & venio ad rationes suas principales. *Prima ratio* fuit, quòd semper usque ad diem Judicii durabit Ecclesia quam *Christus* se ædificaturum promisit *supra petram*, continens in se multas Ecclesias particulares, & distinctiones *graduum*, *officiorum*, & *dignitatum*, sicut corpus continet in se multa membra sic distincta: *igitur*, &c. *Consequentia* patet: *antecedens* probatur ex dictis *Christi* & Apostoli simul junctis, *Matthæi* decimo sexto, 1 ad *Corinthios* 12. ad *Ephesios* 4. & 5. capitulis. *Secunda ratio* fuit, In die Judicii de multis Ecclesiis particularibus ex diversis mundi partibus concurrent etiam fideles in charitate existentes, qui tunc reperientur vivi, & rapientur in nubibus obviam *Christo* in aera: igitur, &c. *Consequentiam* reputat claram: *antecedens* patet ex duobus dictis Apostoli simul junctis, scilicet primo *Thess.* 4. ubi loquitur de illis qui *tunc rapientur vivi*, & quomodo rapientur, &c. & ad *Ephesios* quarto, ubi dicit, *donec omnes occurramus*, &c. ubi glossa, Donec nos omnes occurramus nobis invicem de diversis partibus mundi, cum desiderio currentes ad gaudium: & subdit, *Donec illud fiat, durabit prælatio.*

Ad *primam* rationē respondi in primâ lectione, quòd quicquid sit de *antecedente*, tamen illud non convincitur ex Sacrâ Scripturâ, nec ex illis dictis *Christi* & Apostoli quæ allegat.

Ad *secundam*, quicquid sit etiam de *antecedente*, dixi consimiliter, quòd illud non convincitur ex Sacrâ Scripturâ, nec ex illis dictis Apostoli: *quare*, &c. unde pro materiâ istarum rationum posui tres propositiones. *Prima*, ex Sacrâ Scripturâ probabile est quòd ante diem Judicii erit aliquod tempus in quo nulli erunt fideles vivi: patet de illo tempore in quo ante adventum *Christi* ad Judicium, ignis præcedet purgans elementa, & incinerans corpora mixta; & illud tempus in dictis meis vocabam consummationem seculi, &c. *Secunda propositio* sequitur ex prædictâ, quòd in illo tempore consummationis nulla erit Ecclesia militans, sive universalis, sive particularis: patet ex descriptione Ecclesiæ militantis quam posui; quia tunc nulli erunt fideles in mortali corpore naturaliter viventes. Et ex hoc patet clarè falsitas suæ propositionis, & etiam *antecedentis primæ rationis*, quoad singulas partes. *Tertia propositio*, In die Judicii nulli homines reperientur vivi, qui obvient *Christo* venienti; sic scilicet, quòd illi prius non fuerint mortui: patet ex dictis; nec oppositum convincitur ex illâ auctoritate Apostoli, 1 *Thess.* 4. sicut patet intuenti opiniones Doctorum super hoc passu: & ex hoc patet clarè falsitas *antecedentis secundæ rationis.*

Replicat socii Conferentis.

Sed contra hæc ipse replicat. *Primò* contra hoc quod dixi, quòd *antecedens* suarum rationum non convincitur ex Scripturâ, inducit plures auctoritates Scripturæ, quæ quasi in idem conveniunt; ideo non repeto nisi illam quam principaliter inducit contra *primam propositionem*, scilicet dictum Apostoli ad *Ephesios* quarto, ubi de *Christo* loquitur sic, *Et ipse*

ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, &c. *ad ædificationem corporis Christi,* scilicet Ecclesiæ, *donec occurramus nobis invicem* de *Christo* venienti ad Judicium *in virum perfectum,* scilicet *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*; sed talem mensuram ætatis non habebimus ante diem Judicii; quia non nisi per Resurrectionem: *igitur* usque ad illud tempus durabit Ecclesia secundum distinctionem *graduum,* &c. Ex quo infert quòd est falsa *prima propositio,* & per consequens *secunda.* Sed hîc dico, quòd in illâ auctoritate Apostoli hæc dictio [donec] sumitur exclusivè, ut scilicet excludat non solùm diem Judicii, sed etiam illud tempus quod immediatè Judicium præcedit; quando scilicet Judicii signa incipient apparere, ut magis statim dicetur: *quare,* &c. *Item* constat contra me, quia illud tempus purgationis elementorum per ignem, &c. pertinet ad diem Judicii, imò est pars diei Judicii. Non enim solùm ad diem Judicii pertinet latio sententiæ, sed etiam multa alia præcedentia & sequentia, ut patet etiam ex multis passibus Scripturæ. Sed quicquid sit de hoc ultimo dicto, tamen *primum* propriè loquendo non est verum, quia illa purgatio per ignem est unum de signis ante Judicium secundum omnes doctores, & per consequens propriè non est pars diei Judicii, &c.

Item replicat contra *tertiam propositionem,* quia *Christo* venienti ad judicium aliqui rapientur obviam, qui tunc inveniuntur vivi, & prius non fuerunt mortui; igitur illa propositio falsa. *Antecedens* probat ex illo Apostoli, 1 Thess. 4. *Deinde nos qui vivimus qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, &c.* Sed hæc auctoritas non concludit; quia *Paulus* qui jam est mortuus, ibi se connumerat cum illis vivis qui sic rapientur: & per consequens non intendit quòd illi vivi prius non fuerunt mortui. Et quando dicit quòd immò, sicut patet per glossam ibidem, & *Magister libro* 4°, *Distinct.* 43. & Doctores communiter qui supponunt quòd *Christus* veniens ad Judicium aliquos inveniet vivos, & tunc consequenter quærunt, utrum tales quandoque sint morituri, vel non, & tangunt duas opiniones, unam *Hieronymi* qui videtur velle quòd non, &c. aliam *Ambrosii* dicentis, quòd in raptu illorum qui vivi rapientur, mors erit & resurrectio mira quadam velocitate. *Item* tenet *Thomas* de *Argentinâ* super eadem *distinctione,* ubi dicit quòd *Augustinus* 20. *de Civitate Dei, cap.* 20. videtur sentire quòd illi qui mortui fuerint inventi in adventu Judicis, prius duratione resurgent, quàm hi qui invenientur vivi, quia rapientur obviam *Christo,* & in illo raptu morientur, & subitò reviviscent.

Replicatio contra tertiam propositionem.

Solutio replicationis.

Sed contra hæc 1°. est illud Apostoli, 1 Corinth. 15. *Omnes quidem resurgemus*; & sequitur, *in momento, in ictu oculi, &c.* Et per consequens, secundum Apostolum, omnes resurgent in eodem instanti, & non aliqui prius resurgent aliis prioritate temporis. Et sic illud 1. ad Thess. 4. [*& mortui qui in Christo sunt, resurgent primi*; *deinde nos, &c.*] non refertur ad prioritatem & posterioritatem temporalem quoad actum resurgendi, sicut declarat ibidem *Magister Nicol. de Lyra*; ad cujus postillam remitto. *Item* sanctus *Tho. in* 4. *sententiarum distinct.* 43. *arti.* 4. *q.* 1. dicit, quòd licèt in hac materiâ variè loquantur sancti, tamen hæc est securior & communior opinio, quòd omnes morientur & à morte resurgent: & in responsione ad primum argumentum ostendendo quomodo intelligendum est illud symboli, *Venturus est judicare vivos, & mortuos,* dicit quòd ista distinctio *vivorum,* & *mortuorum* non est referenda ad ipsum Judicii tempus, quia tunc erunt omnes vivi; neque ad totum tempus præteritum, quia omnes judicandi aliquo tempore fuerunt *vivi,* & aliquo tempore *mortui:* sed ad illud tempus determinatum quod immediatè Judicium præcedet, quando scilicet Judicii signa incipient apparere. Et in *dist.* 47. *q.* 2. *articulo* 3. dicit quòd illa conflagratio ignis Judicium præcedet quoad purgationem mundi. Et in responsione ad primum argumentum dicit *Augustin.* 20. *de Civitate Dei,* ubi videtur oppositum innuere, non loquitur determinando, sed opinando, sicut ostendit ex ejus verbis. Et in responsione ad tertium argumentum dicit, quòd illi vivi qui dicuntur reperiri, sunt illi qui usque ad tempus conflagrationis in corpore vivent. Ex quibus omnibus apparet propositum, &c. *Item* quicquid sit de hoc; tamen ex his variis opinionibus Doctorum circa hanc materiam apparet clarè quòd ex Sacrâ Scripturâ non convincitur propositum istius materiæ; immò expressè dicit *Magister senten.* ubi eum allegat pro se, quòd horum quid verius sit non est humani judicii definire: *quare, &c.*

Iterum verò replicat dicendo, quòd licèt dictæ tres propositiones meæ essent veræ, adhuc æqualiter staret difficultas utriusque rationis suæ, ponendo loco illius [usque ad diem Judicii] ly *usque ad tempus signorum diem Judicii præcedentium:* & deduceretur utraque ratio sicut prius: sed tamen non oportet sic modum loquendi variare, ut dicit patere; quia primus modus loquendi trahitur ex Scripturâ, & est à doctoribus usitatus & non meus; immò dicit quòd modus meus loquendi clarè contradicat *conclusioni* meæ *tertiæ* tertii articuli Vesperiarum.

Replicatio socii conferentis contra tres propositiones.

Sed

Solutio. Sed miror de hoc dicto; quia voluntariè hoc asserit, nec probat aut declarat istam contradictionem, quam tamen omnino non video. De suo modo etiam loquendi patet ex dictis quid veritatis habeat, & quomodo Doctores variè loquantur; immò clarè patet quòd modus meus loquendi usitatur à *Christo:* dicit enim Matth. ultimo, *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*; non dicit, usque ad diem Judicii, aut usque ad tempus signorum, &c. Quid autem intelligat per consummationem seculi, patet ex prædictis. Et quantum ad hoc quod dicit, non obstantibus tribus propositionibus meis, rationes suas procedere variato illo modo loquendi, &c. Respondeo quòd non: quia illa quæ assumuntur in *antecedente*, & quæ ex dictis Apostoli probantur convenire Ecclesiæ, non de *Ecclesiâ* aliquâ *particulari*, sed de solâ *universali* habent locum, capiendo *Ecclesiam universalem* & *particularem* ad intellectum conclusionum mearum aliàs satis expressum: *quare*, &c. *Tertia* ratio sua fuit, quia si propositio sua non esset vera, hoc maximè videretur quoad salvandum dicta Scripturæ de duratione Ecclesiæ; quòd ipsa posset salvari in uno homine laico, quia, ut dicit, ista sibi videtur esse mea intentio. Sed falsitatem *consequentis* probat; quia tunc secundum legem ordinatam deficere posset in *Ecclesia militante* sacerdotium *Christi*, quod est secundum ordinem *Melchisedech*; quod videtur esse contra Apostolum ad Hebræos 7. & glossam ibidem. Ad rationem respondi, Nego *antecedens:* & quòd illa fuerit intentio mea clarè patet ex tribus *correlariis tertii articuli* mei: ubi expressè posui, & probavi ex Scripturâ, quòd semper à tempore *Christi* usque ad consummationem seculi erunt plures habentes *fidem, spem* & *charitatem* in *Ecclesia universali*.

Replicatio conferentis. Sed contra replicat, quia descriptio *universalis Ecclesiæ* militantis quam ego posui, salvari potest in uno homine tantùm: *Igitur*, &c. *Antecedens* patet, quia dixi quòd Ecclesia est omnis homo fidelis, vel omnes homines fideles in mortali corpore naturaliter viventes: ex qua clarè patet propositum, ut ipse dicit: & etiam ex hoc quod ego induxi de *Abel* in quo aliquando salvabatur Ecclesia, &c.

Ad istud respondeo: dico quòd concesso *antecedente* & ejus probatione, neganda est prima *consequentia:* & ratio est, quia licèt Ecclesia nunquam in futurum salvabitur in uno solo supposito, tamen aliquando sic salvata fuit, vel absolutè salvari posset. Modo bona descriptio debet converti cum definito, non solùm pro unâ differentiâ temporis, sed pro qualibet, & respectu cujuslibet copulæ etiam de possibili. Ideo posita fuit illa descriptio disjunctivè; *quare*, &c.

Quarta ratio sua fuit, Quia nisi sua propositio esset vera, tunc sequitur quòd lex *Christi* quoad sacramenta vel alios ritus Ecclesiæ à *Christo* & aliis Apostolis institutos, quandoque deficeret ante finem mundi. *Consequentia* tenet sicut in argumento præcedenti: falsitas patet ad *Hebraos* septimo; & per *glossam*. Ad hoc respondi per idem, sicut ad præcedens, negando *consequentiam:* unde pro materiâ hujus rationis & præcedentis, dixi, quòd posito quòd esset unus solus homo laicus fidelis non errans contra legem *Christi*, non tamen ex hoc sequitur quòd deficeret sacerdotium *Christi* aut sacramenta, vel alii ritus Ecclesiæ Dei; quia stat quòd aliquis sacerdos sit, immo summus sacerdos, & tamen quòd erret contra legem *Christi*, sicut patet de *Petro*, ut testatur Apostolus *Paulus* ad Gal. 2. immò stat quòd aliquis sit sacerdos, & possit ministrare omnia sacramenta *Christi*, & tamen quòd sit hæreticus, & per *consequens* quòd non sit fidelis, nec de Ecclesiâ Dei, ut patet ex communi opinione doctorum sacræ Theologiæ, contra *Magistrum sententiarum, libro quarto, distinctione vigesimâ quintâ*; quare, &c.

Sed contrà replicat, dicendo quòd non solvo argumentum: unde arguit sic; Cum Scriptura stat Ecclesiam salvari in uno solo homine laico: igitur cum Scriptura stat pari ratione, nullum esse sacerdotem, vel clericum, & tunc stant ambo argumenta præcedentia. *Consequentia* tamen tenet, ut dicit, quia ex quo ad salvandum Scripturam sufficit fides *Christi* in uno laico; & per *consequens* non requiritur aliquem sacerdotem vel clericum esse, &c.

Ad hoc dico, Quicquid sit de *antecedente*, de quo satis dixi, *consequentia* neganda est, nec probatio valet: & ratio est, quia in Scripturâ Sacrâ specialiter promittitur duratio sacerdotii *Christi* usque ad consummationem seculi, ut videtur ex dictis Apostoli *Hebræ*. 7. & posset ostendi ex aliis locis Scripturæ; sed transeo causâ brevitatis: *quare*, &c. *Quinta* ratio sua principalis & quam solam dixi esse ad propositum meæ conclusionis, fuit ista: Ex Scripturis videtur convincibile, quòd nec generale Concilium, nec tota multitudo clericorum & laicorum virorum, nec *Romana* Ecclesia quæ distinguitur à tota congregatione fidelium, sicut partes à toto, difformari potest legi *Christi: Igitur*, &c. *Consequentia* tenet, sed *antecedens* non probatur. Ad istam respondi probabiliter disputativè, dicendo, quòd *antecedens* non convincitur ex Scripturâ Sacrâ; & quia oppositum non probavit, ideo

ideo non plus dixi: sed in primâ lectione suâ probare visus est *antecedens* quoad singulas partes. Et primò de Concilio generali arguit sic; Tota Ecclesia universalis non potest errare in fide, seu quoad hoc difformari legi *Christi*; *igitur* nec Concilium generale. *Antecedens* potest deduci ex Scripturis, sicut concessi; *igitur* & *consequentia*: sed *consequentia* probatur ex hoc, quia à Concilio generali in causâ fidei non licet appellare, quia si sic, aut ad aliud Concilium, aut ad Papam, aut ad universalem Ecclesiam. Non ad aliud Concilium, quia pari ratione ab illo appellare liceret, & sic tali causæ finis imponi non posset; nec ad papam, quia in facto fidei est subjectus judicio generalis Concilii, eò quòd (sicut notatur *decimâ nonâ distinctione*, capitulo *Anastasius*) Synodus in causâ fidei sit major papa: Quod potissimè verum est de Synodo generali. Nec ad universalem Ecclesiam, cum Concilium generale sit præstantior pars Ecclesiæ: *Igitur* parti minus præstanti esset minus credendum in causa fidei: Etiam quia universalis Ecclesia in unum convenire non potest. *Item* Concilium generale eo ipso quòd est generale, repræsentat totam Ecclesiam universalem, &c. *Antecedens* patet, quia si non, jam in eo non est consensus totius Ecclesiæ universalis; & per consequens non est generale, sed particulare. Et ad hoc est auctoritas *Gregorii* 15. *distin.* c. *sicut*. Ubi dicit de quatuor Conciliis generalibus, quòd universali consensu constituta sunt; & ideo quisquis præsumpserit absolvere quod illa ligant, aut ligare quod solvunt, seipsum destruit, & non illa. Et similis ratio est de quolibet alio Concilio generali: *igitur*, &c.

Item ex Scripturâ convincitur, quòd congregati in unum in *Christi* nomine non possunt pro tunc difformari legi *Christi*. Sed sic est de illis qui faciunt Concilium generale. *Major* patet Matth. 12. Et *minor* apparet, quia aliter non esset generale Concilium, sed Ecclesia malignantium, & particulare conventiculum. Nec valet dicere, quòd licèt Deus specialiter assistat congregatis in unum in *Christi* nomine, tamen in fide minimè confirmantur quin possint labi in errorem. Nam consimiliter argueretur de totâ congregatione fidelium universalis Ecclesiæ, quia constat, cum sit viatrix, quòd non est confirmata, &c. Et tamen non sequitur quòd possit errare à fide. Sic in proposito, isti de Concilio generali, quia repræsentant totam Ecclesiam, licèt non sint confirmati, quamvis quilibet illorum possit seorsum errare, tamen non sequitur quòd omnes simul sic congregati possint errare. Ad ista probabiliter respondent aliqui, quòd Concilium generale potest contra fidem errare, immò *de facto* sic aliquando erravit, sicut per multa exempla ostendunt; & specialiter per synodum *Ephesinam* 2. quæ erravit, & ideo reprobata fuit, sicut notat *glossa*. 15. *distin. cap.* 1. Et ad objecta in contrarium dicunt negando *consequentiam*: & ad probationem, negant *assumptum*, dicentes, quòd si Concilium generale contra fidem erraret, ab ipso appellare liceret, scilicet ad aliud Concilium generale, si esset facultas ipsum congregandi; & si illud iterum erraret, liceret ad aliud appellare; & sic semper, donec catholici convenirent. Insuper si papa non esset præsens, Concilio generali errante, liceret ad ipsum præsentem, vel ad ipsum cum alio Concilio congregando appellare, vel etiam ad universalem Ecclesiam, si posset in unum convenire, esset principaliter appellandum. Si verò tota Christianitas esset sic depravata, quòd soli hæretici haberent potentiam, & quod soli pauci simplices & pauperes manerent in fide, & reputarent Concilium generale errare, nec possent se humano consilio aut auxilio tueri vel defendere, non restaret aliud nisi se Divinæ Gratiæ committere & illam injuriam patienter tolerare cum gemitu, tristitiâ & dolore, sicut *Hieronymus* consulit viro Ecclesiastico, quando in eâ quæ vocatur *Domus Domini* invalescit iniquitas & justitia omnis deprimitur, prout recitatur 93. *Distinc.* c. *Diaconi*. Quantum verò ad illud quod dicitur de subjectione in causâ fidei, &c. dicunt quòd omnis persona, & omnis congregatio errans in fide, omni alteri non sic erranti in causâ fidei est subjecta; & talis est præstantior in Ecclesiâ qualiscunque aut cujuscunque conditionis existat.

Ad confirmationem concesso *antecedente* negant *consequentiam*. Tum *primò*, quia papa est persona publica, gerens vices totius Ecclesiæ, & tamen potest contra fidem errare, & per *consequens* consimiliter Concilium generale. Tum *secundo*, quia non oportet quòd omnis persona vel communitas gaudeat omni prærogativâ qua gaudet illa cujus vices gerit; *quare*, &c. Et ad auctoritatem beati *Gregorii* dicunt, quòd loquitur de Conciliis deificè & ritè à Catholicis celebratis. Et loquitur *de facto*, non *de possibili*; quare non oportet sic esse de omnibus aliis. Ad aliam confirmationem potest dici, quòd stat quòd illi qui sunt in generali Concilio, non sint congregati in nomine *Christi*, sed quòd sint *Christo* contrarii, tamen hoc non obstante non sequitur propositum; quia illo concesso staret, quòd sic congregati errarent in fide propter causam ibidem tactam; quia scilicet non propter hoc sunt in fide confirmati. Nec valet replicatio, quia non sic potest

test argui de Ecclesia universali. Nam licèt sit viatrix, tamen confirmata est in fide universalis Ecclesia: nec talis confirmatio repugnat statui viæ, ad intellectum suprà expressum. Nec valet quod dicitur, quòd licèt quilibet seorsum possit errare, tamen non sequitur quòd omnes simul congregati, &c. Nam concursus ad eundem locum non reddit aliquos magis inobligabiles à fide quàm ante: quia sicut locus non sanctificat hominem, sic non confirmat in fide. Talis etiam concursus in *Christi* nomine habet locum in Conciliis particularibus & provincialibus; de quibus tamen constat, quòd possunt errare: *quare, &c.*

Secundo loco probat iste magister *secundam partem antecedentis sui principalis*, scilicet quòd tota multitudo clericorum non potest difformari legi *Christi*, quia Deus ita stabilivit sacerdotes *Leviticos* ut in judiciis de his quæ erant divinitus præcepta non possent errare sic quin eorum judicio esset standum; *ergo* multò fortius sic assistit sacerdotibus novi Testamenti; maximè in his quæ concernunt fidem; & præcipuè illis ad quos se tota communitas Ecclesiæ refert in his quæ sunt fidei. *Consequentia* patet: *antecedens* probat per Scripturam, *Deuter.* 17. Ubi Deus dixit filiis *Israel*, quòd de omni judicio difficili & ambiguo debeant venire ad sacerdotes *Levitici* generis, & ab eorum sententiâ non declinare neque à dextris, neque à sinistris. *Item* confirmat per aliqua superius tacta in *tertiâ*, & *quartâ rationibus*, quia sequitur quòd posset cessare in Ecclesiâ ordo prælationis & distinctio graduum, &c. contra Apostolum; immò quòd deficere posset sacerdotium *Christi*, Sacramenta, & alii ritus Ecclesiæ, &c. *Consequentiam* probat, quia qua ratione posset illa tota multitudo errare in uno articulo, pari ratione in omnibus pertinentibus ad sacerdotium & sacramenta, &c. Quia non plus est confirmata respectu unius, quàm respectu alterius, &c.

Ad ista potest probabiliter dici: ad primum, negando *antecedens*: & ad probationem dicitur, quòd illa auctoritas intelligenda est in illis judiciis sacerdotum *Leviticorum* in quibus non errabant contra legem; sed si contigisset eos sic errare, sicut possibile fuit, tunc ab eorum judicio & sententiâ fuisset declinandum: *Quare*, &c. Ad confirmationem, licèt suprà tactum sit de materiâ argumenti, tamen adhuc potest dici dupliciter: *uno modo*, quia licèt tota multitudo clericorum contra fidem erraret, tamen aliquis sacerdos remaneret habens potestatem ordinandi, ligandi, conficiendi & alia sacramenta conferendi; & sic remanerent in Ecclesiâ ordo prælationis, distinctio graduum, sacramenta & alii ritus: & licèt fortè non in actu, tamen in potentiâ propinquâ. *Alio modo*, dicunt aliqui quòd licèt omnes clerici hæreticarentur, aut omnino nulli remanerent, propter hoc Ecclesia potestatem habendi prædicta nequaquam amitteret, licèt illa nunquam habere posset per humanam potestatem; sed per miraculosam Dei operationem, qui scilicet diversis modis posset de aliquibus laicis catholicis sacerdotes & Episcopos ordinare & hoc suæ Ecclesiæ revelare: in quo casu omnes catholici deberent taliter ordinatos à Deo sicut veros episcopos & sacerdotes habere. Et licèt temerarium esset asserere talem casum de facto aliquando evenire; tamen esset etiam temerarium hujus casûs potestatem negare; quia hoc esset de futuris temerè divinare, & contra articulum de Dei omnipotentiâ impudenter impingere; quod est absurdum: *quare*, &c.

Tertio loco probavit iste magister *tertiam partem sui principalis* antecedentis; scilicet quòd *Romana* Ecclesia, quæ distinguitur à totâ congregatione fidelium sicut pars à toto, legi *Christi* non potest difformari: & quia multi diversimodè capiunt *Romanam* Ecclesiam, ideo ad præsens vocat Ecclesiam *Romanam*, illam penes quam residet auctoritativè totum judicium in his quæ fidei sunt totius universalis Ecclesiæ secundum ordinem à *Christo* institutum: quæ scilicet complectitur papam, & alios ritè ad suum collegium pertinentes; & vacante sede salvatur in illis solis, in quibus est auctoritas consilii sui dicto modo. Et hæc videtur esse intentio *Hieronymi*, & aliorum doctorum, quando tantum extollunt *Romanam* Ecclesiam, ut in multis *decretis* apparet. Hoc supposito arguit sic: *Romana* Ecclesia sic sumpta est pars universalis Ecclesiæ, & tamen non potest difformari regulæ legis *Christi*, quia ad eam sic difformari, sequitur Ecclesiam universalem illi regulæ difformari. Quod probat; quia sicut *Christus* ordinavit quòd Ecclesia universalis non possit difformari suæ legi, ita etiam ordinavit quòd illa Ecclesia particularis penes quam residet auctoritativè judicium universalis Ecclesiæ non possit errare; cum ipsa sit à Domino constituta tanquam caput universalis Ecclesiæ; ut patet ex suppositione, & etiam in *Decretis* 22. *distinctione*. capit. *Sacrosancta*. Sed deficientibus sensibus in capite, deficiunt & in membris: *Quare*, &c. Confirmatur ex auctoritate suprà allegatâ *Deut.* 17. Ubi de summo sacerdote, & aliis sacerdotibus *Levitici* generis apparet, quòd Deus dedit eis in omnibus ambiguis auctoritatem judicandi judicii veritatem; ergo multò magis tempore novæ Legis, &c. Sed quia suprà hoc dictum

dictum est, ideo de hoc transeo causâ brevitatis. *Item* inducit auctoritates *Decreti*: *Una* est *Ambrosii* 24. *quæstione* 1. capitulo *Advocavit*: Ex cujus verbis datur intelligi, quòd nemo potest esse de catholicis episcopis, nisi cum *Romanâ* Ecclesiâ communicet. *Alia* est *Hieronymi* ibidem in capitulo, *Quoniam vetusto*; ubi loquens de Romanâ Ecclesiâ dicit, quòd supra istam petram fundata est Ecclesia, & quòd quicunque secum non colligit, dispergit. Et in eandem sententiam ponit *Cyprianus* 93. *distinctione*, capitulo *Qui cathedram*: ubi dicit, *Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ se esse non confidat*, &c. *Tertia* est *Hieronymi*, ubi suprà in capitulo, *Hæc est fides*, dicentis, quòd sancta *Romana* Ecclesia semper immaculata permansit, & in futuro permanebit, & immobilis omni tempore persistit. *Quarta* est *Augustini*, in libello *contra epistolam fundamenti Manichei, capitulo* 2. dicentis, *Ego Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas*: Sed hæc auctoritas principaliter residet in illa Ecclesiâ quæ est caput aliarum modo dicto: *quare*, &c.

Ad ista probabiliter & solùm recitativè & non assertivè potest dici: Ad *primum* respondetur, quòd capiendo *Romanam* Ecclesiam modo prædicto, ipsa potest difformari legi *Christi*: nec ad hoc sequitur universalem Ecclesiam legi *Christi* difformari: & ad probationem dicitur, quòd *Christus* solùm de Ecclesiâ universali, & non de aliqua Ecclesiâ particulari ordinavit, quòd nunquam difformabitur suæ legi sicut in Vesperiis probavi. Et quando ultrà arguitur quòd imò, de illâ Ecclesiâ particulari apud quam residet authoritativè judicium universalis Ecclesiæ, & quæ est à *Christo* constituta caput ipsius, &c. Respondetur quòd ipsa particularis Ecclesia *Romana* non est caput universalis Ecclesiæ, nec apud eam residet auctoritas prædicta, nisi sub conditione, scilicet quamdiu ipsa manet in fide rectâ. Nam licèt ipsa in beato *Petro* recepit eam, tamen nihil videtur prohibere quin eam possit perdere, sicut & Ecclesia *Antiochena*: & ita tamen si ipsa fieret infidelis, aut hæretica, illi qui prius erant Ecclesia *Romana* desinerent esse caput Ecclesiæ, nec haberent talem principatum aut auctoritatem prædictam; nec propter hoc deficeret fides Ecclesiæ universalis. Et quando dicitur quòd deficientibus sensibus in capite, deficiunt & in membris, &c. Respondi, quòd licèt quantum ad multa sit similitudo inter corpus *Christi* mysticum, quod est Ecclesia, & corpus materiale hominis, tamen non in omnibus est similitudo: quia corpus hominis non manet vivum sine capite; Corpus autem Ecclesiæ manet vivum, scilicet vitâ fidei & gratiæ, absque capite in terris, utpote dum caret summo Pontifice, tamen tunc habet caput in cœlis, scilicet *Christum* qui est caput Ecclesiæ, ut dicitur *Ephes.* 1. Et quamvis *Romana* Ecclesia post Papam sit ipsius Ecclesiæ membrorum principale, & ratione ipsius potest dici caput ejus; tamen sine ipsâ posset esse Ecclesia. *Quare*, &c. Ad auctoritates *decreti*, specialiter ad tres primò inductas, Respondetur, quòd sunt intelligendæ sub conditione supradictâ, scilicet quamdiu *Romana* Ecclesia non errat contra fidem. Loquuntur etiam de facto, & de illâ Ecclesiâ quæ erat tempore illorum sanctorum, sed non loquuntur de possibili. Et ideo si in futurum contingeret quòd *Romana* Ecclesia hæreticaret, sicut videtur possibile, nec oppositum est ex Scriptura revelatum, quare hoc dicere esset temerarium; tunc illud quod in dictis auctoritatibus affirmatur, in illo casu non haberet locum. Et quòd illa *tertia* auctoritas, quæ est *Hieronymi*, sit intelligenda sub prædicta conditione, patet ex ejus modo loquendi; quia dicit quòd Domino providente, & beato *Petro* opem ferente, ipsa sic immaculata permanebit: id est, si Dominus provideat & beatus *Petrus* opem ferat, sic scilicet quòd ipsa fidem *Petri* & Apostolorum teneat. Ad auctoritatem *Augustini* dictum est, quòd non loquitur de particulari Ecclesia *Romana*, sed de Ecclesia universali. Quod patet *primò*, quia absurdum esset dicere quòd auctoritati alicujus particularis Ecclesiæ esset magis credendum quàm Evangelio. *Secundo* patet ex verbis *Augustini*; quia loquitur ibi de Ecclesia quæ succedit à tempore *Petri* usque ad tempus suum; & sic ipsa comprehendit *Petrum*, & alios Apostolos ac Evangelistas, & sanctos omnes à quibus in Ecclesia susceptum est Evangelium & publicata doctrina Christi: & sic major est illius Ecclesiæ auctoritas quàm Evangelii. Quando autem subinfertur, & hæc auctoritas universalis Ecclesiæ principaliter residet in illa Ecclesia quæ est caput aliarum; Patet ex jam dictis quid ad hoc sit respondendum. Et hæc de *Quintâ ratione* principali. *Sexta ratio* sua principalis fuit arguendo ex dictis meis sic: Ex Scriptura Sacra convincitur, quòd semper sit aliqua universalis Ecclesia quæ *Christi* legis regulæ nunquam difformetur; *igitur* idem convincitur de aliqua particulari Ecclesia. *Antecedens* est *tertia conclusio tertii articuli* Vesperiarum mearum: *consequentiam* probat, quia impossibile est salvari Ecclesiam universalem sine particulari, sicut impossibile est salvari totum integrale sine aliqua ejus parte.

Solutio prædictorum: plena autem responsio è Theologis Protestantibus petenda est: non à (quantumvis probo) Cardinale.

Zzz 2 Et

Et quia probavi *conclusionem* meam per hoc, quia quod in Scriptura attribuitur toti, & nulli parti, temerarium est hoc asserere de parte. Ex hoc ipse confirmat argumentum suum improbando meam conclusionem, & simul solvendo rationem arguendo sic: Quicquid in Scriptura attribuitur toti, sic quòd non stat cum Scriptura illud convenire toti, nisi conveniat alicui ejus parti, hoc temerarium est negare de parte: sed semper usque ad diem judicii conformari Legi Christi attribuitur in Scriptura toti Ecclesiæ, & non stat cum Scriptura hoc convenire toti Ecclesiæ, nisi conveniat alicui ejus parti, ut ex prioribus est deductum: *Igitur.*

Ad istam rationem aliàs respondi negando *primam consequentiam*; & ad probationem etiam negavi *assumptum.*

Dixi enim quòd impossibile est Ecclesiam universalem salvari sine Ecclesia particulari: patet clarè, quia per *Ecclesiam particularem* non intelligo quamlibet partem integralem Ecclesiæ universalis, sed aliquam congregationem fidelium partialem quæ non est tota Ecclesia universalis. Si autem tota Ecclesia universalis salvaretur in duobus suppositis, patet quòd nulla esset Ecclesia particularis, quia nulla esset congregatio fidelium quæ non esset tota Ecclesia universalis: *quare,* &c.

Et per idem patet, quòd confirmando rationem suam ipse truncatè & sophisticè tractat & solvit rationem seu probationem conclusionis meæ: Unde quando ipse arguit, Quicquid in Scriptura attribuitur toti, &c. Hic dico *primò,* quòd *minor* est falsa, quoad primam partem, propter hoc quod dicitur ibi [usque ad diem Judicii] quia semper usque tunc non durabit Ecclesia militans de qua loquor, ut patet ex dictis in solutione *primæ* & *secundæ* rationis. *Secundò* dico, quòd eadem *minor* est falsa quoad secundam partem, intelligendo per partem Ecclesiæ, non quamlibet ejus partem integralem, sed aliquam Ecclesiam partialem seu particularem, ut statim dictum est. *Tertiò* dico, quòd ista dicta sua non vadunt ad intentionem meæ conclusionis, sed solùm ad quandam sophisticam vim sermonis, modò secundum *philosophum* sermones sunt secundum materiam subjectam accipiendi. Et secundum *Hilarium* intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi. Intentio autem meæ conclusionis, sicut patuit ex dictis meis, erat, quòd data quacunque etiam particulari certæ denominationis, quæ non sit toti congregationi fidelium generalis: verbi gratia, Ecclesia clericorum, Ecclesia *Italicorum,* Ecclesia *Gallorum,* &c. ex Scriptura Sacra non convincitur quòd semper sit aliqua talis, sive consimilis denominationis, quæ *Christi* legis regulæ conformetur: & contra hoc solum arguit *quinta ratio* sua superius soluta: & quia replicationes suæ factæ contra hoc in *prima* sua lectione sunt solùm sophisticæ & non theologicæ, ideo transeo de eis gratia brevitatis. Et hæc dicta sint de *tertia conclusione* & suis adjunctis, & de tota ista quæstione solum disputativè, & non assertivè.

Finis quæstionis disputatæ in Resumpta.

DETER-

DETERMINATIO UNIVERSITATIS *Parisiensis* in causâ Schismatis; longissimi scilicet illius inter *Clementem* Antipapam, &c. & *Urbanum* vi.

Ex Manuscripto Exemplari vetusto transcripta per *Wilhelmum Crashavium*, Albæ (quæ dicitur) Capellæ apud Londinenses quondam Rectorem.

Universis Christi fidelibus, Universitas Studii Parisiensis, zelantissima pacis, salutem, & in ædificium sacrosanctæ militantis Hierusalem charitatis vinculo conniti.

QUUM, fideles in Christo nobis dilecti, ante paucorum mensium spatium, ad abolendum schisma nequissimum, quod catholicam inquinat Ecclesiam, & lethali jam tamdiu vulnere sauciat, Christianissimi *Francorum* principis edicto nobis imperatum erat vias quasdam idoneas exquirere, quibus ipsa sancta mater Ecclesia posset facilè & citò, jucundæ pacis assequi dulcedinem, nos eidem sanctæ Matri, ejusque calamitati lachrimosæ, pio compassi animo, & regiis pariter mandatis, ut ex debito tenemur obsequentes, totas mentium nostrarum atque studiorum vires ad excogitandum vias aptas ad hoc & commodas contulimus; & tandem reperta una quæ nobis congruentissima videbatur, eam Regi memorato vivæ vocis oraculo porreximus; ne scilicet ardens zelus unitatis Ecclesiæ orthodoxæ, & quæ ex ea dependet, prosperitatis fidei catholicæ, qui nostra ad id pectora sinceriter ac servidè accenderat, remitti fortè putetur, aut tepere: Quantò enim magis rem cernimus, ad desideratum finem celeriter obtinendum, dispositam (supernâ id, uti credimus, providente Clementiâ) tanto operam nostram, curam & diligentiam universam, instantius, enixius atque magis indefessè rei ipsi non cessamus impendere. Et quia inter tempora, quæ à schismatis fluxerunt initio, usque ad nostros hos dies, nullum magis opportunum, magis conveniens, magis acceptabile nostro quidem judicio fuit quàm hodiernum tempus est, idcirco nobis visum est, ut ad consummationem percelerem res propior, facilior atque proximior esset, ex multiplici viarum...... ancipitique..... in unam viam præcipuè, & particulari quadam approbatione descendere, ut quæ cæteris sit aptior, quæ melior, quæ præstantior, quæve expedientior, nostræ æstimationis arbitrio plenè patefaciamus.

Via ergo ista quam velut faciliorem, magis idoneam & compendiosam primitus eligendam esse arbitramur, est plena ac ultronea renunciatio utriuslibet partium, ad jus quod habet vel habere se prætendit: quam, inter quasque alias humano reperibiles ingenio, profunda per nos super hoc meditatione, longaque & vigilanti hinc inde discussione præhabitis, longè præstare credimus: quod ne gratis esse dictum quis forsitan existimet, rationibus munire ac monstrare decrevimus.

Et ut per quendam ordinem, res nostra minus confusa ac magis dilucida sit, rationes ad hoc ipsum inducendæ, ex quadruplici, in genere, proficiscuntur origine; ex parte *viæ ipsius*: Ex parte *causæ ipsius*, & ex parte *contendentium*, & ex parte *sanctæ matris Ecclesiæ*.

Ratio autem sumpta ex parte *viæ ipsius*, ex quadruplici iterum fonte manat: fontes verò illi quatuor sunt: *facilitas* viæ, *securitas*, *perfectio*, &, qui illæsus servatur per eandem, *honor utriusque obedientiæ*. Primò quidem via ista est levior, facilior ac compendiosior: quis enim est qui nesciat multo facilius esse duos homines, per quos stat hoc schisma, Juri suo propter pacem, si filii pacis sunt, cedere (quod in momento temporis solò utriusque verbo, eodemque brevissimo factum esset) quàm Concilium aliquod generale de distantissimis terrarum partibus, & totius penè Orbis vastissimo circuitu convocare, aut

aut viros electissimos utriusque partis, in compromissum aliquod, conciliumve particulare, maximo invidiatum certamine congregare? Quæ etiam ubi essent tandem supremo labore congregata, maxima tum litium dispendia longissimos temporum tractus ad Juris discussionem exigerent. Satius ergo videtur & longe doctius sectari viam istam quæ brevis est, proclivis, aperta, plana insuper & recta, & nullis prorsus scopulis aut sentibus impedita, quàm alias difficiles, longas atque perplexas, & per plurimos * confractus ad exitum perducentes, ne scholasticis pueris similes esse dicamur, qui ut serius in scholam perveniant, protractiorem requirunt semper viam. Quis enim unquam viator, nisi aut planè stolidus aut non libenti animo perveniens ad terminum, postposito itinere breviori, longioris moras quærit itineris?

* Fort. [anfractus.]

Sed securiorem esse viam istam quàm alias ex eo argumentum est, quòd per eam multò magis quàm per quamcunque aliam pacarentur & quietarentur hominum conscientiæ utrobique; cessarentque omni modo remorsus & scrupuli; imò per eam schisma radicitus & à stirpe tolleretur ac evelleretur, nec ejus aliqua radix, fomes aut seminarium remaneret, ex quo rursum resurgere aut repullulare posset: Secus autem in aliis per quas, altero eorum remanente, multi de parte altera, ex fixa adhæsione .... minimè contentarentur, nec de eorum mentibus dubietatis scrupulus excideret, sed contra se injustè judicatum clam aut palam quererentur; attentâ præsertim maximâ apparentiâ & colore rationum utriusque partis (à quibus difficillimum esset eos dimovere) & diuturnâ nimium schismatis duratione: Et ex hoc certè scrupulo rediviva dissensio facilè renasci posset, aut nova fortè hæresis hinc oriri. Præterea in aliis viis posset, imò verisimiliter satis visa multa malitia hominum hujus temporis, incidere corruptio, vel subornatio judicum, compromissariorum, Notariorum, testium, prælatorum aut principum per quos ea res fieret: Et timendum nimis esset ne pars quælibet tenderet toto virium conatu, ut pro se definitio aut sententia ferretur, per munerum dationem, preces importunissimas, per pacta, conventiones & pollicitationes, per blanditias, per minas ac terrores; &, ut in enumerando finem faciamus, per singulas astutias, artes, machinationes & subdolas insidias per quas hominum animi capiuntur: ex quo contingere possent in ipso pacis tractatu rixæ, dissensiones, iræ & inimicitiæ, probra, contentiones & contumeliæ, quolibet pro parte suâ quam defendere promisit, pertinaciter nitente, nec alteri ullo modo cedere volente; *Sciant*, inquit Psalmista, *Gentes, quoniam homines sunt &* ...... carnis fragilitate, humanis passionibus & incommodis istis subjecti, & quomodo inter tantos conflictus Deus pacis versabitur aut pedem referet? *Non est*, inquit Apostolus, *dissensionis Deus, sed pacis*; unde & aliò loco ad *Corinthios* scribens idem ait, *Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* quasi apertè diceret, Non secundum Deum, qui pacis auctor, amator, propagator & largitor existit. Potest ergo ...... illis, qui viam istam salutarem despexerint, alias minus congruas præferendo, improperari illud *Jeremiæ, Ergone decepisti Populum istum & Jerusalem, dicendo pax erit vobis, & ecce pervenit gladius usque ad animam?* Aliis utique viis ab istâ quamplurima erroris, fallaciæ aut scandali pericula sunt annexa, à quibus ista tuta est & libera: quare illam præcellere jure cæteris dicimus. Est namque valdè multorum opinio, quanquam impossibile sit in illis quæ fidei sunt, Generale Concilium aberrare, Sacro ipsum dirigente Spiritu; in his tamen quæ facti sunt, ex falsâ suggestione, aut mendacibus testibus falli aut errare posse, ipso scilicet Spiritu veritatis propter mendacem spiritum prævalentem, deserente, & Concilio ipsi, quantum ad ea facta quibus sibi resistitur, & patri mendaciorum diabolo subservitur, nullatenus assistente. Quæ sententia si vero innititur, quis in tantum cæcatus est ut pericula errorum non videat, quæ tam multa evenire in viâ discussionis juridicæ possunt? Quæ cum ita sint, nemini debet in dubium verti, multo securius esse per hanc viam incedere, quàm per alias quascunque ambiguas & insidiis undique circumseptas.

Quod insuper via ista sit cæteris perfectior, pluribus ex radicibus ostenditur. Nonne, quæsumus, est clarè perfectius Juri suo liberè cedere, & seipsum dignitate propter Dominum & totius Ecclesiæ serenam tranquillitatem abdicare, quam in magnam perniciem, detrimentum aut scandalum Ecclesiæ, dignitatis fastigium retinere, aut diuturno tempore velle pro præsidentiâ contendere? *Estote*, inquit Christus, *perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est:* & quæ sit hæc perfectio, quam à discipulis suis exposcat, eodem loco exponit, *Qui vult*, inquit, *tecum in judicio contendere & tunicam tollere, dimitte ei & pallium.* Ecce viam cessionis, veluti perfectissimam, à *Christo* apertissimè prædicatam, & longis discussionum ambagibus præpositam! Sed & *Gentium Doctor* in 1ª ad *Corinthios* Epistolâ, *eis ad verecundiam esse dicit, quòd apud se judicio*

judicio frater cum fratre contenderit: & paululum pòst subdit, *Jam quidem omnino delictum est in vobis quòd judicia habetis inter vos: quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Quid pro cessionis viâ clarius adduci potest, quid evidentius? Quod si omnibus hoc scribit *Corinthiis*, quid de summo pontifice, cujus summa debet esse perfectio, censendum est? O beatissime *Paule*, prædicator & doctor veritatis, qui *Petro* ita acerbè in faciem restitisti propter legis *Judaicæ* modicam cæremoniam per valdè paucum temporis observatam, quid de hoc inveterato & abominandissimo *schismate* diceres? An in Sanctâ Ecclesiâ ad quartum usque lustrum tam pestiferum venenum impune tulisses? an tu disceptationum vias penitus interminabiles eligendas hortareris? an cuique partem suam, languente interim Matre, pertinaci animositate defendere per cavillosas Jurium astutias suaderes? Nimirum aut desistere citissimè utrumque compelleres, aut diutius certantes dominandi libidine, ut *Christi* vicariatu penitus indignissimos, & noxios Ecclesiæ vastatores, durâ atque asperrimâ increpatione abigendos esse prædicares. Hæc est enim Salvatoris & legiferi nostri ad discipulos certantes quis eorum major esset, responsio, *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem super eos habent, benefici vocantur; vos autem non sic*: quod constat ad præsidendi detestandam libidinem esse dictum: ubi *Chrysostomus* ait, Dominum insinuare voluisse Gentile penitus esse primatus ambire, quanquam Gentiles nonnulli in hac quoque sententiâ consentiant, Turpe & dedecorosum esse, de honorum gradibus certare; ut *Cicero*, cujus hæc sunt, *Miserrima omnino est ambitio honorisque contentio:* de qua præclarè apud *Platonem* est, similiter facere eos qui contendunt uter potius rempublicam administret, ut si Nautæ certent quis eorum potissimum gubernet. Pontifex verò supremus, cæterique citra eum Pontifices sicut Apostolorum gerunt similitudinem, & eorum imitari vitam & opera debent: sic *Christi* verba præmissa & pro se sibi dicta accipere, eaque toto virium studio complere. Caveant itaque sibi ne terrenæ potestati nimium se conformando, extincto prorsus in eis humilitatis spiritu, sceleratis *Pharisæis* similes sint: In quorum improperium per Salvatorem dicitur, *dilatant phylacteria sua & magnificant fimbrias, amant primos accubitus in cœnis & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi:* imò sibi esse dictum intelligant, *Nisi abundaverit Justitia vestra plus quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Præterea quid duorum perfectius, an *quærere quæ sua sunt, an quæ Jesu Christi?* per hanc autem spontaneam cessionem quæruntur immediatè quæ *Christi* sunt: per reliquas magis quæri videntur quæ sua; in quibus proprius honor, qui brevis, temporaneus & caducus est, petitur: Hic nempe, in *Cessione* videlicet, salus Gregis & ovium maximè optatur: illic lac magis & lana; cum tamen dicat *Cicero*, *Tutela & procuratio Reipublicæ ad eorum utilitatem qui commissi sunt, non ad eorum quibus est commissa, gerenda est:* hinc est in *Ezechiele* illa pastorum majorum semetipsos & non gregem pascentium comminatoria vituperatio. Quid quòd illud præstantius & perfectius semper est quod sui maximè causa existit, quàm illud quod alterius: deterius quippe semper gratia perfectioris, & nunquam vice versa est: sed certè omnes viæ gratia cessionis sunt & in eam ad postremum ordinantur, ut scilicet per alterius saltem, & nescimus an duorum cessionem, restituta bona pace, tollatur ab Ecclesia dissidium: Cessionis autem via non in aliam aliquam sed in pacem tantummodo reducitur. Quid quòd illud etiam perfectius, quod magis sine medio & morâ finem attingit, quàm longis intervallis, & mediis interjectis assequitur: Ejusmodi autem, ut præmissa demonstrant, est libera renunciatio; nequaquam aliæ viæ. Denique quid perfectius esse potest, quam *Christi* velle sectari vestigia? cujus quælibet actio humanæ * est instructio: ad quæ arctè imitanda vestigia, summus pastor Ecclesiæ, aut qui se talem jactitat, permaximè astringitur: Cui singulari voce ante alios dictum est, *sequere me.* Cum ergo magister summus, pastor summus, *Jesus Christus*, & boni pastoris esse docuerit suam pro Grege animam exponere, & in exemplum posteris pastoribus suam ipse posuerit, qua directiori viâ gressus ejus sequi potest eorum uterque, quàm (non suas dicimus animas (neque enim id ab eis exigitur) sed) temporalem aliquem modicum honorem, plus laboris quàm jucunditatis, &, ut poetæ verbum est,

——*Plus aloes quam mellis habentem*

pro sibi commisso grege (aut quem commissum asserunt) exponendo, ut à lupi vastatoris ipsum faucibus eruant, qui nunc eum acerrimè, confligentibus inter se pastoribus, rapit, dispergit, laniat, vexat, infestat, dissipat? Et cum, teste *Gregorio*, incomparabiliter melior sit anima qua vivimus, terrena substantiâ quam exterius possidemus, qui non dat pro Ovibus substantiam suam, quando daturus est animam suam? Et quid terrenæ nomine

* Deest fortè [vitæ].

nomine substantiæ, nisi bona hæc omnia terrena & fragilia accipiendum putamus, Opes, honores, gloriam, cæteraque fortuito & temporali transitu labentia, quæ si quis pluris æstimet quàm sibi creditas oves, non jam *Pastoris* nomine, sed plane *Mercenarii* censendus est: eodem subjiciente *Gregorio*, *Qui plus terrenam substantiam quàm oves diligunt, hi nimirum pastoris nomen perdunt & jam mercenarii sunt; qui lupo adveniente, juxta Christi sententiam, non oves quidem defendunt, sed sine ullo custode derelinquunt, dissimulant atque fugiunt.* Nam, ut sursum idem Doctor præclarissimè describit, *Mercenarius est qui locum quidem Pastoris tenet, sed lucrum animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa ab hominibus reverentiâ delectatur*: Hæc sanè non est illa perfectio quam in suis discipulis & in eorum posteris pastoribus *Christus* inesse voluit, quamque illos imitari præcepit, cum dixit, *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Sed ad nostrum redeamus propositum, & monstratâ hujus viæ majori perfectione, quantum satis esse debet, eam honoris maximè ostendamus servatricem: quod quarto loco positum inter probanda fuerat.

Et manifestum quidem est, nec longæ probationis egere videtur, quòd hæc via magis servat honorem utriusque obedientis, in se, & in suis membris ac partibus, quam aliæ qualescunque Justitiæ discussivæ: Hic enim decus Regnorum, Principum & populorum alterutrum tenentium illæsum permanet, absque ullâ unquam notâ erroris aut infamiæ: imò & diffidentium maximè auget honorem via ista, qui ex hoc insigni facto perpetuò laudabuntur: Illic verò necesse est alterutrius partis dedecus aut scandalum exoriri; & quis scit, an utriusque? cum tenebrosum adeo sit negotium ipsum, ut viri ingeniosi & acuti quamplurimi vix quicquam ibi videant. Quemadmodum autem poterimus, si fraternæ charitatis ulla in nobis scintilla existit, tot gentium, nationum ac provinciarum, quot in utraque parte sunt, ignominiam quærere aut scandalum?

Audite *Christum* dicentem in Evangelio, *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, expedit sibi ut mola asinaria ligetur in collo ejus & demergatur in profundum*: Quid ergo de illo erit, qui mediam aut majorem fidelium portionem scandalizaverit? Audite & Apostolum, *Si esca scandalizaverit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*: Quantâ sollicitudine tam multæ plebis scandalum devitasset, quantumve abhorruisset, qui de uno tantùm fratre sic loquitur? Ad omnem itaque viam discussivam videtur posse adaptari illud Psalmi, *Hæc via illorum scandalum*: Nec valet in contrarium adducere dictum *Gregorii*, *Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur*: Id enim intelligitur de veritate doctrinæ præcipuè; & non de veritate Justitiæ, & præsertim rigorosè contendentis; quæ, sicut tradunt Doctores frequenter, relinquenda est, ne inde fratri veniat scandalum, si aliter obtineri nequit: utpote velut ipsi, exempli causâ, inducunt de debiti repetitione & rigido Judicii certamine cum fratris scandalo; Ad quod redit illud *Christi* superius inductum de tunicâ & pallio, & *Pauli* admonitio de fraudis & injuriæ liberâ perpessione. Quid ergo de schismaticâ contentione istâ dicendum est, in quo rigor Justitiæ cum maximo Ecclesiæ universæ scandalo quæritur? & non nisi cum majori amplissimæ fidelium portionis obtineretur? Rursum auctoritas illa de clarâ & perspicuâ veritate accipienda est; & de qua nemo ambigit nisi ignarus, insanus aut nimium fortè obstinatus, & qui videre recusat veritatem: Sed hîc de occultissimis & supremè latentibus certamen est; ubi maximè prudentes & literati ambigunt quid verius: Quanquam enim literati pene omnes de parte alterutrâ se teneant: non tamen certè illud est in plerisque absque magnâ formidine, & plurimâ hæsitatione: liquidò igitur patet ex præmissis, hanc viam honestiorem, & honoris ambarum partium, longè magis quàm alias servatricem: Et ista satis dicta sint de dicta probatione quadrifariam partita, quæ suam ex parte *Viæ* ducit originem.

Secunda radix nostra principalis ex *ipsâ Causâ* nascitur, ejus conditionibus, natura, circumstantiisque eidem adhærentibus, quæ similiter, ut præcedens, ex quadruplici trahitur fundamento

Ex schismatis diuturnitate.
Ex vehementi colore rationum utriusque.
Ex partium in rebus gestis inextricabili contrarietate.
Ex difficultate Judicis & præsidentiæ.

I. *Ex diuturnitate* siquidem magna insurgit in causa, si discutienda esset, difficultas; cum fixæ & radicatæ sint ex mora partes ambæ, hinc inde, & jam in eis habitus quidam generatus, cum res jam in incuriam & pene oblivionem per seram provisionem & tanti

tanti fluxum temporis transierit: Cum tot de utraque parte excellentissimi viri, & qui ad discussionem . . . . post schismatis exordium decesserint, & insuper quotidie secundum legis naturæ rationem de vitâ excedant: totque novi & recentes & negotii penitus ignorantes exorti sint: imò cum jam duo illi, inter quos . . . . introivit dissensio, obierint, & ad alios translata . . . . prope indissolubilem humano patrocinio res venerit; quæ si adhuc per tantundem duraret spatii, quæ humana auxilia desertæ & desperatæ Ecclesiæ opitulari valerent? In *Græcorum* dissidium, nisi dexteram præbente Altissimo, laberemur, quod scelus indignissimum, & execrabile nefas, nec nos nec tuam videre, Clementissime *Christe*, per fer Ecclesiam: Quod si ob nostras à nobis pessimas iniquitates tanto temporum decursu . . . . tuam saltem Ecclesiam, pro cujus extructione sacratissimum Cruorem fudisti, & tua sibi promissa recordare, & ne des hæreditatem tuam in perditionem. Sed nos ad Rem redeamus.

2. Et cum tanta ex tempore, ut docuimus, pendeat difficultas, non minor proventura est ex *colore rationum partis utriusque*: qui vel ex eo maximus arguitur, quòd sic Catholicum Orbem universum conturbare, commovere & in varias scindere sententias valuerit, quòd doctores præcellentissimos, qui sunt æneæ Columnæ portantes Tabernaculum, vacillare & concuti coegerit: His primam electionem præ metu affirmantibus invalidam: Illis contrà dicentibus secundam aut vitiosam aut nullam omnino; ad quam, non cassatâ prima nec de ipsius errore fide facta, processum est . . . . . de quamplurimis perplexis & ambiguis quæ ex hac & illa parte adducuntur. Ad quæ plenè & apertè resolvenda summo labore & cura & longissimo temporis intervallo opus esset: Et adhuc bene nobiscum ageretur si tuti esse possimus, quòd per hæc ad lucem rei veniretur, sed id etiam ipsum incertum est.

3. Maxima perplexitas *ex partium in re gesta contrario certamine* resultat: Nam concesso quòd per Jura possent ea quæ Juris sunt terminari, (quanquam inter tot Jurium numerosam congeriem pauca (ne dicamus nulla) de schismatis edita sunt terminatione, quod satis mirabile est cum à prima Ecclesiæ Origine tot jam fuerint *schismata*) Esto ergo quòd per Jura possent ea quæ Juris sunt definiri: Quis dissidentes invicem partium relationes in re gesta concordabit? quis adversa instrumenta? quis repugnantes etiam fortasse testes? quis discindere poterit de Justitia partium, cum adhuc de re gesta ex qua rei totum extat fundamentum, lis pendeat: de qua ante Judicii lationem inter partes convenire necesse est? Imò certè cum de facto, nisi per partes ipsas, de quarum causa agitur, bene constare nequeat, quas simillimum veri est, cum sic inter se discrepent, nunquam debere invicem consentire, aut alterius alteram acquiescere dicto, quis unquam finis haberi, quæ conclusio poterit aut definitio? Dædali persimilis est labyrintho res ista, in quem cum introieris, nec finis ullus certus est, nec exitus, sed quo magis ad intimum processeris, eò . . . involutus amplius implicaberis.

4. Sed & aliqua imminet difficultas *ex parte præsidentiæ*. Nam cum, secundum doctrinam plurimorum Jurisconsultorum, quod sæpe nobis aliàs arguitum est, Papa sit supremus Judex Ecclesiæ qui omnia dijudicat & à nemine judicatur, & cui non est qui dicat cur ita faciat? Imò per ipsum unicū possit cogi Conciliū . . . . illic convenientes præsideat, aut papam judicet, præsertim extra hæresis nequitiam. Uterque autem se papam profitetur, & veluti papam se gerit, quinetiam eò magis papales cæremonias sibi observandas putet, quo posse de Jure suo facilius dubitari arbitratur, si quantumlibet de eis remitteret. Quamvis enim hæc ratio in assumptis aliquibus nullatenus usquequaque verum contineat, sed clarè refelli possit; nequaquam tamen in eo à verisimili exorbitat, quòd propter assentatorum & fautorum utriusque turbam magnam ex speratis aut collatis ab eo beneficiis priora & similia auribus suggerentium, tum propter dulcem honorum assuetudinem atque excæcationem, tum propter inextinguibilem cujuslibet ad seipsum atque propria commoda affectum, quæ frivolis ejusmodi leviter acquiescere magnates faciunt, poterit intervenire per dubia hujusmodi inania non parva retardatio & altercatio: Nam, ut apud Satyricum verissimè est scriptum,

——Nihil est quod credere de se
Non possit cum laudatur, diis æqua, potestas.

Et hæc sint de *secundâ principali ratione ex causa pertinentibus descendente.*

Sequitur *Tertia radix, ex parte Contendentium profecta*; quos, si ultrò resignare voluerint, verisimile omnino esse debet ex hoc insignis meriti præclarissimo opere (quo nullum Deo gratius efficere possunt, etiamsi Martyrium subierint) sempiternam gloriæ mercedem cum *Christo* consequuturos, & in beatorum sortem ac numerum ascribendos,

 cum

cum ex copiosissima & exuberantissima charitate tam celsi opus meriti proveniat, secundum cujus mensuram datur merces. O fœlices & fortunatos homines! quorum ita in manu est per vocis emissionem brevissimæ, Paradisum promereri, vitam æternam assequi & beatos esse: Sed contrà, ô miserrimos & non cœlesti bravio, verum potius ærumnis sempiternis dignissimos, si isto assequi pacto obstinatè refugiant, si divinum consortium una dissyllaba voce recusent emere; si temporalem honorem, quem non in pace obtinent, sed in maximo turbine & cordium angustia pluris apud se faciant quàm divinum judicium, divinum timorem, aut Ecclesiæ per eos immanissimum scandalum. Quòd si eos tantum juvat temporalis honor, videant quàm amplissimus futurus sit honor ille quem ex hac adipiscentur cessione; per quam, quamdiu secula subsistent, eorum semper clarescet memoria, eorum fama vigebit, & nomen in annalibus inter viros illustres celeberrimum manebit. Contrà verò, si *Christi* sacratissimam sponsam Ecclesiam sic discerpere certando perseveraverint, verendum nimis est eis, ne pars eorum tandem sit cum reprobis, inquiente Apostolo, *His qui ex contentione & qui non acquiescunt veritati, ira, indignatio, tribulatio & angustia:* quinetiam quanto gradu celsiori extolluntur, tanto perniciosiùs delinquentes, severiorem perferent ultionem, & majori in hoc mundo subjacebunt infamiæ; quemadmodū à poetâ præclarè & conformiter ad catholicā dictū est veritatem,

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat major habetur:

Et, sicut vult Apostolus, ut duplici honore digni habeantur hi qui bene præsunt; ita certè ex adverso, illi qui male præsident, duplici ignominiâ notandi sunt; quia & plurimum sibi officiunt & aliorum procurant detrimentum. Ideo per *sapientem* tre-

† Sap. 6. 6. menda & terribilis denunciatur in eos sententia †, *Horrendè & citò apparebit vobis; quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet:* dubitare enim habent vehementer ne ...... dicantur hujus pestis sævissimæ & omnium scandalorum malorumve hinc .... rei esse, cum per suam voluntatem, si adesset, totum in ictu oculi sedaretur. *Nihil*, ut ait Comicus, *dicto facilius:* suum tantummodo dictum, & ipsum perexiguum, requiritur: quod si ad tantam Ovium redimendam stragem negant, plurimum vereri habent ne tandem audituri sint

* Ezech. 3. 18. quod in prophetâ legitur, * *Sanguinem eorum de manu vestra requiram.*

Porrò, cum aliæ viæ eos verisimiliter ad *Cessionem* habeant compellere, etsi nullâ alterâ de causâ, istâ tamen, quòd tamdiu Ecclesiam laceram & dissipatam tenuerunt; nonnè congruentius est, potius & honestius voluntarium cedere, & (ut in proverbio est) *urgentem necessitatem in virtutem convertere*, quàm invitum & renitentem de sede depelli? Huc accedit præterea, pastoralis officii injuncta obligatio, qua disjectum gregem congregare & dispersas & errabundas oves adunare debent, imò perditas quærere solicitè, & in humeris propriis ad ovile reportare, juxta *Christi* parabolam *de centum ovibus; quarum unicâ errante, pastor, ut eam requirat, derelinquit in deserto nonaginta novem:*

* Cap. 34. 3, 4, 5. Et juxta acerbissimam exprobrationem quæ fit malis pastoribus per * *Ezechielem, Lac comedebatis & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis, quod infirmum fuit non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, quod fractum non alligastis, quod abjectum non reduxistis, & quod perierat non quæsistis; sed cum austeritate & potentiâ imperabatis eis, & dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri:* ad quod postea subditur horrenda de hoc neglectu vindicta: Ex quibus satis elucet boni pastoris id esse, perditas oves quærere, dispersas & dissipatas in unum cogere. Sed, ut prædicta declarant, nullâ viâ faciliùs, meliùs, aut perfectiùs hoc potest fieri in casu præsenti, quàm cedendo; cum *Cessio* confestim unionem ac pacem afferat; mansio in præsulatu, semper dissipationem ac litem augeat. Postremò, juxta doctrinam Apostoli,

† 1 Cor. 12. 25. ut *in humano* † *Corpore non sit schisma, membra pro sese invicem solicita sunt, & si quid patitur unum membrum, compatiuntur cætera:* ne capiti aut pedibus noceatur, manus sedulò tuetur & semetipsam exponit: Contrà verò, ne .... sit læsio, celeri fugâ provident pedes ipsi: Et sui & aliorum periculum oculi circumspiciunt ac præcavent: Quid auris? nonne attentè auscultat ne alicunde erumpant ad nocendum insidiæ? sicque compagem Corporis & ejus pacatissimam harmoniam in qua salus & vita est, cuncta pro viribus membra servant ac protegunt, &, si violata fuerit, redintegrare quamprimum toto studio festinant: Et cum hæc allegoricè ad mystici Ecclesiæ Corporis instructionem sint posita, sicuti ipsemet adaptat Apostolus; *vos estis*, inquit, *Corpus Christi & membra de membro:* Nonne est absurdissimum, immò intolerabile, cum pacem & concordiam Ecclesiæ cætera membra quæritent extrema vigilantia, & Capiti ad hoc ipsum subserviant, Caput ipsum, ex quo uno pendent in toto Corpore ac membris cæteris, sensus, salus, regimen ac vegetatio, pacem istam

non

non quærere, verùm potiùs solvere, & à membris eripere, aut jam solutam saltem in Corporis universi exitium confodere? Audiamus Ciceronem, *Quem*, inquit, *discordia, quem cædes Civium, quem bellum civile delectat, eum ex numero hominum ejiciendum, eum ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto*: Et certè bellum istud plus quàm civile est, quod, si quis apto nomine velit appellare, *Domesticum furorem* dicere poterit: in quo non civis cum cive, non affinis cum affine, sed (quod furoris omnino aut dementiæ est) Caput cum membris propriis & corpore, membra quoque adversum se, nec minus adversum caput præliantur. Annon ergo dementiæ est in semetipsum sævire & violentis manibus propria membra truncare ac persequi? Quonam modo erit durabile corpus Ecclesiæ, si non tantùm ab hostibus extrinsecis, sed à proprio capite, membris ac partibus suis disrumpatur, laceretur & scindatur? Si per * manus aut oculus quia corpus scandalizant, abscindi atque projici præcipitur, unde capiti libertas ut hoc impunè faciat? *Potestatem*, inquit Paulus †, *nobis Deus dedit in ædificationem, non in destructionem*: quare & alibi ait, * *Abscindantur qui vos conturbant.* Ecce nedum *cessionem* sed *Abscissionem* dicit. Et ut se significaret, nomine prorsus exempto, universaliter loqui, audite quid adjectum est, † *Qui autem vos conturbat, portabit judicium quicunque est ille*: Ut igitur cum Apostolo concludamus, * *Si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Et tanta de *principali tertiâ parte sint* . . . . .

* fortè [per Evangelii doctrinam].
† 2 Cor. 10. 8.
* Galat. 5. 12.
† Gal. 5. 10.
* Gal. 5. 15.

Restat *Quarta Consideratio principalis* ex miserandâ nimium & lugubri *Ecclesiæ desolatione & assidua per* . . . . Nam quis pectoris adeo adamantini est, quis ferme Tigridum lacte sic pastus, quem non *Matris Ecclesiæ* moveant ac emolliant diræ nec enarrabiles miseriæ? Quis piæ mentis filius Matrem suam longo annorum spatio adversâ valetudine in grabato decumbentem, pressam languore maximo, dolore acerbissimo affectam, & jam deducto capite, membrisque à se invicem divulsis prope semineceem non horreat, quis non ei condoleat ac misereatur? quis conatibus eripere maturissimè non festinet? Fingamus hanc nobiscum sic loquentem, & suas augustias edisserentem.

Querela languentis ex schismate Ecclesiæ.

'O filii charissimi, quos genui, quos peperi, & iterum parturio donec formetur in 'vobis *Christus*, quos visceribus gestavi, quos uberibus alui, quos à primâ Origine cor'porali filios iræ genitos & in mortem abeuntes, ego melior genetrix secundâ nativi'tate spirituali in *filios adoptionis, in vitam* & in *gratiam* reformavi: Cernite mœrores 'meos, cernite anxietates, attendite & *videte si est dolor sicut dolor meus.* Ego illa quon'dam præpotentissima, opulentissima & florentissima Regina, domina Gentium & prin'ceps provinciarum, quam metuebant Tyranni, colebant Imperatores, proceres venera'bantur, adorabant Reges, cui omnis tribus & linguæ Nationum, unanimi jugo servie'bant, quæ latissimè imperans in omni gente & populo primatum tenui, quæ & subli'mium colla & superborum cervices, virtute calcavi: Nunc, ut videtis, languida, egena, 'deserta jaceo, auxilium ab omnibus per viam transeuntibus exposco, & non est qui conso'letur ex omnibus charis meis: Quid filios procreasse, quid fœcundam fuisse profuit? In 'meas fœcunda fui miserias; *filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*; Et non mo'dò spreverunt me, sed pugnaverunt contra me; & non modò pugnaverunt, sed & vul'neraverunt me; Nec tantùm vulnerarunt, sed & relictam nudam despoliaverunt, me'amque *inconsutilem vestem*, sibi diviserunt; neque vestem tantummodo, sed & caput dimi'diatum, membraque penè omnia crudeliter ab invicem distraxerunt. Videte caput diffis'sum in duo media, videte cruentam plagam; quam vix, ut ego video, præ horrore aspi'cere potestis: sed forti este animo, quid ora hinc avertitis? retorquete huc faciem, aversos 'à me oculos rursum in meos referte aspectus: Jam abominandissima videbitis, Intus intus 'aspicite, introrsum vestros figite intuitus, nihil est quod vidistis; quid hæretis, quidve re'fugitis? spectate confidentius, omnia apertissimè videbitis. nulla obstant velamina, 'nulla tegumina; plaga enim non est . . . . nec curata medicamine neque 'fota oleo; nullum adhuc remedium post tanti cursum temporis admotum est . . . '. . . . . veteris plagæ livorem, tabidam saniem, ossa cranii putrida, carnem emor'tuam, vermes ex cerebro ipso, grege cumulatissimo erumpentes, & ex celeris medelæ 'defectu, vulnus ad curationem supra modum difficile: Et cum mihi *Caput* ægrum adeo 'sit, quæ sanitas esse potest in membris cæteris? Sanè & ventrem doleo, & vix anheli'pectoris incommoda fero; utque cuncta uno verbo expediam, *à plantâ pedis usque ad 'verticem, nulla est in me sanitas*: Videte roseos olim meos vultus, genas purpureas, 'nunc in deformem maciem pallorémque versos esse; videte clara lumina & syderi'bus decore similia, nunc in terram jugi fletu dejecta; lætissimam olim frontem, nunc 'rugis indecentibus & nubila tristitiæ caligine obductam: Quæ si mihi ab externis in'flicta essent hostibus, quanquam acerbissima sint, multò tamen æquiore paterer animo;

'Sed id ægerrimè fero, quòd à propriis filiis in quos nihil commiseram, & quos per 'omnia gratè, piè, dulciter, benignè, indulgenter & maternè tractaveram, quos ad 'maximas copias, honores ac dignitates extuleram, ista mihi pro mercede referuntur. 'Quamobrem, per has lachrymas, per si quis vestræ parentis in vobis amor est, si 'quis honor, si qua cura, per quantum vobis cordi est *Catholica Religio*, quantum sa'lutarissima *Sacramenta*, quæ me vobis ministrante suscepistis, per quantum vestram salu'tem, quæ sine me nulla esset, diligitis, his me citissimè malis eripite, & tandem mi'seremini mei saltem vos Amici mei, si quis tamen mihi restat jam amicus, quem hæc 'tanta *Matris* tangat injuria, excutite hunc torporem, & quæ hactenus . . . . . de'sidiam expellite: si me salvam esse vultis, si ex isto periculo unquam revocare, suc'currere mihi properate; nullas protelationes, nullas dissimulationes ultra morbum 'expectate. Jam vix pauca singultim effari valeo, ita vehementer angor & majori quàm 'pariens dolore torqueor: Vos autem qui de miserabili Capite meo certatis, parcite tan'dem laceræ & semimortuæ Matri: vestros ad compassionem flectite animos, Ma'trem vestram sic impiè discerpere, aliquando desinite: Et si vos ullæ movere possunt 'miseriæ, hæ moveant.

Si his nobiscum vocibus Ecclesia loqueretur, quis tam ferrei animi, qui non commisetesceret, qui non emollito corde moveretur, qui non exaudiret eam, & suis acquiesceret postulatis? Ipsa verò quotidie gemitibus assiduis atque querulosis nimium suspiriis sic loquitur: quid enim aliud sonat vox *omnium fidelium* sine intermissione *cessionem* clamantium, quid literæ? quid vota, quid preces? quid omnis gradûs homines, omnis ætatis, ordinis, sexûs & conditionis aliud postulant? quos sacro instigante Spiritu, sic unanimiter loqui credendum est. Caveant itaque sibi illi ad quos hæc res pertinet, ne eis improperetur illud quod *Stephanus* ait ad *Judæos*, *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto restitistis.*

Imò consensus iste & universalis acclamatio fidelium pro viâ istâ videtur æquiparari quodammodo Concilio generali, & ei obtemperare debent partes, tanquam cuidam divinæ voluntatis super hac re indicio aut significationi. Quare si eos non movent rationes paulò antè adductæ, saltem Matris Ecclesiæ moveant querelæ & jugis obsecratio. Et *Quarta nostra radicis* hic Finis sit.

Hæc, nobis in Christo Dilectissimi, super via *Cessionis* ejusque super alias præcellenti ad hanc pacem idoneitate, vestris Dilectionibus scribere libuit, ut vobis elucesceret apertiùs in hac parte nostra opinio, cui vos hortamur in Domino sinceriter adhærere, ut tetrum jam inveterati schismatis chaos, quod inter Ecclesiæ membra fraternæ dissensionis indignatio diabolicis artibus commota firmavit, illucente in vobis *veri Solis radio* dissolvatur.

Datum in Congregatione nostra Generali, apud Sanctum *Mathurinum* super hoc specialiter celebrata, unanimi omnium facultatum & Nationum consensu, Sancto quidem, ut credimus, Spiritu interveniente, Anno Domini *Millesimo Trecentesimo Nonagesimo quinto*, die 26 Mensis *Augusti*.

E. B. Lectori salutem.

CONsilium hoc seu Determinationem *Universitatis Parisiensis* de tollendo, quod tunc per viginti annos invaluerat, schismate, solidam & pacificam excudimus è schedis *Wilhelmi Crashavii*, suâ ipsius manu in Fasciculo suo (de quo suprà) exaratis; ex quo verò exemplari antiquo ille descripserat, non comperimus: illius viri fides major est apud nos quàm ut minima de ea suspicio oriatur. Sententiam hanc *Academia* illius illustris & doctæ, cujus non exigua pars tunc temporis fuit *Petrus de Alliaco*, utilem viris literatis fore nullus dubito: spirat ea ubique pacis & veritatis *Christiana* studium summopere laudandum; & exinde patet quàm difficile fuerit, quis verus quisve falsus, è duobus papis Sedem *Romanam* simul vendicantibus, discernere; ideoque totus rei cardo hic vertitur, ut uterque *papatui* renunciet; quod argumento est, neutrum fuisse, eorum opinione, ritè papam; vel unum saltem nihil amplius juris habuisse quàm alterum. Major fuit illius *Academia* authoritas & doctrina, quàm ut à quopiam literatorum hominum consortio sperneretur. Numeratur hoc *schisma papale*, de

de quo nunc agitur, 23. & mirum quidem est cultores sedis *Romanæ*, quæ tot fœdis schismatis polluta est, tantum de *unitate* gloriari, nobisque *schismata* in os objicere: sed *schismata Romana* (scilicet) nihili sunt; schismata *Protestantium* sunt omnium teterrima: esto quidem, *Bellarmine* & Bellarminiani, modò nihil nobis cum *Papis* & *antipapis* vestris negotii sit: dissentimus interim nos in rebus parvis, non de Ecclesiâ *bicipite* aut *tricipite*, sicut vos; qui ex numerosâ *paparum* varietate perdidistis jamdiu Ecclesiam vestram, nobisque dedistis ansam probandi & demonstrandi obrutum esse à multis seculis Ecclesiæ vestræ ordinem, omniaque jura esse apud vos confusissima; cum *papas* habeatis pro legitimis, qui *regnum* quidem *pontificium* administrarunt, sed non majori jure quàm si ego hodie *Innocentii undecimi* infulam vendicarem: id quod ex hisce duabus Epistolis, quas huc ex codice *Cottoniano* (unde *Grossetesti* Epistolas sumpsi) transtuli, probatum dabo. Certatum est olim graviter de *Petri*, quam dicunt, successione, inter Victorem quartum. & Alexandrum tertium, furiosum istum & amentem pontificem qui *Imperatorem* insolentissimè conculcavit, *Angliamque* nostram interdicto (adeo olim desipuit gens nostra) subjecit. Adi, Lector, biographos, *Platinam*, *Sabellicum*, &c. abducuntur ii omnes istius ævi præjudiciis: *Alexander* erat *pseudo-papa*, non *Victor*: consule *Radevicum* de gestis *Friderici* 1. Imp. inter illustres *Germaniæ* Scriptores ab *Urstitio* editos Francof. 1585. ubi pag. 535. sub anno 1159. cap. 51. videbis epistolam hanc *Alexandri*, licèt aliis inscriptam & alicubi variatam; paginâ verò 551. cap. 70. Rescriptum invenies Patriarchæ *Aquileiensis* & totius *Synodi Papiensis* pro *papa Victore*: quod cum ego deprehendi mancum, & *Radevici* vel astu vel ignorantia egregiè depravatum, operæ pretium duxi, in gratiam antiquitatis studiosorum, ex vetustissimis membranis in lucem proferre. Confer, lector, utrumque exemplar; te non magis tædebit legentem quàm me excribentem: tecum autem cogita quàm parum ingenuè nos tractant historici *Romani*, cum nobis uno ore obtrudunt *papas* qui reapse *antipapæ* fuerunt, & econtra; noli autem in lachrymas solvi, cum duos simul papas se invicem diris devoventes, & fulmina pontificia, alterum in alterius caput, strenuè & fortiter jactantes videris; *dulce bellum inexpertis*. Vale lector & temetipsum ama.

EPISTOLA PAPÆ *ALEXANDRI* prima post consecrationem suam missa ad *Theobaldum* Archiepiscopum *Cantuariensem*.

Ex Cod. Cotton. Grossetesti Epist. & multa alia continente.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo, ejusque suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem.

ÆTERNA & incommutabilis Providentia Conditoris sanctam & immaculatam Ecclesiam à suæ fundationis exordio, ea ratione voluit & ordine gubernari, ut unus ejus pastor existeret, cui universi Ecclesiarum prælati absque repugnantia subjacerent, & membra tanquam suo capiti cohærentia ei se mirabili quadam unitate conjungerent, & ab ipso nullatenus dissiderent. Qui verò Apostolis suis pro eorum fidei firmitate promisit, dicens, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, ille proculdubio Ecclesiam suam, cujus ipsi Apostoli magisterium assumpserunt, sua promissione fraudari nullo modo patietur; sed eam in suo statu & ordine, licèt adinstar naviculæ Petri fluctuare aliquando videatur, perpetuò faciet permanere. Unde & quamvis hoc tempore tres falsi fratres, qui à nobis exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in angelos lucis, cum sint Satanæ, inconsutilem Christi tunicam, quam utique Christus idem, in persona Psalmographi, à leonibus petit & frameâ erui & de manu canis orat & postulat liberari, scindere & laniare laborent; Christus tamen auctor & caput Ecclesiæ eam velut unicam sponsam suam provida gubernatione tuetur, & navem egregii piscatoris, licèt sæpius quatiatur, à fluctibus non permittit naufragium sustinere. Porrò cum antecessor noster bonæ memoriæ Adr. R. Papa kal. Septembris dum essemus Anagniæ, debitum naturæ solvisset, & de terris

terris ad cœlum, de imis migrasset, vocante Domino, ad superna; eo Romam adducto & 2. non. Septembris in Ecclesia beati Petri, præsentibus ferè omnibus fratribus satis honorificè, sicut mos est, tumulato; cœperunt fratres & nos cum eis, secundum Ecclesiæ consuetudinem, de substituendo Pontifice in eadem Ecclesiâ studiosius cogitare; & tribus diebus de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram insufficientem huic oneri & tantæ dignitatis fastigio minimè congruentem, omnes fratres, quotquot fuerunt, tribus tantùm exceptis, Octaviano sc. Johanne de S. Martino & Guidone Cremensi, Deo teste quia non mendacium fingimus, sed meram, sicut est, loquimur veritatem, concorditer atque unanimiter convenerunt, & nos, assentiente clero & populo, in Romanum Pontificem elegerunt. Duo verò, J. & Guido, quos prænotavimus, tertium, Octavianum videlicet, nominantes, ad ejus electionem pertinaciter intendebant: unde & ipse Octavianus in tantam audaciam vesaniamque prorupit, quòd mantum, quo nos reluctantes & renitentes, quia nostram insufficientiam videbamus, juxta morem Ecclesiæ, O. prior diaconorum induerat, tanquam arreptitius à collo nostro propriis manibus violenter excussit, & secum inter tumultuosos fremitus asportavit. Cæterùm cum quidam de Senatoribus tantum facinus inspexissent, unus ex eis spiritu divino succensus mantum ipsum de manu eripuit sævientis: ipse verò ad quendam capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat & paratus, illico flammeos oculos frendebundus inflexit, clamans & minans ut mantum quem secum portaverat, festinanter afferret: quo utique sine morâ delato, idem Octavianus abstracto pileo & capite inclinato, cunctis fratribus aut loco inde aut voluntate remotis, mantum per manus ejusdem capellani & cujusdam alterius clerici sui ambitiosus assumpsit, & ipse idem, quia non erat alius in hoc opere capellano & clerico extitit coadjutor. Verùm ex judicio divino credimus contigisse quòd ea pars manti quæ tegere anteriora debuerat, multis videntibus & ridentibus, posteriora tegebat; & cum idem ipse hoc emendare studiosius voluisset, quia caputium manti extra se raptus invenire non poterat, collo fimbrias circumduxit, ut saltem mantus ipse appensus ei quomodolibet videretur; sicque factum est ut * hoc tortæ mentis erat & intentionis obliquæ, ita ut ex transverso & obliquo mantus fuerit in testimonium suæ damnationis indutus. Quo facto, portæ Ecclesiæ quæ firmatæ fuerant, reserantur, & armatorum cunei, quos, sicut ex re apparuit, pecuniæ largitione conduxerat, evaginatis gladiis & immenso strepitu cucurrerunt; & pestis illa mortifera, quia Cardinales & Episcopos non habebat, armatorum catervâ militum vallabatur. † Considerate itaque Venerabiles in Christo fratres, tam piaculare flagitium, tam execrabile sacrilegium; attendite & videte si est dolor sicut dolor iste, & si ab exordio nascentis Ecclesiæ tanta vesania unquam fuerit aliquolibet schismatico vel hæretico attentata. Fratres verò facinus tam immensum & à seculis inauditum ex insperato videntes, & formidantes ne à conductis militibus truncarentur, sese in munitionem Ecclesiæ nobiscum pariter receperunt; ibique novem diebus continuis ne exinde liberè exiremus, fecit nos quorundam senatorum assensu, quos pecunia oblata corruperat, die nocteque armatâ manu cum omni diligentiâ custodiri. Sane populo incessanter ac jugiter acclamante, & in Senatores pro tanta impietate, multa & immanitate fremente, de custodiâ fuimus illius munitionis * excepti & nostræ redditi libertati. Sequenti die Dominica, venerabilibus fratribus nostris G. Sabinensi, Huberto Ostiensi, B. Portuensi, Walt. Albanensi, J. Sigtuen. & B. Terracinensi Episcopis, Cardinalibus quoque, Abbatibus, Prioribus, Judiciorum advocatis, Scriniariis, Primicerio & Scholâ cantorum, nobilibus etiam & quadam parte de populo Urbis apud Nimsam, non longè ab urbe insimul congregatis, munus consecrationis accepimus, & sicut in Romanâ Ecclesiâ consuetudinis est, ibidem Pontificali † regno magnificè fuimus ac solenniter coronati. Cæterum prædictus Octavianus cum pro consecratione, imò execratione, suâ, dum & in urbe esset, & postquam latenter urbem exivit, multos pecuniis & blanditiis allicere voluit; sed nihil, Domino impediente, profecit: unde nec adhuc invenire potest, licèt modis omnibus enitatur, qui ei manus execrationis imponat, & se tantæ faciat impietatis & temeritatis auctorem: verùm memorati J. & Guido cæcitatis tenebris obvoluti (quoniam scriptum est, *Peccator cum venerit in profundum vitiorum, contemnet*) nec sic à suâ præsumptione damnabili resipiscunt, sed eundem Octavianum, quem sibi in statuam erexerunt, obstinata perfidia venerantur, & eum, relictâ unitate Ecclesiæ, præsumunt usque adhuc tanquam idolum aut simulachrum adorare. Ipse autem Antichristi tempora præfigurans, usque adeo erectus est supra se, ut etiam in Templo federit, ostendens se tanquam sit Deus, & multi abominationem desolationis stantem in loco sancto, non sine multâ lachrymarum effusione, corporeis exceperunt oculis. Sanè nos infirmitatem

† Desunt hæc in Radevico.

* Aliter est in Radevico, quem vide.

† Triplex Papæ corona vocatur *Regnum mundi*, teste patre Paulo Venet. in Epist.

firmitatem nostram & virtutum indigentiam cognoscentes, nostrum jactamus in Domino cogitatum, sperantes & de Christi misericordiâ plenius confidentes quòd Ecclesiam suam sanctam, pro qua ipse idem in substantiâ nostræ mortalitatis apparuit, ut eam sibi non habentem rugam aut maculam exhiberet, optata faciet tranquillitate lætari, & procellarum omnium inundatione sedatâ, nihil erit quod jam ei possit obsistere, * nisi unicus sponsus ejus noluerit nubilosaque & noxia propulsare. * Aliter est in impresso.

Nunc igitur quia nos de nostrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honestate ac religione vestrâ plenam fiduciam obtinemus, vestris & universalis Ecclesiæ precibus infirmitatem nostram petimus adjuvari; Charitatem vestram per Apostolica scripta rogantes & commonentes attentius, ut sicut viri catholici vos pro domo Domini muros inexpugnabiles opponatis, & in devotione ac fidelitate matris vestræ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ immobiliter persistentes, ab ejus unitate nullatenus recedatis. Quòd si præfatus *vir impietatis* ad partes vestras aliqua damnationis suæ scripta transmiserit, ea sicut respuenda sunt respuatis, & tanquam vana atque sacrilega contemnere & abjicere studeatis.

Noverit insuper discretio vestra quòd nos supradictum Octavianum apostaticum & schismaticum in octavo die à consecratione nostrâ (tunc enim terminum resipiscendi, & ad unitatem matris Ecclesiæ redeundi præfiximus) tanquam inobedientem & contumacem, & illos qui ei manus præsumerent, non dicimus consecrationis sed execrationis imponere, de communi fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium voluntate atque consilio, accensis candelis, & coetu clericorum in Ecclesia congregato, vinculo anathematis & excommunicationis astrinximus, & eos cum suo auctore diabolo * commendavimus. Duos quoque fautores ejus, J. de S. Martino & G. Cremen. Ferentinatem Episcopum, qui ei præsumit pertinaciter adhærere, aliosque complices & principales coadjutores ipsius, & omnes qui scienter ei communicaverint, eidem excommunicationi & condemnationi decrevimus subjacere. Dat. Terracin. 3. Non. Octob. * condemn.

Plausibilis, ut dicimus, est unius querela, donec alterius quoque audiatur: aurem igitur Patriarchæ, &c. æquam præbeamus; ut utrâque, quod dicitur, parte auditâ veritas clarius emergat, & Alexandri tertii, bestiæ indomitæ, mendacia & hypocrisis detegantur. E. B.

EPISTO-

Quæcunque sepcis interclusa vides, ea, Lector, noveris juxta codicem Cottonianum esse; ab exemplari verò impresso abesse.

EPISTOLA PATRIARCHARUM Schismaticorum de electione & consecratione *Octaviani.*

[*Peregrinus Dei gratiâ Aquileiensis Patriarcha, Arnaldus Moguntinus, Remaldus Coloniensis & Hartvicus Bremensis, Archiepiscopi, & universi Episcopi & Abbates & viri religiosi in Concilio Papiæ congregati, Regibus & Principibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Marchionibus & omnibus Christi fidelibus, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem & Orationes in Christo.*]

QUIA sedis Apostolicæ perturbatio Christianorum animos admodum sauciavit, nos & qui ad resecanda schismata & pacem Ecclesiæ reformandam fuimus congregati, qualitatem causæ modumque negotii & Sacri Concilii statutum Universitati vestræ plenariè duximus intimandum; quatenus per scripta præsentia, merâ veritate monstratâ, auditorum animi falsitatem quam fortè perceperunt vehementer expellant, & amodo per scripta schismatica non seducantur.

Cum igitur orthodoxorum Papiæ congregatorum Universitas in nomine Domini consedisset, causâ per 7. continuos dies, remoto omni seculari judicio, legitimè & canonicè agitata ac diligenter inspectâ, sufficienter & canonicè in conspectu Concilii per testes idoneos est comprobatum, Dominum Papam Victorem & nullum alium in Basilica beati Petri à * seniori parte Cardinalium, petitione populi, consensu ac desiderio cleri, Romæ fuisse electum & solenniter immantatum, & quòd præsente & † tum contradicente Rolando, quondam Cancellario, in cathedra beati Petri fuerit collocatus, & quòd ibi à Cardinalibus & clero Romano, Te Deum laudamus, gloriosè est decantatum, & inde ad palatium cum bannis & aliis papalibus insignibus est deductus: [probatum est quòd eo tempore quo electio Romæ celebrabatur, erant in urbe tantummodo 22. Cardinales; ex quibus cùm dominus Victor, tunc Octavianus, & Rolandus segregati fuissent, remanserant tantummodo 20. electores; ex quibus 9. sanioris consilii & nulla conjuratione fœderati, quorum vox prima erat in electione, unaque cum capitulo beati Petri, petitione populi, consensu ac desiderio cleri, annuente ordine Senatorum & nobilibus Romanorum Dominum Victorem elegerunt]; & clerus & populus secundum consuetudinem interrogatus per scriniarium, si placeret, tribus vicibus, voce clara respondit, Placet. Probatum est etiam quòd Rolandus post domini Victoris promotionem 12. die ab urbe egressus apud Cisternam † in finibus Siciliæ in loco non celebri primò est immantatus. Probatum est etiam quòd in secunda die post promotionem Domini Victoris, Rolandus interrogatus à rectoribus cleri Romani & à clericis, si Domino Victori esset obediendum, expresè confessus est se nunquam fuisse immantatum, & expresè dixit, Ite & obedite ei quem immantatum esse videtis.

* san—
† [non] in impresso.
† Vide Radev.

Super his capitulis fuerunt testes, & sub stola tactis sacrosanctis Evangeliis juraverunt Dominus Petrus * Christianis Decanus basilicæ beati Petri cum duobus fratribus suis in persona sua & totius capituli basilicæ S. Petri, [ubi corpus ipsius Apostolorum Principis requiescit, quæ est mater nostra & caput omnium Ecclesiarum] [cujus etiam literas & testimonium plenum habeamus] † [Similiter juraverunt religiosi viri & honesti rectores & prælati cleri Romanæ urbis, qui omnia viderunt & tractaverunt; quorum nomina sunt hæc] Dominus Blasius Archipresbyter, Dom Mamerius Archip. [J. Archip. B. Archip. Item] J. Archip. Gentilis presbyter, Prolomæus Archipresbyter, Benedictus Decanus, Magister Girardus, Nicolaus & alii religiosi & honesti clerici Romani; Præterea P. Illustris urbis Præfectus, Stephanus de Thebis, Stephanus Normannus, Guimundus filius Petri Leonis, J. de Steph. & alii Principes & nobiles Romani, qui ad vocationem Serenissimi Imperatoris venerant, in conspectu Concilii

* Fort. Christianitatis.
† Vide Radev.

cilii super jam dictis capitulis omnes pariter testimonium similiter exhibuere & jurare voluerunt. Sed nos, quia religiosorum Archipresbyterorum multorum & capituli B. Petri testimonium sufficiens & abundantissimum habebamus, duximus laicis in hac parte parcendum. Deinde venerabiles Episcopi Her. Verdensis & Daniel Pragensis. O. Palatinus Comes & Herb. præpositus, quos Dominus Imperator ex Consilio 22. Episcoporum & multorum religiosorum Abbatum, aliorumque religiosorum tunc præsentium Romæ delegaverat, ut partes ante Concilii præsentiam Papiam evocarent, in conspectu Concilii testimonium perhibuerunt, quòd Rolandum Cancellarium & partem ejus trinis edictis per intervalla temporum peremptoriè & sollicitè ad præsentiam Ecclesiæ Papiæ tunc congregandæ, remoto omni seculari judicio, vocaverunt; & quòd Rolandus & sui Cardinales vivâ voce & ore proprio judicium vel examen aliquid Ecclesiæ se nolle recipere manifestè dixerunt. * [Ostensum est quòd iidem legati Rolando & suis sequacibus securissimum conductum sub fide Sacramenti in eundo ad Concilium, & manendo & redeundo præstare voluerunt: ad majoris quoque securitatis plenitudinem Dominus Papa Victor arces & castella & fratres ac nepotes suos obsides ei obtulit, si in facie Ecclesiæ secum judicio sistere voluisset: Rolandus verò qui ante hujusmodi vocationem instanter per literas & per legatos suos judicium multoties postulaverat, has omnes vocationes & securitatis promissiones contumaciter & superbè contempsit. Præterea conjurationem inter Rolandum & suos sequaces Cardinales nefandissimè perpetratam, per ipsos conjuratores & per literas Rolandi Mediolanum directas, & aliis manifestissimis indiciis deprehendimus & cognovimus : cujus conjurationis tenor & continentia talis erat, ut nunquam alter sine altero cum Romano Imperio pacem teneret: &, si interim papam Adrianum mori contingeret, unum de illis Cardinalibus & non alium in papam eligeret, qui eadem conjuratione teneretur: per scripta etiam Rolandi suo sigillo bullata, & in orbe transmissa, & in conspectu Concilii recitata, mendacia manifestissima ac detestabilia deprehendimus, in hæc verba, Testamur Deum, quem nullum latet secretum, quòd non mendacium fingimus, sed meram, sicut est, loquimur veritatem, quia duo tantùm elegerunt Octavianum, J. Sancti Martini & Guido Cremensis Cardin. cæteri verò omnes in nostram personam convenerunt. In his itaque Venerabile Concilium non mendacia solùm manifestissima deprehendit, sed etiam detestabile perjurium cognovit: præter eos namque 2. Cardinales quos Dominum Victorem elegisse Rolandus asseruit, habuimus in facie Concilii Electorem & consecratorem Domini Papæ Victoris Imarum Venerabilem Tusculanum Episcopum, omnium Cardinalium primum & antiquiorem, cujus erat prima vox in Electione Pontificis: habuimus & præsentem Dominum W. Cardinalem S.Petri ad vincula; quem advocati Domini Victoris, in præsentia omnium, Dominum Victorem elegisse affirmaverunt; & ipse W. in medio Concilii hoc audivit & non negavit. Item Dominus C. Cardinalis Sancti A. infirmitate detentus, per chirographum nobis voluntatem suam exposuit, & per nuncium jurare præcepit, Dominum Victorem se elegisse & ei obedisse; & eum & non alium in Dominum & papam se habere velle. Magister etiam Rodbertus, Cardinalis S. Mariæ in via lata, sicut pro certo cognovimus, eum elegit; qui etiam dum ad Concilium tenderet, à fautoribus Rolandi Pisis captus est & fustibus crudelissimè verberatus & in carcerem trusus. G. Sabinensis Episcopus & A. Cardin. & alii multi obedierunt Domino Victori; qui, ut cepimus, varia spe pecuniarum seducti, postea abierunt retrorsum.

* Desunt hic alia testimonia quæ in *Radevico* reperias: in illo autem desunt hæ lineæ 44. sequentes: quod imprimis notandum est: maximè enim facit contra *Alexandrum*.

Præterea nos antiquorum patrum vestigia & Romanæ Ecclesiæ consuetudinem imitantes, librum de vita & ordinatione Romanorum Pontificum super similibus causis & dissensionibus in medio Concilio fecimus recitari; ubi manifestè comperimus quòd in hujusmodi negotiis sancta Ecclesia illum semper statuit præferendum, qui petitione populi, consensu ac desiderio cleri à Card. prior est immantatus & in Cathedra B. Petri collocatus.

Illud etiam quod de Anacleto & de Domino Innocentio nostris temporibus accidisse recolimus, ad memoriam Concilii nihilominus est revocatum, quia licet una & eadem die ambo immantati fuissent, ille potius est ab Ecclesia approbatus, cujus immantatio aliqua diei parte præcessit. A seculo non est auditum quòd post unius immantationem, die transacta, alius postea fuerit immantatus. Rolandus autem non una sed XI. transacta die post immantationem Domini Victoris fuit immantatus]. Ex his igitur auctoritatibus & rationibus, veritate hinc & inde plenariè declaratâ, placuit Reverendo Concilio, ut electio Domini Victoris, qui tanquam agnus mansuetus & innocens venerat Ecclesiæ judicium humiliter suscepturus, approbaretur & confimaretur, & Electio Rolandi penitus cassaretur: & factum est ita. Electione itaque Domini Victoris, remoto

moto omni seculari judicio, Spiritus Sancti gratia invocatâ, confirmata atque recepta, Christianissimus Imperator noster, post omnes Episcopos & post omnem clerum, ultimus ex consilio & petitione Concilii Electionem Domini Victoris recepit & approbavit: & post eum omnes Principes ejus & innumerabilis hominum multitudo, quæ præsens erat, & interrogata tribus vicibus, si ei placeret? respondit cum gaudio, Placet.

Sequenti die proximâ, id est, prima sexta feria Quadragesimæ, Dominus Victor cum processione ab Ecclesia S Salvatoris extra civitatem, in qua fuerat hospitatus, ad Cathedralem Ecclesiam gloriosè deductus est. Ibi religiosissimus Imperator ante januas Ecclesiæ eum suscepit, & descendenti de equo strepam humiliter tenuit, & apprehensum per manum usque ad altare conduxit & pedes ejus osculatus est: & nos omnes, Patriarcha, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & omnes Principes, cum universâ multitudine quæ præsens erat, pedes apostolicos osculati sumus.

Proxima autem die sequente i.e. Sabbato, habito generali Concilio, Dominus Papa Victor, & nos cum illo, Rolandum olim Cancellarium, nunc schismaticum, & principales ejus fautores accensis candelis anathematizavimus, & tradidimus eum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. De cætero, ex parte Dei Omnipotentis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, & virorum Orthodoxorum, qui divino intuitu ad resecanda schismata convenerunt, Universitatem vestram imploramus & monemus in Christo, ut ea quæ Ecclesia Dei Papiæ congregata, ad honorem Creatoris, & sponsæ suæ matris nostræ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tranquillitatem & salutem omnium Christianorum fideliter ordinavit, vos, omni dubio & ambiguitate remotâ, irrefragabiliter ratum firmumque teneatis: orantes ut Redemptor noster Jesus Christus universalem Pontificem & Papam Victorem, de cujus sanctitate & religione omnino confidimus, per tempora longa conservet, & præstet ei omnimodam tranquillitatem & pacem; ita ut per eum Dominus Omnipotens honoretur, & Ecclesia Romana omnisque religio gratum Domino recipiat incrementum.

Ut autem omnis nostra actio plenius legentibus elucescat, duximus ut omnium nostrûm consensus & nomina subscribantur,

Ego Peregrinus Aquileiensis Patriarcha, cum fratribus & suffraganeis interfui & consensi.

Ego Arnaldus Moguntinus
Ego Wimanus Magdeburgensis
Ego A. Bremensis, Archiepiscopi interfuimus, cum omnibus suffraganeis nostris, & consensimus.
Helwinus, Trevirensis Archiepiscopus
Ebhardus, Salzeburgensis Archiepiscopus
Arelatensis Archiepiscopus
Viennæ Archiepiscopus
G. electus Ravennas, omnes per legatos & literas consenserunt.
Archiepiscopus & Dux Poloniæ per legatos & literas consenserunt.
Episcopus Augustensis.
Episcopus Tridentinus.
Episcopus Paduanus.
Episcopus † Flectrensis. († Feltr.)
Episcopus Celwinus.
Episcopus Mantuanus, Faventinus, * Veten. Pergam. Inglonensis, Landensis, Fermanus, Ferentinus, Terdon. Aquensis, Astensis, Taurinus, Vercellensis, Proporiensis, Cumanus, Novariensis, Cremensis, Gebennensis, Tull. Vidun. Basileensis, Wormaciensis, † Trect. Verdensis, Abelenburg. Hi omnes Episcopi interfuerunt & consenserunt. Est autem numerus Archiepiscoporum & Episcoporum, qui præsentes fuerunt, & qui literis consensum præbuerunt CLIII. Abbatum verò & Archipresbyterorum & præpositorum multorum Regnorum inæstimabilis multitudo interfuit & cum desiderio consensit. Interfuit etiam Dux Saxonum & Bavariæ, Dux Guello, Dux Thuringiæ, Dux Suevorum. Comes & Palatinus de Rheno, Comes Palatinus de Saxonia, Comes Palatinus de Bavaria & alii Marchiones & Comites, quorum numerum ignoramus.

(* fort. Venet.) (* fort. Traject.)

¶ De *Henrico* Rege *Angliæ* & aliis Regibus consentientibus, vide *Radevicum*; & fatere quæ ab *Alexandro* facta sunt, à *non-papâ* facta fuisse; Episcopos ab illo institutos & creatos non fuisse Episcopos, &c. Qualem ergo habemus hodie Ecclesiam *Romanam*!

NICOLAI

NICOLAI DE CLAMENGIIS *Archidiaconi Baiocensis*, & Doctoris Theologiæ Parisiensis, *de Corrupto Ecclesiæ statu Liber.*

CUM hesterno die, sacrorum eloquiorum codicem arripuissem, &, quæ prima fuit obvia, primam Petri Epistolam legere cœpissem, incidi in ea verba quibus Apostolus ait: * *Tempus est ut incipiat judicium de domo Dei*, quæ non sicut partes cæteras Epistolæ in transcursu pervolavi, sed lectionis impetu aliquantulum remorato, concussam horrore quodam quasi repentè suborto, mentem in his meam hærere coegi, atque in se verba illa altiùs tenaciusque defigere. Occurrerunt illico animo, satis horrenti & perturbato, pressuræ ac calamitatis quas nunc Ecclesia perfert, & quascunque majores multo (nisi falsum mens conjiciat) passura est. Occurrerunt & pariter causæ tantorum malorum justissimæ. Nam cum Ecclesiæ ipsius ministros (quorum dos & possessio Christus esse debet) ab omni contagione terrenæ cupiditatis excussos esse oporteat, cum pudicos esse conveniat, & ab omni inquinamento, carnisque petulantia alienos, qui cœlestia sacramenta pretiumque dignissimum redemptionis humanæ tractant, conficiunt, aliisque conferunt: cum pii esse debeant, qui piissimum judicem vicaria sorte repræsentant: cum justi, qui justissimum, humiles, qui humillimum, concordes & pacifici, qui pacis atque concordiæ inter Deum & homines esse debent conciliatores ac mediatores: Postremò cum eos deceat omni luce virtutum clarescere, qui in specula positi, forma & exemplar vivendi cæteris esse debent: sed pro his atque aliis quibus adornari deberent virtutibus, omnium colluvione vitiorum contaminati sunt; Quid tandem mirum, si illis multa adversa eveniunt? aut si aversus ab eis Deus, immanitate facinorum, dicat verba Psalmi: *Odivi Ecclesiam malignantium?* Atque ut pauca de vitiis ipsorum quibus ab irato Deo jure affligi meruerunt, enumerando perstringam, primum à cupiditate (quæ omnium fomes ac radix est malorum) initium sumamus.

Occasio libri scripti.

* 1 Pet. 4. 17.

Causæ corrupti status Ecclesiæ.

Quales esse debeant ministri Ecclesiæ.

Quales hodie sint & quid illis expectandum.

Nemo est (ut opinor) qui non satis audierit & mente teneat, quantum Christi Ecclesiæ ministri, viri utique probata virtute clarissimi omnique tempore laude meritò celebrandi, terrenam opulentiā contempserint, quàm nulla cura vel labore temporalia commoda quæsierint, solis victu & vestitu abunde contenti: *Habentes*, inquit Apostolus, *alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, quamque liberaliter rem familiarem (si aliunde uberior obvenerat) ad inediam pauperum sublevandam erogare curaverint. Metuebant profectò devotissimi homines, solam rerum cœlestium meditationem animo gerentes, ne si ad hæc transitoria amplectenda suum paulo latius affectum adjecissent, tantò animus eorum à spirituali contemplatione (cui se totos devoverant) avocatus, minus in Deum ferretur, quanto esset ad inferiora curanda atque cogitanda magis inflexus. Docti insuper cœlesti magisterio, *Deo pariter & Mammonæ servire non posse*, Sed divina agente gratia, quanto magis aspernabantur temporalem substantiam aut gloriam, tanto illis abundantius omni ex parte affluebat, instar umbræ, quæ sequentem fugit, at verò si fugias, semper indefessa comes insequitur. Cernentes etenim seculares homines, tam Principes quàm alii locupletes, ejusmodi virorum Dei sanctam & sinceram conversationem, ab omni terrena fæce, igne divini amoris excoctam, certabant undique illis copiosissima bona congerere, ut ab omni cura soluti, fervori possent devotionis (absque interruptione) liberius incumbere: beatos se existimantes, si aliquid quod de suis opibus in usus istiusmodi contulissent, recipere dignarentur, & pro se suorumque expiatione peccatorum, apud divinam clementiam intercessores fieri, sic multis præclaris dotibus opibusque magnificis Ecclesia aucta & insignita est. Sic fundata cœnobia, conventus instituti, extructa Capitula atque Collegia, sic sedes pontificales & parochiæ exortæ, sic templa, sic basilicæ pulcherrimæ sumptibus ingentissimis & mirabili opere, ex Principum plebiumque impendio fabricatæ, sic denique omnes gradus, universæque professiones hominum Ecclesiasticorum in amplissimas copias excreverunt, quas primitivi illi patres (qui suis eas adquisierunt virtutibus) non in profanis usibus (quemadmodum nunc plerique) consumpserunt, sed aut in eleemosynas & hospitalitatem cæteraque charitatis ac pietatis opera impendebant, aut si quid istis operibus mensæque frugali supererat, in cellas ædificandas, si fortassis alii fratres cœlitus inspirati religionis gratiâ advenissent,

Causa primitivæ fundationis & dotationis Ecclesiarum.

De laude priscorum.

sent, inque alia paranda, quibus parandis opus erat, convertebant. Nullus his thesaurus erat, nisi bonorum operum, sed amplissimus ille & refertissimus; nulla argentea vasa nec aurea, stanneis & fictilibus bibebatur, nullus magnorum equorum phalerarumque apparatus, nulla histrionum turba præambula, nullus calamistratorum aut comatorum juvenum comitatus, virgatis monstriferis habitibus, patulis & terratenus defluentibus manicis, quasi ritu barbarico indutorum. Fœlix erat his incolis mundus, plenæ urbes & agri populis, quos nulla aut rara lues absumebat, plena armentis stabula, pecora fœtibus, pomis arbores, sata frugibus, quia & cœli temperies terram in suo influxu ad apta quæque germina fœcundabat. Et terra nulli obnoxia maledicto, sed uberi benedictione, horum interventu donata, quasi ultrò ferax erat omnibus bonis. Vivebant diu homines, prosperaque valetudine fruebantur: nulla erat domi seditio, nullus foris metus, pacata omnia, tuta & tranquilla. Vigebant in hominibus illius seculi, charitas, innocentia, fides, pietas, justitia, sincera amicitia, rara fraus aut calumnia proximo fiebat. Quoniam in sanctâ vitâ & salubri doctrina pastorum, totius boni exempla, suo gregi æmulanda relucebant. Tanta siquidem apud Deum erat talium virorum ex vitæ integritate potentia, ut suæ intercessionis obtentu, bona mundus amplissima adipisceretur, & adversa pauca sentiret.

De insolentia orta ex affluentia rerum temporalium in Ecclesia.

Ubi verò (ut fere assolet) paululum ex divitiis rerumque secundarum affluentiâ, luxus & insolentia in Ecclesiam subiere, tepescere sensim cœpit religio, virtus hebescere, solvi disciplina, charitas minui, tolli humilitas, paupertas opprobrio esse, simulque parsimonia. Sed ut pompis & luxui res subesset, avaritia crebrescere, quæ non suis diu contenta finibus, aliena non modò ambire, sed rapere & invadere moliretur, inferiores opprimere, & tam jure quàm injuriâ spoliare. Et quoniam latissimum hunc campum ingressi sumus, libet de execrabili hac peste (quæ Ecclesiam jam adeo consumpsit ut pauca restent consumenda) paulò latius loqui. Ordiri autem rectissimè à prophetico possumus oraculo, & cum sancto Propheta Hieremia, de ministris nostris verissimè hodie dicere, *à minimo usque ad maximum omnes avaritiæ student, & à Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Quid enim satis dicere de eorum avaritiâ inexplebili possumus, quæ laicorum omnium negotiatorum cupiditatem superare videtur? immo quæ secularibus universis (seu Principes seu plebei sint) omnis injustitiæ, doli, fraudis & rapinæ provocatio est & incitamentum: dum simplices oviculæ pastorum suorum exempla imitantes, quæ eos agere viderint, sibi licere arbitrantur. Sed nos istius pestis nefariæ ab ipso summo vertice usque ad pedes originem & progressum videamus. Postquam (sicut jam dicere cœperam) ex rerum opulentiâ, studium temporalium mentes servorum Domini occupare cœpit, Deo simul & Mammonæ duobus dominis tam adversariis non potuerunt pariter deservire. Fuit itaque necessarium ut quantum diligentiæ in unius servitium impenderent, tantum alteri subtraherent: quantò verò amplius animum ad temporalia lucra adjecerant, tantò magis illa sitire, tanto amplius immergi in illis, sicque à cœlesti amore longius averti cœperunt. Hanc enim divitiarum naturam novimus, ut quò uberius habentur, eo abundantius animum ad sui semper incrementum majori accendere soleant concupiscentia. Ita igitur factum est, ut paulatim extincto in cordibus eorum Spiritu, frigescente charitate, tepente devotione, Deo denique oblito, solis terrenis fructibus capescendis inhiarent, sola in dignitatibus beneficiisque aliis emolumenta pensarent. *Nulla prorsus hodiernâ die in assumendis pastoralibus sarcinis, in curaque animarum subeundâ de servitio divino, de salute subditorum aut edificatione, mentio habetur, de proventuum ubertate tantummodo & quantitate quæritur.* Nec verò tantopere quæritur, quanti sit præsenti homini & in Ecclesia rite servienti valor beneficii, quàm quid suo possessori longius otia agenti & perpetuò fortassis absuturo, annuo proventu reddere valeat. Quis enim beneficium nunc postulans (neque enim cuiquam quantumlibet merito absque postulatione instanti & importuna tribuitur) * quis inquam talis, quis sanctus veneretur in Ecclesia per eum requisita investigavit, quæ illic sanctorum dotes, quæ capsæ, quæ reliquiæ habeantur? Quis de qualitate plebis (cui præesse expetit) de moribus aut vitiis interrogat? Quis monasterium cupiens de regulæ in illo observatione, de tenore religionis, cultu ceremoniarum, de subditorum disciplina percunctatur? Quis humerorum suorum vires librat, an sufferendo oneri cui se supponere quærit, sufficiat? Quis sua aut subditorum pericula considerat? Quis eis prædicat aut evangelizat? *Quis viam per quam ad salutem perveniant, facto aut verbo demonstrat? Imo vero quis hodie prælatorum non, quacunque viâ potest, suos undique subditos spoliat?* Quis eorum miseretur inopiæ? paupertati condolet? subvenit indigentiæ? Immo quis indigentiam ipsorum non jure & injuria amplificat? Et (ut ita rem se habere, à supremo Ecclesiæ vertice usque ad membra humilia doceamus) primum de ipso capite à quo cætera pendent (si placet) inspiciamus.

Avaritia clericorum.

* In Edit. Par. 1671. desunt ista 6. verba; in Lugd. 1613, non.

Post-

De tribus vitiis ex quibus cætera mala orta sunt in Ecclesia.

Postquam ergo affluentiæ rerum mundanarum exuberantia & (majorum virtutibus postpositis) immensa avaritia, cum cæcâ ambitione virorum Ecclesiasticorum invasit animos, quoad hoc consequens fuerat, ut fastu elationis atque dominationis extolli cœperint, & luxu effœminato resolvi: tribus itaque dominis exactoribus, utique infestissimis, fuit satisfaciendum. Luxui, qui delicias vini, somni, epularum, munificorum ludorum, effœminatorum lenonum, scortorumque exposcebat. Fastui, qui domos excelsas, castella, arces, palatia lata & abundantissimam supellectilem vestium carissimarum, equorum, familiarium pompaticam requirebat ostentationem: & suæ cupiditati, quæ ingentes ad hoc thesauros studiosius condebat, ut ad præmissa explenda suppeterent, aut si satis aliunde proveniret explicanda † esset, ad pascendam saltem ex figuræ numismatis aspectu, oculorum delectationem. Quorum proculdubio dominorum insatiabilium ad exequenda mandata desideriaque perficienda, aurea (ut in fabulis est) Saturni secula (si orbi hac tempestate recurrerent) nec sufficere posse viderentur. Quoniam ergo ad ea agenda quæ hæ tres rapaces Harpyæ exquirebant, nullus quantumlibet optimus & redditibus amplissimus præsulatus sufficere posse compertus est, subsidia aliunde quibus eis satisfacerent excogitata sunt.

† essent. Ed. Par.

De exorbitantiis per summos pontifices in Ecclesiam introductis.

Summi etenim Pontifices (ut tandem ad eos veniam) qui quantum primatu & authoritate se videbant cæteris præstare, tantum in hujus primatus & supremæ potestatis argumentum, plerumque se super alios libidine dominandi extulerunt, cernentes emolumenta Romani Episcopatus, Petrique patrimonium super regna quæque amplissimum (licet eorum ignaviâ satis jam attenuatum) ad status reverentiam, quem ultra Imperatores & reges omniumque gentium principes in excelso extolli statuerunt, nullo modo suffectura, in aliena ovilia lana & lacte copiosa, incurrerunt.

De abolitione electionum & reservatione beneficiorum.

Omnium quippe Ecclesiarum vacantium, quacunque per orbem terrarum Christiana religio protenditur, omnium præsulatuum aliarumque dignitatum electione fieri solitarum, jura & collationes sibi attribuerunt, electiones ipsas à sanctis olim patribus in tanta vigilantia & utilitate institutas, cassas atque irritas esse decernentes, ut vel sic sua uberius complere possent marsupia, ex omnique provincia Christiano nomini dedicata, molem auri atque argenti infinitam ad suæ opus cameræ, sedula negotiatione congregare.

De Camera Apostolica.

Quæ Camera quanti constiterit, quantum universas Ecclesias, regna pariter & provincias exhauserit, & inenarrabile est & prorsus incredibile. Sed fortè Romanæ sedis antistes, creationem Pontificum, collationemque superiorum graduum, Ecclesiæ idcirco abolitis electionibus, ad suum revocarunt arbitrium, ut sua provisione salubrius consuleretur Ecclesiis, rectoribusque in illis, tum ut vita laudabiliores, tum doctrina præstantiores instituerentur. Forsan ita factum hac de causa quis crederet, nisi res ipsa ex adverso reclamans, apertius doceret postea * qui hæc sunt, ignaros inutilesque homines (dummodo pecuniosos) ad gradus sublimiores Ecclesiæ, patrocinio Simonis evectos, qui suscepta creditaque ovilia qualiter administrent, posterius dicam. Sed de summis Pontificibus inchoatus sermo prius mihi absolvendus est, qui ut regifico luxu suum, quemadmodum habebant super omnes mortalium magnificentias, statum exaltarent, non solum ea egerunt quæ de electionibus audistis, verum ut aurei rivuli omni ex parte derivati, suam uberius curiam irrigarent, omnibus diœcesanis & patronis præsentandi facultatem, conferendique libertatem, quoquove alio modo de suis beneficiis disponendi ademerunt, interdicentes illis sub pœna anathematis, de ausu temerario (sic enim illorum loquitur tritum jam frequentiori usu rescriptum) sub quovis beneficio sibi subjecto aliquem instituere præsumerent, quamdiu quis occurreret ex illis, quos sua authoritate beneficia illa expectare concesserant, qui illud adipisci vellet. Quantus verò (Deus optime) expectantium numerus, ex illo tempore & qualium undique effluxit, atque ibi præsto fuit? Non tamen à studiis aut schola, sed ab aratro etiam & servilibus artibus ad parochias regendas, cæteraque beneficia passim proficiscebantur, qui paulo plus Latinæ linguæ quàm Arabicæ intelligerent, immo qui & nihil legere & (quod referre pudor) Alpha vix noscerent à Beta discernere. At morum in illis compositio, hanc fortè ignorantiam excusabat: immo si parum docti, negligentius morati, utpote qui absque literis in otio educati, nihil nisi impudicitias, ludos, comessationes, jurgia, vaniloquia sectentur. Inde omnibus in locis tot sacerdotes improbi & miseri, atque ignari, qui ruinæ & scandalo sua turpi conversatione subditi sunt. Inde in ore vulgi tantus sacerdotum contemptus, tanta vilipensio. Inde totius ordinis Ecclesiastici dedecus, ignominia, opprobrium, & nimis erubescenda †, si erubescere scirent: sed frons multorum attrita erubescere nescit. Olim summo in honore apud seculares sacerdotium erat, & nihil venerabilius presbyterali ordine: nunc verò nihil abjectius aut despicabilius.

* quam. Lugd. & Par.

De expectativis & qualitate currentium ad Curiam Romanam.

† conversatio Par.

Adjecerunt

De vacantiis & aliis vectigalibus Ecclesiam opprimentibus.

Adjecerunt autē ſummi Pontifices perſonis Eccleſiarum & Eccleſiis ipſis ultra præmiſſa onera, vectigalia alia ad illam ſuam Cameram, immo potius Charybdim fulciendam. Statuerunt namque ut quoties aliquem virum Eccleſiaſticum, quacunque foret dignitate vel conditione, ex iſta luce migrare contingeret, aut ſuum cum altero quovis qualecunque beneficium permutare, totiens omnes proventus primi anni ſecuturi certam ad ſummam ſuo arbitratu taxatos, ſua memorata Camera acciperet. Quod ſi illam fortaſſis ſummam annua fructuum collectio, aut ex diminutione fructuum, aut alia calamitate conficere non poſſet, triennali vel quandoque quadriennali fructuum exactione ad ſummam ipſam pertingi voluerunt. Quid prælatorum ſpolia? quid creberrimas decimas omnibus Eccleſiaſticis indictas? quid angarias alias commemorem? quid conceſſas Principibus ſuper clero univerſo à Papa & pontificibus exactiones cum ſeculari in illos ſolvendi coercione? quid retentas procurationes & ſine ulla viſitatione ab ipſis Epiſcopis & Archidiaconis ibi ſubtractas? qua neſcio an majorem plagam Eccleſia ſuſtineat. Quantæ enim perniciei eſt, Eccleſiarum viſitationes, rectorumque reformationes penitus repreſſiſſe atque extinxiſſe; de politiæ Eccleſiaſticæ deſtructione quæſtum atque emolumenta percipere? Quid infinita alia quotidiana onera tributorum ab infortunatiſſimis Eccleſiarum miniſtris exacta (quæ longum eſſet exequi) * particulatis referam?

---latim. Pir.

De inſtitutione collectorum & malis per eos illatis.

Ad hæc autem omnia exigenda & ad illam ſeu Cameram ſeu potius Charybdim dixerim tranſportanda, ſuos per omnes provincias collectores inſtituerunt, illos videlicet quos ſcirent in extorquendo argento, vel induſtria aliqua vel diligentia, vel naturæ acerbitate acriores, & qui nulli omnino parcerent, nullum eximerent, ſed vel ex ſilice aurum elicerent, quibus & authoritatem annuerunt, quoſcunque etiam Prælatos anathemate feriendi, extraque communionem fidelium exturbandi, niſi intra præfinitos dies de poſtulata pecunia ſatisfacere curaſſent. Quanta autem hi collectores mala egerint, quantum pauperes Eccleſias ac perſonas oppreſſerint, ne unquam ex loco iſto pateat exitus, utilius eſt præterire. Hinc illæ tot querimoniæ infœlicium Eccleſiæ miniſtrorum quos audivimus & cernimus ſub importabili jugo juge portare miniſterium, immo fame pereuntium. Hinc illæ ſuſpenſiones à divinis, illæ à templi liminibus interdictiones, illa anathemata graviſſima totiens exaggerata, quæ non niſi rariſſimo uſu & pro horrendo ſcelere à patribus infligi ſolebant, cum per ea homo à fidelium contubernio ſegregatus, in poteſtatem Sathanæ redigitur. Sed hodiernis diebus adeo invaluerunt, ut paſſim pro leviſſimo quaſi delicto, ſæpe etiam pro nullo inferantur. Sicque in nullum timorem, ſed in extremum pervenerunt contemptum. Hinc præterea illæ tantæ Eccleſiarum ruinæ, illa tot monaſteriorum excidia, illæ ſacrarum ædium tot in locis ſolo æquatarum dejectiones, dum ea quæ in illis inſtaurandis ac reficiendis impendi ſolebant, in his tot vectigalibus exſolvendis impenduntur. Quinetiam ut compertum eſt, ex illis quibus res accidit, ſacroſanctæ reliquiæ pleriſque in Eccleſiis pro horum redditione tributorum, Cruces, Calices, feretra, aliaque pretioſa ornamenta vænierunt. Quis neſcit tot Abbatibus, totque aliis prælatis, cum deceſſiſſent, Cameræ præ inopia obnoxii, negata funeralia, negata exequiarum ſolennia, negatam humationem, niſi forte in agris, aut hortulis, aut prophanis aliis ſedibus clanculo tumulati ſint? Coguntur (ut videmus) ſacerdotes præ anguſtia rei familiaris, ſuas villas, ſua loca, ſua beneficia deſerere, & famelici paſſim victum quæritare, laiciſque hominibus in prophanis officiis miniſtrare. Tulerunt aliquamdiu hæc onera pingues adhuc & uberes Eccleſiæ, ſed jam, vere omnibus longo emungendi uſu exhauſtis, ultra portare nequeunt.

De litigiis Curiæ Romanæ. S. Clemens Papa agens Avinione.

Præterea multa alia me præterire neceſſe eſt, ſi ex hac velim abyſſo emergere: quot in Romana curia ſint (ſic namque illam vocabant, quamvis longè à Roma diſtaret) fraudes? quot doli? quot calumniæ? quot per illos litium venatores pecunia corruptos, contra innocentum jura inſidiæ? quot venalia illic judicia? quantum ibi aurum valeat ad evertendum juſtitiam? quam rarò pauper optatum finem de lite referat, ſi modo adverſarium opulentum nactus fuerit? Cur tam pauci admodum, quocunque nituerint titulo, abſque lite & adverſario beneficium obtineant?

De regulis & conſtitutionibus Cancellariæ.

Nam quid hæ tot novæ regulæ & conſtitutiones per unumquemque pontificem editæ, ultraque antiqua jura & paternas ſanctiones obſervari juſſæ, niſi quidam captioſi laquei ſunt, atque uberrima litium materia? quibus illi cavilloſi curiales, ſophiſticique jurium perverſores, ad exſuſcitationem infinitarum litium contra jus & veritatem mille nocendi artibus abutuntur, ut vix aliquis inveniatur, etiam ſi titulum ſole lucidiorem demonſtraret, qui abſque controverſia beneficium tulerit.

De prosperitate Curiæ Romanæ.

Ita namque florere & fœlicem esse suam illam affirmant Curiam, si multis undique causis, litibus, querelis & concertationibus, clamore insanissimo persultet, contrà verò inutilem, desertam, inopem, si litibus sit vacua, si pace gaudeat, si suis possessoribus sua pacificè jura permittantur. Nihil itaque hodie vel parum interest, quo pacto beneficium quis habeat, utrumne vero ostio verus pastor introeat, an dolosè aliunde vel latro irrumpat. Quod si explorator aliquis intelligens liquido posset discrimine utrorumque internoscere numerum, quod non est apud me dubium, plures nunc latrones in Ecclesia repertum iri quàm veros pastores, ut jam vera sit Christi sententia qua ait ad negotiatores de domo sua ejectos, *Domus mea domus orationis est, vos autem eam fecistis speluncam latronum.*

De statu & introductione Cardinalium.

Jam verò Cardinalium qui Papæ assident spiritus, verba tumentia, gestus tam insolentes, ut si artifex quisque vellet superbiæ simulachrum effingere, nulla congruentius ratione id facere posset, quàm Cardinalis effigiem oculis intuentium objectando: ex sortis tamen infimæ Clericatu in hanc elationem cum sedis Apostolicæ pompatus incremento, pervenerunt: *quippe quibus id olim erat negotii ut efferendis mortuis, sepulturaque mandandis inservirent.* Nunc verò phylacteria sua in tantum dilataverunt, ut non modo Episcopos (quos episcopellos solent passim vocare) sed Patriarchas, Primates, & Archipræsules velut infra se positos despiciant, immo se jam ab illis supplicibus propemodum adorari sinant: quinetiam Reges ipsos æquiparare contendant. Sed hac eorum omissa vanitate, quis immensam & inextricabilem voraginem ipsorum concupiscentiæ verbis æquare valeat? nulla prorsus ad hoc verba sufficiunt, nullum ingenium, nulla facundia. Quoniam de re ista plenè disserere non nostræ facultatis est, pauca solùm summatim attingam ex acervo grandissimo excerpta.

De multitudine beneficiorum Cardinalium & eorum incompatibilitate.

Atque inprimis quantæ illud aviditatis est, quòd tantam multitudinem beneficiorum invicem repugnantium tenent? quòd Monachi simul & Canonici sunt regulares & seculares? quod sub eodem habitu omnium religionum, ordinum, professionum, jura & officia beneficiaque possident? Non quidem duo vel tria, decem vel viginti, sed centena & ducentena, & interdum usque ad quadringenta vel quingenta aut amplius: Nec parva vel tenuia, sed omnium pinguissima & optima: quibus si contenti essent, postquam ad summam illam numerosam perventum esset, nec ultra quærerent, prosperè cum pauperibus clericis, qui reliquias eorum expectant, ageretur: sed quantumcunque ad numerum aut summam venerint, ad ampliorem festinant *. Novas indies gratias, novas concessiones petunt. Quas cum senserint ad finem properare, integras reformari, aut denuò in majus augeri sine ulla cessatione exposcunt. Sic omnia vacantia (quæ alicujus sunt momenti) amplectuntur, omnia rapiunt, omnia auferunt: nihil omnino, saltem quod fructuosum sit, vel pauculum nimis aliis partiendum relinquitur. Nec tamen † illa unda tanta beneficiorum extinguitur, sed vehementius ardet, & arentes animi fauces magis semper accendit, non modo illis fructibus omnium Ecclesiarum toto orbe constructarum, sed neque tota auri mole quam Tagus suis arenis secum vehit, quamque Pactolus volvit, explebiles.

* Ex affluentiæ festinant & ardentius festinant. Edit. Par. & Lugd.
† Sitis illa. Ead.

De contractibus simoniacis.

Cernentes igitur inopes alii & calamitosi Ecclesiastici, nihil se posse consequi, sed omni prorsus spe alicujus boni nisi his authoribus, destitutos, non habentes quid faciant, aut quo se vertant, ad hos ipsos se conferunt, & aut cum simoniaca pravitate beneficia ab eis mercantur, aut pensione annua (quod æquè simoniacum est) ab illis redimunt, aut vestigiis eorum advoluti, in suam familiam admitti postulant, ut vel longo famulatu, sæpe etiam ignominioso, aliquem in Ecclesia titulum pariant. Nam quid hodierna die est quod sibi aliquis de probis moribus vel eruditione quo promoveri valeat, blandiatur? Non jam his artibus (ut quondam apud majores fieri solitum esse accepimus) ad honores Ecclesiæ ascenditur, sed illis quas modo retuli, quasque de secularium potestatum famulatu & importunis petitionibus paulo pòst relaturus sum.

De statu beneficiorum Cardinalium.

In Monasteriis autem & locis aliis in quibus beneficia Cardinales occupant, quomodo Deo serviatur, quomodo domus & ædificia labentia reparentur, res ipsa loquitur. Omnia illic corruunt, omnia labuntur, omnia pereunt, adeò ut sæpe oporteat omnem ab eis administrationem per laicam manum subtrahi, donec reparationes ibi necessariæ (quæ nunquam alias fierent) expletæ sint. Quomodo ibi vivatur, qualis disciplina aut regula observetur, nihil ad eos attinet, dummodo suorum procuratorum solertiâ, bursa sua nummis multis onusta redeat. Sed jam diutius quàm oportuerit, leviora rerum mediocrium detrimenta querimur; ruinam potius universalis Ecclesiæ, ex dira ambitione horum proborum virorum profectam queramur. Quis enim nesciat feram truculentissimam omnia exterminantem, consumentem, profligantem, sectionis scilicet schismaticæ horrendam pestem, per nequitiam Cardinalium in Ecclesiæ gremium

gremium injectam, fotam, auctam, propagatam, tamdiu inveteratam? quæ quanta cum pernicie per tres fermè & viginti * annos Ecclesiam omnibus viribus, omni laude, omni honore nudaverit, quantum eam in profundum omnium miseriarum, malorumque dimiserit, vix Tullius (si revivisceret) satis eloqui posset.

* Scriptum est igitur hoc opus circa A. D. 1398.

De omissione multiplicium vitiorum Ecclesiæ.

Transeo simoniacas apud Papam intercessiones, transeo patrocinia venalia, transeo corruptiones aut promotiones turpissimas & damnatissimas, quæ omnes fere istis authoribus & suasoribus fiebant; transeo mercedes & stipendia temporalium Dominorum, quæ cum maximo Ecclesiæ dispendio capiebant, ut in eorum negotiis adjutores & curatores & consiliarii forent, magis illis proculdubio quàm Ecclesiæ consulentes, immò dum eis placerent, Ecclesiæ incommoda minimè curantes. *Nec enumerare volo eorum adulteria, stupra, fornicationes, quibus Romanam curiam etiam nunc incestant*, nec referre obscœnissimam illorum familiæ vitam, à dominorum tamen moribus nullatenus absonam: sed nec illud etiam refero, *quòd usuras* & commercia publicè exercent, quòd mercatoribus ac numulariis suas pro mutuo mutuant pecunias: qua ex causa numularios supremæ tabulæ non incongruenter eos quidam vocant. Hæc omnia aliaque permulta etiam graviora (quæ longa nimium narratione onerosam redderent orationem) prætereo.

De promotionibus ad instantiam principum per Papam solitis fieri.

Sed me præterire non deceat, priusquam de hac Curiâ egrediar, quantam & quàm abominabilem fornicationem Papa & hi sui fratres, cum seculi Principibus inierint. Namque ut sua dominia, immò vero ut suam tyrannidem omnibus, nec injuria, supra modum invisam, inconcussâ stabilitate confirmare possent, sicque tutò quodcunque libitum esset peragere, temporalium Principum, ad quorum se imitationem componere atque conformare in animum induxerant, captare amicitias, favores conquirere quacunque possent industria studuerunt. Nunc multa beneficiorum his pro quibus exegissent, largitione, nunc encæniis & donis, nunc promissis uberrimis, sæpe assentationibus & Gnathonicæ doctrinæ versutiis fraudulentis. Itaque (ne longum faciam) adeo se & Ecclesiam universalem eorum arbitrio subjecerunt atque dediderunt, ut vix aliquam parvulam Præbendam nisi eorum mandato vel consensu in provinciis eorum tribuere ausi essent. Si Episcopus aliquis obierat, si Decanus vel præpositus, vel alia quælibet persona Ecclesiastica, aliquis in demortui locum surrogari appetens, non prius ad Regem quàm ad Papam ibat? immo verò quis ita insanus ut absque Regis literis ad Papam postulaturus accederet? Mirabile dicturus sum, & quanquam vix credibile, † veruntamen si quis Papæ necessarius, propinquus familiaris, aut quolibet alio titulo dilectissimus, pro sua apud eum promotione institisset, regales ante omnia ab ipsomet pontifice jubebatur literas quærere: alioquin se frustra niti, omniaque tentamenta in vacuum abitura, quantumcunque ad gratiam illi faciendam, Papæ esset proclivis animus. Quàm vero importunè, quàm improbè, quàm manu (ut ita dicam) ensifera terreni ipsi domini per suos solicitati, Papam per suas quotidianas literas urgebant, nequaquam credibile foret, nisi res usu assiduo promulgata, certitudinem faceret. Plus enim præceptoriis & comminatoriis scriptis res agebatur quàm commendatoriis vel precatoriis: quibus si detrectassent pontifices obtemperare, & alteri quàm pro quo petebatur contulissent, certum erat illum non recipi. Sic itaque omnes vacantes præsulatus, omnia beneficia fructuosa, secularis illa familia omnium rerum Ecclesiæ mysteriorumque ignara, vi atque importunitate extorquebat: nulli eruditi viri (de literarum sacrarum eruditione loquor) nulli probi, justi, virtuosi, qui Curiarum limina rarius terunt, ad suprema dignitatum fastigia veniebant: sed ambitiosi quique, sed adulatores, sed histrionici, sed omnibus vitiis imbuti, quales in aulis Principum frequentes conspicimus. Nam quotusquisque hodie est ad pontificale culmen evectus, qui sacras, vel perfunctoriè, literas legerit, audierit, didicerit? immo qui sacrum codicem nisi tegumento tenus unquam attigerit, cum tamen jurejurando illas in sua institutione se nosse confirment? Aut pontificia tenent homines ignari & illiterati, aut si qui literati sunt, hi solummodo temporalia Imperialium legum præcepta sacerdotibus interdicta, lucrosasque scientias secuti sunt: nihil omnino de lege divina vel spirituali eruditione, qua plebs ad salutem erudienda est, sentientes.

† Par. verum: tamen—

Nota bene.

Quod congregatio pecuniæ est præcipua cura prædictorum Prælatorum.

Igitur juxta morē suarū professionū, summo undique studio ad lucrum inhiant, non quidem animarū, sed crumenarū potius quæstum ubique explorant, quæstū flagrant, quæstum pietatē putant, nihil omnino agunt, nisi quod ad colligendā quacunque ex occasione pecuniā suffragari posse crediderint; pro ipsa altercantur, certant, jurgantur, litigant, multo æquanimius laturi jacturā decem milliū animarum, quàm decem vel duodecim solidorum. Sed me jure reprehendo qui [æquanimius] dixi, cum nullo animi motu vel turbatione, animarum dispendia, de quibus non modo nulla apud eos cura, sed neque cogitatio est, excipiant: damna

damna verò suæ rei familiaris etiam levia, furiata prope mente sustineant. Denique si quis fortassis pastor surrexerit qui non hoc more incedat, aut qui pecuniam contemnat, aut avaritiam damnet; qui denique non omni via seu justa seu iniqua, aurum à suis subditis extorqueat, aut salutari exhortatione vel prædicatione animas lucrifacere studeat, & plus in lege Domini quàm in legibus hominum meditetur, extemplo in morsus ipsius omnium dentes acuentur: illum prorsus ineptum, nec dignum sacerdotio clamitabunt: quippe qui legum humanarum nescius, jura sua defendere non idoneus sit, suos subditos regere, mulctare & coercere per Canonicas censuras non noverit, nihilque aliud didicerit, nisi inerti etiam otio aut sermocinationi incumbere, quæ officia mendicantium palam esse astruunt, nulla temporali cura vel administratione, quæ utiliori occupatione suos animos teneat, fungentium. Jam itaque sacrorum eloquiorum studia cum suis professoribus in risum atque ludibrium omnibus versa sunt, & præsertim (quod magis prodigiosum est) *pontificibus, qui suas traditiones, divinis longè mandatis anteponunt.* Jam illud egregium & præclarissimum prædicandi officium solis quondam pastoribus attributum, eisque maxime debitum, ita apud eos viluit, ut nihil magis indignum aut magis suæ dignitati erubescendum existiment.

Sed ecce dum animadverto proprias Curiæ Romanæ ægritudines, ad ea (quæ un à secum aliis etiam prælatis communia sunt) vitia delapsus sum, quæ tamen magis in particulari (quia locus incidit) succincta relatione pertractare volo. Principio nulli debet alienum vel mirum videri, si corradendis omni ex parte pecuniis nostri prælati summopere invigilent, si macri, tenues, atque inaniti succo, lana & lacte suarum ovium se incrascere student, quibus pastores fieri tam charò constitit. *Musca enim* (ut in proverbio est) *macie confecta asperius mordent: cuncta quoque animantia esurie inanita avidius in prædam feruntur.* Quamvis enim ante susceptam curam pastoriam locupletissimi essent (neque ad hoc indigentes solent admitti) tamen ex ministerio sibi collato suos saltem maximâ ex parte evacuari loculos oportuit: quare æque non immerito summo iterum labore replere insistunt: exemploque sapientis agricolæ ut cum cremento & grandi fœnore jacta semina colligere, & iterum recuperare imminutam substantiam & sedulò ampliare possint, more vigilantissimi negotiatoris universas merces suas omnibus qui eis indigent, venales ponunt. Si quis apud eos clericus, pro furto, pro homicidio, pro raptu, pro sacrilegio, aut alio quovis enormi crimine in carcerem conjectus sit, tenebrisque & aquæ edulio addictus, tamdiu pœnæ subjacebit, & tanquam reus sua commissa luet, donec pro modo sui census, aut suorum, quæsitam à se pecuniam persolverit; ubi verò id egerit, liber & velut innocens abire sinetur. *Omnis noxa, omnis error, omnia maleficia, etiamsi capitalia sint, per pecuniam laxantur, ac delentur.* Nam quid loquar de exercitio suæ jurisdictionis, quæ ita violenter & tyrannicè regitur, ut magis hodie homines eligant tyrannorum immanissimorum, quàm subire judicia Ecclesiæ?

De vitiis Prælatorum.

DE PROMOTIONIBUS JURISDICTIONIS Episcoporum, & eorum Abusibus.

DICI non potest quanta mala faciant illi scelerati exploratores criminum, quos *Promotores* appellant: simplices & pauperculos agrestes, vitam satis innocuam in suis tuguriis agentes, & fraudis urbanæ nescios, in jus sæpe pro nihilo vocant. Causas & crimina contra eos sedulo confingunt, vexant, terrent, minitantur, sicque eos per talia se componere, & pacisci cogunt: quod si facere renuant, crebris eos citationibus, quotidieque impetunt, & supra modum infestant. Quod si semel qualibet occasione præpediti comparere desierint, censura illico anathematis, ut rebelles & contumaces feriuntur. Si verò ad diem venire, quoties vocati erunt, perseveraverint, eorum audientias apud judicum tribunalia impedient, morasque & subterfugia dilationum & interlocutionum captabunt, quæ perfacile à foris Ecclesiasticis obtinentur, quo vel sic longo tædio, longaque sui temporis jactura fatigati, superfuturam vexationem atque impensam, pecuniæ pactione redimere cogantur, ne sit pro levi delicto, pro nullo vel pro exiguo debito, infinitarum cumulus expensarum.

De exactionibus pro concubinis tolerandis.

Jam illud obsecro quale est, quòd *plerisque in Diœcesibus, rectores parochiarum ex certo & conducto cum suis Prælatis pretio, passim & publicè concubinas tenent?* quòd subditorum excessus & vitia, omniaque officia, quæ judiciis præesse sunt solita, publicè venundant? sed ad ea, de quibus diximus & dicemus, bona sunt hæc.

De collatione simoniaca sacrorum ordinum.

Illud verò quomodo ferendum, quòd nullus ad clericatum, vel ad sacrum ordinem, vel ad quemcunque gradum Ecclesiasticum, nisi mercede accedit? quòd nulli sacramentalem gratiam requirenti manus imponunt, nisi qui certum antea pretium dederit, quòd omnes confessiones, absolutiones, dispensationes, venales faciunt? quòd si aliqua beneficia suæ sint dispositioni devoluta, pro quæstu ea conferunt, vel suis ea spuriis aut histrionibus donant? aut si quis forsan eis illud Evangelicum objecerit, *Gratis accepistis, gratis date*, non deest quod illico respondeant, se minime gratis accepisse: quare nequaquam astringi ex verbo illo ut gratis tribuant. Illos denique solos antistites esse aiunt, qui istiusmodi sint sententia ligati, qui pastorale officium absque ullo suo dispendio sortiti sunt.

De indignis & indigne promotis.

Non est igitur quod quisquam (nisi à vero valde devius) gratiam putet ab æquo tribui: quomodo enim gratia si non gratis data? nisi falsò putabimus, magum illum pestiferum dira maledictione à Petro reprehensum, qui donum Dei pecunia possideri existimaverat. Ex isto autem fonte profluit illa copiosa vilium atque indignissimorum Presbyterorum multitudo: ut enim ex suis ordinibus majora lucra percipiant, omnes quotquot advenerint, nullo aut parvo admodum discrimine, ad eos, quos petierint, titulos admittunt, nisi fortè siqui adeo egestate premuntur, ut solvendo non sint. Nulla de vitâ anteactâ percunctatio est, nulla de eorum moribus quæstio. *De literis verò & doctrinâ quid loqui attinet, cum omnes fere presbyteros sine aliquo captu, aut rerum, aut vocabulorum, morose syllabatimque vix legere videamus?* Quem ergo fructum, quam exauditionem ex suis orationibus, sive sibi, sive aliis impetrabunt, quibus barbarum est quod orant? Quomodo per suas preces Dominum † alienis propitiabunt, quem sibiipsis sua ignorantia & suæ fœditate vitæ per suum ministerium, infensum faciunt? Si quis hodie desidiosus est, si quis à labore abhorrens, si quis in otio luxuriari volens, ad sacerdotium convolat, quo adepto, statim se cæteris sacerdotibus voluptatum sectatoribus adjungit, *qui magis secundum Epicurum quàm secundum Christum viventes, & caupounlas seduli frequentantes, potando, commessando, pransitando, convivando, cum tesseris & pila ludendo, tempora tota consumunt: crapulati verò & inebriati pugnant, clamant, tumultuantur, nomen Dei & Sanctorum suorum pollutissimis labiis execrantur: sicque tandem compositi, ex meretricum suarum complexibus ad divinum altare veniunt.*

† aliis. *Par.*

De perpetua absentia Prælatorum ab Ecclesiis suis.

Sed redeo ad nostros Episcopos, qui in omni lubricitate ab ineunte adolescentia educati, tales testes, ut ita dixerim, ministros in Ecclesiam introducunt, quorum gesta memorabilia. Illud à me prætermitti non debet quòd multi ex eis qui pastorali apice potiuntur, perque annosa tempora potiti sunt, nunquam civitates suas intraverunt, suas Ecclesias viderunt, sua loca vel diœceses visitaverunt, nunquam pecorum suorum vultus agnoverunt, vocem audierunt, vulnera senserunt, nisi ea fortè vulnera quæ ipsi suis uberibus spoliis per alienos mercenarios eis intulerunt. Alienos dixi, quia & ipsimet mercenarii sunt, qui non gregis sui custodiam, salutem, profectum quærunt, sed solum temporalis mercedis retributionem. Itaque ipsi verè sunt mercenarii, tantùm Episcopi habentes nomen, qui res per nomen signata procul abest. Nomen etenim Episcopi speculatorem sonat vel superintendentem. *Speculatorem* (inquit Propheta) *posui te domui Israel.* Hi verò super ovium profectu nihil prorsus intendunt, nihil speculantur, nihil prospiciunt, sui corporis curam agunt, sese & non oves pascunt, non magnopere pensantes, quis ovibus casus accidat, utrum morbo vel jejunio consumptæ pereant, dum sibi vel ex earum morte * capessant.

* aliquid cap— *Par.*

De Prælatis in curiis principum residentibus.

At enim dicet forsan aliquis, jure eis ignoscendum est si raro suas Diœceses adeant, aut suas tardius revisant plebeculas, quoniam pro consilio à principibus accersiti magna regni negotia tractant, innixamque suis humeris rempublicam regunt, tutantur, sustinent, alioquin gravissimè collapsuram, quod utique laudabilius videtur esse quàm suæ privatæ rei consulere. Primum illud nequaquam eis dederim, quòd ipsi ultro à principibus tanquam consiliarii evocentur, quinimo magnis sumptibus, amicorumque intercessionibus hoc impetrant, non quidem zelo aliquo vel cura reipublicæ, cujus nulla apud eos charitas est, sed propter stipendia & larga munera quæ exinde eis proveniunt, ut alieno sumptu viventes, suarum proventus Ecclesiarum in æraria recondant. Denique qualem reipublicæ languenti, immo extinctæ & jam prope sepultæ utilitatem afferunt? utinam nullam ei perniciem afferrent. Numquid ea re, quæso, prosunt quòd omnium tributorum onera, quibus hodierna tempestate populus urgetur, suis calliditatibus & suggestionibus

suggestionibus reperiunt, & reperta cumulant, & tam in longum perdurare faciunt? unde & jampridem usus in regno isto inolevit, quòd aliqui Episcopi talium exactionibus præsunt, de causis etiam & querelis eorum decernunt. Num idcirco prosunt quòd ad concionem vocati, & suam jussi dicere sententiam, magis ea quæ principi sciunt placitura, quàm reipublicæ profutura persuadent? quòd sæpe largitione, sæpe gratiâ, sæpe odio, sæpe etiam timore ducti non justa, vera, sincera; sed perversa atque noxia fallacibus adoperta blandiciis dominorum auribus suggerunt? Porro an ea re adjuvant rempublicam quod rectoribus eorum qui eam administrant annonàm, & privatè super annonam communem inculcant? quòd enim ipsi faciunt, consequens est, ut consulti alios etiam facere hortentur, ne turpi inter se pugnâ, verba eorum atque acta dissideant. Denique quis ex illis pauperum defensator est? quis afflictorum consolator? quis oppressorum sublevator? quis pro pupillo patronus? quis pro inope vidua contra calumniatorem protector? immò vero quis magis à compassione atque miseratione quorumlibet miserabilium alienus? Pulchrè de eis Esaias & verè loquitur sub imagine principum Synagogæ: quorum isti etsi successores tempore in flagitiis, jure tamen fortè præcessores dici possunt. *Principes* (inquit) *tibi infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant; & causa viduæ non ingreditur ad eos.*

Mirum autem quid illud sibi velit, quòd nunc ferè quilibet Pontifex ab Ecclesiâ, cui præsidet, sex vel septem aut decem millia aureorum annuatim accipiat, à rege verò pro stipendiis mille ad summum aureos, suæ tamen Ecclesiæ & ovilis sibi crediti curam pro regni famulatu derelinquit: nonne saltem ut mercenarius danti majorem mercedem servire debebat? Sed illotum ad hæc responsio in promptu est: licèt enim amplius sit quod Ecclesia tribuit, quàm quod princeps, attamen munus illud cum majori adjunctum summam cumulatiorem constituit, duoque bona potiora sunt uno. Denique fructus qui à rege præbentur, nisi regio lateri assistant, sciunt sibi non datum iri; at illos qui ex ipsis veniunt, longè etiam positis & ab omni servitio immunibus nihilominus tribui. Quid quòd suam promotionem rege instante factam, regi ipsi & non Deo, nec Ecclesiæ imputant? Quapropter ut grati homines, illius per quem gratiam adepti sunt, nequaquam immemores, ei merito libentius secundum vicissitudinem obsequii, quam illis referunt. Quid quòd regibus servire & non Deo nec Ecclesiæ didicerunt? Quid quòd non intentione alicujus officii in Ecclesia exercendi, sed quietis & inertiæ in majori abundantia consectandæ, Mitram quæsierunt? Quid quòd propter assueta stipendia multa apertè minima, multa etiam apertè exilia importunitate assequi sperant, quæque in suis Ecclesiis servientes non assequerentur. At saltem, inquies, suis illic Ecclesiis ne graventur aut opprimantur, subveniunt: immò suas & alienas ipsi opprimunt, dum pro arbitrio secularium potestatum tributa super eas annuunt. Ne enim ab optimatibus, quorum negotia agitant, consiliaque frequentant, Ecclesiis plus justo favere arguantur, quotiens de re ad Ecclesiam pertinente agi contigerit, gravius adversus illam quàm aliquis secularium, insultant. Rara his calamitosis afflictio quæ non à suis filiis originem trahat. Quòd tales prælati mercenarii dicendi sunt.

Sed quid eorum tantopere à suis sedibus absentiam accusamus, cum per suam, si illic adessent, præsentiam verisimilius obesse quàm prodesse possent? Quid enim (oro) illi prosunt qui toto elabente anno suam bis aut ter intrant Ecclesiam? qui totos in aucupio & venatu, in ludis & palæstra dies agunt, qui noctes in conviviis accuratissimis, in plausibus & choreis cum puellis etiam effœminati insomnes transeunt, qui suo turpi exemplo gregem per devia abducunt in præcipitium, qui imberbes adhuc adolescentuli, vix ferulàm egressi ad pastorale convolant magisterium, & tantundem de illo quantum de nautico sciunt officio? Difficile itaque satis est statuere, qui eorum magis incommodent suo gregi, hine, qui deserto eo, lupisque exposito, cum scurris & parasitis in aula versantur, an hi potius qui coram positi eum per rapinam vexant, per incuriam negligunt, per errorem præcipitant. Quamvis enim mercenarios utrosque jure optimo appellaverim, pro re tamen minus parum dixi: lupi ambo accommodatius dicendi sunt: utrique enim quod lupi est, agunt, vorant, dispergunt, lacerant, diripiunt, hi quidem per seipsos, illi verò pro seipsis per alienos. Sentio me diutius quàm initio putaveram his nostrorum angelorum (ita enim sacræ literæ præsules appellant) præclaris ministeriis immoratum, sed tantæ rerum multitudini, quam breviori compendio percurrere mihi commodè non licuit, ignosci oportet. Reliqua si per singula referrentur, sunt multa, sed ea paucis in generali expediam. Quod utilior est talium Prælatorum absentia à suis Ecclesiis quàm præsentia.

Quid enim de capellanis & canonicis longum me trahere sermonem necesse est? cum uno verbo dicere liceat similes Episcoporum pro suo modo Canonicos esse, indoctos, simoniacos, cupidos, ambitiosos, obtrectatores, suæ vitæ negligentes, alienæ curiosos Da Capellanis & Canonicis

 scrutatores

ſcrutatores ac reprehenſores: adhuc autem ebrios, incontinentiſſimos, utpote qui paſſim & inverecundè prolem ex meretricio ſuſceptam, & ſcorta, vice conjugum, domi teneant: vaniloquos præterea garrulos, tempus in fabulis & nugis terentes, quia nihil utile noverunt, aut honeſtum in quo occupentur. Et propterea in re ſua, ſeu per fas, ſeu nefas agenda, in cura ventris & gulæ, in carnis voluptatibus hauriendis ſuæ vitæ fœlicitatem ut porci Epicuri conſtituunt.

De pace & fraternitate Canonicorum.

Quam verò pacem inter ſe habeant, aut quam fraternitatem, declarant ſectæ & ſeditiones, omnibus modo in Eccleſiis per infernales furias excitatæ, ut jàm illa infernalis hydra ſchiſmatica in Eccleſiæ vertice ab Erynnibus ſtabilita, nimia fœcunditate germinans, omnia fere collegia ſuo viperino ſemine infecerit.

De cauſa exemptionum procurationum vitanda.

Et hos ergo Canonicos aliquis vocabit, qui ſic ab omni Canone, hoc eſt, ab omni regula abalienati ſunt? qui ut licenter & impune omnia, quæ ferret animus, flagitia admittere poſſint, ab omni ſe caſtigatione & diſciplina ſuorum prælatorum, maxima ubique redemptione exemerunt: fraudant itaque mutuo, fraudant pauperes, fraudant ſubditos: & ſicut Paulus loquitur, *Jam inter diſpenſatores Eccleſiarum merito quæritur ut fidelis quis inveniatur*: quas omnes fraudes & rapinas cum fecerint, non eſt qui eos puniat. Ad Papam enim, quem ſolum judicem plerique eorum ſe habere jactant, non patet facile pauperi acceſſus.

De vita & moribus monachorum ſuæ profeſſioni repugnantibus.

De Monachis autem & Monaſteriis latè patet ad loquendum materia, niſi jam me dudum tæderet in tot tantarumque abominationum enumeratione demorari: ne tamen ſicco (ut aiunt) pede intacti abeant, paululum aliquid dicere neceſſe eſt. Quid autem commendabile de ipſis dicere poſſumus, qui quanto magis inter cæteros Eccleſiæ filios ex votis ſuæ religionis perfecti eſſe debebant, tanto magis abſtracti cura ſecularium, quibus abrenunciaverunt, in ſola cœleſtium contemplatione ſuſpenſi, & quanto magis continentes, magis obedientes, minus vagabundi, & à clauſtrorum ſeptis rarius egredientes in publicum, tanto ab his omnibus rebus licet eos videre magis alienos, magis videlicet tenaces, magis avaros, magis ſeculari rei (verſis retrorſum animis) immixtos? magis inſuper lubricos, indiſciplinatos, diſſolutos, inquietos, magis per loca publica & inhoneſta (ſi modo fræna laxentur) diſcurſantes? ita ut nihil illis æque odioſum ſit, quàm cella & clauſtrum, lectio & oratio, regula & religio. Quocirca monachi quidem ſunt exteriori habitu, ſed vita, ſed operibus, ſed internæ conſcientiæ ſpurcitia à perfectione (quam habitus ille demonſtrat) longiſſime disjuncti. Fallit autem illos nimium ſua opinio. Nam quanto ſua profeſſione rejecta, terrenis magis adipiſcendis inhiant, tanto pauciora habent, tantoque dotes & redditus ipſorum magis ſemper in nihilum fluunt. Ecce omnium cœnobiorum uberrimos olim fructus, ita hodie attenuatos cernimus, ut unde centum homines vivere ſolebant, vix decem nunc ægerrime vivant; videmus omnia labi, omniaque ſolo æquari, non ſuppetente copiâ qua ſaltem antiqua ædificia à ruinæ defendantur injuria,* quod quidem merito illis evenit. Quamdiu enim juſtè, ſobriè, caſtè, innocenter vivendo ſecundum regulæ ſuæ inſtituta, regnum cœlorum & non hæc temporalia quærere ſtuduerunt, tamdiu eis omnia illa ſatis ſuperque fuerunt adjecta. *Primum* (inquit Salvator) *quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Ubi verò à vitæ innocentia, & à quærendo regno Dei, per nefaria opera deſtiterunt, recte ab eis illa abducta ſunt, quæ veris juſtitiæ cultoribus, regnique quæſitoribus fuerant promiſſa. Regnum (inquit hiſtoricus) facile iiſdem artibus retinetur, quibus initio partum eſt; verum ubi pro labore, deſidia, pro continentia & * æqualitate, libido atque ſuperbia invaſere, fortuna ſimul cum moribus immutatur. Et quod de regno dictum audis, de opibus & honoribus cæteriſque fugacibus bonis dictum intellige.

* Caſtitate, *Par.* æquitate, *Lugd.*

De mendicantibus & eorum inani jactantia & gloria.

Venio nunc ad mendicantes, qui ex profeſſione arctiſſimæ paupertatis veros ſe Chriſti diſcipulos, veroſque imitatores eſſe jactant atque gloriantur: quippe qui conſiderantes (ut ipſi aiunt) illud Evangelicum, *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & ſequere me.* Et item illud: *Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus*: omnium poſſeſſionum ſuarum rerumque temporalium ſpreta ſarcina, onereque graviſſimo: Qui eruditi præterea in divinis literis, quibus pene ſoli hodie inſudant, pabulum verbi Dei, quo populi reficiantur, aſſidua prædicatione miniſtrant, viam eis ſalutis æternæ, quam nemo alius docet, aperiunt, juſtorum digna præmia impiorumque ſupplicia demonſtrant, ſicque animas ab interitu ſempiterno per veram pœnitentiam revocatas ad Deum converti faciunt. Denique ſoli ipſi (ut aſſerunt) cæterorum omnium Eccleſiæ ſegniter dormitantium officia peragunt, exercent, eorumque delicta, ignorantias & negligentias ſupplent.

Sed.

Sed libet ab eis quærere, si hunc gradum supremæ perfectionis Christoque propinquissimæ attigerunt, quid est quod suis eam verbis ita magnificant, quod insolenter adeò inde se jactant, quod universis propterea vana gloriatione scripserunt, immo quod alios omnes sui status comparatione ab omni perfectione evacuant? Decebat enim ut alieno ore & non proprio suo, illa ætherea & angelica in terris perfectio laudaretur, si modò solidam laudem, non vanam, suspectam, odiosam cupiebant. Nonne hæc est perfectorum vera justitia, ut nunquam arbitrentur se perfectos? immò verò quo justiores fuerint, eo magis in humilitate de se sentientes longè se à justitia abesse existiment? Nam dum de eo quod habere se præsumunt inaniter super se efferuntur, & id ipsum quod habebant (si quid tamen virtutis habebant) evanescit. Quæstio de perfectione mendicantium.

Nonne humilis Publicanus sua Deo peccata confessus, justificatus à templo redire meruit, & quam orabat veniam impetrare? Superbè autem Pharisæus sua merita prædicans, & pauperculum despiciens reprobus abscessit, & inexauditus: quoniam Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Videtur autem hæc parabola, contra hos quæstuarios verbi Dei adulatores congruentissimè inducta, quia sicut synagoga suos Pharisæos habuit, adversus quos in Evangelio acerrimè Christus semper invehitur, ita nimirum hi novi & subintroducti Apostoli, Ecclesiæ Pharisæi censendi sunt, quibus omnia Christo de Pharisæis dicta, & forte alia plurima, nescio an deteriora, conveniunt: de quorum sacrilega impietate, quia non multa breviandi studium dicere concedit, paucas Christi saltem sententias, per quas ab eorum insidiosa versutia nos cavere admonet, audiamus. Ait itaque de eis Salvator, ipsorum fontem patefaciens nequitiæ: *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Et rursum: *Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* An non lupi rapaces sunt, velamina ovium gestantes, qui omnia quæ hujus mundi sunt, verbo suo deseruisse asseverant, facto autem ipso temporalia incredibili ardore concupiscentiæ, insidiis, fraudibus atque mendaciis undique exquirunt? An non lupi rapaces sunt ovicularum vellere amicti, qui vitæ austeritatem, castitatem, humilitatem, sanctam simplicitatem exteriori specie simulant, intus verò exquisitissimis deliciis & variarum copia voluptatum ultra omnem mundanorum luxuriam exuberant? *An non lupi rapaces sunt, sub ovili imagine latitantes, qui more sacerdotum Belis, in suis penetralibus oblata devorant, mero se ac lautis epulis cum non suis uxoribus, licet sæpe cum suis parvulis, avide satiantes, cunctaque libidinibus, quarum torrentur* ardore, polluentes? An * non lupi rapaces sunt, foris ovem mentientes, qui ea quæ facienda sunt, dicunt & non faciunt, & cum aliis prædicaverint, sua ipsa prædicatione reprobi efficiuntur? An non lupi rapaces sunt, ovium similitudinem falsò prætendentes, qui cum Angeli lucis primo aspectu appareant, non † Sathanæ, tamen (ut Pauli verba sunt) *Non Christo Domino, sed suo ventri serviunt*, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium? Sed audi adhuc quid de illis ad propositum Salvator dicat: *Væ vobis ô Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia.* Quid de eis verius dici potest, quid aptius, quid lucidius, quàm quod cœlesti ore dictum audis? Sed & Paulus gentium Doctor prænoscens in spiritu talium circa extrema tempora subversorum ingressum, & Ecclesiam per eos multa tandem vulnera sensuram, ad Timotheum suum scribens, illos summo studio declinandos hortatur. Nam postquam dixerat: *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi*, & multa quæ his addit ab his seductoribus non abhorrentia, tandem quod eis est proprium subtexuit [habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita. Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.] Rursus quoque idem Apostolus ad eundem suum discipulum loquens: *Spiritus* (inquit) *manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam*, quæ nemo ambigere debet de his novis Pharisæis esse scripta. Multa quoque alia de istorum pseudoprophetarum aperta iniquitate, qua domum Dei perfodiunt & polluunt, sacra in pluribus locis Scriptura commemorat, satis eorum perfidiam quantum ad nostram pertinet brevitatem, detegere videtur: de qua si quem libeat ampliora agnoscere, *Cyrillum* videat, & illic mira de eis inveniet, ad fidelium instructionem longè antequam orirentur, Spiritu Sancto revelante, prædicta. Quanquam nec aliquot alii scriptores etiam defuerunt,

Quod humilitas est fundamentum perfectionis.

* Omittitur hæc clausula in Edit. *Par.*

† Paulo aliter est in *Par.*

Locus S. Pauli in fratres Mendic. ad amussim quadrans.



qui

qui de his subdolis illusoribus multa valde utilia & præclara post eorum introitum ad Ecclesiæ præmunitionem & præmonitionem prodiderunt.

De impudica vita & conversatione monialium.

Restant nunc solæ Moniales, ut nostram narrationem quemadmodum polliciti sumus à summo capite usque ad extrema vestigia nullo prætermisso gradu deducamus. De his autem plura dicere (etsi plura quæ dici possent, suppetebant) verecundia prohibet, ne non de cœtu virginum Deo dicatarum, sed magis de lupanaribus, de dolis & procacia meretricum, de stupris & incestuosis operibus pudendum sermonem prolixè trahamus. *Nam quid obsecro aliud sunt hoc tempore puellarum monasteria, nisi quadam, non dico Dei sanctuaria, sed Veneris execranda prostibula, sed lascivorum & impudicorum juvenum ad libidines explendas receptacula, ut idem hodie sit puellam velare quod & publicè ad scortandum exponere?* Hæc sunt quæ de nostro Clero referenda visa sunt, quamvis multa sciens præterii, & silentio suppressi, quæ si per singula amplecti vellem & in immensum res progrederetur, nec modum habitura esset oratio. Quæ cum ita sint, nemini debet mirum videri, si Ecclesia ex talibus aggregata, multis molestiarum aculeis, multisque adversis turbinibus quatitur. Mirum potius & stupendum videri debet, si tot vitiis atque impuritatibus serviens, à flagellis immunis evaderet.

Comparatio virorum modernorum, cum moribus priscorum Patrum.

I nunc, & confer hanc vitam, hos mores, hæc regimina, cum primæva patrum disciplina, cum Majorum charitate, continentia, sobrietate, districta severitate, videbis (nisi talpa cæcior es) tantam inter eam distantiam, quantam inter lutum & aurum: jàm siquidem his diebus nostris, in quos fines seculorum devenerunt, ab aureo capite illius prægrandis statuæ, quam vidit in figura *Nabuchadonosor*, paulatim semper in deteriora per argentum, æs & ferrum prolabendo, ad partem pedum luteam ac fictilem pervenimus.

Conversio Authoris ad Deum.

Ita verò (Deus optime) vineam tuàm electissimam, quam tuâ olim dexterâ ipse plantasti, cui sepem & combustam maceriam ad ferarum malignarum coercendam incursionem circundedisti, itane inquam destructa sepe, diruta maceria, despectam ac degenerem effectam? itane vepribus & spinis completam? itane pro uvis dulcibus, quas ex ea præstolabaris, labruscis sceleribus onustam, ut vix per eam transiens eandem esse recognoscas, quam tanto olim studio, tanta cura & cultu nobilitaveras? Ecce jam universæ feræ eam diripiunt, omnia agri pecora conculcant: hinc aper de sylva exterminat: inde fera singularis universa impetu vastans ac perstringens egregia quæque depascitur. Averte (obsecramus Domine) iram tuam & virgam furoris tui à vinea tua, & de cœlo sancto tuo miserentibus oculis super eam respice: & si non propter nos qui indigni sumus, saltem propter nomen tuum ineffabili clementia gloriosum. Scimus nostris impietatibus hæc & majora deberi supplicia. Scimus peccata nostra super arenam multa, super omnem acerbitatem gravitatemque gravissima, sed etiam scimus è regione tuam immensam misericordiam omnia hominum peccata, non modò quæ perpetrata sunt, sed quæ possunt in mentem cadere, summa incerta supergredi. Scimus tuam benignissimam pietatem nunquam ignoscendo defessam, tuum semper antevenire judicium, immò super tua opera universa præstare. Scimus te parentem esse, nos (quantumlibet degeneres) attamen filios: pro magno autem peccato filii, satis est patri parum supplicii. Sed scio quid obsistit, quo minus nobis miserearis & ignoscas, idipsum volens & appetens, quia nequaquam resipiscimus ab erratis, quia ad te ingemiscentes reverti non volumus, quod utique per servos tuos Prophetas tuæ in nos vindictæ prænuncios, tanta cum diligentia nos admones, legem hanc nobis, qua misereri debeas, per eos insinuas. Sed nos qui ad tua mandata dura sumus cervice, & indomabili corde, ad veniam vocantem non audimus, te excitantem contemnimus, te suadentem aspernamur, te promptum atque voluntarium ad præterita omnia (si modo præteritorum pœniteret) condonanda, per nova & pejora facinora quotidie provocamus. Proinde ad voces nostras obsurdescis, tuamque manum adhuc extentam à nostra percussione non revocas, sed novis potius contumaciis nova indesinenter flagella cumulas.

Excusatio authoris super generali deformitate Ecclesiasticorum.

Nolo autem ut quis existimet per ea quæ Ecclesiasticorum præmissa sunt, me omnes prorsus Ecclesiasticos, nullo excepto, comprehendere velle. Scio illum non mentitum esse, nec mentiri posse qui dixit, *Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Nec sum nescius in singulis quibusque statibus aliquos & forte plurimos bonos, justos, innocentes esse, ab illisque maleficiis, quæ supra memorata sunt, separatos. Sed tanta est improborum in singulis professionibus exuberantia, ut vix inter mille unus reperiatur qui id quod sua professio exigit, sinceriter faciat: quinetiam si simplex aliquis, si castus aut frugalis in collegio aliquo vel conventu latam & lubricam perditorum viam non sectetur, fabula & ridiculum cæteris efficitur, insolensque & singularis, insanus aut hypocrita

pocrita continuò appellatur: unde & multi qui ad bonam frugem devenirent si cum modestis & bonis degerent, hac ratione abstracti per malorum consortia ad malum trahuntur, dum talia inter suos contubernales nomina subire verentur. Inde est illud Psalmi utique verissimum, *cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.*

Quamobrem nemo admiretur, si rari hoc tempore sinceritate aut innocentia fulti in Ecclesia sint, tot sceleratis in omni loco ad mala impellentibus & per mille insidias sollicitantibus. Itaque propter multitudinem nequitiæ ita privilegiatæ, de bonis siletur, qui aliis comparati, parvo nimis in numero atque momento sunt, ut dum sermo de politia Ecclesiæ, aut de membris ejus incidit, tanta turba prævaricatorum totam Ecclesiam in tyrannidem adducit, eo loquendi more quo plerisque in locis scriptura utitur. In Genesi namque legitur, *Omnis caro corruperat viam suam,* & tamen eo tempore quo propter peccata hominum cataclysmus erupit: *Noe* vir justus coram Domino repertus est, & propterea cum suis in arca salvatus. Rursus in libro Psalmorum scriptum est, *Omnis homo mendax, omnes declinaverunt, non est qui faciat bonum:* & tamen idem ipse qui hoc dixit, deinde de se testimonium habet, quia invenisset eum Dominus virum secundum cor suum. Quare de bonis viris auctor silet.

Igitur cum ad hunc modum magistratus Ecclesiarum, & cætera officia se habeant, quis dubitat, nisi Dei animadversione, mala eis quæ patiuntur, accidere. Res mira, ut supra diximus, & insolita videri deberet, si quid eis prosperum accideret. Nonne per totam divinorum voluminum seriem bona nobis hoc pacto à Deo promittuntur, si legem ipsius servemus, mandata teneamus, in præceptis ambulemus, foedus nobiscum ab eo initum non irritum faciamus? Quod si nefariis operibus testamentum ejus prophanemus, pactum & legem irritemus, jussa & traditiones postponamus, qua fronte bona ab eo petere aut sperare præsumemus? Necesse est sortem alterutram subeamus, aut prosperorum præmia, si mandatis obedierimus, aut supplicia, si transgressores sumus, quia nunquam mentiri novit, qui pro operum qualitate, utraque tribuenda spospondit. Quid synagogam, quæ typus Ecclesiæ fuit, secundum quod Paulus dicit, *Omnia illis in figura contigisse,* quid eam (inquam) prostravit, deserique à Deo, & cladibus opprimi, nisi ejusdem malitia fecit? Si igitur juxta parabolam Ezechielis de duabus sororibus, Oolla & Oolliba, sorori majori similia gessit, immo eam flagitiis & fornicationibus amplius insaniendo superavit, quomodo sibi credet impune cedere? Expergiscere tandem aliquando ex longiori tuo somno (ô infoelix soror Synagogæ) expergiscere (inquam) aliquando & tuæ ebrietati diu satis (ut ita dicam) edormitæ modum impone, Prophetamque istum & cæteros, vide, lege, intellige, si tamen non usquequaque tua ebrietas, Prophetæ testimonio, cor absorbuit. Si ergo ulla in te sani cordis scintilla superest, Prophetarum dicta sedulò revolve. Tu, inquam, illic statum & tuam confusionem non utique dormitantem, sed è vicino impendentem considera: videbis quis te exitus expectet, quanquam malè & periculosè in his sordibus tamdiu jaceas. Quòd si Prophetas non audis, nec de te dum tot mala nunciant, locutos arbitraris, ipsa te fallis & periculoso nimium errore decipis. De te enim illi locuti sunt, & quæ minantur onera, super te nisi resipiscis, relapsura debes agnoscere. Sed fac eorum vaticinia aliò spectare, quid de tua prophetia, de Johannis scilicet in *Apoc.* censes? An non illam saltem ad te aliqua ex parte pertinere putas? num pudorem ita cum sensu perdidisti, ut hæc neges? Illam ergo intuere & lege damnationem magnæ meretricis super aquas multas sedentis, illicque tua facta præclara contemplare & tuos futuros casus. Quod status Ecclesiasticus meritò patitur. ☞

Porro cum omnia imperia & regna gentium quantumcunque potentia, magna vel dura, ob suas injustitias & superbias deleta audias, eversa videas atque pessundata: tu, quæ solidam humilitatem, super quam fundata eras, nullos impetus turbinum metuentem tam longe abjecisti, tuumque cornu tam in altum extulisti, quomodo exciso atque avulso tuo humili fundamento, tantam superbiæ molem quam desuper extendisti, non ruituram putabis? Cœpit jampridem tua superbia nequaquam se ferens palam, sed lentè quidem & pedetentim, & propterea à plurimis ruina illa non est percepta. Nunc verò in modum torrentis tota in præceps ageris, & ex illo præsertim tempore, quo abominandum hoc schisma te invasit, quod profectò ad primas tuas comprimendas nequitias intolerabiles & insanias falsas, divina super te iracundia venire permisit: quo vel sic regnum tuum Deo grave, gentibus odiosum, juxta Evangelicam veritatem, in seipso divisum, desolaretur, fractumque & dissipatum concideret: non quidem quòd fides Ecclesiæ in hoc mundano conflictu militantis cursu periclitari debeat, quæ fundata supra firmam petram stabilis & inconcussa mansura est: Sed loquor de temporali potentatu, de gloria & delitiis, quibus usque ad nauseam & oblivionem sui ipsa Ecclesia inebriata est, de quibus in damnatione meretricis vindicibus Angelis præcipitur. † Quantum glorificavit Quod Ecclesiasticus status propter superbiam tendit ad ruinam.

† Apocal. 18. 7.

cavit se & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Nam ut ea quæ longinqua sunt, de Græcorum à nobis dissidio propter nostrorum superbiam & avaritiam orto, de contractis limitibus Catholicæ Religionis, per totam penè orbis terrarum vastitatem olim * porrectis, ut hæc, inquam, & alia nonnulla vulnera pridem Ecclesiæ infligi cœpta non repetam, nonne saltem ruina illa, qua urbem Romanam, sedem ac caput Ecclesiæ sic ruere & collabi videmus, Ecclesiæ ipsius & totius ejus imperii desolationem propinquare nunciat, sicut destructionem Hierusalem secuta de proximo est Judæorum & synagogæ dispersio? Quomodo enim diu stabit aut vigebit, quæ sua destructa statione & capite perdito, vaga & instabilis per orbem discurrit, & quasi jam peregrina aut hospes in mundo de uno loco ad alium migrare cogitur? Ex illo plane suam cladem imminere prænosse debuit, ex quo propter suas fornicationes odibiles, *Romuli* urbe relicta, Avinionem confugit: Ubi quantò liberius, tantò apertius & impudentius vias suæ simoniæ & prostitutionis exposuit, peregrinosque & perversos mores, calamitatum inductores, in nostram Galliam invexit, rectisque usque ad illa tempora moribus frugalibus, disciplinâ instante, nunc verò luxu prodigioso usque adeo solutam, ut merito ambigere possis, utrum res ipsa auditu mirabilior sit, an visu miserabilior. Verùm alias fortan de Gallia, nunc de Ecclesia loquamur, quæ maligno nescio quo pacto loca, quibus insederit, suo fermento inficere consuevit, casusque, pernicici ac ruinæ illis esse, quanquam non gratis aut absque ultione: vicem enim ei debitam Italia reddidit, quæ nudam & suo patrimonio paulò minus spoliatam suis sedibus ejecit. Mala verò ipsa Gallia, inops per eam facta, reddere incipit, ut impleatur illud prophetiæ præsagium: † *Confunderis ab Ægypto sicut confusa es ab Assur.* Et illud, * *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.* Postquam enim, importabili sarcina peccatorum exigente, furiale malum schismatis irrepsit in Ecclesiam, (ut omittam quæ per alterum tunc apud N. de papatu contendentem gesta sunt, potius hæc scribenda illis relinquam, qui cum eo conversati certius mores illius, atque eorum quos secum habebat, enarrare possunt:) quid *Clemente* nostro, quoad vixit, miserabilius? qui ita se servum † servorum Gallicis Principibus adjecerat, ut eas ferret injurias & contumelias, quæ sibi quotidie ab aulicis inferebantur, quas vix deceret in vilissimum mancipium dici. Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, dissimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba: omnibus, quos aut ars assentatoria, aut ludicra in curiis acceptos fecerat, summoperè placere studebat, eosque beneficiis promereri, quo talium patrocinio, dominorum gratiam & favorem assequeretur & similia, &c. His itaque & juvenibus nitidis & elegantibus, quorum maximè consortio gaudebat, singulos fere vacantes episcopatus, cæterasque præcipuas dignitates impendebat. Denique ut Principum benevolentiam facilius assequeretur, assecutam foveret, foramque conservaret, conservatam amplificaret, plurima ultrò donaria atque xenia illis dabat, quascunque super Clero exactiones petere voluissent, annuebat, ultrò sæpius etiam ingerebat. Sicque omnem Clerum, secularium magistratuum dispositioni ita subjiciebat, ut Papa magis quilibet eorum, quàm ipse putaretur. In hac tristissima servitute, non dico præsidentia, tria (vel supra) temporum lustra cum incredibili Ecclesiæ attritione * consumpserunt.

* porrecta. *Par.*

† Jerem 2.36.

* Psal. 137.8.

† deest [servorum] in *Par.*

* consumpta sunt. *Par.*

Quod Ecclesia prius humilianda est quam erigenda.

Quia Ecclesia seipsam humiliare vel tot flagellis attrita, contempsit, rectè ab illo qui plus æquo exaltata humiliat, elisaque & humiliata erigit, prius humilianda erat, ut in gratiam à qua exciderat, rediret, postea erigenda atque sublevanda; prius desolanda, postea consolanda; prius percutienda, postea sananda. Nam quod ad redintegrandam ipsam Ecclesiam, funesto hoc schismate dilaceratam attinet, frustra aliquid per nos effici speramus: non hoc humanis operibus, non ulla arte, in gratia agendum est, altiorem plane manum res ista deposcit, & necesse est, si unquam uniri debeat, idem ipse medicus sit, qui vulnus intulit, quia & tam acerbum tamque immedicabile vulnus est: ut nulla opera altera curari valeat. Multa super hac re tractata sunt, multa agitata vel cogitata, multa conscripta, multa consulta, multæ legationes susceptæ: verùm quo plura miscuimus & moliti sumus, eo res assiduè multiplicatior atque turbatior evasit, Deo labores nostros irridente, imò jugiter irritante, qui nostra sine ejus adjumento solertia illud ipsius opus explere credidimus. Adde, quòd indigni sumus & pacem ab eo impetrare, & pacem habere, quia non est pax impiis, dicit Dominus: qui rursum per Prophetam ait, † *Erit opus justitiæ pax.* Denique, nato in carne Domino, Angelorum exercitus pacem suo prædulci carmine in terra denuncians, solis eam hominibus bonæ voluntatis futuram nunciavit.

* Isai. 32.17.

Quod

Quòd autem à Domino hæc pestis schismatica processerit, ex quibusdam in Zacharia scriptis licet apertè colligere. Legimus siquidem in illo Propheta qui multa de futuris temporibus & novissimis Ecclesiæ tribulationibus sub prophetico velamine prætexuit, quòd Deus summus pastor, omnium aliorum caput & regula, in duabus virgis pascit gregem suum, quæ sunt decus & funiculus, quia decoris moribus & fraterna charitate præditi esse debent qui volunt in Ecclesiâ populis præesse. Charitatis enim, quæ est vinculum perfectionis, funiculus triplex est, qui difficilè rumpitur, quia in Deum & proximum & seipsum tendit. Verùm si anima pastoris divinis minimè jussis obtemperans, sua & non quæ Dei sunt quærit, & turpi in Deum operatione variaverit, contrahitur anima ejus super eos, præcidensque virgas suas ab eis substrahit, pro decore ignominiam & dedecus, pro nectente autem funiculo, schismata, contentiones, & virulenta dimittens dissidia, & hoc pacto irritum facit fœdus suum cum pastoribus pariter & ovibus percussum, germanitatemque inter eos dissociat, quia plerumque pro culpa superiorum ipsi etiam subditi puniuntur. Sicut propter reatum David in populi numeratione, populus plaga pestilentica pessima percussus legitur. Constat autem primam virgam quæ decus vocatur, propter vitia pastorum jam ante annos multos ab Ecclesia præcisam ac sublatam, eo videlicet tempore, quo probrosos illos mores, de quibus antea memini, induerunt. Ex illo siquidem fluere, infirmari, languescere, retro sublapsa referri cœpit Ecclesia: quippe quæ vernanti exuta decore, pallidam & obscuratam, in terramque dejectam faciem gerebat, postquam ejusmodi languor nulla fomenti opitulatione medicatur, sed diuturna incuria neglectus adeo per moram temporis invaluit, adeoque membra universa pererrando totum corpus occupavit, sicque obsessum tenuit, ut jam vix ultra sibi invicem membra ipsa cohærere possent. Et ut verum esset illud Propheticum, *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Sublata est virga secunda, funiculus, qui invicem membra ejus colligabat, quæ nunc rupto pacis vinculo nefandum schisma horrendumque prorsus dissociat.

De duabus virgis Dei quibus gregem suum pascit.

Putant quippe nonnulli, qui multa de hoc schismate & futurâ Ecclesiæ per ipsum desolatione, divino, ut creditur, instinctu, jamdudum prælocuti sunt, teterrimam Ecclesiæ totius ex eo conculcationem, incredibilem vastitatem, per terreni violentiam imperii, cujus multa sibi jura occupavit, orituram, quo terrenis tandem exuta copiis, quæ aliena glutierat, male trita evomat, filiosque fornicationum quos cum principum importunitate, cum improbissimo mercatu plurimos genuit, morte, fuga, exilio, fame & captivitate oppressos lugeat: quæ fortassis persecutio maturiùs quàm plerique putant cervicibus eorum incubitura est. Magna enim ejus fundamenta, nisi valde obcæcati sumus, jam jacta sunt, quæ quotidie magis ac magis à terra surgere, & in apertam jam lucem erumpere nemo est(si modo sensum habet)qui non valeat animadvertere. Et profectò justissimo Dei judicio tanta malorum inundatione obruenda & conquassanda est, quæ in tantam omnium abominationum insaniam excrevit, ut nulla alia via castigari, aut ad priorem innocentiam redigi posse videatur. Præcesserunt infinita signa, admonitiones, comminationes, increpationes, clades, verbera, flagella, quæ ipsam ad sanam mentem, ne instantia talia pateretur, revocarent. Sed nihil est omnibus his actum, immo incassum omnia consumpta: *Frustra* (inquit Propheta)*conflavit conflator*,malitiæ eorum non sunt consumptæ: fronte enim contra Deum obstinata omnia contempserunt, & velut equus infrænis post suas concupiscentias rapidiori semper impetu cucurrerunt.

Quod fuit initium conculcationis.

Quis igitur tibi (ô Christe) modus restat, si tuam Ecclesiam à tanta sorde scoriæ, in quam argentum ejus & aurum versa sunt, emundare disponis? multa, ut totam scoriam ipsam *, multa conflatili arte aut purgatorio igne † in aurum reparandum * ab Ecclesiæ fornace projicias, & puro illic nitore rutilantia metalla iterum inducas. Et si tuam prætere vineam labruscis senticosisque virgultis palmites suffocantibus obseptam, infructiferam, vis ad naturam reducere, quis melior modus id agendi, quàm inutiles stirpes eam sterilem efficientes, quæ falcibus amputatæ pullulant, radicitus evellere, vineamque ipsam aliis agricolis locatam, novis rursum ac feracibus & fructiferis palmitibus inserere? *Neque*, teipso teste, *aut de spinis possunt uva colligi, aut de tribulis ficus*: sed & *arborem nullum fructum ferentem excidendam* ipse sanxisti, *& igne cremandam.* Fallitur igitur quisquis labores & dolores Ecclesiæ his malis quæ jam patimur, finiri existimat. Hæc non nisi exigua sunt dolorum initia, & suavia quædam eorum quæ supersunt præludia. Sed tempus erat ut portum, ingruente jam tempestate, peteremus, nostræque in his periculis saluti consuleremus, ne tanta procellarum vis quæ laceram Petri naviculam validiori turbinis impulsu, quàm ullo aliàs tempore, concussura est, in mediis nos fluctibus cum his qui merito naufragio perituri sunt, absorbeat.

Si Ecclesia florere & fructificare habeat.
** ipsam repurges. Par.*
† opus est ad aurum. Ead.
** & ut ab. Ead.*

ORATIO AUTHORIS PRO SALUTIFERO fructu Reformationis consequendæ.

Miror hoc abesse ab editione *Parif.*

UNUM in fine opusculi, quod jam longius tenditur, te (benignissime Jesu) supplices exoramus, ut quæcunque tua super Ecclesiam futura sunt judicia (magna enim absque dubio futura sunt) non ea in severitate ultionis, secundum ipsius iniquitates, immensam jam mercedem ei retribuas, sed juxta inenarrabilem tuæ clementiæ lenitatem, & in poenarum exactione, quam non meretur pietatem largiri digneris: sicque eà quæ noxia sunt aut supervacua, rescidde, ne pauca quæ non usquequaque inutilia sunt, cum his etiam pariter excindas. Ita igitur preme, ne prorsus opprimas: ita attere, ne prorsus obteras: ita castiga, ne prorsus extinguas: sed saltem ne Sodomæ & Gomorrhæ similis sit, semen ei aliquod relinque, memor tamen tui sacratissimi verbi, quo te cum illa futurum promisisti omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

POGGII DIALOGUS CONTRA Hypocrisim, *juxta editionem Lugd.* (*ut præ se fert*) 1679.

AD FRANCISCUM ARETINUM J. V. D. Poggii Epistola.

CUM multis ac variis animi morbis subditam esse constet mortalium imbecillitatem, quidam tamen à sapientibus censentur cæteris perniciosiores, & eò majore odio digni, quo plus nocumenti videantur afferre. Itaque existimans olim, avaritiam vitiorum principatum tenere, unico libro, pro viribus ingenii, nequitiam illius expressi, detestans illã veluti quendã malorum omnium Architectum. Postea verò, cum multis exemplis periculisq; animadvertissem, esse aliud, tanquam monstrum perniciosissimum, Hypocrisim videlicet, multo scelestius vitium; & hoc quoq; ob publicam utilitatem, mihi insectandum existimavi. Plurimum enim calamitatis vitæ nostræ afferre censendus est, hic veluti sylvestris Erymantheus aper, communisque hominum pestis; cum Evangelica sapientia Hypocritas toties accuset, toties, ut pessimum genus hominum, censeat evitandos. Occultum quippe scelus est, & quod non nisi cum alterius calamitate possit agnosci. Scio, multorum simultatem, qui forsan se læsos putabunt, ex hac conscriptione, me esse subiturum: sed moneo ut se à maledictis contineant ac detractione, ne suis verbis eo scelere se inquinatos ostendant, in cujus vituperationem liber est editus. Prius enim Hypocritas se esse palam faciant necesse est, quàm me non rectè sensisse. Ad te verò, Vir præstantissime, has meas destinavi vigilias, quem scio natura ad virtutem propensa, esse ab omni labe tam mali facinoris alienum. Vacas enim bonæ menti, & veram virtutem amplexus, in his literarum studiis quæ optima existimantur, versaris. Abjicis omnem simulationem, & aperta rectaque via tendis ad honestatem; parens præceptis eorum, qui suis monitis nos instituunt ad meliorem vitam. Plus certè in te honesti residere pateris, quàm proponas conspiciendum. Leges igitur hunc librum, qui te in tuo bene vivendi jam instituto cursu corroborabit; & simul suscipias, oro, illius defensionem, si qui in eum impetum fecerint. Quanquam existimo paucos futuros qui in apertum certamen descendant; ne eorum consortes videantur, quorum naturam, mores, fraudes, scelera detestamur. Sed audi, quæso, quid de hac, tanquam vitiorum sentina, quidam non omnino literarum rudes fuerint collocuti; &, an satis eo sermone explicata illius pernicies fuerit, adverte.

DIALOGUS

DIALOGUS.

VIR nostræ doctissimus ætatis omnique laude præstantissimus, Carolus Aretinus, mihi ea benevolentia conjunctus est, ut nihil possit esse conjunctius. Nam iisdem in studiis versati sumus, & mutuis officiis inter nos summa jamdudum necessitudo contracta. Consuetudo autem ita jucunda nobis, ut cum Florentiam accedo (fit autem fermè annis singulis) is imprimis à me amicitiæ nostræ gratia visitetur. Accidit autem, ut cum ultimò illuc à Curia, domesticis ductus negotiis, adissem, è vestigio domum Caroli accederem. Quem cum in sua Bibliotheca offendissem, Politiam Platonis Græco sermone legentem, data redditaque (ut moris est) salute, post illa prima, quæ in congressu amicorum haberi solent; cum de statu Pontificis quæsisset & Curiæ: Quid, inquit, Poggi? Nunquid hoc Nicolai nostri Pontificis tempore, Romana Curia septa vel potius obsessa est Hypocritarum cohortibus, velut apud Eugenium consuevit? Memini turbam illam redundantem intra palatii septa; atque ita ex omnibus locis atque ordinibus, tanquam formicas ex foraminibus, scaturientem, ut multis odio esset. Et certè (posteà quàm nunc verum fateri licet) bonus ille multis profectò in rebus Pontifex fuit; sed in eo, sive ad æstimationem vulgi, sive quòd bonos illos viros putabat, paulum, meo judicio, à via deflexit, quòd nimium Hypocritis indulserit, adeo illis favens, ut multorum detexerit sua indulgentia cicatrices. His primus ad Pontificem aditus patebat; hi plurimum temporis cum eo in rebus levissimis consumebant; hi aures illius depascebantur; quidam somniis, alii revelationibus futurorum, nonnulli novis miraculis, animum illius demulcentes, adeo in mentem ejus specie sanctitatis obrepserant, ut quicquid optarent aut peterent (plurima autem postulabant) sæpius impetrarent. Memini, dici quandoque, cum tam multi undique fores palatii obsiderent, regnum tunc Hypocritarum esse, quorum plures, veluti ex ergastulis emissi, rudes erant, ignobiles, indocti, sola importunitate noti. Non culpo neque duco id vitio tribuendum; Religiosos viros publica sui Ordinis munera exequentes, aut quibus id à majoribus est injunctum, quive ad aliorum sunt curam & regimen assumpti, aut quorum virtus & doctrina excellit, quibusque aliquid agendorum onus imminet, quandoque ad Curiam aut Pontificem adire, ut ea assequantur, ad quæ illos publica utilitas impellit. Sunt plures ex omni Ordine Religiosi, quos possem commemorare, probati viri, docti, ac perhumani, quorum consuetudine admodum delector; quos, cum procul absint ab omni Hypocrisis suspicione, non solum à Curia non arcere, sed allicere deberemus; cum nobis literis proficiant & exemplo. Verùm omnem Religiosorum fæcem, ex infima abjectaque hominum conditione collectam, qui privata causa ambiunt & prensant Curiam, homines ignavos, rudes, sordidos, sola ostentatione & vultus pallore conspicuos, hominibus inutiles, neque acceptos Deo, versari continuò in frequentia omnium gentium, postes palatii observare, beneficia, immunitates, gratias, privilegia, ut cæteris præsint, postulantes, tanquam suæ professionis pertæsos, neque laudandum, neque ferendum videtur. Res quippe non culpanda solum, sed vindicanda est, ejusmodi homines, veluti solutos legibus, quo velint, evagari, sub humilitatis & mundi contemptu simulatione, quo facilius suis cupiditatibus obsequantur. Agerent sane melius, judicio multorum, rectiusque, si in suis cellulis residerent, aut Divinis officiis, aut lectioni, aut honesto operi, quo malas cogitationes & ignavum otium effugerent, intenti. Plures summam proximi caritatem præseferunt, omnia abs se aliorum salutis causa fieri ostentantes, adeoque effervent caritatis ardore, ut quærentes onus minime necessarium, proprias animas perditum eant, ut Deo lucrentur alienas.

Tum ego: Hoc totum, mi Carole, Pharmacopolarum, ut ita loquar, genus, jam ferme desiit nobis negotium facessere, eorumque omnis evanuit officina. Nam hoc tempus, ut ait Terentius, aliam vitam, alios mores postulat. Nulla simulatio, nulla ostentatio est in pretio, sed veræ iter virtutis patet. Verum nimis isti Hypocritæ ampliarunt hactenus fimbrias suas, qui sub religionis fideique velamento, ea tractabant, quærebant, petebant, quibus amplum esset eorum nomen, quo divulgaretur existimatio bonitatis, cæterique ad eorum cœtum allicerentur, ut magno numero eminerent; nescientes, stultitiam, quo amplior est, eo fieri notiorem. Erant qui conquirendorum nummorum sibi operam impetrarent; qui destinabantur ad quæstum, adeo multis privilegiis suffulti, ut ipsi æquarentur Pontifici. Se Legatos Apostolicos quidam dicebant,

omnia agebant, omnia condonabant, ad pecuniam etiam ex infimis locis exhauriendam; quo factum est, ut multi, qui publice pecunias rejiciunt, privatim bene suffarcinati redirent. Quod exercitium, quantum religioni conveniat; viderint ii, quos in eo vidimus esse versatos.

Tum Carolus: pessimum est hoc, inquit, facinus, & quantum posset fieri, vindicandum. Sed non solum Romanam Curiam, verum etiam universum terrarum orbem id vitium occupavit. Quot enim in hac nostra civitate, quot in aliis urbibus, omnis generis hominum esse censes, quibus hæc Hypocrisis affert quæstum, dignitatem, autoritatem? Iniquum genus ac perversum, totumque ex nequitia & fraude confictum. Hoc ego, extremum malorum omnium, rectissimè dici posse arbitror; neque ullam è Tartaro majorem pestem quàm Hypocrisim, humano generi eductam. Id enim vitium ferme est, quod Divina eloquia ultra cætera detestantur. Magis in Hypocritas Salvator noster invectus est, quàm in reliquos facinorosos. Vidit enim hunc esse morbum animi occultum, exitiabilem, ac perniciosum, & quòd plura hominibus importaret mala. Nolite fieri, inquit, sicut Hypocritæ tristes; exterminant enim faciem suam, ut appareant hominibus jejunantes. Alibi falsos prophetas eos appellavit, à quibus monuit cavendum esse. Multis quoque in locis hoc scelus admonet fugiendum, detestans hoc solum vitium Divina sapientia, tanquam illud, quo nullum nequius neque magis nefarium reperitur, quod plurium malorum causam & originem secum ferat. Latè enim patet illius pernicies, multos fallit, multos decipit, multos evertit; ut non homines, sed portenta appellandi sint, quos ea nefaria Hypocrisis labes tenet. Hoc designans noster Cicero, nullam, ait, esse pestem capitaliorem, quàm eorum, qui cum mali sint, id agant, ut viri boni videantur. Hoc est proprium Hypocritarum opus, à quibus omnis turpitudo, omnis nequitia, omne malum facinus, omnia scelera prodeunt. Redigunt enim singula ad suam utilitatem; omissa cura societatis humanæ, quam qui deserunt, magis contra naturam agunt, quàm si patriam aut parentes oppugnent. Etenim Hypocrita omnium rerum simulator videtur esse ac dissimulator. Hæc autem vitæ ratio, seu perversio potius, ob proprium commodum suscipitur cum alterius detrimento; detrahere verò alteri ut ex hominis incommodo sua res augeatur, magis contra naturam testatur esse Cicero, quàm mortem, quàm dolorem, quàm cætera quæ possunt corpori accidere, aut rebus externis. Quanta igitur immanitas horum censenda est, qui sub specie boni, sub virtutum velamento, omnia naturæ humanæ jura pervertunt? Violant & tollunt maximè fidem, unicam vinculum communis societatis, sine qua vita nostra constare non posset; ea enim ex actionibus hominum sublata, & vitæ hominum societas intereat necesse est. Hi detrahunt ipsi virtuti auctoritatem; cujus sub umbraculo cum lateant ad homines fallendos, & virtus quoque fraudulenta existimatur. Quid? quòd iidem Hypocritæ ac proditores esse videntur: cum alter amici fidique hominis, alter boni viri specie in nostram erumpat calamitatem, pari quidem pœna digni sunt, cum delicta sint paria. Itaque mea sententia nihil detestabilius est hoc genere non hominum, sed immanium belluarum; nihil execrabilius, nihil inter mortales sceleratius reperitur. Malefici homines sunt, perversi, mendaces, fraudulenti, semper ad dolum intenti. Seneca ad Lucilium, ne hos Hypocritas imitaretur, scribens, admonet; ut nil more illorum agat, qui non proficere sed conspici cupiunt. Asperum (inquit) cultum, intonsum caput, cubile humi positum, & quicquid aliud ambitio perversa via sequitur, evita. Hic aperte Hypocritas descripsit eos, qui non esse, sed videri cupiunt boni; miserrimi quippe homines omnium qui vivant. Quamvis enim singula vitia miseros homines reddant, hoc tamen efficit omni miseria inferiores. Magna est infœlicitas, esse vitiosum; sed hoc vitii genus infœlicius est cæteris omnibus judicandum.

Vera, inquam, Carole, de hoc vitio narras, quod mihi adeo perniciosum videtur, ut nulla dicendi vis, nulla eloquentia æquiparare ejus possit malignitatem. Sed postea quàm in hunc sermonem devenimus, & otium colloquendi datur; vellem latius à nobis, uberiusque de his quos censemus Hypocritas, & qui ii videantur, disseri. Multa enim in hoc vitium (quamvis pauca pro ejus iniquitate) dixisti, sed in quibus id designetur, non est explicatum.

Cùm ille se ad respondendum pararet, supervenit insperatò nobis Hieronymus Aretinus Abbas Cœnobii S. Floræ; vir præstans eloquentia, & moribus vitæ, utrique verò nostrum vitæ consuetudine admodum familiaris, qui nos cum salutasset ambos, in me versus, ut noviter conspectum; Quid ageretur in Urbe, & quandiu abfuissem? percontatus est.

Tum

Tum ego, cum ad cætera respondissem, Percommodè, inquam, Carole, hic noster advenit, ipse enim peroptimè mores Hypocritarum novit, diutius inter eos versatus. Quamvis autem procul ab eo vitio absit, & humanitate ac virtute præditus; tamen & macilentia & vultus pallore ac etiam humilitate quadam, nonnullis, qui eum ignorarent, aliquam injiceret suspicionem. Est quoque religionem optimam jam dudum professus, & cum plurimis ex his Hypocritis longo usu consuevit, ut perfacile illi sit explicare nobis, quibus id nomen ascribi possit.

Hic ille: nimis cito, inquit, me ad durum valde certamen provocatis, & multis futurum molestum. An nescitis Terentianum illud: Veritas odium parit? Nolo hanc provinciam difficilem nimis suscipere & odii plenam. Nolo in me excitare hoc veluti examen apum, & immensum & promptum ad aculeos effundendos.

Non est, ut aliquos verearis, Carolus ait. Nam neque effluet hæc nostra collocutio, & nos quoque una tecum (latrent postea quantum velint) hanc provinciam sumemus. Cum ille se inscium diceret, quæ à nobis de Hypocritis essent dicta, recensuit singula Carolus, tum ab se, tum à me in eam sententiam collata.

Tum Hieronymus; nihil est, inquit, quod in hac re à me requiratis amplius. Verùm si vim nominis quæritis, id constat vobis. Scitis id Græcum esse, quod Latinè traductum, simulator dici potest. Qui enim simulant, aut dissimulant, ut meliores quàm sint videantur, qui, ut ait Sallustius, unum in ore, aliud in pectore clausum gerunt, qui ea simulatione deceptionem aliquam machinantur, qui specie honesti aucupantur boni viri nomen ad famam vulgi, hi rectè Hypocritæ appellabuntur. Est tamen Hypocrisis quædam procul à criminis nota. Nam cum quid fingitur communis utilitatis causa, quod non ad dolum, aut alterius ærumnam spectet, sed commodum vitæ, nullam ejusmodi simulatio reprehensionem meretur. Omnes ferme legum prisca ætate latores suis legibus ferendis alicujus auctoritatem numinis prætulerunt. Numa Pompilius, qui post Romulum regnavit, populum ferocem bellisque assuetum ad deorum cultum religionemque convertit, & efferatos multorum cladibus animos mitigavit legibus. Quæ haud facilè rudi persuasisset populo, nisi Ægeriæ consiliis ac monitis ritum sacrorum, ceremonias ac leges illas se eis tradere finxisset. Itaque ea simulatione multa salubriter sanxit, quibus civitatis mores sunt in melius constituti. Quare non omnis mala censenda est, sed quæ fraudem respicit & deceptionem. Mimos quoque, qui cum aliorum personas & acta fingant, hypocritæ appellari possunt, absque vitii culpa dicemus. Sed non hos; ut opinor, complectitur tua descriptio, quibus nihil fraudis inest. Illos à te requiri puto, quorum studia dolis intenta sunt cum voluntate fallendi. Ingens malumque facinus, & omni deterius barbarie. Sponte etenim & cogitatò peccat, & in suo scelere delectatur, quod quidem extremum est infœlicitatis genus. Non solum autem religioni deditos complectitur hoc scelus, sed longius sane quàm vellem evagatur. Nam in quolibet artificio atque exercitio reperies viros ad simulandum promptos ac dissimulandum; hos quidem laudis, hos lucri cupidos, mercenarii omnes, opifices, & qui vulgaribus artibus indulgent; docti quoque viri in omni doctrinarum genere, quorum quilibet ultra, quàm norit, ostentat, dicentur Hypocritæ. Nam quivis artifex omnia suæ artis arcana se callere profitetur, ut adhibeatur ad opus faciundum, & tamen in experiundo deficitur ab artis peritia. Idem de præstantibus ingenio viris, idem de bonis affirmo, quorum nullus est, quin cupiat, paulo amplius, quàm sit, videri. Itaque omnes ferme homines tum bonos tum malos hæc complectitur definitio.

At Carolus: Jactatores potius, inquit, hi ostentatoresque sunt, quàm Hypocritæ dicendi. Polliceri enim ultra suæ artis aut ingenii vires est ostentationis ac jactantiæ vitium, à levitate mentis atque imbecillitate profectum. Possem hoc pacto & Hypocritas appellare plerosque, qui diebus festis apud Pontifices de more orationem habent, quorum labor videtur admodum inutilis. Utuntur enim sermone prolixo, quem diutius multis vigiliis præmeditarunt, ad ostentationem potius quàm utilitatem. Nihil enim aut parum de suo afferunt, colligunt tanquam ex varii coloris vestibus frusta diversa, ex quibus unam conficiant penulam inconcinnam sanè, & nulli corpori aptam. Qua in re operam & impensam, ut aiunt, videntur perdere. Nam finis orantis is esse debet, ut aut doceat, aut moveat cum aliqua delectatione. At illi ita docent, ut audientes nihil percipiant; tot enim sententiarum inculcatione aures obtundunt, ut nulla adstantium attentione audiantur. Altera in re multum proficiunt: Ita enim movent sæpius magna cum voluptate, ut auditores ad somnum excitentur. Mira ergo est istorum utilitas, quæ omnis consumitur in doctrinæ ultra quàm eorum sint facultates ostentatione. Simulant se isti, plus quàm virum bonum deceat, sapere; Nequaquam tamen inter Hypocritas collocabis. Illorum enim alia ratio est, &, quo serpat, minimè obscura:

ſcura: Res nequior, ſubdola, doloſa, ad fraudes accommodata. Nam qui vitæ ſanctimoniam majorem quandam præſeferunt; qui vultu ſqualido, trita veſte, nudis pedibus vulgò incedunt; qui publicè pecunias ſpernunt; qui Jeſum Chriſtum ſemper in ore habent, qui ſe palam bonos dici & haberi volunt, neque ea quæ habitu verbiſque oſtentant, opere efficiunt; qui mulierculas ad ſuas illecebras ſeducunt; qui extra ſua clauſtra diſcurrunt ad expiſcandam famam; qui ſua jejunia efferunt; qui cæteros ob ſuum commodum fallunt; qui depoſitum tanquam penes bonum virum negant: hos omnes Hypocritas rectè arbitror appellandos.

Tum ego: Mala profectò eſt, inquam, & peſtifera natio, & qua nulla deterior debeat videri: ſed ut, quod nunc in mentem venit, loquar, quamvis ſemper Hypocritas ſim deteſtatus tanquam ſceleſtos & pernicioſos viros; tamen nequiores æſtimandi videntur, qui apertè ſunt mali, & iniquis facinoribus delectantur, qui auferunt, rapiunt, ſpoliant, jura omnia violantes. Itaque minus mihi peccare videntur, qui occultè nocent, quàm qui manifeſtè injuſti ſua flagitia in forum producunt ac proponunt hominibus conſpicienda. Tunc enim conſummata eſt hominis & ad ſummum perducta nequitia, cum vitia delectant & vertuntur in mores, cum pudore ſublato contemnunt hominum ſermones, & quid de ſe homines ſentiant, aſpernantur. Quod duobus amicis noſtris, notæ avaritiæ ac rapacitatis viris, alteri Romano, alteri Veneto, qui in ore omnium erant ob frequentes rapinas, vidimus contigiſſe. Ejuſmodi homines & agunt nequiter & exemplo nocent. Nam cum vitia voluptatem quandam ſecum ferre videantur; multi improborum exemplo, ad imitandum cæterorum vitia alliciuntur. Perſæpe videas viri nefarii moribus, non ſolum domum, ſed urbem quoque inquinari & pollui, niſi quamprimum caſtigentur ſcelera, ac legibus & judicio comprimantur. Trahuntur enim in uſum & conſuetudinem vitia impunita. At verò Hypocritæ, quamvis interior ſit animus reprobus, quamvis multos decipiat ac fallat, tamen id fit occultius, & ſub aliquo honeſti velamento; ut perſæpe addubitare cogaris, rectene, an ſecus egerint, neque exemplo malos eſſe fatearis, ſed aliunde re ſimili vero ductus, patrocinium eorum aſſumas bonorum ductus virorum opinione. Monent enim nonnulli palam cavenda vitia, ſcelera fugienda, abſtinendum à turpibus, contemnendam pecuniam, frugalitatem appetendam, religioni indulgendum, vivendum caſtè, abſtinendum rebus alienis, dandum egenis; docent vitæ continentiam, modeſtiam morum; ſimulant ſe bonos, & odiſſe turpia, quibus rebus proficiunt plurimum populis; ut etiamſi quid poſtea deliquerint, difficile ſit amittere boni viri exiſtimationem verbis & operibus jam conceptam. Horum delicta, cum & occultiora ſint, & non ſtatim prodeant in vulgus, minus obſunt, quàm quæ palam & apertè teſte populo fiunt. Fingunt prætereà, quicquid agunt mali, ad finem boni ſpectare.

Hic ſubridens Carolus, deſcripſiſti, inquit, Poggi, duos mihi, quorum nunc in mentem venit, Hypocritas, alterum Piſanum quendam Eremitam, qui cum muliere publica concumbens, ſe id agere ad macerandum id viliſſimum corpus & ejus vires conterendas, profitebatur.. Alterum quem novimus Florentinum, qui ſemper caſtitatem & vitæ continentiam profeſſus, cum ſemel in coitu inhoneſto deprehenſus, acriter increparetur; non id ex ea cauſa agere ſe dixit, qua forſan opinarentur, & qua uti eſſent ſoliti peccatores, ſed ad perdomandam illam triſtem, Deoque rebellem & miſeram carnem. Semper iſti Hypocritæ opponunt aliquam honeſti, ſceleribus ſuis, umbram. His ſimiles fuerunt Eremitæ quidàm Bononiæ, tempore quo Legatus ibi præerat is qui poſtea Pontifex fuit Joannes XXIII. Erant numero circiter X. qui cum plures mulieres & in iis nobiles quaſdam, ſanctitatis & honeſti ſpecie, ad confeſſionem illexiſſent, cœperunt paulatim ſuadere, nil gratius Deo, nil acceptius, nil meriti majoris, obedientiæ bono: Ut rem longam percurram paucis, eo res ejuſmodi ſuaſionibus deducta eſt, ut nudare corpora, ad lectulum pergere, & ibi filium Deo procreare per ſanctam obedientiam mandarent. Mulier obtemperabat.

Eremita juſſus parebat, præfatus imprimis, non voluptatis, qua careret, ſed obediendi & animæ gignendæ cauſa, ſe id laboris ſuſcipere. Lectulum conſcendens, mulierem, tanquam mundum negligens, cognoſcebat. Hic obedientiæ fructus cum fœminis non diſpliceret, plures ad id contubernium allexit: adeoque ea officina fervebat obedientiæ fructu, ut macilenti, tenues, cute vix oſſibus hærente, Sanctorum virorum pallore nomen aſſequerentur. Superiores carnis macerationem, iſti obedientiam celebrabant; utroque virtutis umbram ſuis ſceleribus præferentes. Quid dices de iis, quos nuper Venetiis impudica obſcœnitas detexit? Nota omnibus res eſt, & quàm multas fœminas corruperint ſub ſanctitatis umbraculo. Sed hi alia ratione ad uſum mulierum aſpirarunt. Quidam perfectæ & ſimplicis, ut aiunt, vitæ, quo in ſtatu qui eſſent non poſſe peccare aſſerebant, neque carnis voluptatem ſenſu percipere, in ea civitate nominabantur.

nabantur. Similes Deo se profitebantur in statu gratiæ, eorumque opera nullo peccato esse conjuncta. Hac persuasione adeo nonnullas infatuabant, ut existimarent veram, quam dicebant, esse perfectionem. In ea nullum esse aiebant pudorem: nam primos parentes ante peccatum nudos nil puduisse. Mulieres deinceps in occultiora loca deductas, vestibus exui imperabant. Siqua remissius aut pudentius id ageret, arguebatur è vestigio in peccato esse & extra gratiam Dei. Nam Evam primam matrem nullo pudore perterritam, cum nuda esset, antequam Deum offenderet, fuisse. Illa, ut perfecta videretur, subitò se nudabat, patens libidini virorum. Idem præcipiebatur viris. Cogita quid inter nudos in multitudine confusa (magnus enim jam numerus evaserat) factum credas. Cuniculorum more agebatur res. Hæc tam infanda turpitudo, matronæ unius constantia, quæ noviter eò ab socia deducta ad tam sanctos viros erat, cum perfectionem illam nuditatis veneream recusasset, detecta est. Sed statim compressum facinus, ob infamiam eorum qui in eo ludo deprehensi erant. Plura autem de his pòst paulò referabuntur. Hæc recensui, ut palam sit, omnia ab istis deceptoribus sub alicujus, ut ita dicam, tabernaculo honestatis, scelera patrari. At ii videbantur Poggio tolerabiliores, quàm qui apertè peccarent: ego illos eò scelestiores judico, quo sint occultiores. Etenim majori dignam odio fraudem, quàm vim scribit vester Cicero; minus quippe reprehenditur, qui apertè injuriam facit, quàm qui fallit occultè. Tunc maximè nocet calamitas, cum præsentiri aut percipi nequit. Malum quidem id levius est, quod ante quàm lædat, curari potest; occulto verò, quod citius perdit quàm sentiatur, qua ratione occurres? Nullus est perniciosior hostis, quàm qui ingreditur sub amici specie. Apertus inimicus præcaveri potest. Itaque malitia, quò occultior, eò deterior æstimanda est.

Tum ego, subridens; miror, inquam, Carole, ut huic tuæ cedam sententiæ, me præsente, adeo invehere te in hos Hypocritas, tanquam scelestos, qui mulierum societatem appetant, & agrum excolant alienum; qua in re, maximum illorum crimen versari dixisti. Exemplis uteris, quæ magis ridenda sunt, quàm verbis insectanda. Ego enim istos, nisi Hieronymo deferrem, arbitrarer esse potius laudandos, quòd videantur esse admodum misericordes, qui & alienos labores subeunt, & multarum subveniant egestati. Sed nunquid tibi mirum videtur in hominibus otiosis ac solitariis conjunctionis appetitus, præsertim gignendi hominis causa, quem bruta etiam animalia duce natura appetunt ac prosequuntur? Mihi quidem isti viderentur ad id quod reprehendis, propter communem utilitatem alliciendi. Utuntur enim opere admodum pio, cum succurrant necessitatibus indigentium. Nullæ enim mulieres nisi fame coactæ, cum domi careant cibo, ad aliorum pascua proficiscuntur, eorum præsertim, qui persæpe olent pessimè velut hirci. Aut enim viduæ, aut à viris destitutæ, aut parum agello suo cultæ; cum petere cibum erubescant, concedunt postulantibus, quæ sint utrique usui futura. Medentur sæpius sterilitati, & hæredem excitant debili, aut morbis impedito. Quàm multi verò sunt morosi, perversi, uxoribus difficiles, qui illas odio habent, pejori quandoque vitio occupati? Nonnulli verberibus illas, tum incommodis, tum contumeliis afficiunt; quæ postmodum ad istos bonos ac pios homines, ut discant patientiam & perfectam vitam, recurrunt; omnes ibi molestias deponentes & animi mœrorem. Itaque haud rejicienda videtur istorum opera, cum sint paci & concordiæ accommodata.

Quæ cum dixissem: non sum adeo durus atque inhumanus, Carolus ait, ut hoc mulierosum vitium me maxime moveat: homines enim sunt, ac subditi passionibus. Hæc ob eam rem protuli, ut intelligat hic Hieronymus, istos Sathanæ ministros, eorum nequitiam semper protegere alicujus honestatis umbra; ut non peccare, sed rectè agere videantur. Alia existunt graviora, in quibus hos maleficos viros culpo. Quid enim ab istis fictoribus abest mali? Nulla pernicies major, nullum majus flagitium reperitur. Hi, cum securè propter bonitatis opinionem ubique versentur, hominum atque urbium proditionibus se immiscent; hi serunt inter socios atque amicos odia; hi promissa clam, publicè inficiantur. Memini quendam Religiosum Bononiæ, pecuniam penes se à muliere secretò, cum vir bonus haberetur, depositam, postea petenti denegasse, & derisisse velut insanam. At viri sanctissimi Nicolai Episcopi Bononiensis, qui postmodum Cardinalis fuit, virtute & diligentia, cum apud eum mulier eam fraudem questa esset, detecta res est, & pecunia restituta. Hi nummis alienis occultè inhiant, hi clandestina flagitia, & occultos concubitus non verentur; hi ipsi fidei detrahunt fidem. Cum enim quis ab eo deceptus est, quem bonum existimabat, ne probis quidem postea confidet. Quo fit, ut etiam boni viri quandoque, illorum circulatorum culpa, Hypocritæ appellentur. Neque enim absque experimento, hoc est, alicujus persæpe damno,

damno, probi viri ab Hypocritis dignoscuntur. Tutius autem videtur, omnem habere suspectam fidem, quàm, quæ vera sit, suo periculo experiri. Ita vel maximum eorum scelus est, ut detrahant virtuti autoritatem, efficiantque ut delinquentium culpa in viros justos ac probos redundet. Quanta igitur hujus Hypocrisis est pernicies judicanda, quæ efficit, ut virtus pro vitio, boni pro malis, æqui pro iniquis, illius culpa habeantur? Quid, quòd mendaciorum (quod maximum crimen ducitur) domicilium esse videtur? Sæpissime enim mentiuntur ejus operarii, in fraudem alterius & dolum. Hoc vitium semper fuit, tanquam nefaria pestis, à bonis & doctis viris maxime reprobatum. Turpissima res est enim mendacem esse, & præter naturam; cum sit loquela data nobis ad exprimendum animi sensum, non ad pervertendum. Magna igitur horum ducenda est perversitas, & quam præcavere haud facilè queas. Nam velut adulatores simulant officia amicorum, quos non nisi experiendo cognoscas: ita cum Hypocritarum fraus bonorum virorum imaginem præferat; non nisi longo usu, & cum deceperit, adverti potest. Quamobrem, ut Plato è sua politia poetas expulit, veluti morum bonorum corruptores: ita hanc fallacem Hypocritarum stirpem extra hominum genus, tanquam civitatum, Deo quidem exosam, hominibus verò infensam, pestem, censeo esse exterminandam.

Hic ego: quamvis Carolus multa de hoc genere hominum dixerit, tamen cum difficillimè discerni possit vera virtus à ficta; scire cupio abs te, Hieronyme, qui diutius consuêsti cum his Religiosis qui vulgò erant Hypocritæ, quo maximè modo internosci queant.

Vellem, inquit ille, ne extra Religiosos hoc vitium vagaretur; minus quippe damni nobis esset: sed omnis generis viros occupare videtur. An tu non Hypocritam dices, Nicolai nostri quendam patruum admodum senem? Quem ferunt, si quando in cœtu hominum mendicus stipem peteret, dissimulare solitum, se illum vidisse; cum paulò longius abisset, magna voce pauperem, ut rediret, appellare; assemque æreum ex loculo depromentem, pauperi dare consuêsse, addentem: Deum pro nobis roga. Si quis domum pro frusto panis isset, rejiciebatur; erat enim cupidus, tenax & quæstui deditus. Alter civis (Poggius meminit) statura pusillus, ex ordine equestri; cum templum domui propinquum ingrederetur, quod erat pictis imaginibus ornatum, exosculabatur singularum pedes; quæ altius depictæ erant, ad eos capitium projiciebat, deosculabaturque: quo semel accidit, ut cum candelabro, muro infixo, capitium hæsisset, alterius opem quæreret: quæ res magnum adstantibus excitavit risum. Nonne Hypocritæ vobis quoque videntur, qui post multas rapinas, expilationes, latrocinia, quibus socios expilarint, cum Rempublicam exhauserint; aut veste sacerdotali, aut pictura templi, boni viri nomen aucupantur? Utque simulata virtus vulgatior fiat, aut sua signa aut nomen adjiciunt, ut ad vulgarem laudem videatur bonitatis fama quæsita. Quot insuper novimus, qui ut magistratus assequantur, ut præficiantur Reipublicæ muneribus (& iis præcipuè, quibus lucri spes est annexa) templa frequentant, cum religiosis versantur, pauperes pascunt, æquitatem & justitiam semper in ore habent? Quorum animus, cum perversus sit, & à vera virtute alienus; tamen multa etiam incommoda perferunt, ad auram vulgi, ut possint occultè fallere, captandam. Multiplex igitur est Hypocritarum ac varia ratio, quorum perspicua cognitio videtur difficilis; ita inest illis quædam infixa similitudo virtutis: sed tamen tempore deteguntur. Dicebat amicus quidam, optimam eam futuram omnium esse artem, si posset esse diuturna; verùm ficta omnia citò redeunt in suam naturam; referantur occulta, & quæ veritatis radice carent, citò arescant necesse est. Verùm in his cognoscendis, hanc normam censeo adhibendam: Quos maximam vitæ sanctimoniam videris præseferre; aut subitò ex viris malis Religiosos, ut aiunt, optimos evasisse; quos collo obtorto, demissa facie, vultu squalido, vili veste, aspernantes semper jocos, bonitatis speciem ostentantes, Christum Jesum semper in ore circumferentes, hos habe, tanquam plus quàm efficiant, pollicentes, admodum suspectos: non enim opere respondent ostentationi. Nequaquam mala sunt tamen quæ retuli; sed tanta virtutis ostentatio aliquid habet admixti, quod igne esset, tanquam aurum, expurgandum. Difficile est bonum esse, & paucis contingit. Virtus actionibus quæ arduæ sunt ac difficiles, comprobatur; quas qui agit, non signat aliis aut monstrat; ne recipiat ab hominibus mercedem: sed mavult esse, quàm dici, bonus. Multorum quidem opera laudanda sunt; sed ii aut populum aut frequentiam hominum fugiunt, aut proficiunt doctrina, & recta via proficiscuntur. Verùm de Religiosis tacendum est mihi, ne videar meæ professionis homines impugnare. Vobis, quorum est libera loquendi facultas, hanc provinciam relinquo.

Tum

Tum Carolus: fateor, inquit, Hieronyme, aliōs quoque præter Religiosos, Hypocritas esse; sed tamen in vobis hoc maximè vitium dominatur, qui cum Religionis vinculum sumatis, sub humilitatis aut paupertatis specie, utrumque velut acerrimum hostem fugitis; libertatem, opes, dignitates postulando, adeo importunè nonnunquam ut nihil importunius dici queat. Fingunt quidam se procul ab reliquorum usu & communi grege remotos, ut cæteris præficiantur, quod assecuti, prioris obliti vitæ, in pristinos recidunt mores. Nota est in vulgus cujusdam monachi fabula, semper minutos pisciculos ad voluptatem evitandam appetentis: contracta apud cæteros, ex victus continentia, sanctitate, cum Abbas loci illius factus esset, grossioribus vescebatur, asserens se illos edere, quos parvuli suis retibus cepissent; sed tamen Eugenii tempora, ad quem undique ejusmodi homines scaturiebant, plures istius generis detexerunt. Nam veluti delphini, tempestatem futuram præsentientes, in summo enatant mari, ut palam à navigantibus conspiciantur; ita & isti Hypocritæ, catervatim ex suis gurgustiolis & cellulis emergentes, & veluti ad uberrima pascua advolantes, Pontificem circuibant, tanto persæpe studio, ut nihil posset esse fastidiosius: Varia ab Eugenio postulabant, ad fastum & quæstum spectantia; ut facilè appareret, illos magis ob inanem gloriam, & præsentis vitæ commoda, quàm ob vitæ melioris desiderium, Religionis habitum suscepisse. Certè ea quærebant, ut susceptæ Religionis * illo pœnituisse videretur. Quid enim ad quosdam sordidatos mente & vestibus asellos bipedales spectat, Pontificum aulam frequentare? Quid, tanto fastidio etiam janitoribus molestos esse? Num virtutem, num paupertatem, num humilitatem (quæ eorum est professio) in atriis Pontificis quærunt? Num continentiam, num rerum contemptum & seculi abdicationem? At ista in solitudine, & earum rerum, quæ in Curia tractantur, despicientia, reperiuntur. Nunquid sanctimoniam vitæ? At ipsi alia se via illam quærere professi sunt. Nunquid dignitates appetunt? Aut agendorum curam? At hæc sunt ab eorum instituto penitus aliena. Nunquid inquirunt aut exempla abstinentiæ aut pauperis victus? At hæc sunt tutiori itinere investiganda. Quid ergo eorum ad Curiam concursus frequens sibi poscebat, præter ambitionem, fastum, honores, pompam, vagandi ambiendique libertatem? At ex his multi non sua, sed aliorum causa, ut animæ peccatorum, ut aiunt, salvæ fiant, se Pontificem adire, privilegia ab eo petere, causabantur. Mira istorum virtus ac pietas censenda est, qui propriam salutem contemnunt ob proximi charitatem? Cura teipsum primum, Hypocrita; abjice animi morbos, adi ad Curiam vocatus; non te ultrò inculces; remove curandi cæteros appetitum, abige perversam ambitionem; sperne earum curam rerum, quæ nisi ultrò demandentur, scis nihil ad te pertinere. Aspira ad virtutem rectà, non hac tortuosa ac fallaci via; fac ut mens conveniat verbis; opera sint ostentationi similia; enitere, ut spiritûs paupertas vestium paupertatem excedat. Tunc fugies simulatoris crimen, tunc tibi & reliquis proderis vera virtute; sed dum te quantumvis hominem humilem & abjectum videro Curiam frequentantem, non solum Hypocritam, sed pessimum Hypocritam judicabo.

* fort. aliter est in MS.

Addas his quoque, inquam (stultos, an Hypocritas dicam?) eos, quos inscitia temeritati conjuncta suggestum ascendere cogit, non ad prædicandum, sed ad effundendum spargendumque in populo rudi & plebe insulsa, verba quædam resonantia, quæ neque qui profert, neque qui audit, intelligat. Ambitu verborum feruntur inconcinno; gestu, instar asini domino blandientis, incomposito, voce sonora ac terribili, verbis mordacibus utuntur; quæ scurrilitatem, non sapientiam redoleant. Ipsi sanctitatis sapientiæque, cum sint stultissimi, opinione inflati, quæ loquuntur, pro Evangelio haberi volunt. Multa promittunt, pauca exsolvunt; suæ dementiæ secum testimonium ferentes. Circumlocutionibus ducuntur variis, ut existimentur aliquid posse præstare. Assentiri sibi omnes volunt, hoc est, suæ stultitiæ testes esse. Tandem defessi loquacitate, tanquam Phœnicem enixi, abeunt rauci ac sudantes: Auditores multo quàm antea, stultiores recedunt, oppleti aures clamoribus ac jurgiis, verborumque quæ non intelligunt, strepitu. Nullus mutat mores, nullus vitia ponit; multi pejores quàm accesserant discedunt, ea edocti ut caveant vitia, quæ antea ignorabant. Novi quendam ex hoc ordine Hypocritarum, qui certa in urbe, rusticana tamen verba ad populum spargens, cum luxuriam muliebrem detestaretur, vetando, admonuisse secretiora quædam (ea referre, pudor istius Hieronymi impedit) quæ plures, rei prohibitæ ignari, postmodum cum uxoribus è vestigio sunt experti. At iste suæ virtutis opinione inflatus, patiebatur stultæ plebeculæ, inter applaudentium voces, manibus se domum referri. Quid hac iniquius perversitate? Quid hac fallaci virtutis simulatione detestabilius? Erat enim vir nequam, mulierum corruptor, moribus obscœnus: quæ

 relata

relata Martino Pontifici, hominem in carcerem primò trudi; deinde in exilium longinquum relegare compulerunt plures ejusmodi homines, qui cum rudes, indocti, literarum ignari existant, sancti, ut aiunt, Spiritus doctrina inflati ad plebem scripturam exponunt sacram tanta rerum inscitia, ut nil esse dementius videatur. Accessi multoties ad hos audiendos ridendi causa, cum ea dicerentur ab illis, quæ vel austerum tristemque hominem ad risum commoverent. Videas jactare se illos, tanquam è suggesto prosilire velint; modò tanquam furibundos vocem extollere; deinde summissè loqui, quandoque manibus tabulas percutere, nonnunquam ridere, adeo multas variasque formas latrando assumere, ut alterum Proteum dicas. Quos simiæ sæpius, quàm prædicanti similes duco. Ut autem Paulus Apostolus ait: Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit: ita istorum blateratorum alter ignorantiam plantat, alter profitetur inscitiam, omnes incrementum stultitiæ præbent. Fateor plures & fuisse & esse hodie doctos & excellentes viros omni virtute præditos, quorum oratio multum proficit fidelium saluti, quorum doctrina salutaris est & admodum laudanda: sed hi admodum pauci sunt, si numerum consideres eorum, qui nulla præterquam clamandi arte præditi, hanc sibi non prædicandi sed obloquendi licentiam sumpsere.

Tum Carolus; sanè diu, inquit, in hoc rabularum genere morati sumus; cæteros ex Hypocritarum numero, siqui supersunt, percurramus.

Adjiciamus & hos, inquam, vagos, qui protenta & contorta coma, barba promissa, resarcitis vestibus, cum sacculo & sportulis domos & fora, mendicando, circumeunt, ut vivant absque labore in militia Crucifixi. Inopis speciem præseferunt, cum sint aliunde bene nummati: quos, si Lucianus viveret, conjiceret inter sui Philosophos temporis. Ut enim ii relictis prioribus exercitiis, otio ignavo dediti, stipem petendo, vitam alieno sumptu ducebant, barbati, squalidi, veste vili, baculum ac peram ferentes; ita & hi, sequi se Christi vitam professi, ab illius operibus multum absunt, sub religionis cultu aliena impensa vivunt, otiosi, stertentes, somnolenti, neque animo neque corpore utiles. Sunt aliqui ex eis probandi viri, & ego quosdam novi dilexique; sed ingens numerus ignavorum. Adde quòd ex eis, qui confessionibus se dedunt, sanctitatem verborum ostentant, mulieres interrogant occultiora quædam, quæ potius libidinem provocent quàm extinguant. Nam dum secretiora rimantur, eriguntur quandoque quæ dormiunt, & oscitando balbutiendoque ostendunt se paulum anhelitu propinquo esse commotos. Multas tentant, quasdam seducunt ad Veneris templum, quæ postmodum illos Patres spirituales appellant. Scio quædam ridenda vel punienda potius de his qui in observantia se dicunt vivere, & quidem recentia, quæ tentarunt in confessionibus adolescentularum, sed pudor efferre prohibet. Quidam noster contribulis adhuc vivens, simulando dissimulandoque effecerat ut vir optimus putaretur; adeoque ejus fama sanctitatis percrebuit, ut nulla Florentiæ mulier, nisi ei sua peccata narrasset, satis conscientiæ suæ factum putaret. Sed extemplo ex hac opinione decidit, tum pecunias petendo, tum inter cætera ab adolescente muliere interrogando, an catum domi haberet? quod cum illa annuisset, postulavit, an illum animadvertisset, cum demulcerentur renes, caudam erigere? hoc iterum annuente fœmina, itidem sibi ex ejus conspectu accidisse, ait. Alter, quem novi (sed vetus res est) mulieri sua exponenti peccata, se velle humores expurgare quibus abundaret, dixit. Illa, ad medicum facessas, inquit, & abiit. Vir, cui hoc innotuit, accersito semel domum homine, clysterem atramenti & quidem copiosè indidit, asserens, optimum esse ad purgandos humores medelæ genus. Ille abiens, cum onus per viam deponeret, effecit ut res esset notissima. Quid loquar de quodam, qui propinquus nostræ patriæ Eremita fuit? Is in nemore multis bonis operibus opinione viri optimi contracta, cellam ædificavit, in qua plures Sanctorum imagines erant depictæ. Confessiones mulierum reclusus audiebat per fenestellam, cui inerat à superiori parte latens cataracta. Mulierem, quæ pulchrior videretur, si sola esset, quod sæpius accidebat sanctitatis illius fiducià jam vulgata, hortabatur, immisso per eam capite, figuras aspicere, quo facto, dimissa cataracta tanquam pedicà, mulierem collo captam foris exiens cognoscebat. Semel quadam reluctante, altera superveniens detexit crimen. Ille è vestigio timore perterritus aufugit. Sexcenta ejusmodi Hypocritarum occurrunt exempla mihi nota, quæ possem referre, nisi vererer ne dedita viderer opera eorum acta insectari. Hæc recensui, ut videant omnes, quàm nefaria sunt, quàm abominanda persæpe istorum opera, quos Hypocritas vocant.

Ridentem dicere verum quid vetat?

Cur non bonorum, sicut & malorum exemplis uteris, Hieronymus inquit? Sunt enim permulti in omni religione & statu viri optimi, sine crimine, qui has turpitudines effugiunt, nec commoventur externis; quos tanquam exemplar bene vivendi possis dicere.

Fateor,

Fateor, inquam, vera à te dici: non enim hoc crimen in omnes cadit. Sunt multi præclari inter eos viri; sunt plures sanctitate vitæ præstantes, sunt etiam docti & insignes, quos omni laude dignos judico Sed mihi de Hypocritis, de fallacibus, non de bonis est sermo. At isti quos refers, à reliquorum cœtu eximuntur. Non enim concurrunt ad Curiam Romanam, non aulas principum frequentant nisi coacti; non ingerunt se negotiis secularibus, non ambiunt, non appetunt perversa via & sanctitatis specie dignitates; non se populo ostentant: Fugiunt commercium mulierum; ea devitant, in quibus Sathanas eos possit sua tentatione superare: Non cupiunt, ut videantur, sed ut sint Deo accepti: Non aucupantur plebis aures, ad excitandam de se virtutis opinionem: Non vocibus laudantium efferuntur: Non impetrant à Pontificibus gratias, quò excellant reliquis: non audiendarum confessionum facultates, aut absolvendi confessos quærunt; quæ spectant omnia aut ad mulierum aucupium aut pecuniarum: sed relinquunt eas curas superioribus. Ut verò intelligas, quos probem, Hieronyme, meque ab optimorum virorum exemplis minimè abhorrere, Vidimus dudum inter eos quos noverim, probatissimum ac sanctissimum virum Nicolaum, de quo supra memini, Cardinalem Sanctæ Crucis, verum virtutis iter ingressum, nulla simulatione nixum, ad tantam dignitatem pervenisse, nulla illecebra aut specie dignitatis commotus, mores pristinos aut vitæ superioris integritatem disciplinamque mutavit, nulla est usus ostentatione; frons sua conveniebat populo, interior homo ab reliquorum moribus dissidebat; non contrariam cæteris, sed meliorem sequebatur vitam. Hos ego viros probo, omnique honore & laude prosequor, qui plus in thesauris absconsum habent quàm proponant aliis conspiciendum. Verùm ad Hypocritas huic admodum dissimiles redeamus. Venit in mentem unius, in cujus Hypocrisi recensenda risum effudi. Retulit joci gratia Cardinalis quidam, cum de Hypocritis sermo esset, unum quempiam Fratrem ex iis qui se vitæ observantioris appellant, à se ad prandium evocatum, & cum manus de more in argento lavisset, Fratrem lavari jussum, collo obtorto avertisse faciem ab argento, manusque aqua in terra defluente lavisse. Quid hac dementi ostentatione in argentum odii insulsius? Magnum videbatur scelus lavari in argenteo vase illi Hypocritæ ridiculo; qui ea ostentatiuncula virum illum insignem in admirationem suam sese trahere existimavit: sed derisio insulsi fastidii subsecuta est. Sunt etiam quidam alia ratione Hypocrisis allecti; quos solùm inanis rumor, ut vulgo, dum via transeunt, viri dicantur boni, delectat; incommoda plurà perferunt vitæ, ut justi videantur, existimantes hac inani laude plebis se beatos esse; cum eam tanquam tutissimam viam ducant ad explendas occultas cupiditates: quos diaboli martyres appellat vulgus, cum & præsentibus voluptatibus priventur, & sint futuris carituri. Ejusmodi ergo hominum societatem omnem in Hypocritarum cohortem adjiciamus. Occurrunt plura ejusmodi virorum exempla, quos prolixitatis causa prætermitto; sed unius insignem fallaciam assumam, qui præ cæteris in arce Hypocritarum collocandus videtur. Is fuit * Antonius Fanensis, vir barba oblonga ac corpulentus, ex Religione Augustinensium, sæpius ad Eugenium Pontificem destinatus Orator Aragonum Regis: contraxerat enim ostentatione quadam percallida veterator ille sancti viri nomen. Asserebat diebus octo perseveraturum absque ullo cibo, solo Eucharistiæ Sacramento contentum. Ejus rei ut periculum fieret, jubebat se in loco solitario secludi absque ulla re esui aut potui accommodata: dietim unicam hostiam, & vini quantum satis sacrificio esset, petens; formosior postea, quàm accesserat, nihilo macilentior egrediebatur: quod omnes in admirationem stuporemque, tanquam cœlitus cibo præbito, attraxerat. At postmodum, paulò ante vitæ finem patuit illius dolus, quem socius quidam ejus, qui rem norat, reseravit. Gestabat in cellam occultè sub vestibus corrigiam oblongam, ac palmo latam corio cocto ab anteriori parte pendentem, optimi vini plenam, expressi ex pluribus panibus assis, in quos sæpius vinum infuderat. Tum candelas complures grossiores ex saccharo conficiebat, exterius cera illitas, quas secum deferens, tanquam pro lumine usurus, corpus reficiebat. Id, veluti insigne abstinentiæ miraculum, hominem celeberrimum reddidit vitæ sanctitate. Ego cum hoc ab eo quandoque audissem, mirabar tam splendidam tam rubicundam faciem in eo, quod ferebatur, jejunio reperiri posse; cum ea, quam prædicabat, cibi abstinentia habitui corporis contraria videretur.

* Miraculum fratris jejunantis.

Quid? Carolus inquit, ut non cogamus Hieronymum, suorum errata detegere; num ab horum agmine rejiciemus, quos maximè illi arti deditos ferunt, hos novos Religiosos; diversi habitus dico, qui suis Monasteriis reclusi, & observantiæ, ut aiunt, dediti, sibi solis vivunt, vestem humilem, animum elatum gestantes? qui ita Eugenii tempore aucti illius obsequio sunt, ut jam formicis æquentur? At ii, qua in re aut religioni

ligioni aut vitæ hominum prosint, ignoro. Illud profectò scio, illos tanta ab Eugenio postulasse, ut sint ditissimi. Cum enim pauci sint numero, tamen tot agros habent, tot possessiones, ut nihil eis gravius, nihil odiosius paupertate fuisse videatur; frigus devitant; famem sitimque depellunt; nuditatem odiunt; omnia vitæ incommoda evitant amore Christi. At quanta est nonnullorum cupiditas vel vorago potius? nullis opibus satiantur; semper quærunt, semper appetunt. Quanta verò nonnullorum ambitio? Vidimus Abbatem S. Justinæ Paduanæ, qui auctor fuit novæ sectæ instituendæ, tanto fastu, tanta pompa, tanta elatione, ut rectè Pomponius cognominari posset. At is non deseruit Curiam, quoad crearetur ab Eugenio Episcopus Tarvisinus: credo tamen, ut ex Hypocritarum numero eximeretur. Sed ad superiores revertamur; quorum vitam interiorem scrutari nolo: Deo enim nota est; nolo, quid in secretis agant, pervestigare: vigilentne, an dormiant: sobrii sint, an secus: castitatem & continentiam servent; studiis an desidiis vacent; an invideant, an æmulentur, an quærant præesse. Non satis est, eos sub tecto subsarcinatos vestibus, palam minimè obesse exemplo; quem fructum afferant fidei, quam populo utilitatem, id quæro. At ego nullum ipsorum, præter cantandi opus, cicadarum more, conspicio; ut nimis profectò magna merces sit eorum vocibus constituta. At extollunt suos tanquam labores Herculis, quòd de nocte ad cantandum surgant, & Deo laudes dicendas. Magnum profectò negotium, & multis laudibus extollendum, cantandi gratia, vigilias nocturnas agere. Quid dicerent, si agricolarum more pergerent ad arandum, etiam sub ventorum & imbrium tempestate, nudis persæpe pedibus, corpore parum contecto? Omnia certe illorum labor excederet præmia Dei: cum non posset tot ærumnis par gratia referri. Sed plures inter eos sancti sunt viri, veram virtutem amplexi, nulla contecti simulatione. Fatendum id quoque. Deflenda enim res esset, in tanta multitudine, tanta impensa, neminem bonum ac sanctum esse; maxima pars tamen desidiosa est, quæ Hypocritarum sequitur agmen, nulli dedita virtuti. Quàm multos enim melioris vitæ cultu religiones profiteri putas? Paucos quippe recensebis, quos non aliqua exterior causa ad eum habitum impulerit. Non animum, sed corpus afferunt ad obsequium religionis. Multi ob pusillanimitatem, cum nesciant aliunde victum quærere: nonnulli ob inopiam; quidam cum decoxerunt, desperatione quadam religionem, tanquam opima ad victum pascua, ingrediuntur. Alii cum diutius in studiis ignorantiæ contriti, consumptis patrimoniis, dissoluti, vagi, improbi, indocti, infamiam contraxerint, ad abolendam prioris vitæ turpitudinem religioni se dedunt; non sanctitatis amore, sed pudore ducti, cum erubescant in patriam pro ignavis ac stultis reverti. Quidam corpore debili atque imbecillo, impatientes laborum, Religionis vestes in quæstum vertunt. Sunt qui frigidi, oscitantes, remissi, torpentes, quadam bonitatis Hypocrisi obducta, Religionem appetunt, tanquam quietum ac fallacissimum sustentaculum vitæ: qui omnes sunt in Hypocritarum conventum conjiciendi. Quot præterea censes esse, qui cum diutius bonorum virorum operibus institerint; postmodum ambitionis atque honorum dulcedine capti, vitam mutant & mores? Num tu ab Hypocritis eximes Jo. illum Dominici ex ordine Prædicatorum, qui olim adeo utilis apud nos fuit in serendo ad populum verbo Dei? cujus sermones plurimum, & exempla vitæ omnibus profuerunt? Multos malos usus sustulit è civitate; quos inter, ille erat improbus, ut Kalendis Maiis tota urbe, mensis publicè positis, aleâ luderetur. At hic mos omnino ejus est opere & cohortatione sublatus.

Acriter insectabatur vitia; muliebrem vestium licentiam compressit; multa egit laude digna, ambitionem & inanem gloriam maximè insectabatur; ea ipsius erat denique bonitatis opinio, ut omnis civitas ejus monitis obtemperaret. At is Gregorio ad Pontificatum assumpto, cum audisset promisisse illum scissuram Ecclesiæ tollere etiam per resignationem dignitatis, Romam subitò advolavit, ut illum ad tam sanctum opus cohortaretur. Cœpit recta mente suadere, quod ille promiserat. Invenit hominem paulo duriorem; cum acrius instaret, odium contraxit ex assiduitate suadendi. Igitur ad Circes habitaculum divertens, sumpto illius poculo, corpus & animam immutavit. Nam cum homo esset callidus & astutus, & qui sciret uti foro; ubi suis consiliis præclusum locum conspexit, alio aucupio in gratiam Pontificis irrepsit: cum cæteris Hypocritis, quorum infinita pene multitudo confluxerat ad urbem pervertendi Pontificis gratia, sentire cœpit, & quod placebat hortari. Inita Pontificis gratiâ, primùm Ragusinus Episcopus factus est; tum verò postea Cardinalis; quod ei Florentinorum omnium odium contraxit. Cum noti amicique factum improbarent, mirarenturque tam illum sibiipsi, & superioribus verbis contraire & institutæ vitæ, statim ad scutum Hypocritarum confugiebat; coactum se id onus ut vitæ prioris impedimentum suscepisse:

cepisse: sibi enim à Pontifice, cui obsisti non posset, sub excommunicationis pœna mandatum, ut eam dignitatem susciperet, quæ præter suam voluntatem obtigisset.

Hujus, inquam, rei testis sum, Carole; qui id temporis rebus omnibus interfui. Memini, ut primum in urbem venit, cum unà pranderemus in amici domo, atque ille inter loquendum acta Gregorii, nondum immutatus, improbaret, veluti tam largo ore promissa abnuentis, me ei dixisse: Atqui pileus quispiam oblatus capiti de hac te dejiciet sententia; tum ille: Cum id videris, Poggi, inquit, nihil amplius credito. Et videbo, inquam, & ut soleo credam. Atque ita, ut prædixeram, cecidit. Imprimis Gregorio auctor postmodum fuit, ne renunciaret. Doctissimus tamen & perhumanus, neque à virtute alienus fuit; ut nihil ejus laudibus, præter prioris vitæ bene institutæ mutationem, obstaret.

Hujus mentio mihi alium subjicit non minoris culpæ. Is fuit magister Lucas ex Domo omnium Sanctorum, qui vir bonus ac sanctus Florentiæ habebatur. Decrepitus ferme erat, doctus & simplex; ad quem omnes recurrebant in iis quæ ad animam spectabant. Contempserat semper dignitates, nihil appetere videbatur: Gregorio adversabatur cum adfirmaret, etiam cum vitæ detrimento, debere illum pacem, ut pollicitus erat, Ecclesiæ largiri. At is misso à Gregorio rubeo pileo, captus hamo dignitatis cœpit retractare sententiam, asseverans illum peccaturum gravissimè, cum verus esset Christi Vicarius, si renunciaret. Cum argueretur de assumpta dignitate, ad arcem confugiebat Hypocritarum: Sibi id à Pontifice, cui contraire non posset, fuisse mandatum. Sed parvo tempore illum stultitia sua frui licuit; cum è vestigio prohibuissent Florentini, ne illius dignitatis insignibus uteretur. Ita pro Cardinalis nomine, Hypocritæ labem sumpsit.

Tum Carolus, hoc est commune Hypocritarum & pervagatum refugium, inquit, ut honoris suscepti rejiciant in alios omnem culpam. Cum enim Deum hominesque sub humilitatis umbraculo fatigarint; cum cœlum ipsum verbis repleverint; cum importunissimos se præbuerint ut in aliquo rerum fastigio locentur: ne reprehendi possint, neve religioni, voto, professioni adversari videantur, à Pontifice coactos se asserunt ad suscipiendum onus grave, qui eos implicuerit labori minimè necessario & molesto: sed necesse parere superioribus, nec esse fas illorum præceptis contraire. Pessimum genus inter mortales, qui quod summè appetunt & inquirunt, contemnere se, & invitos capere affirmant, quò videantur meliores.

Occurrit mihi, inquam, horum magister, quem quidam Hypocritam, alii secus existimarunt. Durum est, os ponere in cœlum, ut aiunt, sed inter vita functos securius vagabitur nostra oratio.

Quisnam est is, inquit Carolus?

Gregorius, inquam, cujus antea mentio habita est à nobis. Plures probum & simplicem existimant virum fuisse, in quo neque dolus fuerit neque fallacia, & suos errores à consultoribus prodisse. Aliorum enim qui propriæ utilitati intendebant, suasionibus & consiliis impulsum tradunt, non perstitisse in priori voluntate dignitatem Pontificatûs rejiciendi. Alii Hypocritam affirmant, ac prætulisse illum unioni pacique Ecclesiæ dulcedinem Pontificatus; neque prioris vitæ ostentationem similem actis fuisse posterioribus. Ego potius hunc in eorum numerum colloco, quos Aristoteles ait magis doctos & sapientes, quàm prudentes esse; & potius ignorantia quàm malitia errasse, dixerim. Cum enim semper inter Hypocritas in vita solitaria fuerit versatus, ab iis postmodum quos bonos putabat seductus, mentem & sententiam vertit in pejorem partem. Asserebant enim perversi homines, cum verus esset Pontifex, peccare mortaliter si renunciasset; & ex eo confusionem fidei futuram.

Vide, inquit Carolus, ne hæc nostra de Pontifice discussio sit odiosa cæteris, qui de se dictum putarent.

Si, inquam, Eugenius viveret, taciturnitate opus esset: non quòd eum Hypocritam, inquam, putaverim, sed quòd plurimum illorum consiliis uteretur; quorum odia magis, quàm Pontificis erant extimescenda. Verùm de Pontifice sileamus. Supersunt enim adhuc, ut hic annuit, quidam in hunc sermonem, quò sit ornatior dignitate hominum, conjiciendi.

Quinam ii sunt, Carolus inquit?

Adjicientur, inquam, aliqui non contemnendi. Sed primum offert se quidam Frater Siculus ex ordine Minorum nomine Matthæus, qui cum ex iis esset qui de observantia se appellari volunt, prædicando sæpissimè viri sanctissimi nomen contraxit. Detestabatur vitia, ad virtutem hortabatur; vita erat austera; omnes vicinas regiones ad verba sua tanquam præcipua sanctitate fulgentis illexerat: alter prædicando Paulus putabatur. Hac interea virtutis opinione cum plures nummos expilasset, accidit ut diem

diem suum obiret Episcopus Catanensis. Motus hic noster ambitione, ut Episcopus fieret, quatuor millibus aureis mercatus est à Rege Aragonum eam dignitatem. Episcopus ab Eugenio factus, insigni miraculo vitam suam reddidit illustrem. Nam cum jam fâma percrebuisset, Ecclesiam Catanensem ab eo multis millibus emptam, atque id parum crederetur, propter virtutis paupertatisque, quam simulaverat, famam, ad se purgandum, pulpitum ad populum de more prædicaturus ascendens, juravit vehementius, pro ea dignitate nunquam se nummum aureum dedisse, neque à se esse quæsitam; Qua in re si mentiretur, oravit Deum, ut in suo corpore id perjurium palam recideret. Magni apud Deum ejus hominis preces & merita extiterunt. Exaudivit statim vota: miraculum è vestigio apparuit insigne: nam derepente ita inferioris corporis partes contractæ sunt, ut eum manibus aliorum de suggesto oportuerit efferri; deincepsque per omnem vitam ambulandi usu privatus sit. Vidi ego hunc postea, cum multa sibi infanda objicerentur crimina (abjecerat enim omnem vitæ pudorem) ad Curiam evocatum, aliorum ulnis ad Eugenium portari. Sed vetus Hypocrita sui ordinis virorum ope ereptus est judicio; atque ita pro insonte dimissus. Quid huic homini vel potius portento facias, qui ita multorum fidem elusit? Sed in eo maximum fuit documentum, Dei patientiam, licet excedat peccata hominum, tamen aliquando castigare errata nostra: suamet imprecatione mulctavit Hypocritam nequissimum; qui etiam Dei justitiam in suorum scelerum pœnam vocavit, credens se Deum fallere; sicut sciebat à se homines fuisse deceptos.

Tum Carolus: si in reliquos Hypocritas tam acriter animadverteret Deus, parciùs, mihi credite, eam artem exercerent. Sed occupat animos laboris tam quæstuosi dulcedo, & viri boni cognomen. Vide quid vera virtus efficeret, cum illius falsa similitudo tam uberes ferat fructus. Inseruimus nostro sermoni quosdam, de quibus nulla dubitatio est; qui manifesti criminis rei extiterunt. Verùm habiti sunt quidam ita occulti, & in hoc exercitio callidi, ut injicerent ambiguitatem, verâne virtute vitam duxerint, an simulata. Quid enim sentitis de Ariminensi Episcopo, qui ita Eugenio fuit acceptus? Nescio enim quam in partem declinem, ita utrinque multorum diversa fuit opinio.

Res perobscura est, Carole, Hieronymus ait; ad quam discernendam Argi oculis esset opus. Multa signa in eo boni, recti, sinceri, probatique viri vidimus. Vita continenti & austera fuit: sed quædam etiam Hypocrisis vestigia acutè inspicientibus apparebant. Nonnulla etiam acta quæ improbarentur à bonis, & mihi ipsi displicerent, perspeximus; quibus ille ut bonus pictor pulchellum colorem adjiciebat; ut difficile sit certam sententiam ferre. Verùm si subiret examen, quod quidam Franciscus Lanzanicus propositum esse ad inferos descendentibus aiebat, vereor ne in foramine cutem relinqueret. Narrabat enim introitum defunctis patere ad inferos tum magnis quibusdam, tum parvis foraminibus. Magnis & absque offensione ingredi illos dicebat, quos custodibus, malos aut bonos apertè constabat extitisse. De quibus verò ambigeretur, bonine an secus fuissent, qui simulato vultu vesteque accederent (prout contingit Hypocritis, qui palam rectè agere videntur) interiorque vita discrepasset ab ostentatione, per parva foramina admitti. Hi si verè boni reperti fuerint, absque ulla læsione, integra pelle transire; Hypocritarum verò lacerari pellem à margine foraminis, ut corio undique distracto discerptoque ingrediantur; quo fieret, ut vel parva aut frigoris aut caloris offensio maximam inferret pœnam. Itaque hunc ad foramen rejiciamus, ut eum ex pelle integra vel læsa judicare possimus.

Tum ego: sentiant, inquam, cæteri quod velint. Ego istum absque foraminibus judicari posse arbitror. Scio illum, ut bonum se virum ac pauperum fautorem ostentaret, utque se in Eugenii Pontificis amorem virtutis simulatione insinuaret, nostrum pene officium evertisse, eoque lucro quod & concessum jamdudum plurium Pontificum auctoritate, & honestum erat, nos sua perversa simulatione fraudasse, eripiens nobis quod aliis largiretur. At eleemosyna non ex alieno erepta, sed data ex proprio grata est Deo. Ille, ut sancti viri nomen contraheret, aliorum bonis abutebatur in gloriam suam. Quod, quid aliud quàm meram Hypocrisim dices? Nunquid non summæ arrogantiæ vel superbiæ, ut de Hypocrisi taceam, potius adscribes, illum præter omnium præteritorum Pontificum morem, præter antiqua Curiæ instituta, præter observatam in literis Apostolicis consuetudinem, quò solus sapere videretur, novam legem, novum ordinem. novum ac perversum aucupium induxisse: ut passim vulgoque plenam remissionem sua sponte concederet, cum sui nominis inscriptione? Nunquid ita superiores contemnebat Pontifices? quorum quidam viri sanctissimi extiterunt: vir loco humili, tenui doctrina, nulla prudentia, filius sacerdotis; ut ipse novæ consuetudinis in tanta re,

novæ

novæ legis auctor, novi moris vulgator esse vellet, omni priori auctoritate veterum abrogata? Quæ virtus in eo, quæ auctoritas, quæ religio eminebat? Quod in eo erat præcipuum, præter Pontificis indulgentiam? ut sua prudentia, ne dicam stultitia, omnium præteritorum sapientiam reprobaret? Verum audite rem summæ Hypocrisis appellatione dignam. Volebat in iis ipsis literis, quarum ipse auctor & fabricator extiterat, ab eo ad jactantiam concessis, in prima illa litera, quam eminentiorem atque insignem esse volebat, pingi Eugenii signa tanquam arma solent hominis militaris. Audivi cujusdam literas, quoniam illis armis carerent, pro inanibus rejectas, pictisque postmodum armis relatas, ab eo fuisse subscriptas. Quid igitur præter Hypocritam dices eum, qui in iis à quibus pendet animæ salus, mandare sit solitus, signa pingi militaria, tanquam alicujus Imperatoris, qui versaretur in bello? Veruntamen experiamur, an illis armis tectus, vim foraminum evadat salva cute. Hunc tamen virum bonum integrumque existimabat Eugenius. Sed non erat hic solus, in quo fortasse deciperetur. Quam multos enim bonos illum viros creditis æstimasse, quorum vitam, ut leviter dicam, illius æstimationi vidimus repugnantem? Decipiebatur quidem in multis, quos opinabatur bonos; sed ii rari sunt, rariusque, nisi accersiti aulas Pontificum observant, in quibus nequaquam falleretur.

Quid, Carolus, de nostro Ambrosio judicatis, inquit? Rectane an tortuosa philosophabatur via? Numquid vobis Hypocrisim redolebat?

Nequaquam, Hieronymus inquit. Fuit enim vir optimus, meo judicio, ac probatissimus qui in suo cœnobio literis deditus, multa scripsit magna cum laude & doctrina. Summa certe fuit præditus humanitate ac virtute.

Laudo vitam illius, Carolus inquit, & existimo extra Hypocrisim fuisse, dum in cœnobio Florentiæ Musis vacavit: sed factus Abbas paulum divertit à priori vivendi cursu. Ambiebat enim paulum subocculte, ut aliquid altius videretur appetere. Recordamini Nicolaum nostrum, virum in loquendo liberum & amicissimum illi solitum sæpius reprehendere supervacuas curas, quibus sponte implicabatur, & ad rubeum pileum tendere retia, dictitabat.

Tum ego; ne de re dubia inter nos decretum fiat, rejiciamus eum ad illa foramina, ut cutis experimento verum testimonium percipiatur.

O quàm vellem (inquit Carolus) ut & vivos sicut & vita functos liberè recensere possemus! Quot ad foraminum examen destinaremus? Suppeditatur quidem immensus campus, in quo evagari possemus. Quàm multi enim essent in omni statu mortalium (& id dictu leve) in hunc numerum annectendi? Plures novimus, nonnullos experti sumus, quorum ea est sola cura, ut tanquam personati solent, boni vulgo æstimentur, cum sint deterrimi. Hac simulatione adeo quidam proficiunt, ut eis amplissimæ dignitates, civitatum magistratus, rerum publicarum munera, honores demandentur & populorum administratio. Sed eorum fictio haud est diuturna; patefiunt occultæ cogitationes, atque insita vitia, ubi rapiendi delinquendique nacti sint facultatem; tum avaritia, cupiditates, libidines efferuntur; tum illa simulationis vestis conteritur, & concepta fraus in lucem erumpit. Itaque tum vitandum omne vitium est; tum verò præcipuè hæc nequissima Hypocritarum illuvies abhorrenda.

Quæ cum dixisset. Jam finis, inquam, nostræ videtur statuendus collocutioni. Mihi quidem multa imminent agenda, & festinatione egent, quo maturius ad Curiam possim reverti. Et mihi quidem, Hieronymus ait, occupatiunculæ quædam sunt. Jamque, ut noster Maro inquit,

Majores . . cadunt altis de montibus umbræ.

His Dictis recessimus.

MATTHÆUS

MATTHÆUS DE *CRACOVIA.*
De ſqualoribus Romanæ Curiæ.

MOSES factus eſt tanquam ſolitudinis amicus, & internæ contemplationis gratiâ ingreſſus interiora deſerti vidit viſionem magnam, ingerentem animo ſuo exceſſivum ſua mirabilitate ſtuporem, quòd *rubus ardebat, & non comburebatur.* Ego verò peccator, comes multitudinis curioſæ conſiderationis, à ſpiritu gradiens in exteriora mundi, video, vel ſaltem videre videor, viſionem multo magis mirandam: Quòd videlicet clerus, & ſtatus Eccleſiaſticus, in tam maligno, tanquam igne malo, tanto tempore poſitus, & vento urente vehementer inflatus, inceſſanter aduritur, & nihilominus non omnino comburitur, ſed ineſſe conſervatur. Miraculum fuit illud, ſed hoc multo eſt mirabilius, quia ſi illud fuit ſupra vires naturæ, nihil tamen repugnabat mirificæ Dei Gratiæ. Hic verò corrumpuntur naturalia, pereunt ſpiritualia, & per demeritum excluditur omnis gratia, juſtitiaque Dei ad excludendum malos, à malo provocatur tam graviter, ut toleratio & conſervatio cleri, in tanto vitiorum impetu, & præſervatio ejus à deſtitutione omnimoda omnium mirabilium ejus operum mirabiliſſimum videatur. Quamvis autem vigilare, non dormire, veramque viſionem, & non ſomnium me habere credam; quia tamen alios, multum vigilantiores, & idem objectum directa viſûs acie contuentes, nec clamare, nec concurſum facere, nec terreri ſentio, prout ſubortis ignibus expertus ſum fieri, timor mihi eſt tanquam inepto, ne fortè viſione fallaci deceptus integer baculus in aqua ſtans, ex aëre appareat mihi fractus. Veruntamen timorem iſtum minuit quod frequenter & communiter audio, quaſi omnium hominum genus murmurare multipliciter, & dolere adeo, ut mirum ſit, cur non clament. Ne igitur ſi clamavero, prout faciendum cenſeo, per hòc fortè minus providè, & fruſtra, terrenos homines ac quietos perturbem: Cogitavi ea quæ mihi apparent, ac ipſa media per quæ apparent, media deinde quibus nonnulli aliter judicant, ſimpliciter & planè numerando, ſcripto committere, ut poſſit aliquis, ſi placuerit, cum mora videre & certior reddi; quatenus, ſi idem videatur aliis quod mihi, ſecurius clamem, & conclamantes habeam, & minus poſſim de inquietatione hujuſmodi redargui, quamvis non dubito clamaturos multos, ſi vel ſola viſionis meæ expoſitio ſequetur: ſicut fratres ſuos *Joſeph* narratione ſomnii in odium excitavit. Quia verò deſidero principaliſſimè, ignem tam noxium extingui, vel minui, inveſtigare conabor hujus ignis originem ac fomentum, quo agnito, radix & fomes deſtrui, & materia ſubtrahi poſſit, ne creſcat amplius, ſed minus conſumere, & demum facilius poſſit extingui.

Exod. 3.

Et quia malum formaliter eſt privatio, quamvis multa poſitiva naturaliter & ſubjectivè mala ſint, & denominentur: privatio autem per habitum oppoſitum habet cognoſci. Niſi enim de viſu notitiam quis habeat, nunquam poterit cognoſcere cæcitatem. Hinc eſt quod ad cognoſcendum tantum malum veniat: conſiderandum eſt unum bonum, & profectus ejus, unde radicaliter debeat provenire. Et ſi quid compertum fuerit, quod radix ejus germinet ea quæ debet, conſideretur ulterius, prout etiam faciliter inveniri poterit, quid radici tam bene germinanti reſiſtat, aut eam interimat, aut fructus ejus. Sin autem, tunc ſtatim poterit elici, quòd in fundamenta ſit defectus, vel mortalis negligentia, ut bona quibus deberet operam dare negligentur, & omittantur, vel ſtudioſa induſtria, ut mala quibus deſtruendo deberet reſiſti, promoveantur. Nemo autem eſt, qui dubitet ſedem Apoſtolicam, & curiam ejus *Romanam*, eſſe radicem, & fundamentum totius Eccleſiæ, Domino in Evangelio dicente, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Declarantur hæc clarius, diverſorum canonum inſtitutis, quòd ipſa ſancta *Romana* Eccleſia, ſuper omnes alias Eccleſias principatum obtinet, utpute omnium mater *Chriſti* fidelium & magiſtra, 2. quæſt. 6. *Ad Romanam*, &c. Et ob hoc debet eſſe jurium rectrix, conditrix, propagatrix ſpiritualium, correctrix malorum, directrix errantium, perſequutrix vitiorum, Juſtitiæ virtutum exequutrix, oppreſſorum defenſatrix, relevatrix pauperum, rectificatrix & reformatrix deformiter inordinatorum, doctrix ignorantium, morum exemplar, magiſtra & miniſtra omnis boni, & regula agendorum. Ipſa enim eſt quæ ſupremam clavium habet poteſtatem, & ad quam pro talibus, etiamſi diu alibi quærantur, finaliter recurritur. Ibi namque quæritur abſolutio

Matth. 16.

lutio criminum, amotio scrupulorum, conscientiarum serenatio, discussio dubiorum, terminatio litium, declaratio & determinatio veritatum.

Si non considerentur facta ejus exteriora, & ab exterioribus interiora (quantum humanitus conjici licet) tunc invenitur maxima negligentia plurimorum valde necessariorum Ecclesiæ. Quando enim habetur ibi Concilium & Consistorium de purè spiritualibus, & pertinentibus ad animarum salutem, ut de conversione infidelium, de inquisitione & exterminatione hæreticorum & hæresium, de reductione schismaticorum, de reformatione destructorum, vel deformium, utpote status clericalis monachorum & ordinum, & de defensione justitiæ & oppressorum, de declaratione dubiorum, quorum multa & magna satis periculosa in diversis locis diversimodè ventilantur, & multum occupant simplices & fideles? Etsi de his habentur Concilia, hoc utique tam modicè & rarò fit, quòd minimè percipitur, vel in effectu sentitur. Quando etiam, quæso, fit correctio excessuum, nisi in quantum delictum in damnum temporale, vel correctio ad lucrum tendit? In talibus enim sunt bene sævissimæ sententiæ atque pœnæ, in aliis non apparet vel modica diligentia corrigendi. Vadunt enim begardi, fratricelli, sectarii suspectissimi de hæresi, & clero infestissimi, erectis capitibus, absque ullo timore in urbe, & seducunt liberè quotquot possunt. Religiosi, undecunque veniant, facilem tuitionem consequuntur, ut veniant liberè prout volunt. Concubinatus in clero tam publicè & solenniter, & meretrices illic tam pretiose vestiuntur & tantum honorantur, quasi sic vivere utrique sexui non sit vitiosum vel inhonestum, sed honorabile & gloriosum. Ita ut Curtesani sic vivere consueti, etiam alias partes inficiant, & inducant in eas etiam eandem pestiferam consuetudinem, & potius corruptelam.

Abusiones quoque paganicæ & superstitiones diabolicæ tam multæ sunt Romæ, quòd divinari non bene possent. Vix est aliquis tam sceleratus aut scandalosus, qui ad celebrandum divinum officium non admittatur. Vix est aliquis tam sceleratus & miser, cui sacri ordines denegentur.

De omnium autem horum correctione nulla est cura autoritatem habentibus, delinquentibus nullus timor. Imò de aliquibus ex his correctionibus solùm movere verbum, est derisio, & talis, ut fatuus & pro irrationabili habetur. Sed quid mirum si circa hæc non versantur, cum in aliis tanta sit occupatio temporis, mentium & virium consumptio, ut illa locum omnino non habent; tota siquidem curia & omnes ministri ejus & officiales non apparent circa aliud occupari, sed dies & noctes expendere, corda similiter & corpora fatigare diligentissimè scrutando & inquirendo vacantias, propter quas studiosissimè registra leguntur & releguntur, quid impetratum & non impetratum sit, quomodo supplicatum, quomodo signatum sit, quantum ad dimittendum oblatum sit, & demum circa formandas, scribendas, porrigendas supplicationes, circa confirmationes, reformationes & provisiones obtinendum.

Deinde circa literarum minutas conficiendas, grossàs scribendas, corrigendum, rescribendum, bullandum, registrandas circa movendum, & involvendas, subtiliandas, per propositiones publicas, relationes, diversas cautelas excogitandas, & de die in diem novas astutias circa lites gerendas, & terrarum possessiones acquirendas, circa statum Curiæ in exterioribus ceremoniis & consuetudinibus observandis.

Ne autem credat quis ita esse debere, sicut fortè multi credunt, considerandum quo jure, ratione, vel modo sedes Apostolica sibi usurpaverit provisionem episcopatuum, abbatiarum & aliarum dignitatum, collationemque omnium beneficiorum, quæ sunt de jure patronatus spiritualium personarum. Et videtur quòd non de jure, sed contra jus & cum injuria capitulorum tam secularium quàm religiosorum, quibus competebat electio, quæ à prima Ecclesia per sanctos patres est inventa, instituta & in antiquis & novis juribus approbata, & subtilissima indagine regulata: necnon cum injuria episcoporum & aliorum prælatorum, & dignitates habentium, qui per hoc privantur illo jure, quod eis ab antiquis multis juribus, ad hoc disponentibus, competebat. Et certè inde non debebant nasci injuriæ, unde jura nascuntur 11. qu. 1. *pervenit.* De accus. *Qualiter & quando.* Et in ca. *licet.* De supp. neg. præl. Nam si unicuique jura sua non serventur, quid aliud agitur, nisi quod per hos per quos Ecclesiasticus ordo custodiri debet, confundatur, ut in ca. *pervenit*, supra allegato. Non enim decuit honorem sedis Apostolicæ, suæ jurisdictioni subjectos, sine manifesta causa & rationabili suis beneficiis spoliare, quibus tenetur paterna provisione consulere. *De restit. spol. Conquerente*, 61. dist. *Satis perversum*, 8. q. 1. *Clemens.* Fortè dicitur quòd sedes Apostolica fecit hoc ob culpam & in pœnam Prælatorum & capitulorum, quia hi eligebant & providebant minus bene. Sed si illa ratio valeret, tunc jam deberet auferri vel dimitti ab Ecclesia *Rom.* quia ipsa providet jam ita male, sicut prius est factum. Præterea

terea quando electus ad aliquam dignitatem, tantum dat sicut alius, de pecunia in curia, vel modico plus, tunc si non est præventus per alium ut frequenter Papa est inclinatus pro tali, si tantum voluerit dare: Ergo error electionis non est in causa dandi eis quod petunt, vel sequitur quòd *Papa* dat prælaturam minus idoneo propter pecuniam, quod multum execratur sancta Synodus, & sedes Apostolica, ubi dicitur, Nos nullatenus decet turpis lucri gratia excogitare ad excusandas excusationes in peccatis, expetere aurum & argentum, vel aliam speciem à presbyteris, monachis vel clericis 16. q. 1. *Prædicator.* Et 1. q. ult. Patet, quòd quàm plurimi alii canones.

Insuper hoc non est de jure introductum, sed per cautelam & astutiam, quia, ut fertur, olim in principio electionis vel coronationis sui apostolatus, dirigebant primarias preces diœcesanis, pro familiaribus suis: talis enim ordo & consuetudo fuit *Romanæ* Curiæ, ut primo monitoriæ, secundò præceptoriæ, ultimò exequutoriæ literæ concedebantur. Probatur de *rescript.* ca. *Ex insinuat.* Et c. *Mandatum.* Et ca. *literis,* &c. Quod non est verisimile eos fecisse, si verum jus habuissent immediatè providendi.

Si autem volebant per hoc jus acquirere, talis dolus sedem Apostolicam non decebat. Probatur 10. q. 3. *Constituit.* Non enim Ecclesia debet in actibus suis aliquam fraudem adhibere. De donat. Per tuas. Nec debuit Ecclesia hoc facere, à quo debuit alios prohibere. Ar. c. Unico de natis ex lib. ventre. Et si adhibuisset, ei patrocinari non debuit. De rescript. c. *Sedes.* de do. & contu. ca. 2.

Item non est verisimile quòd nullus Prælatorum bonus & diligens in providendo fuerit, & ideo non debuit omnibus auferri. Non enim justi judicis est damnare justum cum impio, quoniam peccata suos tantùm tenere debent autores, nec pœna ulterius est protrahenda quàm delictum, quod in excedente fuerit repertum. De his quæ fin. à maj. par. c. Quæsivit.

Amplius, hæc non est pœna medicinalis, quæ non sanat sed mortificat: non enim per hoc provisum est ne malè provideant, sed ne quicquam in hoc boni vel mali faciant; sicut si Deus homini peccanti liberam voluntatem auferret ne ultra peccaret; tali enim pœna nec bonos cum malis communiter puniri decuit, nec rem quæ culpa caret in damnum vocari convenit. De Constit. ca. *Cognoscentes,* & in Reg. Sine culpa. de reg. jur. li. 3.

Amplius, quando Prælati conferebant beneficia, melius impediri vel revocari potuit mala provisio, & puniri providens, quàm jam. Tunc enim *Papa* tanquam superior, potuit irritare provisionem, privare institutos, & instituere meliores; hoc autem per inferiores contra superiorem fieri non potest tam bene vel congruè, 16. distinct. inferiores. *De confir. uti. vel inuti. can.* 1. & 2. Et, heu! ideo multa mala hodie pullulant in Dei Ecclesia quia transeunt impunita.

Præterea quæritur, quando hæc sedes Apostolica incepit, an tunc credebat vel adhuc credat se melius posse providere de omnibus Prælaturis & beneficiis, quàm omnes Prælati & Episcopi, & quàm capitula possint eligere? Vel non credebat hoc, vel adhuc non credit. Si non, tunc extrema dementia fuisset aut esset, tenere statum malæ provisionis, vel minus bene, seu bonæ provisionis, atque per hoc subtrahere Episcopatibus, monasteriis, beneficiis, & hominibus ad ea spectantibus, omne bonum quod ex meliori provisione proveniret; hoc enim esset eos quos tenetur defendere, crudeliter impugnare, cujus tenetur contrarium facere 16. *dist.* ca. ult. Et 25. *dist.* ca. *uno tantum.* Et 43. *dist.* ca. *peccator.* Et ff. *Si servi. vendi. l. alterius.* Si autem dicitur, quòd credebat aut credit se melius providere; hoc videtur fuisse & esse magna præsumptio, cum humano modo minus posset scire sedes Apostolica de Episcopatuum, Monasteriorum, Beneficiorum ac etiam particularium personarum circumstantiis, quas in hoc facto necesse est attendere. Et per hoc est quòd illi qui sunt in loco, debent & præsumuntur melius esse informati de his quæ expediant. *Ar. de præsump. Quasdam & ca. Quanto.* Talibus enim non facilè creditur in contrarium, 16. dist. *Quod dicitis. Qui matri. accusa. præsent. ca. in tua.* Quas quidem circumstantias propter absentiam & distantiam, *Papa* scire non potest, nisi ex relatione de illis locis venientium vel nunciantium, qui respectu inhabitantium & vicinorum paucissimi sunt; & incertum est an veritatem sciant, dicant, vel nuncient, prout sæpe contingit; quæ autem sit veritas in his & aliis, non potest haberi tanta certitudo in *Curia,* sicut inter incolentes ipsum locum & viciniam, ubi scitur melius veritas, per jura proximè allegata. Et si dicatur quòd major est præsumptio quòd Papa bene velit providere, quàm de Episcopis & Prælatis, ac etiam quòd servat diligentiam majorem: respondeo, quòd minor præsumptio est, quòd omnes Episcopi sint mali, quàm unus homo. Nam per ampliores

homines,

homines, manifesta veritas revelatur. C. de fid. commiss. l. ult. ad fin. Et etiam legitur 20. dist. *De quibus* 64. dist. *extra conscientiam*, & ca. *prudentiam.* De offi. dele. ver. Illa quippe. Et quando hoc contingeret, quòd Papa male vellet, sicut non est impossibile, tunc totum est destructum: hoc autem de Episcopis omnibus non est verisimile quod sic Ecclesia tota videretur everti, quod non est credendum; quia tota ecclesia & congregatio fidelium, quam repræsentant Episcopi, non potest errare, 24. q. 1. *A recta.* Quod ibi notatur in Gloss. 1. Ubi vero major fuerit diligentia, liberare nequeo.

Sed videtur quòd *Papa* non possit, etiamsi velit, majorem diligentiam adhibere & facere ad totum, propter incomparabiliter majora expedienda, propter suæ potestatis plenitudinem, quàm omnes Prælati & Episcopi divisim in partes. Hoc enim fatetur de se *Rom.* Pontifex, sic inquiens, Mandata cœlestia tunc efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur, &c. *De præsumpt.* c. *Mandata.*

Sed dato quòd adhibeat majorem diligentiam quàm illi, adhuc per totam suam diligentiam non potest pertingere ad tantam notitiam circumstantiarum quæ sunt attendendæ, sicut illi qui simul cohabitant. Si dicitur quòd illi possunt melius scire, sed non curant providere, sed negligentes: Ex hoc infertur, quòd tunc non solum debet eis hoc auferre, sed totam potestatem. Sed quia adhuc dimittitur eis tota cura animarum, & plena in aliis potestas, & solùm aufertur eis provisio beneficiorum, videtur res magis suspecta, & quòd major sit cura de redditibus quàm de animabus.

Amplius, ista usurpatio collationis dignitatum & beneficiorum est magnum gravamen, tam beneficiorum quàm promovendorum, quàm etiam eorum quorum devotioni & saluti ex ipsis dignitatibus & beneficiis, præssendum vel ministrandum esset; & hoc provenit ex longis absentiis, & magnis expensis, sumptib. & laboribus ac periculis, quos & quæ facere coguntur, per se vel alium, quicunque voluerint promoveri, quæ omnia prædicta jura magnâ solicitudine coegerunt devitare. Ut de elect. Ne pro defunct. Nec potest dici, quòd illa authoritas, attractio collationum, ex charitate vel pietate processerit; ita quòd hoc fecerit Ecclesia *Romana* volens exonerare Prælatos à curis & periculis, & propter plenitudinem potestatis, sibi assumere totum onus, & quòd Episcopi & alii Prælati ideo deberent stare contenti de hoc: Cum enim ordinata charitas à seipsa incipiat, ista non videtur esse talis, imò excessiva, & nimia, & irrationalis, qua quis non incipit à se modum diligendi proximum: sicut præceptum est, ut diligat eum sicut seipsum; sed transeundo mandati limites, ipsum diligeret, ut sic, plus seipso, quod est absurdum, & pervertere verum dilectionis ordinem. De pœn. dist. 2. ca. Item: Ergo mirabilis videtur pietas, qua quis vult sibi periculum, quod non vult fratri, cum tamen scriptum sit, * Miserere animæ tuæ, placens Deo. Et non vergeret * Eccl. 30. in periculum animarum, damnum Ecclesiæ, aut in derogationem veri status Episcoporum 24. & aliorum Prælatorum, quæ omnia præcipua cura esse debent solicitudinis pastoralis, ipsi non deberent de hoc multum curare vel dolere.

Amplius, ista usurpatio videtur esse occasio multarum rebellionum & irreverentiarum contra sedem Apostolicam & periculi animarum. Multi enim nihil curantes mandata Papæ, & sententias excommunicationis; quibus non obstantibus, de beneficiis in terra eorum disponunt sicut volunt. Et ideo si Papa habet jus providendi, non illi tunc deberent contra tales procedere, & eos, exemplo Apostoli, tradere 1 Cor. 5. Satanæ in interitum carnis, ut eorum spiritus salvus fieret in die Domini, 11. q. 3. Audi. Et continenter crescente eorum contumacia, crescere deberet & pœna. Et ne illi rebelles sic starent in sententiis, in contemptum & vilipendium clavium Ecclesiæ, in periculum irregularitatis ibi celebrantium, nec deberet permittere quòd fideles negligerentur, non habentes veros pastores. Si autem non habet usus, tunc non deberet obedientes simplices ac humiles tam gravibus mandatis opprimere, nec eis auferre jus quod antiquitus habebant. Jus enim naturale obstat: Quod tibi non vis fieri, non facies alteri. Tob. 4. Dist. 1. ca. *Humanum genus.* l. dist. *Ponderet.* Ex quo non potest rebelles Matt. 7. compellere, non deberet obedientes gravare, quia per hoc datur occasio ad cogitandum de rebellione.

Posito autem, sed propter rationes præmissas non concesso, Quòd Papa de jure debuerit, seu potuerit, omnium beneficiorum & dignitatum sibi collationem attrahere: Quid, quæso, rationis habet, quid † mali vel utilitatis importat ista innumerabilis mul- † f. bon. titudo gratiarum, ad beneficia vacatura? Videtur namque quòd multa mala induxerit in Ecclesiam, & inducat omni die. Primò quia clerici magnos sumptus, graves labores & grandia pericula sanitatis & vitæ, etiam usque ad mortem inclusivè faciunt; quæ tamen communiter pro majori parte inania sunt & perdita, eò quod tot gratiæ sunt, quòd

non eſt poſſibile vel medietatem earum effectum habere. Maximum etiam ardorem & deſiderium conſequendi beneficia in mentibus clericorum accendunt, dum quos dolet perdidiſſe labores & ſumptus, & videns alios ardentiſſimè laborare, etiam ipſe accenditur nolens eſſe ultimus, timenſque præveniri ab aliis, erubeſcenſque dum alii bonas gratias vel beneficia conſequuntur, manere, vel ad partes redire vacuas, accenditur ferventiſſimè pro totis viribus laborandum, & ex hoc datur materia, ut in clericis creſcat ambitio, quod eſt peccatum abominabile, & præcipuè in clericis. De præben. Quia in tantum. Et ca. cum jamdudum.

Demum hæ gratiæ expectativæ magna ſunt occaſio ſperandi in hominum mortem, & forſitan aliquando procurandi. Nec credo ſufficientem excuſationem, ſi non datur, vel non valeat gratia ſuper monoculo collatore, quia ſæpe qui habet gratiam ſuper pluribus, unum ipſorum ſpecialiter ſibi complacens, vel maximè deſiderat, vel ſolum intendit & expectat. Quantas autem & quot occupationes & lites & involutiones efficiant hæ gratiæ, ex hoc clarius oſtenditur, quòd ad amovenda, forſan magis augenda, dubia, frequenter oportet novas cancellariæ regulas condere, prioribus addere, factas interpretari, mutare vel revocare in tantum, quod ante annum licitum fuit & juſtum, jam ſit illicitum & omnino damnatum. Ex quo arguitur magna inſtabilitas eorum qui regunt *Curiam*: cum tamen in clericis maximè reprobetur inconſtantia & levitas. De renunci. *Niſi cum pridem.* C. eodem tit. l. *una.* Quòd autem nimiæ fiant gratiæ irrationabiliter petitæ vel conceſſæ, ſedes Apoſtolica manifeſtè declarat, dum varia medicamenta contra tam graves morbos excogitat: nunc ſpecialiter reſervando beneficia, quæ generalibus gratiis ante conceſſit; nunc vero per varias literarum clauſulas, videlicet anteferri, animationum indultorum: Jam per anteriorationem ſeu anticipationem dant, per datum diei obitus, vel ſequentis, primas gratias noviſſimas, & noviſſimas primas faciendo: nunc perpetuum ſilentium imponendo; nunc per ſequentes literas jus quæſitum alteri auferendo & caſſando: nunc per reſtrictionem, nunc per reformationem gratiarum, omnimodè factarum, penitus annullando, neſcio quomodo, non audeo dicere, cum falſitatibus & mendaciis, nec poſſum verè dicere, quòd ſine eis, nec ſcio quare, mutantur, reſtinguuntur & revocantur. Et ſi eſſet dicendi audacia, dicerem, quòd ex hoc patenter arguitur deceptio, quòd quis excluditur à gratia ſua, multis laboribus & ſumptibus acquiſita. Nihil autem magis abominantur jura, quàm quod alteri jus ſuum per deceptionem auferatur. De rerum permu. cum univerſorum. Et ſic eos, quos deberet in ſua juſtitia confovere, videtur eis laqueum injicere. Contra id quod legitur, 27. q. 1. *De viduis.*

Verum etiam non debuit in actibus ſuis fraudem aliquam adhibere per jura juxta prius allegata. Si autem tales renovationes juſtè fiant, quare prioribus revocatis iterum novæ fiunt, niſi ut iterum pecunia recipiatur; hoc ſcio, quocunque modo fiat, tantum ſcandalum inde ſurgit, tanta Curiæ *Rom.* inde provenit infamia, quòd facta ejus puerorum ludi, vel veſania reputantur: Et in deriſum cleri cauſa ſubſannatur & abjicitur à laicis: quod honorandi viri, qui de iis dolent, ad tales objectationes, depreſſà in terram facie, flere, vel præ pudore diſcedere, vel ne talem errorem probare videantur, recognoſcere coguntur & fateri. Et mirum eſt, quod *Curienſes* hoc nunquam recogitant, vel ſaltem ad pudorem vel timorem vel horrorem ex tantis malis & ſcandalis moveantur, cum tamen ſcire debeant Prælati, prout ait ille Sanctiſſimus *Papa Gregorius*, Quia ſi perverſa unquam impetrant, quòd tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. 11. q. 3. *Præcipuè.*

Præterea hic modus providendi de beneficiis, vel veneficiis, eſt gravamen, & impedimentum promotionis eorum qui provecti ætate, maturi ſunt & graves moribus, aut corpore, ut vagari & diſcurrere per terras, periculis ſe exponere ex rationabili cauſa non volunt, vel ex honeſtate erubeſcunt, aut certè ex aliqua honeſtate non valent, legitimè impediti.

Eſt etiam hic modus; malum medium & via facilis ut magna beneficia conſequantur leves & vagabundi, vel aliæ viles perſonæ quæ vel mendicare, vilia officia, vel ſervitia aſſumere non erubeſcunt, utputa, ſtabularii, coquinarii, lenones, baratratores, & præbendarum pinguium, quando vacent, exploratores, & quaſi traditores tam impudentes, ut non vereantur ſe importunè ingerere, mentiri & magnalia promittere, nec horrent inclamari, vel confuſione obrui, aut repelli, quæ omnia honeſtus homo tantum horret, ut prius velit carere beneficio, quàm talia ſuſtinere vel facere. Et quid eſt quod Eccleſiam Dei magis offendat, quàm quòd indigni Prælati aſſumuntur ad regimen animarum. Expreſſè jura reſpondent. *De electi. Nihil.* Et ca. *grave nimis. De præben.*

Et

Et quod videtur mirabilius, vix est stabularius, vel persona tam vilis, tristis & misera, quæ non habeat gratiam tam proprio motu *Papæ*, quàm etiam ad incompatibilia plura, & alia quæcunque magna beneficia; cum tamen hujusmodi & similibus gratiis non nisi sublimes & literatæ personæ, cum ratio hoc exigeret, essent præamandæ. Ut in ca. *De multa. De præbendis*, ad fi. Res supra modum mirabilis, quòd summus *Christi* Vicarius tanto familiaritatis affectu tractat, & prosequitur favoribus tam gratiosis tot & tam scandalosos in Dei Ecclesia milites, quòd proprio motu, talibus vult providere de beneficiis quandoque septem vel octo pueris, etiam communis status, in remotis partibus existentibus, scribendo in suis literis [ad nullius instantiam, nec ad alicujus petitionem, pro te nobis oblato providemus] quod est manifestum mendacium: Et interdum etiam, quod deterius est, tollendo alteri, & quandoque valenti personæ Jus quæsitum, prout constat luce clarius, sæpius esse factum, ex tenore quæsitarum talium literarum: cum tamen, sicut quidam valens Doctor coram quodam Apostolico prædicavit, ut creditur *Gregorio* 11. Iste, etsi nihil valet, est consanguineus Cardinalis cujusdam, ergo promovendus est in Episcopum: Iste est Secretarius vel Notarius suus, ergo promovendus est in præpositum, Archidiaconum vel Decanum: Iste est scutifer vel stabularius, ergo debet habere gratias ad quatuor bonas collationes: Iste est servitor, & fortè conductor & leno cubicularii vel secretarii *Papæ*, ergo meretur habere quatuor bona beneficia. Consequentias siquidem istas, sophistæ etiam pueri nedum negarent, sed etiam deriderent: Et tamen certum est, quòd posito antecedente, communiter infertur & consequens, etsi non logicè, tamen practicè, & quod non valet pro conditionali, habetur pro causali, prout notum est & constat manifestè omnibus, & præsertim Curtisanis, &c. Si his jam dictis addideris dicta in c. primo tertiæ partis post medium de planctu *Nicolai Papæ* 4. habebis confirmationem perfectam dictorum omnium præmissorum.

Cum autem omnibus istis malis, damnis, scandalis, particulis, litibus & aliis inconvenientibus, tam prætactis quàm tangendis facilius obviaretur, recurrendum esset ad priora jura, non faciendo gratias expectativas, sed solum tunc, sicut erat prius, conferendo beneficia quando vacarent: tunc enim, sicut antea, non essent istæ miseriæ, sicut nec tunc erant. Mirum videtur, & non facile est cogitabile, quàm bona ratione iste dimissus sit modus, & ille apprehensus est. Si dicitur id, quòd tunc pro uno beneficio multi currebant, & omnes frustra præter unum, & sic rediret idem inconveniens, ut prius tactum est:

Ad providendum huic, facile est remedium, videlicet ut committatur ordinariis, sicut erat prius. Sed diceret aliquis, Tunc malè provideretur, quoniam tunc Episcopi & alii conferrent nepotibus, consanguineis & servitoribus suis, &c. Hic libenter quærerem, Utrum melius esset quòd consanguinei & servitores Episcoporum & aliorum Prælatorum haberent, vel servitores Cardinalium & aliorum Curialium? Et fortè primum erat melius & minus malum, quia non essent lites super beneficiis, & fortè tunc provisi defensionem haberent, & non odium nec offensam, sicut jam communiter habent, qui contra Episcoporum obtinent voluntatem.

Sed esto, quòd provisio facta per Episcopos, tot malorum causa foret, quod jam afferre est persuasum. Tunc fiat hoc remedium, quòd provideatur Ecclesiis de bonis Episcopis, & totum erit planum. Si dicitur, quòd hoc non potest fieri: quærendo respondeo, quomodo ergo Papa bene providebit de mille personis aut amplius, si non potest de una persona sufficienter providere? Sed sunt & alia remedia. Fiant correctiones, amoveantur indigni, & digni instituantur: Et unius correctio erit, & transibit aliis in exemplum, sicut scriptum est, Flagellato pestilente sapientior erit parvulus. Prov. 21.

Fortè dicitur, ista est magna occupatio sedis Apostolicæ & totius Curiæ. Sed certè illa quam jam habet multo est major, & minus utilis & magis perniciosa quàm ista, quæ sine dubio magis rationabilis videtur, utpote, quæ inventa & tenta est à sanctis Patribus, in sacra quoque scriptura & jure Canonico fundata, in quo nondum est malum vel error inventus, dummodo Papa & prælati non sint negligentes & tepidi, sed errores corrigant, sicut spectant ad ipsos.

Dicet fortè aliquis, minus spirituali motus affectu, quia promotionem à curia consequutus est, aut sperat (Talia enim solent intellectum multum reddere nubilum, & affectum accendere) Quòd si Papa nihil haberet conferre, nihil curaretur, nunquam quæreretur, & in nulla reverentia haberetur, & ipse aliquando non haberet unde viveret.

Sic

Sic quòd aliquando omnes subditi Ecclesiæ *Romanæ* rebellarunt, & Tyranni bona ejus occupaverunt, & redditus sustulerunt. Nunc autem cum multa habet conferre, omnes accurrunt, visitant reverenter & honorant, vitant offendere ac timent, & cupiunt complacere etiam principes seculares, & Ecclesiastici humiliando se supplicant, & sic honorem, qui tanto Domino & Christi Vicario debetur, non subtrahunt, sed impendunt, alias, ut videtur, minimè facturi illud, &c. Hic primum dico quòd Papæ & sedi Apostolicæ omnino maxima reverentia debetur, & est exhibenda. De Maj. & obe. solitæ. Dist. 63. *Valentinianus*. Et omnis irreverentia prohibenda & removenda, si exhibita fuerit. De Male. ca. 1. 23. q. 1. *Paratus*. Sed ad hoc ut exhibeatur ei, & sic exhibeatur quòd sit verus honor & reverentia, debitis mediis & modis utendum est; quia non sufficit aliquod bonum facere, nisi bene fiat. 15. q. 6. ca. 1. *De collu. det. ca.* 1. De *cele. miss.* ca. 1. *cum si*. Nec deus est remunerator nominum, sed adverbiorum, ut idem in Gloss. 2. Cum enim honor sit exhibitio reverentiæ in signum virtutis & testimonium veritatis; si illa adsunt, pro quibus honor jure debetur, videlicet, justitia, clementia, sanctitas, humilitas, benignitas & zelus verus salutis fidelium, verus honor erit; & talem honorem quærere à populis, & eorum devotionem requirere, magnificum est; per quem quis honorificatur, & honorificari vult honoribus sibi dignis: quod omnino necessarium est Prælatis, principibus & verè dominantibus, ne regendi vilescat 1 Tim. 5. authoritas; & per talia etiam meretur superior à subditis sustentari, ut dicit Apostolus, Qui bene præsunt, Presbyteri, duplici honore digni sunt, id est, ut debita reverentia & necessariorum administratio à subditis impendantur.

Si vero quærat quis sibi reverentiam exhiberi per alia media, utpote per potentiam, ita ut populus non ex devotione & dilectione, sed timore, cupiditate vel necessitate impulsus ipsum revereatur, verus honor non est. Talia enim valdè & nimis exhibentur Tyrannis, qui tamen verum honorem non habent, nec eis debetur, nec à populis sustentari merentur, nec si quærerent honorem & sustentationem, esset magnanimitas & prudentia, sed ambitio & avaritia. Non enim debet quis illud appetere, per quod honor aliorum minuatur, 99. dist. Nullus. Legimus enim in Canone, beatum Gregorium Papam, qui posteris deberet esse in exemplum, dixisse, Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco: meus namque honor est universalis Ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc enim honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. 99. dist. *Ecce, &c.*

Nisi ergo sedes Apostolica justè sibi collationem & provisionem dignitatum & beneficiorum attraxerit, & multitudinem faciat gratiarum, quia aliter sustentationem & honorem quærere non debet, quòd allegatum est, ipsum excusare non potest. Antequam enim quicquam ageret, quod vergeret in tale damnum Ecclesiæ, periculum salutis, scandalum fidelium, ut supra tactum est, prius deberet omni honore carere, defectum pati & statum dimittere. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona spiritualia, 1. q. 1. Non est putandum, &, Ne cler. vel mona. ca. *Non magis*. Quanto minus ut eveniant temporalia, quod tamen non foret timendum. Si enim justitiam foveret, corrigeret excessus, & alia facta officii sui exerceret, & opera exerceret: Boni ex amore, & mali ex timore, ad reverentiam maximam moverentur. Et dum sic panem suum mereri studeret, Deus qui non derelinquit suos, summo Vicario non deesset.

Ex præmissis ergo colligitur, quòd si modus iste providendi de dignitatibus & beneficiis, qui jam tenetur in *Curia*, injuriosus est, damnosus, scandalosus vel aliqualiter minus justus, propter reverentiam vel sustentationem cujuscunque procurandum, servari non debet: quia nemo locupletari debet cum alterius damno vel jactura, 12. q. 3. *Si quis vero*, 22. q. 2. *Primum*, 13. q. 5. *Denique de Eccl. edifi.* ca. 2. *Et regn. in locupletari*. li. 6. Et lex dicit, Quòd aliorum honores non debent esse aliis occasio nocendi. C. *de stat. & ima. l. ultima*.

Quia vero persuasum est superioribus, quòd minus bonam videtur habuisse radicem: Etsi alicui persuasiones illæ non sufficiant, tamen juxta doctrinam Salvatoris, Arbor Math. 7. ex fructu cognoscitur. Videatur nunc de fructu quem modus ille produxit, quotidie multiplicans malas arbores, universum hortum Ecclesiæ sic replentes, ut bonæ nimis graventur, ne germinent, aut ne fructum faciant, suffocentur. Ad hoc siquidem, donec status, vel verius lapsus *Curiæ Rom.* eò pervenerit quòd nulla supplicatio quantumlibet pauperis pro gratia expectativa, quantumlibet exili, etiam de data currente, signatur, nisi prius dato uno Ducatu, quemadmodum fuit tempore *Gregorii 9.* & *Joh.* 23. & *Martini* 5. tam integrè ut nec denarius deficiat. Pro meliori lucro, expectatione gratiæ, supplicatione, ut Cardi. vel familiarium Papæ, oportet ut dentur 20. 30. 40. vel 50. ducati.

cati. Pro beneficio verò jam vacante, maximè quando vacat in *Curia*, pactatur & taxatur supplicatio juxta valorem redditüum annuorum. Si autem petitur, clam postulantis vel alterius ad aliquam Ecclesiam vel dignitatem provisio vel confirmatio, tunc nulla committitur causa pro persona, nisi prius fiat pactum determinatum de certa summa; & securitas de solvenda, in certa forma demonstrata, vel facta.

Nonne hoc solum, etiamsi nihil mali aliud esset in Curia, ponit & probat Papam, & omnes qui talia pacta faciunt, necnon omnes officiales Curiæ, qui ad consequenda beneficia & dignitates, impetrata vel impetratas, scienter promovent vel serviunt, in statu damnationis existere, sive sint Protonotarii, Cubicularii, Auditores, Advocati, Abbreviatores, Scriptores, Procuratores, Notarii causarum, Solicitatores, quicunque etiam Cardinales, si præmissa promovent atque juvent? Simonia siquidem, utpote quædam hæresis est, non unum de generalibus mortalium, sed pergravium peccatorum, ponentium quemlibet qui ipsam committit, extra gratiam & in statum damnationis æternæ, prima causa per totum. Quod quidem Simoniæ peccatum rarissimè vel nunquam ex ignorantia per invincibilitatem excusabilem, vel subreptionem subita vel levitate mentis, vel nocumenti pernicitate, transire potest in peccati speciem venialis, sicut aliquando contingit in superbia, ira & aliis peccatis ex genere mortalibus: præsertim quia totus mundus clamitat, & scriptura, Simoniam esse de maximis peccatis, cujus etiam comparatione cætera omnino crimina pro nihilo computantur, 1. q. 7. c. patet: ubi etiam dicitur, quòd Simoniaci sunt pravi & præcipui hæretici. Ipsam enim Simoniam sic committere, promovere & fovere, sicut in Curia fit, non est casuale, vel subitum, vel parvum damnum, quod fit ex levitate, sed est deliberatum, & fit ex intentione, quasi omni die consuetum. De hoc vide quod habes in tractatu *Card. Cameracensis, de potestate Ecclesiastica*, parte 2. ca. 2. circa finem.

Miratur aliquis de tam gravi conclusione, contra tot & tantas personas, quas omnes velim trahere ad hoc peccatum vel periculum: Auditores qui judicant secundum allegata & probata, Advocatos qui patrocinantur, Procuratores qui ministerium suum faciunt allegando jura ad propositum pertinentia, & petendo justitiam, Abbreviatores & scriptores, qui scribunt jus, formas supplicationis & signaturæ: In quibus omnibus, nullus penitus est qui Simoniam prætendat: nec illi omnes videntur aliud facere nisi officia sibi commissa adimplere, quæ non sunt in se mala, & sunt ad bonum finem, prout ab extra apparere potest, ordinata; & siquid intrinsecus latentis mali esset, hoc judicari non potest, nec debet præsumi contra tot ac tales, nisi error appareret manifestus. Huic admirationi simili stupore respondeo, Quòd dicta conclusio videtur tam gravis & miranda, quòd ego ipse propter solam ejus gravitatem sæpius territus sum, nedum verbis exprimens, sed etiam intus corde asserens eam. Quid enim gravius quàm quod Deus, qui in omni congregatione & statu suorum aliquos habere consuevit, utpote qui in sua sagena congregat pisces bonos & malos; & de omnibus officiariis *Romæ Curiæ* nullum habeat gratum filium, sed ipsi omnes, non à casu, aut infirmitate, vel ignorantia, sed suo usi officio, filii sint perditionis, & diaboli? Maximè cum plerique eorum sæpius & multum orent, strictè sua jejunia servent, & largas dant eleemosynas, frequenter in Ecclesiis confitentur, sæpius Missas legant & audiant, veneranter suscipiant Sacramenta, justitiam prosequantur & diligant, misericordes sint & pii, continentes & casti, veraces & magnæ fidei, multisque aliis virtutum operibus excellenter intenti. Quid autem incredibilius & mirabilius, quòd inter omnes illos nullus deberet esse in gratia, omniaque opera eorum, quamdiu sunt in officio suo, & sic agere & permanere proponunt, quoad æternum præmium inania sint & perdita? Quis non terreatur de tali judicio, qui eorum facta ratione rectâ considerans, videt clarè multis eorum se in agendis bonis longè distare? Quis præsumit se solum videre quod omnes illi non vident? nam si esset aliquis eorum qui videret, videns certè expavesceret & horreret. Hæc ideo gravanda esse putavi, ne credar ex levi causa vel malevolo animo conclusionem præmissam inferre, cujus contrarium magis optarem, teste Deo. Persuasionem tamen ejus, qua mihi vera videtur, cum omni reverentia, & salva pia correctione ac pio judicio melius sentientium in medium proponam.

Certum est autem, quòd sic supplicans Papam, ex ea intentione vult assequi jus ad beneficium vel dignitatem Ecclesiasticam, vel jus in rem aliquam quæ spiritualis est, & Papa signans vult sibi hoc concedere per se vel per alium. Per se quidem, si propter supplicationem sibi jus confert, aut per literas; vel per alium, si hoc fit per executorem: & quantum in utroque est, Iste dat & ille accipit, & hoc totum non fit nisi temporali aliquo hinc dato, & illinc accepto, vel pacto præmio, & sufficienter securato; ergo, quantum in eis est, iste vendit & ille emit spiritualia, ergo uterque est Simoniacus.

Et

Et ſic non eſt dubium quin etiam Mediator qui inter eos qui peccatum faciunt, quaſi proxeneta eſt utriuſque, eundem morbum contrahat.

Confirmatur etiam hac ratione & authoritatibus Canonum 1. q. 1. *Si quis Epiſcopus*, 1. q. 3. *ſi quis Dator*, cum multis aliis ſequentibus. Cum ergo quilibet officialis *Curiæ* ſciat, aut credat, aut ſaltem ſufficienter habeat cauſam ſciendi & credendi, quòd communiter ſupplicationes ſic fiant & peraguntur, & non aliter (hoc enim ita manifeſtum eſt, & tantorum ac tot fide dignorum teſtimonio comprobatur, ut nemo ſit qui negare poſſet) Sequitur communiter, quòd ſupplicationem ſic tranſituram & tranſeuntem ſcienter formare, ſcribere, corrigere, porrigere, proſequi, ſignare, & poſtquam tranſiit, regiſtrare, datum apponere & minutam & literas formare, exequi, proceſſum in vim hujuſmodi literarum dare vel facere; & demum in tali cauſa ſolicitare, procurare, advocare, allegare vel probare, ſententiam ferre quòd tale beneficium huic debeatur, vel quodcunque ſubſidii, ſervitii vel promotionis ad hoc præſtare ut ipſe Simoniacus beneficium conſequatur, eſt ſibi participare in crimine Simoniæ. Cum autem conſenſum præbens alterius malo, ſimilem pœnam mereatur cum faciente, ſicut dicit Apoſtolus, & jura conſonant, 24. q. 4. *Qui aliorum*. 86. diſt. *facientes*. 27. q. 1 *cuſtos*. 11. q. 3. *Qui conſentit*. *De officio dele*. ca. 1. Et iſti non ſolùm conſentiunt, ſed in tali effectu faciunt talia, ſine quibus,(cæteris paribus) non obtinerent, vel factum illud non tantam vim, colorem, defenſionem vel exequutionem haberet, ſequitur quòd in crimine participent. Et eſt ſimile quod legitur in c. noverit. de Sent. ex. non ſolùm qui ferunt ſententiam contra libertatem Eccleſiaſticam, verumetiam qui ſecundum ea judicant, ſcriptores eorum & conſiliarii, & cæteri cooperatores excommunicantur & puniuntur. De hære. c. Excommunicamus. parag. credentes. Et c. *Quicunque c. ti. li. 6.* Et, *Si quis ſuadente in cle.* Prohibito enim vel improbato aliquo, prohibentur vel improbantur omnia per quæ ad illud pervenitur. Eſt item regula, Cum quod prohibetur. *De Regula Juris li. 6.*

Rom. 1.

Et ô utinam adverteretur in quanto crimine, imò quàm multis magniſque criminibus participarent! ſupplicans aſſerit ſe petere quòd Papa gratiam ſibi faciat, & ipſe ſcribit ſe facere gratiam; cum tamen ille vendat & ille emat; & hoc quomodo verum ſit, audiatur Apoſtolus ſic inquiens, Si gratia ex meritis, jam non eſt gratia: quanto minus gratia non erit gratia, ſi eſt ex pecuniis? Niſi fortè in hoc fiat gratia, quòd bonum forum habet, quando pro bono beneficio annui redditus 100 florenorum, dantur 40. vel 60 vel 80 floren. Videant jam ſcriptores, & abbreviatores & omnes qui literis miniſtrant, annon promoveant ac juvent iſtam falſitatem. Demum videant Procuratores qui allegant, Advocati qui ſuadent, Auditores qui judicant beneficium ſpectare ad iſtum quem ſciunt, quia Simoniacè intravit, nullum jus nec titulum habere, & qualiter confirmant eum in malitia, dum ſibi beneficium per tres ſententias vel unam adjudicant, quomodo faciunt eum furem & latronem qui omnia de beneficio provenientia injuſtè recipit, & ad reſtitutionem obligatur; quomodo etiam decipiuntur omnes qui eum pro tali recipiunt, eique redditus miniſtrant, ac reverentiam ei ut tali exhibent. Facit bene ad hoc c. *Dudum* 2. *De electi*. Et ſic illæ animæ damnabiliter ſunt deceptæ, & privant Deo populum, beneficium vero miniſtro, eundemque damnificant; & ſi eſt curatum beneficium, tunc faciunt populum carere omni gratia quam conſequerentur virtute clavium, ſi eos verus paſtor abſolveret, quæ eis per Simoniaci miniſterium non venit, quia autoritatem abſolvendi non habet. 1. q. 1. *Fertur*. & aliis cap. ſequentibus: necnon omni devotione & gratia, quam Deus (cæteris paribus) majorem daret, mediante bono miniſtro & devoto, potius quàm malo. Quomodo enim vulneratus paſtor curandis ovibus adhibebit medicinam, aut qualem fructum de ſe producturus eſt, cujus gravi peſte radix infecta eſt, ut in præallegato cap. infertur? Inſuper quàm pauci advertunt quemadmodum ipſi vivant, & promoveant ad omnem irreverentiam quæ deo fit per tales indignè celebrantes, miniſtrantes Sacramenta, & prædicantes & alia miniſteria Eccleſiæ exercentes, quorum plura privilegiata ſunt. Quoniam donabile eſt illud, ſi ſcienter fiant tamen peccato mortali; & ſecundum doctores, novum peccatum mortale committitur: nec obſtat, ſi officium in ſe non ſit malum, vel primaria ordinatione ad bonum finem ordinatum, quia bono officio quolibet poteſt quis uti, vel potius abuti ad malum: Verbi gratia, Si judex furi vel hæretico, ad hoc ut malitia ſua tegeretur, & ut ſecurius furari, aut alios pervertere poſſet, daret, vel dari mandaret literas teſtimoniales, quaſi bonus eſſet & fidelis:

Quiſquis ad has literas ſcienter pergamenum dando, ſcribendo, ſigillando vel alio quocunq; modo juvaret, quis dubitaret eum in ſuo auxilio, officio & diligentia reum non eſſe omniũ malorũ quæ faceret ille, animatus & ſuffultus illis literis, aut quòd mali nihil faceret cum

cum operam suam malo dederit? Ita quòd ex parte sua non defuit, quo minus malum sequeretur. Ad illorum etiam veritatem faciunt jura multa. c. Sicut dignum. de homi. *De pæ. dist.* 1. *Si quis cum telo.* cum plurib. aliis. Nec solum hoc, sed & multa alia sequuntur inconvenientia. Unum est, quòd vix aliquis verè virtuosus & timens deum beneficium Ecclesiasticum consequitur, nolens committere Simoniam; sed solùm postponentes conscientiam, vel simplices non intelligentes, & nolentes agnoscere quòd sit malum quod agunt. Aliud autem est quòd Studia generalia & particularia pereunt, quia non promoventur apti & docti viri, postquam bona & vires suas consumpserunt in studio, quoniam amici eorum & mundus vilipendunt ipsos & scientiam ipsorum ob paupertatem; sic igitur damnum, derisionem & verecundiam patiuntur; quod videntes alii à studio retrahuntur, quia virtutes non remunerantur sed vitia; nec scientia, sed vilis pecunia solicitè veneratur. Non conferuntur stipendia Ecclesiastica juxta merita personarum, sicut justum est & esse deberet, quemadmodum jura plurima testantur dist. 1. jus naturale, 61. dist. Miramur 73. dist. consulunt. 12. q. 2. Vulteranæ. cum ca. seq. De majoritate & obe. statuimus. De præb. ca. Grave. Hæc & alia jura sanctorum patrum magna maturitate digesta penitus non curantur: & quia homines sunt inclinati ad providendum sibi vel suis, curritur ad Curiam, & exercentur & discuntur Baratriæ, à quibus postea bona multa & utilitates necessariæ non curantur, nec aliis quoque volentibus discere; & sic eis morientibus, bonæ artes deficient & peribunt, quod erit gravissimum damnum, & quod restaurare possibile non erit inveniendo, quod vix tot millenariis annorum demonstrationibus per studiosissimos investigatores inventæ sint, & usque in hæc tempora deductæ: Et ex hoc subtrahitur fructus maximus quem literati deberent adferre in Dei Ecclesiam; quod vergit in grande Universitatum & totius Ecclesiæ, quæ ad sui regimen viris literatis valde indiget, dispendium & jacturam; ut habet textus *Cum eo. De elect. li. 6.* Doctorum enim scientia totus mundus illuminatur. De hæret. *Cum ex injuncto. De reliq. & ve. sanct. c. unico. li. 6.* Nunquid dolendum est quòd misera avaritia Curiensium, indignis & Simoniacis providendo, hoc totum facit, vel promovendo, vel ad promotionem ipsorum, juxta sui officii qualitatem & exigentiam, cooperando.

Attendendum igitur est si possit elucidari veritas, ut per hoc non modò reveletur falsitas, sed etiam intelligatur, quo velamine conetur se tegere & tegatur. Videndum igitur est primò, quæ sint ista spiritualia quorum vendendi studiosa voluntas sit Simonia. Sciendum igitur quod spiritualia dicuntur quæ ad spiritum pertinent, & à spiritu procedunt. Spiritus autem licèt capiatur multis modis, ut pro spiritu brutorum, vel pro subtilissimis corporibus in homine, tamen propriissimè capitur pro substantia quæ non est corporea; prout secundum philosophos substantia dividitur in spiritualem & corporalem; & illo modo accidentia, & actus talium substantiarum spiritualium, sive sint boni spiritus, sive mali, ut sunt cogitationes, intellectiones, voluntates & scientiæ, dicuntur spiritualia, distinguendo spirituale contra corporale. Et de iis non est sermo ad præsens. Alio modo capitur spiritus spiritualiter pro Spiritu sancto, non communiter, sed appropriatè, prout ipsi attribuitur sanctificatio: & hoc modo illa dona sua dicuntur spiritualia, quæ immediatè procedunt ab eo, pro quo hi quibus dantur à deo, sic spiritualiter vivunt, ut adhærentes ei sint unus spiritus cum eo, sicut dicit Apostolus; 1 Cor. 6.
quæ etiam faciunt homines spirituales, & spiritualiter vivere, non secundum mundum vel carnem, quamvis adhuc sint & vivant in carne; Sicut idem dicit Apostolus, Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis; & si tales vivere dicuntur, & sunt spirituales, & filii Dei, sicut dicit Apostolus ibidem, Qui Spiritu dei aguntur, hi filii Dei sunt; si autem filii, & hæredes dei, cohæredes autem Christi. Et hoc modo spirituale distinguitur contra corporale mundanum, ac etiam aliquo modo naturale, quia supernaturale est. Et quia illa principalissima Dei dona quæ propriissimè dicuntur spiritualia, tantum perficiunt hominem, & tantum bonum ei conferunt, fit, ut nullum bonum quod habetur vel haberi potest per homines, potest ei comparari. Propterea cum sint inæstimabilia pretio, ut unus homo in alterum transferre non possit, nisi solus Deus immediatè det ea, hinc est quòd nec emi nec vendi possint. Hoc probatur 1. q. 1. Presbyter: & multis aliis capitulis illius quæstionis. Rom. 8.

Quamvis autem hæc dona, ut dictum est, à solo Deo dentur; quia tamen Deus servos suos hujusmodi, non solum per hæc signa interiora, sibi soli nota, differre voluit ab aliis, verumetiam donorum spiritualium à mundanis vel carnalibus, per aliqua exteriora apparere, etiam homines non otiosos esse, & circa illa bona spiritualia agnoscenda, consequenda & retinenda, non solùm intus in anima, sed etiam corpore occu-

 pari

1 Tim. 5. pari ad multiplicem utilitatem, cujus declaratio magis alibi quam hic pertinens est, disposuit, quòd ut communiter homines deberent dicta bona spiritualia verè consequi & obtinere, conservare, firmare & augere, per exteriora officia, ministeria, instrumenta & media; necnon per actus & exercitia circa ista, quamvis hæc prædicta possit dare & facere, & sæpe det & faciat sine illis. Sic autem participantes talia bona spiritualia, licèt habeant actu, possintque eis abesse & adesse, sicut alia accidentia præter corruptionem subjecti, spirituales dicuntur & sunt propter inhærentiam talium, & habent denominationem ab eis. Cum enim albedo reddit formaliter eam habentem album, cur non spirituale bonum faceret hominem spiritualem? Sic etiam officia, ministeria, instrumenta & media actus exercitia, necnon ministri & adminicula eorum, ut locus & habitus, ad tales actus & officia deputata & requisita, congruè dicuntur spirituales & spiritualia, eò quòd ab illo primo datore spiritualium ad hcc deputatis ab ipso spiritualibus ortum habent, & non nisi ministris spiritualium conveniunt, ad ea quæ ordinata & eis connexa sunt, & hoc non immeritó. Cum enim omnis res vel actus à fine ad quem ducit vel tendit, nomen habeat, sicut inducens caliditatem calefaciens dicitur, & motus vel actio ejus calefactio; omne etiam instrumentum quod ad fabricationem pertinet, ut opus fabri, dicitur fabrile; quanto magis illud quod à spiritu vel à spiritualibus ortum & principium habet, & ad eam finaliter ordinatum est & tendit, spirituale dicitur, præsertim si initium & ordinatio ab illo procedit, cujus est principium, ordo & finis, sicut est in proposito?

Ex his itaque potest haberi, quòd sacramenta, per quæ tanquam media hominibus illa dona verè spiritualia conferuntur, ministri qui habent talia ministrare, & officia eorumque potestas, jus & facultas concedendi vel prohibendi, consecrandi, ministrandi & exequendi talia, ut sunt ordines sacri & jurisdictio, actusque & exequutiones eorum, ut prædicare, confessionem audire, orare, ligare & solvere, & similia, loca etiam & ædificia, ut sunt Ecclesiæ, capellæ & altaria, vestes & instrumenta, ut ornatus & calices, bona quoque temporalia quæ pro solis ministris ad hoc ministerium explendum & sustinendum, vel pro rebus aut ministeriis, ad ministerium tale complendum, deputata sunt, omnia hæc dicuntur spiritualia & sunt. Et hoc est quod aliás dicitur, quòd sacrum tanquam dignius trahit ad se non sacrum, ut de con. Eccl. vel altaris ca. Quod in dubiis, & 12. q. 2. nulli. Si namque bona quæ pro Episcopis, principe vel rege, ut mensa, familia & alia ad statum unius eorum requisita, dicuntur bona Episcopalia vel Regalia; cur non dicerentur spiritualia, quæ per Spiritum Sanctum pro laude sua, & ad augendam sibi gratam familiam & sustentandam, & officia hæc explenda data cœlitus, ordinata & deputata noscuntur?

Adhuc forsan aliquis fortius impugnare prædicta, dicit, Quòd Papa non possit committere Simoniam; & quia nondum audivi, nec credo quenquam esse tam modicæ rationis, ut dicat Papam, quoad hoc scelus, esse impeccabilem, magis quàm ad alia peccata majora, ut hæresim, & minora, ut fornicationem (Quis enim Apostolicus non possit vendere sacramentum corporis Christi, cum ùnus Apostolorum vendiderit Christum?) Ideo dimittendum hoc est, tanquam probatione non indigens; Et venio nunc ad tres modos, quos audivi ad tanti mali excusationem adduci. Primus est, quòd dicunt Papam recipere ea quæ recipit pro supplicationibus, non pro beneficio, sed pro labore suo. Alii dicunt, quòd quædam sunt Simoniaca solum ex hoc, quia prohibita ab Ecclesia, & non ex natura sui; ita quòd si non essent prohibita, non essent Simoniaca, & in talibus Papa habet potestatem, non solum dispensandi, sed etiam tollendi. Nonnulli dicunt, quòd Papa sit dominus omnium, & maximè clericorum & beneficiorum, & ideo illud quod recipit à clericis, vel beneficiis, recipit de suo, cum enim possit cujuscunque beneficii redditus servare pro se simpliciter, quale est inconveniens, si recipit fructus unius anni vel duorum? Quòd si quis beneficium cum illo onere noluerit, dimittat, ac parieti caput collidat. Contra ista omnia simul unum dubium moveo, An isti qui tam subtiles excusationes cogitant, credant sanctos patres & doctores qui diligentissime veritates scrutati sunt, & conati ut informarentur homines de malis vitandis, potuerint prædicta argumenta intelligere, an non? Si non, tunc improvidè de libris scribendis, & doctrinis, ignorando talia, quæ, si vera sunt, pro dubiorum discussione valde variarent, atque sic negligenter egerunt, non sufficienter informantes nec plenè distinguentes, & quodammodo laqueum injicientes & scrupulos, quorum utrumque inconveniens & absurdum est dicere de tot ac tantis viris & doctoribus, quorum dicta tam solenniter in Ecclesia recipiuntur & prædicantur. Si dicitur, quòd sancti doctores tendebant ad puritatem, & nolebant homines in securo ponere & in tuto: tunc videtur posse inferri, & timeri, quòd illi ad impuritatem tendant, & homines nimium securos & tutos faciant. Cum

Apologiæ pro Simoniâ papali.

Cum ergo de æterna gloria jocandum non sit vel pœnâ æternâ, videntur illi magis sequendi quàm isti, qui tam damnabiles excusationes prætendunt in peccatis. Aliud autem est dicendum, quòd Ecclesiæ Episcopatus, Monasteria, Abbatiæ & alia beneficia miserabiliter destruuntur.

Quando enim Ecclesia vel Monasterium quod vix simplum habet, & duplum debet solvere Papæ in anno, & nihilominus novo, qui jam accessit, & in primo multis indiget, providere cogitur: deinde facile accidit, quòd redditus eo anno pereant, ut fiunt guerræ & aliæ adversitates, ut Ecclesia debitis obstringatur ita ut postea nunquam liberetur, sed magis de die in diem involvatur. Nec solùm hoc modo Ecclesiæ destruuntur & Monasteria, sed etiam per hoc, quòd dantur Cardinalibus Curtesanis, & aliis in Commendas assignantur, & prioratus committuntur: Experientia docet, quòd multa talibus artibus simpliciter pereunt, & fit ut de pluribus eorum, ubi prius 30. vel 40. monachi fuerunt, vix unus vel duo miserè sustentantur. Nonne per hoc subtrahuntur divinæ laudis officia, & perfectio hominum, & contemplationis elevatio præpeditur? Hæc non fuit primitiva intentio fundatorum Monasteriorum, ut pro statu Cardinalium inservirent; nec pro evacuatione Monasteriorum inventi videntur Cardinales, quibus per sedem Apostolicam provideri solebat. Et mirum est, quòd omnia quæ nos facimus, bona esse oportet, nec audire volumus quæ sunt contraria; quæ tamen si in disputationem venirent, defendere non possumus. Providendum ergo foret summopere, ne Papa cum suis Curtesanis per jam dicta Ecclesias confunderet.

Forsan dicit aliquis, hæc non concernunt auditores vel maximè judices ex hoc, quod in tota actione & prosequutione seu processu causæ, nunquam moventur; nec fit mentio de ingressu Simoniaco, & ad ipsos non pertinet ea tractare, sed ex deductis ad causam, & pertinentibus ad eam, de his secundum allegata & probata tenentur cognoscere & judicare, ut 3. q. 7. *judicet*, & 2. q. 1. *Si tantum*, & ca. *placuit*: & quando hoc fideliter faciunt, non peccant. Et eodem modo possunt excusari Procuratores, Advocati, Notarii causarum & consimiles; sed quòd hoc eos non defendat, sic persuadetur: Quicunque n. talis scienter & liberè tenet & exercet officium suum, estque judex & minister in causa, in qua fert, vel scit sententiam esse ferendam, pro eo quod nullum jus habet, & qui per hoc ad suam damnationem juvatur, & ad multa injusta facienda, ac ad damnum multorum, tam in temporalibus quàm in spiritualibus, & ad impedimentum multorum bonorum, quæ verisimiliter fieri vel sperari possent, si iste non juvaretur, sicut supra tactum est: Cum ergo solo consensu peccaret, ut *de pæ. dist.* 1. *Periculose*: & ca. 1. Omnis iniquitas: cum multis sequentibus: Et hoc plus fit, quod nudum consensum sequitur intentio; fateor ergo eum non peccare, secundum allegata & probata judicando, sed in eo quòd exercet officium, per quod malus, indignus & nullum jus habens promovetur, & ex quo scit multa mala juvari, & bona impediri, & ubi scit quòd ex industria aut mala consuetudine, veritas tacetur in causa, vel saltem taceri oportet, ex timore non admissionis, vel ex defectu probationis, quæ tamen ad causam propriè pertineret, & per quam mala multa impedirentur & bona promoverentur. Si dicitur, multi sine peccato vel datione pecuniæ obtinent gratias, quomodo autem scitur, quando aliquis aliter obtineat? officiales certè Curiæ divinare non possunt: Respondeo, quando sciretur aliquem purè intrasse, aut nulla esset præsumptio quòd gratiæ mediante pacto vel pecunia obtinerentur, non esset periculum, nec de talibus haberetur conscientia, sed quando ad oculum videtur contrarium, & omnium vox contestatur, sufficiens causa præsumendi hoc habetur, & non intromittendi se ad promovenda & juvanda talia, illisque inservire, nisi certitudo habeatur quòd ille purè assecutus sit gratiam, quem promovere & subsidium facere voluerit: imò in tali dubio debet potius præsumere, quòd gratia sit facta Simoniaca, propter consuetudinem sic faciendi, facit ad hoc, de præsumpt. c. scribam: & in Reg. *semel. De Reg. ju. li. 6.*

Objiciet mihi fortè adhuc aliquis, quomodo hoc videre me putem, & conscientiam inde habendam esse, cum tam doctorum virorum & multæ experientiæ, velut & supra tactum est, ac oculatissimorum nullus videat aut judicet? Respondeo, Quòd sæpius contingit, hominem debilioris visus, cum attentior ad rem est, clariùs videre quàm alios multos clarioris visus qui non sunt attenti ad illam. Hujusmodi autem non-attentionis causa multiplex esse potest: multitudo videlicet occupationum aliarum rerum, Inclinatio affectuum, Respectus aliquando eorum qui idem opinantur & faciunt, verbi gratia, Cum cogitat aliquis non esse revocandum in dubium, quod *Papa*, Cardinales & tam magni viri in *Curia*, eruditi in omnibus scientiis, talia faciunt, & facientibus non contradicunt:

Ex quibus ulterius inferri posse videtur, Quòd sicut illa verè spiritualia nullatenus vendi possunt, quemadmodum supra tactum est; sic nec ista, nec aliquod ipsorum, ut tale, vendi potest; & hæc ratio cuilibet deberet sufficere, quia ut sic, Spirituale est: sed propter proterviores, sic etiam argumentabor: Quodlibet illorum, ut tale, non est æstimabile pretio: ergo non potest vendi. Consequentia nota est. Antecedens probatur; quia si, ut sic, aliquod tale esset æstimabile pretio, tunc spirituali non repugnaret, ut tali, æstimabili pretio esse; & per consequens, gratiæ dei pretio æstimabile esse, non repugnaret; quod est manifestè falsum, & secundum Apostolum includit repugnantiam,
Rom. 11. sic arguendo: Si gratia est ex pretio, est ex meritis. Si est ex meritis, jam gratia non esset gratia. 1. q. 1. *Quanto.* Item aliter sic. Nullus homo est dominus talium, ut talia i. prout sunt talia, videlicet spiritualia, sed solum minister, dicente Apostolo, Sic nos
1 Cor. 4. existimet homo, ut ministros *Christi*, & dispensatores mysteriorum dei. Et quia spiritualia, ut spiritualia, in nullius dominio sunt. *Insti. De re. divi. parag. Religiosum*: Et dominus non
Matth. 10. permisit alicui ea vendere, imò prohibuit, & mandavit gratis dare, dicens, *Gratis accepistis, gratis date*; ergo non potest vendere.

Præterea si illa possent vendi ut talia, sequeretur quòd gratia dei verè spiritualis posset vendi; falsitas per se patet, ut prius. Probatur tamen contra: quando vendens vult vendere fusionem aquæ, vel verba Baptismi, cum intentione requisita, ut talia, id est, ut conferentia gratiam quæro: Vel intendit quòd ille baptizatus consequatur gratiam, vel non. Si non; tunc non dat sibi eam, ut talem, & sic non vendit sibi eam ut talem, quod est contra suppositum, & sic est contrarius sibiipsi. Si dicitur quòd sic; tunc arguitur tali modo: Quantum in illo est, hoc fit mente, pacto vel pretio; ergo quantum in ipso est, vendit sibi gratiam; quod erat probandum. Et facit ad hanc rationem, De simo. Nemo: & ca. ad nostram: & ca. ad aures. Præterea argumentatur sic: Quando ista venduntur ut annexa veris spiritualibus, alias enim non essent talia, spiritualia enim sunt, quia annexa sunt eis & ordinata ad ipsa; sed cum aliquod annexum alteri, seu unitum, venditur vel datur, tunc etiam venditur vel datur illud annexum, quia annexum sine suo annexo dari non potest: nam si sine illo datur scienter, separatum est & non annexum, & per consequens non datur ut annexum. Hinc est quod legitur 1. q. 3. Si quis objecerit: quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum non venditum derelinquit. Idem videtur innuere regula juris, Quod accessorium sequi congruit naturam principalis. De reg. ju. li. 6. Sed hic diligenter considerandum, quod hic notanter dico, quòd ista ut talia non possunt vendi: quia enim illa accidentaliter & non essentialiter sunt spiritualia: Contingit enim aliquando, ut ea quæ fuerunt media consequendi gratiam, jam non sint, & è contrario, ut patet de circumcisione in veteri testamento, & baptismus non contulisset gratiam, sicut jam confert. Ita etiam per hominem potest fieri, ut locus vel redditus qui jam sunt spiritualia, possunt esse vel fieri non spiritualia, & è converso. De illis ergo satis planum est, quòd possunt vendi vel emi, quando desinunt esse talia. Sed ulterius est advertendum, quòd aliqua etiam talia, tunc cum sunt spiritualia, possunt vendi quandoque, non ut sunt spiritualia, sed ut sunt naturalia, & quasi nihil spiritualitatis habentia: Verbi gratia: Si gentilis, nihil sciens de sacramento altaris, venderet alicui famelico hostias consecratas, & ille emeret, sicut alium panem, vel etiam si fideles idem facerent, probabiliter vel verisimiliter informati, credentes quòd non essent consecratæ, nullo modo committerent Simoniam, quia ibi non est voluntas vendendi spiritualia. Adhuc autem videtur, quòd scienter potest quis vendere rem consecratam vel sacramentalem, aut emere sine intentione emendi vel vendendi eam, ut talem: Verbi gratia: Si aliquis puer esset in puncto mortis, qui deberet baptizari, & non posset haberi aliqua aqua quæ esset consecrata pro baptismo, & alius habens eam nullo modo vellet gratis dare, sed vendere pro pecunia; in hoc casu, posset emi aqua, ut tale elementum, non quia consecrata. Sic procuratione alicujus vulnerati læthaliter, emeretur oleum consecratum, non quia consecratum, sed ut rem vulnera naturaliter sanantem vel curantem; & si peccatum esset illud oleum ad aliud applicare, quod non definio, non tamen committeretur simonia. Posset tamen aliquis dicere, ex hoc sequeretur quòd nullus posset committere Simoniam, quia possunt vendi spiritualia. Dicitur quòd voluntas vendendi vel emendi aliquod spirituale vel spirituali annexum facit Simoniam. Præterea quandoque dantur vel recipiuntur temporalia ad hunc finem, ut spiritualia exhibeantur, & tamen nec dantes, nec recipientes ea, committant Simoniam; ut quando populus ministrat necessaria prædicanti, sine quibus non posset prædicationi insistere; sed nec illi dant, nec ille recipit ut pretium, sed ut sustentamentum. De præscript. Ex officio. Ex utraque tamen parte, posset committi simonia, per inordinatam intentionem, posset etiam vitari per veram intentionem. Hic habet locum con-

dictio

dictio Cardinalis Cameracensis in tractatu, De potestate ecclesiastica, parte 2. ca. Ex istis excusatores Simoniæ quandoque colores recipiunt. Ut autem juxta præmissa possit eorum veritas aut falsitas apparere, venio ad primum modum excusandi, quando dicitur, quòd Papa recipiat pro labore suo florenos à supplicante.

Et dico, quòd si sic intenderet, & labor suus esset, sine omni respectu ad beneficium, valeret in se, & ab illo pro quo fit unus florenus justè reciperetur à Papa, & ille petens, si vellet habere laborem illum, justè daret. Veruntamen ad quid valeret rusticana ista responsio & tam rudis excusatio & tanti principis infamia, quòd operas suas locaret pretio: Et quòd sic unam turpitudinem aliâ vellet tegere, & mendacitate sophistica velle non intelligentes homines excæcare, cum tamen hujus doli falsitas de se pateat? Quod enim una via prohibetur, per aliam admitti non debet. *De procu. Tua.* Facit etiam huc *ca. 1. de Simo.* Sed quòd hæc veritas non sit patet manifestè; quia nisi ille labor esset utilis ad consequutionem beneficii ecclesiastici, quod est spirituale, non daretur sibi obolus pro scriptura sua; & hoc Papa indubitanter scit, & super hoc respondet in scripto. Et quia fundamentum hoc est vitiosum, Simoniacum & prohibitum, continenter apponere datam, & inde minutas facere, literas scribere, procurare, registrare, bullare, secundum eas judicare, & alia facere sicut supra dictum est; & omnia ad consequutionem beneficii spectantia, vel qualitercunque cooperantia, sunt etiam prohibita & illicita, ut dicit reg. Jur. Cum quid, &c. Confirmatur autem sic: Quia Papa labore illo respondet petitioni, qua supplicans petit beneficium jam vacans, & annuit petitioni qua petit sibi provideri; ergo providet sibi de illo: Vel ergo per se, vel per alium. Si per se, tunc labor ille est provisio beneficii, cum nihil aliud faciat ad hoc personaliter nisi istum laborem; ergo labor ille est spiritualis, & excercitium officii spiritualis, & per consequens non potest vendi. Si facit hoc per alium, tunc ad minus per scripturas hunc laborem alteri committit: sed qui per alium facit per seipsum facere videtur. *De præscriptio. Si diligenti. In reg. ju. qui per alium. li. 6.* Insuper hoc committere est etiam opus & exercitium potestatis spiritualis, ergo non est vendibile, ex prius dictis. Præterea, si *Papa* recipit pro labore, de æquali labore æquale præmium debet recipere: sed cum sit æqualis labor vel quandoque minor, signare supplicationem pro beneficio vacante & pro gratia expectativa de dato Papæ; ergo non plus debetur sibi pro una, quàm pro alia, nec plus pro gratia expectativa de dato *Papæ* vel Cardinali, quàm currenti: sed quia de talibus plus recipit, sequitur quòd non recipit pro solo labore. Si verò dicitur, labor *Papæ*, prout talis, pretiosior est quàm alius labor; dico, Quòd *Papa*, ut *Papa*, est persona publica spiritualis, sic actus ejus, ut talis, est spiritualis, & per consequens, iterum non potest vendi.

Præterea, quando providet de episcopatibus, abbatiis vel similibus, tunc non laborat scribendo, sed solo verbo providet. O igitur pretiosum laborem, quem vendit in unius verbi, vel linguæ elevatione! quod tamen nullam vim haberet nisi esset opus potestatis spiritualis, & ideo est invendibile; cum ipsa spiritualis potestas sit invendibilis, per allegatum c. *Cum in eccl. De Simon.* cum multis aliis sequentibus; & *ne Prælati vices su. ca.* 1. Mirum autem est quòd excusatores illi non erubescant in tam grandi materia tam puerilia adducere: sed multò magis mirandum est de tanto scandalo, & tantis obloquutionibus, quas sustineri oportet.

De secundo modo excusandi, quo dicitur, Quòd circa ea quæ sunt de Simonia prohibita, possit *Papa* dispensare, vel ea tollere, &c. Videtur iste excusandi modus esse valde improprius & extraneus: si enim aliquod opus de sua natura non esset simoniacum, quomodo posset per prohibitionem *Papæ* simoniacum fieri? Si enim prius fuit malum, alia specie mali, ut si fuisset usurarium, vel luxuriosum; quomodo prohibitione sua mutabit illud de sua specie in speciem simoniæ? Si verò prius non fuit malum, sed licitum, & *Papa* prohibet illud rationabiliter, prohibitione sua bene facit, in hoc quod postea facere malum sit & illicitum: sed non sequitur quòd sit simoniacum: non enim sequitur, Papa prohibuit hoc, ergo hoc est voluntas vendendi spiritualia: idipsum autem requiritur ad hoc ut aliquid sit Simoniacum. Et quando autem dicitur, Si *Papa* judicat hoc esse Simoniacum, nonne veraciter tale dici potest? Respondetur, Quod *Papa* nunquam debet judicare tale vel tale esse malum, nisi prius cognoverit ipsum esse tale, alioqui judicium falsum erit, & non sequendum: si verò antea tale malum fuerit, tunc hoc non provenit ex judicio vel prohibitione *Papæ*. Potest tamen communis hæc distinctio ad talem intellectum reduci, Quòd *Papa* potest aliquod temporale non annexum spiritualibus eis annectere & applicare, ut domum secularem vel templum idolorum in ecclesiam consecrare,

vel

vel ſcyphum ad hoc aptum in calicem, vel menſale in pallam altaris; & tunc vendere aliquid illorum quæ prius ſine omni Simonia poterant vendi, jam eſt Simoniacum: licèt autem talia aut talia vendere prohibeat; non tamen venditio illa eſt Simoniaca propter prohibitionem, vel *Papa* annexionem vel applicationem eorum ad ſpiritualia, quam Papa fecit: Sic è contrario, ſi *Papa* habens juſtam cauſam aliquem locum in eccleſiam conſecratam anathematizandi, & juberet deſtrui totum ædificium, ita quòd prius hæc non deberet eſſe ibi Eccleſia, iterum licitum fieret emere locum illum, eò quòd deſiiſſet jam eſſe annexum ſpiritualibus. Similiter aurum & argentum quod fuit conſecratum in calicem, poſtquam concuſſione deſiit eſſe calix, jam poteſt vendi, ſicut antea cum calix non eſſet: Imò adhuc exiſtens calix poteſt vendi ſecundum valorem ſuum, quem habet etiamſi ſit conſecratus, dummodo vendatur ut res ſacra vel conſecrata, 12. quæſt. 2. *Aurum*. Sed cavendum eſt ne quamdiu conſecratus manet, accommodetur ad aliquem uſum ſecularem vel potius abuſum. Iſto modo, & non alio, video poſſe excuſari tamen lationem decimarum vel aliorum annuorum redditúum eccleſiaſticorum in laicos; quia videlicet, talia annexa ſpiritualibus ſeparantur ab eis, ita quòd ultra non ſunt annexa cultui divino, vel deputata miniſtris Eccleſiæ, ſed uſui ſeculari. Sed ex hoc non ſequitur quòd quamdiu ſunt eis annexa, quòd aliquo modo poſſint vendi; quia tamdiu ſunt ſpiritualia, quamdiu manent illis annexa. Et ideo Simoniacum eſt aliquid recipere, vel paciſci pro eis. Sed dicitur, *Papa* poteſt ſeparare illa bona à beneficio. Reſpondeo quòd ſic, ſed tunc non veniret ſupplicanti beneficium; & cum impetrans hoc ſciret, *Papa* nihil daret, ut veriſimiliter creditur.

Contra tertium modum excuſandi, quòd multiplex eſt dominium, & quòd *Papa* habeat dominium limitatum: Nam tertius excuſandi modus eſt ex hoc quòd Papa eſt dominus omnium beneficiorum; Et ergo, quando recipit aliquid ab impetrante, de ſuo recipiat, & ut tale non recepit ex collatione beneficii. Advertendum hic eſt, quòd licèt Prælati Eccleſiæ dicantur & ſint principes rectores, præſides & Judices eccleſiaſticarum rerum & perſonarum, & ob id à ſuis ſubditis debeant dici & ab eis ut tales venerari, tamen non dominantur eorum, more gentilium & ſecularium, ſicut Salvator apud Lucam docet, dicens, Reges gentilium dominantur eorum, vos autem non ſic. Et beatus Petrus ait, Non quaſi dominantes in clero, &c. Ideo multis nominibus, quæ ſervitium vel miniſterium, non dominium ſonant, deſignantur in ſcripturis: Dicuntur enim paſtores, vigiles, cuſtodes, procuratores, villici, negotiatores, diſpenſatores, ſtabularii; quæ omnia apud Jeremiam clarè apparent, cui dicitur, * *Ecce ego conſtitui te ſuper reges & regna, &c.* Ecce dignitas & authoritas: ſed quia ſubditur, *Ut deſtruas & evellas, diſperdas & diſſipes, ædifices & plantes, &c.* Quid hic committitur Prælato illi, niſi opera ruſticana? & hoc providentiſſimo ordine Dei & diſpoſitione ordinatum eſt, ut utriuſque nominibus ſcriberentur ut ſui officii rationem penſitantes, curam, periculum, objectionem, victum & ſtipendium, humiliter de ſeſe ſentirent: *Romanæ* verò authoritates & præſidentiæ graves & maturæ ſint, & animoſi ut timori ſint ſubditi, & non vileſcant. † Concedo ergo quòd *Papa* ſit dominus omnium, non dico clericorum & beneficiorum tantùm, ſed omnium Chriſtianorum, imò de vero jure, omnium hominum qui tantum audierunt quòd deberent eſſe *Chriſtiani*, & ſic Papæ tanquam *Chriſti* vicario ſubeſſe. Dominium enim hoc caſu nihil aliud eſt quàm quædam dignitas & præeminentia, in qua quis habet authoritatem & poteſtatem ſuper aliquem vel aliquos ſibi quoad hoc ſubjectos. Sed quia non uniforme ſed multiplex eſt dominium; aliter enim maritus eſt dominus uxoris, aliter pater filiorum & filiarum, aliter conducens mercenarium eſt dominus ipſius, aliter emens ſervum eſt dominus ſervi emptitii, aliter *Jacob* dominus *Eſau*, aliter *Moſes* dominus *Pharaonis*, aliter *Papa* eſt dominus unius principis vel regis liberi, aliter vaſalli Eccleſiæ, aliter unius clerici, aliter unius laici ſibi in palatio miniſtrantis; ideo neceſſe eſt videre quale dominium habeat *Papa* in clericos & beneficia, ut poſſit videri ſi poſſit ea pro ſuo libitu eis auferre; cum nequaquam omnis dominus habeat talem poteſtatem ſuper ſubditos ſuos & bona eorum.

* Cap. 1. 10.

† Quod tu, *Matthæe*, Concedis, te majores negant: tuæ ergo prodigalitati nobis non eſt ſtandum.

Quapropter ſciendum, quòd Deus ſit Rex regum & Dominus dominantium, qui habet dominium illimitatum & ſine exceptione. Omne enim dominium eſt ſub eo, & limitatum, 8. *diſt. Contra mores, ad fin.* Nec enim *Papa*, nec quiſquam hominum, habet plus dominii, niſi quantum Deus illi conceſſit. Et prima quidem limitatio eſt, qua *Papa* poſitus eſt principalis & ſupremus vicarius *Jeſu Chriſti*, quem ſcilicet *Chriſtum* Deus Pater conſtituit Dominum, Regem & hæredem univerſorum. Ideo principaliter

principaliter positus est in ædificationem non in destructionem, sicut dicit Apostolus. Et ideo nullam habet potestatem agendi in regimine suo quod scit aut scire vel credere debet in damnum esse Ecclesiæ, & destructionem reipublicæ, aut in malum exemplum & scandalum plurimorum. Hoc autem sic patet: Quia sicut Dominus Deus non potest male regere, sed solum bene; sic non potest potestatem male regendi alteri dare vel committere. Ut autem melius possit in regimine suo ædificare. & bona procurare, malaque & in destructionem vergentia vitare, ideo data est sibi alia limitatio & lex; Evangelium scilicet & totus Scripturæ sacræ canon, Conciliaque per Ecclesiam authenticata & approbata solenniter. Et quia non est unius hominis omnium talium habere notitiam & principalem intelligentiam, memoriam & observationem, & Papa quoque homo est; limitatus tenetur se cognoscere hominem esse defectuosum, in multis insufficientem ad tantum regimen: sicut ille sapientissimus homo *Salomon* dixit. *De Consti. Ne innitaris, Et ecclesi.* 32. Et jura consonant. *Dist.* 12. *Non decet.* 12. *quæst.* 2. *alienatos* 15. *quæst.* 6. *De his quæ fi. ca. Novit.* Sed nec cum fatuis consilium habere debet, secundum quod res se habet, aut consilia quærat; quia ubi plures consiliarii, confirmantur cogitationes; & salus est, ubi multa sunt consilia: Et facit 20. *distinctio. De quibus. De officio deleg. Prudentiam.*

2 Cor. 10. 13. — 3 Reg. 3. — Eccl. 8. — Prover. 15. — Ibid. 24.

Adjicimus item & illud, quòd hoc non solum scriptura ut dictum est docet, sed etiam exempla sanctorum & ratio persuadet. Quomodo enim piissimus Dominus qui ecclesiam suam sanguine suo redemit, providisset eidem, si voluisset ac commisisset quòd unus homo, quandoque ignarus, aliquando malevolus, & dato quòd sciens & bonus esset, tamen deceptibilis & errabundus, regeret eam caputque ejus faceret? Quod notat Inno. De. Reg. Ju. Ad Apostolic. lib. *6.* Sed contra sic posset dici & objici, Quomodo providet quando dat malos rectores? Dico quòd quia deus non voluit quòd soli boni rectores essent, hoc quandoque mereretur populus propter cujus peccata quandoque permittit regnare hypocritam *6.* quæst. 1. Ex merito. 8. quæst. 1. Audacter. Nec hoc expedivisset rectoribus; quia si solos bonos fecisset regnare, tunc eo ipso, si quis fuisset rex factus, scivisset se bonum esse, Deus autem hominem vult nescire, si gratia vel odio sit dignus, & propter multas rationes alias, ideo deus voluit providere & dare in hisce regulam & limitationem, qua per malum non ita graviter destrui posset Ecclesia, vel saltem quòd huic malo possent obviare, sicut ad hoc sancitæ sunt leges & jura, ut etiam per malum judicem justa detur sententia, aut si non secundum leges data fuerit, possit revocari. De Reg. Ju. Cum ca. Et ca. [Cum *Bertholdus*] quandoque allegatur ab excusatoribus curiæ, Quòd sit dominus clericorum & beneficiorum. Bene verum est, eum multiplicem habere potestatem & authoritatem super eos, utputa eos examinare & judicare, an apti sint ad clericatum, vel ad beneficia admittere, ordinare, statuta condere, sedulò inquirere si bene se gerant, excommunicare, punire, suspendere ab officio, privare & inhabilitare si merentur, beneficia erigere, confirmare, onerare, liberare, conferre, transferre & cætera hujusmodi. Sed si bene adverterent quòd Papa in omnibus illis limitatum dominium & authoritatem haberet, ut supra dictum est, non tam audacter & indeliberatè statim inferrent simpliciter, quòd posset ea pro voluntate sua sibi reservare vel destruere. Concesso igitur, arguendi gratia, quòd beneficia sint sua, non tamen sequitur quòd illo modo sint sua: licèt enim rex vel princeps sit dominus bonorum Vasalli, non tamen potest ea ad usum & ad nutum suum illi auferre, sed oportet ut dominium suum exerceat secundum limitationem dominii, quod habetur *De Feu. canone.* 1. & 2. hic & hic est attendenda limitatio dominii Papalis, utrum recipere vel tollere redditus unius beneficii, esset conforme canoni sacræ scripturæ, & in nullo contrarium sit, esse ad ædificationem & non ad destructionem, & si haberet rationabilem causam, & debitum modum procedendi in hoc vel non, & nisi hoc bene pensatum esset, non deberet ita frontosè dici illud, cujus excusatio videtur magis contraria quàm consona rationi & sacræ scripturæ, & magis scandolosa quàm ædificatoria, sed potius destructoria, ubi modus agendi multis malis circumstantiis vallatus est, & contrarium vel aliud apparenter invenitur, quàm in causa allegata prætenditur.

Pro quorum aliquali persuasione, primò advertendum est, quòd non de facili credo inveniri verbum sacræ Scripturæ, quod tantam potestatem conferat Papæ sicut illud, Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis; & tamen non esse quod sub tanta pœna mandat ligatum; sed sicut in veteri testamento ab Ezekiele scriptum est de malis prælatis, Mori fecerunt animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt: Ita & hic ligantur aliquando non ligandi, ac per-

Ezech. 13.

hoc non verè ligati sunt: sicut dicit Augustinus in libro de vera & falsa poenitentia: Salvantur, inquit, quos ligatis & solvitis; non quos putatis ligare & solvere, sed in quos exercetis opera justitiæ & misericordiæ: hoc ego & tota curia cœlestis approbo. Alia opera vestra in peccatores non cognosco, &c. Hæc ille. Ad idem 11. quæst 3. Tunc vera. & ca. Illud. & ca. injustum: cum multis aliis ca. illius quæstionis. Et de Pœn. dist. 1. Quem pœnitet. Si autem non valet absolutio vel ligatio Papæ in illis ubi maxima potestas sibi data videtur, nisi rationabiliter fecerit, & clave non errante, quid putat se facere in aliis, ubi non est sibi data tam generalis & expressa potestas?

Præterea; secundum hoc, æque bene haberet ligare laicos sicut clericos, & si hoc esset, non deberet solos clericos exactionando gravare, quia laicis gravatis, in parte isti levius ferrent. Quòd autem non sit consonum scripturæ sacræ, in qua nullibi reperitur nec ad verba nec ad sensum, quòd Papa debeat esse retentor vel imbursator beneficiorum, sed quòd bene dispensentur; etsi habetur quòd sit dominus, tamen non habetur quòd isto modo sit dominus, ut facere possit quicquid velit: sed sequitur magis quòd contra scripturam est & rationem; & quòd multipliciter minus bene fiat, & cum scandalo & destructione: quod sic persuadetur: Nam posito, sed non concesso, quòd isto modo sit dominus, nunquid per hoc esset sublatum illud Math. 10. jus Evangelicum, Dignus est mercenarius mercede seu cibo suo? Et illa regula Apostolica, *Qui altari serviunt, de altari vivant?* De Præbendis. *Cum secundum.* & ca. *Extirpanda.* Illaque beati Jacobi, Quòd *merces mercenarii detineri non debet.*

Contra omnia autem ista arguitur quando alicujus beneficii redditus tolluntur, rationabili causa non negante. [Ut ecclesiast. si. dimi. conf.] ca. Ut nostrum: ad fin. cum similibus. Præterea, contra recipit duplices fructus de beneficio bis vel ter vacante in uno anno, quo non nisi simplices proventus veniunt; circa hoc non patitur bona fides, ut semel exactum iterum exigatur. De Re. lib. 6. Bona fides. Præterea si vellet recipere de suo, tunc non deberet recipere nisi quando fructûs provenirent; nunc autem vult habere pecuniam vel securitatem ab eo, & si provisus moriretur antequam aliquid perciperet, vel etiam si ex beneficio nihil proveniret, vel si omnia bona beneficii terra absorberet. Sic autem agere quid est aliud, quàm pauperes quos elegit Christus in principio, & assumpsit in fundamentum Ecclesiæ ad fundandam ecclesiam, quantumcunque sint idonei, docti & utiles, à beneficio excludere, & per hoc provocare ad avaritiam, & congregandum ac quocunque modo acquirendum pecuniam eos qui voluerint promoveri? Præterea dicetur quòd clerici tam parvi quàm magni sint servilis conditionis, & tanquam emptitii, & Papa possit eos destruere, depauperare, & annihilare sine omni juris ordine, & sine ullo eorum demerito. Hoc autem quid aliud est, nisi cleri statum vilificare cum dignitate sacerdotali, & homines potentes & notabiles abstrahere ne clerici fiant? Ex quo ulterius sequitur, quòd non nisi miseræ & viles personæ assumant ordines. Quantus autem ex eo sequatur contemptus & vilipensio sacerdotii & etiam sacramenti irreverentia, venditio deinde missarum aliquando ex nimia sacerdotum paupertate, patet sufficienter ex aliquibus locis, ubi propter vilipensionem clericorum & servitutem, rarissimè notabilis aliquis assumit ordinem sacerdotii, nisi qui promotus est aut promoveri sperat ad alta.

Præterea arguitur sic, Papa tenetur servare pacta quæ bona fide secum acta sunt, sicut alius & plusquam unus simplex. De Proba. ca. 1. & quod ibi notatur; sed illud videtur infringere, quando recipit bona proventus & redditus beneficiorum. Igitur non licet sibi facere. Minor probatur: quia dotans beneficium, collegium, vel monasterium, hac intentione sola & præcipua hoc facit, aliàs non facturus, ut ☞ ibi tot & talia officia divina & missæ compleantur in remedium animæ suæ & antecessorum, pro devotione & salute populi ibi habitantis, & præcipuè pro laude Dei, petitque hoc confirmari, & Papa confirmat perpetuè duraturum. Illud autem totum infringitur quando Papa tollit redditus, quia tunc * non possunt impleri præmissa, laus Dei tollitur, devotio populi impeditur, clerus ille vagari & deficere cogitur, ac deceptus est in eo quod fecit ordinari super talibus, dotator decipitur & scandalizatur, animæ defunctorum suffragiis pro se & suis procuratis & ordinatis † defraudantur, & diutius abesse à cœli gaudiis coguntur: in quo & cœlestis curia lætitiâ quam de eorum haberet præsentia, * spoliantur: in quibus Papa magnam vim & injuriam facere videtur, cum jam illæ de foro suo non sunt, nec ipse habeat potestatem in illas, saltem immediatè. De sent. exco. à nobis 2. Alii quoque hoc videntes qui fortè similia facerent, retrahuntur. Fortè dicitur, Quòd nihil contra bonam

*Dempto redditu obmutescunt sacerdotes.

† Væ autem sacerdotibus, qui non nisi conducti eorum miserebuntur. Apage nugas.

* Et multa alia incommoda.

bonam fidem agitur, quia illud venit de per se, & est de jure con. quod eo ipso, quo beneficium instituitur sit Papa: & ideo tam dotans, quàm clericus recipiens, præsumendus est illud intendere & conari, & in hoc Papæ potestati atque clientelæ plane se submittere, sed tantummodo, ut ita dicam, habitualiter: Nec per hoc subtrahuntur divina laus, aut suffragia animarum, quia quando per illa bona temporalia quæ recipiuntur, alia bona magis necessaria aut proficua Ecclesiæ procurantur, non minus est ad laudem dei, & suffragium animarum, quàm illud: Populus etiam carens adminiculo illo devotionis, patienter propter utilitatem Ecclesiæ aliquando magis meretur.

Contra illud arguitur sic. Hoc modo recipere redditus beneficiorum, nec à sanctis patribus, nec antiquis juribus habetur, sed est inventio quæ sequuta est, ut creditur, usurpationem istam minus bonam, collationis beneficiorum ad Curiam Romanam; & ideo nec laici nec simplices clerici tenentur illam subtilem inventionem servare; & quia non est dictum, nec in literis Papalibus, quibus simpliciter credunt, de hoc cavetur, sequitur quòd sint decepti simplici sua fide, sicut etiam in casu propositum est. Et omnino credibile est, quòd multi sint inclinati ad hanc laudem dei per divina officia, & ad nutriendum simplicem pauperem Clericum missas legentem, vel devotos monachos, qui nollent tantum impendere ad lites Papæ, vel pro falsis, vel pro causis, ne dicam pro pompis vel luxu Cardinalium: Nec illa litigia, vel quæcunque alia, in quibus aliquando Papa & sui consumunt sic recepta, dato etiam quòd in bonis consumant, tamen non sunt ita ordinata à Deo, nec à sanctis declarata esse in remedium animarum & redemptionem, sicut missæ, orationes & jejunia & eleemosynæ; siquidem qui patitur in purgatorio, quia non jejunavit, quomodo solvet pro eo, qui diebus jejuniorum, carnes ex licentia Papæ manducat? Si quis etiam patienter ferens impedimentum devotionis aliquid meretur, tamen ille qui dat materiam patientiæ non semper meretur: aliàs enim tortores sanctorum Martyrum & trucidatores eorum multipliciter meruissent. Hæc rationando dicta sint contra excusatores. Sed si quis debitè adverteret, ut deberet, quo modo recipiantur hujusmodi redditus, cum quibus scilicet subtilitatibus, cum quanta crudelitate & immanitate, tamque inhumanis & impiis sententiarum fulminationibus, cum quantis damnis & usuris, in quibus repertum est cubicularios Papæ, & fortè Cardinales, cum usurariis campsoribus partem habere: plerique dubitant an etiam Papa sit particeps prædictorum, quod & si non est in pecunia, saltem in causa: deinde quomodo & ad quod, postquam recepti sunt, convertuntur, non utique ad necessitatem Ecclesiæ, sicut literæ & verba pulchrè prætendunt, sed ad talia, quæ pudor est dicere, vel congregantur, vel in terra fodiuntur, forsitan pro Antichristo, ut impleatur illud Psalmistæ: Thesaurizat, & ignorat cui congregat ea: si illa, inquam, scirentur & dicerentur, duriora argumenta fierent ex facto quam ex ratione vel scripto.

Posset aliquis quærere, Nullamne habeat potestatem sive dominium Papa super bonis Ecclesiasticis, ad usum vel utilitatem suam? Respondeo, Imò, sicut etiam principi seculari debite officium suum exercenti, quando illa quæ ratione status sui habet, non sufficiunt ad tenendum decenter statum suum, & præcipuè quando necessitas exigit ad defensionem Justitiæ & reipublicæ; Justum est ut populus det & ipse à populo recipiat contributionem, sicut manifestè exigit jus regis, ut scriptura habet. Sic & Papa potest, nedum à clero, sed etiam, si necesse est, à toto populo Christiano, quorum pater spiritualis est & judex in talibus causis, & provisor & pastor, qui tenetur animam suam ponere pro eis, quoniam salus populi id requirit, dicente Apostolo, si seminamus vobis spiritualia, non est magnum si vestra metamus: & sicut hoc non debet fieri nisi pro bono communi, ita non debet hoc ab uno vel duobus recipi, sed à tota communitate ad usus bonos ut ratio exigit. Nihil autem rationis habet, sed est contra Deum & Justitiam, recipere hæc per Simoniaca acta, per falsitates & fraudes, vendendo hodie uni cras alteri, cum gravamine maximo & destructione jam unius jam alterius Ecclesiæ Cathedralis, Monasterii, dignitatis aut Parochiæ, quòd alia Ecclesia nihil dante infra 40 annos, una quæ ter vacat in paucis annis totum solvat: non enim plus obligatur Ecclesia vacans quàm quæ pastorem habet; imò, ut videtur, minus tenetur Ecclesia, cujus pastor moritur, quàm illa quæ hoc gravamen non habet; vix namque cæteris paribus est sine Ecclesiarum gravamine mors pastoris, ut in canone [Cupientes] De Ecclesiast. libro 6.

1 Cor. 16.

Insuper quid rationis habet, & non magis scandalo causam præbet, tunc recipere, exigere, pacisci, quando Ecclesia, Monasterium vel Beneficium vacant? quid enim aliud potest præsumi, nisi quòd Papa vult compellere ad solutionem, si ille vult habere promissionem, etsi ille non potest solvere, vel alteri pecuniam danti conferre, licèt sit ille totus idoneus, & alius planè indignus. Sed diceret aliquis, ex quo debetur sibi

ſcilicet Papæ ſuſtentatio, & non poteſt aliter obtinere ; homines enim ſunt inobedientes & protervi, non curantes mandata vel excommunicationum ſententias ; ergo oportet eum acquirere ſicut poteſt, nec habet meliorem modum obtinendi illud quo indiget & ſibi debetur.

Iſta perſuaſio ſeu argumentum videri poſſet multum validum, & puto forſan ſufficere illis qui ad illam partem ſunt inclinati. Sed ſi debitè perpenditur, peccat graviter, in materia & forma. Prima enim pars antecedentis multa dubia & inſtantias poteſt habere, qua dicitur quòd ipſe debeat habere ; fortaſſis tantum habet theſaurum ut non indigeat, & tunc certè non debet habere, imò magis non habere. Item non ſequitur : ipſe indiget, ergo debet habere ; quia antequam communitas cleri vel populi Chriſtiani contribuat, debet de indigentia ſua conſtare. Non enim ſemper eſt verum quod magni domini de indigentia ſua dicunt ; inſuper dato quòd indigeat, & conſtat ita quòd debeat ſibi ſubveniri, fortè iſta Eccleſia vacans tam exilis & pauper eſt, vel ita onerata debitis quòd etiam in communi contributione præteriri deberet ut nihil daret. Demum dato quòd non ſit inſufficiens, fortè paſtori vel rectori mortuo tantum ſatisfecit, quòd ille bene ſubveniſſet Papæ, & facere debuit facienda, & ſi ille conſumpſit & diſſipavit, qua ratione Eccleſia illa de novo ſolvere tenetur, quod prius dedit illi qui ex inſtitutione Papæ habuit recipere & recepit ? Sed dato quòd inſtituendus teneatur, tunc non tenetur, ubi de Eccleſia & fructibus ejus adhuc expectandum eſt donec obveniant & percipiantur ; alioqui de eo ſolvi compellitur de quo non debetur, quod utique injuſtum eſt & iniquum.

Secunda pars antecedentis qua dicitur quòd non poſſit alio modo habere Papa propter rebellionem hominum, multiplicem poteſt habere inſtantiam ; fortè nunquam tentatus eſt alius modus, qui ſecundum deum eſſet ; videlicet quòd primò benignè attentaretur conveniendo prælatos & deliberando de bono medio obtinendi. Et ſi dicitur quod illi vocati non venirent, meritò patitur hoc Rom. Eccleſia, quæ poſtponendo vocare ſancta Concilia, in deſuetudinem prælatos induxit : facto enim, ut juſtum eſt, Concilio, bene concluderent qui venirent, quid agendum eſſet, non obſtante aliorum contumacia : & Juſtum forte Dei eſt Judicium, Quòd ex quo Rom. Eccleſia ſine aliorum conſilio vult regere, quod & ipſi ei minus aſſiſtant : quanta verò mala paſſa ſit Eccleſia, & hodie patiatur ex omiſſione Conciliorum, certo certius apparet ex eo ſchiſmate (etiamſi nihil foret aliud) pernicioſo quod noviter fuit ; quod tot annorum curriculis tenuit Chriſtianos in tenebris & horrenda caligine : hoc enim adeo grave fuit & damnoſum quòd Jura Eccleſiarum etiam adhuc hodie violantur, invaduntur bona & diripiuntur impune per dominos temporales, clerici in ſuis privilegiis minimè conſervantur, ſed fere ubique pro contemptiſſimis habentur. Quis autem dubitet quin jam antea diu ſublatum fuiſſet hoc ſchiſma, ſicut aliàs fiebat, ſi congregata fuiſſent Concilia generalia ? Sed adhuc poſito toto antecedente, adhuc non ſequitur quòd illo modo poſſit recipere ; quia ſolo bono modo juſtum eſt debita juſta petere & evincere, non per pacta ſimoniaca, violentias vel rapinas : conſideratur enim magis quomodo aliquid fiat, quam quid fiat, 15. quæſt. 6. ca. ſi. De colluſi. ca. 1. de hoc in gloſſ. 2.

Adhuc diceret aliquis non eſt hic peccatum Simoniæ : nam ſolum fit hoc peccatum de ſolvendis quæ Eccleſia vel Monaſterium debet Papæ ; ſed proviſio ſit gratis. Si iſta reſponſio valet, dolendum eſt forte quòd Judas eam ignoravit, quia potuiſſet ſic etiam dicere, Ego non vendidi Chriſtum, ego ſolum feci pactum de triginta denariis quos habuiſſem, ſi unguentum fuiſſet venditum.

Per iſtum etiam modum, nullus erit uſurarius ; quia dicet, ex amicitia tibi do mutuò, ut tu ex amicitia aliquid ſuperaddas. Et ex hoc etiam poteſt ſuaderi quòd nulla ſit emptio : poteſt enim dici, ex amicitia ego do illi denarium ut ipſe gratis ex amicitia det mihi panem : puto autem quòd ſi quis tali modo facta emptionis gloſſaret, laici & villani deriderent. Et ideo mirum eſt quòd clerici, & magni quidem, non verentur derideri de talibus reſponſionibus, cum omnino certum ſit quòd panis cenſetur emi & vendi, dato etiam quòd nullum verbum utrobique dicatur : quando piſtor panem dare non vult, denarium non habebit ; ſic & ille dat denarium ut panem habeat ; & dato certè denario injuriam reputaret & ſe deceptum, ſi panis non daretur ; quia de natura venditionis & emptionis eſt, ut contineat contractum non gratuitum, nec procedit ſine pretio ff. D. contra empt. li. 2. cap. ſine pretio c. eo. tit. Empti fides. Cum igitur hic conformiter fiat, etiam per multa verba, quòd Papa non vult providere niſi detur pecunia, vel cautio ſufficiens habeatur ; & ſi ille non dat, aut ſecuritatem præſtat, niſi quamdiu proviſio fuerit facta, & ſub iſta conditione ponitur pecunia apud Campſorem ; mirum eſt quomodo natura emptionis tam ſubito eſt mutata, ut ex ſimilibus omnino cauſis, illic

illic inferatur & sequatur emptio, & non istic; quasi lex sit verbis imposita & non rebus. C. omnia delegã. li. 2 in fi & ca. si. De offi. deleg.

Præterea per hæc omnia, etiamsi non valerent, non est excusata venditio indulgentiarum, ac per hoc venditio (aliquo modo) pretiosi sanguinis domini nostri Jesu Christi. Non est enim excusata effrænata malitia, quæ suis finibus non contenta, sed malum malo accumulans, nullo termino vult concludi: verum est enim, quòd quæcunque personæ, quantumlibet invalidæ, scandalosæ & indignæ, & quamplurimum etiam quandoque repulsæ à promotione, & rejectæ à susceptione sacrorum ordinum aliis in partibus, Romam veniunt, non examinantur in scientiis, vita & moribus, sed in pecuniis; nec ita subtiliter aut cum tanto studio quæritur, an ad receptionem sacrorum ordinum sint digni aut indigni, quando investigatur, quid dare valeant aut possint. In pœnitentionariis etiam hæc est absurditas, quòd & illi suum vendunt officium: * ea enim maluit corruptela, * fortè [sed quòd religiosi presbyteri plures vagabundi, interdum etiam seculares communiter enim invaluit, ignari, sæpius indocti penitus & inexperti, nonnunquam etiam illiterati & loqui nescientes, &c.] dummodo L. floren. magis aut minus habeant pro tali officio solvere, ad audiendum confessiones de toto orbe convenientium, acceptantur; docti autem & valentes expedire, sine florenis, refutantur.

O Deus! quomodo animarum saluti tam male & negligenter providetur & consulitur, quas tam magno pretio tui sanguinis redemisti, Christe. Tales enim confessores, prout timendum est & timeri debet, plus bursæ propriæ quàm simplicibus consulunt & eorum saluti.

Restat adhuc unum, quo quidam videntes se non posse tueri per excusationem à culpa, conantur tamen ne ulla sequatur pœna, vel fiat resistentia. Dicunt enim, quòd si Papa peccet, oportet tamen obedire, & non resistere, dicente Apostolo, Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, &c. Qui autem resistunt episcopo, damnationem sibi Rom. 13. acquirunt: Et beato Petro, Subditi estote omni humanæ creaturæ, non tantum bonis, sed etiam dyscolis. De ma. & ob. Solitæ. Imò nec judicare debemus, dicente Apostolo, Tu quis es, qui judicas alienum? servus suo domino stat aut cadit. De Re. in Nimis, & 2. quæst. 1. multi ad fi. quanto minus igitur debet quis judicare summum Christi Rom. 14. vicarium, dominum suum & prælatum: & quod plus est, nemo illi debet dicere, Cur ita facis. De Pœ. dist. 2. canone. Quamvis. Aliàs est ca. Quanto de transf. ut ibi notatur in glossa. Unde non est inferiorum edere de ligno scientiæ boni & mali, & discutere, Gen. 3. Cur præceperit hæc nobis? per hoc enim Eva seducta fuit.

Ratio autem omnium horum est, quòd membra non debent regere caput, sed è converso. Item si quilibet deberet scire motiva prælatorum & judicare & resistere pro arbitrio, ad quid valeret eorum officium? Pro istis advertendum est, quòd duplex est judicium, prout sufficit ad præsens. Unum est interioris intelligentiæ & rationis, quo scientificè definitur vel concluditur aliquid esse verum vel falsum, bonum vel malum, licitum vel illicitum, justum vel injustum: & in his quanto quis clariorem habet intellectum, tanto melior Judex est de eis, sicut di. Philosophus: & hoc judicium nec aliquis potest evadere, quin sciens facta sua judicant eum, nec ipse qui scit potest supersedere aut cessare à tali judicio: qui enim videt eum stantem, quomodo potest de hoc aliter judicare? Tale judicium interpretationem vocamus scientificam, quæ prohiberi non potest. c. li. 12. De profess. qui in urb. Constant. l. vinea. Sed quando res non est manifestè mala, tunc, an illud quod facit justum sit, simplex vel ignarus non debet se de eo intromittere, sed solum qui habet de hoc sufficientem scientiam vel evidentiam, vel saltem interpretari in partem meliorem, secundum venerabilis Bedæ sententiam, super illud Evangelii, Nolite judicare, &c. Et in regula, Estote misericordes. De re. ju. li. 6. Et si Luc. 6. est occultum malum, tacere debet, vel de eo cautissimè loqui, ubi potest prodesse & non nocere, ut 22. q. 5. Hoc videtur. Sed si ex relatione magnum immineret periculum, vel si est publicum, & magnum generat scandalum, tunc licitum est de illo loqui, ubicunque videtur utile, secundum bonam rationem, vel ad informandum ignaros & simplices, ne credant malum bonum, & ne boni seducantur, & tepidi excitentur ut contra tale malum evigilent, monere devotos ut deum orent, zelum suum ostendere, & alios ad zelum dei, ad compatiendum Ecclesiæ suæ provocare. Pro his faciunt quæ leguntur & notantur in c. finali Peccaverit. 2. q. 1. Si quis enim sciret locum tam corruptum, ut omnes qui fœtorem ejus perciperent, lethaliter inficerentur, nonne præteriens ipsum deberet nares obstruere, & alios ad obstruendum hortari ad amovendum cadavera, vel declinare à via? & qui hoc non faceret, si posset congruenter, nonne reus esset omnium quorum mortem monendo prævenire potuisset, & tacendo neglexit? Hanc sufficit adduxisse similitudinem animadvertere cupienti. Aliud est judicium exterioris authoritatis & definitionis

tionis, ad ostendendum vel definiendum authenticè quempiam nocentem vel reum, opinionem veram vel falsam, opus licitum aut illicitum. Hoc judicium est principibus & prælatis commissum, cuilibet pro suo modo, ut 11. q. 1. Sicut: sed Papæ eminenter. Et illo modo, nullus inferior habet judicare superiorem, imò nec communitas aliqua, quamdiu aliquis superior resistat, cui competat de jure, & qui velit justitiam facere. Et hoc necessarium est ad illud, ut ordo rerum, quamdiu possibile est, servetur: quando verò non est aliquis talis qui possit, vel si est, & invocatus non vult facere quod est sui officii, tunc communitas tota, vel hi qui sunt, & totum simul, aut per partes, quæ totum repræsentant, possunt judicare eum in quo manifestum est illum deliquisse, & in quo incorrigibilis esse & perseverare comprobatur, per ea quæ leguntur & notantur 40. dist. Si Papa. in Glossa quarta.

Ad hoc convenientius declarandum ponatur casus, qui Deo non est impossibilis. Si Deus aliquem Abbatem, cum Monasterio & personis suis & rebus, exemerit, vel eximat simpliciter ab omni jurisdictione spiritualium & secularium, etiam ipsius Papæ; & quòd Abbas ille in reprobum conversus sensum, gravet monachos contra regulam, intrantes Simoniacè recipiat, inducat, promoveat & exaltet, dissentientes verò abjiciat, humiliet, persequatur & gravet; omnes verò consentientes sibi promoveat ad agendum contra salutem suam & regulam, committatque bona Monasterii monachis dissipantibus eadem. Et arguitur primò, Qui in hoc casu non teneantur sibi obedire monachi, sed resistere & opponere sese ei, & malefacta pro posse impedire, & si opus est, ad ejus depositionem procedere. Primum probatur sic: quia hoc est contra salutem animarum suarum, quam ante omnia procurare tenentur, propter hoc quòd ipsi debitè ingressi sunt ordinem. Facit ad hoc 11. q. 3. Si dominus: & c. Julianus: & quod notatur de Temp. ordi. Ad aures. Præterea hoc est contra votum eorum, quia principaliter sunt professi vivere secundum regulam; convenientes ergo sunt voti fractores. Præterea Abbas in hoc casu & facto non est superior eorum, quia non submiserunt se obedientiæ suæ nisi secundum regulam; ergo quoad contraria regulæ nihil habet eis mandare; i. quoad hoc igitur non tenentur obedire, etiamsi jurassent: non enim obligat hujusmodi juramentum, ut di. Reg. ju. li. 6. Præterea, est Deus superior Abbate, & mandat contrarium; magis autem est obediendum Deo quàm hominibus, ut dicto c. Si Dominus: cuicunque superiori præcipienti quod ei qui supra eum est & authoritate & nomine contradicit, non est obediendum; minus autem, qui contra Deum præcipit. Præterea, si deberent ei obedire, sequeretur quòd sibi sine omni culpa sua, & errore suo simpliciter essent perplexi; quod esset impossibile, eò quòd deberent duobus dominis contraria præcipientibus servire, quod, teste domino, nemo potest. De reg. juris libro 2. & sic esse perplexum est impossibile sine culpa & errore suo 13. dist. Nervi. & eadem distinctione, in sententia. Consequentia patet, posito quòd sine omni negligentia & culpa eorum, perversitas Abbatis evenerit, quod est valde possibile; ex quo sequitur ulterius quòd debent ei resistere, & se opponere, quia eo ipso quo non obediunt, resistunt: quid enim est resistere, nisi contra vel incontrarium sistere vel stare? Et si ergo manerent in suo statu, à quo Abbas vellet eos amovere vel dejicere, manifestum est quòd bene resisterent: unde Salvator ait, Qui non est mecum, contra me est. Quòd autem debeant facta sua impedire, & quantum in eis est non permittere, probatur: Quia si non resistunt, approbare videntur & consentire, juxta illud, Error cui non resistitur, approbari videtur. 95. dist. facientes. Et gloss. ad Rom. super illud, Qui consentiunt facientibus, dicit, Consentire est tacere, & non reprehendere, cum possit; non enim caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obviare: & in canone proxime allegato. Et in ca. constitutus. De testi. Præterea, pro suo posse impedire debent ne Monasterium & bona ejus ad laudem & salutem eorum principaliter qui ibi recipiuntur deputata, turpiter destruantur; ergo multo magis nec spiritualia: consequentia tenet, quia temporalia propter spiritualia data sunt. Antecedens patet, quia sine eis diu subsistere non potest; & pro utroque 1. q. 3. Siquidem obierit. Quòd autem debeant ad ejus dejectionem sive depositionem procedere, probatur: Ex quo enim non debent obedire sic agenti vel regenti, sed resistere, & facta ejus impedire; hoc autem non possunt plenè & perfectè, quamdiu habet regimen & potestatem; ergo debent sibi ista auferri. Præterea, tenentur innocentes fratres ab injustis gravaminibus defendere & eripere, & pro posse amovere contumeliam Dei ac confusionem ordinis sui, & scandalum populi, quæ sine dubio per talem Abbatem oriuntur: & hoc non potest meliori modo fieri, quàm ipsius depositione.

Act. 4.

Præterea,

Præterea, ipse meretur per tale regimen æternam damnationem; ergo multo magis bene merentur per hujusmodi Abbatis depositionem.

Pro confirmatione autem prædictarum rationum est Canon. 3. q. 2. Si quis Abbas: cum aliis sequentibus. Item ipse abutitur sibi concessa potestate, ergo meretur illam amittere. De do. ca. ulti. Sed Abbas est talis, ergo. Præterea, Abbas ille non minus est obligatus Deo, quàm vasallus non servans domino suo fidem, vel non faciens debita perdit feudalia. De feu. ca. 2. ergo, multo magis ille Abbatiam. Quia non solum non servat fidem, sed & alios à fide servanda revocat & abstrahere conatur, & nedum offendit hominem domini sui, sed & illi contumeliam infert; & non solum negligit vel impedit servitium domini sui, sed & castrum ejus, scilicet monasterium tradit inimico suo, scilicet diabolo. Manifestum est ergo, quòd ipse meretur amittere. Isto ergo probato sequitur manifestè, quòd cui magis hoc competit, ille debet ad hoc facere pro posse. Cum ergo juxta casum, nullus alius est judex, sequitur, quòd nullum hoc factum plus & propinquius tangit quàm monachos illius Monasterii. Sic revera nulli magis competit idipsum facere: ipsi enim quoad Monasterium & conservationem ejus ac status Monastici, sunt illi Abbati propinquissimi & conjunctissimi. De his quæ fi. à præ. ca. Novit, & c. quanto, per totum. Ipsorum etiam periculum & salus in hoc dependet; ad hoc igitur sunt obligati, ut servent monasterium & statum monasticum. Et si dicitur quod non habent eum judicare: Respondetur, Si judicant eum male regere, non tenentur ei obedire; ergo prius habent eum judicare, quàm subtrahant ei obedientiam, vel opponant se ei, aut authoritatem ejus impediant: si autem habent examinare facta sua, & judicare de malitia, sequitur etiam quòd habeant judicare de pœna, & eam infligere, vel infligi mandare. Hinc est, quod Pilatus judicare Christum noluit, quem Judæi se examinasse putabant & invenisse malefactorem, dicentes, Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum: sed dixit eis, Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum; quasi dicat, Sicut examinastis eum, ita & judicate eum.

Præterea, posito quòd Abbas sit furiosus, vel arreptus à diabolo, ita ut assumpto gladio discurrat ad Monasterium accendendum, lædendum, vel occidendum homines, nonne deberent monachi ipsi auferre gladium, capere, ligare & includere, ne talia faceret? Si autem constat tam manifestè, ipsum insaniam spiritualem incurrisse, vel spiritualiter obsessum à dæmone, ita quòd conetur occidere animas, scandalizare parvulos, & monasterium spirituale accendere, & in nihilum, quoad virtutes & laudem Dei redigere, nunquid non potius debet sibi auferri gladius potestatis suæ, & ipse capi & ligari & incarcerari ut ipse vel correptus emendetur, vel saltem ne aliis noceat & ipse profundius damnetur? Cum furia, vel arreptio spiritualis, qua diabolus obsidet aliquem, projiciendo eum de uno peccato in aliud, gravior est quàm corporalis, qua corpus nunc in ignem projicitur, nunc in aquam. Pro prædictis faciunt 11. q. 3. Si quis Episcopus, & c. Non enim: cum tribus sequentibus.

Si ergo contingat quod Papa sic agat circa universalem Ecclesiam, sicut Abbas ille de quo casus immediatè est positus, circa Monasterium; cum ipse Papa non habeat aliquem superiorem coram quo Ecclesia contra ipsum procedat, ut magis sit obligata ad obedientiam Papæ, imò fortè minus quàm monachi Abbati: non enim faciunt omnes fideles tam expressum & solenne votum ad obediendum Papæ, sicut illi faciunt suis superioribus, nec ad tam strictam regulam.

Quia Monachalis regula regulæ Christi aliquid superaddit, sequitur, quòd si illi possint & debeant procedere contra Abbatem, persuasum est, quòd & isti possint & debeant procedere contra eum, quem manifestè patet regere contra regulam à Christo datam. Ad hoc est c. Si Papa: dist. 40. Quia ad aliud non tenentur Christiani, dicente scriptura, facies quæcunque te docuerint sacerdotes Levitici generis, juxta illud quod præcepi eis. Deut. 24.

Quod autem Ecclesia universalis, sive repræsentantes eam, sit vel sint supremus judex ad quem excessus hominum deduci debeant, patet Matthæi 18. ubi ultimum remedium contra incorrigibilem est, quòd dicatur Ecclesiæ. Pro hoc facit De judi. c. Novit. Et si dicitur, prout multi dicunt & exponunt Dic Ecclesiæ, id est, Prælato Ecclesiæ; non obstat; quia hoc non est ex alio, nisi quia Prælatus repræsentat Ecclesiam, sicut princeps communitatem populi: unde sicut inhonorans seu contemnens principem aut prælatum, totam communitatem inhonorat; sic omnis Matth. 18.

honor

honor qui sibi ut Prælato exhibetur Ecclesiæ, populo exhibetur seu communitati. Et ideo si ipse Prælatus habeat potestatem aliquam, multo magis ipsa, quia non habet nisi à Deo, & ab ipsa, & per ipsam: ipsa siquidem est proxima & conjunctissima sponso suo Christo. De Biga. Debitum. Et ipsa Ecclesia Papam habet eligere, vel committere eligendum certis, nomine sui; & si Papa est conjunctus Christo, hoc non est principaliter, nisi quia membrum illius est, vel minister vel filius; & sic per se non est conjunctus Christo, ipsa enim Ecclesia est, sine qua nec natus esset, nec sic nutriretur spiritualiter, nec viveret. Si ergo contingit aliquando Papam per officium suum honorari vel laudari, dicitur pro laude sua antonomasticè, sive ex adulatione, sive ex donatione hominum, hoc fiat quod sit sponsus, dominus & caput Ecclesiæ. Recogitet ergo, quòd hoc non potest esse propriè loquendo verum: Ecclesia enim non habet duo capita nec duos sponsos, sed unicum, & hoc est Christus & non Vicarius suus, cum hoc verè sic dici non competit, quem Christus constituit potius custodem sponsæ suæ quàm sponsum; qui non ex alio dicitur caput, nisi quia est supremum membrum ejus, non in se, sed quoad officium; nec arroget sibi dominium super ipsam, quia indignum est, quòd filius non habeat matrem ut dominam suam quæ ipsum exaltavit, & per quam ipse totus subsistit ita quòd sine ipsa nihil esset, nihilque posset: quando enim Ecclesia Papæ non assisteret & adhæreret, quid esset ipse, quis eum curaret? Sicut nec principes, si non haberent assistentiam populi, nihil possent plus, nec timerentur magis quàm alius homo sibi æqualis: sed ex hoc timetur amplius, quòd alii subdiderunt se sibi, eique assistunt.

Rom. 13. Ad authoritates ergo adductas potest responderi: Primò ad illud Apostoli, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Verum est, sed Papa nullam habet potestatem ad male regendum, vel destruendum, ut suprà declaratum est; & ideo qui in hoc resistit sibi, non resistit potestati, sed abusui potestatis; & sic nec Dei ordinationi: quia abusus potestatis non est à Deo, sed est demeritum & causa amissionis potestatis quam habet, & sic intelliguntur jura & scripturæ prællegatæ. Sic enim expressè dicit beatus Augustinus prædicto c. Qui resistit. 11. q. 3. Si enim aliud Imperator, aliud Deus jubeat, major potestas est Deus: dicendum igitur est, da veniam, ô Imperator, tu carcerem, ille gehennam minatur, &c. Ad illud Apostoli dico, Quòd nemo, id est, nullus unus homo debet judicare alienum servum, sed Papa secundum statum suum non est alienus ab Ecclesia, etiam secundum personam suam, sed filius, minister & custos ejus: si autem factus est alienus, tunc meritò abjicit eum à se. De eo quod dicitur, Nemo debet ei dicere, Cur facis? hoc est principaliter verum de eo qui errare non potest, & sic loquitur scriptura, & C. ex persona, & ca. Quamvis. de pœni. dist. 3. Ubi sunt verba beati Augustini expressè de Deo loquentis; & si ad Papam applicantur, potest concedi, quamdiu non constat de errore suo: & sic dictum illud concedi potest, quamdiu regit secundum regulam sibi datam, & non ultrà. Ad illud quod dicitur, Inferiores non debent judicare superiores, & quòd non debent edere de ligno scientiæ boni & mali: Verum est quoad bona, & quoad indifferentia, quando bene & male possint fieri: tale enim fuit mandatum illud primum primis parentibus datum: postquam autem constat tendere ad noxam, debet abjici & fugi. Sic salvator postquam gustasset potum, noluit bibere. Ad illud quod adducitur pro confirmatione omnium, Quia caput debet regere membra. Verum est, non autem seducere vel pervertere; quia quando hoc facit, non regit; ideo nemo tenetur ipsum sequi, cum tunc definit exercere officium capitis. Ad ultimum, quo quæritur quid valeat officium Prælatorum, si unicuique motiva illorum nota esse debeant, dicitur, Etsi non semper possit sciri, nec debeat inquiri, radix & causa, tamen ex fructibus nonnunquam potest cognosci, ut dicit Salvator. Post cognitionem verò, * non potest nemo judicari, judicio rationis fructus malus vel bonus, & certè juxta illud debet acceptari vel refutari: ad hoc enim ratio nobis data est, ut secundum eam dirigamur in agendo. Ergo, ut tandem concludam, hic mihi videtur esse ignis ille, in fervore Domini succensus usque ad perditionem, devorans animas clericorum, & statum Ecclesiasticum, eradicansque omnia gramina devotionis & gratiæ in ipso clero, & ædificationis in populo, cujus flamma cubitis quadraginta novem effunditur, quia universitatem conjungit per septenarium numerum designatum, maximè dum in se ipsum multitudo reducitur; erumpensque incendit omnes, quos juxta fornacem reperit: rarus enim est qui tantâ puritate Curiam exit, quanta intravit: continuè enim hic ignis eos consumit,

Job 9. Dan. 3.

* Cæcutiit hic, ut sæpissimè, vel Scriba vel Typographus.

fumit, qui illum accendunt. Nunc igitur si quis est cui hæc visio mea videtur fallax & vana, rogo ut dignetur ostendere: optarem enim illud quod optavit Propheta, ut essem vir non habens spiritum veritatis, scilicet quoad hæc dicta, & mendacium potius loquerer. Si autem est vera visio, & culibet intuenti luculenter apparens, aperiant oculos qui non vident, & cum viderint, conferendo, scribendo, monendo, prædicando, quantum licuerit, mecum clament.

Clamemus omnes & singuli, ut nemo sit qui nesciat quantum ignis ille pessimus noceat, quantamque sylvam accenderit. Clamemus ad innocentes & simplices, ut sibi caveant, ne maledictus ignis iste eos, tanquam socios Danielis, omnes tangat, nec quicquam molestiæ eis inferat. Clamemus pigris & dormientibus, ut evigilent, & fugiant de medio multitudinis hujus, ne involvantur peccatis eorum. Clamemus perversis & malevolis, ut cessent hunc ignem alienum offerre, ne egressus ignis à Domino devoret eos. Clamemus magnatibus, prælatis & potentibus, quatenus subtrahere sese studeant, ut eis deficientibus ignis iste perniciosus extinguatur. Clamemus denique gemendo, plorando, orando ad Dominum Deum nostrum, qui ignis consumens est, quatenus per ignem charitatis suæ, quem misit & ardere voluit, dignetur impetum hujus ignis extinguere, per cupiditatem accensi: alioqui verendum est graviter ne ardeat ad inferni novissima, devoretque terram cum germine suo fidelium, & montium fundamenta, id est, superiorum fiduciam qui temporalibus nituntur, comburet. Sicque tandem ossa regis Idumeæ, id est, Ecclesiæ authoritas, quæ est quasi firmitas & robur ejusdem, in cinerem, id est, nihilum redigatur, propter tam gravem ejus abusum, sicut Judæis accidebat quando spiritualem potestatem pretio temporali comparabant. Benedictus sit Dominus Deus noster Jesus Christus, Mariæ virginis filius, per omnia secula seculorum. Amen.

¶ Excusum est hoc opusculum *De squaloribus Romanæ Ecclesiæ* juxta editionem Basileæ factam A. D. 1551. Sublatis autem istius editionis mendis quamplurimis: de quo opusculo vide præfationem Wissenburgii ad *Antilogiam Papæ* in hac *Appendice*; necnon *Catalogum testium veritatis*, *Flacii Illyrici*, sub nomine D. *Lurtzen* ad ann. 1440.

EPISTOLA

EPISTOLA QUINQUAGINTA Quatuor Nobilium Moraviæ.

Reverendissimis in Christo Patribus & Dominis Dominis Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ambasiatoribus, Doctoribus & Magistris, ac toti CONCILIO CONSTANTIENSI, Nos infra & circumcirca scripti NOBILES, Milites, Militares & Armigeri præclarissimi MARCHIONATÛS MORAVIÆ affectum omnis boni, & observantiam JESU CHRISTI Domini mandatorum.

Math. 7. Rom. 13.

SANE quia jure naturali & divino quilibet jubetur alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre quod sibi nolit fieri, dicente Salvatore: Omnia quæcunque vultis quòd faciant vobis homines, & vos eadem facite illis: hoc enim est lex & Prophetæ. Imò lex in uno sermone completur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Nos itaque præfatæ legi divinæ & dilectioni proximi, quantum possumus, Deo auctore, intendentes, pro charissimo nostro bonæ memoriæ venerando M. Joanne Huss, sacræ Theologiæ Baccalaureo formato, prædicatore Evangelico, quem nuper in Concilio Constantiensi, nescimus quo * spiritu ducti, non confessum, nec legitimè, ut decet, convictum, nullisque contra eum deductis & ostensis erroribus & hæresibus, sed ad sinistras, falsas, & importunas duntaxat suorum, & regni nostri, ac Marchionatus Moraviæ capitalium † inimicorum & proditorum accusationes, delationes & instigationes, tanquam hæreticum pertinacem condemnastis, & condemnatum dira & turpissima morte affecistis, in nostri regni Bohemiæ Christianissimi, & Marchionatus Moraviæ clarissimi, ac omnium nostrûm perpetuam infamiam & notam (quemadmodum serenissimo Principi & Domino Domino Sigismundo Romanorum & Hungariæ Regi, & hæredi & Domino nostro successuro, scripta nostra ad Constantiam transmisimus: quæ etiam in congregationibus vestris lecta sunt & publicata, & quæ hic pro insertis habere volumus.) Et eum, ut refertur, in nostrum dedecus & contemptum, ignis voragini tradidistis. Ita & nunc P. V. pro dicto M. Joanne Hus literas nostras patentes præsentibus duximus destinandas, publicè corde & ore profitentes & protestantes, quòd ipse M. Joannes Hus fuit vir utique bonus, justus & catholicus, à multis annis in regno nostro, vita & moribus ac fama laudabiliter conversatus & comprobatus: legem etiam Evangelicam & sanctorum Prophetarum novi & veteris Testamenti libros, juxta expositionem sanctorum Doctorum, & ab Ecclesia approbatorum, nos & subditos nostros catholicè docuit, prædicavit & in scriptis multa reliquit omnes errores & hæreses constantissimè detestando, & ad detestandum eosdem, nos & cunctos Christi fideles continue & fideliter admonendo: ad pacem quoque & charitatem, quantum sibi fuit possibile, verbo, scriptis & opere jugiter exhortando: ita quòd nunquam audivimus, nec intelligere potuimus, etiam omni diligentia apposita, quòd præfatus M. Joannes Huss quicquam errorem vel hæresim in suis sermonibus docuisset, prædicasset, vel quovis modo asseruisset, seu nos vel subditos nostros verbo vel facto quoquo modo scandalizasset: quinimo piè & mansuetè in Christo vivens, omnes ad servandam legem Evangelicam, & sanctorum Patrum instituta, prædicatione sanctæ matris Ecclesiæ, & salute proximorum, quanto potuit verbo & opere diligentissimè hortabatur. Nec præmissa omnia in confusionem nostram, & regni nostri & Marchionatus præfatorum perpetrata vobis suffecerunt: quin potius honorandum M. Hieronymum de Praga, virum certissimæ eloquentiæ fonte manantem, Magistrum septem artium liberalium, & Philosophum utique illustrem, non visum, non auditum, non confessum,

Joannes Huss. Esai. 19. * Haud dubiè vertiginis qui errare facit in omni opere, sicut errat ebrius & vomens. † Sanguinariorum Monachorum. Sicunis animis coeunt synagogistæ, ut perdant, mactent, suffocent & igni tradant. Hic reclamitabunt synagogistæ, hosce viros totos in peccatis natos.

Omnes autem qui piè volunt vivere in Christo, &c. 2 Timoth. 3. Hieronymus de Praga. Sunt enim supra legem synagogistæ, nunquam non satanicam voluntatem pro ratione habentes. Extant hodie innumera exempla hujusce proditionis & inmisericordiæ.

re

nec convictum, sed ad solum suorum & nostrorum proditorum delationem sinistram, sine omni misericordia comprehensum incarcerastis, trucidastis, & jam forte sicut M. Joannem Huss crudelissima morte interemistis. Præterea ad nostram (quod nimis dolenter referimus) pervenit audientiam, & ex scriptis vestris collegimus evidenter, quomodo quidam detrectatores, Deo & hominibus odibiles, & nostri regni Boëmiæ & Marchionatus Moraviæ æmuli & proditores, coram vobis & Concilio vestro, nos & regnum nostrum ac Marchionatum prædictos, gravissimè & nequissimè detulerunt, asserentes, licèt falsè, mendosè & proditoriè, quòd in præfatis regno Boëmiæ & Marchionatu Moraviæ, diversi errores pullularunt, & corda nostra, & multorum fidelium terrigenarum multipliciter & graviter infecerunt, adeo quòd nisi lima correctionis celeriter apponeretur, prædictum regnum & Marchionatus, cum suis Christi fidelibus reciperent animarum suarum irrecuperabile damnum & ruinam. Equidem has atroces & perniciosas injurias, nullis nostris exigentibus demeritis, nobis & præfatis regno & Marchionatui, licèt falsè & mendose impositas, quomodo sustinere possumus? cum per gratiam Dei, aliis fere omnibus mundi regnis sæpe vacillantibus, schisma & antipapas facientibus, regnum nostrum Boëmiæ Christianissimum, & clarissimus Marchionatus Moraviæ, à tempore quo fidem catholicam Domini nostri Jesu Christi susceperunt, tanquam perfectissimus tetragonus, sine vituperio S. Romanæ Ecclesiæ, semper constanter & indesinenter adhæserunt, & obedientiam sinceram exhibuerunt; quantisque impensis ac laboribus maximis, quantove sacro cultu & reverentia debita sanctam matrem Ecclesiam, & ipsius pastores, per Principes & fideles suos venerati sunt, universo orbi luce clarius patet: & vos ipsi, si veritatem fateri vultis, universorum testes estis. Ut autem juxta sententiam Apostoli, provideamus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, & ne propter negligentiam celeberrimæ famæ prædictorum regni & Marchionatus nostrorum, crudeles erga proximos nostros reperiamur; Ideo habentes in Christo Jesu Domino nostro firmam spem, puram & sinceram conscientiam & intentionem, ac certam orthodoxamque fidem, tenore præsentium V. P. & universis Christi fidelibus innotescimus, insinuamus, corde & ore publicè profitentes, Quòd quicunque hominum, cujuscunque status vel præeminentiæ, vel dignitatis, conditionis, gradus, vel religionis extiterit, qui dixit vel asseruit, dicit vel asserit, quòd in præfatis regno Boëmiæ & Marchionatu Moraviæ, errores & hæreses pullulassent, & nos ac alios Christi fideles ipsorum, ut præmittitur, infecissent (sola persona serenissimi Principis & Domini nostri Sigismundi, Romanorum & Hungariæ, &c. Regis, hæredis & Domini nostri successuri, semota, quem in præmissis credimus & speramus innoxium) omnis & quilibet talis, ut præfertur, rectè mentitur in caput suum, tanquam nequam pessimus, traditor & proditor prædictorum regni & Marchionatus ac noster perfidissimus, & solus utique hæreticus perniciosissimus, omnisque malitiæ & nequitiæ, imo & diaboli filius, qui mendax est, & pater ejus. Nihilominus tamen præmissas injurias Domino, cujus est vindicta, & qui abundanter retribuit facientibus superbiam, nunc committentes, apud futurum Apostolicum, quem Dominus Deus suæ Ecclesiæ sanctæ præfecerit, unicum & indubitatum pastorem, illas amplius & latius persequemur: cui, Deo volente, tanquam fideles filii, in his quæ sunt licita & honesta, rationi & legi divinæ consona, reverentiam, obedientiam debitam exhibentes, petemus, & postulabimus insuper præmissis omnibus & singulis, juxta legem Domini nostri Jesu Christi & sanctorum Patrum instituta, nobis & præfatis regno & Marchionatui provideri de remedio opportuno. Præmissis enim non obstantibus, legem Domini nostri Jesu Christi, ipsiusque devotos, humiles & constantes prædicatores, usque ad effusionem sanguinis, omni timore, statutis humanis incontrarium editis postergatis, defendere volumus & tueri. Datum Sternberg, anno Domini MCCCCXV. die & festo S. Wenceslai martyris Domini nostri Jesu Christi.

[Margin notes: Rom. 1. — Simplici ignorantia aut temporis infelicitate decepti, hoc dicunt. — Rom. 12. — ☞ — Joan. 8. — Deut. 32. — Psal. 30. — Iterum simplici ignorantia decipiuntur. — Intrepida fidei Jesu Christi professio.]

¶ A dictis literis in circuitu pendebant sigilla LIV, cum adscriptione nominum eorum, quorum sigilla fuere: tametsi ob vetustatem obliterata legi non potuerunt.

Primum sigillum, *Alsso Kabat de Wyskowitz.*
2 *Ulricus de Lhota.*
3 *Joannes de Kzymicz.*
4 *Josiko de Sczitowicz.*
5 *Pardus Zuviranowicz.*
6 *Joannes de Ziwla.*
7 *Joannes de Reychenberg.*

8 *Wldko Skitzynye.*
9 *Drliko de Biela.*
10 *Kus de Doroplatzs.*
11 *Joannes de Simusin.*
12 *Dobessius de Tyssa.*
13 *Drazko de Hradeck.*
14 *Stephanus de Hmodorkat.*
15 *Joannes Dern de Gabonecz.*
16 *Barso dictus Hloderde Zeinicz.*
17 *Joannes Hmrsdorfar.*
18 *Pfateska de Wikleck.*
19 *Petrus Mg. de Sczitowicz.*
20 *N. Studenika.*
21 *N. Brischel.*
22 *N. de Cromassona.*
23 *Arannsick Donant de Polonia.*
24 *Joannes Donant de Polonia.*
25 *Joannes de Cziczow.*
26 *Wencelaus de N.*
27 *N. de N.* Deest sigillum.
28 *N.*
29 *Josseck de N.*
30 *Henricus de N.*
31 ∴ *Waczlals de Kuckh.*

∴ Ulricus Richental qui rebus gerendis ipse interfuit, in sua Historia facit hujus Waczlals de Kuckh mentionem, dixitque hunc alterum Husso comitem fuisse, ex iis qui eum Constantiam conduxerunt, cum aliquot equitibus. Hoc te monere volui, Lector, ut certior fieret Epistolæ authoritas.

32 *Henricus de Zrenanowicz.*
33 *Baczko de Conwald.*
34 *Petrus dictus Nieniczk de Zaltoroldeck.*
35 *Czenko de Mossnow.*
36 *N.*
37 *Zibilutz de Kleczam.*
38 *Joannes de Peterswald.*
39 *Persifal de Namyescz.*
40 *Zodoni de Zwyetzick.*
41 *Raczeck Zawskalp.*
42 *Jon de Tossawicz.*
43 *Diwa de Spissnia.*
44 *Steffko de Draczdw.*
45 *Jessko de Draczdw.*
46 *Odich de Hlud.*
47 *Wolfart de Paulowicz.*
48 *Pirebbor de Tirczenicz.*
49 *Rynad de Ticzewicz.*
50 *Bohunco de Wratisdow.*
51 *Ulricus de Racdaw.*
52 *Deslaw de Nakli.*
53 *Bonesb de Frabenicz.*
54 *Eybl de Royssawan.*

¶ Hæc habes inter castigationes *Lydii* in histor. Conciliorum *Prateoli*, Lugd. Bat. 1610. sicut etiam inter Paraleipomena Abbati *Ursperg.* annexa. pag. 72. sed sine Nobilium nominibus *peregrinis* & *duris*.

BULLÆ

BULLÆ QUÆDAM PAPALES

adverſus *Bohemos* emiſſæ, & *Cruciatæ* methodus in *Anglia* inde inſtitutæ, prout tempore *Martini* quinti *Papæ*, & *Henrici Chichele* Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, in perſecutionem eorundem fidelium & præſtantium *Chriſtianorum* geſta eſt: unà cum proceſſu contra *Henricum* Cardinalem, &c.

Omnia è vetuſto Regiſtro Priorum Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ penes Reverendiſſimum in Chriſto Patrem atque Illuſtriſſimum Dominum, Dom. WILHELMUM SANCROFT, *Archiepiſcopum Cantuarienſem, &c. Dom. & Patronum meum colendiſſimum, tranſcripta.*

Martinus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam.

PIA mater Eccleſia de fidelium ſalute ſolicita, ſicut in palmitibus fidei Catholicæ dilatandis accenſà charitatis ardoribus ſolerter invigilat, & fructuoſi operis perſecutione laborat, ſic vias & modos diligenter exquirit, quibus & hoſtium ipſius fidei conatibus obviet & vires eorum reprimat & contundat, ut *Chriſti* fideles à noxiis impugnantium incurſibus, juvante Domino, tuti in devotionis fervore & pacis pulchritudine conſerventur. Sanè, quod dolenter referimus, cum nuper perverſa illa *Bohemorum* hæreticorum ſecta, *Chriſtianæ* religionis & hierarchici, civiliſque & politici ordinis inimica, Eccleſiaſtico ordini & laicali ſtatui infeſta, noviſſimè inſurrexerit, quæ contra orthodoxorum inſtituta patrum perversè definiens de ſacramento altaris & Dominici corporis conſecratione perverſiſſimè ſentiens, carnalem appetitum inſequens, ad voluptates beſtialiter converſa carnales Matrimonium damnat, legum ſanctiones & poteſtatem Principum ſolvere ſatagit, & ſuper omnia hi perverſiſſimi hæretici Catholicorum ſanguinem ſitientes, ſic in quoſcunque qui ſuos deteſtantur errores ferali immanitate deſæviunt, ut alios crement, alios trucident, alios membratim mutilent, alios variis cruciatibus & pœnis affligant, &, quod deterius eſt, Eccleſias & ſacra loca prophanantes, ea demoliuntur & ſanctorum imagines ignominioſè confringunt: quorum hæreſes & errores etiam in ſacro *Conſtantienſi* Concilio fuerunt ſolenniter condemnati & reprobati; Nos omnem operam & ſolicitudinem hactenus ſtudiis indefeſſis impendimus ut hujuſmodi hæreſes de medio *Chriſtiani* populi tollerentur; quod hucuſque, fortaſſe noſtris peccatis exigentibus, non valuimus adimplere: Cumque continuè videamus hæreticos ipſos invaleſcere & ſuis venenatis inſidiis & hæreſibus regiones etiam finitimas maculare, neceſſarium videtur, cum alia fomentorum medicamina non admittant, ut contra eos arma à *Chriſti* fidelibus capiantur; à quibus ceſſandum non eſt donec, auxiliante Domino, qui profectò non deſeret cauſam ſuam, vel ipſi hæretici reducantur in rectam ſemitam mandatorum, vel de terrâ * radicitus extirpentur, ne in viſceribus *Chriſtianitatis* ſuccreſcat per amplius tantum malum; quod etiam fieri commodè non poſſe videmus, niſi *Chriſti fideles* manus exhibeant adjutrices. Cupientes igitur ut hujuſmodi cauſa Dei eo libentius adjuvetur, quo fideles *Chriſti* ex hoc dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refertos, de Omnipotentis Dei miſericordiâ & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus & noſtra auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui de bonis ſuis à Deo collatis, quæ infra ducentorum florenorum *Renen.* unum groſſum *Boemicalem* aut ejus verum valorem; quæ verò mille, medium floren.

MS. fol. 100.

* O bonum & miſericordem Martinum, ſervum ſervorum Dei! quantum autem, Deus bone, mundo imponitur, cum papæ fideles Chriſti fide et appellandi ſint?

Renen.

Renen. ultra verò mille hujusmodi florenorum valorem existant, unum similem florenum, ad expeditionem & alimentum præfatæ *militia* fidelium pro causâ hujusmodi congregandæ, in *capsa* vel *cista* ad hoc deputanda contribuerint, aut personis ad hoc eligendis solverint, *septem annos* & totidem *quadragenas* de injunctis eis pœnitentiis misericorditer † relaxamus. Euntibus quoque personaliter contra hujusmodi hæreticos ad bellandum suis vel alienis sumptibus, vel qui aliquem bellatorem contra ipsos transmiserit, & per sex menses continuos aluerit & sustinuerit, sive pro expensis unius transmittendi per dictos menses pecunias in prædicta causâ miserit, Baroni, Comiti, Marchioni, Duci, Principi aut alii temporali Domino, qui unum vel plures bellatores, juxta quorumlibet facultatem transmiserit, aut alia pia & charitativa subsidia, secundum ipsorum devotionem & Consilium Confessoris sui porrexerint cum effectu, auctoritate Apostolica concedimus per præsentes, ut quilibet ipsorum aliquem idoneum & sufficientem presbyterum in suum possit eligere confessorem, qui confessionibus personæ largientis, euntis vel mittendi diligenter auditis, plenam omnium suorum delictorum de quibus veraciter corde contriti & ore confessi fuerint, veniam & remissionem impendat, etiamsi talia forent propter quæ sedes Apostolica esset meritò consulenda: & insuper eidem Confessori, ut quæcunque vota peregrinationis, etiam ad sepulchrum Dominicum, & quævis sanctuaria, & alia vota pro quorum executione pecunia sit exponenda, dummodo persona vovens ad hujusmodi persecutionem negotii tantum de suis pecuniis tribuat quantum pro implemento hujusmodi votorum verisimiliter exposuisset: cætera vero vota præter castitatis & religionis, si perpetua fuerint, dummodo vovens ipse duos florenos *Renen.* si temporalia, *unum, in dicta *cistâ* reponat, commutare possit: necnon quascunque personas, à spoliis, rapinis, furtis, usuris & aliis illicitis lucris & quibuscunque quæ salva Conscientia retineri non possunt, & quorum personæ certæ, quibus restitutio est facienda, ignorantur, si tantundem in prædicta * *cista* reponat vel modicum munus secundum facultates personæ hujusmodi ac juxta conscientiam ipsius Confessoris: necnon quascunque personas Ecclesiasticas vel seculares apostasiis, votorum transgressionibus, adulteriis, incestibus ac sortilegiis & incantationibus & à quacunque sententia excommunicationis, etiam in casibus *Romano* Pontifici reservatis, satisfacto prius competenti læsis & injuriam passis, & super irregularitate quam propter præmissa, celebrando divina aut immiscendo se illis, non in contemptu clavium, contraxerint, dummodo pro expensis unius bellatoris per mensem aut dimidium, secundum personarum facultates & delicti exigentiam, in prædicta *cista* reposuerint: etiam simoniacè ad Ordines vel beneficia promotos & promoventes, largiendo ad hujusmodi expeditionem expensas unius armigeri vel plurium pro sex mensibus vel saltem tribus, secundum facultates suas, & fructuum male perceptorum valorem, & juxta præfati Confessoris consilium & conscientiam, absolvere, dispensare & fructus malè perceptos remittere, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam, præmissorum forsan occasione contractam, abolere valeat auctoritate Apostolica, plenariam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Dat. *Romæ* apud sanctos Apostolos 20. Kal. Febr. Pontificatûs nostri anno undecimo.

† Papa misericorditer dat insulso mundo licentiam, ut manus in sanguine Protestantium (tales enim fuerunt *Bohemi*) imbuerent; & per inanes nescio quas & ridiculas (truculentas autem) indulgentias ad bella & strages stultos animat.

i. e. quantacunque fuerint peccata, quamcunque gravia & horrenda, non opus tamen foret, ut casus adjudicetur papæ reservatus & Romam deferendus, si modo isti peccatores arma contra Bohemos sumpserint: armantur enim privati sacerdotes potestate papali omnia diluendi; adeout nec diabolus ipse nec peccatum valere quicquam poterint, ubi Martini concessio & auctoritas se contrà opposuerint. Bella est hæc religio; qua peccatum peccato redimitur.

* Quantum quisque illâ nummorum ponat in arcâ, tantum habet & fidei——

Martinus Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Cantuariensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Fol. 101. b. HOdie justis ex causis pro summa necessitate fidei catholicæ ac universalis Ecclesiæ unam integram decimam omnium fructuum & proventuum Ecclesiasticorum in universo orbe consistentium duximus imponendam, prout continetur in literis nostris superinde confectis in formâ quæ inferiùs sequitur

Martinus Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

PErmisit Deus Omnipotens aliquando suscitari hæreses fidem catholicam perturbantes, ut excussâ negligentiâ & veritate diligentius inquisitâ, fierent homines eruditiores

riores in sanctâ Ecclesiæ disciplina & firmiores in fide: quas hæreses multas & varias Apostolicæ sedis auctoritas cum doctrina Ecclesiæ, aliquando etiam cum potentia militari, sic exigente necessitate, ad hanc operam excitatis catholicis Regibus atque Principibus, dissipavit atque confudit: novissima verò *Bohemorum* hæresis conflata ex omnibus priscis hæresibus, & de unaquaque illarum malignitatis aliquid recipiens, illis omnibus longè deterior insurrexit; cujus auctor fuisse dicitur quidam *Johannes Wiclyf*; qui cum hac peste conatus esset inficere regnum *Angliæ*, approbantibus Principibus, clero & populo dicti regni, cum libris ejus & doctrina damnatus fuit: nihilominus damnatæ memoriæ *Johannes Huss* & *Hieronymus* de *Praga* hæretici tanta nequitie & temeritate extiterunt, ut excæcati à Satanâ præsumerent hanc eandem hæresim in regno *Bohemiæ* suscitare, qui ita solenniter & maturè cum sua pestiferâ doctrinâ fuerunt in Sacro *Constantiensi* Concilio condemnati, publicatis superinde processibus, ut gravis materia requirebat: Et rationabiliter non erat dubitandum de ipsius nefandæ hæresis extinctione perpetuâ; sed plus valuit jam venenum à multis imbibitum, & turpitudo abominanda vicinorum concessa per eos quàm correctio salutaris. Invaluit equidem & radices fixit jam pluribus annis hæc hæresis in dicto regno *Bohemiæ*, quæ rectam fidem *Christianam* coinquinat, sacrosque ritus in eâ traditos ab Ecclesia, & hactenus observatos mutat ac tollit, destruit omnem hierarchicum, civilemque & politicum ordinem, non tantùm in statu Ecclesiastico sed etiam laicali; & cum peccata mortalia suo quodam modo definiat, negat in aliquid hujusmodi peccatum prolapsum Principem legitimum esse posse; asserit omnia bona esse communia, & maximè Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum, easque possidere aliqua bona, temporalia omnia vetat; de sacramento altaris & aliis sacramentis male sentit & perversè, & illa juxta observatum ritum & traditionem Ecclesiæ non admittit; matrimonium damnat, conversa ad corporeas voluptates & detestandam luxuriam bestialem; & in omnibus justitiâ & ratione calcata, carnalem insequitur appetitum; solvitque præterea principatus & legum vincula & omnem ordinem politiæ quibus coerceri crimina consueverunt; & super omnia sanguinem catholicorum sitiens, quoscunque suis erroribus non assentientes ferali quadam inhumanitate trucidari & cremari, ac quosdam naribus & labiis, quosdam manibus & pollicibus abscissis, quosdam deformiter & membratim mutilari, variisque cruciatibus affligi, Ecclesias & loca Deo dicata funditus dirui, imagines *Jesu Christi* & suæ gloriosissimæ genetricis, aliorumque sanctorum, exuri & ignominiosè confringi jubet. Ad quam abominandam & periculosam hæresim exterminandam dudû misimus plures sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinales Legatosque aliosq; nuncios cum mandatis opportunis & auctoritate plenissimâ, & cum opus esset potentia militari, requisivimus, rogavimus & solicitavimus plerosque Reges & Principes, Prælatos & populos, præsertim nationis Germanicæ, ut contra hanc armatâ hæresim armis insurgerent, quod aliquando fecerunt: sed adhuc Deo non placuit consolari nos & populum suum fidelem de fœlici consummatione victoriæ; quam tamen ab eo, cujus agitur causa, & qui potens est cum volet perdere inimicos suos, precibus * & lachrymis non cessamus humiliter flagitare & quantum in nobis erit omnia remedia procurare, per quæ possumus hanc pestem & hoc enorme scandalum evellere de populo *Christiano*: quod etiam optamus & procuramus avidius, quia videmus imminere periculum ne pestis hæc latius diffundatur. Nam ex recessu exercitûs fidelium, facti sunt superbiores hæretici, & finitimas quasque partes conantur partim vi cogere, partim allicere venenosis articulis; præcipuè licentia & permissione peccandi circa corporeas voluptates. Adversus hos igitur periculosos hæreticos † arma sunt iterû atq; iterum à fidelibus capienda, nec cessandum donec, auxiliante Domino, qui profectò non deseret causam suam, vel * dirigantur in rectam viam, vel exterminentur è terra; ne corroboretur amplius tantum malum in visceribus *Christianitatis* cum summo periculo fidelium animarum. Et cum ad prædictorum hæreticorum rabiem & potentiam confundendam necessaria sit omnino armorum vis atque potentia militaris, & expeditio fidelium, duratura usque ad extremam confusionem & exterminationem vel reductionem eorum; nec ea militia, qua opus est in tanto negotio, tegi, ali & sustentari possit sine gravi sumptu, dignum est ut omnes, præsertim personæ Ecclesiasticæ, in omnibus mundi partibus constitutæ, aliquid de facultatibus suis pro tam communi & necessariâ reipublicæ causâ contribuant ad sumptum hujusmodi tolerandum. Cupientes igitur super his, ut tenemur, salubriter providere, maturâ deliberatione habitâ cum venerabilibus fratribus nostris præfatæ

* Antiqua sunt Ecclesiæ arma, & sine exercitu militari sola: quæque papæ lachryma in gemmam obduruit statim. Sed aliquid hypocritis pro se dicendum est, quod speciem saltem pietatis exhibet.

† En! tibi preces & lachrymas *Papæ Martini*.

* i. e. donec fiant papistæ aut omnino trucidentur. Quanta, Martine, tua misericordia!

præfatæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalibus & prælatis qui commodè haberi potuerunt, & iu numero satis magno fuerunt ex diversis mundi partibus, & de eorum consilio atque consensu juxta formam constitutionis per nos editæ in sacro *Constantiensi* Concilio pro hac summa necessitate ipsius universalis Ecclesiæ & fidei catholicæ, unam integram decimam omnium redditnum & proventuum ex Ecclesiis & quibuscunque piis locis habentibus beneficia Ecclesiastica vel decimas sibi unitas, in universo orbe consistentium, unius anni à festo *omnium sanctorum* proximè futuro inchoandi & continuò subsequentis, quantocyus fieri poterit, aut saltem in festo *sanctorum Apostolorum Petri* & *Pauli* secuturo, ab omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, prælatis & personis Ecclesiasticis, secularibus & regularibus, exemptis & non exemptis, hujusmodi redditus & proventus ubicunque obtinentibus, & infra dictum annum obtenturis, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, statûs, gradûs, religionis, ordinis vel conditionis existant, etiamsi fuerint ipsius *Romanæ* Ecclesiæ Cardinales; quibus omnibus prædictis, aut eorum alicui, ulla privilegia aut indulgentias sub quacunque verborum formâ vel expressione concessa, quoad hoc non volumus suffragari, solvendam, exigendam & colligendam, & ad conducendum & sustentandum exercitum fidelium contra *Hussitas* hæreticos convertendam, auctoritate Apostolicâ imponimus per præsentes. Et nos, qui, licèt immeriti, caput sumus in terris Ecclesiæ militantis, ut membra nostra, prælatos nobis inferiores, & subditos invitemus exemplo ad hanc decimam libenter & liberaliter persolvendam, incipientes à nobismetipsis, omnium reddituum & proventuum ex *communibus servitiis* & *annatis* ad *Cameram Apostolicam* spectantium & provenientium, ut per collectores ad ipsam deferendis, partem quintam unius anni ad eundem usum exercitus fidelium, ultra illud quod, Deo dante, facere intendimus: necnon decimam partem obventionum quarumlibet ad præfatos Cardinales pertinentium, etiam ratione capelli ipsis liberaliter offerentibus deputamus. Postremò ab omnibus officiis & officialibus, etiam laicis *Curiæ* nostræ decimam partem de eorum emolumentis in usum prædictum volumus erogari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ impositionis, deputationis & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum ejus se noverint incursurum. Dat. *Romæ* apud sanctos Apostolos 8. Kal. *Novembris*, Pontificatûs nostri anno decimo. QUOCIRCA fraternitatem tuam hortamur in Domino, tibi nihilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad hujusmodi solutionem *decimæ* te promptum exhibeas, & procures ac studeas quòd prælati & personæ Ecclesiasticæ tuarum *civitatis* & *diœcesis* & *provinciæ* incunctanter faciant illud idem: volumus enim quòd hujusmodi *decima* per te & venerabiles fratres nostros Episcopos tuæ provinciæ, exemptos & non exemptos, quorum videlicet singulos in propriis eorum civitatibus & diœcesibus ejusdem *decimæ* collectores tenore præsentium deputamus, & tuos & eorum subcollectores clericos duntaxat, quos ad id deputabis & deputabunt à te & ipsismet Episcopis & prælatis ac personis aliis Ecclesiasticis, secularibus & regularibus, exemptis & non exemptis, in eadem provincia redditus & proventus hujusmodi, ut præfertur, habentibus & infra dictum annum habituris, de ipsis duntaxat redditibus atque proventibus colligatur, & etiam exigatur sine injuria & oppressione quacunque; ita quòd per te & eosdem Episcopos vel subcollectores prædictos, ad redditus & proventus Ecclesiasticos extra dictam provinciam consistentes, compulsionis officium nullatenus extendatur: & si aliqui ex hujusmodi Episcopis absentes forent, eorum vicarii; & si defuncti, capitula vacantium Ecclesiarum hoc idem faciant loco ipsorum. Volumus etiam quòd hujusmodi *decimæ* exactio fiat secundum taxationem *decimæ* in dicta provinciâ factam; vel, ubi nulla hujusmodi taxatio certa fuerit, secundum modum, morem & consuetudinem in solutione hujusmodi *decimæ* hactenus observatos, & sine alio onere illorum à quibus hujusmodi *decima* exigetur; nec cogi possit aliquis ad solvendum pro *quitantia*, si eam habere voluerit, ultra unum *Bolonninum*; & pro literâs sigillo & processu absolutionis ab excommunicatione & dispensationis super irregularitate, ultra tres *Bolonninos*; quorum sexaginta valeant unum *florenum de camerâ*: & ne de monetâ, de qua fiet & fieri debebit solutio dictæ *decimæ*, valeat hæsitari, vitentur qua gravamina quæ propter hoc viri Ecclesiastici pati possent; volumus quod per te & Episcopos ac subcollectores prædictos, ipsa *decima* ad *montem* in præfata provincia communiter currentem levetur, & etiam exigatur, ac tibi & ipsis ac subcollectoribus prædictis recipientibus persolvatur, juxta constitutionem super *exactione decimarum* editam in Concilio *Viennensi*; ita quòd prætextu alicujus cambii, debitores vel solutores dictæ *decimæ* non graventur; quódque juxta constitutionem ejusdem *Viennensis* Concilii circa hoc, Calices, libri & alia ornamenta Ecclesiastica,

Ecclesiastica, divinis officiis deputata, ex causâ pignoris vel aliàs occasione dictæ exactionis, nullatenus capiantur, distrahantur vel etiam occupentur. *Insuper* volumus quod Tu Episcopos & tuarum, dictique Episcopi suarum civitatum & dioec. prædictarum prælatos & personas Ecclesiasticas supradictas, hujusmodi redditus & proventus infra easdem civitates & dioeceses obtinentes, & infra eundem annum, ut præmittitur, obtenturos, ad solvendum tibi & eis, vel à te & ipsis deputandis, dictam decimam saltem in prædicto festo *sanctorum Apostolorum Petri & Pauli*, prout superius est expressum, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam & etiam per sequestrationem eorundem redituum & proventuum in eisdem civitatibus & dioecesibus consistentium, per Te aut per se, aut alium vel alios compellas aut compellant; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Volumus *præterea* quòd si alia *decima* ex aliâ causâ alicubi esset imposita, etiam auctoritate nostrâ, illa usque ad integram præsentis *decimæ* solutionem omnino differatur ac suspendatur, non obstantibus tam fœlicis recordationis *Bonifacii Papæ* 8. prædecessoris nostri, & de una & de duabus *dietis* in Concilio generali, quàm aliis constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscunque, seu si eisdem Episcopis & prælatis ac personis Ecclesiasticis vel quibubuscunque aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sede sit indultum quòd ad solutionem hujusmodi *decimæ* minimè teneantur, & ad id compelli, vel quòd interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per literas Apostolicas, quæ de indulto hujusmodi & toto ejus tenore, ac de verbo ad verbum & propriis eorum ordinum, locorum & personarum nominibus & cognominibus plenam & expressam non fecerint mentionem, & quibuscunque privilegiis, indulgentiis, exemptionibus & literis Apostolicis quibuscunque dignitatibus seu ordinibus, & specialiter sanctorum *Benedicti* & *Augustini*, *Cistercien.* & *Cluniacen. Præmonstraten.* & *Grandimonten. Cartusien. Camaldulen. Vallis-umbrosæ*, *Cruciferorum* & *Humiliatorum* ac *Hospitalium S. Johannis Hierosolymitan.* & *beatæ Mariæ Teutonicorum*, *S. Jacobi* de *Spaca* & *Calatraven. Montesiæ*, & ipsorum universitatibus, generaliter vel specialiter sub quacunque forma vel conceptione verborum à memoratâ sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris literis plena & expressa mentio sit habenda. Ad hæc, volumus tibique & præfatis Episcopis per apostolica scripta concedimus, quòd Tu & Ipsi, necnon à Te & Eis deputandi, illos ex eisdem Episcopis ac prælatis & personis Ecclesiasticis supradictis civitatum & dioecesium prædictarum quos ex defectu non factæ solutionis hujusmodi, excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias incurrere contigerit, ab eisdem sententiis post satisfactionem debitam, factâ prius fide tibi, vel eis aut deputatis eisdem de satisfactione hujusmodi, absolvere, & cum eis super irregularitate, siquam fortè sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina, vel immiscendo se illis, contraxerint, auctoritate nostra valeas & valeant etiam dispensare. Volumus insuper quòd si in solutione hujusmodi decimæ pro redditibus & proventibus ad tuam Archiepiscopalem mensâ provenientibus in termino defeceris supradicto, easdem quas in deficientes in solutione hujusmodi *decimæ* in eodem termino facienda, præsentium vigore, tuleris sententias, incurras eo ipso: à quibus tamen sententiis per aliquem de *suffraganeis* tuis, post satisfactionem debitam possis absolvi. Præmissis etiam adjicimus, tibique in virtute obedientiæ sanctæ districtè præcipiendo mandamus, quòd illa quæ tam ab eisdem Episcopis, quàm à prælatis & personis Ecclesiasticis supradictis tuarum civitatis & dioecesis, præsentium vigore te recipere continget; necnon ea quæ occasione prædicta, ratione ejusdem tuæ mensæ solvere debebis, illi cui duxerimus ordinandum, remotâ dilatione quavis, assignes integrè cum effectu. Nos insuper hujusmodi *suffraganeo* te ab hujusmodi sententiis, si illas forsan incurreris, absolvendi in formâ Ecclesiæ consueta; necnon tecum super irregularitate, siquam fortè contraxeris, dispensandi, plenam concedimus harum serie facultatem. *Postremò*, ut omnes pecuniæ quæ exigentur ex dicta *decimâ*, ad finem propositum integraliter convertantur, placet nobis, & volumus, quòd omnes dictæ pecuniæ perveniant ad manus dilectorum filiorum *Cosmæ* & *Laurentii*, natorum dilecti filii *Johannis* de *Medicis*, *Mercatorum Florentinorum*, & sociorum suorum, qui se solenniter obligarunt quatuor ex præfatis Cardinalibus, Commissariis & nonnullis Prælatis ac aliis deputatis, ad rationem de pecuniis antedictis, ex quorum commissariorum & deputatorum mandato, vel majoris partis eorum, vel deputandorum ab ipsis, pecunias hujusmodi ad præfatum usum duntaxat, & non aliter solvere & consignare, ac de ipsis reddere bonum & fidelem computum tenentur & etiam obligantur. Dat. Romæ apud sanctos Apostolos octavo Kal. *Novembris*, Pontificatûs nostri anno decimo.

Martinus

Martinus Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis ac Decanis, cæterisque personis Ecclesiasticis in regno Angliæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Fol. 105. NOviter certiores facti sumus per literas dilecti filii magistri *Conzonis* de *Zwola*, palatii Apostolici causarum auditoris, capellani & nuncii nostri, de responso quod eidem super *decima* vel subsidio pro *causâ fidei* postulato, Prælati & Clerus qui dudum convenerunt in Concilio *London.* dederunt, de convocando videlicet ad festum beati *Martini* reliquos *Angliæ* prælatos & clerum qui ibidem non interfuerant, & eis hanc causam communem proponere: Hæc dilatio si ideo statuta est, ut res per omnes efficacius fieret, non improbamus; quanquam cum in dicto Concilio & Prælatorum & Cleri, præsertim principalium magna pars affuerit, simulque procuratores absentium, optimè hæc causa expediri potuisset, quæ in *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalium, prælatorum, doctorum, magistrorum de singulis nationibus in dicta Curiâ residentium, pro re tam necessaria fuerat deliberata: si verò ad dictum diem (quod nullatenus credere possumus) prorogatum est responsum, ut res traheretur in longum, Deo primum, cujus causa agitur, & nobis & toti Ecclesiæ supra modum displiceret, vobisque damnum maximum ignominiamque perpetuam irrogaret. Nam cum hoc tempore fides catholica & sancta Dei Ecclesia in magno discrimine constituta sit, & status Ecclesiasticus ubique jam fluctuet & magnis procellis agitetur, omnis mora & omnis dilatio summum præjudicium affert: ideo debuisset *Angliæ* clerus sine ullâ procrastinatione omne subsidium possibile in tanta necessitate contribuere; imò ultro offerre, nec expectare ut ad hoc tam necessarium & pium opus commune totius *Christianitatis*, præsertim *clericorum*, vocarentur, exhortarentur, requirerentur: ad quam decimam sive subsidium, siqua natio difficilem se exhiberet (quod hactenus per Dei gratiam nulla fecit) Anglicana nullatenus deberet, * cum abinde hæc pestifera & abominanda hæresis, quæ tantum nequitiæ & scandali in *Christianitate* seminavit, radices traxerit: propter quod *Anglici* proprio honori & famæ consulentes, nil magis cogitare deberent. Cæterùm, quomodo hæc pestis extingueretur, de qua cum sermo inter homines contingit, mox subjungitur, Ex *Angliâ* eam derivasse, & inde hoc malum duxisse originem? Præterea remanserunt ibidem hujus hæresis non parvi surculi, qui nisi celeriter extirpentur, adhuc ita exurgent in altum, quòd valdè dubitandum est ne *Angliæ* (quod Deus per suam misericordiam avertat) adveniat quemadmodum & *Bohemiæ*: quod & si superiori tempore nonnulla indicia apparuerunt, à paucis citra diebus evidentius detectum est; cum in diversis *Angliæ* partibus multi reperti sunt & capti hæretici, quos & fama refert, & valdè verisimile est, multos habere participes & magnum sociorum numerum, qui, ut quotidie fieri solet, inficientes & seducentes alios in perniciem totius regni crescent & abundabunt magis, quamdiu vigebit in *Bohemiâ* hæc hæresis. Et à fide dignis accepimus, & vos certius intellexisse debetis, quòd sæpenumero à *Wickleffistis* in ☞ *Angliâ* latentibus, in *Bohemiam* proficiscuntur nuncii, illos in sua perfidia confortantes, & præbentes eisdem auxilii & subsidii spem. Considerate igitur si in hac re aperire oculos vos oportet ac continuè vigilare: videte si expediat in tanto & Ecclesiæ & vestro periculo, cum ignis jam parietibus adhæserit, differre diutius remedia: nec vos moveat quòd cum sæpe inter vos apparuerint *hæretici*, statim devicti & captivati sunt; ex hoc magis formidare debetis, videntes eos toties victos toties invalescere: arborem enim, quæ sæpe abscinditur, & nihilominus iterum pullulat, evidens signum est validas & virides adhuc radices habere: hinc conjicere potestis magnum eorum numerum, magnamque eorum præsumptionem & audaciam; qui, cum pluries in re male successerit, non ideo desistunt, nec fiunt timidiores. Hoc subsidium, quod, consideratis vestris facultatibus, minimum reputari potest, etsi omni ratione facere teneamini, eâ tamen potissimè deberetis, quòd † inter alios mundi clericos Deus vos bonis temporalibus replevit magis; propter quod ad defensionem Ecclesiæ suæ, quantò magis rerum Ecclesiasticarum copiâ alios anteceditis, tantò aliis ferventius ac copiosius præsidium accommodare debetis. Respicite diversarum partium clericos, quoties contra illos hæreticos non solùm decimam, sed & quartam & penè dimidiam exolverunt, euntes nihilominus & personaliter, cum opus fuit, aut bellatores & instrumenta bellica destinantes pro *fidei catholicæ*

* Egregium argumentum *Papæ* ad excitanda *Angliæ* subsidia contra *Bohemos*.

† Argumentum secundum ex divitiis Cleri *Anglicani* sumptum; quasi hinc quoque ad trucidandos bonos *Christianos* essent obstricti,

catholicæ & *ſtatus Eccleſiaſtici* defenſione. Si nonnunquam pro expeditionibus regni temporalibus & *decimam* & alia *præſidia* de bonis Eccleſiaſticis contuliſtis; quantò magis pro fide orthodoxâ & Eccleſiæ neceſſitatibus, de ipſius Eccleſiæ redditibus ipſam *fidem* & *Eccleſiam* tueri & adjuvare debetis? Si perſonas veſtras, corpora & † animas, pro tutamento fidei exponere teneamini, niſi magis *mercenarii* quàm *paſtores* ovium *Chriſti* eſſè vultis; quanto magis ac facilius vilem portiunculam quandam rerum veſtrarum? Si Epiſcopi pro eorum neceſſitatibus petunt & exigunt, jure id tanquam licitum & honeſtum permittente, à clero ſuo *ſubſidium*, quod *charitativum* vocant; quanto magis & ipſi Epiſcopi ac clerus pro ipſorum & fidei & totius *Chriſtianitatis* neceſſitate, cum ſummâ charitate & liberalitate ſe & ſua exhibere debent? Sanctorum patrum exemplis & præceptis cautum eſt, ut quædam Eccleſiaſticorum redditùum portio tectis & parietibus Eccleſiarum reparandis deputetur; calices & ornamenta conflentur, poſſeſſiones diſtrahantur pro redimendis captivis & alimoniâ pauperum: quid igitur faciendum erit pro defendendâ * *catholica fide* in extremo penè laborante & periclitante, pro ſalvanda Eccleſiâ, pro tuendis *Chriſti* Sacerdotibus; in quorum ſanguinem ferinâ rabie hæretici debacchantur? pro eripiendis Eccleſiis & locis ſacris à flammis & ignibus hæreticorum; pro liberanda denique totâ *Chriſtianitate* à tot ſævitiis & abominationibus *Wicleſiſtarum* & *Huſſitarum*? quorum, ut cætera execranda omnibus notiſſima taceamus, hoc cum fletibus & ſuſpiriis referimus, quòd pridem expugnatis quibuſdam *catholicorum* oppidis, † ſacerdotes & alios fideles in medio Eccleſiarum, ad quas tanquam ad aſylum confugerant, interfecerunt; in quorum ſanguine, quod auditu horrendum eſt, corpus ſacratiſſimum Creatoris & Redemptoris noſtri Domini *Jeſu Chriſti* fœdiſſimè pedibus conculcarunt. Quis *catholicus* hæc audiens à lachrymis ſe abſtineat, & non ſtatim ad * vindicandas tot ac tantas *Chriſti* & Eccleſiæ injurias, ſe & ſua intrepidè exponat? Nonne in *veteri Teſtamento* legiſtis, *Templum* & ſarta tecta *Templi* ſæpius communi impensâ fuiſſe inſtaurata? *Tabernaculum* quoque oblatione virorum & mulierum populi *Iſrael* fuiſſe tantâ liberalitate conſtructum, ut cum plus quàm neceſſè eſſet auri & argenti offerretur, *Moyſes* voce præconis juſſerit ne vir aut mulier quicquam ultra in opere *ſanctuarii* offerret? Nonne & Apoſtolus *Paulus* pro ſuſtentatione *ſanctorum*, ut communi impensâ *Chriſtianorum* alerentur, cum opus erat, collectas indicebat? Quoties pro recuperatione † *Terræ Sanctæ* univerſis mundi Eccleſiis indicta eſt *decima* & ſoluta? Quoties ab *Eccleſia* requiſiti Principes ſeculares & alii *catholici* perſonaliter ultra mare in prædictæ *terræ ſanctæ* ſubſidium profecti ſunt? Reſpicite laicos & ab ipſis exemplum capiatis, quibus cum ingruunt bella aliæve neceſſitates, inter ſe partiuntur onera, & communi impensâ communi provident periculo. Equidem cum iſta diligenter conſideraveritis, impoſſibile penè erit, ſi tales ſitis ac tam *catholici* ut vos exiſtimamus, quin ſine difficultate, contradictione vel morâ omne genus ſubſidii & auxilii, quantum vires ac facultates veſtræ ſuppetent, liberaliter offeratis. Propterea vos hortamur, requirimus & monemus, ut juxta ſpem noſtram, quemadmodum aliarum nationum clerici ſponte contribuunt, ita & vos pro tuitione *fidei catholicæ* & totius *ſtatûs Eccleſiaſtici*, pro honore & debito veſtro, & ſalute animarum veſtrarum promptos ad *decimam* ſive ſubſidium poſtulatum exhibeatis: & quemadmodum ipſe *Conzo* vos plenè certificavit, volumus pecuniam quæ ibi colligetur, ad iſtum uſum duntaxat, & per manus eorum quos vos ipſi deputaveritis, expendi debere: quem *Conzonem* per literas noſtras plenè informavimus de intentione noſtrâ; propterea velitis eidem adhibere *credentiæ* plenam fidem. Dat. *Romæ*, apud S. Apoſtolos 7. id. *Octobris*, pontificatûs noſtri anno undecimo.

† Animam exponere pro tutamen o fidei *Romanæ*, longè alia res eſt quàm *Papa* ſibi vult. Verum loquitur inopinus.

* i.e. Papatu & ſtatu papali: huc enim tendit rhetoricatio.

† Malitioſa & ſuperſtitioſa exaggeratio: eſto autem ut omnia vera ſint; hæc fecerunt miſerrimè laceſſiti, & ſub *ſanguine calido*; quis autem cædes & tormenta & omne genus cruciatus à *papiſtis* in noſtros exercitus numerare valeat, eaque omnia ſub *frigido* (quod aiunt) *ſanguine* perpetrata?

* Hæc non dixiſſet S. *Petrus*.

† Sed quem in finem?

PROCESSUS ET PROTESTATIO

contra Dominum *Henricum* * Cardinalem pro Legatione ejus contra Consuetudines Regni *Angliæ*, ex eodem Registro MS.

* *Beaufort* Episc. *Wint.* hallucinatur enim mirè *Antiquitatum Britannicarum Author* (etiamsi hoc, quo utor, autographum viderit) dum eum Archiepiscopum Cant. statuit (Vide librum pag. 284. edit. Hanou. 1605.) & Cardinalem *S. Eusebii* nominat.

Fol. 135. IN Dei nomine, *Amen*. Per præsens publicum instrumentum cunctis appareat evidenter, quòd Anno Dom. 1428. indictione septimâ, Pontificatûs sanctissimi in *Christo* patris & Domini nostri, Domini *Martini*, divinâ providentia *papæ* quinti anno duodecimo incipiente, mensis *Novembris* die undecimâ, in quadam magnâ camera juxta & prope capellam in Hospitio Illustrissimi & præpotentis Principis & Domini, Dom. *Humphredi* Ducis *Glocestriæ*, Comitis *Pembrochiæ* Protectorisque & Defensoris Regni *Angliæ* & Ecclesiæ *Anglicanæ*, in parochia Ecclesiæ parochialis S. *Benedicti* juxta *Paul's Wharf* civitat. *London* situat. in mei, notarii publici, & testium subscriptorum præsentiâ, coram Reverendissimo in *Christo* patre & domino, Domino *Henrico* Dei gratiâ tit. S. *Eusebii* presbytero Cardinale, sanctæ sedis *Romanæ* legatum se affirmante, ibidem personaliter præsente, & in præsentia dicti Illustrissimi Principis & Domini, Domini *Humphredi* Ducis *Glocestriæ*, Comitisque P. ac Protectoris & Defensoris prædicti, ac Reverendorum patrum & dom. Dominorum *Philippi Eliensis, Johannis Bathon. & Wellensis* ac *Willielmi Norwicensis* Episcoporum; necnon & nobilium Dominorum, Dominorum *Humphredi* Comitis *Stafford* & *Johannis* Comitis *Huntington*, necnon & dominorum *Walteri Hungerford*, Thesaurarii *Angliæ* & *Radulphi Cromwell* Baronum, Dominorum de Domini nostri Regis Consilio, etiam in supradicta Camera personaliter assistentium, constitutus personaliter venerabilis vir magister *Richardus Cawdry* clericus, procurator & procuratorio nomine *Christianissimi* in *Christo* Principis & Domini, Domini *Henrici* Dei gratiâ Regis *Angliæ* & *Franciæ* & Domini *Hiberniæ*, de cujus procuratorio sigillo magno ipsius Domini nostri Regis sigillato, per realem exhibitionem & ostensionem ejusdem procuratorii ibidem factas mihi notario publico subscripto constabat & constat, quandam protestationem in scriptis conceptam fecit, legit ac palam & expressè ibidem protestabatur sub hac formâ verborum.

In Dei nomine, Amen. Coram vobis autentica persona & testibus hîc præsentibus, ego *Richardus Caudray* procurator & nomine procuratorio *Christianissimi* Principis Domini *Henrici* Dei gratia Regis *Angliæ* & *Franciæ* & Domini *Hiberniæ*, Domini mei supremi, de assensu pariter & advisamento Illustris & potentis Principis *Humfridi* Ducis *Gloucestriæ*, Comitis *Pembrochiæ* & Defensoris Regni *Angliæ* & Ecclesiæ *Anglicanæ*, ac cæterorum Dominorum meorum de Consilio suæ Regiæ Celsitudinis ac Consilium ejusdem facientium & hac vice repræsentantium, dico, allego & in his scriptis propono quòd dictus *Christianissimus* Princeps, Dominus meus supremus, suique inclytissimi progenitores dicti Regni *Angliæ* Reges fuerunt & sunt tam speciali privilegio quàm consuetudine laudabili legitimeque præscripta, necnon à tempore & per tempus, cujus contrarii memoria hominum non existat, pacificè & inconcussè observata, sufficienter dotati, legitimè muniti, quòd nullus Apostolicæ sedis * legatus venire debeat in regnum suum *Angliæ* aut alia sua terras & dominia, nisi ad Regis *Angliæ*, pro tempore existentis, vocationem, petitionem, requisitionem, invitationem seu rogatum; fueruntque & sunt dicti *Christianissimus* Princeps, Dominus meus supremus, ac sui inclyti progenitores hujusmodi Reges *Angliæ* in possessione seu quasi juris & facti, privilegii & consuetudinis prædictorum, absque interruptione quacunque, toto & omni tempore supradicto pacificè & quietè, *Romanis* pontificibus per totum tempus supradictum præmissa omnia & singula scientibus, tolerantibus

* Vide *Antiquitates Britannicas* in vita *Radulphi*, Archiep. 35. & *Matth. Paris* pag. 723. edit. 1640. & *Matt. Westm.* pag. 335. edit. *Francof.* 1601. & *Laur. Humphredum* in præfatione 1. partis *Jesuitismi*, &c.

&

& eisdem consentientibus tam tacitè quàm expressè, ac extra omnem & omnimodam possessionem seu quasi juris & facti legatum hujusmodi, ut præfertur, in regnum *Angliæ* aut alia sua terras & dominia mittendi, nisi ad vocationem, petitionem, requisitionem & rogatum Regis *Angliæ* pro tempore existentis: & quia Reverendissimus in *Christo* pater & Dominus, Dominus *Henricus* Dei gratiâ tit. S. *Eusebii* presbyter Cardinalis sanctæ sedis *Romanæ* legatum se affirmans, more legati insigniis Apostolicæ dignitatis utens, absque vocatione, petitione, requisitione, invitatione aut rogatu *Christianissimi* Domini nostri Regis prædicti, inclytum Regnum *Angliæ* de facto est ingressus. *Protestor* igitur palam & publicè in his scriptis, nomine & vice quibus suprà, ac omnium ipsius Domini nostri Regis subditorum, quòd non fuit aut est intentionis præfati *Christianissimi* Principis, *Domini mei supremi*, aut dictorum Dominorum meorum de Consilio, in derogationem Legum, Jurium, Consuetudinum, Libertatum & privilegiorum dicti Domini nostri Regis ac regni, ingressum hujusmodi dicti Reverendissimi patris, ut Legati, in *Angliam* auctorizare, ratificare vel approbare, seu ipsum ut Legatum sedis Apostolicæ in *Angliam* contra Leges, Jura, Consuetudines, Libertates & Privilegia prædicta quovis modo admittere seu recognoscere, aut exercitio Legationis suæ hujusmodi, aliquibusve per ipsum ut Legatum sedis Apostolicæ actis seu agendis, attemptatis seu attemptandis adversus præmissa, Leges, Jura, Consuetudines, Libertates & Privilegia in aliquo consentire sed dissentire; sicque dissentit dictus Dominus noster Rex, atque dissentiunt dicti domini mei de Consilio per præsentes: per hanc tamen *Protestationem*, sicut præmittitur, per me factam, non intendit dictus *Dominus meus supremus*, nec etiam intendunt iidem Domini mei de Consilio, nec ego eorum nomine, quin si dictus Reverendissimus pater, dominus meus Cardinalis, non ut legatus, sed tanquam unus de Cardinalibus SS. *Rom.* Ecclesiæ à sanctissimo domino nostro *papâ* transmissus, quicquam habeat dicendum, aperiendum aut proponendum, & nomine sanctissimi domini nostri *papæ* dicere, aperire & proponere velit, illud coram dicto *Domino meo supremo* aut dicto ejus Consilio, dicere, aperire & proponere liberè possit; & præsertim ea quæ ad exaltationem fidei catholicæ & hæreticorum perfidiam deprimendam vergere queant; ad quæ præfatus *Dominus meus supremus* ac dicti domini mei de Consilio audientiam benevolam præstabit & præstabunt, ac suos favores, tanquam princeps *Christianissimus* & viri catholici Ecclesiæque *Romanæ* filii fideles & devoti benignè & obedienter adhibebit & adhibebunt, juribus & privilegiis Coronæ dicti *Domini mei supremi* & ejus inclyti regni *Angliæ* semper salvis.

Præmissam protestationem hic repeto & quatenus expediat pro repetita haberi volo: *Protestor* insuper de addendo huic *protestationi*, ipsamque corrigendo & reformando, ac in meliorem & competentiorem formam redigendo, pro loco & tempore opportunis, prout dicto Domino meo Regi & ejus Consilio magis videbitur expedire, in hac parte Juris beneficio in omnibus semper salvo: post quam quidem *Protestationem*, sicut præfertur, per dictum *Richardum Caudray*, procuratorem prædictum lectam & factam, dictus Reverendissimus pater & dominus, Dominus *Henricus* Cardinalis in præsentiâ præfati Illustrissimi & potentis Principis Domini Domini *Humfridi* Ducis *Glocestriæ*, Comitis *Pembrochiæ*, ac Protectoris & Defensoris prædicti, cæterorumque Dominorum superius nominatorum de Consilio dicti Domini nostri Regis ibidem existentium, coram eis respondebat & dixit palam & expressè, quòd non fuit nec est aut erit intentionis suæ per ingressum suum in *Angliam*, aut per aliqua per eum facta aut facienda, dicta aut dicenda, dictis juribus, privilegiis, libertatibus aut consuetudinibus dicti Domini nostri Regis, aut regni sui prædicti, in aliquo derogare aut contravenire; sed est & semper erit intentionis suæ, ut asseruit, ea omnia & singula conservare, defendere, manutenere & roborare juxta posse suum.

Acta sunt hæc, prout suprascribuntur & recitantur, sub anno, indictione, pontificatu, mense, die & loco prædictis, præsentibus Venerabilibus viris, magistris *Thomâ Beckinton* archidiacono *Buckingham* & *Stephano Wilton* archidiacono *Stowiæ* Legum Doctoribus, *Lincoln.* Dioec. testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Tenor verò procuratorii dicti *Richardi Caudray* procuratoris prædicti sequitur, & est talis

'*Henricus Dei gratiâ Rex Angliæ & Franciæ & Dominus Hiberniæ, omnibus ad*
'*quos præsentes literæ pervenerint, salutem.*

'SCiatis quòd de avisamento & assensu Consilii nostri fecimus, constituimus, creavimus & ordinavimus, ac per præsentes facimus, constituimus, creamus & ordinamus dilectum clericum nostrum *Richardum Caudray*, clericum prædicti Consilii nostri, nostrum verum, legitimum & indubitatum procuratorem, dantes & concedentes eidem procuratori nostro potestatem generalem & mandatum speciale pro nobis & nostro nomine ac quibuscunque nobis adhærentibus seu adhæsuris, ac regnis nostris *Franciæ* & *Angliæ* & Dominio nostro *Hiberniæ*, necnon locis aliis nobis subditis quibuscunque, quascunque provocationes & appellationes à quibuscunque gravaminibus nobis subditis regnis, Dominio & locis prædictis, conjunctim vel divisim, judicialiter vel extrajudicialiter per Dominum *Romanum* Pontificem quemcunque pro tempore existentem ejusve legatum vel legatos, delegatum seu delegatos, quemcunque sive quoscunque judices ordinarios vel *delegatos* quacunque fungentes potestate, mero motu seu ad cujusque partis instantiam, communicatis aut communicandis, illatis seu inferendis ad futurum *Generale Concilium*; necnon ad alium & alios quoscunque ad quos de jure est appellandum, interponendum & faciendum apostolosque & petendum, ipsas provocationes & appellationes intimandi & notificandi, protestandi protestationes declaratorias, inhibitorias, incitatorias, certificatorias & generaliter omnimodas pro denunciatione, declaratione, defensione, tuitione & conservatione statûs nostri & Legum, Jurium, Consuetudinum, Libertatum & Privilegiorum nostrorum quorumcunque necessarias, utiles seu quomodovis opportunas faciendi, interponendi, intimandi, iterandi ac repetendi, ubi, quotiens & quando videbitur expedire; ac protestationibus quæ adversum seu contra nos, leges, jura, consuetudines, libertates & privilegia nostra ac *Coronæ* nostræ fiend. contradicendi, dissentiendi & easdem impugnandi, & generaliter omnia & singula faciendi, exercendi & expediendi, quæ circa præmissa necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna, etiamsi mandatum exigant magis speciale: promittentes Nos firmum, ratum & gratum habituros totum & quicquid per præfatum procuratorem nostrum, actum, gestum, seu procuratum fuerit in præmissis seu aliquo præmissorum. In cujus rei testimonium has literas nostras fieri fecimus patentes; teste meipso apud *Westmonasterium* 10 die *Novembris*, anno regni nostri septimo. Et ego *Jacobus Cole*, clericus *Norwicensis* dioec. publicus auctoritate Apostolicâ notarius, præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, sub anno, indictione, pontificatu, mense, die & loco prædictis, in principio præsentis Instrumenti plenius descriptis, agebantur & fiebant, unà cum testibus ante tenorem procuratorii prædicti superius inscriptum nominatis & præscriptis, præsens personaliter interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi, aliundeque occupatus, per alium scribi feci publica & in hanc publicam formam redegi, meisque signo & nomine consuetis signavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium præmissorum.

¶ Postea sequitur in eodem Registro (exciso verò uno folio, nescio quid continente.)

Litera credentiæ Domini *Henrici* * Dei gratiâ Archiepiscopi *Cantuariensis*, directa *Willielmo* Priori Ecclesiæ suæ *Cantuar.* per Clericum suum *Johannem Bolde*, die Epiphaniæ Domini, de *Cruciatâ* contra hæreticos *Bohemiæ*, anno Domini 1428. cujus superscriptio talis est,

* Chichele.

Charissimo in Christo filio Priori Ecclesiæ nostræ Cantuarien.
& formaliter sequitur sub hac forma

IN *Christo* fili Charissime, debitâ salutatione præmissâ, cum Dei benedictione & nostra. Accedit nunc ad præsentiam vestram Clericus noster *Johannes Bolde*, lator præsentium, cui mandavimus certa negotia vobis ex parte nostrâ plenius declarare: Vos igitur rogamus, ut sibi velitis in dicendis fidem credulam adhibere, & ea per ipsum vobis

bis dicenda effectualiter exequi & omni diligentiâ perimplere: & diu in *Christo* valeat filius noster prædilectus. Script. in manerio nostro de *Slyndon* mensis *Januarii* die tertia.

H. Archiepiscopus *Cantuar.*

¶ Sequuntur deinde continuò in eodem MS. Instructiones quædam datæ *Johanni Bold* ab eodem Archiepiscopo de materia *Cruciata*, quas ex veteri idiomate *Anglico* in *Latinum* verti, publicæ utilitatis gratiâ: sic autem sonant,

Instructio data *Johanni Bold* ab Archiepiscopo *Cantuariensi* in materiâ *Cruciata.*

INprimis, ut Priori *Cantuariæ* literas de *Cruciatâ* exhibeat, easque Prior curet publicandas à Dom. *Thomâ Ash* Dominica proximè sequente; populique urbis moneantur ut veniant & audiant publicationem per. M. *Johannem Lovelich* vel archidiaconi officialem.

Item, ut Prior citò accersat Priorem *Dubriensem* M. *Matthæum Ashton* & M. *Thomam Meome*, iique secum invicem conferant super hac re, Priorque coram Notario, eorum exigat juramenta, sicut & Dom. *Jacobi Greve* & *Thomæ Ashe*, prædicatorum & Confessorum, in Archiepiscopi *mandato* nominatorum, in ea formâ quam requirit *mandatum*.

Pari *item* modo ut magister *Jacobus Burbach* similia juramenta de omnibus aliis Confessoribus in Archiepiscopi *mandato* nominatis exigat; copiamque ejus *mandati* sibi habeat, equitetque huc illuc ut illud promulget in variis Diœceseos partibus; speciatim verò in *Maidston*, *Tenterden*, *Feversham* & *Wy*, & omnibus aliis Diœceseos locis celebribus, quibus oportet; adeo ut bene propaletur, & Confessorum nomina per totam diœcesim innotescant.

Item, ut Commissarius *Cantuariæ* idem mandatum originale publicet *Sandwici*, *Dubri*, *Romneiæ* & *Winghamiæ*; & in omnibus aliis locis ubi clarior ejus notitia populo dari possit, unà cum cunctis Confessorum nominibus, significatione item loci ubi habendus est ad eos aditus.

Item, ut exemplaria Instructionis Cardinalis, *Anglicè* reddita, conficiantur, valvisque Ecclesiæ affigantur Cantuariæ, Sandvici, Dubri, Romneiæ, Maidstoniæ, Sidingborniæ Tenterdenæ, Hydæ aliisque locis celebribus infra diœcesim; eademque bulla ejusque indulgentia sic publicentur, ut nemo earum ignorantiam prætendat.

Item, ut Prior & Commissarius *Burbach* & *Lovelich*, & *Bold* sic provideant, ut quàm celerrimè excribantur vera verbatim exemplaria Instructionis Cardinalis; & unusquisque *prædicator* & *Confessor* in literis Archiep. nominatus, unum sibi ex istis exemplaribus habeat, ut sub unâ omnes formâ quod ipsis mandatum est exequantur.

Item, ut *Cantuariæ* in Ecclesiâ locetur cista sive pixis ad recipiendum & decenter asservandum quicquid homines offerent; aliaque cista *Maidstoniæ*, alia *Sandvici*; & cuique cistæ pingatur *crux rubea*, & majusculis illi literis inscribatur, ut plebs id sciat, HÆC EST CISTA AD CRUCIATAM ORDINATA; Priorque *Cantuar.* penes se servet Cistæ *Cantuariensis* clavem; Dominus *Rogerus Heron*, *Maidstoniensis*; Commissariusque, illius quæ *Sandvici* futura est.

Item, ut *prædicatores* bonis argumentis plebem ad adjuvandam hanc *Cruciatam* excitent, consideratâ fidei materiâ cujus causâ suscipitur; & quisque Confessor ad loca deputatus in quibus nulla assignatur cista, loca ubi asservantur cistæ, omnibus quibuscum super hac re confert, significet; & si iidem Confessores, vel ex eis aliqui, quid beneficii ad eandem cruciatam à populo recipiant; protinus id sine ulla mora vel fraude, alicui illarum cistarum transmittendum curent, quò securiùs custodiatur, & singulatim dona & donantium nomina describant in chartâ, custodibus cistæ committendâ.

Quantum ad hujusce *Cruciata* prædicationem, non opus est ut sermones fiant solennes; sed tantùm ut de illa clarè & apertè populus fiat certior, ad eamque adjuvandam excitetur, ad salutem animarum suarum, cum rationibus validis & aptis, ut plenam ac planam ejus habeat notitiam.

Vult

Vult etiam & mandat Dom. Archiep. ut populi *Decanatuum* per commiſſarium & archidiaconi officialem eorumque miniſtros citentur ut coram ſe exhibeant, quoties & quotquot in locis publicanda erit prædicta indulgentia: omnique curato, qui *copiam* velit indulgentiæ, concedatur, quo melius parochianis ſuis eam declaret & promoveat.

Item, ut hujuſce *inſtructionis* exemplar unum reddatur Priori, aliud Commiſſario, aliud Burbachio, ne quis eorum neſcientiam ullo modo obtendat; ſed ut ii hac in re munera ſua quam celeri & diligenti poſſint modo, peragant; ſicut illi & quilibet alter Chriſtianus ad tutelam fidei noſtræ obſtringuntur.

[illegible] ¶ Poſtea ſequitur in eodem Regiſtro,

Henricus permiſſione divinâ *Cantuarienſis* Archiepiſcopus, totius Angliæ primas & Apoſtolicæ ſedis legatus, dilectis in *Chriſto* filiis, fratri *Wilhelmo Moleſh* Priori Eccleſiæ noſtræ *Cantuar.* & magiſtro *Jacobo Bourbach*, Archidiaconi noſtri *Cantuar.* officiali, ſalutem, gratiam & benedictionem.

Miſſis nuper per ſanctiſſimum dominum noſtrum *papam* Reverendiſſ. in *Chriſto* patri & Dom. *Henrico* Dei gratia tit. S. *Euſebii* presbytero Cardinali, de *Anglia* vulgariter nuncupato, in univerſa *Germania*, ac *Hungariæ* & *Bohemiæ* regnis Apoſtolicæ ſedis legato, literis Apoſtolicis bullatis, idem Dominus Cardinalis literas ipſas veraciter tranſumptas ſigillo ſuo ac ſigno & ſubſcriptione *Richardi Petteworth*, notarii publici, in fidele teſtimonium earundem munitas nobis jam pridie tranſmiſit, in noſtris civitate & diœceſi, ſub certis modo & forma inferius deſcriptis, publicandas, diligenterque & celerius exequendas: quarum quidem literarum apoſtolicarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis, '*MARTINUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Henrico, tit.* '*S. Euſebii Presbytero Cardinali, in universâ Germaniâ ac Hungariæ & Bohemiæ regnis Apoſto-*'*licæ ſedis legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

'Salvatoris omnium Domini, qui ſe pro redemptione Dominici gregis, ut illum ſuæ 'hæreditatis participem faceret, in pretium immolare non abnuit, vices (licèt imme-'riti) gerentes in terris, circa ejuſdem gregis excubias, ut in Salvatoris noſtri exardeſcens 'beneplacitis, ad cœleſtem gloriam evocetur, vigiliis vacamus aſſiduis; & præſertim 'ne reproborum & hæreticorum, ad præcipitia quæque trahentium inſania, diſtentis ſuæ 'malignitatis & verſutiæ laqueis, inconſutilem Dei tunicam, quæ unionem fidelium 'repræſentat, dilaniet & abſcindat; ſed ut illum Domino lucrifacere, alias verò de-'viantes à catholicis documentis perverſiſſimos homines evertere atque comprimere, Di-'vinâ nobis aſſiſtente gratiâ, valeamus. Conſiderantes igitur iniquitatis alumnos, *Wic-*'*leffiſtas* & *Huſſitas*, aliosque hæreticos & infideles, qui veræ ſalutis ſemitam deſeren-'tes, Chriſtianæ religionis perſecutores acerrimos ſeſe reddunt; quique falſis & veſa-'nis dogmatibus & damnatis erroribus, hæreſumque fomentis orthodoxam fidem ever-'tere molientes, univerſum regnum *Bohemiæ* & partes illi conterminas infecerunt; ac cu-'pientes eorum temeritati, quantum cum Deo poſſumus, obviare, fideles milites *Chriſti*, 'pugiles athletas, vivificæ crucis qua nos à damnatione redemit, charactere inſignitos, 'contra præfatos hæreticos denuo duximus excitandos, ut hæreticos ipſos, qui, Dei 'timore poſtpoſito, Eccleſias, monaſteria & alia pia loca Apoſtolorum, Martyrum '& Confeſſorum ſanguine dedicata, eorumque imagines concremant & evertunt, ac 'fidem catholicam in *Germania* & alibi confundere & delere moliuntur, à nequiſſimis 'eorum propoſitis, quibus in *Chriſtianum* ſanguinem & catholicos ſacerdotes ſæpenumero 'debacchantur, non ſolùm ſpiritualibus, verùmetiam temporalibus convocatis præſidiis 'poſſimus, authore Domino, coercere. Hodie ſiquidem pro ſuccidendis ex agro Do-'minico vepribus peſtiferis ac nocivis, ac quibuſlibet perverſis erroribus de ipſorum hæ-'reticorum mentibus extirpandis, illorumque ſalubri reductione ad gremium ſanctæ ma-'tris Eccleſiæ, paterna ſolicitudine vigilantes, ut quandoque ad cor reverſi ab hujuſ-'modi reſipiſcant erroribus, quibus gregem ipſum ſeducere & inficere moliuntur; & 'ſi forſan in eorum obſtinatione perſeverare voluerint, evertantur; Te ad univerſam *Ger-*'*maniam* ac *Hungariæ* & *Bohemiæ* regna tibi plenæ poteſtatis *Legati de latere* officium com-'mittendo, de fratrum noſtrorum Conſilio, tanquam pacis angelum, providimus deſti-'nandum, prout in aliis noſtris literis deſuper confectis plenius continetur. Nos igi-'tur cupientes ut hujuſmodi legationis officium ad laudem & gloriam divini nominis, 'ac ſalutem & pacem fidelium animarum eò facilius exequaris, quo ampliori fueris 'auctoritate imbutus, directis in cœlum oculis ad illum cujus res agitur, divinum & 'humanum præſidium invocantes, ut hujuſmodi adjuti præſidiis, eorundem hæreticorum 'temeritatem, niſi ſe ad *Chriſtum* converterent, coercere & comprimere valeamus, cha-'riſſimos in *Chriſto* filios noſtros Reges, ac dilectos filios duces, marchiones, Principes,

'barones

'barones, comites, capitaneos, magistratus & quoslibet alios officiales eorumque loca 'tenentes, Communitates quoque & universitates Civitatum, terrarum, oppidorum, ca-'strorum, villarum & aliorum quorumcunque locorum cæterosque Christiani nominis 'zelatores, statûs, dignitatis & religionis cujuslibet, ubilibet per *Angliam* & in locis qui-'buslibet constitutos rogamus, requirimus & hortamur, ac per aspersionem sanguinis 'omnium gloriosissimi Redemptoris, paternis affectibus obsecramus, in suorum remissio-'nem peccaminum, eis suadentes ut ad *Wiclefistarum*, *Hussitarum* & aliorum hæretico-'rum præfatorum subversionem & exterminium, ac ad impendendum tibi contra eos 'profutura suffragia, quibus tam salutaris negotii prosequutio adjuvetur, potenter atque 'viriliter se accingant, quos spiritualibus donis, indulgentiis videlicet & peccatorum 'suorum remissionibus de ipsorum fratrum consilio providimus mittendos. Quocirca 'circumspectioni tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus Tu 'per te vel venerabiles fratres nostros, Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos ac 'dilectos filios electos. administratores, abbates, priores aliosque Ecclesiarum & Mona-'steriorum prælatos & cæteros Christianæ religionis professores ubilibet per Germa-'niam & alibi residentes, quos tibi in coadjutores super his duxeris eligendos, quos per 'te vel deputandum à te contra hæreticos ipsos exercitum convocari, vel expeditio-'nem aut quamvis aliam ordinationem fieri contigerit, ad præmissum tam salutare ne-'gotium prosequendum, veluti præcones fortes exaltando in ipso *Crucis* nomine voces 'vestras in singulis civitatibus & diœcesibus, terris, castris, villis & locis Angliæ qui-'buslibet ubi congruè prospexeris vel prospexerint, juxta datam tibi & illis à Deo pru-'dentiam, quibuscunque Christi fidelibus ad id audiendum confluentibus; quibus verò 'pœnitentibus & confessis ut ad id libentius inducantur, pro vice qualibet accessûs eo-'rum, centum dies de injunctis eis pœnitentiis per te vel per illos quibus id commiseris '(ut præfertur) auctoritate Apostolicâ relaxentur, verbum salutiferæ crucis ac ipsius 'admirabile signum publicè proponere & prædicare procures; ac ipsi patriarchæ, Ar-'chiepiscopi, Episcopi, Electi, administratores, abbates & alii quos elegeris catholici 'sacerdotes studeant & procurent, illudque fidelibus ipsis id devotè suscipere volenti-'bus, tuis ac ipsorum eligendorum exhortationibus ac opportunis monitionibus præviis, 'ut cum debitâ reverentiâ tam gloriosum signum recipiant, idque contra perversa moli-'mina & conatus eorundem hæreticorum, suis cordibus imprimant & negotiorum hu-'jusmodi fidelibus & ferventibus animis persequantur, eadem auctoritate concedas, & 'ipsi eligendi concedant, eorumque humeris affigas pariter & affigant. Nos enim ab 'intimis nostris præcordiis affectantes ut toti orbi innotescat quanta mentis nostræ ama-'ritudine sustinemus contra gregem Christi talia perpetrantes, tantisque insolentiis & 'facinoribus, quantum cum Deo possimus, obviantes, & ut fideles ipsi ad id eò fer-'ventius animentur quò veriorem gratiam exinde se noverint percepturos, de Omni-'potentis Dei misericordiâ & beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, auctorita-'te confisi, & illa quam dedit nobis Deus ligandi atque solvendi potestate, eisdem fi-'delibus qui *Crucis* ejusdem signo suscepto per illud tempus quod per te vel alium in 'hujusmodi prædicatione eis duxeris præfigendum, & quoties pro extirpatione hæresum 'ad te veniendo, vel quo fideles ipsos contra eosdem hæreticos accedendo transmiseris, 'contra illos præfato exercitui in personis propriis interfuerint, & expensis quibus ut 'inibi interessent, sine fraude iter arripuerint, si in ipso fuerint itinere vitâ functi, ple-'nam suorum peccaminum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, veniam 'impertimur, & in retributionem justorum, salutis æternæ pollicemur augmentum; 'eisque qui non in personis propriis illuc accesserint, sed ipsorum duntaxat expensis, 'juxta suarum facultatum qualitatem & exigentiam idoneos destinaverint bellatores, ac illis 'licèt alienis expensis, propriis tamen adierint in personis, plenam suorum concedimus 'veniam peccatorum: cæteros verò qui in personis propriis interesse, & propter in-'opiam suis expensis alios destinare nequiverint, dummodo hujusmodi durante prose-'secutione negotii, in jejuniis & orationibus perseverent, suppliciter exorando quòd 'Altissimus dignetur ipsos fideles de perversis hæreticis victoriam reportare, sexaginta 'dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus: hujusmodi quoque remissi-'onis volumus & concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii, & devotionis af-'fectum, eos omnes qui durantibus expeditione & exercitu supradictis, pro hujusmodi 'consummatione negotii congruè ministraverint & circa illud auxilium & consilium 'impenderint opportuna; universos præterea & singulos, quos eodem signo *Crucis* mu-'niri contigerit (ut præfertur) illo privilegio illaque immunitate gaudere decernimus, 'quæ crucesignatis pro *terra sancta* subsidio in generali Concilio sunt concessa, eorumque 'personas necnon familiam, res & bona sub beati Petri & Apostolicæ sedis atque nostra

'protectione

'protectione permanere debere; statuentes insuper ut bona prædicta extunc, donec de eorum reditu vel obitu certissimè constiterit, integra maneant & quieta: illorum verò Archiepiscopi, necnon Archidiaconi & alii superiores, eorumque officiales, ipsos ac hujusmodi bona auctoritate prædictâ tueantur; non permittendo eos, contra hujusmodi statuti tenorem ab aliquibus indebitè molestari; molestatores & contradictores quoslibet & rebelles per censuram Ecclesiasticam & alia juris remedia, appellatione postpositâ, compescendo; invocando etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis; non obstante si aliquibus communiter vel divisim à dictâ sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possent per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Cæterum ut ipsius vivificæ *Crucis* signo muniti eò facilius reddantur hujusmodi remissionum & indulgentiarum participes, quò se liberius eximere posse conspexerint ab onere delictorum, tibi & eisdem Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Abbatibus & Prælatis ac aliis idoneis sacerdotibus, secularibus vel regularibus, ad id per te assumendis, de quibus tibi pro tempore visum fuerit, ut tu & ipsi, omnium pro hujusmodi negotii expeditione consignatorum, confiteri volentium, confessiones audire, ipsisque confessionibus diligenter auditis, pro peccatis suis & excessibus omnibus per illos commissis, etiamsi * ex manuum injectione in clericos & religiosos, aut incendiarii vel sacrilegi fuerint, debitæ absolutionis beneficium impendere & injungere pœnitentiam salutarem, etiamsi hujusmodi peccata tam grandia & enormia essent, propter quæ dicta sedes esset meritò consulenda, liberè & licitè valeas, authoritate prædictâ, tenore præsentium indulgemus. Verùm quia difficile videretur præsentes literas sigillis exhiberi, volumus quòd tu hujusmodi literarum transsumptum, propriâ manu confectum, tuoque sigillo impendenti injunctum, personis & locis singulis, ubi & quando tibi expedire videbitur, transmittere & insinuari procures: cui quidem transsumpto, velut originalibus literis ubique dari volumus & decernimus plenam fidem. Dat. *Romæ*, apud Sanctos Apostolos XV Kal. *April.* Pontificatus nostri anno decimo.

* Quot & quantæ sunt artes fallendi mundum! furum & omne genus scelestorum absolutio à *Papâ* offertur, si modo contra *Bohemos* pugnaverint: annon verisimile est præclarum fuisse hunc *furciferorum* exercitum?

Nos igitur *Henricus* Archiepiscopus antedictus, volentes præfatas literas Apostolicas & singula in eis contenta, quatenus nos civitatemque nostram & diœcesim concernunt, auctoritate Apostolica per dictum dominum Cardinalem nobis commissa publicare & reverenter exequi, ut tenemur, vobis conjunctim & divisim committimus & mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ firmiter injungendo, quatenus literas ipsas Apostolicas & plenum effectum earundem in Ecclesiâ nostrâ Cathedrali villisque & locis aliis nostræ diœcesis, ac in synodis & capitulis clerique congregationibus, coram clero & populo specialiter ad hoc vocatis, clarè, distinctè & apertè in vulgari, cum exhortationibus devotis & inductionibus, diebus festivis & Dominicis receptionem vestram præsentium proximè & immediatè sequentibus publicetis, & sic faciatis ab aliis publicari; intimantes eisdem clero & populo ac *Christi fidelibus* nostræ diœcesis quibuscunque, quòd nos auctoritate Apostolicâ per præfatum dominum Cardinalem nobis (ut præfertur) commissâ, certos ordinavimus & deputavimus (prout tenore præsentium ordinamus & deputamus) prædicatores & confessores in locis diversis nostræ diœcesis; videlicet, dilectos in *Christo* filios, fratres *Jacobum Grove* & *Thomam Ashe*, monachos Ecclesiæ nostræ *Cantuariensis*, in Ecclesiâ & civitate nostrâ *Cantuariæ*; fratrem *Johannem Wotton*, priorem *Doveriæ*, apud *Dover*; magistrum *Matthenm Asheton*, legum doctorem, apud *Wingham*, magistrum *Thomam Meowe*. in Decretis licentiatum, apud *Deal* & *Sandvicum* & illas partes; & magistros *Johannem Gorsich*, baccalaureum in Theologiâ, vicarium Ecclesiæ de *Wrotham*, ac *Johannem Bottle*, in legibus baccalaureum, apud *Maidston* & in illis partibus, magistrum *Johannem Warreve*, legum doctorem, rectorem Ecclesiæ beatæ *Mariæ* in *marisco* & *Romney*, ac Magistrum *Walterum Adam*, in legibus baccalaureum, rectorem Ecclesiæ parochialis de *Allington*, & dominum *Wilhelmum Love* Vicarium de *Lyde*, ibidem & pro partibus illis; quos ad hoc tam in munere sufficientes quàm in scientia idoneos pro populo nostræ diœcesis reputamus; qui quidem prædicatores verbum *crucis* salutiferæ & ipsius admirabile signum cunctis *Christi fidelibus* insinuabunt, proponent & publicè prædicabunt. ipsorumque confessiones audient, eosque à peccatis eorum absolvent, & signum sanctæ *crucis* hujusmodi omnibus & singulis suscipere volentibus concedent, & ipsorum humeris affigent juxta & secundum formam & effectum informationum, instructionum & articulorum præfati domini Cardinalis maturè in hac parte digestorum; quos vobis transmittimus præsentibus alligatos, adque omnia & singula facienda & exercenda præfatis prædicatoribus & confessoribus divisim (ut præfertur) auctoritate qua suprà, plenam committimus in Domino potestatem; absolutionibus tamen omnium & singulorum *Crucesignatorum* in casibus gravibus, propter quos sedes

Apostolica

Apostolica foret consulenda præfato domino Cardinali specialiter reservatis. *Volumus* insuper & auctoritate supradicta *mandamus* quòd singuli prædicatores & confessores superius nominati & deputati, in vestris manibus Corporalia præstent juramenta, quòd ipsi quæ sibi committuntur in præmissis, justè, bene & fideliter exequantur, juxta & secundum informationes & instructiones superius memoratas. Siqui verò fuerint qui hujusmodi sanctæ *Crucis* signum à nobis affectent recipere, ad nostram accedant præsentiam, qui semper parati erimus, per Dei gratiam, in personâ propriâ, cum totius animi devotione totum id eis, quod nobis auctoritate qua suprà committitur, impertiri. Dictis insuper *prædicatoribus* & *confessoribus* nostra pro parte vobis exponere mandamus, quòd ipsorum singuli nomina singulorum per ipsos & eorum quorumlibet *crucesignandorum* redigi faciant in scripturam: moneant etiam iidem prædicatores & confessores *crucesignatos* hujusmodi quoscunque, quòd ante vel post ipsam susceptam crucem, ad præsentiam præfati domini Cardinalis, ubicunque fuerit, ad ultimum citra primum diem mensis Martii proximè futurum, personaliter accedant; audituri ab ipso & sciturі quid ulterius in dictæ *Crucis* negotio fuerit faciendum. Et quid feceritis in præmissis, nos citra vicesimum diem mensis *Februarii* proximè futurum, debitè, distinctè & apertè certificetis per vestras, & sic certificet uterque vestrûm per suas literas patentes harum seriem, ac nomina & cognomina crucesignatorum hujusmodi, quæ vos à prædicatoribus & confessoribus prædictis recipere volumus in schedulâ, literis vestris certificatoriis annectenda, descripta continentes, authenticè sigillata. Dat. in manerio nostro de *Slyndon*, primò die mensis *Januarii*, anno Domini M. CCCC. XXVIII; & nostræ translationis anno XV°.

¶ Postea sequuntur Articuli in bullâ *Cruciata* contenti, quos ex veteri sermone *Anglico*, in *Latinum* sic transtuli Fol. 146. b.

Hæc sunt quæ continentur in bullâ *Cruciata*, à sanctissimo patre nostro papâ Domino Cardinali &c. commissâ, in *Articulos* qui sequuntur digesta.

I*Nprimis*, Post eorum descriptionem quæ sanctum patrem nostrum, papam, ad hanc *Cruciatam* concedendam moverunt, orat, requirit & hortatur Reges, Duces, Marchiones, Principes, Barones, Comites, omnesque alios Dominos, Communitates, cunctosque alios *Christianos*, auxilium & adjutorium domino Cardinali porrigere in destruendis sectæ *Wicliffianæ* & *Hussi* hæreticis per regnum *Bohemiæ*: ad quod iis eos excitat & inducit indulgentiis & remissionibus peccatorum, quæ ibidem sequuntur.

Item, sanctus pater noster commisit & in mandatis dat dicto domino Cardinali ut per se aut per alios, id est, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, aliosque prælatos, verosque per *Germaniam* & alibi *Christianos*, quos sibi in auxilium vocare visum fuerit, quotiesq; exercitum colligi vel expeditionem fieri contigerit contra dictos hæreticos, in omnibus civitatibus, diœcesibus, terris, castellis, oppidis locisque tam in *Anglia* quàm alibi, ubicunque illi expedire visum fuerit, ille & illi procurent atque ordinent ut verbum *Crucis*, signique istius mirifici mysterium palam proponantur & prædicentur quibusque *Christianis* veris qui ea cupiunt audire.

Item, sanctus pater noster concedit omnibus veris *Christianis* pœnitentibus & confessis *centum dies indulgentiæ* quoties ad prædicationem *Crucis* à dicto domino Cardinale, vel quovis alio ad id muneris ab illo deputato factam.

Item, ut dictus dominus Cardinalis, illique supradicti ab eo electi, post convenientes utilesq; hortatus, verorum Christianorum humeris, eam suscipere *volentium*, cum debita reverentiâ sanctæ crucis signum concedant, imponant, affigantque.

Item, omnibus illis qui sic sanctæ crucis signum suscipiunt, & quamdiu dictus dominus Cardinalis, illive supradicti ab illo ordinati & deputati assignaverint, intersunt exercitui vel expeditioni contra hæreticos prædictos propriis personis & expensis, seu sponte eapropter ad dictum dominum Cardinalem accedant, seu ab illo mittantur contra hæreticos prædictos, sanctus pater noster plenam omnium peccatorum, de quibus ritè pœnitentiam egerint & confessi fuerint, concedit, & in retributionem justorum, aditum ad beatitudinem sempiternam pollicetur.

Item, Sanctus pater noster pariter omnibus iis qui sine fraude pergunt in vel versus expeditionem contra hæreticos prædictos, seque ei, si possent, miscerent, etiamsi in itinere forsan moriantur, plenam concedit remissionem.

Item, sanctus pater noster parem donat remissionem omnibus illis qui pro facultate suâ eò bellatores strenuos & sufficientes contra dictos hæreticos propriis impensis mittunt, ipsi quamvis maneant domi.

Item, sanctus pater noster parem eis dat remissionem qui propriis in personis contra dictos hæreticos militant, etiamsi alienis impensis conducantur.

Item, sanctus pater noster *sexaginta dies indulgentiæ* omnibus iis concedit, qui neque in propriis personis militare, nec præ paupertate militem alere queunt, modò durante contra dictos hæreticos expeditione, jejunia peragant orationesque fundant ut Dominus noster ex gratiâ suâ de maledictis hæreticis supra nominatis triumphum exercitui verorum *Christianorum* largiatur.

Item, jam supradictæ remissionis participes erunt qui juxta proportionem juvaminis, amoris, zeli & devotionis, durante prædictâ expeditione, in salutarem hujus negotii finem, servitium suum conferunt vel bona sua, consilium, auxiliumve præstant.

Item, qui modo prædicto signum *Crucis* accipiunt, iisdem privilegiis & immunitatibus gaudebunt quæ conceduntur illis qui accipiunt signum *Crucis* in subsidium & auxilium sanctæ * *Crucis*.

* Fort. terræ.

Item, omnes illi qui sic *Crucis* signo induuntur, in eorum personis, familiis & bonis proteguntur à S. *Petro* & à N. S. P. & sede *Romanâ*.

Item, N. S. P. ordinat ut eorum bona, donec vel redierint, vel de eorum morte, si in itinere obeant, constiterit, integra maneant & tranquilla; & eorum prælati auctoritate N. S. P. & ecclesiæ ea defendant, nec eos sinant indebitè lædi aut molestari, eos qui contradixerint, censurâ Ecclesiasticâ compescendo; invocato, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, non obstante quicquid in contrarium indultum sit.

Item, S. P. N. dicto domino Cardinali concedit, & prælatis prædictis & omnibus sacerdotibus congruis, tam *secularibus* quàm *regularibus*, ab eo electis, ut confessiones eorum omnium qui modo prædicto signum *crucis* accipiunt, audiant, iisque beneficia absolutionis & salubris pœnitentiæ de omnibus peccatis & excessibus admissis impertiantur; & etiamsi *crucesignati* manus clericis vel religiosis injecerint violentas, vel incendiarii sacrilegive fuerint, vel alia flagitia tam gravia & turpia perpetraverint, ut nusquam terrarum nisi in *aula Pontificis* condonari possunt, dictus *nihilominus* dominus Cardinalis potestatem habet & auctoritatem plenam à *papâ* ipso sibi concessam, ea omnia [*quàm facillimè & dicto citius*] diluendi.

Item, siqui sint qui ex majori devotione *crucesignari* malint ab Archiepiscopo *Cantuariensi* quàm à confessoribus ab illo intra suam diœcesim ordinatis & deputatis, dictus Dominus Archiepiscopus est & erit paratus eis morem gerere, quandocunque ad ipsum accesserint.

Fol. 149. ¶ *Postea* in eodem Registro Ms. hæc *Latinè* scripta sequuntur,

Instructiones datæ per Reverendissimum in *Christo* patrem & Dominum *Henricum* tit. S. *Eusebii* presbyterum Cardinalem, de *Angliâ* vulgariter nominatum, sedis Apostolicæ legatum, prædicatoribus verbi *Crucis* contra *Wicleuistas* & *Hussitas* in regno *Bohemiæ* consistentes, specialiter publicando per *Angliam* de consensu Regio Domini nostri metuendissimi per digestam deliberationem consiliariorum ejusdem.

PRimò, Quòd prædicantes *crucem* contra *Wicleuistas* & *Hussitas* aliosque hæreticos, quibuscunque *Christi* fidelibus ad audiendum prædicationem ipsam confluentibus, pœnitentibus & confessis, pro qualibet vice accessûs eorum *centum dies indulgentiarum* de injunctis eis pœnitentiis auctoritate apostolicâ & ipsius domini Legati relaxent.

Item, quod omnibus & singulis *crucem* ipsam super se pro dictorum hæreticorum expugnatione devotè suscipere volentibus, signum saluriferæ *crucis* ejusdem tradant & humeris suis affigant; salutaribus tamen exhortationibus & monitionibus præviis; ut cum debitâ reverentiâ tam gloriosum signum suscipiant, illudque contra perversos conatus hæreticorum eorundem cordibus suis firmiter imprimant & negotium ipsum fidelibus & ferventibus animis prosequantur.

Modus autem signum *crucis* hujusmodi affigendi (quatenus affixio ipsa eò conformius in singulis civitatibus, diœcesibus atque locis, eóque celerius expediatur) sit, quòd facto signo *crucis* de serico vel panno rubeo, signum ipsum suscipere volentibus cum acu affigatur, quod suscipientes postea consuere poterunt & firmare, unusquisque ad modum suum.

Item,

Item, ſacerdos vel prædicator ſignum *crucis* affigendo, dicere habebit hanc brevem orationem, * *Inſuperabili, quæſumus Domine, tuâ virtute cuſtodi quem ſigno ſanctiſſimæ crucis, contra tuos & Eccleſiæ tuæ ſanctæ pertinaces adverſarios muniri tribuiſti, per Chriſtum Dominum noſtrum* &c.

* Mirum nullam ſtatui hic ad ipſam *Crucem*, orationem ; ſicut aliàs in hujuſmodi hominum orationibus legitur ; ſed nondum fortaſſe ad tantam dementiam deventum erat.

Item, poſtquam per ipſos prædicatores, vel alium ſeu alios, idoneum vel idoneos, ad executionem præmiſſorum deputandum ſeu deputandos, unus vel plures *crucem* ſuis humeris affixam ſuſceperit vel ſuſceperint, cum notâ vel ſine notâ ſicut placuerit, intonetur Antiphona, *Per ſignum crucis*, & non ultra : Deinde legatur iſte Pſalmus uſque ad finem, *Benedicam Dominum in omni tempore*, &c. Quo expleto dicatur completè dicta Antiphona, *Per ſignum Crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter* ; expoſt dicatur, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon ; Pater noſter :* deinde dicantur verſiculi ſubſcripti, *Et ne nos inducas in tentationem ; ſed libera nos à malo. Adoramus te, Chriſte, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam ſanctam redemiſti mundum. Salvos fac ſervos tuos, Deus meus, ſperantes in Te. Nihil proficiat inimicus in eis : Filius iniquitatis non apponat nocere eis : Eſto eis, Domine, turris fortitudinis à facie inimici & perſequentis : Mitte eis auxilium de ſancto, & de Sion tuere eos. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.* Oremus.

*Omnipotens & miſericors Deus, mœſtorum conſolatio, laborantium & tribulatorum fortitudo, perveniant ad te preces populi Chriſtiani, ut in neceſſitatibus ſibi graviter imminentibus, miſericordiam tuam, quam in * ſpiritu humilitatis contra adverſarios benedictæ crucis tuæ humiliter exquirunt, ſibi gaudeant affuiſſe. Domine Jeſu Chriſte, Rex æternæ gloriæ, qui homo propter hominem & ipſius ſalutem factus, mortem crucis ſubire dignatus es, famulis tuis, qui glorioſum ejuſdem ſanctæ crucis ſignum ſuis humeris affixum reverenter & devotè ſuſceperunt, aſſiſte propitius, eiſque pro defenſione fidelium tuorum & Chriſtianæ ac rectæ fidei conſervatione, ab inſultibus & periculis tuorum & ejuſdem ſanctiſſimæ Crucis hoſtium liberatis, victorioſum contra eoſdem tuâ inſuperabili virtute concede triumphum.*

* Sibi ſumunt *ſpiritum humilitatis*, & noſtris inurunt *Crucis inimicitiam*; utrumque verò longè alio ſenſu quàm S. *Paulus* ea voluit intelligi ; qui militiæ *Chriſtianæ* arma non carnalia eſſe (qualia hæc ſunt) prædicavit.

Prætende, quæſumus, Domine famulis tuis dexteram cœleſtis auxilii, quos pro gloriâ tui nominis ſigno ſanctiſſimæ crucis inſignitos, propugnatores catholicæ veritatis populique fidelis contra perfidos & obſtinatos hæreticos eſſe voluiſti, per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Dominus vobiſcum, &c. Benedicamus Domino, &c.

Item, omnibus & ſingulis qui exercitui *Chriſti* fidelium contra ipſos hæreticos congregando propriis in perſonis & expenſis per tempus deputatum interfuerint, omnibus etiam & ſingulis, qui ut intereſſent ſine fraude iter arripuerint, ſi in ipſo itinere forſan ab hac vita deceſſerint, *plenam * remiſſionem omnium peccatorum ſuorum de quibus confeſſi & contriti fuerint, eadem auctoritate valeant impertiri*, & in retributionem juſtorum augmentum ſalutis æternæ *pollicemur*.

* Belliſſima peccandi opportunitas.

Item, illis qui in propriis perſonis illuc non acceſſerint, ſed juxta ſuam facultatem per ſe idoneum ſeu idoneos, bellatorem vel bellatores ad id ipſum ſuis expenſis deſtinaverint ; & ſimiliter illis qui in perſonis propriis, licèt in alienis expenſis vel alias adierint, plenam etiam *concedant dictâ auctoritate veniam peccatorum*.

Item, omnibus & ſingulis qui pro hujuſmodi conſummatione negotii congruè miniſtraverint, & circa ipſum conſilium ſeu auxilium impenderint opportunum, juxta eorum poſſibilitatem, & quoties id fecerint, toties eis & eorum ſingulis *Sexaginta dierum indulgentiam* eadem auctoritate relaxent vel relaxata denuncient.

Item, illis qui in propriis perſonis dicto exercitui intereſſe, & propter inopiam ſeu paupertatem alios deſtinare, nequiverint ; omnibus etiam clericis, tam ſecularibus quàm regularibus, monachis, fratribus, monialibus, ſororibus incluſis & aliis devotis utriuſque ſexûs perſonis, dum tamen durante perſecutione dicti negotii in jejuniis & orationibus perſeverent orando ſuppliciter quòd Altiſſimus ſuis fidelibus contra dictos hæreticos & ad eorum expugnationem tranſeuntibus, de ſua pietate victoriam & triumphum dignetur elargiri, ſingulis diebus quibus hujuſmodi jejuniis & orationibus juxta moderamen ſubſcriptum inſiſtere curaverint, *ſexaginta* ſimilium *dierum indulgentiam de injunctis * eis pœnitentiis dictâ auctoritate relaxent*. Et quatenus præнominatæ

* Cum tempus bimeſtre à pœnitentiâ feriandi, & à ſolicitudine & contritione peccatorum ſolutos eſſe, tam liberè militantibus, & *quocunque modo rem anti-Bohemicam* promoventibus conceditur, quid ſperandum eſt, niſi ut majorem indies pœnitentiæ occaſionem cuderent, & ſcelera ſceleribus accumularent? annon bellè *interea* papa & Cardinalis contra peccantium errores & turpitudines cavent, dum tam benignè debitam eis relaxant pœnitentiam ? Conveniunt hæc quidem religioni Pontificiæ ; Chriſtianam autem ſummâ afficiunt injuriâ.

per-

personæ sciant quibus orationibus & jejuniis dictas indulgentias consequantur, idem reverendissimus pater & dominus vult & eadem auctoritate disponit, quòd indocti seu illiterati pro hujusmodi indulgentiis consequendis singulis diebus ipsis dicant decem [*pater noster*] & totidem [*ave Maria*] docti verò & literati dicant *septem Psalmos pœnitentiales* cum *litania* & *nonnullis collectis* sive *orationibus* ad id congruentibus; & nihilominus qualibet septimanâ, dictâ prosequutione durante, semel saltem & eo die quo ad jejunandum aliunde non fuerint astricti, jejunare teneantur; dum tamen ad faciendum orationes & jejunia hujusmodi, ætate, ægritudine, seu quotidianis gravibus laboribus vel aliàs ex rationabili causâ non fuerint impediti: in quo casu orationes & jejunia ipsa in aliâ opera pietatis, juxta discretionem confessoris & personarum qualitatem, pro dictis indulgentiis obtinendis, præfatâ auctoritate commutent.

Item, quòd omnes & singuli, quos, ut præfertur, ipso signo *crucis* muniri contigerit, privilegiis & libertatibus, &c. quæ *crucesignatis* pro subsidio *terræ sanctæ* transeuntibus, in Concilio generali sunt concessæ, gaudere; eorumque personæ, familiæ, res & bona sub beati *Petri* & sedis apostolicæ protectione permanere debeant & aliter tueri debeant, prout in bullâ *Cruciatæ* continetur, per suos prælatos vel eorum vices gerentes.

Item, præfati prædicatores *crucis* habebunt audire confessionem omnium *crucesignatorum* confiteri volentium, & confessionibus eorum diligenter auditis, pro peccatis suis & excessibus (nisi peccata ita grandia fuerint & enormia ut sedes apostolica propterea meritò foret consulenda: in quibus omnibus absolutionem dictus dominus legatus sibi reservat, & vult quòd ad ipsum in eisdem casibus habeatur recursus) ipsis sic confessis absolutionis beneficium impendere, & injungere pœnitentiam salutarem; nihil tamen à confitentibus ipsis seu eorum aliquo, ultra unum quadrantem, etiamsi sibi sponte offeratur, recepturi, sub excommunicationem & suspensionem ab executionis pœnis quas ipsos & eorum quemlibet & qui contrà fecerint vel contrà fecerit, incurrere vult dominus legatus *ipso facto*.

* Forma absolutionis.

Modus autem absolvendi dictos confitentes, erit * iste: *Dominus noster Jesus Christus, pro salute generis humani crucifixus, te dignetur absolvere, & ego auctoritate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & Sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Martini papæ quinti, ac ipsius domini legati, qua fungor, te ab omnibus & singulis excommunicationis majoris & minoris, suspensionis & interdicti sententiis atque pœnis, siquibus ligatus es, & necesse fuerit, te absolvo, In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Amen.* Item, *Eadem auctoritate absolvo te ab omnibus & singulis peccatis tuis de quibus mihi confessus es, vel libenter velles confiteri si tuæ memoriæ præsentialiter occurrerent; & restituo te Communioni fidelium & Sanctæ matris Ecclesiæ sacramentis, In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Amen.* Item, *tibi qui signum Sanctæ crucis pro expugnatione dictorum Wiclefistarum & aliorum hæreticorum, ad divini nominis gloriam & honorem, Ecclesiæ sacrosanctæ reverentiam, orthodoxæ & catholicæ fidei defensionem ac Christi fidelium pacem & salutem procurandam, humiliter & devotè suscepisti (dum tamen exercitui Christi fidelium contra hæreticos ipsos congregando, personaliter & propriis in expensis seu aliàs interfueris, & ad hujusmodi expugnationem faciendam unà cum aliis processeris; seu, si ut eidem exercitui interesses, cum intentione contra dictos hæreticos procedendi, iter sine fraude arripueris, & forsan Dei nutu, in itinere constitutus Carnis debitum persolveris) auctoritate prædictâ plenam tuorum peccaminum, de quibus corde contritus & ore confessus es, veniam & indulgentiam impertior; ac in retributionem justorum salutis æternæ pollicеor augmentum, In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.*

Item, illis qui non vadunt propriè in personis, sed juxta facultatum suarum exigentiam, sub expensis propriis mittunt unum vel plures, bellatorem vel bellatores, sic dicatur

Item, tibi qui pro expugnatione Wiclefistarum, Hussitarum & aliorum hæreticorum, ad divini nominis gloriam, Ecclesiæ sacrosanctæ reverentiam, orthodoxæ & catholicæ fidei defensionem & ad fidelium pacem & salutem procurandam, bellatorem vel bellatores tuis expensis, juxta tuarum exigentiam facultatem destinasti, auctoritate prædictâ, plenam tuorum peccaminum, de quibus corde contritus & ore confessus es, veniam & indulgentiam impertior, ac in retributionem justorum salutis æternæ pollicеor augmentum, In nomine Patris & Filii, &c.

Pro illis autem qui pro consummatione hujusmodi negotii aliquid contribuunt, sed longè citra facultatum suarum exigentiam, sic dicatur

Item,

Item, tibi &c. ut supra, usque *procurandam* inclusivè; & deinde subjungatur, *pro hujusmodi consummatione negotii de tuis facultatibus,* * *citra tamen tuarum exigentiam facultatum, seu aliàs consilium vel auxilium opportunum impendisti & contribuisti, remissionis & veniæ pro hoc negotio per sanctam sedem Apostolicam concessa, auctoritate prædictâ, juxta tua devotionis affectum.*

* Quasi qui parcè vota vel crumenas aperiunt, parcè quoque *papæ benedictiones* metant. Quantum potest superstitio cum calliditate conjuncta! Hæc proponuntur, ut animentur *stulti*, ad contributionem, & tenaces pudefiant de parsimoniâ: nulla autem omnino, Lector, cautio, nequis ex prompto nimis succursu, superstitiosè *excitato*, *rem* familiarem læderet; nec ulla compensandi *datores alacriores* cura, magis quàm *alios*; cum tamen pari ratione, qua *parci parcius* metunt, *prodigi* quoque rerum suarum ad hoc subsidium, *copiosius* fuissent remunerandi: Sed tota res *tricis* constitit & fraudibus.

Item, idem Reverendissimus pater & dominus Cardinalis, legatus, hortatur & *mandat*, quatenus in omnibus & singulis Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis & Parochialibus Ecclesiis atque Conventibus, primus Dominicus cujuslibet mensis *ante missam* in ambitu sive circuitu ipsarum Ecclesiarum, vel alibi, prout devotius & commodius fieri potest, *processiones* fiant *generales* solenniter & devotè per personas Ecclesiasticas, populo ad hoc invitato, cum *litaniis, responsoriis* & *collectis* juxta consuetudinem Ecclesiarum earundem; & deinde in Ecclesiis ipsis cantetur *Missa* solenniter pro dicti negotii fidei expeditione foelici.

Item, in prædictâ *missâ*, quæ semel, ut præmittitur, cantanda erit in mense, post dictam *Orationem Dominicam*, videlicet postquam chorus respondendo cantaverit [*Sed libera nos à malo*] legetur Psalmus [*Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, &c.*] cum *versiculis & collectis* pertinentibus ad id ipsum per hunc modum,

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster — Et ne nos inducas, &c.
Et post sequantur versiculi,
Domine salvos fac Reges.
Et Exaudi nos in die qua invocaverimus Te.
Salvum fac populum tuum, Domine,
Et benedic hæreditati tuæ:
Et rege eos & extolle illos usque in æternum.
Fiat pax in virtute tuâ,
Et abundantia in turribus tuis.
Domine exaudi, &c.
Dominus vobiscum, &c.
Orationes verò sequantur.

Ecclesiæ tuæ preces, quæsumus, Domine, benignus admitte, ut destructis adversitatibus & erroribus universis, securâ tibi serviat libertate.

Alia.

Hostium nostrorum, quæsumus, Domine, elide superbiam, eorumque contumaciam dextræ tuæ virtute prosterne.

Alia.

Omnipotens & misericors Deus, qui subvenis in periculis & necessitatibus laborantibus, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum qui famulos tuos in angustiis & necessitatibus laborantes, consolationibus attollat; quibus & de præsenti consequantur auxilium, & æterna remedia comprehendant, per Dominum nostrum &c.

Singulis autem sacerdotibus dictum *Psalmum* cum *versiculis* & Collectis hujusmodi infra *missam* quam pro tempore celebraverint, dicentibus, & aliis, dictis *processionibus* & *missis* interessentibus ac observantibus præmissa; & qui *septem psalmos pœnitentiales*, vel *viginti quinque vicibus* [*Pater noster*] cum [*Ave Maria*] tunc dixerint, præfatus dominus legatus * *centum dierum indulgentias*, dictâ auctoritate impertitur.

* Munificentissimè id quidem: æquum autem erat, ut qui *secundam operam* ad *Stratagema* hoc struendum locarent, insigniter forent compensandi.

Item,

Item, Si suscepturi *crucem* emiserint forsan vota sedi apostolicæ reservata, ut sunt ultramarina, vel S. *Jacobi* Apostoli, &c. vota ipsa per hujusmodi dominum legatum (quem propter hoc consulere habebunt) commutari poterunt, sic quòd votis ipsis astricti, in personis propriis, si robur corporis & facultas assistant, debeant contra dictos hæreticos in exercitu congregando transire, alias expensas quas rectâ æstimatione prævia, eundo & redeundo verisimiliter fecissent, seu facturi essent, pro alio vel aliis transeunte vel transeuntibus, ad id ipsum juxta suam facultatem impendant; & nihilominus eis qui hujusmodi votum emiserunt quod infra tempus hujusmodi in ipso forsan voto præfixum non impleverint, pro omissione & negligentia hujusmodi, aliqua, ultra præmissâ, pœnitentia salutaris, juxta ejusdem domini legati moderamen, debet injungi. In isto *articulo* & *sequenti* sint *prædicatores* hujusmodi advisati ita, ut si ipsis talis casus evenerit, quòd confitentem cum avisatione contentorum in dictis *articulis* ad Dominum * *legatum* remittant.

* Iniquum enim esset, ut is qui *primas* in condendâ fraude obtinuerit, corradendæ simul pecuniæ impos esset, nullumve sibi ad lucrum expiscandum, aditum reliquisset.

Idem etiam circa *mulieres* dictis † votis forsan astrictas, dum tamen juxta suas facultates, & confessorum suorum discretionem per se tantum, vel unà cum alio vel aliis, unum vel plures, * bellatorem vel bellatores ad præmissum exercitum contra dictos hæreticos destinaverint, quoad ipsius voti commutationem, debet observari.

† Quid autem mulieribus cum *peregrinatione religiosâ*? cum eas monet S. *Paulus domi manere* (id enim vult [οἰκουρὸς] non (ut vetus translatio habet) *domûs curam habentes*; etiamsi vel sic reddita vox parum favet ambulatricibus istiusmodi nugatoriis, quæ quidvis foràs & extra maritorum conspectum agere, sub devotionis specie, quàm familiam & res domesticas curare malint.)

* Licèt à belligerando, Amazonum more, exinaniantur fœminæ; eas tamen vult *Legatus* aliquid opis in exercitum conferre, & quod nequeunt per se, per alium efficere. Nihil ergo intentatum relinquitur quò pauperes *Bohemi* à crudeli exercitu citiùs sternantur & funditus extirpentur. Hunc autem exercitum, *Asinorum* exercitum appellârim; nisi quòd *Asini* (si liceat in re gravi ludere) *crucesignentur in humeris* ab ipso Deo; illi verò solum à *Papâ* ejusque ministris; *Asinorum* potius quam quorumvis aliorum animalium nomen meriti.

In præmissis taliter vos dicti domini prædicatores habentes quòd tantæ rei persecutio debitum sortiatur effectum, fideque *Christianâ* deviantium temeritas compescatur, ac vos gloriam consequamini sempiternam.

¶ Hactenus Registrum *Willielmi Molesh* Prioris Ecclesiæ *Christi Cantuar.* qui in locum *Johannis Wodnysbergh* decessoris defuncti suffectus est ab *Henrico Chichlee* anno 1428. E quo vidisti, Lector, egregiam *papistarum* in nostros benevolentiam; accinge demum animum ut *Bohemiæ* Capitaneorum tonitru simul audias, quod unà cum tympanis ex *Ziscæ* pelle conficiendis, si fuisset fatis, classicum *exercitui consecrato* canit acerrimum & formidandum.

E. B.

E. B. Lectori Salutem.

EPistolam, quam lecturus es, *Bohemorum* descripsi è libro quodam MS. chartaceo Reverendissimi in Christo Patris, ejusdemque patroni mei honoratissimi ac Dom. D. *Wilhelmi* Archiepiscopi *Cantuariensis*, sub id tempus, quo data est, scripro: quæ an alibi extet impressa planè nescio: appellatur *Litera dampnabilis Bohemorum* à scribâ nescio quo, juxta istius ætatis cæcitatem & præjudicium. Non expectes, lector, tersam & nitidam orationem à militibus; qui stricto gladio, non flosculis rhetoricis mentem suam Regibus, &c. aperiebant; & *Romanam* sævitiam in suos exercitam non inultam ferre secum statuebant. Sequitur in eodem libro responsio quædam ad hanc Epistolam viri cujusdam *Cantabrigiensis*, quæ sic incipit

Transfigurati Domini exactis solempniis, quibus Divinæ Trinitatis ac universi status superum hominumque, rerum quoque universitatis omnium Christo testimonium firmissima unaque voce perhibentium autentico senatus Uranici comitio, veluti quandam æternitatis effigiem gratulanter exegimus; ad nos fœlicibus in Anglorum studiis immorantes horrendè boantis Bohemiæ capitaneorum horrenda pervenit Epistola, quam hoc anno dudum 1430. *Regibus, Principibus, Dominis, Consulibus, Civitatibus Imperialibus, totique Communitati divitibus & pauperibus destinarunt: quam ubi Venerabilis dominus* * *Cancellarius nostri Cantabrigiensis studii generalis, primum nobis sui cui præerat Collegii magistrorum & scholarium familiæ, dehinc cæteris in commune Doctoribus, magistris totique universitati studentium propalasset, magno hinc mœrore, hinc horrore cuncta compleverat.*———

* Is fuit *Johannes Holebroke* collegii S Petri præfectus; qui obiit 1431. Fuller.

Finis autem bellæ hujus responsionis sic habet —*Vincat Tartareus vester ritus, si vindex Christus impunè permiserit.*

Verum Omnipotenti Messiæ omnis semper honor & gloria. Jam cœpimus terram prospectare de pelago, & post montes gurgitum & spumeos fluctus & navem vel in sublime erectam, vel in ima præcipitem, paulatim fessis & languentibus, portus favoris, ut speraverim, aperitur. Si autem divini Spiritus afflatibus, sexti meæ ætatis lustri anno primo, studii & ingenii qualiscunque primitias paulo plus triduani, sub Christo Rege triumphi, potuerit his in bellis utcunque mea clangere buccina veritatis, seu certè catulus noster aliquo vel rictu ulla ad tædia has Sylvæ belluas agitavit; quid de tragica Ennii & Maronis tuba terribili præstolaberis, ô Boheme, quid de leonum rugitibus, brachiorumve & unguium viribus aut sperabis aut metues? Eja igitur, en! adest Amphion musicus ad suas artes me revocans; quarum jam studia triduo quidem Bohemus, mundana irruptor musica, suis naniis interrupit. Assum, ô Johannes, & venio, si prius hoc stridulum utcunque carmen ipse probaveris.

Hæc tibi, Lector, annum & mensem, ætatem Responsoris, tempus quo confectum est responsum, genium itidem & rhetoricam authoris designant, quæ quidem à *Bohemis* abest, sed hic abundè suppletur: fidicinem quendam *Cantabrigiensem* fuisse hunc virum jurasses ex jam dictis & argumentorum ineptiis & vanitate, nisi se dixisset illustris & antiquissimi Collegii alumnum. Magna exinde facta est in Academicorum indole mutatio; cum hodie vix *sophistam seniorem* reperias quem tam pueriliter loqui & frivolè argumentari planè non pudebit: sed ventosa *monachorum* & *insulsa* doctrina jamdiu exulavit; & *bonæ literæ* unà cum *Reformatione Ecclesiæ* reflorescere cœperunt. Siquis vellet cætera, quæ ab isto *capite* ad hanc *caudam* interferuntur, ipse per me licet exscribat: mille ego ejusmodi *Anti-Bohemicos* non emerem teruntio. Vale.

EPIST-

EPISTOLA *PROCOPII SMAHORS* & *Conradi Samsmolich* Capitaneorum *Bohemiæ*, &c. missa Regibus, Principibus, &c.

Honorabilibus, providis & honestis Regibus, Principibus, Dominis, Consulibus, Civitatibus Imperialibus, totique Communitati, divitibus & pauperibus.

UT Deus Omnipotens Pater per dilectum filium suum *Jesum Christum* in Spiritu Sancto vobis & omnibus *Christianis* aperiat intellectum & illuminet corda cum lumine suæ divinæ justitiæ, & in eo permanere usque ad finem firmiter stabilita, hoc desideramus nos Vobis pro salute. Vos Honorabiles, providi honestique Domini & tota Communitas, divites & pauperes, audite & considerate cum speciali diligentiâ verba præsentis literæ, quæ Vobis est missa de *Bohemorum* patriâ. Sicut vobis apertum & notum est & multis aliis civitatibus & Regibus, Principibus & Dominis, quòd in aliquot annis inter nos & vos magna discordia fuit; & moti fuerunt plures & provocati contra nos debelland. & depopuland. Et heu! de parte vestrâ & etiam nostrâ multi viri nobiles & ignobiles fatuè corpora perdiderunt: Nec unquam apertè audivistis aut intellexistis de ore nostro fidem nostram, an nos etiam possimus probare ex sacra scriptura vel non. Et Reges, Principes, Domini & Civitates magna damna interim perceperunt. Et de hoc miramur valdè quòd vos *Papæ* & suo *sacerdotio* tantum confiditis & creditis: qui vobis dant venenosum potum & inintelligibile consolamen in eo quod ipsi vobis remissionem dicunt omnium peccatorum vestrorum & magnam gratiam & indulgentiam contribuunt, propter hoc ut debeatis bellare contra nos & nos depopulare: cum eorum gratiæ & indulgentiæ non sunt aliud quàm profunda mendacia, & magna seductio corporis & animæ omnium qui credunt & se super hoc firmant. Hoc vellemus nos probare eis & eos vincere ex Sacrâ Scripturâ, & vellemus permittere ut audiret qui desideraret, Quia *Papa* cum omni suo *sacerdotio* vobiscum in hoc faciunt sicut diabolus voluit Domino nostro *Jesu Christo*: De quo ponit *Lucas* 4 capitulo, quomodo *eum duxit super montem excelsum & ostendit illi omnia regna terræ in circuitu terræ in ictu oculi & dixit illi, Tibi dabo potestatem omnium rerum. Sic* diabolus decipit *papam* cum omni suo *sacerdotio*, cum divitiis mundi & seculari potentia: & putant se dare gratiam posse & indulgentiam quando ipsi volunt; & met nunquam invenient gratiam coram omnipotenti Deo, nisi pœnituerint & satisfecerint propter magnam deceptionem *Christianitatis*: & quod poterint dare aliis quod ipsimet non habent. Sic fecit diabolus qui fuit dives in promittendo & pauper in dando: & sicut diabolus non verecundatur dicere mendacium; sic nec ipsi verecundantur id dicere, quod tamen nunquam erit verum aut scripturis sanctis approbatum; quia cum nihilo incitant Reges, Principes, Dominos & Civitates ad bellandum contra nos; non ut fides *Christiana* defensetur, sed plus quia timent ipsi quòd latentia vitia & hæreses eorum aperientur & manifestabuntur. Quia si haberent veram, rectam & divinam charitatem ad fidem *Christianam*, tunc acciperent libros divinæ scripturæ & venirent ad nos & nos debellarent cum armis divini verbi; & hoc est maximum desiderium nostrum: Quia sic fecerunt sancti Apostoli Domini nostri *Jesu Christi*, qui venerunt ad Paganos & *Judæos* & traxerunt eos de eorum infidelitate ad fidem veram Dom. nostri *Jesu Christi*, & hoc fecerunt in spiritu lenitatis sicut scribit *Paulus* Apostolus ad Gal. 6. *Fratres, si homo gravetur*, &c. sic & illi facere deberent, si inveniretur eos justos esse & nos injustos: Et si non vellemus instructionem pati, possent capere Reges, Principes & Dominos ac Civitates Imperiales & resistere nobis secundum mandata divinæ Scripturæ. Sed ista callida defensio omnium Episcoporum & sacerdotum falsa est, qua dicunt quod magister *Huss* & *Hieronymus*, qui fuerunt *Constantiæ* combusti, victi fuerunt à sancto patre *Papa* & à toto Concilio: quia scire debetis quòd ipsi non fuerunt victi à Spiritu Sancto, sed injuriosè cum injusta violentiâ; quam Deus adhuc poterit graviter vindicare in omnibus qui auxilium & consilium præstiterunt. Et dicunt quòd non debet permitti ut

nos

nos exaudiamur in fide nostra: quomodo hoc probatur cum Sacra Scriptura? cum *Christus* audivit diabolum, ut habetur *Mat.* 4. cap. & ipsi non sunt meliores Christo, nec nos pejores diabolo. Si sunt ii justi, habentes veritatem in eis sicut dicunt, & nos injusti, quare nos timent? cum veritas non habet timere mendacium, sicut scribit *Esdr.* lib. 2. cap. 3. *Zorobabel* exposuit veritatem esse fortissimam, omnia vincentem: quia *Christus* est veritas, *Johan.* 14. *Ego sum via, veritas*, &c. diabolus est principium mendacii: ipse est mendax à principio & nunquam stetit in veritate, & veritas in eo non est. Propter hoc si *Papa* cum omni suo *sacerdotio* haberent veritatem, vincant nos verbo Dei: si autem habuerint mendacium, sine dubio non poterint subsistere in omni eorum præsumptione. Propter hoc, dilecti, honesti Domini, divites & pauperes, hortamur vos & rogamus omnes civitates Imperiales, Reges, Principes & Dominos, propter Deum & justitiam divinam, ut alter alteri scribat & manifestetur quomodo nos vobiscum possemus convenire ad unum locum tutè & amicabiliter vobis & nobis convenientem, & adducite vobiscum Episcopos & doctores vestros, & eos patiamur insimul verbo Dei pugnare & audiamus nos & vos; & nullus vincat alium cum violentiâ aut falsâ astutiâ, sed solùm in verbo Dei: & si vestri Episcopi & doctores habent meliores probationes fidei suæ ex Sacra Scriptura quàm nos, & invenitur fides nostra injusta, nos recipiemus pœnitentiam & satisfactionem juxta Evangelium. Si autem vestri Episcopi & doctores vincantur à nostris per sacram scripturam, pœnitentiam agite & attendite ad nos & tenete nobiscum: & si tunc vestri Episcopi & sacerdotes noluerint cessare à speciali superbiâ, & pœnitere & satisfacere, tunc volumus nos adjutorium præstare vobis juxta nostrum posse, & volumus eos ad hoc cogere, ut se communicent nobis, vel expellere extra *Christianitatem*: & si vestri Episcopi & doctores dicent quòd non decet laicos adesse & audire, hoc non aliter intelligite quàm quòd ipsi timent quòd vincantur & scandalizentur in conspectu omnium; quia si scirent se victores, sine dubio desiderarent ut unusquisque audiret, & gloria eorum major fieret, & fama & laudes super terram dilatarentur. Et si vestri Episcopi & doctores consulerent quòd nulla nobis vobiscum audientia dari deberet, tunc in hoc unum facite, & non patiamini vos unquam ita fatuè seduci cum eorum fatua indulgentia, & manete in domibus vestris coram bonis uxoribus vestris & filiis, & permittite ut ad nos veniat *Papa* de *Roma* cum omnibus suis Cardinalibus & Episcopis & cum omni *sacerdotio* suo cum propriis personis ad bellandum nobiscum, & absolutionem peccatorum, gratiam & indulgentiam, quas vobis prædicant, ipsimet mereantur; quia met bene indigent absolutione peccatorum, gratia & indulgentia; quia cum adjutorio Dei Omnipotentis nos satis eis vellemus dare de indulgentiis prout indigent. Sed hæc est eorum callida excusatio, quòd dicunt non pertinere ad sacerdotium armis corporalibus dimicare; & hoc est verum; quia non spectat ad eos; & ita modicum spectat ad eos, alios incitare, consulere & fortificare; quia *Paulus* dicit ad *Romanos* 1° & ad *Gal.* 2° quòd omnes *qui hoc faciunt, digni sunt* æterna *morte*. Et si nihil aliud facere decernatis quàm bellare contra nos, tunc volumus assumere adjutorem Deum & suam veritatem, & volumus illam defendere usque ad mortem; & nolumus terreri propter excommunicationem aut maledictionem *Papa* aut Cardinalium aut Episcoporum; quia scimus quòd papa non est Deus sicut se facit, quòd possit maledicere aut excommunicare quem vult & benedicere quem vult, quia ipse multis annis nos maledixit & excommunicavit, & tamen non minus Deus fuit adjutor noster & ejus gratiæ benedictio.

Sed forsan diceretis, Quanquam videmus & cognoscimus quòd Episcopi & sacerdotes mali & viles sint, tamen eis carere non possumus: Quis baptizaret pueros nostros? Quis audiret Confessiones nostras, & Sacramenta traderet? & essemus in excommunicatione *Papa* & Episcoporum suorum. Dilectissimi, illarum rerum nullam indigeretis habere curam: Excommunicatio *Papa* vobis non nocet: timete excommunicationem Dei & Deus Dominus hoc bene disponet: si vos malos Episcopos & sacerdotes expelleretis; rehaberetis justos sacerdotes qui pueros baptizarent, confessiones audirent & sacramenta darent; quia cum expellitur diabolus, locus dabitur Spiritui Sancto: sic quando expellentur mali Episcopi & sacerdotes, dabitur locus bonis.

Etiam dicunt Episcopi vestri & sacerdotes quòd nos sumus increduli & hæretici, & quòd non credimus in *purgatorium* & in Virginem *Mariam* & in *sanctos*, & in hoc male dicunt; quod nos vellemus probare ex sacra Scripturâ, quia nos melius scimus (ex gratiâ Dei) quomodo debeamus credere in *purgatorium* & in *Mariam* matrem Domini nostri & in dilectos *sanctos* quàm ipsi possent dicere.

Etiam dicunt ipsi quòd nos nolumus esse obedientes *Papa*: quando ipse sanctus & justus efficietur, tunc scimus bene quòd nos obedientes ei esse debemus in omnibus rebus; & non antè.

Etiam dicunt quòd nos destruimus divinum servitium in eo quòd destruimus monasteria, monachos & moniales expellendo: quondam credidimus eos etiam fuisse sanctos, & quòd peragerent magnum servitium Dei; & postquam rectè cognovimus & consideravimus eorum vitam & opera, tunc cognovimus eos fore falsos hypocritas, humiles nequam, ædificantes in altum & venditores indulgentiarum & missarum pro defunctis, & devorantes in se peccata populi. In hoc quòd dicunt se surgere in mediâ nocte quando alii homines dormiunt & orant pro peccatis populi, cum missas & orationes eorum pro defunctis propter dona vendere non est aliud quàm hypocrisis & hæresis: ideo si contradicimus eis & destruimus eorum monasteria, in hoc non destruimus servitium divinum, sed potius diaboli & scholas hæreticorum: & quando vos eos cognosceretis sicut nos eos cognoscimus, ita diligenter destrueretis eos sicut & nos; quia *Christus* Dominus noster non instituit aliquem *ordinem*; & oportet ideo quòd destruantur in brevi, sicut dicit Dominus in Evangelio *Matth.* 15. *Omnis planta quam non plantavit pater meus, eradicabitur.* Etiam rogamus vos cum speciali diligentia consideretis *articulos* infrascriptos, in quibus vestri Episcopi & sacerdotes injusti sunt.

Primus articulus est, quòd quando Episcopi vestri volunt ordinare *presbyteros*, hoc non faciunt nisi *ordinandus* habeat aut ex patrimonio aut beneficia competentia; cum tamen *Christus* voluit *presbyteros* esse debere pauperes; quia *sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, & servo sicut dominus ejus*, sicut scribitur *Matth.* 10. & Episcopi volunt quòd sint divites super terram; quod est injustum ante Deum.

Secundus articulus est, quòd Episcopus accipit pecunias de ordinandis; & sanctus Petrus propter hoc duriter increpavit Simonem Magum, quando voluit dare bona, ut scribitur Act. 8.

Tertius articulus est, quòd illi qui volunt esse sacerdotes, intrant ad sacerdotium non propter divinam justitiam, quòd illam velint prædicare & ampliare inter populum *Christianum*, ita quòd populus inde ædificetur & melioretur; sed plus propter vitam otiosam, & bene comedere & bene bibere, & ut honorentur & venerentur super terram: unusquisque enim attendit super suum presbyterium sicut fur & latro, prout scribitur *Johannis* in 10° cap.

Quartus Articulus est de excommunicatione quam *papa* & omne ejus sacerdotium pro se assumunt, & cum ea arctant & ligant populum *Christianum* quomodo volunt; & putant quem ipsi excommunicant vel maledicunt, quòd ipse sit maledictus & excommunicatus coram Deo: & nos vellemus probare ex Sacrâ Scripturâ quòd ipsimet coram Deo sunt excommunicati & maledicti, quia non tenent præceptum divinæ charitatis, de quo scribit Apostolus 1 Cor. 16. Siquis non diligit Dominum nostrum *Jesum Christum*, est excommunicatus in die Adventûs Domini; quia illi non potuerunt vos excommunicare, qui jam coram Deo & sanctis ejus sunt excommunicati & ligati. Et propterea quid timetis eorum excommunicationem?

Quintus articulus est, quòd ipsi accipiunt dona propter hoc, ut orent pro mortuis & eis legant missas animarum: hæc est malitia & hæresis eorum ante Deum; & omnes qui propter hoc eis contribuunt, illi injustè agunt & faciunt per hoc sacerdotes orationum & missarum venditores; & cum hoc tota Ecclesia *Romana* venenata est & maculata; quia si ipsi vellent orare pro mortuis, & animarum missas legere super his cum nemo debet peccare, cum nullum munus propter hoc capere debent, neque magnum neque parvum; & omnes qui munus accipiunt ad hoc quòd animas redimant ex purgatorio, projiciunt animas suas cum hoc in infernum; & qui dant, perdunt eorum merita munera integrè; & cum tali astutia diaboli *papa*, cum omni suo *sacerdotio*, decepit, spoliavit & exhæredavit Reges, Principes, dominos, milites & familiares & multos de suo patrimonio, eò quòd patres & progenitores eorum dederunt collegiis, monasteriis ac Ecclesiis, ut eorum fiat memoria, & orationis & missæ animarum cantentur vel legantur, ut ipsi ex purgatorio redimerentur: & cum illis bonis fecerint se divites Episcopi, canonici & monasteria intantum quòd litigant cum civitatibus & Principibus; & quando ipsi inter civitates & dominos deberent procurare pacem, tum primi sunt incipientes guerram; & quamdiu habent talia bona, non cessabunt litigare contra dominos & civitates; neque incipient vobis dicere verum fundamentum veritatis; quia faciunt ut canis, quamdiu tenet os in ore suo & masticat, tamdiu tacet & nescit latrare; sic & ipsi quamdiu hoc os delectabilium divitiarum habent, tunc nunquam bene stabit in mundo. Propter hoc omnes Reges, principes & civitates Imperiales facerent unum magnum opus pietatis & misericordiæ si ab eis hoc dulce os divitiarum reciperent, & non respicerent an propter hoc provocarentur sicut canis, quando ab eo capitur os: & ideo nobiles Reges, Principes, Domini, Civitates imperiales & communiter omnes divites & Pauperes, si dormivistis, expergiscimini & aperite oculos vestros & aspicite

aspicite astutiam diaboli, quomodo excæcavit Ecclesiam *Romanam*, & reaccipite quod vestrum est, & non eorum; & quando vultis facere unam bonam memoriam animarum vestrarum, tunc facite sicut dicit sapiens *Ecclesiastici* 19. *Absconde Eleemosynam*, &c.

Sextus articulus est, quòd ipsi sunt pleni superbia, & alti animi, quod majestate videtur & cognoscitur in eorum longis & pretiosis vestibus & superfluentibus, in hoc quòd ipsi valde dissimiliter ambulant *Christo* Domino nostro, qui habuit vestem inconsutilem; & dilecto *Johanni Baptistæ*, qui habuit pallium de capillis camelorum; & ipsi volunt honorari & venerari; & prædicant & dicunt quòd *sacerdotium* debet honorari; & hoc esset bene licitum; sed nullus est qui tantum scandalizat & vilipendit illud, sicut, ipsimet, cum malis operationibus, imitationibus & malis verbis, in quibus alios præcedunt. *Paulus* dicit *Timot*. 3. *Presbyteri qui bene præsunt, honorentur duplici honore; maximè qui laborant in verbo & doctrina*: Domini, cogitate quia dicit, *Qui bene præsunt*.

Septimus articulus est, quòd ipsi sunt avari à maximo usque ad minimum: & propter avaritiam ipsi prædicant multa ineptè facta & aperta mendacia, & vendunt sacra sacramenta, quod est magna hæresis, quia Deus mandavit *gratis dari*. *Paulus* scribit 1 Timoth. 2. *Avaritia est radix omnis mali, quam multi desideraverint, & propter hoc separati sunt à fide*, & veritatem dimiserunt.

Octavus articulus est, quòd ipsi communiter sunt fornicatores notorii: hoc videtur in eorum uxoribus & filiis qui ambulant super viam in conspectu hominum; & multorum virorum uxores faciunt adulteras, seu earum filias vel virgines corrumpunt, & faciunt eas presbyterissas & ribaldas, contra quod Apostolus *Ro*. 1 *Gal*. 5. & 1 *Cor*. 6. *Fornicatores non possidebunt regnum cœlorum*.

Nonus articulus est, quòd ipsi sunt impleti invidiâ diaboli, & specialiter in omnibus monasteriis habent invidiam inter se & odium magnum; quia quando ad unum monasterium vel collegium datur aliquid vel disponitur, tunc sunt alii qui hoc odiunt & invident, & libentius met haberent; sicut canis, cum uni datur & alteri non, & quando aliquid videt, tunc invidet ipse, & potius per se devorat quàm alteri participet: propter hoc bene fit quòd ipsi redimantur à tam magno peccato invidiæ in nihil dando eis; & melius foret quòd possessa auferrentur ab eis, & id faciant quod Dominus dixit discipulis suis, *Ite & prædicate Evangelium omnibus hominibus*.

Decimus articulus est, quòd ipsi sunt otiosi, & præsertim Episcopi, canonici & alii prælati, qui nolunt laborare cum diligentiâ in Sacra Scriptura, cum qua possint curare matrem sanctæ *Christianitatis* ad quam se alligaverunt, & panem ejus comedunt in otio; quia cum alii homines vigilant & laborant ut nutriantur, cum eorum parvis, tunc sunt ipsi cum eorum presbyterissis, aut in otio ambulant in civitate aliqua, volucres super manus portando, vel ad bonum vinum cum eorum uxoribus sedendo, & ibi cantant & * lucinizant & edunt de meliori; & omnes qui voluntariè apportant & donant illis, efficientur participes illius maledictionis quæ eis datur à Deo, quia ipsi panem eorum comedunt injustè. De hoc *Paulus* 2 Thess. 3. *Qui non laborat, non manducet*.

Undecimus articulus est, quòd ipsi sunt notorii mendaces, quia propter hoc ut ipsi bene placeant hominibus dicunt multas fabulas & figmenta quæ in Sacrâ Scriptura non habent fundamentum neque probationes: De talibus scribit *Johannes* Apocalypsis 21.

Duodecimus articulus, quòd ipsi populo *Christiano* non rectè dant nec ministrant Corpus Domini nostri *Jesu Christi*, & non dant sicut Deus instituit & mandavit: hoc est magnum & diabolicum peccatum & nimia audacia: in hoc vellemus eos vincere testimoniis Evangelistarum, Papam sc. & omne ejus sacerdotium testimonio *Marci, Lucæ* & *Pauli* Rom. 13. & vellemus pati quòd audirent Reges, Principes, Domini & audire desiderantes.

Tredecimus articulus est, quòd ipsi sedent in judicio spirituali, & tunc plures ipsi judicent secundum favores, & non secundum divinam justitiam, & munera capiunt adjudicando illi qui coram Deo injustam causam habet. Væ illis sententiis! sicut scribitur *Isai*. 5. *Væ vobis qui dicitis*, &c.

Decimus quartus articulus est, quòd quando ipsi sedent audiendo confessiones, & quando ad eos veniunt usurarii, raptores & fures, ab eis capiunt dona de illis male quæsitis bonis, ut pareant ipsis, & patiuntur eos in Civitatibus & villis scienter &, &c. Idem de adulteris & fornicatoribus manifestis & fornicatricibus; & non impediunt eos in eorum magnis peccatis, ad hoc quòd in eis impleatur Scriptura quæ dicit, Munera & amor quæ trahunt ad infernum & obcæcant oculos judicum.

Decimus quintus articulus, quòd ipsi recipiunt decimas ab hominibus, & volunt illas habere de jure, & prædicant & dicunt quòd homines teneantur dare decimas; & in hoc ipsi dicunt falsum; quia non possunt probare ex *Novo Testamento* quòd Dominus noster *Jesus Christus* hoc mandaverit; & sui discipuli neminem ad hoc monuerunt, nec ipsimet receperunt: sed licèt in *antiquo Testamento* fuit mandatum dare decimas, propter hoc non possunt probare quòd *Christiani* ad hoc obligantur; quia hoc præceptum *Veteris Testamenti* habuit finem in passione Domini nostri *Jesu Christi*, sicut præceptum *circumcisionis* finem habuit. Propter hoc, Dilectissimi, considerate & videte quomodo vestri Episcopi vos seducunt, & oculos vobis tenent cum non approbatis rebus; quia Dominus noster *Jesus Christus* dicit Lucæ 11. *Date eleemosynam de his quæ superfunt*, & non dixit, *Date decimam de bonis quæ possidetis*, sed *eleemosynam*: sed quando ipsi audiunt hoc verbum, putant dicere quod ille legisperitus dixerat *Christo, magister, cum hæc dicis, tu scandalizas*, Luc. 11.

Decimus sextus articulus, quòd ipsi in multis locis mutuant pecunias vel bona ad habendum censum vel usuras, & in civitatibus & in villis præstationes annuas & census perpetuos habent, sicut magni principes & domini; & in hoc faciunt contra Evangelium, *Nolite possidere aurum neque argentum*: & in hoc quòd ipsi mutuant ad habendum census & usuras, contra hoc dicit Dominus *Deut.* 23. *Non fœnerabis fratri tuo*, &c.

Vos, honesti, providi & dilecti Domini, omnes suprascriptos *articulos* volumus probare contra *papam* & omne ejus *sacerdotium* multis testimoniis Sacræ Scripturæ, hic non positis gratiâ brevitatis: notate tamen quatuor *articulos* cum summâ diligentiâ, propter quos pugnamus & desideramus illos defendere usque ad mortem.

Primus articulus est, quòd debent prohiberi & impediri omnia peccata mortalia publica presbyteris & laicis, secundum præceptum Sacræ Scripturæ.

Secundus articulus est, quòd à *papâ* & omni ejus *sacerdotio*, à maximo usque ad minimum, debent tolli divitiæ, & depauperari debent, sicut fuerunt pauperes discipuli Domini nostri *Jesu Christi*, qui non habuerunt proprium & possessiones in isto mundo nec potentiam mundanam.

Tertius articulus est, quòd verbum Dei debet esse liberum cuilibet ad hoc deputato, & ordinato ad prædicandum & dicendum in omni loco quò pervenerit sine resistentia cujusquam aut inhibitione spiritualis aut terrenæ potestatis, opertè vel manifestè.

Quartus articulus est, quòd Corpus Domini nostri *Jesu Christi* debet tradi cuilibet *Christiano*, sicut Dominus ordinavit, & sicut sancti Evangelistæ scripserunt [* sub utraque specie ministratum.]

* Verba ista uncinulis inclusa obscurissimè scribuntur in margine, cum nota significante debere esse in textu; ita esse ex sensu conjicio, & ex historia rei notissimâ.

Etiam percepimus quòd unum Concilium debet esse in *Basileâ*; propter quod nemo exaltetur; sed tunc cum diligentia custodiant eorum uxores, filias & virgines ab Episcopis, presbyteris & monachis; & non credatis quòd fiat congregatio sancta Episcoporum & sacerdotum pro bono communi & utilitate *Christianitatis*; sed solùm ad hoc, ut possint occultari sua occulta vitia & hæreses cum hypocritico tegumento; & impedire & supplantare divinam justitiam eis multùm contrariam: Et propter hoc considerate diligenter quòd ipsi non faciunt *congregationem sanctam* sed *congregationem Satanæ*; & videte ne ita fiat sicut aliqui *Constantiæ* fecerunt, qui receperunt pecunias ab Episcopis & prælatis, & patiebantur eos cum suis uxoribus condormire.

Vos dilectissimi, honesti Domini, siquid in suprascriptis *articulis* seu verbis inveneritis duriter scriptum, hoc non fecimus ad scandalizandum vos vel spernendum, sed propterea, quòd vos eò diligentius consideretis & cogitetis quomodo *Christianitas* ita male custoditur & dirigitur per præsens *sacerdotium*.

Dominus noster *Jesus Christus* vos corpore & animo salvet. Amen. Anno Domini 1430.

Procopius Smahors, Konradus Samssmolich
Capitanei *Bohemiæ*, &c.

EPI-

EPISTOLA *CANTABRIGIENSIS* cujusdam Anonymi de misero Ecclesiæ statu: circa ann. 1520.

Ex Schedis *Guil. Crashavil* penes virum Rev. & doct. *Wilh. Ashton,* *S. T. P.*

UNiversis *Christi fidelibus, ejus sacratissimo cruore redemptis N. eorum omnium frater & particeps in tribulatione & regno, spiritum mœroris & veræ compunctionis.* Vos omnes alloquor *Christianæ* religionis alumnos, viros & mulieres, senes cum junioribus, à *pontifice* usque ad *sacerdotem*, à *principe* usque ad *plebeium*, cujuscunque sitis gradûs, vel conditionis, omnes, inquam, convenio, adhortor (pariter & meipsum) atque ad salubrem poenitentiam invito; neminem palpo, neminem excipio: neque enim est aliquis, cui hoc non competit munus, cum nemo sit mundus à sorde; nec quisquam gloriari possit castum se habere cor. Omnes quippe peccavimus & egemus gratiâ Dei, ita ut vix (immò nec prorsus) inter mortales inveniatur quispiam tam immunis à culpâ, ut in eo non habeat vel justitia quod arguet, vel misericordia quod remittat. Peramplius quidem, eousque iniquitas processit atque impietas hominum, quòd (juxta propheticam vocem) *tota terra repleta est iniquitate, sanguis enim jam sanguinem tetigit*, ita ut penè inquinentur omnes; quocunque spectavimus, macula nobis ponitur ob oculos, non est flagitium quo non plebs inquinata sit *Christiana*: Quo fit ut (juxta dictum Apostolicum) *nomen Dei* per nos *blasphemetur inter gentes.* Sacram in baptismo *Christianam* religionem professi sumus, & tamen *gentiliter* vivimus. Sanè periculosa sunt tempora, & dies mali, in quibus (quod sine gravi mœrore dicere non possumus) jam regnat *Beemot* seu *Leviathan*, tortuosus ille serpens, diabolus, totum suo veneno replens mundum, qui (ut Scriptura refert) * *omne sublime videns, rex est super omnes filios superbiæ* ac princeps hujus mundi, imperans hodie super terram, suamque potenter exercens tyrannidem, magnam (proh dolor!) *Christianorum* partem suis subdens legibus, orbemque *in filiis perditionis* seducens universum. Ubi (ut in Canonicâ *Joannis* habetur) nihil est præter *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & superbiam vitæ*; cujus cultores superbia inflat, avaritia enervat, luxuria inquinat: ubi sunt lites, contentiones, æmulationes, detrectationes & invidiæ; ubi passim fiunt latrocinia, perpetrantur homicidia, falsa proferuntur testimonia, committuntur adulteria, incestus, fornicationes, sacrilegia; ubi periit in conversatione simplicitas, in societate charitas, in actione justitia, in locutione veritas, in proximorum necessitate pietas; ubi denique *refriguit charitas & superabundat omnis iniquitas*, prophetâ attestante, qui ait; * *Non est misericordia, non est veritas, non est scientia Dei in terrâ:* † *Aspexi illam & ecce vacua erat; & cælos, & ecce non erat lux in iis: intuitus sum & non erat justus quisquam.* Ad hæc forsan obiiciat aliquis quòd non omnibus deturpamur flagitiis, quoniam Gentilium more, idolis surdis & mutis adhuc minimè libaverimus: Esto hoc: sed Apostolum audite, *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam & avaritiam, quæ est idolorum servitus*, &c. Si igitur, ut est Apostoli sententia, esse avarum tantumdem valet quod idolis immolare, quis dubitet totum pene jam mundum in paganismum transiisse? Communis quippe est hæc labes tantæque procacitatis atque audaciæ ut nihil metuat ipsum etiam *Dei* penetrare *Sanctuarium*: Omnes insequitur, prophetâ attestante qui ait, * *A minimo usque ad maximum, à prophetâ usque ad sacerdotem, omnes avaritiæ student, cuncti faciunt dolum*: Et cum cætera quæque vitia senescere incipiunt, juvenescit ipsa; atque utinam apud *Christianos* hoc tantummodo regnaret vitium; esset haud dubiè tolerabilius. Sed heu! jam vitia catervatim incedunt & per turmas mortalium invadunt animos, *à plantâ pedis usque ad verticem capitis non est in nobis sanitas*, ubique peccatum regnat, perpetratur iniquitas: Et, quod adhuc damnabilius, facta est hominibus *frons meretricia, nesciunt erubescere*; insuper quasi *Sodoma* peccata sua prædicant & exultant in rebus pessimis. Quid ergo ultrà expectandum est, nisi quòd jam prope sit & quasi in januis ultimus ille judicii dies, horum omnium malorum finem facturus & consummationem? Sanè tametsi de hac re fas non sit temerè quicquam asserere; cum, juxta Dominicam in Evangelio assertionem, *de die illâ & horâ nemo sciat, neque angeli in cœlo neque Filius, nisi Pater, &c.* Ex quotidianis tamen eventibus, maximè ex humani generis crassiori malignitate, peccandique licentiâ

* Job 41. ult.

* Ose. 4. 1.

† Jer. 4. 23.

* Jer. 6. 13.

centiâ divinare possumus esse, quod prius diximus, prope & in foribus; ad hoc nempe jam hominum devenit malignitas ut major esse vix possit. Et Dominus in Evangelio plurima enumerans signa quæ ventura sunt paulò ante judicii diem; *Exurgent* inquit, *pseudochristi & pseudoprophetæ*, &c. *& cum videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet, qui legit intelligat:* & post pauca subjunxit, *cum videritis hæc fieri, scitote quoniam in proximo est & in ostiis*; ultimum videlicet judicii diem insinuans. At nunc, *Jesu* bone, quanti sunt *pseudoreligiosi* qui extrinsecus habitâ similitudine, religionem & sanctitatem mentiantur? Quot sunt *pseudotheologi* technis quibusdam atque argutiis, sacræ Scripturæ sinceritatem adumbrantes, aut certè turgidâ fucatâque eloquentiâ obfuscantes? Quot sunt magistri prurientes auribus? Quot vani discipuli à veritate quidem sinceraque doctrinâ auditum avertentes, & ad fabulas vanasque curiositates sese convertentes? Quot denique *pseudochristiani* impiâ vitâ rursus crucifigentes *Christum* & ostentui habentes? Ut taceam interim de ordine *clericali*, qui & ipse mirabiliter deflexus est à verâ *Christianitate*, cœnoque vitiorum obvolutus, parum à *laicali* differens vitâ, nisi quòd plerumque copiosior est in flagitiis. Sic nempe propheticum illud impleri jam cernimus; * *Et erit sicut populus sic sacerdos.* At verò *abominationem desolationis* (qua nihil aptius quam peccatum intelligi potest; tametsi de *Antichristo* quoque intelligatur) modò cernimus non *jacentem* sed *stantem* potius: & hoc quidem ubi non debet, sed nec decet, in ecclesiâ Dei videlicet, *cujus domum* (ut Scriptura refert) *decet sanctitudo*: sed jam proh scelus! (quod *Ecclesiasticorum* pace dixerim) *facta est spelunca latronum* & vitiorum: *cum igitur*, Dominus inquit, *videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est judicium.* Quid, quòd Apostoli suis etiam diebus rati sunt in proximo futurum judicium? Ait enim *Joannes* in canonicâ suâ, *Filioli, novissima hora est; & sicut audistis, quia Antichristus venit, nunc antichristi multi facti sunt, unde scimus quia novissima hora est.* Sic *Paulus* etiam, *Tempus*, inquit, *breve est, præterit enim figura hujus mundi*, &c. Et iterum de *Judæis* loquens, *Hæc*, inquit, *omnia in figurâ contingebant illis: scripta sunt enim propter nos in quos fines sæculorum devenerunt.* Sic divus ille *Cyprianus* aliique antiqui Patres in libris suis se novissimis fuisse temporibus sæpissimè testati sunt. At modò nobis magis consentaneum videtur post tot sæcula id ipsum nostris temporibus expectare, præsertim aliis atque aliis jam signis invicem occurrentibus. Hæc porrò tantisper dixerim, ut vos salubriter terream, paratioresque reddam ad expectandum novissima. Quòd si hæc nequaquam nobis jam propè sint expectanda, hoc tamen eò ampliùs timere debemus, quòd gravissima manus Domini imminet super nos: *Quoniam*, ut propheta inquit, *iniquitates nostræ diviserunt inter nos & Deum nostrum.* Unde nec mirum si nobis plurimùm irascitur, in cujus auribus peccatorum nostrorum horrida vox quotidie clamat, eumque ad ultionem provocat: irascuntur quippe & Astra ipsa nobisque propinquum minantur interitum. Dudum sanè in quibusdam ephemeridibus, seu diariis, quod vocant, cujusdam *Joannis de Monte-regio* insignissimi Astrologi de anno salutiferæ incarnationis *quingentesimo vicesimo quarto supra millesimum* memini me ita legisse, *Hoc anno nec solis nec lunæ eclipsim conspicabimur; sed præsenti anno syderum habitudines miratu dignissimæ accident; in mense enim Februario viginti conjunctiones cum minimè mediocres, tum magnæ accident, quarum sedecim signum aqueum possidebunt, quæ universo ferè orbi, climatibus, regnis, provinciis, statibus, dignitatibus, brutis, bellnis maximis cunctisque terræ nascentibus indubitatam mutationem, variationem ac alterationem significabunt, talem profectò, qualem à pluribus seculis, ab historiographis aut natu majoribus vix percepimus: Levate igitur, viri Christianissimi, capita vestra*, &c. hæc ubi suprà. Neque is solùm insueta prodigia minatur mortalibus; audivi jam nuper ex gravissimorum virorum relatu esse modernos aliquos in ea scientiâ probatissimos qui tantam tamque mirandam ex cœlestium corporum influxione augurantur, brevì eventuram, immutationem, ut vix homines diu posse subsistere verisimiliter credant. Et quid mirum si tantam nobis creaturæ quælibet minantur jacturam, qui peccatis nostris quotidianis, omnium Creatorem tam implacabiliter offendimus? Quid ni? omnium Factori & plasmatori, sua obediet plasmatio, ut impleatur quod scriptum est; * *pugnabit cum eo orbis terræ contra insensatos.* Ad hoc nempe creata sunt ut suo obediant Creatori: quæ enim sunt, à Deo ordinata sunt: atque utinam homines tam fideliter debitum redderent suo Creatori ac etiam Recreatori obsequium. Sed heu! contrà, jam Deus ille optimus maximus haud infacetè illud Divi *Martini*, quod in vitâ ejusdem legimus, dicere potest: *Bestiæ atque irrationabiles creaturæ me audiunt, homines me non audiunt.* Durissimum itaque flagellum imminet super miseros filios *Adam*, ut ex prædictis naturalium influxibus conjici potest: Et tamen sic sibi homines vanâ securitate blandiuntur, acsi nihil curent de hujusmodi, aut certè nunquam se mori credant. * *Non, inquiunt, videbit nos Dominus, nec intelliget Deus Jacob.* Mira stoliditas

* Osc. 4. 9.

1524. Nos *Cantabrigienses* non solemus, ut plurimum, multum *Almanacographis* tribuere; quodcunque hic bonus vir è *Monteregio* collegerit.

* Sapient. 5. 21.

* Psal. 94. 7.

stoliditas ac cæcitas hominum qui nullis monitis, nullis priscorum temporum exemplis edoceri & futura præcavere volunt; similes profectò illis qui in diebus *Noe* dum jam stupendam atque eatenus humanis ingeniis incognitam novæ illius arcæ fabricam quotidie contemplarentur, nihil insolitæ rei novitate, sed ne ipsius *Noe* prædicatione permoti irriserunt potius, ducentes in bonis dies suos, immò in flagitiis multis, quousque diluvium superveniens omnes pariter involvit. O miseri filii *Adami*, qui * *viri fortes sunt ad miscendam ebrietatem* & student calicibus epotandis, qui * *tenent citharam & tympanum, & gaudent ad sonitum organi, qui ducunt in bonis dies suos & in puncto ad infernum descendunt*; secundum duritiam eorum & cor impœnitens thesaurizantes sibi iram in die justæ vindictæ Dei, nescientes quòd bonitas & placentia Dei ad pœnitentiam eos expectat; ut enim refert Scriptura, *quia non profertur citò contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Et *Leo papa* in *Sermone de Epiphaniâ Domini*, *Quoniam*, inquit, *Judicium illud quo unusquisque recipiet prout gessit sive bonum sive malum, judicaturi patientiâ differtur, impunitatem sibi iniquitatis impiorum & infidelium corda promittunt*, &c. Mentita quippe est iniquitas eis, & donatum credunt, quod ex dilatione graviori supplicii pondere in eos retorquebitur. Lento etenim gradu, ut est apud *Valerium Maximum*, ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitâte compensat. Sed non curemus, aiunt, has nugas, nec fidem adhibeamus *Ephemeridibus* seu prognosticationibus istis: quis *enim* nesciat astra mentiri sæpius & fatuos vanâ superstitione deludere? Bene, esto: nihil curentur ista: habemus tamen de hisce ruinis atque eventibus testimonium majus ac terribilius *Ephemeride*. Poteram fortassis magna referre ac terribilia de hujusmodi comminationibus, atque irâ Domini gravissimâ super nos, quæ vel legi vel audivi de his qui divinas habere meruerunt revelationes (neque enim faciet Dominus verbum, sicut scriptum est, quod non humilibus servis suis revelaverit) sed ad potiora transeo ac firmiora; ad fidele videlicet Domini * testimonium, qui nobis terribilissimè ex Evangelio intonat dicens; *Quoniam impletum est tempus & appropinquavit regnum Dei, pœnitemini & credite Evangelio; quia nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis.* Ecce hic testimonium gravius *Ephemeride*; immò tam grave atque tremendum, ut omnium meritò saxea debeat corda concutere & emollire. Quid igitur ad hæc dicemus miseri, qui neque agimus pœnitentiam nec credimus Evangelio? Nam si crederemus Evangelio, ageremus utique pœnitentiam conaremurque *dignos proferre pœnitentiæ fructus.* Nunc autem steriles permanemus, illam adhuc tremulabundi exspectantes sententiam comminatoriam, qua dicitur, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur*; si enim, ut ait Apostolorum princeps, * *Deus peccantibus angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*, quantò magis nobis minimè parcet favillæ & cineri? Et quidem illi solâ cogitatione peccaverunt; nos verò turpissimis etiam actibus, peccatis peccata addentes, divinam incessanter in nos cumulatius inferimus iram. O malorum *Christianorum* generatio prava atque perversa! quæ nullis attrahitur beneficiis, nullis minis seu terroribus commovetur, nihil attendens quantam ei Deus fecerit misericordiam, eligens & faciens sibi populum *peculiarem* ex omnibus gentibus, qui excisus ex veteri *gentilitatis oleastro insertus est in bonam Christianitatis olivam, fractisque abjectis & reprobatis ramis naturalibus, Judæis* scilicet, *factus est particeps pinguedinis veræ olivæ*, id est, almæ matris Ecclesiæ, sponsæ *Christi*. Habet adhuc *Moysen* etiam & prophetas; habet & qui ex mortuis resurrexit, *Christum* Dominum, in sacris Evangeliis eum multipliciter comminationibus deterrentem, atque ad sacræ pœnitentiæ luctum crebrius invitantem; habet doctrinam Apostolicam cæterasque Canonicas Scripturas, eum mille modis ad veritatis viam revocantes: & hoc præter sanctorum martyrum & confessorum ac sacrarum virginum efficacissima sanctitatis exempla, creberrimaque miracula; hæc omnia nihilominus surdâ pertransiens aure, & ad suæ cumulum damnationis, *divinam* contemptui habens *gratiam*. Væ igitur genti peccatrici duræ cervicis & ad omnia Dei præcepta quasi insensibili: Quia si inter *Turcas* & *Saracenos* cæterosque *paganismi* erroribus implicatos factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te, olim fortassis in cilicio & cinere pœnitentiam egissent: Quocirca remissius erit iis, quod timemus in die judicii quàm tibi. *Nimirum viri Ninivitæ exurgent in judicio cum generatione istâ & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce plus quam Jona hic*, qui, ut supra diximus, ex evangelio nobis terribiliter intonat dicens, *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Cur ergo adhuc induramus, ut *Pharao*, cor nostrum, pœnitentiæ tempus tam miserabiliter negligentes? Veniet quidem dies in qua non erit tempus, sed nec locus, pœnitentiæ; cum videlicet ad judicandum veniens Dominus cuique redditurus est secundum opera sua: teste etenim scripturâ, * *Zelus & furor non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusque*

* Isa. 5. 22.
* Job 21. 12.
* Infinities certius vel ephemeridibus vel revelationibus
* 2 Pet. 2. 4.
* Prov. 6. 34. 35.

jusque precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Unde pensandum nobis est, ut divus *Gregorius* ait, ante conspectum tanti Judicis, quantus in illa die terror erit quum jam in pœnâ remedium non erit. Verum adhuc pœnitentiæ tempus est; non tardemus ergo converti ad Dominum, nec nostram procrastinemus salutem; quia qui pœnitentibus veniam spospondit, peccantibus diem crastinum non permisit; sed *si* humiliter *confiteri velimus peccata nostra, fidelis est & justus qui dimittet nobis delicta nostra, & mundabit nos ab omni iniquitate:* unde desperandum non est, sed in Deo magis firmiter sperandum, ut siquidem astra nobis irascantur, potens tamen est Deus ea compescere seu etiam in melius commutare. Neque id solùm, sed suam etiam sedabit iram ne in æternum sæviat: *Cujus* ineffabili *misericordiâ fit, quòd non sumus consumpti;* dissimulat enim peccata hominum propter pœnitentiam, ne postea inveniat quod gravius puniat. Expergiscimini itaque, viri *Christiani*, & convertimini à viis vestris pessimis, revertimini ad Dominum etiamsi millies ab eo aversi fueritis; neque enim

† Joel. 2. 13. revertentes abjiciet; quia † *benignus & misericors est & præstabilis super malitiâ;* nec vult mortem peccatorum sed magis ut convertantur & vivant: mutate vitam & ipse

* Jerem. 18. 8. mutabit sententiam, sic utique ait per prophetam, * *Si pœnitentiam egerit gens ista de peccatis, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Lavate ergo lachrymis maculas criminis vestri; in timore & tremore vestram salutem operemini; venite, adoremus & procidamus & ploremus coram Domino qui fecit nos; præoccupemus faciem ejus in confessione, redimentes tempus quoniam dies mali sunt: abjiciamus opera tenebrarum & induamus arma lucis; pro peccatis nostris gravissimis jugiter dolentes, gementes inter nosmetipsos & veram pœnitentiam agentes. Hæc namque est via quæ ducit ad vitam, hæc sancta est post naufragium tabula per quam peccatores salvantur & Deus ad misericordiam inclinatur. Erigite ad illum corda vestra: spes vestra non sit de sæculo; non ametis sæculum; nam mundus transit & concupiscentia ejus, frustraque illud appetitur quod diu teneri non potest; immò juxta divum *Gregorium* contemnendus esset mundus iste si cuncta prospera haberet; at nunc magis, cum tot adversitatibus pulsat, tot calamitates ingeminat, quid aliud quàm ut contemnatur, clamat? propterea (ut ejus vos paucis jam alloquar verbis) nolite possidere per desiderium, quæ adhuc per usum minimè reliquistis; spem in solo Redemptore figite, ad æternam patriam mente transite: sic nempe fiet ut securi de hoc sæculo migrare valeatis. Cæterum ut validius atque efficacius nosse possitis, quæ prorsus contemnenda sunt, quæ verè appetenda, exhibui vestræ charitati hunc, qui sequitur †, divi patris *Augustini* sanctissimum ac devotissimum sermonem, in quo velut in serenissimo speculo facilè cernere potestis quid parvi pendere, quid concupiscere debeatis. Bene valete, & ut in æternum bene valeatis, satagite. *Anno salutis 21 post millesimum quingentesimum.*

† Qui ex hoc indicio facile possit reperiri inter Augustini opera.

CON-

CONSILIUM QUORUNDAM
Episcoporum Bononiæ congregatorum, quod de ratione stabiliendæ Romanæ Ecclesiæ *Julio 3. Pont. Max.* datum est.

Quo artes & astutiæ Romanensium & Arcana Imperii Papalis non pauca propalantur.

Ex Bibliotheca *W. Crashavii*, in Theolog. Bacoal. & verbi div. ap. Temp. Lond. Prædic.

J O B.

Revelabunt Cæli iniquitatem ejus,
Et terra consurget adversus eum.

Illustrissimo Honoratissimoque Domino, Henrico Comiti Southamptoniensi, Insulæ Vectis Gubernatori, veræ Religionis cultori, literatorum Mecænati, Academiæ Cantab. Collegiique Johan. Ornamento singulari, Patrono summe observando.

PRodiit non ita pridem (Honoratissime Comes) Celeberrimum illud & inter Scriptores nominatissimum *Consilium delectorum Cardinalium & aliorum Pralatorum de Emendanda Ecclesia Romana*: Huic jam tandem aliud succedit, priori non dissimile, si inscriptio, si finis; sin res ipsa, & media ad finem spectentur, longe dissimillimum. Utrumq; *Consilium* est, dicitur, se dicit: Utrumque *à Papistis*, magnique nominis prælatis profectum: Utrumque *Papæ*, ipso Papa jubente, scriptum, transmissũ, datum: Utrumq; ad *Rom. Ecclesiæ* substructiones muniendas: Utrumq; ut à Papistis *scriptum*, & luci suæ concreditum, ita ab iisdem denuo *suppressum, subtractum*: Utrumque circiter tempora, armatæ iniquitatis, fugitivi illius *Conciliabuli Tridentini*: Inchoato prius, alterum exantlato fere Concilio illo. Hactenus Gemellos Hippocratis videmus; Ovum ovo vix similius: Verum valde dissimilis ista similitudo. Illud enim à viris, ut plurimum *doctis*, modeste satis *verecundis*, & ut illa fert Religio *probis*, varioque nomine, si cum Grege suorum conferantur, *venerandis*: Hoc à quibusdam, Papæ secretioribus à Conciliis, rerum *politicarum* callentissimis studiosissimis, *Theologicarum* ignorantissimis negligentissimis: Titulo tenus nonnihil differunt, tanquam scoparius, & cæmentator: uterque eisdem inservit ædibus, quas quoque modo fartas tectas vult. Nam *Romanorum non est sine crimine virtus*. Illi titulus in fronte de *Emendanda Ecclesia Romana*: huic de ratione *stabiliendæ* Rom. Eccl. Illud *Reformationem* prætendens; vitiorum, excessuum, enormitatum morbos, Apostemata, ulcera detegens, medicas implorat manus: Hoc *deformitatem* politice animans, vitia virtutes, excessus moderationes, enormitates regularitates, morbos salutem, curam invalescentiam, Cœlum Gehennam, Deum Satanam, susque deque habet. Gigantomachiam in Jovem hic videas. Illud igitur rugas fronti Cathedratæ *commovit*, hoc easdem *explicuit*: Illud non diu emissum Papa damnavit, prohibuit: Hoc in deliciis habuit, & in chartothecis secretiorum memorabilium abscondi curavit; (magnum scilicet mysterium, gemma pretiosa, thesaurique catholici non vilis pars.) Suppressum igitur utrumque, verum illud à bile, non potuit enim (Papa Judice) tam perdite perditus esse Clerus Romanus, vel si potuit, si fuit, de illo argui non debuit, vel saltem non expediit, non ille aptus erat illi nodo cuneus. Hoc alia mente suppressum, scilicet, ne in vulgus spargeretur. Papalis enim (si forte nescitis) sanctitas *odit præ-*

fanum vulgus & arcet; linguis favendum est. Quid enim inexperti parumque in abditis Romulidum scientiis, artibusque exercitati tam profunda mysteria contrectent? Suppressum itaque est; id est vulgari ruditati, plebeiæ inscitiæ subtractum, iisque, quibus usui esse potuit, quique tantorum secretorum capaces, reservatum. Sic qui *Pessimos* se & esse, & semper in generatione sua futuros, apud se statutum ratumque haberent, ne mali tamen apparerent apud alios, hoc delicium suum tantisper occultarunt, donec tandem, sic providente Deo, & hoc & illud, utrumque servatum, & ab interitu fuerit vindicatum: Illud à *Nicolao Cardinale Capuano*: Hoc ab aliquo, Papæ à Cubiculis: Illud Capuanus in Germaniam, Principi cuidam misit, unde *Lutheri* Wittenbergensis, & *Sturmii* Argentoratensis, industria, in vulgus emanavit: Hoc *Vergerius* in conclavi privato (pessimarum Musarum Museo) Papæ, inter secretiora & sacratiora papalis Imperii Arcana inventum, Amicis primo privatis communicavit, deinde suis inseruit operibus. Hujus exemplar ante aliquot annos nactus, cessi tandem illorum importunitati, qui sancte jurabant neminem pontificis fraudibus non faventem, *Consilium* istud velle supprimere & occultare: & non vane judicabant, *Consilium* hoc evulgatum, hoc saltem emolumenti sane sapientibus allaturum, ut quibus fundamentis superstructus, fulcris sustentatus, substructionibus quam insanis nutans consistat adhuc papismus, ex secretissimis ipsorum archivis luculentissime perspiciant. Parui igitur non invitus.

Si vero veteratores Pontificii, nos suo modulo metientes, hoc à nobis confictum, ingerent & obganniant: sciant non apud *Vergerium* solum hoc extare Consilium, sed & à *Johanne Wolphio* inter Memorabilia sua relatum: Quid igitur tergiversentur? at liceat nobis ingenue dicere Corvum esse corvum: Serpentem serpentem: Neque enim ipsa impudentia tam impudenter impudens esse poterit, ut quod sub sole, palam, in ore, in oculis omnis populi orbis Christiani tot lustris continuis, factis exequi, praxi confirmare, usu fateri, nec tæduerit, nec erubuerit, id unquam animo subvenisse, unquam in Consiliis repositum diffiteatur. Observet igitur hic cordatus & prudens lector, omnia & singula hujus Consilii consilia, præcepta, præscripta, decursumque temporum abinde ad hunc usque diem apud historicos inquirat, amplius certe non dubitabit de hujus prolis veris parentibus. Foecunda profecto, etiam ad stuporem, Meretrix Babylonia, hiis artibus hucusque sic invaluit, ut multo fœnore superarit horum Episcoporum auscultationes. Quid igitur verba moremur, facta cum videmus? Utcumque igitur veris deberi hæc suis Authoribus negare gestierint, eadem tamen factis suis, diurnaque praxi, usurpatis actionibus comprobata, negare non poterunt: Proinde justissimis de causis confiteri eos oportet, vel eos ipsos Episcopos hæc conscripsisse, vel alium quemquam, Romanarum rerum non imperitum, sed in iisdem versatissimum, hæc ipsa consignasse, & ex perpetua dictorum, factorum, actionumque Rom. Eccl. observatione, delibasse: Quis enim alius potuisset *Hierarchiæ Rom.* effigiem suis coloribus tam graphice & ad unguem depinxisse?

Atqui inquiunt adeo suum non esse, ut inter damnatos ab Indice librorum prohibitorum ab ipsis numeretur †. Frigide, quasi hoc sufficiat. Quis enim nescit prius illud *Consilium delectorum Cardinalium* & aliorum, à tantis patribus *Polo, Contareno, Sadoleto ipsoque Petro* (postea Papa Paulo 4.) confectum, conscriptum, exhibitum, & ipsum tamen in Indice illo paulo post confecto, rejectum, prohibitum, damnatum? * Quodque omnem fere fidem superat, ipsum illum libellum à *Petro* tum Cardinale conscriptum ab eodem (Pythagoricam jam experto Metempsychosim, novâ creaturâ, animo cum gradu & nomine mutato,) ab eodem, inquam, jam Papa *Paulo* damnatum, & diris insectatum. Vide, lector Christiane, *Paulus* hic *Petro*, *Petrus* hic *Paulo*, quid interest? Plurimum certe: Sunt idem re, non ratione; subjective idem, non objective: *Petrus* Cardinalis non idem habuit objectum, quod idem jam *Paulus* Papa factus habuit: Heu pietas, heu prisca fides!

† Index lib. prohibit. in litera C.

* Ibid. in litera L.

Sic Petrum exutus, cum nomine mente novatur.
Rex Paulus, rex idem hominum Phœbique Sacerdos.

Sin mavis Satanæ.

Deinde, ut perspiciat quivis quam frigida futilisque sit hæc objectio, compertum est, *Panormitani* Consilium de Concilio Basil. *Zabarellam* de Schismate, *Theodorici Niemensis* Historiam, Episcopi Chemensis *Onus Ecclesiæ*, *Hortulum* Animæ, *Harphii* Theologiam mysticam, *Polygrani* Assertiones, *Martinesii* Hypotuposes, *Catharinum* de verbis Consecrationis,

Consecrationis, *Caranzæ* Catechismum, *Masium* in Joshuam, *Tomitanum* in Matthæum, *Picum* Carthus. in Psal. omnia à puris putis Papistis conscripta,& tamen prohibita: Necnon *Damis*, *Lanspergii*, *Æneæ Silvii*, (post Pii 2.) *Savanarolæ*, *Cusani*, *Contareni*, *Augustini Romani*, *Georgii Veneti*, *Ludov. Vivis*, *Engubini*, *Valla*, *Ciconiæ*, *Lindii*, *Gardinerii*, *Capilipi*, *Folengii*, *Carvaiali*, *Lemnii*, *Cassandri*, *Eisengrenii*, *Massonii*, aliorumque, multa: Et *Nicolai Clemangis*, *Johannis Petri Ferariensis*, *Christophori à capite fontium*, *Clingii*, *Feri*, *Stella*, *Espencai*, *Fabii*, *Lorichii*, &c. Omnia à Synagoga Romana in illo Indice prohiberi, & tamen hæc omnia ab ipsis Papistis conscripta non dubitatur: Quod si cui, Arcanorum Imperii Papistici ignaro, aut minus in eis exercitato, mirum videbitur, sciat eam esse *Papismi* certam, decretamque incertitudinem, constantem deliberatamque inconstantiam, eam Politicorum *Romanensium* vafritiem providentem, ut ad ruentis *Papismi* sustentationem, necessario nova quotidie cudant, vetera transforment, omnia misceant & confundant. Illosque illudque, quod superiori ætate summè approbarunt, nunc quando alia tempora aliam apportant scenam, aut miserrimè purgent, aut penitus prohibeant.

Tantæ molis erat fastum obfirmare papalem.

Hæc qui penitus introspiciet, opinor, mirari desinet. Saltem qui videat Consilium illud delectorum Cardinalium, libellum (si multa spectemus) verè aureum, castitatem, probitatem, sobrietatem, integritatem pietatemque aliquam spirantem, Ecclesiæ reformationem in capite & membris postulantem, ab istis prohibitionum Eirenarchis interdici prohiberi: Neutiquam autem in illo suo Ro. Indice prohiberi, immo nulla publica censura notari, nec ulla vel leviuscula nota de non approbanda, nullo penitus asterisco designari librum illum, omnium quos mundus unquam vidit vel Ethnicus vel Christianus, impurissimum, Johannis à Casa (Archiepiscopi Beneventani, Nuntiique apud Venetos Apostolici) inscriptum certe de Arte divina, sed revera diabolica, Sodomitica nimirum (audiat non modo Christianus sed & terrarum orbis, ipsa etiam Sodoma & Gomorrha, tinniantque aures, obstupescant Cœli, *frendant* Tartara, quicquid uspiam est creaturarum Dei ingemiscat & detestetur) Librum nefandum, execrandum, nec inter Gentes, vel Ethnicissimas & immanissimas, nominandum; librum ex faniosi, fœdissimique abundantis Cordis luxu putidissimo, ex animæ projectissimæ, ad omnem iniquitatem prostitutæ, spurcissima illuvie, ex ore liba dæmonum hiante profectum: librum illum, de Arte (verba fugiunt, manus tremit, horret scribenti animus) Sodomitica (quid gravius, quid horribilius dici possit?) in Indice Rom. non damnari, sed reticentia potius approbari, licet typis excusum & à spurcissimo illo Nebulone, Satanæ dilecto, & Papæ charissimo, & à sanctioribus suis Consiliis, evulgatum? Hæc, inquam, qui viderit & consideraverit, parum, spero, referre putabit, minusque curabit, quid tali indice fiat, habeat prohibeat, approbet reprobet, purget repurget, expurget: Neque certe cui intemeratæ conscientiæ cura est, curam ejusmodi Indicum quisquam habere potest, sed contra prohibitos potiore delectu habiturus est.

Abeant itaque in suam rem (non ædepol bonam) lenocinantium Romani catharticorum scribæ cum suis indicibus probatoriis prohibitoriis, expurgatoriis repurgatoriis, longumque deformes (quod merentur) valeant, premant supprimant reprimant, cudant excudant recudant, mutent immutent transmutent, addant detrahant retrahant, misceant, pro libitu suo, pro temporum vicissitudinibus & confundant omnia.

Quo pasti, saturi, pingues, ad Tartara tendant,
Et placide subeant distento abdomine terras.

Siquidem illos ut veritatem obnubilent, *sic juvat ire sub umbras*, qui corde suo non credunt esse Deum.

Nos vero vel tacendo non sic peccemus, vel si Adversariorum importuna in Deum blasphemia, audax in sanctos scriptores improbitas, perjura in Imperatores, Reges, Principes, Respublicas machinatio, literas librosque extorserit, ea tantum dicamus, scribamus, in lucem edamus, tam pro nobis ipsis quam contra illos, quæ repositore papali non egeant, quæ lucem non oderint; utpote quæ vel apertè vera & manifesta sint, vel saltem sic probabilia, ut absque ulla conscientiæ labe, temeritatisve suspitione, vera & certa præsumi & credi tutò possint: quæ nimirum vel ipsi vidimus, aut audivimus, vel a Majoribus, non læsæ fidei, accepimus, & manifestis rerum momentis & experimentis confirmata cognoscimus.

Tale est hoc quod typis offerimus *Consilium trium Episcoporum de ratione stabiliendæ Romanæ Ecclesiæ, Romæ*, inspirante papa, genitum, *Bononiæ* civitate papali, pendente seu suspenso ibidem Concilio Trid. gestatum, natum, *Romæ* exceptum, altum, tandemque suppressum, sepultum, in *Anglia* denuo redivivum, beneficio utique non minimo in Ecclesiam orthodoxam, sponsam Christi, cujus non parum interest, in hac rugientis papatus senecta cognoscere, quibus artibus *mystica* illa Antichristi *vannus* invaluerit, hodieque etiam ventilationum accersitu consistat.

Quicquid verò aut quantulumcumque hoc fuerit, Tuis maximè ipsum, & ego cum ipso, *Comes Herosque inclyte*, jure debetur auspiciis, ut qui prudens inter togatos *Consiliarius*, strenuus inter armatos *Imperator*; domi forisque & Marti & Mercurio maxime idoneus futurus sis. Consilii quod jam editur impietas malè patitur virtutum tuarum pietatisque in Deum, patriam, literas & literatos, prædicationem secum conjungi: Quanquam honoratum semper fuerit, integritati piissimæ, nobilitati summæ, impietatis & nequitiarum detectio, detestatio, amolitio, subversio. Atqui quoniam Panægyris illa laudum tuarum *parum* præsenti instituto, *minus* libellulo tam minuto, modestiæ candorique tuo *minimè* convenit, parcam pudori tuo, non labori meo; tantum dicam, præsentis dedicationis causas privatas (quà à me) justas, amplitudo tua proprias sibi fecit, ut quem nullo meo præcedente merito, studiorum benignum promotorem, prænobilemque expertus sum patronum, eidem publicam grati animi attestationem, beneque merendi voluntatem ingenuè offeram: Quod ut placidè amplitudo tua candidéque accipiat, majoraque *seque digniora* posthac expectet non veritus, Deum opt. max. obnixe precor, ut & orthodoxi piique omnes, ut omnia in hoc mundo tibi tuisque prospera, fœlicia, honorifica donet, secundet, conservet, adaugeat, & defuncto hujus sæculi honoratissimis officiis, Beatitudinis æternæ coronam tribuat. *Amen.*

CONSILIUM QUORUNDAM

Episcoporum *Bononiæ* Congregatorum, quod de ratione stabiliendæ Romanæ Ecclesiæ *Julio III. Pont. Max.* datum est.

LEgatus tuus apud Bononienses mentem nobis tuam declaravit, Beatiss. Pater. Quippè placere sanctitati tuæ, ut nos Episcopi, qui tuo jussu hac in urbe recens congregati sumus, terni seorsum consultaremus, quanam ratione stabiliri augerique sedes Apostolica possit, quæ hodiè à perfidis Lutheranis sic infestatur, oppugnatur, ac debilitatur, deque ea re sententias nostras literis explicaremus; quas conferre inter se, atque expendere, & de iis tecum ipse deliberare cupias. Nos igitur tres infra nominati Episcopi, quanquam nec prudentia, nec doctrina, nec rerum usu plurimum possumus: Tamen ut tuæ voluntati obtemperemus, nostrum in ea re consilium tibi separatim exponemus, ita ut judicio beatitudinis tuæ omnia interim permittamus. Sed te imprimis quanta possumus reverentia admonitum volumus, caveas, ne nostro huic *consilio* idem fortè eveniat, quod olim accidisse meminimus, cum novem illi Cardinales, & unà cum eis delecti aliquot Episcopi, de hac ipsa re, nempè de ratione reformandæ Ecclesiæ, consulerentur, & libellum, in quo sententias suas adnotaverant, obtulissent. Nam quæ ibi supprimi celarique debuerant, * ea illico emanarunt, & in Germaniam usque dispersa ac dissipata sunt. Atque ita detegi patefierique Lutheranis hostibus nostra consilia accidit: quæ res oppugnandis nobis postea illis mirificè profuit, nam libellis adversus ea editis, incredibile est, quantum in nos odium concitaverint: multos errores atque abusus fateri nos in ecclesia esse, dictitantes, quos tantum abest ut corrigere ipsi velimus, ut vi etiam tueri atque defendere non dubitemus: & si quis de necessaria emendatione vel hiscere audeat, eum terra marique hostiliter persequamur.

* In alio codice hæc sequuntur, *quod & sanctitatem tuam voluisse minimè dubitamus.*

Consilium illud, Beatiss. pater, ita evulgatum, magnum, crede nobis, detrimentum rebus nostris attulit. Sed Deus illi ignoscat, cujus id culpa atque opera factum est. Adhibenda sanè erit omnis cura ac diligentia, ut nostrum istud supprimatur, alioquin incom-

incommoda incommodis, & mala malis cumulabimus. Res n. hic maximi momenti perstringimus, ac liberè nulliusque habito respectu, in ipsius causæ arcem invadentes, indicato prius morbo, convenientem illi medicinam afferimus. Sed hæc inquam supprimenda sunt.

Cum nos multum ac diu cogitavissemus, quisnam esset gravissimæ hujus controversiæ status, à principiis omnia repetentes (nam ad principia semper recurrendum est) tandem hunc nimirum esse deprehendimus, Lutherani Symboli Apostolorum, Niceni & Athanasii articulos omnes recipiunt & confitentur, atque id verissimum est. Neque enim inficiari oportet, (præsertim inter nos) quod adeò verum esse omnes intelligimus. Iidem Lutherani negant velle se aliam doctrinam admittere, præter unicam illam, quæ Prophetas, Christum & Apostolos authores habet, optarentque ut simul omnes paucissimis illis contenti essemus, quæ Apostolorum temporibus, aut statim pòst observata fuere; & priscas ecclesias imitaremur,nec de recipiendis ullis traditionibus cogitaremus, quas non constet luce meridiana clarius fuisse à D. N. Jesu Christo, & ab ipsis Apostolis dictatas atque institutas. Ita sentiunt adversarii nostri, & malè illi quidem sentiunt; nos contrà, sequuti opinionem beatitudinis tuæ, volumus credi haberique necessarias ad salutem doctrinas omnes, *traditiones, constitutiones*, regulas,cæremonias,quæ hactenus vel à patribus vel conciliis, vel etiam à privato aliquo (bono zelo) in ecclesiis invectæ sunt. Sigillatim vero, quod ad ipsas traditiones attinet, omnino credimus & confitemur tanquàm verum articulum fidei, id quod in decreto tertiæ sessionis Concilium Tridentinum, in Spiritu sancto legitimè congregatum, statuit, nempe D. N. Jesum Christum atque ipsius Apostolos multò plura tum ad mores, tum ad fidem pertinentia ore tenus docuisse, quæ non fuerunt scripta, sed per manus tradita, ad ætatem usque nostram venerunt, quàm ea quæ scripta sunt; & tametsi hoc apertè probare non possimus (nam planè fatemur inter nos, quòd non possimus de traditionibus, id quod tenemus & docemus probare, sed tantum habemus conjecturas quasdam) tamen confitemur esse verum, quia sic tenet Rom. Ecclesia. Hic est in summa cardo totius controversiæ: hinc tumultus illi, hinc illa contentio. Sed omni diligentia providendum est, etiam si vita nobis in ea re impendenda esset, non tantum industria, vigiliæ ac facultates, ne latius serpat istorum opinio, quanquam longè lateque nimium jam dimanavit; quod sanè dolendum ac deplorandum est. Neque enim hic de nihilo agitur, sed de salute & incolumitate universi status tui & nostrorum omnium qui membra ac creaturæ illius sumus. Nam Apostolorum temporibus (ut verum tibi fateamur, sed silentio opus est) vel aliquot annis post ipsos Apostolos, nulla vel Papatus, vel Cardinalatus mentio erat; nec amplissimos illos redditus Episcopatuum & Sacerdotiorum fuisse constat, nec templa tantis sumptibus extruebantur; non erant Monasteria, non Priores, non Abbates, multò verò minus hæ doctrinæ hæ leges, hæ consuetudines, sed neque imperium illud quod in gentes ac nationes hodie obtinemus: quin omnes omnium ecclesiarum ministri (Romanæ non minus quàm cæterarum) ultrò regibus, principibus ac magistratibus parebant. Æstimet ergo tua sanctitas, quàm malè nobiscum ageretur, si nostro aliquo fato in pristinam paupertatem, humilitatem & miseram illam servitutem ac potestatem alienam redigendi essemus. Est igitur, ut diximus, hæc res maximi momenti.

Porrò hæc est unica via, nostro judicio, declinandi gravissimi hujus periculi. Nos, re probè examinata, comperimus hanc ecclesiæ gloriam, authoritatem & potentiam tunc primum exortam esse, cum in ea sagaces & solertes Episcopi præesse cœperunt, qui per occasionem à Cæsaribus contenderent, uti sua authoritate ac potentia primatum & summam in alias ecclesias potestatem penes hanc sedem esse statuerent; id quod inter alios papa Bonifacius 3. impetrasse à Phoca imperatore dicitur. Deinde illud etiam animadvertimus, cœpisse tum ecclesiæ res magis magisque indies crescere, cum Cardinales creari & Episcoporum augeri numerus, & tot ac tam pulchri Monachorum & Monialium ordines emergere cœperunt. Nec dubium est quin isti Papæ, Cardinales, Episcopi, Monachi, Moniales, sua astutia, suis additionibus, suis cultibus ac cæremoniis, ecclesiam ab illa vetere doctrina, quæ in ea paupertate atque humilitate illam continebat, averterint, & gratiam atque authoritatem illi conciliarint. Quare ut augendi ratio fuit, ita sit conservandi modus oportet, nempe sagacitas & solertia omnis adhibenda est, augendus est Cardinalium, Episcoporum, Monachorum & Monialium numerus. Et ut speciatim dicamus, hæc in primis tuæ sanctitati tenenda est via. Imperium tuum adhuc præferunt (utcunque Lutherani bonam partem Europæ secum facere garriant) Gallia, Italia, Hispania. Harum proxima sanctitatis tuæ & legum ac constitutionũ illius omnium observantissima est,nihil innovat,nihil mutat.Proindè,quantum

tum ad illam quidem attinet, nihil formidandum est. Paucos enim inter Hispanos omnes invenias, qui ab ista Lutherana doctrina non abhorreant. * Verum si qui sunt inter eos hæretici, hi magis negant aut adventum Messiæ, aut immortalitatem animarum, quàm potestatem tuam, & Rom. Eccles. at certè illorum hæresis nobis tolerabilior videretur quàm illa, quæ est Lutheranorum, & ratio in promptu est: Siquidem Maurani illi, si nihil de Christo & de futura vita credunt, tamen solent tacere, aut tantum ridere inter sese, atque interim non desistunt parere Rom. Eccles. at Lutherani non ita, sed apertè dissentiunt, & conantur statum nostrum labefactare & convellere. Gallia vero atque Italia novis rebus planè studere videntur, & plerique harum populi, Germanorum exemplo, primâ quaque occasione à nobis defectionem moliuntur. Porro in his duabus provinciis multas & quidem præclaras urbes invenire est, quæ nullum proprium Episcopum habeant, sed majorum potentiorumque urbium Episcopis pareant. Ex his centum, plus minus, tua sanctitas deligat, quibus regendis novos totidem Episc. creet; mox deindè Cardinales quinquaginta numero veteribus adjungat, ex quibus omnibus, Episcopis inquam & Cardinalibus tam veteribus quam recens designatis, triginta vel quadraginta seligat, qui sagaces in primis, inque aulicis publicisque negotiis exercitatissimi, ac Pontificii Cæsareique juris peritissimi habeantur. Hos apud se retineat, his authoribus adjutoribusque ad exequenda prudentissima sua consilia, familiariaque ac domestica negotia administranda utatur; reliquos verò tam Cardinales qui cum Episcopali sunt dignitate, quàm ipsos alioqui Episcopos, in suam quemque diœcesim amandet, præcipiatque ut ludis & spectaculis atque omne genus deliciis, cives oblectent suos, ipsique interim eodem, quo Romæ splendore, ac pompa, in templis, atque in urbe assidue equitando populo sese conspiciendos exhibeant. Ita protinùs fiet, ut vulgus, cui istiusmodi pompæ ac cæremoniæ admirationi esse solent, ac plurimum lucri ibi consuevit facere, ubi plurimi divites fuerint, præsulibus istis sese in servitutem dedat, ac tandem omnes, partim benevolentia, partim privatis suis commodis addicti, sententiæ tuæ faveant: securi posthàc quid Lutherus, vel Brentius, vel Melancthon, vel novus ille hæreticus Vergerius scripserit. O quanti referebat è nostris illum manibus non elabi, sed vel dari in custodiam, vel in Tyberim dejici! Nam is, utpotè in publicis ac privatis Sanctitatis tuæ negotiis versatus, bonam partem rerum nostrarum, consiliorumque omnium, novit atque intelligit. Sed longas illa habet manus, &, quæ illius est prudentia, facilè huic malo remedium inveniet. Licuit enim, semperque licebit, omnes persequi vias, quò nos ab hostium insidiis liberemus, * neque sine magna causa istos nunc putavimus nominari oportere: sapienti pauca. Curet deindè tua sanctitas, ut isti Cardinales atque Episcopi qui sedes incolunt suas, *civium liberis sacerdotia conferant.* Nam hæc est admirabilis omniumque expeditissima via ad retinendos in fide istorum animos. Et tuos multos hodiè comperimus, qui hanc Lutheranam doctrinam jamdudum amplexi fuissent, nisi unica hæc obstaret ratio, quòd vel ipsi, vel eorum fratres, aut filii cognative, redditus Ecclesiasticos possident.

* In alio codice ista habentur, *quanquam non adsunt, & inter illos, adeo corruptus est orbis, qui ab hac nostra sede aliquando desciscant.*

* Deinde sequitur in alio codice, *hic certe tibi minimè contemnendus est.*

Nec vero ab re etiam fuerit, mitti in Galliam atque in Italiam ingentem numerum sacerdotum illorum, * quos vulgò Chietinos vel Paulinos nominant. Nam, ut verum fateamur, vulgares illi sacerdotes & Monachi nimium certè Missâ abusi sunt, ut qui illam parum religiosè, ac præcipiti quadam festinatione celebrarent, nec sine aperta illius nundinatione, & qui præterea impurissimè & flagitiosissimè viverent, adeo ut homines meritò illis fidem amplius non habeant, seque persuaderi non sinant (licet Sophistæ nostri magno id studio ac labore conentur) posse sceleratum & impium aliquem è cœlo Christum ad altare elicere, animasque è purgatorio educere, & sibi aliisque peccatorum veniam promereri, nempe ex opere operato: Igitur novi illi Sacerdotes ac Chietini, quoniam Missam lentius & majori cum gravitate facere soliti sunt, idque nulla mercede, solo contenti victu ac vestitu, & in reliqua vita probitatem quandam præ se ferunt; facilè pristinam Missis authoritatem atque existimationem reconciliabunt.

* In alio codice deinde sequuntur ista, *quos tua sanctitas nuper reformavit atque instituit.*

Danda est etiam opera ut novi Monachorum ordines passim instituantur. Hi enim, crede nobis, magnum momentum ad regnum tuum stabiliendum allaturi sunt. Etenim animadvertere licet, quantum illi suis confessionibus concionibusque ac cultibus, quos ipsi introduxerunt, illud jam auxerint. Deinde illud etiam longo jam usu edocti sumus, ibi sectam Lutheranam minus potuisse sese intrudere, ubi major Monachorum (præsertim Dominicanorum & Franciscanorum) numerus extitisset, à quibus viriliter propugnata sententia tua, & adversariorum doctrina semper profligata est.

Præ-

Præterea Cardinalibus & Epiſcopis qui in ſuis diœceſibus commorantur, atque item Sacerdoribus & Monachis illis præcipiendum eſt, ut *novas interdum confraternitates*, quas vocant, nunc in hujus, nunc in illius Divi honorem inſtituant. Nam frater Thomas Stella vel Todeſchinus * affirmat, magnum ſe ad firmandum atque augendum Regnum tuum operæ pretium feciſſe, quod in multis Italiæ partibus harum confraternitatum (ac præſertim ejus quæ Corporis Chriſti appellatur) ſtudium pro Concione populo commendarit. Ad hæc, ſupplicationes ſpecie ac pompa quàm maxima habeant, imagines ac ſtatuas fieri mandent, illis cereos & lampades accendi jubeant, organa variaque inſtrumenta muſica in templis haberi curent. Hæc etenim ſunt, quibus vulgus præcipuè delectatur, & quorum gratia doctrinam illam, quæ nobis adeò exitialis & perniciosa eſt, ferè obliviſcitur.

* *Collega noster.*

Nec verò ea ſolum, quæ jam commemoravimus, obſervanda erunt, ſed illud etiam Reverendiſſimis Cardinalib. atque Epiſcopis curæ ſit oportet, *Miſſas, ut quanta maxima pompa ac magnificentia poterunt*, ipſimet factitent, Baptiſteria in hominum conſpectu, atque oculis conſecrent, Sacerdotes ordinent, Templa, Altaria, Cœmeteria expient, baptizent Campanas, Moniales velent. Nam iſthæc quoque ſunt, quæ vulgus admirari ac ſtupeſcere, & quorum contemplatione, veluti laqueis, mente atque animo irretiri ſolet, adeò ut nullo alterius cibi ac doctrinæ tangi deſiderio queat, quemadmodum (ſi vera fateri volumus) in eum quoque finem inſtituta ſuêre.

Quinimo augenda ac multiplicanda iſthæc noſtro judicio eſſent. Nam ſi paucarum iſtiuſmodi rerum, quas modò retulimus, introductio, conſtitutioque ad ſtabiliendum regnum tuum adeò profuit: quid putas fore, ſi his nova adhuc quædam adjungantur? Verbi gratia, conſecratur quotannis quinta feria, quæ feſtum paſchæ proximè præcedit, triplex illud oleum ſanctum, chriſmatis, & infirmorum, idque ab uno Epiſcopo, & duodecim ſimul Sacerdotibus, terna illa adoratione ſalutationeque, exorciſmis, inſufflationibus, admixto etiam opobalſamo: Statuat nunc tua Sanctitas ne paucioribus quinque ſalutationibus, & ſacerdotibus viginti* , ejuſmodi conſecratio fieri poſſit. Jubeat etiam præter opobalſamum addi liquorem aliquem pretioſiſſimum, cujuſmodi *Manna* fuerit, eo quod pluiſſe eam in deſerto compertum ſit, ac proindè inter cæremonias meritò locum habere debeat.

* *In alio codice* duodeviginti.

Similiter quoties aqua baptiſmatis conſecratur, in eam ſal & oleum imponi, terque cereum Paſchalem immergi, & eandem in quatuor ſecari partes, receptum eſt: Impera ut aliquantulum aceti ſimul infundatur. Nam illud Chriſto in cruce propinatum eſt. Unde ejus quoque uſum aliquem in Cæremoniis eſſe oportet.

Item, in templorum dedicationibus Epiſcopi latinum græcumque alphabetum pedo exarare in cinere ſoliti ſunt: Manda, *ut alphabetum quoque Hebraicum adpingant*, ſiquidem norunt (quanquàm id quidem haud ita magni refert, nam nec græcum ſanè norunt & vix latinum, quod nihilominus ab illis pingitur, & perindè eſt, ac ſi illud noſſent) etenim in Chriſti cruce ipſius mortis cauſa triplici lingua, nempè Hebraica, Græca, Latina inſcripta fuit.

Deinde ubi Epiſcopi Sacerdotum palmas tantum inungunt, jube illos internam atque externam manum, adhæc caput ipſum & ſimul totam faciem perungere. Nam ſi tantulum illud oleum ſanctificandi vim habet, major certè olei quantitas majorem quoque ſanctificandi vim obtinebit.

Denique quoties baptizantur campanæ, ſuffimenta illis ex thure & thymiamate fieri ſolent, edicito, ut *Moſchum* illis & *ambar* admiſceant, ad majorem religionem & admirationem.

Poſtremò cum Epiſcopus aliquis ad faciendam ſolenni pompa atque apparatu rem divinam ſeſe comparat, multa illum ſeparatim à privatis ſacerdotibus ornamenta habere oportet. Cujuſmodi ſunt (ut reliqua omittam) oſſa vel reliquiæ mortui alicujus, quas ille in cruce inaurata ad pectus geſtare conſuevit. Jube tu ut brachium integrum, vel crus, vel caput alicujus Divi reſectum, bene craſſo funiculo è collo ſuſpendat, id enim ad augendam hominum religionem plurimum conducet, & omnes incredibili admiratione obſtupefaciet. Iſtæ Cæremoniæ omnes à pontificibus inventæ atque excogitatæ fuerunt: Tu ergo cum æquè ſummus Pontifex ſis, eaſdem, ſi vis, augere potes; imo vel omnino debes, ad eum, quem tibi oſtendimus, finem atque uſum.

Præterea conſilium noſtrum eſſet, ut tua ſanctitas Cardinalibus illis atque Epiſcopis, quos in ſuis reſidere eccleſiis contigerit, præciperet, ut Logicam, Sophiſticam, artemque Scholaſticam ac Metaphyſicam, item Decretales, Sextum, Clementinas, Extravagantes, & regulas Cancellariæ, in ſua quiſque civitate legi ac doceri publicè curent. 'Utinam ' legendis hujuſmodi libris homines ubique diligentius incubuiſſent. Neque enim res

'noſtræ

'nostræ in hujusmodi deploratissimum statum adductæ essent. Sed hi contemptis istis 'melioribus disciplinis Græcæ & Hebraicæ linguæ operam dare, & mox Bibliorum 'versionem ad Græcam & Hebraicam veritatem exigere examinareque, ac Theologiæ '& antiquis Ecclesiæ doctoribus studere cœperunt, unde damna illa, quæ jam sustine-'mus omnia, extitere. Quare danda erit opera, ut studiis istiusmodi valere jussis, scho-'lasticam artem, & tuum Jus Canonicum homines repetant, quibus Theologiæ studia 'sepulta penè atque obruta fuisse olim constat. Sed animum hic advertat tua Sanctitas. Nam Decretalium & Sexti & Clementinarum & Extravagantium tantum supra meminimus, ac non item *Decreti*, quod minimè mirum videri debet. 'Est enim perniciosus 'liber, & authoritatem tuam valde vehementer imminuit, licet alicui extollere videatur: Nam inter alia, negat multis in locis posse Papam vel tantillum ad eam doctrinam adjungere, quam nobis Christus ipse tradidit, & Apostoli docuere. Ita enim, inquit Canon, qui incipit, Transferunt, 24. q. 3. *Immutant mendacio veritatem, qui aliud prædicant, quàm ab Apostolis acceperunt.* Hoc planè Lutheranum est axioma. Quid enim aliud quotidiè inculcant nostri adversarii, quàm ne latum quidem unguem licere ab his rebus, quæ Apostolis fuere in usu, recedere; at quis est ex nostris, qui non recedat sæpe quotidiè? certè vix umbram quandam retinemus in nostris Ecclesiis ejus doctrinæ & disciplinæ, quæ Apostolorum temporibus (sicuti etiam initio attigimus) floruerunt, & prorsus aliam accersivimus. Verum interim in illo decreto disertè appellamur mendaces, quia hoc fecerimus; at fecimus, summis Pontificibus authoribus & magistris, imò imperantibus & impellentibus. Utinam verò non essent multi hujusmodi Canones, qui longe aliud præcipiant, quàm indies Pontifices solebant, & nos omnes solemus facere, (loquimur nunc de doctrinis & de fide, non de moribus) Audi nunc unum atque alterum. Ita, inquit Canon qui incipit, Contra. 25. q. 1. *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem sedis autoritas potest.* Alius vero Canon qui incipit, *Ideo*, ita inquit: *Ideo permittente Domino pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri sive in sanctis Canonibus, sive in mundanis affixere, legibus excede e minime debeamus: Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quod ipsi divino statuerunt consulto intactum non conservamus.* Annon hîc disertissimè Zosimus & Leo III. Pontifices (quin & tota ipsa Roma. Eccles.) clamat, authoritatem istius sedis non posse quicquam agere contra Canones, contra Leges, contra Statuta veterum Patrum, sed debere ea intactè servari? Quo pacto ergo respondebimus adversariis qui hîc urgent nos & exagitant, ac de nobis usurpant illud Psalmi 5. *non est certitudo in ore eorum*; accusant enim nos levitatis atque inconstantiæ, qui habeamus tam claros Canones qui vetant, ne Pontifices queant mutare decreta Patrum, aut quippiam agere contra ea, & nihilominus, nihil frequentius videamus, quàm istiusmodi mutationes & derogationes antiquorum Patrum & Conciliorum. Quomodo, inquam, hîc respondebimus, præsertim quum decretorum liber sit tam illustris & celeberrimus, qui in omnibus Gymnasiis, qui in omnibus judiciis, qui in omnibus Ecclesiis summo in pretio atque honore habitus est? Verum interea non modo pauca ea, quæ præbuimus degustanda, continet, sed plurima alia quæ causam hostium nostrorum juvant, & ita juvant, ut videantur ab aliquo ipsorum fuisse scripta. Proinde de hoc *Decreto* captandum nobis erit Consilium aliquod: videtur enim res perquam absurda, quod in eo illud doceatur, cujus contrarium tua sanctitas agat, & fieri mandet.

Denique (quod inter omnia consilia, quæ nos dare hoc tempore *beatitudini tuæ* possumus, omnium gravissimum, ad extremum reservavimus) oculi hîc aperiendi sunt, omnibus nervis adnitendum erit, ut quàm minimum Evangelii poterit (præsertim vulgari lingua) in iis legatur civitatibus, quæ sub tua ditione ac potestate sunt. Sufficiatque tantillum illud, quod in Missa legi solet, nec eo amplius cuiquam mortalium legere permittatur. Quamdiu enim pauculo illo homines contenti fuerunt, tamdiu res tuæ ex sententia successere; eademque in contrarium labi cœperunt, ex quo ulterius legi vulgò usurpatum est. Hic ille (in summa) est liber qui præter cæteros hasce nobis tempestates ac turbines concitavit, quibus propè abrepti sumus. Et sanè, si quis illum diligenter expendat, deinde quæ in nostris fieri Ecclesiis consueverunt, singula ordine contempletur, videbit plurimum inter se dissidere, & hanc doctrinam nostram ab illa prorsus diversam esse, ac sæpe contrariam etiam. Quod simul atque homines intelligunt, à docto scilicet aliquo adversariorum nostrorum stimulati, non ante finem clamandi faciunt, quàm rem planè omnem divulgarint, nosque invisos omnibus reddiderint. Quare occultandæ pauculæ illæ chartæ erunt, sed adhibita quadam cautione ac diligentia, ne ea res majores nobis turbas ac tumultus excitet. Legatus istius sedis apud Venetos D. *Joan. dellà Casa* Archiepiscopus Beneventanus, præclare se admodum in ea re gessit. Nam etsi apertè palamque librum illum Evangelii minime damnarit vel

abscondi

abſcondi juſſerit, id tamen obſcurè ac diſſimulanter facit, dum in prolixo illo catalogo hæreticorum, quem edidit, partem ſaltem ejus doctrinæ improbavit, quæ in Evangelio continetur, præcipuè verò certa quædam capita, quæ nobis maximè omnium adverſari videantur. Factum ſanè præclarum ac divinum, quicquid alii hic blaterent. Nam multis prima facie ridiculum videbatur, damnari ab illo tot ſimul authores, qui de religione ſcripſerunt, cum is ne ſyllabam quidem Theologiæ unquam legerit: edidiſſeque illum neſcio quid, cui *de arte divina*, titulum fecit. Sed hoc nihil eſt, & qui id in ipſo reprehendunt, multum ab re ſua illis eſt otii, ſeque rerum Romanæ curiæ valdè imperitos eſſe oſtendunt. Nam hic, ut eſt verus atque eximius aulicus, liberè quod ſentiebat, dixit, quod maximæ laudi dandum illi eſſe putamus.

Supereſt nunc, beatiſſ. pater, ut ad ea paucis reſpondeamus, quæ hic contra abs te fortè dici poſſent: quod ubi abſolverimus, Epiſtolæ finem imponemus. Dicat ergo fortaſſe tua ſanctitas, Si adeò periculoſa res eſt, hoc tempore celebrare Concilium,quod hoc,exiguo licèt, Epiſcoporum numero, metuendum ſit, ne aliquis inter eos inveniatur, qui clamorem tollere,& linguam ad ſtatum noſtrum labefactandum exacuere auſit, quanto id majore cum periculo fiet, ſi ultra hos,centum adhuc creandi ſint? Nos verò tria ad illud reſpondemus.

Primum fac (quemadmodum ſoles) ut Epiſcopi illi, qui creandi erunt, ut plurimum rudes ac literarum ignari, cæterum rerum curiæ peritiſſimi, & familiæ tuæ ſtudioſiſſimi ſint: Nam id abunde erit. Deinde declina Concilium quantum potes, utcunque Cæſar clamet, urgeat atque inſtet. Poſtremo ſi ſolum, ut famæ atque exiſtimationi tuæ conſulas, optare te Concilium, vel ſaltem ſimulare cupis, potes tu quidem illud recolligere. Sed (quod hactenus factum eſt) hi ſolum admittantur, quos ituros in tuam ſententiam exploratiſſimum habueris, reliqui vero prorſus excludantur, & longè arceantur. † Verum ante omnia cave, ne poſthac ulla ex principibus Germaniæ, qui Auguſtanæ confeſſioni adhærent, legatio intrare in locum Concilii poſſit. Nam, proh ſuperi, quantum incommodi, & jacturæ multis modis ſenſimus ex illa legatione Ducis Wirtembergæ, quæ Tridentum advenerat! Utinam Legatus Creſcentius in proximum Atheſim curaſſet projici in unam facem colligatos, illum Theodorium à Plienningen, illos duos Doct. Vernherum à Munchingen, & Hieronymum Gerandum, & illos duos malos Theologos Brentium & Beurlinum (hi ſcilicet erant legati illius Ducis) Nec fuiſſet parcendum Sleidano illi, Argent. Reip. nuncio. Nam quum impetrare à Concilio audientiam nunquam potuiſſent (hæretici enim non ſunt digni qui audiantur) rediere in patriam longè acriores ſanctitatis tuæ hoſtes, quàm unquam fuerint: & ſcribunt libros contra nos, & omnia miſcent. Itaque conſultius fuiſſet, ſi fides illis minimè fuiſſet ſervata (ut noſtræ jubent leges) ſed facti eſſent incolæ & cives fluvii illius Atheſini, etiam ad exemplum aliorum hæreticorum, ne venire ad noſtra ſacroſancta Concilia unquam auderent.

† *In alio codice iſta ſequuntur:* qui cunque vel minimè ſuſpecti fuerint. Habes inter cæteros. Cardinalem à S. cruce qui tibi in hac re egregiam navavit operam: Idem vehementer tibi poſthac uſui eſſe poterit: quare illum unice amplectere.

Hæc fuere, Beatiſſ. pater, quæ nos ſanctitati tuæ obſequi volentes, impræſentiarum tibi proponenda eſſe duximus, meliora daturi, ſi meliora habuiſſemus. Nos certè quod ſentiebamus, apertè atque ingenuè diximus. Sed illud iterum atque iterum admonemus, cavendum eſſe, ne hæc in vulgus emanent. Cæterum ſi fiet, uti à nobis propoſitum eſt, in ſpem non vulgarem venimus, fore, ut tua ſanctitas Galliam atque Italiam (nam de Hiſpania, ut jam diximus, nihil metuendum eſt) in fide retineat, atque ita regnum ſuum fulciat, ſtabiliatque.

Quod ad Germaniam nunc attinet, nos (ut verum tibi fateamur) nullo pacto ſperare poſſumus, * illam in tuam fidem unquam eſſe redituram. Quare hortamur, ut omnem de ea ſpem abjicias. Nam ſi Cæſar, & quidem victor, ac conceſſis licet adeo multis articulis, qui cum noſtra Catholica Eccleſia planè pugnant (ſicuti in illo ſuo *Interim* videre eſt) nationem illam in concordiam nobiſcum reducere non potuit, ſcito nullam ejus captandæ viam eſſe reliquam. Adde quòd populus ille à 36 annis in alium prorſus degeneravit. Mortui enim ſunt, qui ſub tuo imperio nati, atque educati fuerant, & quibus ſtudium & obſervantia quædam ſingularis erga te in medullis ac viſceribus hærebat. Contra ſucceſſit juventus quædam, quæ, ut doctrinam tuam experta non eſt, ita nec te amat, nec ſuſpicit, ut etiam Antichriſtum (proh facinus) appellare non vereatur. Et ſcimus quidem illic eſſe aliquot viros mediocriter eruditos, qui ex animo nobis favent, & ſane cuperent reſtituta ea quæ fuerunt à noſtris majoribus tradita, tuamque priſtinam poteſtatem: & laborant illi quidem pro virili, & modo ferunt ſermones in conviviis, modo libellis etiam editis conantur Papatum ruentem ſublevare & inſtaurare; verum hi pauciſſimi ſunt, & parva authoritate & judicio. Itaque nihil proficiunt. At

* Nos plane deſperamus, *habet alius codex.*

mirum est, quanto impetu populus ille Germanicus feratur potius ad cupiditatem audiendi eos concionatores qui Lutheranam hæresim docent, quàm aut Missam, aut eos qui tuam doctrinam prædicant. Vidit nuper fere tota Italia Cardinalis Poli, tui, ad vindicandam ex hæresibus Angliam, Legati literas, qui in hanc sententiam scripsit. 'Substitimus Tilingæ atque Augustæ per aliquot dies, exploravimus omnia diligenter, 'quæ ad religionem pertinent. At nihil in hoc genere videmus, quod potuerit placere. 'Ecclesiæ enim adversariorum mirificè & indies frequentiores magna lætitia audiunt 'suos concionatores, nostræ vicissim frigent, & vastas dixeris, si 'videas, ita pauci tantum vetuli nescio qui, & fœmellæ adeunt 'Missas. Hæc ille, familiares ejus † multa hujusmodi scripsêre. In summa de illa natione prorsus desperandum est. * Poterit ergo tua sanctitas optimo jure ab iis, qui adhuc sub illius imperio degunt, aliquid amplius solito exigere, ut quod impia aliorum defectione de illius redditibus decesserit, inde suppleatur. Verum illud quoque te admonitum volumus, ut in cogenda pecunia ex datariatu & poenitentiariatu, ut vocant, aliisque officiis, vel etiam decimarum ac tributorum exactionibus, cautio & dexteritas quædam adhibeatur, volensque ipse pecuniam undique corradere: ita te in ea re geras, ut minus posthac homines clament. Certum est quidem omnes orbis facultates esse tuas, qui Christi vicarius sis, cujus omnium rerum possessio est, ac proinde sumere undecunque jure tibi licet. Verum tu cum elegantia quadam, ac dexteritate, id facito. Nam (liceat verum fateri) incredibile est, quanto tui odio homines flagrent, quamque horrenda de te in vulgus jam sparsa sint. Vixque ullus unquam Pontificum fuit, in quem cum voce tum scriptis omnes odium suum manifestius declararint. Nam quòd tantopere exultas de regno Angliæ, quasi hoc tuæ fœlicitati tribuere homines debeant, quòd Regina illa curet illinc hæreses exturbari, nullam certè habes partem in ea laude. Deinde veremur nè parum diuturna sit futura ista tam repentina fœlicitas. Adde quòd Regina ipsa se appellat primum caput illius regni post Christum, ita ut si maximè sint restituendi illic veteres cultus & cæremoniæ, non tamen sit restituenda potestas atque authoritas tua. In summa, magnopere vigilandum est, & instanti ire obviam periculo oportet, nisi omnem semel aleam jacere cupis. Valeat perpetuum tua Sanctitas, cujus Sanctiss. pedem proni, ab humo projecti deosculamur. Bononiæ 20. Octob. Anno M D LIII.

† Alter codex habet: *Inprimis* D. Aloisius Priulus.

* *Deinde in alio codice sequuntur ista.* Sed non est quod tua S. ob id se nimium cruciet, nam etsi hujus tam populosæ nationis defectio incredibile illi damnum attulisse videatur multumque ob id de illius censu ac redditibus decesserit, remedium tamen in promptu est. Poterat enim, &c.

Ejusdem S. tuæ servi & creaturæ devotissimæ,

1. *Vincentius de Durantibus Episc. Thermularum Brixiensis.*

2. *Egidius Falceta Episc. Caprulanus.*

3. *Gerhardus Busdragus Episc. Thessalonicensis.*

GEN-

GENTIANI HERVETI AURELII
Oratio, qua interpretatur ſextum Canonem Concilii Chalcedonenſis, qui ſitus eſt in diſtinct. LXX. Gratiani, ex quo maxima ex parte pendet reſtitutio lapſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quod attinet ad miniſtros Eccleſiæ. *Anno* 1559.

CRedo ego, auditores, vos mirari, quod & in hunc locum inſolens aſcenderim & eum Canonem interpretandum ſumpſerim, qui in Scholis nuſquam hodie legitur, & ex quo pauca, aut potius nulla capi poſſe videtur utilitas. Quod quidem ne me temere feciſſe exiſtimetis, priuſquam ad rem ipſam aggrediar, mei conſilii & inſtituti ratio paucis vobis eſt exponenda. Ego cum neſcio quot abhinc annis, Aurelia, quæ mihi patria eſt, relicta, Romam eſſem profectus, & à Sanctæ Rom. Eccleſiæ Diacono Cardinali Reinaldo Paulo, in Marcelli Cervini Cardinalis ſanctæ crucis, qui paucorum dierum ante Paulum quartum fuit Pontifex Max. familiam eſſem traditus, eum à ſanctæ memoriæ Paulo 3° Pontifice max. ad Concilium legatum Tridentum ſum ſecutus. Quo in loco à congregatis illuc patribus aliquot ſanctiſſima facta fuere decreta, nempe de juſtificatione, & de aliquot aliis, quæ ſunt hoc longè infœliciſſimo ſeculo apud multos controverſa, facta ſunt etiam aliquot alia decreta de reparanda eccleſiaſtica diſciplina, quæ etſi ſunt quidem præclara, non ſunt tamen ejuſmodi ut priſcos illos mores in integrum reſtituant. Quod quidem ut fiat, omnino neceſſe eſt, ut mihi perſuadeo, ſi jam diu deſiderata ſit veluti poſtliminio inter Chriſtianos reditura concordia. Memini autem me Marcello legato tunc dicere ſedulo quidem rem geri & laudandum eſſe eorum conatum, ſed meo judicio non opus eſſe tot decretis, ſufficere enim ſi vel unus Concilii Chalcedonenſis canon rectè intelligatur, & renovatus diligenter obſervetur. Atque mihi quidem viſus ſum id facile tunc illi perſuadere: nec deſperandum erat fore ut eum curaret renovandum, ſi vel Concilium non fuiſſet paulo poſt Bononiam tranſlatum, ac deinde ſuſpenſum, vel in pontificatu aliquot annos nobis fuiſſet ſuperſtes. Sed quoniam ita Chriſto viſum eſt, ut tantus vir nobis immatura morte præriperetur, non duxi committendum, ut mea de hoc canone ſententia penitus intercideret: ſperans fore ut ſi vel aliquando liberum congregetur Concilium vel aliquis exoriatur Pontifex, cui ſit unus ſcopus Chriſti gloria, verumque decus & ſplendor eccleſiæ, hæc mea quantulacunque admonitio non ſit omnino futura inutilis. Atque maxima quidem ſpe ducebar hodiernum primæ ſedis Pontificem Max. Paulum quartum, ſummam ſuam doctrinam & pietatem, ad hoc ſanctiſſimum eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurandæ negotium eſſe collaturum: ſed incommodè imo vero infœliciter accidit, ut vixdum inito Pontificatu graviſſimæ Romanorum aliquot civium injuriæ, à tam pulchro & tam neceſſario incœpto avocatum ad alia traduxerint. Neque vero nunc deſperandum eſt, divino beneficio pace reddita, eum Divi Petri Cymbæ, quæ pluſquam decumanis agitatur fluctibus, quam maximam poterit opem eſſe allaturum, niſi divinam ejus mentem, vel humanarum rerum æſtus, vel aggravantis ſenectutis incommoda opprimant. Nulla autem alia inveniri poteſt firmior, ac validior opis ferendæ ratio, quam ſi priſcis, quoad ejus fieri poterit, in uſum revocatis moribus, veteris diſciplinæ ſacra jaciatur anchora. Quod quidem ut in hoc regno fiat quantopere cupiat Chriſtianiſſimus rex noſter *Henricus*, ſignificationem dedit longè maximam, quando anno ſuperiore pulcherrimum fecit edictum, quo cavebatur ut quibuſcunque ſunt commiſſa munera Eccleſiaſtica, non vicaria opera, ſed ipſi præſentes ſuum officium facerent. Quod quidem ne plenè, ac perfectè poſſit fieri, nihil magis obſtat quam quod canon quem hodiè ſuſcepimus interpretandum, partim non ſatis intelligatur, partim magna ex parte exoleverit. Quis verè Chriſtianus, & de fide rectè ſentiens hodie non ingemiſcit, & non ardet dolore, cum inconſutilem Chriſti tunicam videt tam nefarie diſcerpi, unam Eccleſiam in tot ſectas & factiones dividi, à conjuratis pietatis hoſtibus adver-

Decreta facta in Concilio Tridentino.

Ratio ferendæ opis labanti reip. Chriſtianæ.

adversus pios quas non insidias tendi, cum audit in nobilissima & frequentissima totius orbis Christiani civitate adversus à Christo traditam religionem, nocturnos cœtus fuisse celebratos? Horum autem malorum causam etiam atque etiam cogitans, vix aliam majorem invenio, quam quod ordo sacerdotalis, cujus tantam esse dignitatem divus asserit Chrysostomus, ut ea sit preferenda regibus, & in tantam excreverit multitudinem, ut vulgo contemnatur, & tam malè suum munus obeat & tam flagitiosè ac nequiter magna ex parte vitam transigat, ut vel odium vel invidiam ubique fere sibi conflaverit. Nostrorum certè adversariorum, in sacerdotes tam vehemens & tam virulentum erupit odium, ut cum sit sacerdotis munus, Christi verbis ab eo prolatis, Christi verum corpus & sanguinem conficere, & incruentam hostiam pro totius populi peccatis Deo offerre, non dubitaverint cum Deo pugnare, & contra traditam ab Apostolis consuetudinem, & totius populi Christiani consensum, novos ritus introducentes, nec verum esse Christi corpus nec sanguinem, nec pro peccatis incruentam offerri hostiam, ore sacrilego affirmare. Divus Gregor. Nazianzenus quo nihil unquam eruditius, nihil magis pium tota tulit Græcia, & à quo sacras literas didicisse se sanctus gloriatur Hieronymus, alloquitur sacerdotes his elegantissimis versibus.

Ω θυσίας πέμποντες ἀναιμάκτους ἱερῆες,
Ω ψυχῶν ταμίαι μεγακύδεες, ὦ μεγάλοιο
Πλάσμα θεοῦ χείρεσσιν ἐν ὑμετέρῃσι φέροντες.

Isti autem planè impii homines, si dicendi sunt homines & non cacodæmones, nec incruentas offerri hostias, nec verum esse Christi corpus, quæ est abominanda eorum impudentia, verentur asserere, atque adeo nullos esse omnino sacerdotes. Quis enim jure sacerdos dici potest, qui nec offert nec sacrificat? Mirum est autem, quod cum sint eorum dogmata falsa, execranda, atque adeo planè impia, plurimos tamen, proh dolor, inveniant qui facilè assentiantur. Cujus rei vel præcipuam esse causam mihi persuadeo, quod cum in perditam ac flagitiosam multorum Sacerdotum vitam apud imperitos invehantur, quos non rectè suo fungi officio probare est facillimum, tam sibi faciant audientiam, ut cæteris quæ postea dicunt, cujusmodicunque ea sint, fides postea habeatur. Quòd si ecclesiastica, quæ aliquot abhinc annis lapsa est, disciplina in suum statum restituatur, quod ut nostris fiat temporib. faxit Christus optimus maximus, vix ullum inventum iri arbitror, qui non pestiferis erroribus aures occludat, & impia dogmata non abhorreat & aversetur. Ad id autem efficiendum cum nihil esse hoc canone convenientius, nihil conducibilius mihi persuaderem, operæ pretiū esse duxi, ejus qualemcumque meam affere interpretationem. Quam si vobis probari intellexero, auditores, ego maximum laboris mei fructum cœpisse mihi videbor. Habetis totius mei consilii & instituti rationem. Nunc restat ut interpretationem canonis aggrediamur. Quod dum quàm potero facillimè & brevissimè sum facturus, vos rogo ut me, ut cœpistis, benignè & attentè audiatis. Canon quem sumpsi interpretandum, est sextus canon Concilii Chalcedonensis qui citatur in decretis distinctione 70. Est autem ex Græco tam malè versus, ut non mirum sit ex eo malè intellecto, in Christianam remp. permulta derivata fuisse incommoda. Videor itaque rem totam facilius ac dilucidius explicaturus, si canonem rursus vertens, & meam cum veteri conferens interpretationem, singula deinde verba exponam, & quid ex non fideli versione erroris enatum sit, demonstrem. Eum itaque sic censeo vertendum.

Ex malè intellecto Canone plurima derivata incommoda.

Textus Canonis.

Neminem esse absolutè ordinandum, nec presbyterum, nec diaconum, nec omnino ullum ex iis qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, aut in martyrio, aut in monasterio, is qui ordinatur publico edicto assignetur. Eos autem qui absolute ordinantur, statuit sancta synodus habere talem irritam manus impositionem, & nunquam posse operari, ad probrum ejus qui ordinavit.

Hactenus sunt verba canonis. Atque in principio quidem mihi cum veteri interprete benè convenit, nempe: Neminem esse absolutè ordinandum, nec Presbyterum nec Diaconum. Sed videndum est primum quid sibi velit Ordinari. Ordinari autem dicimus quod Græcè χειροτονεῖσθαι: χειροτονεῖν autem, si spectetur vocabuli propria significatio, nihil est aliud quam manum in altum extollere & expandere. Quoniam autem quæ populi suffragiis olim fiebat magistratuum electio, fiebat sublatis manibus hinc fit ut χειροτονεῖν eligere, & χειροτονεῖσθαι eligi frequenter significet. Rursus quoniam sublatis & extensis manibus concipiuntur preces ab Episcopo in ordinatione seu consecratione, hinc fit ut χειροτονία frequenter accipiatur pro χειροθεσία, id est, manuum impositione. Utramque hujus vocabuli significationem notat Theodorus Balsamon, canonum apud Græcos egregius interpres, in suis Commentariis in Canones Apostolorum, cum in primo

Ordinari quid Electio magistratuum fiebat sublatis manibus.

Theodorus Balsamon Canonum interpres.

primo canone χειροτονίαν significare dicit *electionem*, in secundo autem manuum impositionem. Ea autem manuum impositio à Divo Paulo in Epistola prima & secunda ad Timoth. dicitur χειρῶν ἐπίθεσις, in canonibus autem Græcis composito vocabulo dicitur χειροθεσία, quæ à pluribus quidem potest fieri, ut Paulo & Barnabæ ad opus à Domino segregatis, leguntur prophetæ & doctores Antiochiæ manus imposuisse: & Paulus & Barnabas dicuntur per singulas civitates presbyteros constituisse; ubi Græcè est χειροτονήσαντες, id est, creasse impositis manibus. Ab universo autem populo imponi non potuisse manus, est evidentius quam ut hic sit dicendum. Quod autem dux quidam hæreticorum, qui nostram oppugnans hierarchiam, quam utinam tam ædificaret charitas, quam falsa inflat scientia, ex hoc loco vult ostendere propter χειροτονίας vocabulum, ministros Ecclesiæ creandi potestatem ita esse penes populum, ut in ea Episcopo nihil loci sit omnino relictum. Quàm fallatur, potest ex hoc quivis intelligere, quod cum in principio canonis sit χειροτονεῖσθαι, in fine canonis sit ἄκυρον εἶναι πᾶσαν τὴν χειροθεσίαν, id est, *irritam esse talem manuum impositionem*, quæ quidem in populum minimè potest cadere. Quamobrem cum χειροτονία & χειροθεσία in hoc loco pro eodem usurpetur, est evidens χειροτονίαν non significare in hoc loco, *populi electionem*. Neque enim χειροθεσία idem significare potest quod χειροτονία, si accipiatur χειροτονία pro ea electione quæ à populo fit sublatis manibus. Sed utrumque idem significat si ponatur pro manuum impositione: in qua significatione accipi quandoque χειροτονίαν docet is quem dixi Theodorus Balsamon. Neque vero aut volo aut possum negare Sacerdotes aliquando electos fuisse à populo, quod Concilii Antiocheni canone 13. fuit justis de causis abrogatum. Sed populi tantùm erat electio quæ ἐκλογὴ dicitur: χειροτονία autem, seu χειροθεσία, id est, manuum impositio & ordinatio erat tantum Episcoporum. Et tum demum rata firmaque & absoluta erat ordinatio, cum electo manus fuerat imposita à tribus quidem Episcopis, si electus fuerat Episcopus; uno autem, si Presbyter aut Diaconus. Quanquam autem in Concilio illo Laodiceno adempta sit populo Sacerdotes eligendi potestas, propterea quod eam usurpaverant, eaque nimis insolenter & seditiosè abutebantur: eis tamen adhuc licebat, quod semper licuit, interesse Sacerdotum ordinationi. Coram omni synagoga, inquit divus Cyprianus, jubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere: ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum prædicentur merita, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata. Ex his autem verbis Cypriani facilè possumus intelligere id, quod prius ab ipso dictum fuerat, ipsam plebem maximam potestatem habere, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi, in eo situm fuisse, quod licebat cuilibet ex populo, si quod posset crimen ordinando objicere. Quod si videretur ordinandus nulli esse culpæ affinis, atque adeo omni exceptione major, is censebatur omnium suffragio & judicio electus. Quod possumus etiam facilè intelligere ex Concilii Carthag. canone 22. quo cavetur ut Episcopus sine Concilio clericorum suorum non ordinet, ita ut civium assensum & conniventiam & testimonium quærat. Est autem consentaneum eam ordinandi rationem acceptam ab Apostolis, cum & scribat Paulus in Epist. ad Timotheum 1. oportere Episcopum habere bonum testimonium ab iis qui foris sunt: & Lucas dicat, quando electi fuerunt septem Diaconi, Apostolos dixisse multitudini, Considerate fratres, viros ex vobis boni testimonii septem. Nec aliud putandum est significare Leonem Pontificem sanctissimum, cum dicit, Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprovincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. Et rursus Vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum in ordinationibus Sacerdotum constituantur. Neque enim convenit plebem tunc liberam habuisse electionem, cùm quæ ab ea fuerat usurpata, Laodiceno Concilio aliquot ante seculis fuerat abrogata. Licuisse autem ordinandos accusare, patet ex Lampridio in Alexandrum, & ex 123. novella Justiniani. Plebs ergo hanc solam habebat potestatem dicendi, an ordinandus dignus ei videretur, an indignus. Cujus rei in hodiernum usque diem quoddam remanet vestigium, cùm in sacris ordinationibus rogantur ii qui intersunt, ordinandus sitne dignus? respondet autem quispiam tanquam plebis nomine, est dignus. Quod utinam tam serio ageretur, quàm nihil est hodie magis necessarium ad populum in officio continendum, quam suo munere dignos eligi ministros Ecclesiæ. Ex his omnibus arbitror satis patere, χειροτονίαν idem esse quod χειροθεσίαν, utrumque autem latinè dici vel manuum impositionem, vel ordinationem. Ordinationem autem ideo dici arbitror, quod hi quibus manus imponuntur ab Episcopis, à laicis segregati cooptentur in ordinem eorum

Act. 14. 23.

Sacerdotes aliquando electi à populo.

Cypr. epist. lib. 1. epist. 4.

Dist. 22. Episcopus fine.

Act. 7.

Cap. Nulla. 62. dist.

Can. Vota 62. dist.

Quæ res maxime necessaria ad populum in officio continentium.

eorum qui sunt Deo consecrati. Sed nimis multa diximus de ordinatione, videamus reliqua. Quid ergo sequitur? Absolutè ordinandum, quod Græcè est ἀπολελυμένως. Absolutè autem dicitur ordinatus, qui nulli certo loco est assignatus, in quo suo fungatur officio, ut paulo post dicet apertius. Deinde sequitur: Nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino ullum ex iis qui sunt in ordine Ecclesiastico. Ita enim mihi potius videtur vertendum quod Græcè est, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι, quam ut verterat vetus interpres, Nec quemlibet in Ecclesiastica ordinatione constitutum. Hic videtur se offerre locus tractandi de sacris ordinibus: sed quoniam id esset prolixius, & vel justum librum requireret, in præsentia omittemus. Hoc tantum silentio non duco prætermittendum, tempore Apostolorum fuisse quidem duos ordines, Presbyterorum scilicet & Diaconorum: ex Presbyteris autem eligi solitum qui utrisque præesset, nempe Episcopum, cujus ordo, dignitas & munus, ut à Presbyterorum ordine erat separatum, ita longè erat excellentius: mox autem atque adeo ipsorum Apostolorum tempore, ut ex eorum patet canonibus, & ex Epistolis divi Ignatii, cum majorem in modum cresceret Ecclesia, Hypodiaconos & cæteros minores ordines iis accessisse. Ordinabantur autem ii omnes ex clericis qui erant totius Ecclesiastici ordinis veluti quoddam seminarium. In clericorum autem numerum non alii referebantur, quàm qui constituerant se totos dicare ministerio Ecclesiæ. Ii autem gradatim provehebantur ad munera Ecclesiastica: & disertè cautum erat ne clerici per saltum promoverentur. Ex quo autem cœperunt passim creari clerici, nec in iis creandis ea spectarunt Episcopi, ut ex iis rectè institutis suppeteret eorum copia quos ordinarent, & ad ministeria Ecclesiastica gradatim proveherent: quod quidem ex eo usu venisse est consentaneum, quod res Ecclesiasticæ quæ antea separabantur à bonis Episcopi, cœperint confundi, earumque ususfructus ita visus sit ei esse permissus, ut rectè eas administrasse censeatur si ex prædiis nihil alienaverit, & de reditu & oblatione fidelium desierint fieri quatuor portiones, quarum una conferebatur in usus clericorum. Remanserunt quidem adhuc primi minores ordines, quos optet necesse est qui provehendus est ad Presbyterium, & citra quos non pateat ad majores aditus, sed eorum officium ac munus quo fungebantur omnino exolevit. Quo fit ut soli tres sint hodie ordines qui munera obeant quæ eis imponuntur in ordinatione, nempe Hypodiaconi, Diaconi, & Presbyteri. Quanquam sæpe etiam Presbyteri eorum vicem gerant, cum pauci inveniantur Hypodiaconi & Diaconi qui non habeant, vel saltem se habere simulent titulum propter quem sunt paulò post ordinandi Presbyteri. Sunt itaque minores quidem ordines sacri ut ad sacrum deputati ministerium, etsi non sit usitatum eorum officium. Atque quale quidem sit eorum omnium officium ac munus non est quod hic explicem, cum id in canonibus nulli non sit obvium. Sed non possum satis mirari quid nonnullis fanaticis hoc nostro infœlici tempore in mentem venerit, ut propter conceptum in sacerdotes odium, Presbyteris seu sacerdotibus id adimant, citra quod sacerdotis nomen non possit consistere. Quis enim dicendus est sacerdos qui non sacrificet? Presbyteros & Episcopos verbo & sacramentorum administrationi dicunt oportere incumbere, sacrificare negant. Quasi vero non idem sit sacramentum & sacrificium, sed diversa ratione consideratum: aut percipere sacramentum Eucharistiæ, non sit esse participem hostiæ, quæ fuit pro nobis mactata & oblata? Quoniam autem tota hujus rei ex hoc pendet controversia an Eucharistia sit sacrificium, eam ego esse verum & unicum perpetuumque immolati pro totius mundi peccatis Christi sacrificium, & ex verbis Christi apertè probari posse assero, & hanc fuisse perpetuam à tempore Apostolorum per manus traditam sacrificandi consuetudinem profiteor. Papistam me quantum lubet appellent: malo ego cum Ignatio, Justino, Origene, Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio, & denique cum omnibus Ecclesiæ Christianæ doctoribus tam Græcis quam Latinis, quos omnes Eucharistiam sacrificium appellasse vel inviti fateantur necesse est, sentiendo, Papista appellari, quàm à communi totius Ecclesiæ consensu recedendo, jure dici hæreticus. Quanquam autem sit Presbyteri munus sacrificare, & sacramenta administrare: absit tamen ut in hac sim sententia ut existimem verbi prædicationem & doctrinam in presbytero non maximè requiri, præsertim cum divus dicat Paulus in Epistola prima ad Timotheum, duplici honore esse dignos qui benè præsunt presbyteros, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Sunt ergo plurimi quidem faciendi Sacerdotes, qui verbum Dei prædicant & docent, non sunt tamen rejiciendi qui sacramenta administrant & sacrificant, quod quidem constat esse proprium munus Sacerdotis. Falluntur etiam cum dicunt, nullum hodie Diacono relictum munus nullamque functionem. Id autem ex eodem errore proficiscitur. Nam cum isti omnino tollant altaris sacrificium, quod nobis commune est cum Græcis, Armeniis, Æthiopibus

Unde dicta Ordinatio. Absolutè Ordinatus.

Clerici.

Sacerdos quis.

Sacramentum & sacrificium idem esse sed diversa ratione.

1 ad Timoth. c. 5.

Sua in hodiernum usque Diacono relicta est functio.

opibus, & quicunque ubique terrarum censentur Christi nomine; Diaconi autem opera maximè in eo versetur ut sacrificanti Sacerdoti inserviat: ablato sacrificio, Diaconi quoque munus intercidat necesse est. Quod si maneat, ut re vera manet, altaris sacrificium, & semper est mansurum, Diaconi simul munus maneat necesse est. Quomodo autem probari poterit in primitiva Ecclesia Presbytero sacrificanti Diaconum ministrasse? Prodeat divus Ignatius qui his verbis scribit ad Heronem Antiochenæ Ecclesiæ Diaconum, Sine Episcopis nihil agas, Sacerdotes enim sunt, tu vero minister Sacerdotum. Illi enim baptizant, sacerdotium agunt, ordinant, manus imponunt; tu vero eis ministras, sicut sanctus Stephanus Jacobo & cæteris Presbyteris. Hieronymus prodeat, & divus Chrysostomus qui in actis Apostolorum scribit diversos fuisse Diaconos, eos qui electi sunt ut mensis inservirent, eos qui deserviunt mysteriis. Quam Chrysostomi sententiam sequens sexta synodus in 16. capit. ita statuit, In primitiva Ecclesia presbytero ministrabat Diaconus. ἱερουργεῖν.

Quoniam libri Actorum tradunt septem Diaconos fuisse electos ab Apostolis, patres autem sancta synodi Neocæsariensis in canonibus à se editis, apertè dixerant septem debere esse Diaconos, secundum canonem, etiamsi sit non valde magna civitas, id autem persuasum iri ex libris Actorum. Nos autem dicto apostolico sensum patrum accommodantes, invenimus eos esse oculos, non de viris qui serviunt mysteriis, sed de ministerio quod exhibebant mensis. Deinde cùm citasset verba Actorum, subjungit verba Chrysostomi quæ sic habent, *Est mirum quemadmodum non fuerit scissa multitudo ob virorum electionem, quemadmodum non sunt Apostoli ab ipsis reprobati. Quamnam autem ipsi habuerint dignitatem, & quam acceperint ordinationem, dicere necesse est. Num Diaconorum? Atqui hoc non est in Ecclesiis, sed Presbyterorum est ea dispensatio. Atqui nondum ullus erat Episcopus, sed soli Apostoli. Unde nec Diaconorum nec Presbyterorum esse nomen est evidens. Propterea ergo nos quoque prædicamus prædictos septem Diaconos, non sumi pro iis qui ministrant mysteriis, sed eos fuisse quibus commissa erat cura dispensandi ea quæ erant necessaria iis qui erant congregati: qui quidem fuerunt nobis exemplar exercendæ humanitatis & curæ in pauperes.*

Ex quibus quidem verbis divi Chrysostomi facilè possumus colligere, vel si vera est ejus sententia, distincta fuisse olim munera Diaconorum qui Ecclesiæ proventus dispensabant ac distribuebant, & Diaconorum qui serviebant mysteriis: vel si non erant distincta, nec verum est quod dicit, sed ut ministrarent mensis electi dicuntur Diaconi, quod in sacrosancta mensa Eucharistiam populo porrigerent, ad cujus consecrationem, ipsi etiam sacrum calicem Sacerdoti porrigebant. Hoc certè constabit in primitiva Ecclesia, Diaconos non solum administrasse facultates Ecclesiæ, sed etiam serviisse mysteriis. Quinetiam ex canonibus Apostolorum & ex Concilio Antiocheno, quæ jubent Episcopi potestate omnia pauperibus dispensari per Presbyteros & Diaconos, & coërceri Episcopos qui sine Presbyterorum & Diaconorum conscientia res Ecclesiæ pertractant, clarè perspici potest aliud fuisse munus Diaconorum quàm dispensare proventus Ecclesiæ. Nam cùm distinctum fuisse Presbyteri & Diaconi munus, ne ipsi quidem negent, in hac autem dispensatione Presbyteros & Diaconos simul conjungunt canones, si Presbyteri aliud est munus quam Ecclesiæ facultates dispensare, de Diaconi quoque munere id ipsum dicendum est. Quod quidem spirituale eo vel maximè nomine dicendum est, quod sacrorum ministerio suam dicet operam. Neque vero existimandum est magis fuisse sanctam Ecclesiæ proventuum administrationem, quam Evangelii ad populum lectionem, & ad precandum exhortationem, & sacri calicis in sacrificio altaris porrectionem. Quanquam minimè miror si eam falsam induerunt persuasionem. Cùm enim de cœna Domini adeò perversè impieque sentiant, ut verum corpus & sanguinem Domini non esse affirment, nec pro peccatis nostris in ea Deo offerri æternum immolati Christi sacrificium dicere non dubitent, est eorum quidem cœna ejusmodi, ut nihil venerandum, nihil non commune & profanum in se contineat. Presbyterorum autem munus in hoc maximè differre à munere Diaconi, quod cùm Diaconus tantum ministret, Presbyter sacrificium offerat, patet apertissimè ex 13. Can. Synodi Nicenæ, cujus hæc sunt verba, *Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis quibusdam & civitatibus, Presbyteris Eucharistiam Diaconi porrigunt. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut ii qui offerendi sacrificii non habent potestatem, iis qui offerunt, corpus Christi porrigant.* Quo in loco Græcè est προσφέρειν, quod *offerre* significat. Quo magis mirandum est inveniri hodie homines ne dicam, an cacodæmones tam emotæ mentis, ut sibi fidem potius haberi velint nova quædam comminiscentibus, quam trecentis 18. patribus ex toto orbe terrarum in Christi nomine congregatis, quos certum est non ignorasse quænam esset traditio Apostolorum, & quis mos totius Ecclesiæ. Sed pergamus explicare cætera. Sequitur, nisi specialiter in Ecclesia civitatis vel pagi, aut in martyrio, aut in monasterio

Distincta erant munera Diaconorum.

Can. 55.

sterio is qui ordinatur, publico edicto assignetur. Attendite quæso, auditores. Hic est enim locus qui infideliter & infœliciter versus Christianæ Reip. tantam attulit calamitatem, ut Ecclesiasticam disciplinam propemodum everterit. Sic enim vertit vetus interpres, nisi manifestè in Ecclesia suæ civitatis, sive possessionis, aut in martyrio, aut in monasterio, hic qui ordinatur, meretur publicæ ordinationis vocabulum. Atque primum quidem in hoc erravit interpres, quod id quod Græce est ἰδικῶς, vertit *manifestè*, cùm vertendum esset, *specialiter*. Deinde eo quod & in Ecclesia civitatis, addidit *suæ*, cum id non sit in Græco, & quod Græcè est κώμης, vertit *possessionis*, cum dicendum esset, *pagi*. Postremo quod Græcè est ἐπικηρύττοιτο, vertit *mereatur*, publicæ ordinationis vocabulum, cum vertendum esset, *publico edicto* seu potius *præconio* assignetur. Sed quænam, inquies, sunt ea quæ ex errore interpretis in Christi Ecclesiam derivata sunt incommoda? Sunt ea, ita me Christus amet, maxima, & quibus nisi aliquid remedii afferatur, magnopere verendum est ne ministros Ecclesiæ sint impendenti ruina involutura. Atque primum quidem cùm in lege sit in primis attendendum quænam sit mens legislatoris, & quidnam ad legem ferendam eum impulerit, effecit hæc mala versio, ut à scopo sanctorum patrum, qui hunc pulcherrimum canonem ediderunt, toto, quod aiunt, cœlo aberraretur. Quid enim hoc Canone cavetur? Ut nullus Presbyter, nec Diaconus, nec ullus ex iis qui sunt in ordine Ecclesiastico absolutè ordinetur: sed is qui ordinatur, publico edicto assignetur Ecclesiæ civitatis aut pagi, aut martyrio, aut monasterio. Quænam autem fuit causa hujus Canonis? Ego quidem arbitror eam facile posse elici, tam ex iis qui antea, quam ex iis qui postea editi sunt Canonibus. Ea autem est, ut sicut certum munus erat eis impositum, ita etiam certus locus esset constitutus in quo suo fungerentur officio, &, ut est in proverbio, Spartam quam nacti erant, ornarent. Atque operæ pretium quidem est videre, quantum laborarint nostri majores, ut Ecclesiæ ministri se suis continerent finibus, nec in alienos invaderent. Hinc constitutæ fuerunt diœceses & parœciæ, à quibus ne Episcopi, Presbyteri & Clerici discederent, fuit semper pulcherrimè decretum. Testatur id 14. Canon Apostolorum, qui non permittit Episcopo sua relicta parœcia in alienam transire, etiamsi cogatur à pluribus, nisi sit justa causa quæ eum cogat id facere, ut qui possit iis qui illic sunt pietatis verbo plus conferre, neque id ex seipso, sed multorum Episcoporum judicio & maxima adhortatione. Testatur etiam eorundem Canon 15. qui prohibet Presbyterum & Diaconum, & quemcunque ex iis qui relati sunt in numerum Clericorum, sua relicta parœcia in aliam transire invito Episcopo. Quod si fecerit, suum munus ne amplius obeat, & communicet tantum inter laicos. Testatur eorundem Canon quoque 31. qui deponi jubet Presbyterum, qui seorsim ab Episcopo cœtus coëgerit, & altare contra altare fixerit. Cui suffragatur quintus quoque Canon Synodi Antiochenæ, quo idem omnino statuitur. Cavetur autem ejus quoque undecimo Canone id quod est longè majus, ut nec Episcopus quidem, nec Presbyter ad imperatorem audeat proficisci contra voluntatem & absque literis Episcoporum provinciæ, & maximè Metropolitani. Cùm hæc ante Chalcedonensem Synodum fuissent constituta, nec ea tamen sufficerent ad continendum in officio ministros Ecclesiæ, propterea quod etsi à Synodo Nicena fuerat constitutum, ut Episcopus vel Presbyter qui à sua Ecclesia in aliam transiisset, suæ restitueretur in qua fuerat ordinatus; facile tamen erat Canonem circumscribere: cùm nullo adhuc canone cautum esset ne Presbyterum aut Diaconum liceret absolutè ordinare, contra Synodi Nicenæ canonem fortasse non fecisse, licet in certo ac præstituto loco se non continuisset, videri potuisset Presbyter aut Diaconus, si modo intra parœciæ seu diœcesis fines se continuisset in qua fuerat ordinatus, cum tota diœcesis & parœcia dici possit Ecclesia. Ut omnis ergo tolleretur dubitatio, & canoni fraudis faciendæ omnis ratio excluderetur, disertè & dilucidè hoc nostro canone cautum est, ut nemo absolutè ordinetur, sed certus locus ei assignetur, in quo suo fungatur munere. Et ne quis causari posset se generaliter Ecclesiæ fuisse ordinatum, & canoni satis fecisse, si modo in hoc, modo in illo loco, ut ei visum esset, munus suum obiret: videte quam pulchrè in canone additum sit ἰδικῶς, id est specialiter, quasi diceret, non cuilibet Ecclesiæ civitatis sed certæ: nempe huic vel illi, non cuivis pago, sed certo, ac desfinito, non cuivis martyrio aut monasterio, sed ei quod fuerat nominatim expressum. Porro autem nequis posset ullum afferre prætextum ignorantiæ, & deferendi muneris aliquam fictam aut falsam causam quærere, vult publico edicto ei significari, quo in loco suo sit munere functurus, ut autem facilius & melius servaretur quod hoc canone fuerat constitutum, octavo quoque hujus Synodi canone cautum est, ut Clerici Ptochotrophiorum, monasteriorum, & martyriorum sint in potestate Episcoporum uniuscujusque civitatis, neque per insolentiam se à suo Episcopo

Canon infœliciter versus Ecclesiasticam disciplinam fere evertit.

Quid sit in lege inprimis attendendum.

Decretum olim fuit ne Episcopi à sua diœcesi discederent.

Expositio adverbii, ἰδικῶς

8 Can. syn. Chal.

Epiſcopo ſejungant. Et rurſus decimo ſtatuitur non licere eodem tempore referri in numerum Clericorum duarum civitatum. Si quis vero fuerit tranſlatus ab una Eccleſia in aliam, nihil commune habeat cum rebus prioris Eccleſiæ, aut martyriorum, aut Ptochotrophiorum quæ ſunt ei ſubjectæ. Sin contra fecerint, ſuo gradu moveantur. *Vigeſimo autem canone una ſola datur exceptio, nempe ſi forte amiſſa patria Clericus in aliam ſit tranſlatus. Secundæ quoque Synodi Nicenæ canon primus, magnam adhibens cautionem ne Synodi Chalcedonenſ. Canon ulla cauſa aut prætextu circumſcriberetur, ſcriptus fuit his verbis,

10. Can. ſyn. Chalc.

20. Can. ejuſd.

1. Syn. Nic. 2.

Quoniam nonnulli ex Clericis contra Canonicam facientes conſtitutionem relicta ſua parœcia excurrunt in aliam parœciam, plurimum autem in hac regia civitate, & apud principes reſident, eos citra ſui epiſcopi & epiſcopi Conſtantinopolitani conſenſum non licet in ullam ædem admitti aut Eccleſiam. Quod ſi hoc pergant facere, deponantur. Ejuſdem quoque canon 15. eſt pulcherrimè ſcriptus his verbis. *Clericus deinceps ne ordinetur in duabus eccleſiis. Eſt enim hoc mercatura & turpis quæſtus proprium, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine alienum; ex ipſa enim voce Domini audivimus,* Neminem poſſe duobus Dominis ſervire. *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum amplectetur, & alterum contemnet. Unuſquiſque ergo ſecundum vocem Apoſtolicam, in quo vocatus eſt, in eo debet manere, & in una reſidere Eccleſia. Quæ enim propter turpe lucrum fiunt in rebus Eccleſiaſticis, à Deo ſunt aliena. Ad ea autem quæ ſunt ad victum neceſſaria, varia ſunt exercitia. Ex iis ſi quis velit ea quæ ſunt ad uſum corporis, dixit enim Apoſtolus:* Quæ erant mihi neceſſaria,& iis qui ſunt mecum, ſubminiſtrarunt hæ manus. *Et hæc quidem in hac à Deo cuſtodita civitate. In illis autem quæ ſunt extra civitatem, concedatur propter defectum hominum.* Ex his facilè poteſt intelligi quænam fuerit cauſa hujus canonis. Viderunt ſancto Spiritu afflati patres, nec eſſe honeſtum, nec Eccleſiæ utile, ut qui munera ſuſceperunt Eccleſiaſtica, incertis prope vagentur ſedibus, & quæ fuit eis credita, Eccleſiæ adminiſtrationem ſuo arbitratu deſerant. Unum ergo hoc ſpectabant, ut quod munus mandaverant Epiſcopi, ii quibus erat mandatum, eo rite fungerentur, ſi ab eo loco cui erant aſſignati, nec ambitio, nec amor lucri ad alia tranſverſos raperet. Quod quidem non eſſe uſuventurum ſentiebant, ſi nec ab Eccleſia in qua erant ordinati, eis liceret diſcedere, & in duabus ſimul Eccleſiis ordinari non poſſent. Pulcherrimè profectò ſcriptum reliquit divinus ille Plato, fieri non poſſe ut unus & idem multas artes exerceat; & frequenter uſuvenire, ut qui multa aſſequi cupit, is nihil omnino aſſequatur. Hoc quidem certè quotidie experimur magno malo reipub. Chriſtianæ evenire, ut quibus una non ſufficit Eccleſia, ii nullam, ut par eſt, adminiſtrent, imo ne adminiſtrent quidem. Quanquam autem non liceret per canones, nec Epiſcopo, nec Presbytero, nec Diacono, nec cuilibet ex ordine Eccleſiaſtico, à ſua Eccleſia tranſire ad aliam: ſi tamen vel neceſſitas,vel utilitas poſtulabat ut ex una migraretur in aliam, poterant non quidem ſuo arbitratu, ſed Epiſcopus, congregata ſynodo,Clericorum & Laicorum decreto porrecto Epiſcopis,& in ejus locum ſurrogato Epiſcopo, inferioris vero gradus ſacerdos vel Clericus, conceſſione ſui Epiſcopi,ad aliam Eccleſiam transferri. Quæ quidem mutatio ac migratio tum demum videbatur omnibus ſuis numeris perfecta & abſoluta, ſi ſedis Apoſtolicæ veluti quidam Colophon ei acceſſiſſet conſenſus in majoribus ordinibus: nam in inferioribus is minimè erat neceſſarius. Atque videbatur quidem hac ratione pulcherrimè conſtituta reſp. eccleſiaſtica, cum & ii munera obirent qui in ordinem erant cooptati, ordinatione quidem Epiſcoporum ſi majores erant ſacerdotes, Epiſcopi vero ſi minoris erant gradus aut Clerici, ſed non niſi diligens præceſſiſſet examinatio: qui autem munera ſuſceperant,ea certo ac conſtituto loco ad quem ordinati erant ita obibant, ut ea nunquam deſerere nec ad alium locum migrare poſſent, niſi evidens vel neceſſitas vel utilitas id poſtularet, quæ vel provinciali Epiſcoporum Concilio quod ſecundo quoque anno ſemel conveniebat, vel ab Epiſcopo in ſua quæ fit quotannis ſynodo fuiſſet approbata. Videbatur itaque nihil poſſe ejuſmodi accidere, quod hanc diviniſſimè conſtitutam Eccleſiaſticæ adminiſtrationis formam poſſet labefactare, cum ecce hic canon malè verſus, & ideo non ſatis intellectus, eam, nolo dicere, evertit, ſed valde quidem certè afflixit, & loco ac gradu ſuo movit, quod & clarè perſpiciamus. Age, videamus parumper quid incommodi Chriſti Eccleſiæ attulerit, κώμης malè verſum vocabulum. Verſum enim eſt *poſſeſſionis*, cum dicendum ſit *pagi*. Neque vero ſatis poſſum mirari quidnam ſecutus vetus interpres ita verterit; niſi pro κώμης, legerit νομῆς, ut ſuſpicatur doctiſſimus juriſconſultus F. Duarenus: quanquam ſi legerit νομῆς, cui tamen lectioni refragantur omnia Græca exemplaria, non eſſe vertendum *poſſeſſionis* ex hoc conſtat, quod *poſſeſſio* apud Latinos, vel rei alicujus ſignificet detentionem, vel aliquod prædium. Neutrum autem eſt ejuſmodi, ut propterea

Nemo multas artes ſimul exercere poteſt.

c. Placuit & cap. ſi quis 12. c. Epiſcopus 7. quæſt. 1.

c. Mutationes, & cap. Sciat. ibidem.

κώμη Pagus debet verti.

Quid ſit poſſeſſio.

rea dici possit Presbyter vel Diaconus non absolutè ordinatus, cum absolutè ordinetur, qui non certo loco assignatur in quo suum munus obeat, utpote Ecclesiæ civitatis, vel martyrio, vel monasterio. Martyrium autem, ut hoc interim dicam, videtur fuisse aliquod sacellum aut oratorium, in quo sitæ erant multorum Martyrum reliquiæ, cujusmodi fortè olim ædicula Aureliæ sita propter magnum cœmeterium, quæ etiam adhuc lingua nostra nomen videtur retinere. De monasterio autem hoc tantum dicam: Olim Monachi cùm in Ægypti & Syriæ & aliarum regionum degerent solitudinibus, bis singulis hebdomadis, nempe sabbato & die dominico conveniebant ad percipiendum sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, ut licet videre & apud divum Hieronymum, & apud Evagrium in Historia Lausiaca, & Theodoretum in historia religiosa, quos nos haud ita pridem Latinè vertimus. Quo quidem tempore unus illis erat Sacerdos aliunde adscitus, qui sacrificium perageret, & eis sanctam synaxin exhiberet, erant enim omnes laici. Postea autem cùm & à Divo Basilio & deinde à Divo Benedicto redacti fuissent ad civiliorem vivendi rationem, cœperunt plures etiam ex suis habere Sacerdotes, ne externa cogerentur uti opera: quod nec semper eis licebat, maximè cum ad sua & suorum tam vivorum quàm mortuorum expianda peccata, jam plurimi viri pii magnam vim opum in Monachos contulissent. Sed ut ad rem redeamus, Possessionis vocabulum seu alicujus rei significat aut justam aut qualemcunque detentionem, seu fundum aut prædium aliquod, non est ejusmodi ut propterea dicatur Sacerdos non esse absolutè ordinatus. Significat autem νομὴ non solum possessionem, sed etiam præfecturam vel regionem, cujusmodi erant olim τῆς Αἰγύπτου νομαὶ, id est, Ægypti præfecturæ. Patet autem præfectura longè latius quam pagus. Et eo vocabulo significari potest certus locus, cui qui ordinatur non censeatur absolutè ordinatus, cum in eo possit obire suum munus. Patet ergo quod sive legerit κώμη, vertendum erat pagus; sive νομὴ, præfectura vel regio. Ex eo autem quod perperam vertit possessio, videamus quæso quid acciderit. Primum quidem non satis intellecta fuit ratio canonis, quo factum est ut etiam ejus vera periret intelligentia. Nam cùm ideo factus esset canon ut quilibet ordinatus in certo loco suo fungeretur munere, ex vocabulo possessionis orta est falsa opinio, ideo sanxisse canonem ne quisquam absolutè ordinaretur, ut qui ordinatur habeat unde vivat. Hinc cum à sexcentis illis Concilii Chalcedonensis patribus damnata crederetur paupertas, factum est ut pro se quilibet eam quacunque ratione à se expellendam duceret, & cum in Ecclesia essent satis amplæ facultates, ad eas assequendas per fas & nefas aspirarent plurimi, de suo interim munere minimè solliciti. Non potuit profecto Christi Ecclesiam major invadere calamitas, quàm dum victus prætextu, insatiabilis, (quæ est, teste Divo Paulo, radix omnium malorum) avaritia ministrorum animis insedit, quæ quoslibet quo indoctiores, eo impudentiores impellit ad ambienda munera Ecclesiastica. Quod quidem jam suo tempore exoriri ægrè ferens vir sanctissimus & doctissimus Gregorius Nazianzenus, ita scribit in suo Apologetico: *Pudet me aliorum, qui cum cæteris nihilo sint meliores, atque adeo magnum quid esset si non multo deteriores, illotis, ut dicitur, manibus & profanis animis ad res sanctissimas se ingerunt, & priusquam digni sint ad sacra accedere, suggestum sibi vindicant, & circa sacram mensam se comprimunt ac trudunt, ut qui non exemplar virtutis, sed victus parandi rationem & materiam hunc ordinem esse existiment, neque munus rationi reddendæ obnoxium, sed magistratum cujus nulla est examinatio.* Hactenus Nazianzenus, qui quod indigni se ad ordines ingerant Ecclesiasticos, hanc statuit esse causam, quod ordinem esse statuant victus parandi rationem & materiam. Hinc nobis profluxere tot beneficiorum collationes & de—beneficiis provisiones, & cum esset providendum Ecclesiæ, provideretur personæ: & licet dicatur beneficium dari propter officium, nihil tamen minùs curetur quàm officium, idemque videatur & personæ cui provisum est esse beneficium, & Ecclesiæ quæ à pastore negligitur veneficium. Hinc etiam factum est ut cùm ex sententia canonis ordinandus deberet ordinari ad Ecclesiam seu ad titulum, non ordinetur nisi habeat titulum. Ordinationem enim præcedit titulus, & priusquam ordinetur semper rogatur an habeat titulum. Hinc etiam manavit tot beneficiorum indigna accumulatio, quæ cum passim permitteretur ab Episcopis, & ideo mirandum in modum status universæ deformaretur Ecclesiæ, eique remedium conarentur afferre aliquot summi Pontifices, dum multa quidem conjungi beneficia prohibent, sibi autem solvendi à canone potestatem reservant, graviora reip. vulnera imposuere. Atque primo quidem fuit eis religio temere & citra justam causam à canone solvere: Postea autem cum & non malorum, maximè autem domesticorum, importunis precibus acquievissent, & lucri forte plurimum ad se & suos inde redire sensissent, tanta repentè exorta est in Ecclesiastico ordine confusio, ut antiquum illud chaos rediisse videretur. Hinc etiam prodiere tot de providendo mandata,

Quid olim fuerit martyrium.

Monachi bis singulis Hebdomadibus conveniebant ad percipiendum Eucharistiæ Sacramentum.

νομὴ quid.

Magna calamitas in Ecclesia.

Notatur avaritia sacerdotum.

Beneficia malè conferuntur.

Solvi legibus nemo debet.

data, tot præveniendi rationes, tot uniones, tot reservationes, tot gratiæ expectativæ, quas vocant, tot quas appellant dispensationes: Divus autem Bernardus non dubitavit vocare dissipationes.

Dispensationes dissipationes c Relatio 21 q. 1 c. Scripsit & c præsentiam 7 quæst. 1.

Hinc quod à D. Greg. justa de causa permissum semel tantum fuerat ut unus duos gereret Episcopatus, cœpit passim trahi ad exemplum. Hinc qui quandoque ad tempus, ut quod per ætatem vel morbum exequi non posset, Episcopus impleret, datus est coadjutor, ita dari cœpit ut esset hæres viventis, quod ipsum quoque introductum est per eam quam vocant, cujusmodicunque ea sit, electionem & accessum, propterea quod Divus Augustinus Valerio Hipponensi Episcopo non successerit, sed accesserit.

Coadjutor.

Hinc etiam fuerunt sæpenumero Ecclesiæ ejusmodi hominibus commendatæ, ut oves lupis commissas esse dicas, cum aliquando cautum fuisset ut ad sex ad summum menses Ecclesiæ commendarentur, inita est ratio ut essent Commendæ quas vocant perpetuæ, maximè earum Ecclesiarum, quas, si Canones exacte observarentur, ne possent quidem administrare ii quibus commendantur.

Commendæ.

Hinc passim usurpari cœperunt beneficiorum permutationes, quæ adeo nunc videntur licitæ, ut Episcopatum vix assecutus quem nunquam adiit, meliori, id est, opulentiori, statim possit permutare. Nam qui Episcopatum hodie desiderat, maximâ ex parte non bonum opus, sed opes tantum desiderat. Hinc prodierunt quæ in favorem, & cum regressu, artis enim vocabulis utendum est, fiunt renuntiationes ac permutationes, quibus introducta est in beneficiis quædam perpetua successio.

Permutationes in favorem & cum regressu.

Hinc etiam effectum est ut cum quispiam solutus canone Ecclesias aliquot possit obtinere, amico suo gratificans, & nomen suum ei accommodans, eam suscipiat Ecclesiam, quam, ut qui nullos inde proventus percipiat, nunquam adeat. Hinc tot, ut leviter dicam, exortæ sunt cauponationes & nundinationes, ut si Christus qualis olim erat in terris ad nos rediret, plurimos sacerdotes flagris è templis expelleret, si modo inveniret: nonnulli enim raro, nonnulli nunquam ea ingrediuntur.

Nundinationes beneficiorum.

Sed quid ego ea pergo enumerare, quæ nec animo posse complecti, nec memoria tenere lubenter me profiteor? Atque si Romana quidem Ecclesia quæ est omnium Ecclesiarum magistra, in tantis Christianæ reipub. malis se puram & integram conservasset in mandandis saltem muneribus Ecclesiasticis intra fines suæ diœceseos, res tota loco longè meliori stetisset. Inde enim auxilii aliquid sperari potuisset, unde tanquam ex metropoli per totum Occidentem sunt fidei Christianæ deductæ coloniæ.

Mala ab Ecclesia Romana manarunt.

Sed magnum profectò detrimentum ex hoc accepit Ecclesia, quod cum olim urbs esset certis distincta regionibus, & certi essent in ea constituti, in quibus ordinabantur qui sua obirent munera, eo res fere sit redacta ut maxima ex parte inanes sint omnino tituli. Desertâ enim multis in locis urbe, quæ fuit olim ut maxima ita populo frequentissima, semel aut bis ad summum quotannis in Ecclesiis convenit populus in iis quæ vocantur stationibus, quod vocabulum Tertulliani jam tempore receptum fuit in Ecclesia, in ea quæ nunc est significatione.

Stationes.

Atque in iis quidem titulis, qui olim primum locum obtinebant, dicebantur Presbyteri & Diaconi Cardinales. Eorum autem hodie nomen quidem mansit, munus autem & functio propemodum intercidit, de Presbyteris loquor & Diaconis. Episcopis enim Cardinalibus non deest populus quem pascant.

Presbyteri & Diaconi Cardinales.

Operæ pretium autem est videre an noster observetur canon in eorum creatione. Jubet quidem Canon neminem absolutè ordinari. Ii vero cum in consistorio, quod vocant, pontificis creati fuerint Cardinales, aliquot post diebus datur eis titulus, contra atque hodie alibi fit in ordinationibus. Nam alibi quidem tum demum ordinantur si habeant titulum: Romæ vero cum absque titulo ordinati fuerint, eis postea datur titulus. Et sæpe etiam usuvenit ut creandus Cardinalis reservetur in pectore pontificis, ita enim vocant, cum inconsultis fratribus, nempe Cardinalibus, potest pontifex quem velit nominare Cardinalem. Hoc riténe fiat non est meum disputare, at contra canonem quidem nostrum fieri, videor mihi posse non temere pronuntiare. An autem contra canonem fiat, quòd qui in aliis locis sunt ordinati Presbyteri aut Episcopi, Romæ rursus fiant Presbyteri aut Episcopi Cardinales, aut qui creati sunt Cardinales, in locis etiam remotissimis, & quæ sciant se nunquam adituros, creentur Episcopi, aut alia etiam munera suscipiant Ecclesiastica, ipsi viderint. Meo quidem judicio Reginaldus Polus Rom. Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, cùm multis aliis & virtutis & doctrinæ nominibus sit longè clarissimus, tum verò hoc nomine vel maximam laudem est assecutus, quod sibi sæpius oblatos Episcopatus recusaverit, quoniam Romæ simul degere & Episcopi officio se fungi non posse videret: nec Cantuariensis Archiepiscopatus munus prius susceperit, quam Cantuariæ figendi sedem libera sibi fieret potestas.

Reginaldus Polus.

Videbat enim, videbat vir optimus & religiosissimus, religionem Christianam nulla ex re majus detrimentum accipere, quàm quod Episcopi gregem suum non pascant: pascere autem non possunt, qui cum

Episcopi non pascunt gregem suum.

 diversorum

diversorum munerum distineantur occupationibus, nulli possunt satisfacere. De luxu & fastu nihil dico, in quem cum opum ecclesiasticarum magna vis profundatur, non tantum Ecclesiæ ipso facto nocent quantum exemplo. Atque horum quidem malorum non minima causa est accepta ferenda nonnullis Pontificii juris professoribus, qui summo pontifici assentantes & Cardinalibus, Papam esse ordinarium omnium ordinariorum, & nihil non posse semper habent in ore, & Cardinales Regibus æquiparantes, efficiunt ut regios sæpe assumant spiritus, & ad tolerandos ingentes sumptus nihil quantumvis adversum canonibus non sibi licere persuadeant. Longe certe satius esset Pontifici Max. à Christo traditam & Conciliis confirmatam potestatem ita prædicare, ut interea admonerent, eam non ad Ecclesiæ ruinam sed ædificationem esse convertendam, & Cardinales ut intra suos limites se continerent, & tum demum verè se Reges esse scirent, si animos regerent, & vehementioribus imperarent perturbationibus, & omnia sua consilia eo conferrent, ut & ipsi rectè suis præessent parœciis, & pontifici persuaderent ut ne latum quidem unguem à veteribus discederet canonibus, nisi vel summa urgeret necessitas, vel evidentissima alicujus Ecclesiæ utilitas. Quod quidem ut fiat cum totius Ecclesiæ, tum vel ipsius pontificis maximè interesse, quis est tam cæcus qui non videat? Elapsi jam sunt centum & quadraginta duo anni, ex quo in Concilio Constantiensi cœptum est agi de reformanda Ecclesia in capite & in membris. Id cùm creato Constantiæ Martino Pontifice Max. in aliud tempus esset dilatum, in Concilio Basileensi paulo post serio agi cœptum est. Sed intercedente Eugenio, & ab eo Ferrariam primum, deinde Florentiam translato Concilio, cum Basileæ Fœlix esset creatus pontifex Max. adversus Eugenium, schisma in Ecclesia exortum, effecit ut Concilium Basileense non ubique approbaretur. Cujus quanquam acta fuerunt valde laudanda, non sunt tamen ejusmodi, ut veterem, quod est in primis necesse, omnino reparent disciplinam. Mirum est autem quod qui hoc Concilium tantis laudibus extulit Æneas Sylvius, mox creatus pontifex & Pius appellatus id improbavit. Ab eo tempore usque ad Tridentinum, (nam de Lateranensi quid attinet dicere?) nullum fuit Concilium in quo sit aliquid profectum, quod omnium bonorum votis maximè expetitur, de antiquis Ecclesiasticis moribus restituendis. At interea quot se partim corroborarunt, partim recentes exortæ sunt hæreses, quæ cùm inter se in cæteris propemodum diffideant, in hoc quidem certè maximè consentiunt, quod Rom. sedem omnes oppugnant, & ad eam evertendam nullas non adhibent machinas, nullum non movent lapidem. Quorum quidem falsis dogmatibus cum facilè resistant Catholici, quid enim afferunt quod non jamdiu abhinc damnatum, & ex Orci tenebris sit rursus revocatum? in vituperandis quidem Cleri moribus, & insectandis Episcoporum & Presbyterorum moribus ac vitiis quod suum munus non rectè obeant, se fatentur omnino inferiores; se enim veris vinci agnoscunt. Et inter Hæreticos quidem & Catholicos in hoc convenit, quod lapsa sit Ecclesiastica disciplina, in eo autem discrepant, quod Hæretici Hierarchiam omnem & Sacerdotalem ordinem cupiant evertere; Catholici autem unitatem conservantes, deformatæ Ecclesiæ vicem deplorant, & ut ea reformetur omnibus votis Deum obsecrant. Quæ nisi fiant, nolo malè ominari, sed vereor ne hic cancer in dies latius serpat, cui tollendo nec ferrum nec flamma satis fuerit. Si Adrianus quidem sextus Pontifex Max. inprimis pius & doctus, tamdiu fuisset superstes donec Rom. curiam malè ubique audientem, quod quidem in animo habebat, reformasset, & impedimenta illa, quæ quo minus in Lutherum animadverteretur obstabant, centum inquam illa Germaniæ Gravamina, quæ pontificis Legato in Imperii conventu, quem Diætam vocant, fuere exposita, sustulisset, pacatam hodie & tranquillam, quantum conjici potest, haberemus Ecclesiam. Sed dum in Hæreticos & seditiosos homines qui Ecclesiæ pacem perturbant, severa, ut par est, scribuntur edicta ac decreta, de moribus vero ultima, imo vero nulla fit quæstio, fit ut ex nostrorum vitiorum insectatione in vulgi aures & animos se insinuantes, & deinde sua perversa dogmata afferentes, facilè persuadeant. Quo fit ut usque adeo crescat eorum numerus, ut iis quorum est recta & sincera fides, incipiat jam esse formidandus. Sed de his hactenus. Redeundum enim est ad alterum quod restat exponendum incommodum, quod ortum est ex eo possessionis vocabulo quod est in veteri versione. Ex eo enim orti sunt isti quos vocant patrimoniales tituli, qui nobis indoctorum & ignavorum incertisque sedibus errantium presbyterorum tantam peperere multitudinem, ut ex iis possent in externas regiones justæ deduci coloniæ. Quod autem tam multi ordinentur hæc est inprimis causa, quod cum satis justus videatur titulus ad hoc ut ordinetur, si quis habeat unde vivat: sunt autem à tributis immunes sacerdotes, ad assequendam immunitatem curant plurimi se referri in

Adulatio professorum juris Pontificii.

Concilium Constantiense, Basileense.

Schisma exortum in Ecclesia.

Æneas Sylvius post appellatus Papa Pius.

Lateranense. Tridentinum.

Omnes hæreses sedem Romanam oppugnant.

Inter hæreticos & catholicos in hoc convenit, quod lapsa sit Ecclesiastica disciplina. Sed aliis in rebus maximè discrepant.

Adrianus Sextus.

Patrimoniales tituli indoctorum & ignavorum presbyterorum magnam peperere multitudinem.

in numerum ſacerdotum. Sunt autem etiam plurimi, qui, cum ſint ut indoctiſſimi, ita etiam omnium rerum planè egeni, ſperant ſe ſacerdotio vindicaturos in otium, & ex quotidiani ſacrificii mercedula victum eſſe paraturos. Quibus autem utantur fraudibus ad circumſcribendum Canonem, cum poſſeſſionis ſeu patrimonii juſtus dicatur titulus, eſt longè evidentius quam ut ſit hoc loco dicendum. Conſtat quidem certè plurimos prædium aliquod ſeu ruſticum ſeu urbanum precario tantiſper accipere dum ſacris fuerint initiati, quod re perfecta ſtatim reddant, ut qui vel jurejurando ſe obligarint, vel ei à quo acceperant ſe redditruros caverint. Non deſunt etiam qui duodecim quandoque juratos teſtes producunt, qui aſſerant eorum facultates ad ipſos alendos ſufficere, cum tamen ipſi certo ſciant ſe pejerare, adeo ut quod olim apud Græcos, nunc apud ordinandos multis in locis uſurpetur illud: Da mihi teſtimonium mutuum. Quod autem eorum teſtimonia facilè admittantur, non minima quoque cauſa eſt, quod dum Epiſcopi vices ſuas mandant quibuſdam avariſſimis, qui vocantur ſuffraganeis, ſi modo uberrimus eis quæſtus ſe offerat, in ſingulis examinandis nolunt eſſe nimium curioſi: quanquam audio nonnullos etiam eſſe epiſcopos, qui inter cæteros proventus quos percipiunt ex Epiſcopatibus, eum quoque quæſtum referunt vel maximum quem faciunt ex ordinibus, cùm tamen in iis conferendis vicaria utantur opera. Ex his itaque factum eſt ut ordine Sacerdotali nihil ſit hodie partim invidioſius, partim odioſius & contemptibilius. Et in invidiam quidem alios vocant ingentes ex pluribus beneficiis quæ vocantur accumulatæ divitiæ: alios autem in odium & contemptum adducunt craſſa ignorantia vitaque profligatiſſima & diſſolutiſſima; quos quidem ſuæ nequitiæ eo minus pudere conſtat, quod cum nullam certam habeant ſedem, eorum apud quos degunt parum aut nihil verentur exiſtimationem, ut qui mox alio ſint migraturi ſi eis viſum fuerit, & nuſquam ſperent ſibi defuturum quod ex ſacrificio eis ſolvetur pretium. Proſtant enim ubique Sacerdotes ejuſmodi tanquam mercenarii, expectantes dum quiſpiam eos conducat. Quæ quidem indignitas incogitantibus & inconſideratis hominibus magnam præbet occaſionem, ut non Sacerdotes ſolum malè audiant, ſed etiam illius unici & jugis ſacrificii quod quotidie offertur reverentia, proh dolor! omnino tollatur, cum ſanctiſſima myſteria ab indignè ea tractantibus ad quæſtum converti videant. Quæ omnia ſunt magna ex parte ceſſatura, ſi κώμην, ut diximus, vertamus, non poſſeſſionem ut vetus interpres, ſed pagum, ut juſtus ſit titulus non quantumcunque patrimonium, ſed pagus in quo ut ſuum munus obeat ordinetur. Nec me tamen fugit recentiores aliquot pontifices in conferendis ordinibus non aliò ſpectaſſe, quam ut qui ordinatur haberet unde viveret: ſed in hac ſum ſententia ut exiſtimem longè melius conſultum iri Chriſtianæ Reip. ſi verus hujus antiquiſſimi Canonis revocetur uſus, qui vel non ſatis intellectus, vel certè non obſervatus, longè graviſſima invexit incommoda. Quem quidem Canonem ego adeo plenè & perfectè optarim obſervari, ut quod eodem canone decernit ſancta ſynodus, quæ ſecus facta fuerit ordinatio, ea ſit planè irrita & nullius momenti, & minimè poſſint operari qui abſolutè ordinantur, ad probrum ejus qui ordinavit. Non autem quod poſtea recentiores Pontifices, in aliquot decretalibus epiſtolis, voluerunt valere quidem ordinationem, ſed ordinatum ab Epiſcopo alendum, donec beneficio collato ei providerit. Meo enim judicio plus ſemper debent habere auctoritatis quæ à plurimis à ſancto Spiritu congregatis patribus, inter quos ſunt etiam qui vicem gerunt ipſius pontificis, fuerunt conſtituta, quàm pontificum reſcripta quæ ſubinde mutantur, & tempori & perſonis quandoque ſervire non abs re judicantur. Apud me quidem non poteſt non magnum habere pondus illud præclarum Zoſimi pontificis dictum: Contra ſtatuta patrum contendere aliquid vel mutare ne hujus quidem ſedis poteſt auctoritas. Cui dicto ſi poſteriores paruiſſent pontifices, in tot forte calamitates minimè incidiſſemus. Reſtat nunc ut explicemus quemadmodum fieri poſſit ut hic canon hodie tantopere deformatus, veterem quidem, ſed jam ita deletam ut nova cenſenda ſit, formam ſuſcipiat. Locus ſanè difficilis. Sunt enim omnia adeo immutata & confuſa ut veteris Eccleſiæ faciem vix poſſis agnoſcere, & timendum eſt ne dum ejus ſordes & ſquallorem vis abſtergere, ad vivum nimium reſecans, nonnullis dolorem afferas intolerabilem. Nec dubito quin ſint nonnulli qui ſentiant eſſe ſatius τὸ εὖ κείμενα μὴ κινεῖν, quam fruſtra laborare, & ea tentare quæ non poſſunt fieri. Nec me fugit eſſe plurimos, qui ſi de reparanda eccleſiaſtica diſciplina ſit ineunda ratio, ſint protinus reclamaturi, ut qui vel ſuam imminui potentiam, vel de ſuo quæſtu aliquid decedere ægre ferant. Qui ſunt à nobis rogandi ut publicæ cauſæ Eccleſiæ ſe paulo præbeant æquiores, & ſi nihil afferre poſſint quo oſtendant quæ mox dicturi ſumus, non eſſe Chriſtianæ reip. utilia, non committant ut omnibus apertè ſuam oſtendant ava-

Abuſus in presbyteris ordinandis.

Epiſcopi ex ordinibus maximum referunt quæſtum.

Zoſimus Pontifex.

Quo modo Eccleſiæ ſtatus veterem ſuſcipiat formam.

avaritiam, dum privata commoda præponunt publicis in re tam necessaria; & Ecclesiæ salute suam quoque contineri existiment, quæ culpa suorum ministrorum in maximum est adducta discrimen. Priusquam autem de tota re aggrediar dicere quid sentiam, dicendum est aliquid de Concilio Basileensi & nostra pragmatica sanctione, & de conventis inter Leonem Pontif. Max. & Franciscum bonæ memoriæ Regem Christianissimum. Concilio Basileensi & pragmaticæ quæ secundum ipsum facta est sanctioni, quantum Gallica debeat Ecclesia, nemo est qui possit verbis ullis consequi. Nam quamvis veterem illam non omnino restituit disciplinam, plurima tamen pulcherrimè constituit, quæ rebus malè affectis & exulceratis non contemnendam fecere medicinam. In eum quidem certè locum res Ecclesiastica tunc fuerat redacta, ut ei opis aliquid attulisse magnum quid fuerit ac planè divinum. Nam partim quidem mandatis, gratiis, quas vocant, expectativis, unionibus & reservationibus agebantur ac ferebantur Ecclesiæ ministeria: partim autem ab iis quorum erant partes Ecclesiasticis muneribus præficere, virtutis & doctrinæ tam parva atque adeo fere nulla habebatur ratio, ut ei rei merito succurrendum & consulendum duxerit. Pulchrè itaque primum decrevit, ut liberè eligendi iis quorum erat, plena relinqueretur potestas. Deinde ut iis qui in Academiis aliquot annos strenuam navarunt operam, reservaretur tertia pars beneficiorum, certis conferenda mensibus, nec cuiquam ex iis planè esse provisum censeretur, donec ducentorum florenorum summam esset consecutus. Præclarè quidem quod doctorum virorum esse habendam duxerit rationem: minus autem præclarè, quòd potius personæ provideat quàm Ecclesiæ Illud quoque fortasse minus videtur laudandum, quod cum eos apud ecclesias quæ jus habent conferendi vel nominandi, sua nomina in scripta referre jusserit, & iis qui retulerint, ordine servato, concesserit veluti legis actionem ad vacantia beneficia, nec ambitionem & plura beneficia habendi cupiditatem videtur improbare: & dum quilibet jus suum persequitur, immortales alendi lites, à quibus Ecclesiæ ministros decet omnino abhorrere, necessariam præbet occasionem. Hinc existit quod apud judices, qui de beneficii possessione tanquam de re quæ non sit spiritualis cognoscant, de nulla re frequentius disceptetur quam de causis beneficialibus. His accedit quod cum raò accidat ut unum beneficium impleat summam ducentorum florenorum, si quispiam sit jam unum adeptus beneficium quod totam summam non impleat, & contigerit alterum vacare beneficium ut ad id possit agere, à canone solvatur necesse est. Fiet itaque ut cùm duo simul habeat beneficia, vel ab utroque vel ab altero saltem absit necesse est: cumque eodem Concilio cautum sit, ut juxta veteres canones, non liceat ab una Ecclesia transire ad aliam, nisi id vel necessitas vel Ecclesiæ postulet utilitas, canone tamen solutus, nulla, ut sunt corrupti hodie mores, nec necessitatis, nec Ecclesiæ utilitatis habita ratione, duabus præerit Ecclesiis; & cum temerariam illam & prope effrænatam à canonibus solvendi seu dispensandi, quam jamdiu usurparunt pontifices, causa non cognita potestatem, vituperet Concilium, eam tamen ex eo confirmat ac stabilit, quod id concedat ad quod citra eam non possit perveniri. Raro enim accidit ut citra eam quam vocant dispensationem, unum obtingat beneficium quod implere possit summam ducentorum florenorum. Mitto nundinationes & cauponationes, quæ exercentur à compluribus antequam ad definitam illam summam perveniant, quæ eos ita totos occupant, ut nec lectioni nec ulli honestæ actioni possint vacare. Quinetiam permulti lites quantumvis iniquas non solum obviis, ut aiunt, ulnis excipiunt, sed etiam ultro conquirunt, dum sibi persuaserunt litigando jus acquiri. Mitto etiam quod & liberales artes, & eam quæ in rerum divinarum contemplatione versatur scientiam, quam turpe est aliud sibi proponere præter solam cognitionem, efficit ancillari quæstui & illius annui proventus cupiditati. Hinc certè fit, ut cum gradum illum quem vocant assequi satis sit, nec aliud requiratur quam ab Academia fuisse approbatum, quod sæpe citra magnum fit negotium, plurimi quidem doctrinæ titulum, nempe gradum, ambiunt: pauci autem admodum, veram & solidam doctrinam persequuntur. Complures quoque eum gradum assecuti, qui ad beneficia quibus inhiant eos possit provehere, tanquam præmio potiti se socordiæ & otio totos dedunt. Mitto etiam quod dum juris artiumque & medicinæ professoribus ad beneficia patere vult aditum, non videtur magnopere requirere ut ii qui Ecclesiæ præficiuntur, sacris literis aliquam dederint operam, quod tamen fecisse necesse est eum qui ut verbo Dei populum pascat ordinatur. Hæc me movent ut Concilium Basileense & nostram pragmaticam existimem Ecclesiæ non satis providisse, cum iis qui aliquot annos literis dederunt operam, & studiorum insignia sunt assecuti, reservat tertiam partem beneficiorum. Etsi autem in electionibus sedulo laboraverint, ut quovis prætextu nihil juris

De Concilio Basileensi & Pragmatica sanctione, & de conventis inter Leonem Papam & Franciscum primum Regem Gallorum.

Nulla de re frequentius disceptatur in foro quam de causis beneficialibus.

Multi persequuntur gradum, non doctrinam.

juris in iis haberet summus pontifex, sed Canonici Episcopos, Cœnobiarchas eligerent Monachi, quoniam hoc videbatur esse jus eorum proprium : efficere tamen non potuit, quin, ut res hominum indies labuntur in deterius, eorum electiones partim precibus, partim pretio sæpe tentarit atque adeo oppugnarit ambitio. Quod quidem fortasse nonnullam videtur dedisse causam, ut quod ad jus eligendi attinet, Concilio Basileensi & pragmaticæ derogaretur sanctioni, & conventione facta inter Leonem pontificem Max. & Franciscum Regem Christianissimum, Regi fieret potestas nominandi, jure confirmandi relicto pontifici. De qua quidem hoc tantùm dicam, nullam potuisse excogitari expeditiorem eligendi rationem, & in quam minus cadere possit crimen ambitus, quam cum nominandi ad eum defertur arbitrium, qui nec pecunia oppugnari, nec gratia inflecti, nec precibus vinci possit. Quod quidem facilè intelliget qui consideraverit, quam esset olim laboriosa & periculi plena concertatio, quoties de eligendo agebatur Episcopo vel cœnobiarcha, quæ tota hodie cessat cum ab unius Regis nutu pendet nominatio, cui vix unquam refragatur pontifex. Detur modo à rege opera ut ii ab ipso nominentur, qui munus sibi impositum sustinere possint & velint prò dignitate, quod tamen paucissimos in hodiernam diem constat fecisse, & in posterum facturos esse vix ulla spes est, si, ut fit, ex aulicis solum nominentur Episcopi ac Cœnobiarchæ. Fatebuntur cuncti Francorum Ecclesiæ nihil potuisse esse conducibilius, quam id in unius arbitrium conferri, qui in nominando non aliud unquam sibi proponit quam utilitatem Ecclesiæ cui vult provideri. Quod si in nominando hoc tantum agatur, quod absit, ut operæ veluti merces ac remuneratio munera dentur Ecclesiastica, nemo erit, opinor, vir bonus & pius, qui non votis exposcat veterem illam, nòn solius quidem corrupti Cleri electionem, sed quam à Clero factam suo testimonio universus populus comprobabat. Hoc quidem certè nemo est qui non intelligat, Episcopi residentiam adeo esse necessariam, ut absque ea populus vix contineri possit in officio, præsertim cum omni ex parte exoriantur Lupi qui gregem conantur discerpere ac devorare. Neque vero Episcopi sufficit præsentia, si non etiam det operam ut munus suum rectè obeat. Episcopi est proprium munus docere populum. Id si non possit præstare, quod vel vox sit nimis exilis, vel non satis valida latera, vel quæcunque alia sit causa, curet saltem ut aliquis vir pius ac doctus, ejus vice hanc necessariam suscipiat provinciam, & ipse concionem sua ornet præsentia. Incredibile est enim quantum moveat populum ejus aspectus, cui intelligit sui curam esse mandatam. Neque vero satis esse ducendum est, si tempore quadragesimæ aut adventus Domini ad populum habeatur concio : sed providendum est ut omnibus diebus dominicis sit vir aliquis pius & doctus, qui in singulis Cathedralibus Ecclesiis, verbi Dei famem qua laborat populus, pro viribus conetur satiare. Nihil certè est quod Catholicæ Ecclesiæ adversariis plus tribuat auctoritatis apud imperitum vulgus, quam frequentes quas habent ad populum conciones. Quod si tantum apud eos habet pondus falsa scripturæ interpretatio, à qua spiritum sanctum procul abesse certum est, quid futurum esse censendum est si vera Ecclesiæ dogmata in verbo Dei prædicando populo explicentur ? Est præterea Episcopo quotannis tota sua diligentissimè obeunda diœcesis, & de sacerdotum moribus accuratissima facienda est inquisitio : & maximopere providendum est ne quid usquam delitescat, quod possit detrimentum afferre Ecclesiæ. Atque hæc quidem ut fiant, vicaria non est utendum opera, & cum sit juris divini commissum sibi gregem pascere, procul est expellenda falsa illa nonnullorum opinio, qui existimant satis pascere qui pascit per alium, cum de mercenario satis constet quid dicatur à Domino. Ab Episcopatu quidem certè abesse vix unquam licet, nisi cum vel ad tempus justa avocat causa, vel gravis necessitas. Quod cum Tridentinum Concilium pulchrè considerasset, nec ut in duabus diœcesibus Episcopi officio quisquam rite fungeretur fieri posse vidisset, cavit ne quisquam habere simul possit duos Episcopatus. Sed quid refert unumne solum an plures habeas, cum in unico quem per canonem tibi solum habere licet non plus resideas, quam si plures haberes quos non liceret habere per canonem ? Causa quidem illius condendi canonis quænam fuerit, nemo est qui non intelligat, nempe ut cum unam solam haberet Episcopus diœcesim, facilior & expeditior esset illi provincia, & eo melius & diligentius suum munus obiret. Sed quid juvat eum condidisse, cum ejus effectus sit pene nullus ? Quotusquisque enim est hodie qui præsens fungitur suo munere ? Quotusquisque est qui cum Episcopi ei mandatur munus, aliud sibi proponat quam fruendos proventus, & non tam præclarè se suo functum officio existimat, si ad conferenda beneficia vicarium, ad ordines & consecrationes suffragraneum, ad exercendam jurisdictionem substituat officialem ? Quod cum ubique fieri est maxime dolendum,

Episcopo quotannis obeunda sua diœcesis.

lendum, ante oculos quidem certè Pontificis, cujus eſt curare ut Conciliorum inviolata maneat auctoritas, quotidie obſervari Epiſcopos qui Eccleſiis ſuis deſertis Romæ habitent, quis ſatis explicare poteſt quam ſit indignum, quantis lachrymis proſequendum? Miſerabile certè, miſerabile boni omnes illud Romæ judicant ſpectaculum, cum catervæ cernantur Epiſcoporum, qui malunt affectando Cardinales ſe eorum ſervitio mancipare, quam in ſua parœcia ſuum obeundo munus Chriſto ſervire. Quos certè ſi ſummus Pontifex flagellis, non ex Eccleſia, ſed ab urbe Roma ad Eccleſiam ſuam expelleret, is mihi vicarii Chriſti officio rite fungi videretur. Et interea, ſi Deo placet, exortus eſt Epiſcopus, qui non eſſe juris divini Epiſcopum in ſua reſidere diœceſi, literarum monimentis reliquit conſignatum; melius certè ſuam operam collocaturus, ſi & reſidens exemplo, & ſcribens exhortatione ut ſuo fungerentur officio Epiſcopos incitaſſet. Sed de Epiſcoporum quidem electione hactenus, qui niſi quales decet eligantur, & præſentes ſuo fungantur munere, video, video, inquam, quod tamen Deus avertat, Eccleſiæ maximum impendere periculum. De cœnobiarcharum autem ſeu Abbatum quid dicam nominatione? Dicamne præſtabilius fuiſſe, Abbates, ut Concilium volebat Baſileenſe, eligi à Monachis? Quaſi vero non fatendum ſit, propter eorum vitia, quid enim? aliud dicam, juſto Dei judicio eis ablatam fuiſſe electionem? Dicamne mihi minus placere Cœnobiarcharum, quæ ex Regis nominatione hodie fit, electionem? Quaſi vero quidquam referat quid mihi homunculo, terræ pene dixerim filio, placeat aut diſpliceat, cum nominationem ab illuſtriſſimo Rege factam ſummus comprobat pontifex. Ea vero mihi videretur non ſolum non vituperanda, ſed etiam ſummis efferenda laudibus, ſi nonnulla tolerentur incommoda, quæ ſunt apertiora quam ut celari aut diſſimulari poſſint, quæ tamen fatendum eſt non tam ipſius rei vitio, quàm culpa hominum accidiſſe. Neque vero hic afferant, quod nonnullis videtur indigniſſimum, vociferantibus nunc omnia ἄνω ποταμῶν, olim neminem fuiſſe Imperatorem qui non prius militiæ ſtipendium meruiſſet, nullum Abbatem qui non antea fuiſſet Monachus: nunc autem ita eſſe moribus comparatum ut ex Monacho nunquam creetur Abbas. Nam nec Monachis deſunt ſua quibus fruantur beneficia, nec eis magnopere curandum eſt ſi non fiant Archimandritæ, cum ejuſmodi onera etiam oblata deberent reſpuere, ut quæ à contemplatione & oratione, cui eos ſemper deditos eſſe oportet, avocent. Et certè ſi divinitus quandoque contigerit ut eis commendentur monaſteria, qui honeſta aliqua fructuum portione contenti, reliquam in alendis & inſtituendis monachis, in pauperibus recreandis, in ædificiis reparandis conſumant, nihil poſſet accidere optabilius, nihil magis expetendum. Sin autem ita ſe gerant Commendatarii quomodo omnes fere ſe videmus gerere, ut qui commendarunt monaſteria, eis videantur omnia comedenda propinaſſe: non poterat, ita me Chriſtus amet, ea major calamitas accidere. Videmus hodie à compluribus teneri monaſteria, qui cùm ædificia omnia minentur ruinam, ne uno quidem lapide admoto eam fulciant: cùm indoctiſſimi ſint monachi & diſſolutiſſimi, nec eos curant certa continendos diſciplina, nec præceptores adhibent qui eos erudiant, atque utinam non eſſent etiam qui ſuo exemplo eos ad flagitia invitarent. Cùm olim ſoleret ſtatis diebus ab Abbatibus eleemoſynæ aliquid erogari, id totum in uſus ſuos convertunt, & pauperes quos alere debebant, ſubtractis alimentis occidunt. His accedit quod cum nullus ſit canon, qui vetet quo minus plurima uni poſſint commendari monaſteria, ſintque nonnulli quorum avaritiam, &, ut ſignificantius Græcè dicam, πλεονεξίαν, ne univerſus quidem orbis terrarum ſatiaverit, frequenter accidit ut in diſtinctiſſimis locis eis commendentur monaſteria, quæ nunquam ne per ſomnum quidem viſant, ſatis habentes ſi fructus ex eis perceperint, ex quo quidnam eveniat quis eſt tam cæcus qui non videat? Hæc ergo niſi ſublata fuerint incommoda quæ ſunt longè graviſſima, quiſnam erit vir bonus, qui non veterem ſi fieri poſſit, malit electionem? Si rurſus tollantur, non hanc expeditiſſimam Regis nominationem, à qua omnis ambitio, omnis prehenſatio, omnis quæ in ſacris eſt execranda per pecuniam oppugnatio, omnis quæ per vim fit impreſſio, procul abſit neceſſe eſt, non ſummis cumulet laudibus? Sed qua tandem, inquies, ratione hæc auferri poterunt? Temerarium fortaſſe videbitur qualemcunque meam de rebus tantis proferre ſententiam, præſertim cùm in hoc florentiſſimo regno tot ſint viri ſapientiſſimi, qui hæc & longè melius intelligunt, & ad res moderandas ſunt quaſi natura procreati, & longo rerum uſu exercitati, Reip. tamen bono, quo nihil mihi eſt carius, incitatus, & Regis Chriſtianiſſimi æquanimitate fretus, qui quantopere cupiat Eccleſiæ miniſtros ſuo rite fungi officio, cum multis aliis abundè declaravit, tum haud ita pridem promulgato de reſidentia decreto. Si hoc quod ſum dicturus eſt futurum ex

Plurimi Epiſcopi ſerviunt Cardinalibus non Chriſto.

Non veritus eſt ſcribere Epiſcopus, non eſſe juris divini in ſua reſidere diœceſi.

Abbatum electio.

Commendatarii.

uſu

usu Ecclesiæ. ut mihi futurum persuadeo, ut id aliquando fiat non possum non optare. Sin minus: meum quidem studium & animi propensionem, ut æqui boni consulatis, vos rogo & obsecro. Atque hoc primum quidem statuo esse extra omnem controversiam, leges ita esse ferendas, ut, quod præclare alicubi dicit Aristoteles, hominis arbitrio & voluntati minimum loci relinquatur. Nam cum ea sit natura hominis ut facile depravetur & in pejus mutetur, hoc quoque mali accedit, quod id quod fit exemplo, jure quoque fieri existimant. Quamobrem hoc mihi primum videretur providendum ut certis legum finibus homines ita contineantur, ut extra eos omnem sibi potestatem interdictam intelligant. Cùm ergo inter cætera hoc ordini Ecclesiastico magnam afferat offensionem, quod Commendatarii, vel propter monasteriorum eis commendatorum multitudinem, vel quod ea sita sint locis disjunctissimis, non possint ea, ut deberent, visere, & eorum curam gerere, esset lege certus constituendus numerus, ultra quem nemini liceret commendatum accipere monasterium, & certi constituendi termini, ultra quos non liceret Commendatario suscipere curam alterius monasterii. Ita enim forte fieret ut & eos puderet in legem committere, & rex benignissimus ab eis interpellatus liberrimè denegaret quod per jus dare non posset. Concilio Tridentino cautum est ut non liceat canone solvere ad administrandum ultra duo beneficia, quibus adjuncta est cura animarum. Paulus quoque 4. Pontifex Max. qui navis Petri hodie clavum tenet, in hoc est maximè laudandus, quod in rescriptis quibus solvit à canone, hanc semper addit clausulam: Si modo secundum beneficium ab altero distet tantum per diætam. Quod quidem ideo facit, quod non vult nimis distinctum intervallum obstare quo minus possit commodè utramque adire Ecclesiam. Hoc ipsum fortè esset statuendum in iis quæ commendantur monasteriis. Neque vero sunt audiendi, qui tenent monasteriorum minorem esse habendam rationem, quam beneficiorum quæ adjunctam habent curam animarum. Quasi vero non sint etiam rationis participe anima præditi Monachi, quorum exitium de manu Archimandritarum Deus est requisiturus, si eorum culpa id acciderit. Dolendum profectò, dolendum est, quod cum olim tot viri pietate & doctrina insignes prodierint è monasteriis, Basilius, Gregor. Nazianzenus, Joannes Chrysostomus, Gregorius Pontifex Max. Benedictus, & alii innumerabiles, qui suis & exemplis & scriptis Dei Ecclesiæ plurimum profuerunt, hodie magna ex parte est summa Monachorum inscitia cum vitio conjuncta, quæ tota ferè est adscribenda Commendatariorum negligentiæ, qui non dant operam ut bonos & doctos habeant Præceptores. Valde etiam dolendum est, quod cum calamitosissimis his temporibus pauperum sit maximus proventus, ablata sint eis alimenta, quæ antequam exorirentur isti Commendatarii, certis diebus publicè suppeditabantur è monasteriis. Quinetiam quis non angatur animo, cum videt templa augustissima & pulcherrima ædificia partim minari ruinam, partim jam corruisse, cum interim monasteriorum proventus quomodo consumatur quid opus est dicere? His certè rebus propediem futurum est ut nisi opportunum afferatur remedium, & monasteria & monastica disciplina funditus intereant. Non esset autem fortè alienum lege cavere ut monasteriorum fructus ita dividerentur, ut cum esset certus constitutus Monachorum numerus, quem non posset pro sua libidine minuere Commendatarius, certi quoque aliquid constitueretur quo se possent alere & vestire, eorum habita ratione, id est ita frugaliter, ut non dum luxu diffunditur Commendatarius, ipsi ægri famem solentur. Deinde ut etiam ex eis honestum constitueretur stipendium, quod daretur Præceptori, qui in literis Monachos institueret: ut & qui ex eis ordinantur sacerdotes, illotis, ut aiunt, manibus ad tantum munus non accedant, & ne sint planè, quod dicitur ὄνοι λύρας: & qui sacris non initiantur, ex assidua sacrorum librorum lectione suam cui eos totos dicatos esse oportet augeant contemplationem. Deinde ut ex eis fructibus certum quid deducatur, quod conferatur in necessariam tam sacrarum ædium quam profanarum reparationem. Constitui autem oportet hæc omnia auctoritate Regia, ut nulla ratione liceret Commendatariis ab eis resilire, ut cum eis commendata traderentur monasteria, simul etiam scirent quænam onera sint ab eis suscipienda. Quæ si detrectent, aut minus fideliter ac diligenter procurent, cogi possint, in monasterii bona injecta manu regia. Hæc si fiant, quæ, ut arbitror, nemo erit tam iniquus qui non esse intelligat æquissima, quis regiam nominationem per quam monasterio præficitur Commendatarius, non pluris faciat quam turbulentam illam, litibusque, odiis & seditionibus obnoxiam, quæ olim erat monachorum electionem? Sin autem Commendatariorum arbitratu, imo vero libidine, qui fere omnia hodie ad usus suos convertunt, cuncta temere agantur ac ferantur, de monasteriis & monastica disciplina mihi actum esse persuadeo. Atque

Leges ita sunt ferendæ, ut hominis arbitrio minimum loci relinquatur.

Non minorem habendam rationem monasteriorum quam beneficiorum curatorum.

Salubre Consilium.

de his quidem hactenus. Restat autem ut ostendamus non obstare Pragmaticam, nec inter Regem & Pontificem conventionem, quo minus noster canon observetur. Sed quoniam videntur nonnulla etiam alia intervenire impedimenta, ea sunt removenda, ut postquam nihil fuerit quod nos amplius remoretur, explicatissima & expeditissima ineatur ratio, nostrum canonem in eum restituendi locum, unde temporis injuria & linguæ Græcæ inscitia diu abhinc fuit deductus. Atque hoc quidem primum valde videtur obstare, quod cùm dixerimus hanc esse mentem canonis ut ordinatio fiat ad Ecclesiam seu ad titulum, non autem tum demum fiat ordinatio si ordinandus Ecclesiam habeat seu titulum: ex beneficiis autem alia sint, ut vocant, secularia, alia regularia: ad regularia quidem conferenda non semper plenum jus habeat Episcopus, cùm ab Abbatum præsentatione ea sæpe pendeant: sed nec ad omnia secularia, cum plurima multis in locis pleno jure conferat conventus Canonicorum. Quinetiam cum ab eo qui jus habet nominandi præsentetur ordinandus, non videtur in his Episcopus posse ordinare ad titulum, sed ordinare eum qui habeat titulum. Hunc nodum mihi rectè videtur perspexisse & pulchrè explicasse F. Duarenus, etsi aliud ageret, lib. 3. de beneficiis dum tractat de Regalibus. Nam cum quæcunque facta fuerit collatio beneficii, ea non prius est perfecta & omnibus numeris absoluta, quam ei cui collatum est beneficium manus fuerit imposita, non dicendum est eum esse ordinatum quod habeat titulum, sed si visus fuerit idoneus, esse ordinatum ad titulum. Quod quidem multo magis verum est in eo qui nominatus præsentatur, cum ei non necesse habeat conferre Episcopus, si eum non inveniat dignum qui ordinetur. Quantumcunque autem hodie mutata sit vetus forma præficiendi muneribus Ecclesiæ, ut statim dicemus, si tamen Episcopus jus suum, ut par est, tueatur, neque concedat ut quisquam præter canones vicaria utatur opera, evidentissimè apparebit illum ordinare ad titulum. Cum enim eum cui collatum fuit beneficium diligenter prius examinatum ordinaverit, potest eadem opera curare ut ei publico edicto seu præconio specialis designetur titulus ad quem est ordinatus. Nec me tamen fugit in regularibus huic canoni quotidie fraudem fieri, cum cuipiam Clerico, ut vocant, seculari commendatur prioratus (est enim his jam receptis utendum vocabulis) in quo sacra tradit obeunda alicui Monacho presbytero, ipse autem ne ad minores quidem ordines progreditur. Huic autem fraudi facilè occurri poterit, si certus constituatur numerus sacerdotum in monasteriis, qui dici poterunt assignati titulo monasterii, ultra quos cum non possit ullus ordinari Monachus nisi ad certum Ecclesiæ titulum, necesse erit ut vel titulo cedat Commendatarius cum sacra obire non possit, vel se ad prioratus titulum rite & canonicè ordinari postulet, nec tanquam ignavus fucus alienis fruatur laboribus. Sunt autem fere omnes isti prioratuum Commendatarii ex triplici genere hominum. Aut enim sunt aulici qui affectantur magnos Cœnobiorum Commendatarios: ii autem in otio & deliciis magnam vitæ partem consumentes, ut possint suppeditare sumptibus, beneficia quacunque ratione aucupantur. Cùm monastica autem beneficia, quod Monachi non sint, jure tenere non possint, per pontificem solvuntur à canone. Alterum genus est eorum, qui tantum abest ut mundanis non implicentur negotiis, quod ab eo qui Deo militat exigit Divus Paulus, ut etiam toti versentur in cognoscendis litibus & controversiis, adeo ut suarum Ecclesiarum ne per somnum quidem eis vacet meminisse, nisi si quando de exigenda agatur pecunia. Tertium est Canonicorum, qui etsi est adeo necessarium ut adsint in Ecclesia, ut citra magnum suum detrimentum eis vix abesse liceat, sibi tamen collata quæcunque beneficia etiam remotissimis in locis non dubitant admittere. Quoniam autem ii in Cathedralibus & Collegiatis, quas vocant, Ecclesiis, & juris & auctoritatis hodie habent plurimum, de his nobis est aliquid dicendum, quantum ex canonibus, & ex conjecturis nequaquam levibus possumus consequi. Atque primum quidem illud constat cum ex canonibus tum ex Justiniani constitutionibus, olim Episcopi & Clericorum unum fuisse velut corpus, cujus caput erat Episcopus. Alebantur autem ii omnes Ecclesiæ facultatibus, quibus administrandis constituebatur Oeconomus, ne eorum cura clericos avocaret à suo munere. Neque vero eæ ad Episcopi tantum & clericorum alimenta sufficiebant: sed & pauperes iis alebantur, hospites excipiebantur, ædes sacræ reficiebantur. Quanquam autem in iis dispensandis præcipuum locum tenebat Episcopus, dispensare tamen non poterat nisi adscitis presbyteris ac Diaconis. Porro autem eorum clericorum varii erant ordines, ut qui gradatim proveherentur ad ordinem presbyterii. Ordinabantur autem ab Episcopo, præsente & adstipulante clero, & non sine populi testimonio. Dicti autem sunt clerici Canonici, quod canonicè viverent. Quanquam hoc

Duarenus.

Quales fere sint hodie prioratuum Commendatarii.

Quid D. Paulus exigat ab eo qui Deo militant.

Canonici.

canonici

canonici vocabulum nusquam reperiatur in antiquis Canonibus, præterquam in Concilii Laodic. can. 14. qui vult non licere alicui canere præter canonicos Psaltas: & in concilio Maguntiaco quod fuit tempore Caroli Magni, ex quo perspici potest ejus adhuc tempore, clericos canonicos in communi simul vixisse. Atque cum Imperium quidem tenente Justiniano in tantam multitudinem crevisset numerus clericorum, ut eis alendis non sufficerent facultates Ecclesiæ, edita est ab eo constitutio ut esset certus ac definitus numerus clericorum. Procedente autem tempore, cùm ut est verisimile communio pareret discordiam, visum est commodissimum ut quasi quodam communi dividundò judicio, inter Episcopum & clericos Ecclesiæ, bona dividerentur. Hinc factum est ut duo vocabula mortalium generi, teste Platone, longè perniciosissima, *meum* scilicet & *tuum* inveherentur in Ecclesiam. Hinc factum est ut nihil habeat Episcopus commune cum cœtu canonicorum, quem vocant capitulum. Neque vero satis fuit inter se dividere prædia ac possessiones, nisi esset, de pauperibus interim aut nulla aut perexigua facta mentione, etiam utrorumque distincta jurisdictio: & eo usque res processit ut tandem perfecerint Canonici ut in plurimis locis Episcopus in eos nullam habeat jurisdictionem, utque sint omnino exempti, adeo ut nec eos quidem visitare liceat, quod tamen à Concilio Tridentino nuper fuit abrogatum, etsi nondum observetur. Et quod ad beneficiorum quidem attinet collationes, ut canonicatus quidem ac præbendas cum dignitatibus fere omnibus conferat Episcopus, nisi aliqua sint collegia quæ jus habent eligendi: parœcias autem partim Episcopus, partim conventus Canonicorum, nisi vel præsentent Archidiaconi, ut qui magna ex parte levent Episcopum onere visitandi, vel patroni tam laici quam Ecclesiastici. Atque operæ pretium quidem est videre quemadmodum permulti se gerant Canonici in his collationibus. Nam cum conferendi beneficia sint stato tempore cuilibet suæ vices, vel in conferendo sibi invicem gratificantur, vel ea famulis suis conferunt quos habent in potestate, ut quando vivunt fruantur ipsi collatæ Ecclesiæ proventibus, quam nec ipsi, nec quibus eam contulerunt famuli unquam invisunt, nisi forte ut se oblectent, magis quam ut vel tantillum suo fungantur officio. His sic expositis, restat nunc ut videamus quemadmodum fieri possit, ut nec Pragmatica sanctio, nec Pontificis Regisque conventio obstet quo minus noster observetur canon. Atque primum quidem hoc statuto, in potestate esse Episcopi nemini concedere ut in administranda Ecclesia vicaria ullius utatur opera, sed quilibet per se suo fungatur munere. Quod si fiat, quodcunque beneficium scholastico literaturæ gradum fortè consecuto obtigerit, si id quidem sit Ecclesia quæ curam requirit animarum, ad eam ordinetur, & in ea resideat oportet, cum minimè admittatur vicarius. Sin autem canonicatus, vel, ut vocant, præbenda, Ecclesiam curam animarum requirentem, prius obtinere non poterit, quam canonicatu cesserit, cum in utroque simul sacrum munus per se obire nequeat, neque per vicarium administrare liceat. Quotiescunque autem pinguius aliquod obtigerit beneficium, quod vult sibi conferri, ut ducentorum Florenorum summam concessam impleat, id poterit quidem assequi si priori cesserit: utrumque enim habere non poterit, cum in utroque non possit residere. Fiet itaque ea ratione ut cessent tot lites, tot nundinationes, tot cauponationes, quæ inter eos exercentur priusquam ad summam concessam pervenerint. Quoniam autem hoc totum ex eo pendet ut nulli liceat constituere vicarium, duo cuperem regio edicto caveri: unum, quod edicto Regis Henrici de residentia prius cautum fuerat, nempe ut in prædia, & possessiones Ecclesiæ ejus qui præsens non fungeretur suo munere, injiceretur manus Regia: alterum ut gravissimè animadverteretur in Episcopum, qui vel gratis admisisset Rectoris Ecclesiæ vicarium, quanto magis autem si accepta pecunia? Hoc quidem tanti est momenti, ut nisi utrumque constituatur, frustra laboretur in restituenda Ecclesiæ disciplina. Neque vero est quod quispiam dicat Regem missurum esse falcem in messem alienam. Nam cum ejusdem sit, ut Principis Christianissimi, protegere ac tueri Ecclesiam, quid in hoc sibi sumat citra quod id explicari ac effectum reddi non possit? Quamdiu enim Ecclesiæ bonis frui licet, etiamsi ad ea nunquam accedas, ad opes quidem, ut sunt corruptissima hodie ingenia, aspirabunt & se ingerent plurimi, ad opus autem & suum officium faciendum fere nemo. Quod quidem Ecclesiæ exitium afferat necesse est. Nec est quod existimet quisquam ægre laturum pontificem, si ei tollatur occasio solvendi à canonibus: ægre ferent fortasse mensarii & scriptores aliqui, qui ex Ecclesiæ incommodis sua venantur commoda; ipse autem pontifex, cujus maximè interest, ut quibus commissæ sunt Ecclesiæ sua obeant munera, ut qui intelligat non alia ratione expellendas hæreses & reddendam orbi Christiano tranquillitatem, non invitus ea carebit molestia: maximè cùm eum non prætereat

Concilium Laodicense. Maguntiacum. Canonici in communi simul vivebant.

Regis est Ecclesiam tueri.

tereat vix fieri posse ut rectè per se perspectas habeat justas causas solvendi à canone eos qui in regionibus habitant disjunctissimis: temere autem quod petitur, modo sit aliquis prætextus, concedere, esse planè hominis dissoluti, nedum sapientis & justi pontificis. Quanquam negari non potest incidere sæpe tempora, ut sit aliquis solvendus à canonibus; sed id faciendum esse causa cognita nemo sanæ mentis iverit inficias. Quod quidem vel ex Lateranensis Concilii capite, quo maximè pontificiæ nituntur dispensationes, pulchrè potest intelligi. Nam circa sublimes & literatas personas vult per Apostolicam sedem posse dispensari. Dispensari quidem potest, sed non passim & citra ullum discrimen: alioqui ea jam non erit justa & legitima dispensatio, sed profusa dissipatio: & ne putaret se quaslibet sublimes & literatas personas solvere posse à canone, prudentissimè adjecit, cum ratio postulaverit. Quænam autem ratio hoc postulabit nisi vel Ecclesiæ utilitas vel necessitas? Quæ duo sunt semper spectanda si agatur de mutatione sedis Episcopalis & cujusvis Ecclesiæ. Quanto autem magis si agatur ut præficiatur quispiam duabus Ecclesiis? Quorum quidem cum non possit satis certam habere notitiam ex iis qui per equos dispositos cursu citato Romam petunt: ut causa cognita posset id quod æquum esset statuere, de ea re disceptandum esset in provinciali Concilio, secundo quoque anno congregando, cui interesset Pontificis legatus, vel de Concilii sententia à Canone soluturus, vel Pontifici renunciaturus, ut si videatur solvat. Maturè enim de re tanta censeo esse deliberandum, quæ tanti est momenti, ut ex ea vel reformatam, vel planè deformatam habituri simus Ecclesiæ disciplinam. Cujus si indies labentis, atque adeo jam ferè omnino lapsæ non misertus, quod absit, Pontifex Max. obstinato animo vellet causa non cognita quoslibet à canone solvere, posset Rex Christianissimus uno solo edicto de antiquis observandis canonibus & dispensationibus Roma non petendis, eadem opera & de regno suo optimè mereri, quod per eas dispensationes pecuniis mirandum in modum exhauritur, & de ordine sacerdotali qui ad priscam illam administrandæ Ecclesiæ formam revocaretur. Quod quidem quàm sit necessarium ex hoc potest intelligi, quod si aliquot abhinc seculis integra & inviolata mansisset Ecclesiæ disciplina, tot erroribus, tot sectis & seditionibus, quæ ex malè obito Ecclesiæ ministerio originem cepere, nullus in orbe Christiano esset relictus locus: Pontifici autem maximo, utpote vero Christi vicario, in omnibus parendum est quæ pertinent ad Ecclesiæ salutem & ædificationem: in iis vero quæ apertè tendunt ad ejus exitium non dubium est quin ipsa Ecclesia & qui ejus tuendæ partes suscepit Rex Christianissimus, non secus ac Petro Divus Paulus ei possit in faciem resistere, quoniam in eum justa cadit reprehensio. Nihil autem esse quod Ecclesiæ majorem afferat perniciem, quam nimis frequentes hujusmodi dissipationes, dispensationes volui dicere, existimo neminem esse qui non sentiat, licet sint fortasse qui non lubenter id fateantur, quod privata commoda publicis anteponant. Illud quoque nequaquam videtur omnino concedendum, ut cui collatum est beneficium quod annexam habet curam animarum, prætextu ac favore studiorum ei permittatur, ut ad aliquot annos non fiat sacerdos. Nam cui confertur ejusmodi beneficium, ejus simul electa videtur industria. Qui si sit dignus suo fungatur officio. Sin indignus, non est permittendum ut idonei & digni locum frustra occupet. Sed restat nobis adhuc unus scrupulus, qui nisi eximatur, non poterit noster canon plenè & perfectè servari. Nam cum nostro canone caveatur ut nemo absolutè ordinetur: absolutè autem ordinari dicatur qui ordinatur ad titulum, patrimonii autem non sit ullus, ut dictum est, titulus: plurimis autem Ecclesiis opus sit multis sacerdotibus, unus autem solus ad titulum dicatur ordinatus, nempè is qui est Ecclesiæ præfuturus, quomodo invenientur cæteri sacerdotes qui serviant Ecclesiæ? Hunc scrupulum ut eximamus, dicendum est non esse verum unum solum presbyterum ordinari ad titulum, sed eos omnes ordinari ad titulum, qui ordinantur ut in aliqua Ecclesia sacra obeant. Est quidem unus cæteris præfuturus, quem Presbyterum Cardinalem olim fuisse Romæ appellatum arbitror. Nec enim est consentaneum unum solum Presbyterum fuisse Romæ in illis qui dicuntur titulis, sed multos quidem fuisse Presbyteros, unum autem Presbyterum Cardinalem. Ut ergo canon noster exactè observaretur, esset in singulis Ecclesiis definiendus certus numerus Presbyterorum, qui ad Ecclesiæ titulum ita ordinarentur, ut inconsulto Episcopo illinc non possent discedere, nec ad aliam transferri Ecclesiam, nisi id Ecclesiæ postularet utilitas vel necessitas. Ita fieret ut nec Ecclesiis deessent sacerdotes, & cessaret errantium hic & illic sacerdotum, fere dixerim colluvies, qui universo ordini sacerdotali probrum ac dedecus afferunt. Ut autem ab Ecclesia procul expellatur omnis turpis lucri, & affectionis, ut ita dicam, carnalis suspicio,

Cap. de mu'ta præben. & dignit.

Provinciale Concilium secundo quoque anno congregandum.

Quid sit absolute ordinari.

spicio, non sunt temere admittendæ permutationes & eæ renuntiationes, quæ, ut eorum verbis utar, fiunt in favorem. Ecclesiæ enim utilitatis semper habenda est ratio, quæ nisi re ritè perpensa & examinata satis cognosci non potest. Cuicunque autem fuerit renunciata animarum curam exigens Parœcia, ea tum demum sit omnibus numeris absoluta, cum is in cujus favorem facta est renunciatio, ordinandus ostenderit se non esse indignum tali munere. Sed jam tempus est orationi nostræ finem imponendi, Auditores, quæ si vobis paulo visa est prolixior, facite ut cum vestris animis cogitetis rem tantam non potuisse paucis verbis explicari. Atque utinam tam in manu mea esset quod verbis sum prosecutus re effectum reddere, quam non dubito plerisque fere omnibus esse persuasum, id Christianæ Reip. fore utilissimum. Quid enim posset esse utilius, quam si Episcopi præsentes suo fungerentur munere? Si ii quibus manus imponunt, cum & Cleri & populi fuissent confirmati testimonio, ad certam ordinarentur Ecclesiam, à qua nunquam discedere, nec ad aliam migrare possent nisi causa cognita? Si monasteriorum Commendatarii non solum percipiendorum fructuum curam gererent, sed & instituendorum in literis Monachorum, & alendorum pauperum & reficiendorum ædificiorum rationem habendam esse ducerent? Si nullus afferri posset prætextus, qui obstaret quo minus quilibet suum faceret officium? Si litium, nundinationum, cauponationum, quoad ejus fieri posset, omnes tollerentur occasiones? Si indoctorum, flagitiosorum, & errantium sacerdotum infinitus tolleretur numerus? Si permutationum & renuntiationum non alius esset scopus, quam Ecclesiarum, non autem personarum utilitas? Quod si his etiam accederet ut tam Episcopalia quam provincialia Concilia ritè celebrarentur, & in iis de delictis sacerdotum maturè cognosceretur, & in eos severè animadverteretur, quis non videt priscam illam tamdiu exoptatam Ecclesiæ disciplinam mox esse restituendam, cujus sacrosanctam majestatem non solum hæretici, sed etiam ipsorum cacodæmonum universus extimesceret exercitus? Sin autem hoc unum sibi proponat, quod absit, ordo Ecclesiasticus, ut pro libidine bonis fruatur Ecclesiæ, interim de suo munere nihil omnino solicitus, eum ab imminentibus periculis (falsus utinam sim vates) ne ipsa quidem salus servare poterit.

Repetitio eorum quæ per totam sparsa sunt orationem.

Gentianus Hervetus.

GUL.

G U L. D A M A S I L I N D A N I *Ruremundenſis* Epiſcopi Epiſtola ſeu Præfatio ad Principes & Prælatos *Germaniæ* de perditiſſimis Cleri moribus & Reformationis mediis.

Reverendiſſimis in Chriſto *PP. & Illuſtriſſimis DD. Archiepiſcopis Electoribus, Epiſcopis ampliſ. D.* Otthoni Trucſeſſio, *Epiſcopo* Auguſtano *S. R. E. Card. aliiſque ad unum omnibus S.* Romani *Imperii Principibus, Abbatibus, Proceribuſque Eccleſiaſticis ſalutem in Dom. noſtro* JESU Chriſto, *ſedulumque pacis in una* Chriſti *fide, pietatis Apoſtolicæ in morum reformatione, ac indefeſſum pro* Germaniæ, *cum Dei Evangelio per D. Thomam Apoſt. alioſque jam pridem annunciato, concordia ſtudium,*

WILHEL. DAMASI LINDANUS.

PRæclarè admodum, multoque veriſſimè illud vulgò dicitur, Reverendiſſimi in *Chriſto* patres & illuſtriſſimi DD. eiſdem rationibus rem quamque conſervari, quibus initio parta atque coalita crevit.

Quod in republ. citra omne dubium quotidianis videmus exemplis uſuvenire, ita & in rebus *Chriſtianæ* religionis propriis non minus locum habet.

Etenim quemadmodum vinea licet fœcundiſſima atque uberrima, niſi quotannis novo labore in orbem vinitoribus acto ritè colatur, ſarriatur, averruncetur, paſtinetur, putetur, collucetur, non ſolùm manet ſterilis, aut infrugifera, ſed in labruſcam etiam opinione citius degeneret; ita & vinea Domini *Sabaoth*, quæ Domus *Iſrael* eſt ſive populus *Chriſti* ſanguine ad Dei viſionem renatus & redemptus, niſi legitimè colatur, maximoque ſtudio curetur, in ſimilia, immò deteriora degenerationis, certique interitûs adeo vitia incidat neceſſe eſt.

Porrò quanam ratione hæc olim florentiſſima Dei *Sabaoth* vinea in *Germanias* fuerit ex *Ægypto* diabolicæ ſervitutis ſpiritualiſque idololatriæ ante annos plus minus 800 tranſlata, quibus laboribus plantata, quibus artibus culta, quibus ſudoribus irrigata, quibus denique ſtudiis in hanc uſque arboris ut pulcherrimæ, ita multò proceriſſimæ ſpeciem perducta; notius eſt quàm ut hic fruſtra ſit commemorandum. Quæ ubi ſuis culta floreret artibus, quàm uberes atque copioſos, longéque gratiſſimos per annorum centurias circiter ſeptenas aut octonas Deo Opt. Max. protulerit fructus, ecquænam eloquentia enarrare ſuiſque encomiis celebrare ſuffecerit, aut prædicare?

Verum ubi ante annos ferè 50 agricolarum labor cœpit elangueſcere, vineæ iſtius neglectus invaleſcere, palmites luxuriare, vinitores dormitare, ovium *Chriſti* cura quibuſdam præſtultâ opum periturarum admiratione & inſano voluptatum ſtudio ſordeſcere, quidnam, obſecro, evenit? Ecquid, obſecro, putes aliud, quàm quod in neglectâ vineâ, licèt nobiliſſimâ multoque generoſiſſimâ, neceſſariò eveniat, ſi non colatur, ſarriatur, repaſtinetur?

Annon ad vivum nunc per *Germaniam* noſtram (eheu! infœliciſſimam longeque miſerrimam!) videmus expletum, quod olim *Judaicæ* quidem Synagogæ ſed in noſtræ Eccleſiæ typum Dominus* *Sabaoth*, per divina Prophetarum, immò Filii ſui, oracula fore eſt comminatus?

* Iſa. 5. 5, 6. * *Auferam ſepem ejus*, inquit, *& erit in direptionem: diruam maceriem ejus, & erit in conculcationem. Ponam eam deſertam, non putabitur, non fodietur. Turrim exſcindam, & vineam meam locabo aliis vinitoribus, qui fructum reddant in tempore ſuo.* Placuit olim Deo Opt.

Opt. vineam suam electam in magna nostra *Germania* singulari piorum hominum studio plantatam, divino rore gratiarum omnium cœlestium irrigatam, roseo martyrum non paucorum, nec obscurorum, sanguine pastinatam constituere; vivâ etiam sepe piorum principum obmunire, tutoque præsidio cingere, immò & macerie contra infestos hostes undique obducta obvallare. Annon firma prorsus fuisset Ecclesiæ Dei hic conservandæ maceries, tam immensæ opes à D. *Carolo* illo magno aliisque piis principibus nostris majoribus Ecclesiastico ordini donatæ; tot arces extructæ, tot invicta tuendæ pacis atque conservandæ tranquillitatis publicæ præsidia, vobis in manus tradita, si suum ad usum finemque legitimum fuisset adhibita?

An ulla usquam, quacunque orbis patet habitabilis, reperiatur provincia, quæ tam firmis, tam solidis fuit & intus & foris instructa suæ salutis publicæque tranquillitatis tuendæ præsidiis? An usquam leges magis salutares? An usquam collegia religiosius instituta, aut studiosorum Scholis linguarumque cognitione instructiora? An usquam major aut fidelior subditorum suos in dominos obedientia, fides, devotio? Denique ne quid ad suæ *vineæ* cultum ornatumque supremum deesse videretur, Dominus ille *Sabaoth*, cujus in manu sunt omnium jura regnorum, & cui vult ea donat, suæ isti *Germaniæ*, lectissimæ olim vineæ, etiam *Romani* Imperii gloriam singulari pietatis verè paternæ munere largiri voluit: Ut turrim illam sive speculam de qua est apud Prophetam, nemo posset meritò desiderare: hæc autem omnia Dei Opt. Max. ornamenta sanè eximia, præclara profectò beneficia, denique singularia cum primis prærogativa, dum *vineæ Dominicæ* cultores suo erant in officio, stabant atque florebant, lætissimoque ipsum Deum & homines recreabant desideratissimorum fructuum proventu. Verùm ubi unà cum mundi istius non tam suâ mole ruentis aut senio delirantis, quàm nostrâ conscelerata malitiâ intereuntis, lapsu, major hominum Ecclesiasticorum mentibus incessit regnandi libido, quàm docendi, major principatûs civilis quàm Ecclesiastici ordinis cupido, major denique vanis mundi deliciis fruendi, quàm officium sacerdotale præstandi amor totos quosdam occupavit —— *ruere mox omnia, & retrò sublapsa referri.*

Quod qui sinceris, nulloque suffusionis glaucomate, aut lema laborantibus oculis intueri velit, nulla istud, meo quidem judicio, pictura ei ostendat clarius, aut exhibeat vividius, quàm hodierna nobis deploranda, vereque tragica nostræ *Germaniæ* calamitas. Agnoscet enim illud Sacri *Davidis* oraculum, *Psalm. 79.* threno depictum, tam esse in *Germanico* Imperio ad vivum prope expletum, ut nusquam magis, uno excepto *Judaicæ* perfidiæ spectaculo, omnium infœlicissimo.

* *Ut quid destruxisti*, ait, *Domine, maceriem ejus! vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Exterminavit eam aper de silvâ, & singularis ferus depastus est eam.* Etenim destructâ macerie, quæ piis à majoribus fuit huic electissimæ Domini *Sabaoth* vineæ per leges politicas, immò potius Ecclesiasticas, quacunque ex parte circundata, cœperunt eam vindemiare omnes quotquot viam illam antiquam & avitam à *Christo* ejusque apostolis in *Germaniam* olim destinatis præscriptam prætergrediuntur, ac in aliud pervertunt Evangelium. Videte tandem, obsecro vos, videte vestram cladem, viri Ecclesiastici, Patres reverendiss. & fratres charissimi. Ecquænam Ecclesia totum per Imperium superfit salva (excepto *Belgico* & quadam *Norici* parte) quæ non miserè sit tanquam dilacerata, & dilaniata; immò, uti Propheta prædixit, verè vindemiata? Annon plures plerasque per provincias Ecclesiæ agri sunt sublati quàm relicti? Annon major decimarum, aut vinearum nonnusquam pars subtracta, quàm superest vobis salva? Annon plures Abbatiæ, ut potentissimæ, ita opulentissimæ atq; locupletissimæ sunt abreptæ, devoratæ, eversæ? At cur istud obsecro? Dum enim vineæ cultores suo servirent potius pigro ventri, impuræ gulæ, insanæ Veneri, non uti par fuit, suo *Domino* isthæc largienti *Christo*, ecquid restabat nisi ut cederent fisco?

* Psal. 80. 13, 14.

Sed quidnam ulterius subsequutum? Sanè aliud non potuit quàm quod divinum prædixit oraculum, nimirum ut sublato divini præsidii muro auxiliique propugnaculo exterminaret eam Aper de sylva: Lutherus videlicet, &c.

His

Hic multa in Lutherum illum Magnum Sanctumque blaterat quæ videre possit qui volet in libro isto impresso: Deinde addit.

SIngularis igitur ferus depastus est Ecclesiam nostram; videmus enim eheu dolor! tot nobilissimas Imperii Romani provincias sævissimi istius lateque grassantis apri dentibus depastas, vera Dei luce privatas, crassissima mendaciorum caligine demersas, humanæ doctrinæ præstigiis captas, excæcatas, dementatas; sed benignus ille Dei Opt. spiritus, qui calamitatem istam suis prædicere dignabatur, remedia item salutaria non invidit, neque tacuit. Nam his malis omnibus unum superesse remedium ostendit, ut ad Dominum Deum *Sabaoth* ex animo reversi concorditer oremus (quod suo ore docere non est dedignatus) *Deus virtutum convertere, respice de cœlo, & vide & visita vineam istam; & perfice quam plantavit dextra tua.* Si enim Deus Optimus Max. vobis seriam ac legitimam suæ vineæ visitationem cœlesti suo spiritu semel afflaverit, non deerunt consilia vineam istam perditam recuperandi, eversam restaurandi, exterminatam explanandi, atque repastinandi.

Non enim deerunt vobis cooperarii ex præclaris aliquot studiosorum collegiis (quæ verissima sunt simul & certissima pietatis instaurandæ seminaria) deligendi. Quid igitur, inquias, impedit Ecclesiarum *Germaniæ* instaurationem, si non desint quæsiti Dominicæ messis operarii justo stipendio, congruisque honoribus seriò quæsiti? Sed animus nobis deest officii sui verè studiosus, qui verâ in Deum pietate accensus, ardentique ovium sibi creditarum (pro quarum sanguine erit aliquando illo severissimo Dei judicio cuique nostrûm reddenda ratio) amore inflammatus, legitima necessariaque fame dispereuntibus suppeditet alimenta, quibus illæ pastorum incuriâ neglectúque afflictæ, ad sanitatem pristinam redeant. Si *Catholici* eam adhiberemus diligentiam, quam videmus proh pudor! istas reipub. *Christianæ* pestes, *Anabaptistas*, *Libertinos*, *Calvinistas* suis impendere hircorum à *Christi* grege segregatorum caulis, an nobis successurum minus quis meritò diffidat? Illi certo capitis periculo audent vel per provincias, ubi vigilantissima, imò pretio indicto, constituitur in eorum caput custodia, suos quotannis, idque sæpius, visitare, synaxes sacrilegas cogere, cœnas prophanas easque frequentissimas celebrare: nos in verâ salutis æternæ doctrinâ aut serenda aut riganda languemus, dormitamus, stertimus, desperamus. Videmus adversarios contra leges majorum, contra jus publicum, contra sua adeo Imperii *Romani* decreta quotannis non solum bona Ecclesiastica surripere, Abbatias confiscare, pios verosque Dei cultores vexare, opprimere, exturbare; sed omnem etiam repetundarum juris expereundi viam præcludere.

Illi tamen ingentibus impensis ferè quotannis suos habent conventus, sua celebrant, ferè *Augustalium* instar, comitia: nos tantum malum indies invalescens, immò in horas nostra inter viscera exardescens, cæci non videmus, stertentes non sentimus, oscitantes non animadvertimus. Meministis quanto sumptu, quanta diligentiâ ad evertendam *Christi* Ecclesiam pridem illi novi Evangelici *Bonnam* confluxerant. Unus ille N. in Ecclesiæ perniciem non dubitavit omnem movere lapidem, nullis deterritus impensis, nullis fractus laboribus, nullis coercitus periculis: an nos rationes nostras nobis constaturas apud Dominum Deum Judicem arbitrabimur, quod minus pro conservandâ Dei domo fecerimus quàm ille ad labefactandam, destruendam funditusque evertendum?

Quòd si minus illud vos terret jamjam singulos urgens tremendum Dei judicium, præsentia saltem pericula, obsecro vos per *Jesum Christum*, accuratius perpendite, atque vividius cum aliquo animorum vestrorum sensu considerate. Ecquid futurum tandem creditis, O viri Ecclesiastici, dum paulatim vobis plumæ tantâ dignitate, tantisque opum proventibus decoratæ evelluntur? tam nobilis vestri collegii corporisque Ecclesiastici membra decurtantur, immò ad vivum præciduntur?

Noverat ille nugator in *Apologo* caudam equinam, singulis evulsis pilis, totam tandem evellendam. An non & vobis idem eventurum præsentiscitis? An vos jam nunc vestris armis oppugnari, ac tantum non expugnari, nondum videtis? An non vestris opibus, vestris proventibus, vestris denique præsidiis ipsos passi estis fieri propemodum insuperabiles?

Quos verò in clerum gerant animos, quidnam vobis moliantur, si ex domesticis ipsorum in vos studiis nondum didicistis, satis superque docet *Gallicus* ille & *Belgicus* noster

noster motus, dudum ab impurissimâ sectarum omnium colluvie concitatus. Quibus enim laquei erant parati? Quibusnam sicæ? Quibusnam *vesperiæ*, quas vocant, *Siculæ*, dictæ? Quibusnam dies passim fuit lanienæ destinatus? Annon & vobis idem exemplum metuendum? Annon ejusdem omnes creditis ingenii, qui illum omnes eundem patrem habent quem *Veritas ipsa* dixit *fuisse ab initio homicidam?*

Ecquid igitur, obsecro, adhuc cunctamini salutaria adhibere consilia quibus incendium istud exitiale majores indies colligens vires, certò & vos & nos absumpturum, ni occurratis tempestivè, vel tandem cohibeatur, aut saltem sistatur, si extinguendi sopiendive nondum spes est? Certè si legitima cogeretis ecclesiastica Concilia, quorum, teste D. *August.* semper saluberrima est in Ecclesiis authoritas, non foret difficile, quod nunc plerisque malè consultis videtur impossibile.

Errantium numerus ingens est, fateor, ac propemodum, heu dolor! infinitus. Sed *non est resina in Galaad?* Uti ait propheta. *An manus Domini est abbreviata ut salvare nequeat*, aut pristinum suæ vineæ reddere statum salvum, incolumem, florentem? Minimè omnium, viri Ecclesiastici, minimè: sed aderit pius laborantibus, favebit propitius vineam suam repastinantibus, atque opera indefessâ excolentibus. Alioqui proculdubio expectate quod *Judæis* Dom. *Christus* comminatus est, atque ipsâ re explevit: *Dabitur*, inquit, *genti facienti fructum ejus.* Idem & vobis dictum accipite. Cujus rei præludium, videte, obsecro, annon Deus Opt. Max. jam nunc rebus ipsis agere cœperit hoc in amplissimo spectabilis orbis theatro: posteaquam enim divino permissu fera illa pessima, quæ Dei filios electissimos disgregavit, mactavit, devoravit, orco, æternoque inferno mactatos tradidit, suâ fuit pro libidine, immò rabie in hanc Dei vineam *Germanicam* grassata, ubi jam illa non leviter jaceret afflicta, magnaque ex parte exterminata ac tantum non eversa, placuit eidem Deo Opt. Max. cui omnes ad nutum parent orbis nationes, *novum*, suo Evangelio à *Germanis* partim deriso, adulterato, repudiato, aperire *orbem*; qui divinum suum nomen per *Germanias* atrocissimis injuriis vexatum, impiisque blasphemiis violatum, legitimo veneraretur honore atque dignâ coleret veneratione. Quid deinde? Paucorum sanè monachorum, quos tam rapidè exosos misera habet *Germania*; paucorum, inquam, monachorum Dei cultorum operâ plures per *Indiam novumque terrarum orbem* sibi convertit credentium * *myriades*, quàm per *Germaniam* fortassis pereant *centuriæ*, licèt hæ prorsus etiam videantur innumeræ. Qui illinc reduces veniunt, sex millia monasteriorum aiunt extructa, uti olim apud *Ægyptios* initio *Christianitatis*; ad hæc ferè 600. *Christi* ovibus Episcopos creatos.

* Teste Bartholomæo de las Casas.

Sed quidnam his veluti ex prosceniis tandem est consequuturum? Ecquænam fabulæ, immò tragœdiæ hujus futura est catastrophe? An aliud, quàm quod *Christus Judæis* comminatus, jam pridem præstitit, idem & nobis aliquando (ni ad mentem & suum quisque redeamus officium) certò sit eventurum? Regnum Dei jampridem ingratis atque infœcundis *Judæis* ereptum, nobis *gentibus paganisque* datum: Ubi hoc illi respuissent, Dei cultores injuriis lacessivissent, veréque dilaniassent divinum Dei Opt. Max. nomen, *Christianâ* religione colendum, blasphemiis sacrilegis affecissent. Ut ergo tunc *naturalibus non pepercit ramis*, an *istis* parcet *insititiis*, ad illorum exemplum veram Evangelii *Christiani* doctrinam respuentibus, veros Dei cultores, sacerdotes, Monachos, sanctimoniales vexantibus, affligentibus, opprimentibus, ejicientibus, atque in *bis miserum*, ereptis facultatibus, avitisque possessionibus, *exilium* expellentibus? Non tulit inultum *Carthago* urbs *Romæ* quondam æmula, major ipsâ aliquando gloriâ, opibus præstantior, honore illustrior, cum Dei servos Monachos (teste divo *Salviano* lib. 4. de judicio suorum temporum) plateatim vexaret, nominatim per compita lœdoriis compellaret, contumeliis infestaret. An vobis impunè cessuram existimatis tam immanem vim Dei cultoribus tot per annos illatam? An pauperum lachrymas nunquam speratis *patri orphanorum* & judici vindicique viduarum exaudiendas?

Sed dicat aliquis, Electoria celsitudo, sacerdotalis dignitas, principalis excellentia facilè præsentem *Germaniæ* statum tuebitur tranquillum, certaque Ecclesiæ Dei successio infausta ista omnia facilè depulerit.

Scilicet, tam facilè atque tutò, quàm olim *Judæos* à comminatis plagis illa vox verè *Pharisaica, Templum Domini! Templum Domini! Templum Domini!* ut enim illi suarum cupiditatum, avaritiæ, libidinis, invidentiæ, omnis denique improbitatis satagebant, nihil pensi ducentes ecquid de divinis fieret mandatis, modo suæ ipsis essent leges salvæ ac *traditiones humanæ* ad quæstum multò uberrimum comparatæ, starent incolumes: ita & nunc, nisi alia ineatur ratio, collapsam potius quàm labefactatam isthic Religionem

nem puritati suæ, nativæque castimoniæ vindicandi, offendicula intolerabilia tollendi, officium denique legitimè præstandi, viderit quisque quonam pacto poterit illas nobis plagas Dei ore fallere nescio comminatas evadere.

Veruntamen bona spes nos habet plerosque omnes Ecclesiæ præpositos atrocissimis *Germaniæ*, patriæ nostræ suavissimæ, plagis admonitos, *Torpatensis* Ecclesiæ opulentissimæ ac *Lituaniæ* exemplo longè miserrimo perculsos suisque adeo damnis domesticis adactos, periculis denique certo indies impendentibus, coactos de curando legitimè atque verè tandem pascendo grege Dominico jam fore solicitos. Ad quod pii pastoris officium præstandum, videlicet sanandi oves *Christi* languidas, colligandi afflictas, fovendi laceras, revocandi palabundas, ne justa & facilis desit ratio, varia vobis sunt ineunda consilia; serióque dispiciendum quibusnam remediis utendum potissimum, ut isthæc pii pastoris officia sedulò & obnixè charissimis *Christi* Domini ovibus præstanda salutariter impendatur. Variæ siquidem sunt populi vestræ fidei crediti pestes quarum ut numerus propè est infinitus, ita quælibet *Christiano* gregi perniciosa, certóque exitialis & interneciva. Verùm non tam est morbus iste sonticus, ut sit incurabilis; non tam deploratus, ut sanari nequeat; non ita desperatione plenus, ut nihil remedii salutaris admittat: Stolida enim istorum desperationis authorum consilia mihi prorsus probari non possunt: qui ad *Galeni* aut *Hippocratis* exemplum in morbis deploratis nihil adhibendum volunt remedii humani, sed naturæ relinquenda omnia; atque alia corpus morbo affectum sanandi ratio, alia mentem errore obnubilatam: alia etiam morborum corporis remedia, alia animorum.

Quanquam enim longè latèque toxicum illud *Evangelicorum* sanè virulentissimum, sit diffusum, plurimosque tabe suâ verè pestilentissimâ infecerit, vitalia erodens atque tantum non absumens: non tamen desunt (Deo Opt. gratia immortalis) qui genua sua non curvaverunt ante verissimos istos *Baales* vel septem millia qui (si in capita supputentur) numero illis non sint fortassis impares futuri.

Huc accedit, quòd non eadem omnes lues contaminavit, non eadem virulentia omnes afflavit; sed uti mendacium semper suâ est naturâ multiplex ac varium, quia simplici à veritate dissonans: ita varias in species distracti non modò sentiunt diversa, sed sibi etiam pugnantia, adeoque ex diametro contraria quæ vel suo collisu mutuo tandem enecent sese ipsa, atque semel de medio tollant; quod enim de aconito veteres memoriæ proditum reliquere, hic verissimè locum habet, ut aconitum hominem occidat, nisi invenerit quod in homine perimat cum quo solo colluctatur, velut pari intus invento, atque ambo per se exitialia mutuâ commoriuntur luctâ, ut homo supersit: Ita in istis longè pestilentioribus animorum aconitis usuvenire aliquando est animadvertere. Complures namque recens sectatos doctrinæ genus ubi suis indulsissent ad quoddam tempus cum animi cupiditatibus, tum corporis voluptatibus, latâ isthac Evangelii novi viâ bellè monstrantis ad resipiscentiam rediisse est deprehensum, quod suo admoniti malo plerique ultrò ad mentem redierint, qui videbantur antea vel omnium deploratissimi suoque judicio puri puti Evangelicissimi atque *Ecclesiæ* (uti arrogantissimè jactabant) *reformatæ* omnium probissimi.

Et quidem consideranti mihi quanam ratione innumeræ, funestæque istæ *Germaniam* miserrimâ facie dissipantes atque disturbantes sectæ exscindantur, non rarò in mentem venit admirari cœlestem Dei Opt. Max. providentiam omnium gubernatricem, quæ tam est novo indies miraculo omnipotens, ut vel ex malis longè pestilentissimis saluberrima subinde suis electis conficiat pharmaca. Certè si Dei Opt. Max. benignitas huic populo animi oculos reddere dignaretur, non parum ad solidam animorum sanitatem recuperandam aliquando conduxerit & istud remedium suo ipsorum ex malo petendum; nimirum ut variis istis iisdemque absurdissimis conquassatus atque collisus opinionibus in se ipse frangatur, animi ferocitas hebescat, errandi libido defervescat. Quo enim crassiores Cacodæmon istius tragœdiæ choragus, atque omnis *Germanicæ* istius verè paricidalis dissensionis fax, spargit errores aut fœdiores serit opiniones, hoc plaga erit aliquando electis Dei filiis sanabilior; ut non dicam, plerosque (quod complusculis summis gratulati) ad sanitatem, varios licèt post variarum pestium paroxysmos, ultrò redituros atque adeo festinantiùs properaturos. Quod ut vero appareat similius, non levi argumento fuerit & illud observasse, nunquam ab Evangelii exordio tam absurdam simul & crassam, pinguisque naris, ac planè rusticanam deprehensam atque evitatu facilem errorum lucem fuisse grassatam quàm nunc infœlicissimo hoc nostro seculo. Talem namque divinæ iræ plagam degeneres ac brutescentes populi *Christiani* mores & per *Germanias* & per *Gallias* delitiis ventris sui deditissimi, mundo

suis

suis cum vanitatibus pereunti devotissimi, vitiisque carnalibus perditissimi efflagitasse videntur.

Verum si huic remedio, quod Deus Opt. Max. ut in aconito, ita & in errorum animi venenis naturaliter aliquando immittere videtur, humana pii pastoris accesserit industria, quæ densissimas illorum errorum, quibus excæcati detinentur captivi, suæque salutis sunt ipsi infestissimi hostes, detegat caligines, ostendat absurditates, demonstret impietates, magnâ sanè facilitate plurimi ad animi sobrietatem, mentisque novâ pestilentium opinionum epidemia eversæ revocentur sanitatem.

Sed inpræsentiarum non est de omnibus istarum pestilitatum generibus dicendi locus. Solum namque de iis modò agitur qui *confessionem* sese profitentur sequi *Augustanam*: qui ut non modò suis quoque sunt dissecti opinionum dissidiis planè capitalibus; ita non ignobiles aliquot ipsorum Ecclesiæ novum minimè dissimulanter sectantur Evangelium, quod suo à *Luthero*, confessionis *Augustana* magistro, dudum fuit certissimæ hæreseos, diabolicæque impietatis damnatum: *Zuinglianos* dico & *Sacramentarios*, varii admodum nominis omnes tam novos, quàm veteres: ut alios nunc silentio prætereamus. Isti autem *Calvinizantes* ut extra *Germaniam* facilè vincunt ingentes *Lutheranorum* turbas; ita & in ipsa quoque *Germaniâ* sese tantos progressus jampridem fecisse gloriantur, ut de veritatis suæ (si *superis* placet) victoriâ, & de ruinâ *papatus Saxonici*, id est, *Lutherani pseudo-Evangelii* Pæana canere non dubitarint.

Quod esse multò verissimum *Illyricus* ille cum suo conjuratorum manipulo, *Germania* Davus atque fax flagitiosissima, tragicis boatibus deplorat, non subticens vel primarios *Confessionis Augustana* duces *Calvinistis* apertissimè favere; immò se suosque hac etiam de causâ fuisse *Jenensi* Academiâ expulsos: altis etiam de causis suo Lutheri *Evangelio* tristem ominatur ruinam idque admodum brevì tetricus ille *Sarcerius*, unà cum suis illis Symmistis *confessionis Mansvelden.* varias *Lutheranorum* sectas condemnantis authoribus.

Suis ergo vulneribus jam passim per *Germanias* corruit, aut, ut verius dicam, in pestilentiorem degenerat pestem *Lutheranismus*, Confessione *Augustana* olim orbi propositus; cui sanando, si docta, si sedula medicorum spiritualium accesserit manus, equidem minimè desperaverim, brevi admodum nos lætissimam visuros istius tragœdiæ qua pii omnes propè contabescunt, catastrophen. Si enim hoc morbo laborantibus mansuetè proponantur, candidè aperiantur, apertè exponantur, quibus nova ipsorum doctrina scatet, asystata, nugæ, absurda, calumniæ, mendacia, nullo certè negotio plurimos liceat ad resipiscentiam revocare, atque ad *Christi* Domini ovile palabundos postliminio congregare. Cum enim publico suo scripto dudum *Cæsari Augusto Ferdinando F. M. Francfordia* Anno LXII. exhibito, fateantur ob errores doctrinæ à vobis & *Dom. Pontifice*, id est, à Catholica Dei Ecclesia sese necessariò discessisse, demonstratis istarum 24. causarum (quibus tota fulcitur *Germania*, uti delecti illi *Confessionistarum* patroni aiunt, discordia) ineptiis, calumniis, mendaciis; non fuerit difficile honores, vel mediocriter prudentes, suæque salutis minimè prodigos in certum reducere sanitatis recuperandæ gradum. Videbunt enim perspicuè, allatas contra nos dissidii istius tam perniciosi, totique *Germania* certò exitialis causas in nobis revera non hærere, meramque calumniam esse, quòd in ullo doctrinæ capite hic à deputatis illis Anonymis confessionistarum Theologis atque consiliariis politicis allegato, nos Catholici doctrinam Christi contra Scripturas & Orthodoxorum patrum Sententias depravaverimus, adulteraverimus, prophanaverimus, aut, uti impiè blasphemant, in cultum impium, diabolicum, idololatricum permutaverimus. Quod ut omni semel careret dubio, atque longiùs à cœlo distare terram, quàm hæc à Catholicis sunt aliena, nos in piæ matris nostræ Ecclesiæ *Christi* Catholicæ gratiam, in singulis 24. Antithesewn doctrinæ piæ & impiæ capitibus hic pro virili conabamur toti orbi, & nostræ inprimis *Germania*, patriæ dulcissimæ demonstrare.

Porrò hæc almæ veritatis Evangelicæ lux, etsi omnium clarissimè in Ecclesia *Christi* Catholica in hunc usque diem (Deo Opt. gratia) effulgeat: tamen cur à populis vestræ fidei creditis non liquidò videatur, aut salutariter percipiatur, res duæ, quin potius, si expendatur accuratius, una solum obsistit. *Prior* est ex populi erroribus, quorum caligine mens obfuscata aut recti specie falsa & illusa, verum cernere non potest: *altera*, quæ prioris videtur origo, est ex doctorum, quos ei præficitis aut præfectos toleratis, vita impurâ, quæ non solum vestræ professionis dogmatibus opinionem veritatis detrahit, sed ipsam quoque *lucem* propemodum *vertit*, juxta Evangelicam parabolam, *in tenebras: si lux vestra tenebræ sunt*, inquiebat Dominus, *ipsæ tenebræ quantæ erunt?*

Inprimis igitur danda erit opera perquam sedula non minus quàm necessaria, ut pastorum & doctorum Catholicorum vita ita sit Evangelicis moribus exornata, ne luci Evangelicæ per ipsos propagandæ ullum objiciatur obstaculum. Cum enim ipsi sint *lux mundi* à *Christo* Domino & appellati & constituti, Ecquid, obsecro, aliud necessarium consequatur, quàm ut hoc doctrinæ Apostolicæ fulgore per densissimas vitæ ipsorum impurissimæ fuligines obscurato, si non universâ, certè pleraque tenebræ videantur & imposturæ? Ut enim fax licèt non parum illustris, si fuliginosæ includatur lucernæ, adeo non apparet fax ut propemodum videatur à medio corpore minus diaphano si non extincta, certè minus luculenta: ita & Evangelicæ doctrinæ fulgor, si ab *impuro* diffundatur *lucernario*, minus inclarescit, minus effulget, minus denique illustrat, ut non dicam, haud raro improbos magistrorum Ecclesiæ mores, purissimæ dudum luci densas aspergere fuligines, crassasque subinde offundere nebulas: quibus electus Dei populus aut imitando seductus, aut zelando offensus, veram *Christi Jesu* Ecclesiam deserens, diabolicis sese odio vitandi mali, miser trahit Synagogis. In confesso namque est, nullâ in re tantum sibi adversarios existimare collocatum tum præsidii ad suas damnatissimas opiniones statuendas, nostraque veritatis Evangelicæ dogmata in specie probabiliter convellenda, quantum in istâ impurâ impurorum catholicæ Dei Ecclesiæ magistrorum vita, moribusque doctrinæ nihil minus quàm consentaneis. Si ita esset, uti sacerdotes docent, *inquiunt*, an aliter quàm docent, facerent? Si ita corde crederent sacerdotes, uti ore quidem docent, cur ita viverent? His diabolicis sophismatibus imperita plebecula illusa, vereque ludificata & præstigiis fascinata novos turmatim sequitur magistros turmatim advolitantes, sibi serio gratulata, quòd sibi *auribus*, juxta *Pauli* prophetiam, *prurientibus* contigerint tandem magistri, qui *viam* regni cœlorum docent *spaciosissimam, portamque* vitæ æternæ aperiunt *latissimam*: quæ citra jejunii labores, citra lachrymas, citra sudores, citra omnem denique corporis lascivi ac delicati cruciatum à deliciis ad delicias deducat æternas.

Istis blandiloquentiis, adulationibus, falsisque benedictionibus seductus *tunicatus popellus* mirè sibi blanditur de novi istius Evangelii (quod opinantur infœlices) luce, quæ tam facili compendio, nullo negotio, nullo sudore, nullo labore à vitâ istâ lætissimâ, non vigiliis asperâ, non carnium aut deliciarum abstinentiis tristi, non statis jejuniis tetricâ, non veteris vitæ pœnitentiæ laboribus durâ, aut confessionis onere molestâ, ad vitam transferat immortalem. Quam doctrinam humano ingenio carnalique animæ multò gratissimam ut pro vero suscipiant plurimi, facit, quòd plerosque cum *pastores*, tum *concionatores horumque dominos Canonicos fereque omnes passim Ecclesiastici ordinis Prælatos* vident immò invident, omni rerum istarum terrenarum copiâ beatos, dulci fortuna, opulentiâ non minus quàm poculis ferè quotidianis ebrios; *Neque magis de calcandâ illâ arctâ Evangelii viâ deque angustâ regni cœlestis portâ ingrediendâ, solicitos, quàm sint Epicurei. Etenim ore quidem Christum strenuè admodum, ad sudores usque & ravim prædicant, nullas docendi partes omittunt, Ecclesias D. Pauli exemplo circumvolant, sed ut linum & lanam colligant, decimas comportent, vindemias convasent: ita ut si opus externum cogites, nihil videantur prætermittere, quod Deus Opt. de legitimo pastorum præscribit officio. Contrà si vitam inspicias, suæque doctrinæ vel leniter componas, planè videas eam Evangelicæ neque congruere sobrietati, neque terrenorum contemptui, neque voluptatum carnalium mortificationi; sed veluti mercenarios ventrisque mancipia, & quasi doctrina animo suo nec grata nec ventri commoda, doctores operam suam Christo quidem voce & ore locare, lingua etiam sonare, sed moribus oppugnare, vita contraria vereque epicurea evertere, proterere, proculcare:* adeoque si cum D. *Paulo* verum dicere volumus, factis Deum negare; unde non infrequens hac tempestate *Calvinistarum* inundante, illa & plebeiorum & optimatum vox, *Ecquis possit credere ita sese S. Eucharistiæ habere mysteria, cum talis sit sacrificulorum quotidie post pocula, post oscula, post popinas, & lupercalia, ad aras prosilientium vita? Ecquis istis porcis de angustâ regni cœlestis viâ fidem habeat qui suis cum subantibus suibus fœdissime volutantes, sanctam docent corporum castimoniam? Qui assiduis dediti, immò adobruti poculis, & nonnunquam bis, ter, uno die ebrii, moderatam nobis occinunt sobrietatem, voluptatum abstinentiam, cœlestem denique mundi & corporis oblectamentorum contemptum.*

Istiusmodi exemplis, veris quidem, sed vanis sophismatibus astutiâ sathanicâ capti, abusibus offensi, scandalis sanè gravibus fracti, à veritate quæ in *Christo* est, seducti sunt plurimi, pluresque in horas à *Christo* ad *Belial* turmatim deficere non desinunt, cum *Magistros* sibi accumulant, sive, uti *Paulus* his de temporibus prophetans ait, coacervant. Isti vero quod cujusque palato & auribus prurientibus gratum est, docent perstrenuè, nihil pensi habentes quod nunc contra suum *Lutherum*, nunc con-

tra suum *Calvinum*, immo contra se adeo ipsos docent, modò auditoribus suis grata, & uti est apud prophetam, loquantur *placentia.*

Siquidem in hunc vel illum hominem non majori utuntur fide aut constantiâ, quam dudum in suum Dominum *Christum*. Quis enim nescit, plerosque omnes istos novi Evangelii Magistros ex nobis esse egressos? Annon pastores plerique in sævissimos sunt conversi lupos? Annon plerique facti *Lutherani*: Annon multò plures & illi ipsi *Calvinizant*? Annon quaterni simul Pastores ad fœda spurcissimaque *Anabaptistarum* transfugerunt lustra? Unde ista tanta, precor, gregis Dominici calamitas? An quia Ecclesiæ primates suum negligunt pascere, visitare, curare gregem? An quia suorum pastorum mores non satagunt Evangelicæ doctrinæ conformare, vitamque ad canonica instituta castigare?

Proinde si seriam, aut non simulatam meditamur, Reverendissimi in *Christo* PP. Ecclesiæ, *Christi* instaurationem, ovicularum ejus per Pastores dispersarum congregationem, hæreditatis ejus à vinitoribus dissipatæ, conculcatæ, prophanatæ redintegrationem, ante omnia necessarium esse satis liquere arbitror, prius repurgandos esse *Christiani* Evangelii præcones, Ecclesiarumque vestrarum pastores, quàm solidam vobis polliceri queatis populi vestræ ut fidei crediti, ita & vestris de manibus illo Judicii die requirendi sanitatem, aut cum verâ Orthodoxâ & *Christianâ* doctrinâ concordiam.

Siquidem religio *Christiana* non solum sita est in doctrinâ verâ sed in vita etiam piâ, quæ legibus respondeat Evangelicis; quæ duo ita inter se apta connexaque cohærent, ut & hic locum verissimè habeat, quod de navigio respondit Jurisconsultus; *Si dividas, perdes.* Quid enim aliud futurum, si vita doctoris suæ doctrinæ dissentanea contemnitur, quod magnus ille *Gregorius* prædixit verissimè, quàm ut & doctrina quoque despiciatur? Istud si usquam locum meretur, maximè apud *Germanos* est verissimum; apud quos plus boni mores valent, teste *Cornelio Tacito*, quàm alibi bonæ leges. Quapropter cum jam doctrinæ nostræ Catholicæ ab adversariorum calumniis vindicandæ atque contra horrida novorum errorum monstra propugnandæ ratio sit inventa, totique orbi hic demonstrata, remediumque expositum, quod isthæc perniciosa opinionum dissidia, *Christo* bene propitio, queat consopire, electasque *Christi* Domini oves vobis creditas ad resipiscentiam, ad obedientiam, ad Ecclesiæ unitatem revocare, omnibus velis remisque vobis connitendum, ut hujus rei non minus necessariæ, quàm multò præclarissimæ unum illud semel de medio tollatur impedimentum, quod unà totius orbis *Christiani* voce verissimè acclamante ipsi opponit, *impura cleri vita.* ☞

Quæ nisi ad disciplinam revocetur *Canonicam*, Ecquid profuerit sanctissimos in libris ceu vaginâ extare vitæ *Christianæ* canones; cum *plus* illorum frangat authoritatem *impura, perdita Ecclesiasticorum vita, quàm doctrinæ adversariæ falsitas, aut errorum passim grassantium plausibilitas?* Cujus rei indicium est multò certissimum, quòd errantium fratrum plurimi magis à vero aberrant improbis suorum pastorum, aut clericorum opulentiorum moribus offensi, quàm errorum, quibus jam detinentur captivi, inducti probabilitate. Initio enim à veritate quorundam moribus impuris, aut improbis alienati, magis capiebantur novorum magistrorum vitâ in speciem simplici, avaritiæ omnis aut arrogantiæ nescia, ac verè (uti ipsis tum videbatur) Evangelica, quo laqueo ubi eos callidus ille humanæ salutis hostis, diabolus, intricasset, postea in varios quò libuit, venenatæ doctrinæ impulit atque impegit scopulos. In quibus ceu naufragi ventorum vi jactati, undarumque fluctibus volutati, tum hærere nequeant constantes, nunc hoc, nunc illud sectati impiæ doctrinæ genus, res ipsa clamat, non tam eos esse deploratæ salutis, ut ad salutarem omnibus veritatem in Catholica Dei Ecclesia solùm, uti hactenus semper accensam, ita & nunc relucentem, non possunt revocari.

Tollatur igitur omni studio *unum illud impuræ Ecclesiasticorum vitæ impedimentum*, non defuerit conciliandæ concordiæ *Germaniæ*, atque sarciendæ unitatis Ecclesiasticæ ratio; qua omnes semel Christi oves illud unum ad ovile reversæ, unum etiam agnoscant unius *Christiani* ovilis Pastorem.

Quid enim profuerit vel doctissimos *Christianis* gregibus destinare pastores, si impuri illorum mores doctrinæ *Christi* detraxerint veritatis opinionem? *Dissolutissima Cleri Germanici*, potissimum *Cathedralis, vita omni luxus genere perditissima, annon aliud hominum oculis suggerit, quàm concionatorum vox insonat auribus?* Quòd si ad monasteria, vix suo nomine (proh dolor!) digna, quis digrediatur inspicienda, annon ibi monachorum verè numerus ubi præter nomen & cucullum vix aliquid videas monasticæ aut sobrieta- ☞

tis

tis aut pietatis ? Nolo irridere, sed potius deplorare tacitus, *Concubinariorum gynæcia Cænobitarum sympo'a totum per diem, noctemque profundam protensa* : annon reperiantur qui sibi, ut quidem opinantur, solis, totos alunt concubinarum greges ? Non unam aut alteram, sed *ternas* dico atque *quaternas*.

Annon sunt, qui beneficiorum nundinationibus ditantur, de die bis, ter ebrii ; de nocte (pudet dicere, quoties) variis cum amasiis sponsi ? Annon ad tremendam angelis, divinam aram, accurrit *Biberius*, qui pridie vino aut semisapida ingurgitatus cerevisia ; publicè Galliardam spectante, ridenteque, suam missam populo assolet tripudiare ? Annon reperti qui mane sacris operati mysteriis à prandio histrionicam scurræ lepidi in orchestra saltabant fabulam ? An ullo passim hominum etiam vilissimorum, ordine tam immoderati existunt lurcones, tam ingentes voragines, tam inexplebiles bibones, atque merones, quàm in Canonicorum collegiis atque monasteriis, olim veræ sobrietatis atque omnis pietatis officinis ? An denique nobis exempla desint *Tricongiorum*, qui nocturnâ crapulâ saturi, immò saburrati in tremendo Dei Opt. Max. altario, per auroram agunt (ubi vel ructare foret turpissimum) quod *Romanus* ille magist. Equitum, *Antonius* homo nequissimus in conspectu Pont. *Rom.* ut vomentes frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum & totam (proh facinus abominandum ! tremendam Dei Opt. Max. aram impleverint ? Plura omitto, (nam & ista paucula *virtutis clericalis* emblemata diu animo dolenti pressa, invitus retuli : quo suis vel tandem à censoribus cleri patribus sanè indulgentissimis aliquando castigentur pro meritis) ad alia magis necessaria transiturus.

Siquidem de templo malum omne, ut & bonum, in populos profluit, teste *Chrysost.* Com. in *Matt.* c. 21. Ubi enim sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia foret ; sin autem corruptum fuerit, omnium fides & virtus marcida est. Sicut cum vides arborem pallentibus foliis, intelligas quòd vitium habet in radice : sic cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce quod sacerdotium non est sanum. Quod Apophthegma D. *Chrysostomi* si unquam fidem meruit, aut usquam locum habuit, nunc inprimis apud *Germanos* meretur fidem. Verùm quia res in confesso est, nos de mali hujus ex arboris Ecclesiasticæ quasi radice prognati remedio laboramus soliciti. Hoc unum igitur, quod diximus, Ecclesiasticæ pacis *Germanicæ* in una *Christi* fide verè evangelicâ concordiâ impedimentum in vitâ Ecclesiasticorum impurâ sive improbâ situm, nullo tolletur negotio, si ille omnium malorum fons semel obturetur, avaritia ; scelerata, inquam, illa avaritia, sacrilega isthæc *auri sacri fames, omnium malorum*, teste D. *Paulo, radix* : quæ aut pastores instituit indoctos, ineptos, improbos ; aut pastoribus Decanos præficit minus pios, & idoneos, ac *magis quæ sua, quàm quæ Christi sunt, quærentes*.

Si tales ergo per provincias destinentur visitatores, qui secundum sacros Ecclesiæ canones, legitimos constituant populis pastores, doctrina pastorali officio digna eximios, pietate conspicuos, vitæ puritate irreprehensibiles, illustris subitò quidam orbi cœlitus affulgescet almæ veritatis splendor, qui offusas illas dudum commemoratas quorundam impiorum studio humanæ doctrinæ caligines facilè diffluere faciat, veréque suas in nebulas evanescere. Quod consilium si seriò fuerit, qua poterit, diligentiâ atque constantiâ adhibitum equidem nihil dubitaverim mox lætiorem *Christianis* per *Germanias* Ecclesiis faciem redituram.

Proculdubio enim longè verissimum habendum est, Deum pacis nobiscum fore, si nos divina ipsius voluntati filios præstiterimus morigeros. D. *Paulus* afflictis fratribus nostris *Philippensibus* divino pollicetur oraculo, Deum pacis ipsis affore, si cogitarent *quæcunque vera, pudica, justa, sancta, amabilia, bona fama, sive laudabilia, siqua denique virtus, siqua laus* disciplinæ.

Adhæc, quæ didicistis, inquit, *& accepistis, & audistis & vidistis ; hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.* Hanc *Paulinam Christianæ* reformationis formulam, plenius uberiùsque per sacrosanctum *Concilium Tridentinum* dudum explicatam, si Reverendissimi D. Episcopi collegæ, ex animo minimè simulato primum nobis ipsi præfigamus, moribus vitaque inculpata eam exprimentes ; deinde charissimis fratribus nostris à *Christo* Domino fidei nostræ ad pascendum, erudiendum, salvandum commendatis, tandem nostro imitandum exemplo proponamus : mihi quidem nihil dubii sit, Deum pacis atque concordiæ nobis affuturum. Suâ enim ipsius plusquam maternâ in nos victus pietate, copiosissima suæ benignitatis propitius effundet viscera, largissimaque cœlestis sui Spiritûs veritatis ac pietatis omnis magistri, beneficia : quibus orbis terrarum ditatus ita inopinatè beabitur, ut lætissimi videamus quòd *convertet miserrimam plebis suæ captivitatem verè Babylonicam, sicut torrens in austro* : ut unum omnes uno tandem sub pastore *Christi* Vicario efficiamur ovile : verissimum namque opinor, quod ad-

adversarii licèt ore dictum legimus, *Schisma non tollendum, si differatur reformatio.*
Proinde vos Reverendissimi Patres & Illustrissimi Domini & ad unum omnes *Germanici* Imperii Ordines Ecclesiastici, per *Christum Jesum* Dominum nostrum, oro atque obsecro, ut nostræ vocationis Ecclesiasticæ, functionisque Apostolicæ ex animo memores, oculos, eheu! nimium diu sopore gravi depressos, vel tandem & quod hactenus aliis nescio quibus negotiis impediti, accuratè non satis præstitimus, nunc alacri aggrediamur animo compensare, vigilantiorique studio resarcire, emendare, instaurare.

Et paulò pòst:

Si enim *Mosaicus* ille sacerdos *Levitaque Judaicus Christo* Judice vacui erant expertesque charitatis *Christianæ*, citra quam ut nullus salutem æternam impetrare, ita nec regnum Dei intrare queat; ecquas nobis, fratres, per Deum immortalem credimus paratas apud inferos candentes rotas, catastas horridas, ignitos equuleos, ardentium pice ac sulphure ignium globos, quibus istam immisericordiam æternùm luamus, inclementiam pendamus, inhumanitatem expiemus?

Siquidem illos sola in hominem, & eum ignotum, adeoque alterius religionis negligentia fecit reos: Nos verò præter supinam, eamque in filios nostræ fidei creditos negligentiam, etiam infirmos in fide *Christi* fratres, quorum lino ad pompam gloriosissimè vestimur, lanâ mollissimâ luxuriamur, vino præstantissimo inebriamur, quotidianis non desinimus offendere scandalis, ad orcum illos infœlices magis atque magis, datâ quasi opera, urgentes, ac tantum non præcipitantes. Quare si sapimus, temporì nobis consulamus ut piam illam *Samaritani* Evangelici misericordiam imitati, de equo nostro descendentes, hoc est pomposis seculi hujus pereuntis negotiis, phaleratis nugis, blandientibus mundi sua mole corruentis voluptatibus, vanisque deliciis nuncium remittentes ac seculari principatui secundas habentes, ut Ecclesiasticæ ancilletur dignitati; ancilletur, inquam, non dominetur, ad illas *Christi* Domini oviculas humi stratas, veræ fidei pallio spoliatas, pestilentium errorum vulneribus dirè saucias, hæresеon plagis horribiliter vexatas, ac plusquam semimortuas, immò tantum non trucidatas (quia à vitæ fonte *Christo Jesu* verè separatas) alacriter visitaturi accurramus.

Deinde paternæ illis exhibituri pietatis officia, dira illa vulnera ipsorum animabus errorum virulentiâ, & à latronibus istis animicidis schismaticis atrocissimè inflicta, lenissimæ atque benignissimæ admonitionis oleo confoveamus, vino severæ acriorisque correptionis mordicemus, denique fascia Evangelicæ charitatis, quæ *vinculum est perfectionis* æternæque salutis & incolumitatis, sic obligemus atque obstringamus ut vitalis sanguis totus (eheu!) propemodum, diris illis vulneribus profusus, tandem sistatur, ne perpetuo fluxu tabescentes pereant: Quibus præparatoriis seriò adhibitis, licebit nullo negotio fratres, immò filios nostros, vel semineces jumentis impositos, id est, orationum nostrarum fulcro quasi nixos & suffultos in optatum hospitium, veramque Dei domum, Ecclesiam *Christi Jesu* Catholicam, reducere, ac solidissimis instructionibus de integro in pandochæo *Christo* Domino, ejusque Spiritui *Paracleto* tradere atque committere curandos, suaque unctione internâ perfectè sanandos.

Istud autem certissimum medicamentum multò saluberrimum, fratres & filii vestræ fidei crediti, ne non admittant unum; vereor, ne quid dissimulem, obstiterit, quod in Evangelio *Christus* Dominus prudenter admodum cœlestis suæ medicinæ ministros admonuit, puta ne alios dum curare volumus meritò illud audiamus vulgi proverbium, *Medice, cura teipsum*: quo cavendum docet ne præposterâ diligentiâ prosiliamus alios sanaturi, ipsi inprimis aut helleboro, aut cauterio insigniter egentes. Rursus ne festucam de illorum oculis sublaturi, audiamus & illud, *Ejice primum, Hypocrita, trabem de oculo tuo.* Oculos igitur nostros ab omni sordidæ avaritiæ glaucomate, velut *pharisaica* illâ trabe, primi à nobis reformationis telam exorsi liberemus: animos omni noxiâ scandalosæ cupiditatis, carnalisque voluptatis suffusione repurgemus, ut toti lux verè Evangelica in Domino facti, totum quoque corpus Ecclesiæ lucidum, clarum, illustre perspicuo nostræ piæ vitæ exemplo reddamus, gratoque salis Evangelici sapore condiamus, ejusque acredine adversus funestam ac tetram grassantium errorum tabem obmuniamus: Hac enim ratione singulare illud promerebimur eloquium, quod nostri honoris causa *Christus* suis tribuit Apostolis, *vos estis lux mundi, vos estis sal terræ*: quorum ut loco in Ecclesiis stamus, ita & piam in *Christi*

oves

oves solicitudinem oportet æmulemur, justam diligentiam in procurando grege Dominico præstemus, officiosam sedulitatem Apostolicâ nostrâ functione dignam populo Dei nobis quoque credito exhibeamus.

Tum demum de illorum electorum suorum pastorum numero erimus, qui lectissimum *Christi* Domini gregem secundum cor Dei pascunt in doctrinâ, judicio & justitiâ. Sic enim de charissimis Deo Opt. Max. oviculis *Christi Jesu* sanguine redemptis, non modò hâc tempestatis nebulâ in omnem impietatis collem, in omnia errorum avia, horridaque hæresiarcharum spelæa dispersis, dissipatis, errantibus, sed etiam ab omni ferâ, agri Dominici dirum sanè in modum dilaniatis, horribiliter vexatis, atrociter excarnificatis, tantumque non devoratis, tandem semel requirendis, congregandis, visitandis, agnoscendis, pascendis, sanandis, pristinæ sanitati optatæque incolumitati reddendis, dignè cogitabimus, idoneaque remedia & prudenter constituemus, & salutariter, uti evangelicos decet, pastores adhibebimus.

Tunc enim animi oculis nostris illo cæcutientis avaritiæ glaucomate liberatis, atque cæcâ carnalis voluptatis lemâ expurgatis, licebit patulâ depuratæ mentis aure illam Domini vocem cuilibet hujus Apostolici ordinis dictam exaudire: *Ego constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.*

Exeamus igitur tandem, eja fratres in Dom. charissimi, exeamus ob ista otiosa, imò vanis lusionum, venationum, compotationum laboribus negotiosissimâ vitâ, in agrum sive vineam Dominicam; videamus cum sponso illo, an floruerint vineæ: an potius de vestra vineâ idem pronunciabit vineæ Dominus Deus *Sabaoth* quod jampridem de illa Judaica, *Expectavi* ut faceret botros, & fecit labruscas. Videamus, annon loco vini Deo hominibusque longè gratissimi, & copiosè in totum terrarum orbem de vineâ *Germaniâ* pietate verè *Christianâ* pridem illustrissimæ ac fœcundissimæ fusi, nunc provenit quod de suo mœstus admodum prædixit gentili populo amicus Dei *Moses*, *De vineâ Sodomorum, uva eorum; & de suburbanis Gomorrha uva eorum uva fellis & botrus amarissimus; fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

Sed undenam hæc obsecro? an aliâ de causâ, quàm quòd vinea illa *Soreth* Domini *Sabaoth* olim electissima, nunc vinitorum incuriâ, neglectu, cultuque negato, est versa in labruscam? Certè cum alia verior nequeat adferri causa, nunc vos Deus Opt. Max. hac tempestate calamitosissimâ suæ præfecit ad tempus quoddam vineæ instaurandæ, repastinandæ, colendæ; ut vos spinas evellatis, rhamnos eradicetis, labruscas exscindatis; deinde novella avitæ illius veræque Apostolicæ originis plantaria denuo plantetis; ubi aquilonaria frigora vel totam Domini vineam afflixerint vel suâ uredine adustularint: denique ubi eversum est illud *Davidis* Tabernaculum à *Christo*, juxta prophetias etiam per *Germanias* piorum prædecessorum vestrorum operâ ante annos plus minus 800. erectam, ut vos edificetis, instauretis, exornetis. Seriò igitur in primis vobis cogitandum de justissimis iræ istius divinæ in *Germaniam* nostram dirum in modum effusæ causis semel tollendis, de collapso *Davidis* tabernaculo erigendo, de confractis ejus instaurandis, de ruinis fulciendis, de reliquiis colligendis, de oviculis denique *Christi* Domini sanguine redemptis, vexatis, dispersis, dilaniatis, tantúmque non devoratis, tandem semel colligendis, visitandis, pascendis, sanandis atque vivificandis.

Ad ista Pastoris verè Evangelici officia pium quemque suæ salutis non oblitum, nunc temporis illa vox *Domini exercituum* excitare debet, qua horribiliter sanè apud Prophetam omnibus negligentioribus dirum comminatur supplicium.

Quia non pascebant (inquit) *gregum pastores, sed seipsos pascebant, faciam ut non amplius pascant.* Divinam hanc comminationem jam nunc vobis non exiguâ ex parte ipsis, proh dolor! rebus completam esse, ipsi videtis, maximoque proventuum annuorum incommodo sentitis, & suavissimorum vinorum, ac vinearum uberrimarum detrimento, indolescitis. Sed nisi justissimam Dei Opt. Max. iram jam in vos effundi cœptam diligentiori atque canonicâ officii quisque vestri Ecclesiastici præstatione studueritis avertere, levatamque in vos Dei manum sistere, grassantem etiam furorem cohibere; futurum planè est, ut vobis totam *suam tollat vineam, & aliis eam tradat vinitoribus, qui fructum suo Domino optatissimum suis pendent temporibus*; imò, ut ne dissimulemus adulando, aut palpando, quod Dei nomine *Ezechiel* addit severius, *faciet ut non amplius gregem Dominicum pascatis.* Quam Domini Dei vocem cum & *Gallia* vobis germanissimæ, ô proceres Ecclesiastici & Pastores gregis Dominici, æquo minus exhorrescerent atque minus quàm par fuit animadverterent, annon simili planè obruti sopore, vineæque Dominicæ neglectu, suis indormientes voluptatibus, pompis, nugis, venationibus, otioque ignavissimo, & fastui aulico, severiter admodum furorem Domini jam per annos viii. experiuntur? si à domesticis suis hostibus, imò cognatis & fratribus tam repentino incendio fuere

fuere minimo minus absumpti; ecquid spei illis, obsecro, superfuisset reliquum, nisi externo unius Serenissimi Regis *Philippi*, vere *Catholici*, præsidio ex *Hispaniâ* verissimè, ut ille ait, principibus fœcundâ viris, & nostrâ *Belgicâ* submisso, auroque *Indiano* immenso in menstrua stipendia suppeditato, fuissent suffulti, propugnati, conservati?

In tam præclaro tamen auxilio, licet illustriss. Dux b. m. *Carolus Guisius* Ecclesiasticis divinâ contigerit providentiâ, qui ex animo justissimas ipsorum partes heroicâ fortitudine propugnaret, annon per *Gallias* primo tumultu illo, *Evangelicorum* videlicet hominum, periêre supra sacerdotum sex millia? ut nihil de plebis latrocinio, nihil de mutuâ partium lanienâ, nihil de hujus brumæ acerbissima omnium calamitate nunc dicamus.

Meministis, opinor, plerique omnes Illustriss. D. *Germaniæ* proceres Ecclesiastici, alia abhinc annis 40 seditiosi *Lutheri* ceu *Bellonæ* classicum canentis ore concitata in vos pericula: quæ si sese intra destinatas quasi metas & carceres, id est, intra solius Cleri spolia ac templorum prædam continuissent, ecquid vobis erat futurum? donec temulenti illi rustici, furiosi, vestrique odio rabidi, templa, sacraria, monasteria spoliabant, vastabant, ignibus cremabant, sanctimoniales stuprabant, monachos, & sacerdotes vexabant, opprimebant, mactabant, nullus fuit qui super Contritione condolesceret, nisi ubi politici homines, sibi suisque eadem impendere pericula prudenter tandem animadverterunt; imò illatis cladibus cædibusque commune exitium imminere atque jamjam intentari adeo senserunt.

Etenim ubi & sui ordinis viros trucidari, nobiles ad lanienam rapi, imò illustres Comites per hastas atrociter agi viderent, tunc demum experrecti, atque à dulci illo spectaculo quod in clericos tantum, moribus exosos, & opibus invisos sævierat, ad sua pericula præcavenda & amolienda converti, seria meditari consilia, armatas illis opponere legiones, furiosos suos in miseros rusticos ligarum suarum fœderumque mittere cataphractos.

Quòd si tam exiguum atque serotinum, aut, si verum dicere licet, tam infidum vobis tunc fuit vestris à *Germanis*, immò carne & sanguine cognatis, fratribus, parentibus, sacrosancto etiam fœdere confœderatis submissum auxilium, dum omnibus eadem esset religio, una fides, unus *Christianæ* pietatis cultus atque professio: an vobis nunc audetis ab eisdem tuta polliceri auxilia aut necessaria subsidia? Sed his aliò repositis atque vestræ prudentiæ commendatis, ut saluti vestræ ipsi in tempore consulatis, ecquid, obsecro, jam in posterum vobis solidæ atque tutæ superest spei ut diutius istum Dominicum pascatis gregem, si justus ille Judex, fortis & patiens, novam (quod pius avertat Deus, amoliaturque propitius) sinat insurgere adversus vos procellam? an jam ullum ex *liga* illa *Suevica* salutare, uti tunc, vobis aderit præsidium? an vos vestris ex opibus idoneas illis objiciatis copias, sed quales sint futuræ, f. quàm fidæ, quàm in vestri propugnationem vobis seriò devotæ, notius est quàm ut sit commemorandum.

Interea enim dum nullum fuit gliscenti malo isti intestino veréque internecino remedium salutare adhibitum, immò & quod ad tempus videbatur piâ *Caroli V. A.* operâ (perquam seria, utinam & tam fœlici) domesticos motus sedaturum, violenter etiam fuit abruptum, in pejorem statum dilapsa omnia, majorque domi increvit hostium numerus, & validiores eis accessere indies (idque ex vobis) opes simul & copiæ. Porrò quam sint pauci & hic & alibi, qui vobis ex animo omnia vestra volunt salva, dies ipsa docet perspicuè.

Quod si hæc intestina discrimina, periculaque internecina vos minus terrent, necdumque ad officium legitimè præstandum adigunt, oculos tandem, obsecro, aperite, ac semel vigilanti tandem animo contemplamini, quibusnam hostibus non modò undique estis cincti, sed intus etiam obsepti, ac tantum non obvallati? Sunt Principes nonnulli, fateor, qui ex animo vobis condolescunt; sunt qui vicem vestram, sortemq; multo miserrimam non possunt non indolescere: sed, uno aut altero aut summum tribus aut quatuor exceptis, quotusquisque est in orbe terrarum, qui vel teruntium unum vestræ salutis conservandæ causâ insumat, nedum militem vobis præsidiarium peregrè submittat? Jam communis ille omnium hostis, *Turcarum* sive *Mahometanorum* Imperator, quanto salutis discrimine vobis inhiet tantâ dissidiorum labe nunc bis dissipatis, luxatis & propemodum fractis, quis est qui nesciat?

An istos infestissimos religionis *Christianæ*, aut saltem Christianorum hostes aliud esse certè cogitamus quàm justissima irati Domini flagella, nostris frænandis, castigandis, expiandis flagitiis divinitus excitata? Certè * *virga furoris mei Assur*, ait Dominus, *& baculus ipse. In manu eorum indignatio mea: ad gentem fallacem, fidei immemorem atque desertricem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi ut auferat spolia & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum*: quod uti *Judæis* historicè contigit, ita nobis, quorum

* Isai. 10. 5, 6.

quorum ille populus fuit typus, uſuvenire quotidiano (proh dolor!) diſcimus, adeoque infœlici experimur exemplo.

Plurimas jamdudum hac memoriâ ex *Romani* Imperii populo miſerrimas fratrum noſtrorum abegit *Turca* prædas, ſpoliavit regna, diripuit, immò ſubjugavit provincias veſtris ovilibus aut ſocias aut vicinas: unde merito verendum, ne tandem ad vos uſque ferus hoſtis perrumpat, pervadat, voſque ipſos poſſideat.

Diu admodum divina clementia perditos Cleri *Torpatenſis* mores tulerat; diu admodum viciniæ gentis flagitia toleràrat; diu admodum *Lutheranizantis Livoniæ* populi blaſphemias perpeſſus fuerat: ſed completâ ipſorum malitiâ barbarum illum *Moſchum* hoſtem immiſit ferociſſimè, qui non ſolum tyrannide oppreſſit, ſed horridâ internecione florentiſſimam gentem ferè totam ſtravit, jugulavit, mactavit. Cum eadem igitur ſint *Germaniæ*, aut ſaltem magnæ *Saxoniæ* noſtræ impia merita, eadem in pios Dei cultores flagitia, eadem denique in Dominum Deum blaſphemia, an alia ſit piis omnibus Deum judicem, longanimem quidem, ſed juſtum vindicem timentibus, expectanda cataſtrophe? Quæ quàm ſit nobis vicina, quámque capitibus noſtris præceps impendeat vereque urgeat, non eſt difficile conjicere, quibus animi oculos, rectæque mentis arbitrium cæca mundi ambitio, aulæ adulatio, aut vana hujus brutæ carnis oblectamenta ſuis præſtigiis non totum eripuerunt.

Proinde vigilandum vobis, ô proceres Eccleſiaſtici, *Romani* imperii per *Germaniam* principes, ut hunc *venientem Dei gladium*, uti ait propheta, *certiſſimumque iræ furoris Domini nuncium in populum fallacem*, ſive (uti eſt apud *Septuaginta*) ἄνομον, exlegem, prævaricatorem, perfidum, fideique olim datæ oblitum ac deſertorem, ſive (uti ait D. *Hieronymus*) qui inter me & idola ſemper claudicat, amiſſum, veſtro quiſque pro officio annuncietis, ne fortè ob ſilentium perfidioſum, illorum ſanguis veſtrâ de manu requirendus, illo ſeveriſſimi Judicii die exigatur.

Nota enim eſt iræ divinæ cauſa, innumeræ iſtæ ſectariorum in Deum Opt. Max. & *Chriſti* Domini ſacramenta, carnem, mortem, crucis meritum, ipſamque adeo SS. Trinitatem blaſphemiæ, novo iſto * pſeudo-evangelio in *Germanias* invectæ, quas flagitia omne genus, & publica & privata, uſuræ bis propè centeſimæ, atque *Judaicis* multò iniquiores, adulteria, latrocinia, rapinæ, ſacrilegia, inceſtus, ſunt comitata, ut non ſolet Religionis ſubverſio, niſi pernicioſiſſimas animabus corporibuſque advehere labes, diraſque bonorum omnium peſtes: Nihil hic de quotidianis *populi noſtri* facinoribus, ebrietatibus, commeſſationibus, nihil de Cleri gulâ, ambitione, divinorum neglectu, beneficiorum nundinatione, officiorum annuâ elocatione, luxuriâ, vitaque perditiſſima. Ob has animorum peſtes, flagitia, ſacrilegia, ſcelera, nefariaſque in Deum hæreſiarcharum blaſphemias, cum *veniat ira Dei*, teſte *Paulo*, *in filios diffidentiæ*, ἀπειθείας, contumaciæ, inobedientiæ, incredulitatis atque perfidiæ, immò cum jamdudum ſint illæ flagellorum *Apocalypticorum* phialæ in *Germaniam* effuſæ (omnia enim illa quæ meritò patimur, ac jamdudum paſſi ſumus, operatus eſt furor Domini, & adhuc manus ejus ſuper nos extenſa eſt) veſtrum eſt aſſiduam dare operam, ut à vobis Canonicæ reformationis telam orſi, iram Domini poſſitis, dum hora eſt, ſedare atque placare. Equidem dolens dico, gemenſque denuncio (libet enim verbis D. *Gregorii* nunc uti) *quia Sacerdotium apud vos jam intus cecidit, foris diu ſtare non poterit. Non eſt tamen Dei optimi manus abbreviata, ut ſanare nequeat*; ſed tollantur tantum peccata, ſcandalaque publica illa nefaria, quæ inter nos & ipſum dividunt, quod veſtra nunc inprimis à vobis poſtulat officii Eccleſiaſtici ratio. Ut enim olim ſummus ille Sacerdos *Aaron*, arrepto (prout ſacerdotale flagitabat officium) thuribulo inter vivos ac mortuos orando furorem Domini in *Iſraelitas* accenſum extinxit; ita & vos adhibitis jejuniis, & privatis & publicis, cum orationibus atque litaniis, propitiatorioque ſacrificio Deum patrem clementiſſimum facillimè placabitis (hac enim ratione exoratus largietur) ut vobis veſtroque, immò ſuo longè chariſſimo, gregi propitius graviſſima iræ ſuæ juſtiſſimæ flagella avertat, benignuſque deſertum prope atque ſubverſum tabernaculum *Davidis* reſpiciat, ſuoque populo unum cor, unam fidem, unam denique ſui nominis confeſſionem reddat; quo tandem unum fiat ovile, unuſque omnibus præſit (ut à diebus antiquis) paſtor qui paſcat in juſtitiâ & judicio. Quod quia ſperari non poteſt niſi omnibus veſtris oviculis una quoque reddatur fidei doctrina, eiſdemque artibus inſtauretur, colligatur, conſervetur *Chriſti* Eccleſia, quibus iſthic eſt olim exorta, alita & hactenus conſervata, nos Dominici gregis zelo accenſi, hoc ſecundo *Apologetici* noſtri Tomo vobis, Reverendiſſimi in *Chriſto* Patres, dedicato, divinam catholicæ noſtræ Eccleſiæ doctrinam adverſus hoſtium tela, morſus, diraſque calumnias defendere

* Impudentiſſimè dictum & ſceleratiſſimè; quaſi non contentus fuiſſet *Lindanus* vitioſiſſimos *Cleri ſui* mores veraciter depingere, quin melioribus *Chriſtianis* fallaci & laſcivâ linguâ inſultet.

dere ſtudebamus, non tam vobis, quàm paſtoribus veſtris hac in parte conſulentes. Dabitis igitur veniam, Reverendiſſimi DD. ſi veſtrâ fortè patientiâ abuſus, ea attulero, quæ vos ingenio veſtro (quo plurimum præſtatis) vel judicio (quod eſt pleriſque acerrimum) vel ſtudio (quod eſt quibuſdam ſingulare) eſtis facilè conſecuti. Sed rudioribus lectoribus atque piis & ſemidoctis paſtoribus non parum adferat fortaſſis hoc opus præſidii ſimul & ſolidioris judicii ad controverſias hujus tempeſtatis dijudicandas, orthodoxè dirimendas, ſive (uti *Paulus* loquitur ὀρθοτομεῖν) rectè ſecandas & definiendas.

Hinc enim liqueat nos, majoreſque noſtros Epiſcopos nihil novæ doctrinæ in Eccleſias invehere, nihil ſuperſtitioſum aut impium, nedum idololatricum *Chriſti* Evangelio admiſcere, non denique novum (uti calumniantur anonymi *Confeſſioniſtarum* patroni) *Chriſtianiſmum Germaniis* peperiſſe: ſed SS. Patrum noſtrorum veſtigiis conſtanter inſiſtentes, antiquum *Chriſti* Domini Evangelium obtinere, ac ne latum quidem culmum ab illâ * Apoſtolorum doctrinâ initio per *Germanias* totumque orbem *Chriſtianum* concorditer traditâ diſceſſiſſe, aut deflexiſſe; nedum degeneraſſe, aut quippiam depravaſſe; quemadmodum ex inferioribus candido Lectori fiet luce quavis meridiana magis perſpicuum.

* Hoc tam ridiculè garris, *Lindane*, quàm illud impudenter: aliqua enim eſſe *Romanæ* Eccleſiæ dogmata quæ ex doctrinâ Apoſtolorum aſtrui nequeunt, fatentur te longè doctiores Theologi Pontificii; & fatentur hoc ultrò, quia frontem & cor, quibus tu cares, habent.

Quo autem noſtrum vobis commendaremus pro concordiâ *Germanicâ* ſtudium hunc alterum *Apologetici* noſtri pro religione orthodoxâ tomum vobis, Reverendiſſimi in *Chriſto* Patres atque Illuſtriſſimi Domini, dedicare placuit.

Tibi verò nominatim, R. P. *Ottho Truchеſſi, Auguſtanæ* Antiſtes, ſingulare *Germaniæ* noſtræ decus, ac ſtudioſorum Theologorum *Mecænas* eximie, non tam ut noſtrum in te de nobis præclarè meritum orbi conteſtatam faceremus benevolentiam, quàm ut pium iſtud pectus, quod concordiæ Eccleſiaſticæ amore jampridem flagrare novimus, noſtra quoque oratione, licèt ſubruſticâ atque languidulâ, ad ardentius efficiendæ pacis hujus ſtudium inſtigaremus.

In quod opus longè ſanctiſſimum, ſi alii Collegæ pari fide, pari zelo, pari ardore, toti incumbere dignarentur, nihil equidem ambigo, quin brevì totus orbis lætiſſimam *Germaniæ* noſtræ de religionis avitæ reconciliatione, fideique reverà Evangelicæ concordia gratularetur cataſtrophen; quam ut Deus Opt. Max. noſtris largiatur temporibus, *&c.*

CLEMENS VII. Pont. Max. CAROLO V. Cæſari.

QUàm multa & magna in te mea conſtent officia ac beneficia, *Carole Cæſar*, minimè te latere arbitror: Nam & oblatas à *Galliæ* Rege conditiones valdè luculentas, in ſolius tui gratiam me repudiaſſe, & capto Rege centum aureorum Millia præfectis militum certâ conditione dependiſſe, & adverſariorum conſilia non ſemel tibi patefeciſſe: Denique (ut omnia alia prætercam) tunc, cum in arce *Mediolani Franciſcus Sfortia* à ducibus tuis obſideretur, magnis quibuſdam viris ad fœdus me invitantibus minimè ipſum auſcultaſſe haud ignoras: pro quibus omnibus peſſima jam à te mihi refertur gratia: nam primò à quodam milite tuo permagna tum mihi tum Eccleſiæ *Romanæ* allata eſt contumelia & calamitas: deinde neque conditiones impleri, neque pecuniam eo nomine datam mihi reſtitui animadverto. Quàm alieno etiam ſis erga me animo, vel inde ſatis apparet, quòd quibus conditionibus cum *Galliæ* Rege tranſegeris, occultum mihi eſſe voluiſti, quòd meas pro *Sfortiâ* deprecationes interceſſioneſque obſtinatè rejeciſti; quòd denique per *Hiſpanias* & *Neapolim* leges tuliſti Eccleſiæ *Romanæ* libertati, meæque dignitati planè contrarias, ut taceam miſſo ad obſidionem *Maſſiliæ Borbonio*, novum à te bellum per *Italiam* excitatum eſſe.

Quibus ſanè de cauſis, fœdus ipſe quoque cum nonnullis, qui & *Italiæ* quietem & Rempub. amant, inire coactus ſum: quòd ſi tu quoque pacem amplecti vis, rectè: ſin minus, non mihi defuturas eſſe vires & arma, quibus & *Italiam* & *Romanam* Rempublicam defendam, omnino ſcito.

Rom. anno 1525.

CAROLUS V. *Rom.* Imperator CLEMENTI ſept. Pont. Max.

PRædicas tu quidem multis verbis ſingularia tua erga me beneficia & officia, beatiſſime pater: ſed mea in te merita interim non agnoſcis & egregiè diſſimulas: Neque enim ignorare potes & interceſſione meâ auxilioque te factum eſſe Pontificem, & cum eſſem renunciatus *Cæſar*, non me aſſenſiſſe prius, quàm *Leo* X. Pontifex electionem ratam haberet, ac ſimul jus regni *Neapolitani* mihi tribueret. Quàm varia verò tu unà cum *Alberto Carporum* Principe contra me molitus, & quàm ſtudioſè, facto cum *Gallis* fœdere, totus in hoc incubueris, ut mihi *Neapolim* atque *Siciliam* adimeres, ſatis tibi conſcius es. Facta deinde temporum commutatione cùm *Galli Rhegium Lepidi*, Pontificiæ dignitatis oppidum, fruſtra tentaſſent: Copiis adjutus *Leonis*, Regi *Galliæ* bellum me feciſſe meminiſti, quo quidem in bello *Leonis* ipſe fuiſti legatus, & muneris loco penſionem annuam à me tunc accepiſti, ex Archiepiſcopatûs *Toletani* proventibus, aureorum millia decem. Profligatis deinde ex *Italiâ Gallis* ductore *Borbonio*, minimè equidem illi denegare potui, quo minus in *Galliam* arma ferret; ut ea quæ Rex ei propter defectionem ademerat, recuperaret: obſidione verò ſolutâ *Maſſilienſi*, non niſi tuo impulſu bellum in *Inſubria* Regem renovaſſe plerique confirmant.

Fateor ſanè regnum *Neapolitanum* in tuâ clientelâ eſſe, veruntamen ſi bellum iis locis feciſſes, hoc eò pertinebat ut jus omne ejus amitteres. Etenim quibus de cauſis beneficium collatum *cliens*, iiſdem planè de cauſis *Patronus* etiam dominium amittit. Antequam Rex caperetur, de pace quidem interceſſum abs te fuit, ſed hoc agebatur ut ſub ſpecie ſequeſtri & depoſiti, *Mediolanenſem* agrum occupares: ideoque *Veneti*, & *Florentini* copias auxiliares, quas debebant ex fœdere, tuo nimirum impulſu meis ducibus ſubtraxerunt. Nam & *Galliæ* Rex profitetur palam quòd abs te ſolicitatus, antequam ex *Hiſpaniis* domum rediret, novum fœdus inierit, & indicio cognovi te ſolviſſe illum à jurisjurandi vinculo quo mihi tenetur: Deinde bellum intuliſti prius quàm literæ, quibus illud denuncias, mihi eſſent redditæ, & eo ſpectaſti, quomodo non ſolum *Italiâ* totâ me depelleres, verumetiam ab Imperii dignitate dejiceres: Hoc enim *Ferdinandi Davali Piſcarii* literis docere poſſum, quem in hoc fœdus ſolicitaſti, promiſſo regno *Neapolitano*.

Principatum *Mediolanenſem* non una de causâ mihi poſſum vindicare; ſed tamen *Italiæ* quietis causâ *Sfortiæ* poſſeſſionem ejus permiſi; cumque graviter ille decumberet ex morbo, *Borbonium* ei ſubſtituere volui, quòd hoc tibi cæteriſque per *Italiam* gratum eſſe viderem. Cur autem in arce *Mediolani* circumſideretur *Sfortia*, cauſa fuit quòd tecum inito fœdere, læſæ majeſtatis crimen perpetraſſet, quòd patefactâ conjuratione, nec arcem *Cremonæ* nec *Mediolani* meis præfectis reddere, neque ſe purgare de criminibus, aut cognitioni ſiſtere vellet. Tuum erat poſtulatum, ut prorſus ei condonarem omnia; ſed id neque potui, neque certè debui, ne peſſimo exemplo *beneficiariis* in *Patronos* delinquendi feneſtram aperirem. Si milites mei commeatum & reliqua neceſſaria ſumpſerunt à *Parmenſibus* & *Placentinis*, mirum id videri non debet; quoniam urbes illæ ſunt ditionis *Mediolanenſis* & minimè omnium ad Eccleſiam *Romanam* pertinent. De pace cum *Galliæ* Rege factâ tuos Oratores nihil celavi, conditiones enim ejuſmodi ſunt, ut occultas eſſe minimè velim: Nam & ad publicam pacem, & ad coercendos *Chriſtiani* nominis hoſtes pertinent. Leges nonnullæ per *Hiſpaniam* latæ, ſolùm eo ſpectant, ne *jura Patronatus* quæ mihi Pontifex *Adrianus* conceſſit, *Romæ* ſupprimantur.

Sed vide quanta ſit rei indignitas: Meis à regnis atque provinciis plus emolumenti atque annuæ pecuniæ *Romam* defertur, quàm ex reliquis populis omnibus. Id demonſtrari poteſt ex illis *Germaniæ* principum poſtulatis, quando de *curiâ Romanâ* gravi-

viter conquesti, remedium adhiberi volebant: ego autem pro meâ in Ecclesiam *Romanam* observantiâ querimoniam illorum tunc posthabui. Quod cum ita sit, & quoniam offensionis causam tibi nullam dedi, vehementer abs te peto, ut ab armis discedas; idem ego faciam: Et cum à Deo simus ambo constituti veluti *luminaria duo magna*, demus operam ut per nos illustretur orbis terrarum; neque per nostrum dissidium oriatur *eclipsis*; cogitemus de universa republicâ, de profligandis barbaris, de sectis & erroribus comprimendis. Hoc nimirum ad gloriam Dei pertinet, & hinc faciendum est initium; pòst aliæ tractentur & audiantur controversiæ. Me quidem ad hæc omnia paratissimum habebis: Quod si non impetrabo, & si bellator esse perges, ad *Concilium* me provocare testificor, ut in eo simultates definiantur; & primo quoque tempore illud convocari postulo.

Granatæ 18. *Septemb.*
1526.

CAROLUS V. Rom. Imperator Sacro Cardinalium Collegio.

POsteaquam *Clementem* Pontificem *Galliæ* Regi bellum in me redintegranti confœderatum esse intellexi, sanè (ut debui) animo dolorem percepi maximum; qui & literas ad me dedit admodum hostiles, ut omnino hoc communi ipsorum voluntate atque consilio factum esse arbitrandum sit. Quæ quidem res omnino mihi præter expectationem accidit. Neque enim existimo ullum esse Regem, qui majori studio *Romanam* Ecclesiam complectitur, quàm meipsum. Poterit esse hujus rei documento *Parma*, & *Placentia*; quæ duæ urbes, licèt Imperii sint ditionis, & ab eo nuper avulsæ, à me restitutæ fuerunt Ecclesiæ, quod facere tamen jure non tenebar. Qua de re ac præsertim de injuriis *aulæ Romanæ*, Principes ac Ordines *Germaniæ* non ita pridem apud me graviter conquesti sunt, & satisfieri sibi eo nomine postularunt. Verum quòd naturæ quadam propensione singulari, & vitæ quoque instituto *Romanam* amo Ecclesiam, surdis tunc auribus eorum lubens postulata præterii: Cumque majores ex eo turbæ postea nascerentur, ac multa per *Germaniam* tumultuosè fierent, ideoque Principes alium destinassent conventum; gravi tunc pœnâ denunciatâ, ne convenirent, mandavi, eò quòd Ecclesiæ *Romanæ* atque Pontifici dispendium allatura esse videbatur ea deliberatio: utque tum illos demulcerem, spem feci futuri *Concilii*. Maxima igitur mihi à Pontifice fit injuria, cujus in gratiam adeo multa feci, ut etiam Imperii proceres hoc ipso non parum à me alienaverim. His de rebus omnibus diligenter scripsi ad *Pontificem*, ac monui ut *Concilium publicum* indiceret. Quamobrem à vobis peto ut illum officii commonefaciatis, & ad pacem potius quàm ad bellum hortemini: quod si facere recusabit, vel diutius *Concilium* extrahet, vosmetipsi statim hoc ut indicatis: Alioqui, si vel propter non convocatum *Concilium*, vel nimis longam interpositam moram Resp. *Christiana* detrimenti quid accipiat, id mihi minimè tribui oportere protestor.

6. Octob.
1526.

HERM.

HERM. CONRINGIUS
Benevolo Lectori S. P.

C*Lemens VII. Papa, inito adversus Cæsarem anno 1526. fœdere cum Francisco Galliæ rege restituto recens libertati, & jurisjurandi religione impie soluto, cum duo Brevia ad Carolum in Hispania tunc commorantem, utrumque sic satis aculeatum, primum etiam acerbitatis minarumque plenum, misisset, non tantum utrique Cæsar pari acrimonia respondit, verum eodem tempore etiam ad Cardinalium Senatum dedit literas in omne ævum memorabiles. Omnes illæ mox in variis* Germaniæ, Hispaniæ, *&* Italiæ *locis preli operâ sunt publicatæ quidem, hodie tamen amplius à paucis habentur, nisi quod eas primo constitutionum Imperialium volumini Melchior Goldastus inseruerit. Nobis placuit nunc tantum illas ad Cardinalitium cœtum scriptas exhibere, quoniam Concilii & religionis negotium multis proditis arcanis attingunt, nec prolixitate possunt creare tædium, uti illæ fortassis primo Brevi Pontificis opposita. Etiam illæ tamen dignæ sunt quæ studiose serventur, saltem ideo quoniam non dubitavit Cæsar in iis à Pontifice ad universale Concilium provocare: Quod cum Hildebrandinis placitis adversatur, tum* Pii *&* Julii *II. Paparum constitutionibus nefas pronunciatum est, id qui faciunt,* hæreticorum pœnæ *h. e. durissimo supplicio commissis. Verba quædam literarum istarum ita sese habent.* Si Sanctitas Vestra nos ab his culpis & objectis immunes non censuerit, nostrasque excusationes & justificationes pro veris & ultimis non habuerit: si arma contra nos continuarit, & illorum depositioni non consenserit: si universalem pacem amplecti nolit: Cum tunc non patris sed partis, non pastoris sed invasoris officium assumeret, & æquè rectus eorum judex non censeretur: nullo alio tunc superstite superiore, cui nos & nostra subjicere deberemus, eaque omnia quæ nobis objiciuntur aut in posterum objici possent vel tentari: sive personam, sive imperium, regnaque & dominia concernant; simul & ea omnia quæ nobis ex adverso, pro nostra justificatione & innocentia, ad Christianæ reip. quietem prætendimus, & prætendere possumus, *ad Sacri generalis Concilii totius Christianitatis cognitionem & judicium remittenda censuimus.* Illique nos, & omnia quæ cum Sanct. Vest. habere possumus aut deinceps habituri sumus, omnino subjicimus. Supplicamus præterea eidem vestræ Sanctitati, illumque in Domino hortamur, quatenus pro suo pastorali officio, proque cura & sollicitudine gregis sibi commissi, dignetur ipsum Sacrum Generale Concilium indicere & convocare in loco tuto & congruo, cum debita termini præfixione. Nos enim cum ex his & aliis satis notoriis caussis turbari videremus universum Ecclesiæ & Christianæ religionis statum, ut nobis ac ipsius reip. saluti consulatur, pro his omnibus ad sacrum universale Concilium, cujus etiam officium per viam querelæ his de caussis implorandum censemus: petentes cum ea qua decet instantia, apostolos & literas dimissorias, semel, bis & ter & pluries nobis concedi, & de horum petitione testimoniales literas fieri, ac expediri in ea qua decet forma, quibusve loco & tempore uti valeamus. Et cum ad hæc solenniter peragenda ejusdem solennitatis præsentia minimè habere queamus, ut inde forsan futuris gravaminibus occurramus: has nostras ejus Nuncio Apostolico penes nos agenti, & legationis munere nomine V. S. fungenti per actum publicum coram notario & testibus, exhibendas intimandasque censuimus. *Hæc omnia ibi Cæsar* Carolus. *Memorabile cumprimis est quod eodem tempore contigisse narrat Thuanus, l. 1.* Cæsar ut injuriam sibi à *Clemente* illatam ulcisceretur, nominis Pontificii auctoritatem per omnem *Hispaniam* abolet: exemplo ab *Hispanis* posteritati relicto posse Ecclesiasticam disciplinam citra nominis Pontificii auctoritatem ad tempus conservari. *Miror sanè ne à Petro Suave quidem rem tanti momenti memoratam, cum tamen quæ ad literas hasce Papæ & Cæsaris faciunt, magna sit diligentia persequutus. Cum alia vero ex Cæsareis ad Cardinales literis discimus, tum illud quoque inter prima, visum Cæsari ejusque Senatui Hispanico Concilii auctoritatem Papali esse majorem, nec indicendorum Conciliorum jus unice ad Papam pertinere: Quod utrumque Romanæ curiæ judiciis est rejectum ab ævo usque Hildebrandi, quotannis hodie in horribili illa & sacra cœnæ dominicæ quam vocant Bulla damnatur & terra cœloque interdicitur.*

CARO-

CAROLI V. IMPERATORIS AUGUSTI Epistola ad Collegium Cardinalium, ut negante seu differente Pontifice Generalis Concilii indictionem, ipsi indicant.

CArolus divina favente clementia, &c. Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis N. S. Rom. Eccles. Cardinalibus, amicis nostris charissimis, salutem cum incremento omnis boni.

I. Reverendissimi in Christo Patres, amici charissimi: Tanto profectò animi dolore mens nostra discruciatur, dum eas, quæ Romanum Pontificem suæ Pontificiæ dignitatis oblitum non contra nos tantum (id enim æquiori animo pateremur) verum in maximum Christiani nominis dedecus, contraque totius reip. (quam induxeramus) pacem & tranquillitatem moliri audimus, ut tametsi animo certè perturbato, moderatis tamen verbis mentem nostram vobis aperire, actionum nostrarum (quanta pro rei licebit brevitate) rationem reddere, & à Reverendissimis Paternitatibus vestris nostro ac totius Christiani populi nomine auxilium implorare cogamur.

II. Quum enim in ipso Imperii nostri initio à Deo Opt. Maxim. in tanti Principatus culmine constitutos arbitraremur, non ut Imperii limites cum Christiani sanguinis jactura extendere propagarève studeremus, sed quò Imperialis dignitas auctoritate & potentia decorata, & observaretur à multis, & contemneretur à paucis, indeque Christiana resp. bellorum injuriis in extremum fere discrimen adducta, sempiterna tandem Cæsareæ dignitatis beneficio pace frueretur. Hoc itaque animo relicta Hispania ad Germaniam venimus, ortas ibidem seditiones inter quosdam Principes divino favore sedamus, nihilque omittimus, quod (judicio nostro) ab optimo Cæsare sperari poterat.

III. Verum dum nos Christianam tranquillitatem stabilire curamus, ecce Gallorum Rex, quem uti patrem colebamus, nostræ dignitati subinvidens, in statum ac honorem nostrum nihil non moliri conatur, nosque tandem ad arma provocat invitos. Fatetur hoc summus Pontifex Leo, fatetur Serenissimus Angliæ Rex, quos pro pace à Gallo obtinenda sæpius sollicitari fecimus: quique suis viribus justæ nostræ causæ adesse non negarunt. Fatetur & hoc divina justitia. quæ ita nobis adfuit, ut post tot partas victorias, omni humano tandem auxilio destituti, victis hostibus eorumque rege capto victores evaserimus. Hinc data opportunitate, qua nostro de Rep. benè merendi studio satisfacere liceret, ab ipsis hostibus victis pacem primi flagitamus, tantumque petimus, ut quæ à prædecessorum nostrorum manibus eripuerant, & contra jus fasque occupabant, nobis restituerentur. Æquissima postulata nostra impetramus, pacem inimus, fœdus percutimus & nihil in eo cautum volumus nisi quæ ad Sedis Apostolicæ veram dignitatem pertinere arbitramur. Percusso fœdere Gallorum Regem captivum nostrum convenimus, omnibus beneficiis, omni humanitate ejus animum pro Christiana tranquillitate nobis devincire curamus, & mutuo data acceptaque fide, amicitiam firmamus, ac maximo eum honore affectum, in Galliam datis obsidibus redire permittimus: ad Pontificem cæterosque Christianos reges scribimus, ut si Christianam Remp. pacatam optarent, eorum patentes literas ad nostrûm utrumque mitterent, quibus an hujusmodi fœderis beneficio uti vellent, prout conventum fuerat, declararent.

IV. Nondum tamen sempiternam in Christi populo pacem firmasse gloriari cœperamus, quum novos bellorum tumultus pullulare gravissima animi nostri molestia sentimus. At ubi à Pontifice de nobis (ut aiebat) non benè contento, id manare audimus, Don Hugonem de Moncada oratorem nostrum mittimus cum facultate amplissimisque mandatis, ut omnibus mediis, quibus id fieri posset, Pontificem de nobis contentum reddere curaret, ita ut homine audito, nostroque animo perspecto, nil aliud à nobis optasse suis ipsemet verbis fateretur. Dumque nil tanto Pastore indignum nobis pollicentes, ejus optimum responsum præstolamur, Pontificis Nuncius literas Sanctitatis suæ in forma Brevis, proximè elapsi mensis Junii die 23. scriptas, 20 Augusti

gusti nobis legendas dedit : quibus perlectis, cum non tantum à summo Ecclesiæ pastore, à communi omnium patre, Christique vicario, sed etiam à Reverendissimis Paternitatibus vestris, sacroque vestro Ordine, quibus Apostolorum auctoritas tribuitur, emanatas esse credamus, (nec enim rem tanti momenti vobis inconsultis factam putamus) quo simus animi dolore affecti, vos ipsi judicate. Quis enim non miraretur stuperetque, videns à tanto Pontifice, à tot tantisque, tanta religione, atque prudentia præditis Patribus, tales literas in Christiani Principis, Rom. Cæsaris, atque Apostolicæ sedis protectoris honorem & dignitatem tam inconsultè prodire ? in quibus nil præter bella, seditiones, perniciosa consilia, temeraria judicia, improperia, injuriæ, falsæ criminationes, aliaque hujusmodi tam à Pontificia dignitate aliena tractantur, idque in nos optimè de Republ. Christiana meritos, & qui nullum unquam nec Cæsarem, nec Regem, nec Principem, nec privatum aliquem fuisse fatebimur, qui majori (nec tanta quidem) fide, religione, atque observantia Sanctam sedem Apostolicam veneratus sit, qui cæteris posthabitis majori studio ejus ditionem & dignitatem tutatus sit.

V. Parmam enim & Placentiam à Romano Imperii feudo disjunctas, sedi Romanæ nullo jure coacti, possidendas restituimus ; importunasque Germaniæ & universi Imperii Romani preces contra Gravamina & oppressiones, quas à sede Romana pati, cum in Wormatiensi conventu essemus, passim conquerebantur, obturatis auribus pro innata nostra erga Apostolicam sedem observantia obaudivimus. Subortæ sunt eâ de causâ variæ rerum difficultates & incommoda ; omnes unanimes remedium implorant, petunt fieri generale Concilium, in quo & Lutheranæ impietati, & Romanæ curiæ (ut aiunt) oppressionibus obviam iri possit. In civitate Spirensi conciliabulum indicunt, ut in seditionibus ortis Sedem Romanam graviter commotos, verentesque ne hujusmodi conciliabulum Germaniam à Romani Pontificis obedientia diverteret, Spirensem congregationem gravissimis pœnis prohibemus, eis tamen pollicemur quanto citius fieri possit, Generalis Concilii indictionem fieri curaturos. De hac re ad Pontificem scribimus, ut Germaniam ab imminenti periculo per hujusmodi Generalis Concilii indictionem liberare dignaretur, initamus. Ipse verò de conciliabuli prohibitione gratiam habet, Generalis tamen Concilii petitionem in tempus (ut aiebat) magis conveniens differendam censuit. Ita ut pro nostra erga sanctam istam sedem observantia, maluerimus Pontificis affectibus potius, quam Germaniæ precibus annuere.

VI. Nunc verò Sanctitas sua, vestro etiam (si id credendum est) accedente consilio, tot crimina in nos jactitat, ac si penitus Romanæ Ecclesiæ adversarii hactenus fuissemus. Hinc enim de nostro erga publicam pacem animo (nullo profecto recto judicio) dubitat, nosque à Christianæ reipubl. perturbatione deterret. Quasi verò noster erga Rempubl. animus clarior non sit, quam ut cujuspiam admonitione egeat. Si enim de C. Cæsare judicatum est, quod maluisset non dimicare quam vincere, eoque victoria adepta pacis autores libenter audiverit, cur de nostra voluntate à communi omnium patre per contrarium discernitur ? Ille pacis autores audivit, nos verò hostibus victis pacem primi obtulimus, nec tantum hostem captivum regiæ dignitati restituisse contenti, Lusitaniæ reginam sororem nostram natu maximam, & in successionis gradu secundam ipsi matrimonio copulavimus, quod profecto antè victoriam minimè à nobis impetrare potuisset. Quanto igitur nostra C. Cæsaris clementiam excedere deberet, vos ipsi judicate.

VII. Ad hæc etiam Pontifex consilia nostra ad suæ dignitatis & Ecclesiasticæ libertatis oppressionem tendere, videtur asseverare, quum ea quæ pro Romana sede præstita commemoravimus, adeò omnibus nota sint, ut inde nonnihil Germ. animos à nobis alienaverimus.

VIII. Perpendite igitur, Patres Reverendissimi, an in hoc Pontificis beatitudo suis & Apostolicæ sedis rebus consulat, an sit Pontificiæ dignitatis Christianorum Principum animos adversus Ecclesiæ protectorem ad arma (ut ipsi aiunt) incitare, ac suis stipendiis tot corporibus atque animabus æternum exitium parare. Causam audite, ut subditum nostrum magni sceleris accusatum, nobis jure prævio punire non liceat, ob idque armis nobiscum certare contendit. Quod tametsi ei ex sententia succederet, quid quæso Christi Vicario dignum facturus esset, nisi ut justitiam, quam promovere tenebatur, impediat, Ecclesiæ thesaurum in alios certè usus convertendum exhauriat, ac Romanam Ecclesiam & universum populum Christianum in extremum discrimen adducat ? Hæc ergo atque hujusmodi alia ingenti cordis dolore, perturbato animo pensitantes, publicam Christianam calamitatem nobiscum deplorare cœpimus, atque non nostro tantum honori, sed Christi gloriæ, ejusque electi populi saluti consulere ex animo cupientes, ad Pontificis literas rescribimus, justificationem de his,

his, quæ nobis falsò objiciuntur, damus, petimusque ut generale Concilium indicat, ac alia faciat, quæ ex incluso literarum nostrarum exemplo vobis videre licebit.

IX. Quæ omnia, Patres Reverendissimi, vos latere noluimus, ut si ex literis Pontificis ejusve suasionibus sinistram aliquam suspicionem animi nostri erga sacrosanctam istam sedem non benè dispositi concepistis, justificationibus nostris recto judicio perspectis, pristinum vestrum erga nos animum induatis, ac omnem prorsus iniquam opinionem abjicientes, labanti Christianitati subveniatis

X. Agite igitur, Patres Reverendissimi, & tanti mali causam cognoscite. Romanum Pontificem à tam impio avertite consilio, vestrisque monitis tantum apud eum efficite, ut meminerit se à Deo Opt. Max. non ad perniciem, sed ad salutem sui populi, non ad arma sed patientiam & humilitatem in Romani Pontificatus solio constitutum. Recordeturque nos eadem ratione in Romani Principatus apicem evectos, unde peculiari quodam affectu Christianæ Reipubl. rebus consulere præ cæteris tenemur, ni à Principe nostro Christo degenerare velimus. Si verò Beatitudo Pontificis à votis nostris, tam pro nostra justificatione, quàm pro Christianæ religionis Salute in Generalis Concilii indictione annuere negaverit, tunc juxta juris ordinem, Reverendissimas Paternitates vestras, ac sacrum vestrum collegium hortamur, requirimus atque monemus, ut quæ de indictione Concilii à Pontifice petimus, eo negante aut plus æquo differentes, vos æquo ordine procedentes, præstare non differatis. Protestantes apud omnipotentem Deum, si quid inde incommodi ac detrimenti Romanæ Ecclesiæ & Reip. Christianæ accesserit, id non nostra sed eorum culpa futurum, qui suis affectibus potius, quàm Christi gloriæ ejusque populi saluti inservire maluerint: quod de vestro erga Christianam remp. animo atque voluntate nobis minimè persuadere volumus. Si vero Reverendissimæ Paternitates vestræ æquissima hujusmodi postulata nostra concedere negaverint, eorumve exequutionem plus quàm decet ac dignitatis nostræ ratio expostulat, distulerint; nos pro nostra erga Deum gratitudine, proque dignitate nostra Imperiali, qua ejus gratuita benignitate fungimur, quibus liceat remediis ita in his pro virili providere curabimus, ut nec Christi gloriæ, nec justitiæ nostræ, nec Christianæ Reip. saluti, paci, & tranquillitati quovis modo defuisse videamur.

Datum in civitate nostra Granatæ, die sexta Mens. Octob. Anno Domini MDXXVI. Regnorum nostrorum, Romani octavo, aliorum verò omnium undecimo.

YO EL REY.

Alphonsus Valdesjus.

HERM. CONRINGIUS

Benevolo Lectori S. P.

C*Urante Paulo III. Papa, Tridento Concilium Bononiam esse translatum & frivolo quidem prætextu, quantumvis id ipse dissimulatum maximè voluit, usque est adeo in vulgus notum, ut ne Onuphrius quidem Panvinius duxerit silentio hoc prætereundum. Etenim vitam illius Papæ describens non tantum diserte affirmat*, ex Pontificis auctoritate id factum, *sed etiam prodit factum illud quo consuleret dignitati suæ, cui à Cæsare* Carolo *V. fœderatorum Protestantium mox victore vehementer metuebat*, veritus ne ille (*verba sunt Onuphrii*) ad totius *Italiæ* imperium aspiraret, *quodque in Concilio* Cæsarianæ partis præsides Pontificiæ dignitati graviter maligneque adversos extitisse didicisset, *privatis etiam aliis uti putabat injuriis offensus.* Hunc in modum (*inquit Onuphrius*) Cæsari non dissimulanter iratus, de Concilii, quod Tridenti in gratiam Cæsaris celebrari jus-

ferat, suspensione translationeque apud Bononiam cogitare cœpit, & eo quidem propensius, quod quibusdam sanctionibus odiosa disputatione ad decretum relatis, quorundam subornatorum præsulum malignitate dignitatem suam perstringi & offendi cognovisset. Itaque ejusdem anni, quo Cæsar de *Germanis* victoriam retulit, initio, Legati Pontificii aeris intemperiem excusantes, monente Pontifice, relicto Tridento Bononiam se contulerunt. *Rem omnem plenius atque exactius narrat Petrus Suavis pag. 288. & sequentibus libri secundi: cujus narrationi ut fidem non derogemus jam effecit Onuphrius omni exceptione major testis. Idem Suavis multis narrat initio libri tertii, quemadmodum Cæsar per suos legatos & Germaniæ Episcopos laboraverit adducere Papam ut Concilium Tridentum revocaret; donec frustra sese esse sentiens adversus Bononiensem illam synodum tanquam vitio institutam, & coram Papa ipso & Bononia per Oratores gravissime est protestatus. Recitat quidem ille & contestationum illarum summam, sed ipsas legi cumprimis videtur expedire. Certè dignæ sunt quæ in manus hominum revocentur unde dudum delapsæ sunt. Nos nunc producimus eam quam* Romæ *instituit Mendoza Cæsareus Orator, quod altera illa Bononiæ instituta cum hac penè sit eadem: additis* Germaniæ *Episcoporum literis, depromptis ex Lection. Memorabil.* Joannis Wolfii *centenario 16. pag. 519. unde fortasse* Goldastus *transtulit omnia in Constitutionum Imperialium tomum 1.*

CAROLI V. CÆSARIS
Protestatio adversus Concilium Tridento *Bononiam* translatum per *Jacobum Mendozam*, *Romæ* instituta.

SAnctissime Pater, cum Respubl. Christiana miserabiliter convulsa esset, religio labefactaretur, mores vehementer corrupti essent, tota fere *Germania* ab Ecclesia descivisset; invictissimus Dominus meus *Carolus* Cæsar, Romanorum Imperator semper *Augustus*, cujus ego Oratoris & Procuratoris vices gero, primum à Leone, deinde ab Hadriano, deinde à *Clemente*, sanctissimæ memoriæ Pontificibus Maximis, postremo à Sanctitate vestra, Beatissime Pater *Paule* III. sæpe summis & continuis precibus universale Concilium efflagitavit, & ratione suæ dignitatis, & ut satisfaceret assiduis supplicationibus Ordinum Imperii, ut solum eversarum rerum effugium, ad quod semper in duris Ecclesia accedere consuesset. Quas quidem ob causas à Sanctitate vestra primum Mantuam, postremo Vincentiam convocatum est generale Concilium; sed harum civitatum neutra satis apta fuit in qua diversarum & multarum provinciarum homines, libenter simul & commodè convenirent, *Germani* præsertim, quibus justis & gravibus de causis eo proficisci non licebat.

II. Demum Imperatoris ipsius voluntate, cæteris etiam Christianis Principibus assistentibus, ipsisque adeò poscentibus *Germanis*, Sanctitas vestra Tridentum delegit, *Germanorum* gratia, propter quos id præcipuè Concilium fiebat, quod illam approbaverant civitatem: quemadmodum Imperatori, iisque in publicis eorum *Ratisbonæ* habitis comitiis in provincia *Germaniæ* celebrandum concesserat eadem Sanctitas vestra, quod locus esset aptissimus ob libertatem, securitatem, & oportunitatem. Ita enim positus est, ut tam *Italiæ* propinquus quam *Germaniæ* situs esset, nec à Gallis aut *Hispanis* longissimè distare videretur. Cujus civitatis Episcopus esset *Christophorus Madrucius*, vir sane probus piusque ac sacri Imperii Princeps, & Sanctitatis vestræ multis nominibus amicus: & quod omnium rerum, quæ ad victum necessariæ sunt, commoditas non desit, Sanctitas vestra in sua Bulla latius declarat.

III. Tridenti est, inquam, indictum Concilium generale omnium consensu. Legati Cardinales missi. Primum Reverendiss. *Pantius*, *Moronus*, & *Polus* adfuere, qui vices Pontificis repræsentarent: Oratores Imperatoris, admodum illustrissimus & religiosissimus Episcopus Atrebatensis, Illustriss. vir Dominus de *Granvella*, & ego *Jacobus de Mendoza*. Sed nondum visum fuit Sanct. vestræ, ut apparet ex secunda Bulla Sanct. vestræ, tempus satis idoneum ad inchoandum Concilium. Post aliquot dies iterum à Sanctitate vestra missi sedis Apostolicæ Legati Cardinales, Reverendus de Monte, Reverendus sanctæ Crucis, & iterum Reverendus *Polus*; rursum Oratores, ego

Jacobus

Jacobus Mendoza, & Illustris vir Franciscus Toledo absens: accesserunt nonnulli aliorum Principum itidem Oratores, nonnulli erant in itinere, multarum nationum Episcopi etiam ab ultimis terris convenere magnis impensis: magno labore inchoatum est, & petitum est ab omnibus Christianis Concilium, & causæ religionis & reformationis morum in eo tractari cœptæ.

IV. Eodem quoque tempore bellum adversus hostes & S. Imperii violatores Imperator gerebat, in quo suscipiendo potissimum tuendæ & amplificandæ religionis, idque interveniente Sanct. vestra, ratio habita est, ita ut quos ratione flectere non poteramus, armis cogeremus. Cum res essent in hoc statu; cœpto (ut dixi) religionis negotio, causa morum (quæ totis viribus & consilio indigebat, ad quam legitimè & absolutè prorsus peragendam Sacra Majestas & Germaniæ Ordines à retro Pontificibus & Sanctit. vestra jam antea remedium tam crebrò flagitaverat) sed frigidè nimis & vix tentata. Deinde virtute Imperatoris pacata Germania, in qua recuperanda Sanct. vestræ & Sacrosancto Concilio munus incumbebat, maximâ spe & certitudine eorum adventus, tum etiam, qui hucusque Concilium recusaverant, & eorum qui in tam necessario religionis negotio adhuc occupati, Imperatori adjutores erant.

V. Ecce Reverendissimi asserti Legati tumultuosè præter omnem exspectationem, Sanctitate vestrâ (quod ipsi dicunt) insciâ & inconsultâ, levissima sane causa procurata & conficta, de tralatione Concilii retulerunt ad Patres, nullo consultandi sed neque cogitandi spatio dato, ita ut pridie proposuerint, postridie decreverint, perendie discesserint, cum multis patribus, atque iis quidem tum temporis vel unius ferè Italicæ nationis, vel ante adeptum Episcopatus nomen in Italia degentibus.

VI. Huic Consilio, sanctissime Pater, plures Episcopi, magnæ fidei & auctoritatis viri, quibus religionis & morum causa cordi erat, tanquam callido nimis & immaturo, Christianæque reip. periculoso, contravenêre: planéque & publicè, inspirante eis Spiritu sancto, cujus sanè causa imprimis agi debebat, tum tralationem propositam, tum Legatorum assertorum & Patrum qui eos secuti sunt, injustam esse tralationem Concilii, velleque se manere Tridenti, libero & legitimo Concilii loco, publicè protestati sunt.

VII. Inter hæc Imperator, dum Episcoporum congregatio Bononiæ manet, hoste ad Albim devicto, Saxonia provincia superata, duobus belli ducibus, altero pugna, altero deditione captis, pacata prorsus Germania, arduum & periculosissimum bellum solus confecit: nec destitit sæpius Sanct. vest. per Nuncios, per Legatos sedis Apostolicæ, per illustriss. virum Joannem Vegam, per me & Majestatis suæ apud S. V. oratores & ante & post confectum bellum, magnis & continuis precibus solicitare, juberet Patres, qui Bononiæ perstant, ad Concilium Tridentinum redire, eandemque ipsam admonere, prævideat, quot scandala, dissidia, pericula impendeant Christianæ religioni, si jam cœptum Concilium Tridenti non continuetur & absolvatur.

VIII. Comitia interim Augustæ Germanis indixit, quæ quidem adhuc celebrantur. In his libero, spontaneo, generali totius Germaniæ Ordinum & Statuum, præterea omnium civitatum consensu petente Imperatore, decretum est, Germanos omnes ad Concilium Tridenti convocatum venturos, ut ea, super quibus indictum fuit, tractentur, & sacrosancta Concilii auctoritate decidantur: ipsam sacrosanctam Tridentinam synodum se suscepturos, idque prorsus & absque ulla conditione se præstituros, Imperatori sunt polliciti.

IX. Legavit Imperator oratorem ad Sanctitatem vestram, Illustrissimum & Reverendissimum Christophorum Madrucium, Cardinalem & Principem Tridentinum, quò S. Majestatis & Serenissimi Romani Regis Ordinumque S. Imperii nomine Sanctitas vestra pium hoc & sanctum Germaniæ Concilium indiceret, supplicaret, juberet Patres, qui Bononiæ agunt, ad Concilium Tridenti inchoatum reverti: hortaretur & admoneret, ut honestissimam & necessariam occasionem, tot laboribus & periculis tamdiu quæsitam, nunc demum partam, susciperet & amplecteretur: in qua & Patres cum dignitate Tridentum redire, & religionis causa generali Christianorum consensu, ipsorumque Germanorum, quorum potissimum gratia ipsa sacrosancta synodus Tridenti convocata fuerat, tractari & confici, & sacrosanctæ sedis Apostolicæ autoritas magna cum Pontificii nominis majestate, & ipsius Sanctitatis vestræ immortali gloriâ augeri posset: idque non privatim solùm, sed publicè faceret in Reverendissimorum Cardinalium consessu.

X. Præterea jussit me, qui Senas ad componendas illius reip. res veneram, idem negotium præstare. Quodsi Sanctitas vestra dilationem, aut excusationem aliquam interponeret, neque præsentem occasionem susciperet, hujusce rei, ut tam justæ petitionis, promptissimique erga Christianam religionem Majestatis suæ animi, tam publicè quàm privatim vos ipsos Reverendissimos Cardinales & omnes omnium Principum oratores, qui Romæ agunt, testes vocarem, præcepit.

XI. Præterea jussit Procuratores & Consiliarios suos qui Bononiæ expectabant de ea re responsum, & à Patribus ibi congregatis, & à Sanctitate Vestra, si unquam vel ipsi Patres vel Sanctitas Vestra id recusassent, vel dilationem aliquam interposuissent, in generali Patrum cœtu nomine Majestatis suæ protestari, iniquam fuisse tralationem & omnia inde facta & secuta ab ipsis Patribus affectata, & nulla esse atque futura fore. Factum est, beatissime Pater, post requisitiones privatas etiam publicè, primum à Reverendissimo Tridentino die nonâ Decembris: deinde à me die 14. ejusdem mensis, horâ antemeridiana in hoc Reverendissimor. Patrum consessu cum debita humilitate instantissimè rogando; idque per viscera, & per sanguinem Domini nostri Jesu Christi: tempus tamen Sanctitas vestra interposuit ad consulendos super responso Patres, qui Bononiæ sunt; qui quidem non dissimile secessioni sive (ut ipsi dicunt) translationi consilium dedere vanum, subdolum & captiosum, in gravissimum religionis & universalis Ecclesiæ dissidium, scandalum, & detrimentum.

XII. Sanctitas autem Vestra id consilium approbasse, illorumque sententiam suscepisse quodammodo visa est, illegitimam secessionem Tridentinam, periculosissimam sanè & perniciosam Reip. Christianæ, translationis vocabulo, congregationemque seu illegitimum conventum Bononiensem generalis Concilii nomine appellans: tantumque ei congregationi autoritatis in suis ad Reverendiss. Cardinalem de Monte, Episcopum Prænestinum, & ad vos qui adestis literis, & suo ad Imperatorem responso tribuere videtur, quantum Episcopi prænominati autoritate propriâ sibi ipsis arrogari ausi sunt.

XIII. Præterea responsum ad Cæsarem dat dilatorium & illegitimum, præsenti occasioni & negotio impertinens, ineptum & inconveniens. Quid enim magis alienum, quam in gravissima causa, in negotio religionis & spiritus sancti, & causæ cognitionem antevertere, & sententiam ferre, & judicem constituere, antequam judicium sibi deferatur? Et his qui ægrotabant, & sanandi erant, qui hucusque remedium detrectare videbantur, qui nunc religionem, qui morum reformationem, qui unionem publicarum dissensionum petunt à Sanctitate Vestra (Concilium enim petunt Tridenti, ubi cœptum fuerat, continuari & absolvi, quod omnium bonorum causam futurum certissimè credunt) præsentissimam medicinam tergiversationibus & ambagibus producere & denegare?

XIV. Et cum probationem causarum translationis à perspicuis & religiosissimis & probatissimis testibus sumi, conveniens sit, in hac ipsa testibus parùm inter se convenientibus, nullius autoritatis de plebe hominibus fidem adhibere: Imperatoris autem & Regis Romani, & Principum Statuumque Germaniæ qui in publicis Comitiis congregati sunt, qui & per Sanctæ sedis Apostolicæ Cardinalem atque eundem Sacri Imperii principem, Sanctitatem Vestram certiorem faciunt, de hoc tam sancto, tam pio Germanorum proposito atque decreto, fidem in dubium vertere? Quod ex ipsorum & Sanctitatis Vestræ responso, cum publicè, tum privatim dato intelligi potest.

XV. Multa alia à me prætermittuntur, Sanctissime pater, quæ tempore & loco, si opus fuerit, in hac causa dicentur. Quid præterea desiderabamus à Germanis, quid ab eis petebamus, toties à Cæsare repetitis itineribus, tot laboribus, maximo & ancipiti suscepto bello atque confecto? Perdet omnes labores hos S. V. pro religione susceptos: perdet optimam & præstantem sanandæ restituendæque religionis occasionem, & perdet religionis causam, admonitus & requisitus. Id verò certissimum, Concilium universale ob causas gravissimas & maximè necessarias Tridenti congregatum, Vest. S. indictione, flagitante Imperatore, Principibus Christianis assentientibus, petentibus Germanis, convenientibus Episcopis, jam cœptum, nisi summa urgentique necessitate, præcedentibus tractatibus, & diligentissima discussione, servato juris ordine, consensu omnium Patrum, aliò mutari neque legitimè posse nec licere.

XVI. Sæpe etiam tralationes callido & præcipiti consilio sine causa factæ, in causa esse solent, ut magno religionis periculo, magnis in Republ. Christiana turbis & dissensionibus, interdum populi Christiani perniciosa divisione Concilia dissolvantur. Causa autem tam subitæ translationis nulla fuit, sed arrepta, quæ se primum obtulit. Occa-

Occasionem vos Reverendiss. asserti Legati, ut à me dictum est, & reliqui patres fecistis, id quod jampridem meditati fueratis. Febres enim nescio quas & aëris vitium causati, affectatum & procuratum quorundam medicorum, sed præcipue ancillarum & coquorum, vilissimorum hominum testimonium recitantes, Tridento præcipites discesserunt, nempe & tunc & deinceps apertissimè patuit, nullam extitisse vanæ formidinis causam.

XVII. Præterea ut nulla fuit ratio discedendi, Vestram Sanct. in hac prætensa causa consuluissent, cum tam parvi temporis mora nil periculi esset allatura. Neque enim tam repentina res erat, quod exitus morbi, quem causati fuerant, comprobavit. Inconsultâ autem Sanctit. vestra discessisse illos Episcopos, fassi estis, & Sanctitas vestra postmodum affirmavit. Cui quidem Sanctitatis vestræ testimonio multum certè fidei & autoritatis detrahunt vestræ ad Reverendissimum de Monte literæ & responsiones ad Cæsarem datæ.

XVIII. Imperatore quoque consulto & assentiente, id facere debuissent, cui curæ sunt & tutelæ omnia universalia Concilia, atque id ex munere officii Augustalis: cujus quanta sit in Conciliis autoritas manifestum est. Verum tanta fuit Legatorum assertorum festinatio & simulatio, ut nec ipsi voluerint consulere, nec eos qui dicebant, Sanctitatem Vestram & Imperatorem priùs per sanctam Synodum certiores fieri oportere, audiendos putarint. Cumque Imperator ipse pro tuenda & amplificanda religione, pro Ecclesia, pro Concilio laboraret, ipsi vano & inani timore simulato, imperatore inconsulto, abscesserunt. Atqui sæpe alias Imperator per Oratores suos cum ipsos assertos Legatos, tum Sanctitatem vestram admoverat, se neque tralationi Concilii, sed neque suspensioni aut vacationi tacitè vel expresè assentiri posse.

XIX. Præterea juris ordinem contempserant, & eam causæ cognitionem, quæ in Synodalibus tralationibus sanctorum Patrum sanctionibus instituta est. Rem enim fere omnium gravissimam propè sane & leviter confecerunt. Debuerunt certe justas multorum gravissimorum Patrum, (qui illis haudquaquam assentari docti, rei ex recta conscientia consulebant) contradictiones libenter audire, eorumque sententias ac rationes animadvertere atque examinare, ac non ipsis neglectis vixque auditis, rem pro libitu definire quorum quidem sententiæ, quod graviores & firmiores erant, sanioresque Reipublicæ, debuissent jure proferri: potuissentque multarum nationum Patres, etsi multitudine aliis impares, tralationem merè voluntariam eandemque Reipublicæ Christianæ perniciosam impedire. Quam si fieri oportebat, fuerant sacrorum Conciliorum decreta servanda, ne discederetur à terminis ejus regionis, eligendus erat in Germania locus propinquior & opportunior: atque ob id maximè fieri oportebat, ut de quorum causa præcipuè agebatur, Germani tutò possent ad Concilium venire: quod proculdubio fecissent, omnibus non veniendi subterfugiis, impedimentis & difficultatibus sublatis, ut exitus ipse comprobavit.

XX. Illud verò nullâ ratione defendi potest, quod Bononiam in medio Italiæ collocatam, subditam imperio Ecclesiæ delegerint, quò nemini dubium est non adituros Germanos. Locum itaque delegerunt, quem possent omnes meritò, multis de causis, quæ nunc à me prætermittuntur, recusare, non ut Concilium prosequantur, sed ut summo exitio Christianorum decoloratione & deformatione reip. Christianæ Concilium præproperè & ex abrupto dissolvant, aut ex animi eorum sententia conficiant. Ac cum sit Conciliorum officium dissidia tollere, religionem sustentare, mores emendare, hic recessus, quem ipsi translationem vocant, turbabit Concilium, perdet omnia.

XXI. Verùm cum piissimus Imperator, sanctissime & summe Pontifex, ut verus & legitimus Romanus Imperator, Ecclesiam omnium matrem augere ac defendere teneatur (quod semper ab initio regnorum suorum & Imperii fecit) cumque ab antiquissimis retrò temporibus Imperatori muneris fuerit, universalia Concilia protegere, & eò usque integra & salva præstare, quoad negotia, quorum gratia congregantur, debito loco & ordine absoluta sint: cumque Germaniæ dissidia componere eamque provinciam, partem Imperii potissimam, magnumque Ecclesiæ membrum, pacare, & ad veram Christianamque religionem reducere constituerit; cumque ad eundem etiam Hispaniarum, aliorumque regnorum & statuum suorum, quorum Rex verus ac dominus est, auxilio Sanctitatis vestræ & Sacrosancti Concilii corrigendorum, & ad veram Christianam vitam reducendorum, cura pertineat: quæ ita demum vana non erit si Sanctitas vestra Concilium Tridenti indictum, Tridenti cœptum, Tridenti continuaverit & absolverit.

XXII. Ani-

XXII. Animadvertens, inquam, Imperator, hunc recessum, seu (ut ipsi dicunt) tralationem, sine ordine legitimo factam, neq; lege, neq; ratione, neq; causa, neque consilio inniti, omnem sancti justique propositi sui rationem perturbare: præterea totam Germaniam ad quam hæc potissimum causa spectat, Concilium postulare Tridenti, polliceri se Concilio Tridenti affuturam, sanctam Tridentinam Synodum suscepturam; Sanctitatem vestram quam semel atque iterum obtestatus est, nunc quoque ut bonus obediensque Sanctitatis vestræ & Ecclesiæ filius, maximè contestatur debitâ humilitate & Christianâ monitione, per viscera Domini nostri Jesu Christi, ne magno labore tamdiu quæsitam componendæ restaurandæque religionis occasionem prætermittat.

XXIII. Ovibus à Deo Opt. Max. sibi commissis auxilium ferat, jubeat suos assertos Legatos, cum reliquis Episcopis, qui recesserunt, sine mora Tridentum reverti, qui locus visus est Sanctitatis vestræ approbatione tutus & liber, ipsiusque invictissimi & pientissimi Imperatoris fide tutior atque liberior, cujus muneris est Concilia protegere atque tueri: ibique ut decet ac necessarium est sacrosanctum Concilium autoritate Imperatoris, efflagitatione & assensu Principum, Tridenti inchoatum, diuque habitum prosequatur, quod nullo pacto recusare possunt, & sanè id jam antea polliciti sunt, si utique Germani ad Consilium accessissent, se, quàm primum illa falsi morbi suspicio refrixisset, esse redituros, atque adeò Sanctitas vestra id ipsum Cæsari per Nuncios sæpe & Legatos promisit.

XXIV. Anno jam fere elapso, cessante morbo (si quis fuit) re tranquilla & pacata, ablatâ ratione timoris, postulantibus Principibus & Statibus Germaniæ, iisque denique pollicentibus, se libere absque ulla conditione aut prætextu Synodum sanctam Tridentinam suscepturos, cur non revertuntur, & intermissum continuant opus, ut cœperant, ut continuare oportebat? Hoc si Sanctitas vestra fuerit executa, & nunc assertos legatos Tridentum redire sua autoritate & imperio coëgerit, neque dilationem aut difficultatem ullam interposuerit, rem populo Christiano valde necessariam, & divinæ majestati gratissimam faciet.

XXV. Sin autem tam justæ petitioni tempore & occasione necessariâ, quæ quidem nunc se ultrò præsens offert, assentiri noluerit (quod abhorrendum sane est ab eo qui prorsus totius Reipubl. Christianæ curam gerit, atque adeò ipsius Domini nostri Jesu Christi vices repræsentat) ego Jacobus Hurtadus Mendoza, nomine pientissimi & invictissimi Domini mei Caroli Cæsaris, Romanorum Imperatoris, ex illius speciali mandato, ac nomine totius Sacri Imperii, Regnorum & Dominiorum suorum, multiplicatas privatim & publicè Evangelicas requisitiones, monitiones, denunciationes, idque non solum (ut superius dictum est à me) semel atque iterum, sed etiam pluries in hoc amplissimo Cardinalium consessu, die Mercurii horâ antemeridiana, 14. Decem. & in hoc eodem loco rursus, die Martis, horâ pomeridianâ, 27 ejusdem Decembris, præsentibus reverendiss. Patribus & Principum Oratoribus, aliam Protestationem die Lunæ, 16. Mensis Januarii, horâ meridiana, à Procuratoribus & Consiliariis Imperatoriæ Majestatis prolatis, in generali cœtu convenientibus, Bononiæ habitam; tandem novissimè protestor, dictam tralationem seu recessionem fuisse & esse illegitimam, & nullam, atque omnia inde acta, atque secuta, & quæ posthac quomodocunque de re qualibet agentur atque sequentur, affectata fuisse, & futuras rixas & contentiones in Ecclesia Dei inducere atque nutrire, ac deinde nullius momenti, nullius effectus, magnam cladem & exitium populo Christiano minari, fidem Catholicam & sacrosanctam religionem in periculum adducere, universalem Ecclesiam Dei scandalizare, decolorare, deformare, ejusque statum & majestatem pervertere, ac proinde nullius momenti, nullius effectus, nullamque habuisse vim, sed nec habitura vigorem ullum, ullam penitus subsistentiam: neque eam posse esse autoritatem assertorum Legatorum Sanctitatis vestræ & eorum Episcoporum, qui Bononiæ sunt Sanctitati vestræ majori ex parte obnoxiorum atque ab illius nutu omninò pendentium, ut in religionis & morum reformationis causa, tanti momenti negotio, universæ Reip. Christianæ, eique provinciæ, præsertim cujus mores & instituta parum eis nota, legem præscribant.

XXVI. Præterea invictissimi Romani Imperatoris semper Augusti nomine & speciali mandato, prout supra, protestor atque denuntio, Sanctitatis vestræ responsionem illegitimam, præsenti negotio & necessitati ineptam & inconvenientem, fuco & figmentis plenam, ac prorsus delusoriam fuisse & esse, nulloque jure, nullaque ratione subsistere.

XXVII. Protestor præterea, omnia damna, tumultus, dissidia, clades, ruinas, excidia populorum, adhæc divisiones & scandala in Ecclesia Dei, & religionis pericula atq; Reipubl.

Reipubl. Christianæ detrimenta quæ inde evenire atque eveniunt & possunt contingere vestræ Beatitudini, non sibi imputanda. Ad quæ quidem facillimè & potuit & debuit, ex forma & essentia Pontificatûs, usque ad sanguinem, usque ad animam, remedium commodum adhibere.

XXVIII. Protestorque similiter, Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, defectu, culpa & negligentia Sanctitat. vestræ, Ecclesiæ procellis & tempestatibus, quas metuit ex hoc facto videtque impendere, totis suis viribus obviam iturum, ejusque protectionem & tutelam omni studio suscepturum, totumque id quod sui juris, muneris, officii & dignitatis est, quo Imperator est, quo Rex est, quatenus jus patitur, & legibus sanctorumque Patrum institutis & orbis eo consensu decretum atque observatum est, ex nunc non omissurum: omniaque alia, quæ ejusdem Domini mei Imperatoris nomine possum & debeo quo melius expediat atque conveniat modo & ordine.

XXIX. Postremo vobis etiam, Romani Patres, Cardinales amplissimi, salvo omni jure & facultatibus quomodocunque Domino meo Imperatori competentibus, ubi Sanctitas sua in præmissis negligens fuerit, aut quacunque alia causa instaurationem religionis, unionem provinciarum Germaniæ, veram, absolutam & generalem, quam in Sancto universali Concilio fieri oportet, morum reformationem omiserit aut distulerit, vosque itidem in his negligentes fueritis, eadem omnia, quæ Sanctitati suæ protestatus sum, eodem modo & Ordine, nomine invictissimi & piissimi Domini mei Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, protestor atque denuncio: atque hanc protestationem, bis, ter, & toties quoties, & ubi mihi visum fuerit esse necessarium: & quamcunque aliam super præmissis & ab eis dependentibus connexis, & demergentibus facturum affirmo, facultatem mihi reservo. Testes vos omnes, qui adestis huic meæ protestationi, sistens, petoque à vobis, Notariis, à quocunque vestrum, ut publica de his omnibus conficiatis instrumenta.

HERM. CONRINGIUS
Benevolo Lectori S. P.

Ferdinandi Cæsaris jussu Oratores Legatis Pontificiis capita quædam instituendæ reformationis 7 Junii Anno 1562. obtulerunt, cum Pontifice & Patribus Concilii communicanda. Ac Pontifex quidem ea nactus est, sed ægerrimo tulit animo, ratus omnia eo tendere, ut Papa Concilio jurisdictionis suæ apicem submittat; *quo nihil sedi illi magis adversum est. Nunquam autem impetrare potuerunt Oratores uti eadem licet essent æquissima, in deliberationem Patribus proponerentur. Narrat omne hoc plenissime P. Suavis* l. 6. pag. 576, 582. l. 7. pag. 730. edit. Francofurtensis, *recitatis pene ad verbum ipsis illis capitibus. De cujus fide ne dubites præstitit Thuanus: utpote qui* l. 32. *etiam ipse summam recitet Cæsareorum postulatorum &* l. 35. *narret Regios legatos,* cum viderent Cæsaris petitionibus aut non satisfieri aut negotium illud longius quam spes fuerat prohiberi, *tandem quod hactenus distulerant,* exspectantes dum aliquid à Patribus super Cæsareis postulatis decerneretur, *invidiæ declinandæ ergo, coactos tandem sui quoque regis postulata in medium adferre. Sunt autem & typis publicata statim sequente anno unà cum Legati Bavarici oratione in pleno consessu habitâ; unde fortassis & à Goldasto sunt inserta secundo volumini Constitutionum Imperialium, & adjecta orationibus Dudithii à Quirino Reutero. Sequimur hic nos editionem primam ut omnium vetustissimam ita maximè fide dignam. Non potest autem non ex lectione opusculi cuivis intelligentiori esse manifestum, quam nullus fuerit locus Tridenti etiam æquissimis & optimis desideriis Ecclesiæ reformandæ, è contrario quanta pietate & prudentia fuerit Cæsar Ferdinandus.*

PETI-

PETITIONES ORATORUM FERDINANDI Cæsaris, Legatis Pontificiis in Concilio Tridentino exhibitæ. In primo, ut priùs tractetur de morum Reformatione, deinde de dogmatibus.

DE REFORMATIONE.

I. ORandum inprimis summum Pontificem, ut seipsum & Romanam curiam reformari benignè patiatur.

II. Ut numerus Cardinalium reducatur, si non ad duodenarium, saltem ad duplicatum, cum duobus supernumerariis, nempe XXVI.

III. Providendum, ne fiant ampliùs dispensationes scandalosæ.

IV. Revocandas omnes exemptiones contra jura communia passim concessas: monasteria namque omnia sub ejus Episcopi potestate constituenda, sub cujus sunt dioecesi.

V. Tollendam prorsus beneficiorum pluralitatem; & statuendum quòd singula Collegia singulas erigant scholas, & quòd Ecclesiastica beneficia non dentur conductitiis presbyteris.

VI. Episcopos omninò ad residentiam cogendos, nisi in extrema Ecclesiæ necessitate, ut officia sua per seipsos non per alios vicarios obeant: & totius dioecesis curam mandandam non uni earum sed plurimis personis, ut Theologis theologica, Canonistis canonica negotia. Insuper visitationes dioecesium sanctasque synodos quotannis habendas.

VII. In Ecclesiâ omnia ministeria gratis præstanda: & quæ sunt adeò tenuis reditus, ut ministeria Ecclesiastica absque quotidianis emolumentis nequeant sustinere, incorporanda cum aliis non curatis beneficiis pinguioribus.

VIII. Revocandos veteres canones contra Simoniacam pravitatem.

IX. Fortassis expediret humanarum sanctionum multitudinem nonnihil contrahere, superfluis resectis, & Prælatos suas constitutiones non æquare obligationi juris divini.

X. Excommunicatione non est utendum extra casum peccati mortalis, & notoriæ irregularitatis.

XI. Providendum, ut diligenter & devotè in divinis officiis preces fundantur, quæ aliquando ita à præcipitantibus proferuntur, ut nec ipsi se intelligant, nec ab aliis intelligantur.

XII. Breviaria & Missalia purganda, resecandaque omnia quæ non ex divinis desumpta sunt literis, & tædiosam prolixitatem psalmorum & orationum habito delectu contrahendam.

XIII. Fortassis permittendum, ut alicubi liceat Latinis canticis preces vernaculâ linguâ fideliter versas intermiscere.

XIV. Cogitandum, quâ ratione clerus ad vitam priorem reducatur.

XV. Quo pacto monasticus ordo ad primitivam institutionem redintegretur, ne tantæ monasteriorum divitiæ tam flagitiosè dissipentur. *Et hæc de morum abusuumque reformatione.*

XVI. *Quod autem ad Dogmata attinet,* Considerandum sacro Concilio, an non res ipsa efflagitet, aliqua juris positivi relaxare; & circa communicationem sub utraque specie consuli desiderio exterarum nationum.

XVII. De esu carnis & de jejuniis aliquid de pristino rigore remittendum, super quo tamen prudenter considerandum.

XVIII. Conjugium item clericorum aliquibus nationibus concedendum.

XIX. Et ita conciliatis populorum animis tollendas deinde multiplices Evangeliorum postillas, & novum per peritos theologos delectum faciendum, & similiter novam faciendam Agendam: quam si qui parochorum noluerint recipere, poenas graves eis injungendas.

Verum

Verùm quia hoc modo passim mali parochi citiùs poterunt expelli, quàm substitui meliores, ideo quædam ad hanc difficultatem amovendam necessaria recensentur.

XX. Unum Catholicum parochum præficiendum interim pluribus Ecclesiis.

XXI. Videndum diligenter, an aliqui ex iis sectariis possint ad fidem Catholicam reduci, & ideo eos qui sanioris mentis videantur in proximam Catholicam Academiam mittendos, & rectè erudiendos.

XXII. Injungendum Episcopis Academiam non habentibus, ut in vicina Academiâ collegium erigant, pro adolescentibus theologiæ studiosis alendis & instituendis, &c.

XXIII. Limitatum auctorum catalogum edendum, qui legi debeant in scholis, nec alios admittendos.

XXIV. Plures Episcopatus in latioribus provinciis erigendos, & opulenta cœnobia posse in hunc usum converti.

XXV. Quod autem spectat ad bona Ecclesiastica in usus profanos conversa & distracta, ut eæ dissimulentur injuriæ.

XXVI. Ultimo Reverendiss. patres Concilio præsidentes dare operam debere, ne quæstiones, quæ offendicula parere possint & contentiones (ut est hæc, An residentia sit de jure divino necne, aut similes) proponantur: aut quando id vitari non possit, non patiantur saltem effundi in bilem, nec efferri in fabulam adversariorum, &c.

HERM. CONRINGIUS
Benevolo Lectori S. P.

Quam calide optimus Cæsar Ferdinandus I. Calicis sacri communionem subditis sibi populis auctoritate Concilii Tridentini concedi flagitaverit, cum aliis est proditum tum diligentissimè persequutus est nunquam satis laudandus Historiæ Tridentinæ auctor Paulus Sarpa, is qui vulgo Petrus Suavis nuncupatur. Imitatus socerum est Albertus Bavarus. Ac quam hujus quidem legatus Augustinus Baumgartnerus orationem in generali Concilii illius congregatione habuit de argumento isto, jam anno 1563. typis est publicata: quæ ipse Cæsar autem proponi fecit, non item in lucem pervenerunt, præter pauca Orationibus Andreæ Dudithii subjuncta, quæ mox altero Constitutionum Imperialium tomo Goldastus inseruit. Damus hoc loco iterum sermonem legati Bavarici, & quem eodem die post illum habitum Oratores Cæsarii exhibuerunt libellum, ut & quam Cæsaris nomine non multo post recitavit oratiunculam Quinqueecclesiensis tunc Episcopus, qui pro Hungariæ patriæ suæ Ecclesia Concilio jussu Cæsaris intererat, Illustris Dudithius. Addimus item propter affinitatem, quam 3. Julii eodem plane tempore admonitionem scripto obtulerunt Oratores Gallici. Omnium illorum summam recenset Suavis l. sexto pag. 591, 592, 593, 594, 595, & 625. adeo luculenta addita narratione, ut stupendam quidem scriptoris industriam non satis mireris, simul tamen non possis non detestari Tridentinorum Patrum duritiem & iniquitatem. Tanguntur autem eadem etiam ab Illustri Thuano l. 32. pag. 640. editionis ultimæ Francofordiensis, ubi quædam addit quæ non possumus non hic repetere. Superiore anno cum Insulanus orator regius de utriusque speciei usu cum Pontifice Reginæ jussu ageret, hoc responsum ab eo tulerat: existimasse se semper cœnæ usum, ut & sacerdotum conjugium, aliter atque aliter usurpatum olim fuisse, potiusque à Patrum decretis, quàm à jure divino pendere, ac proinde pro tempore mutari posse, & quia eam sententiam tueretur, postremo conclavi ab imperitis hominibus pro Lutherano habitum fuisse, nihil tamen ea in re citra fratrum ac collegarum consensum pronunciare velle. Addebat Pontifex, Ferdinandum Cæsarem à se petiisse, ut Maximiliano F. Boëmiæ regi integræ cœnæ usus gratia fieret; nam quo minus aliter, quam à Christo institutum fuisset, sacramentum illud perciperet, religione ipsum attineri. Eandem postea gratiam omnium suorum subditorum nomine Cæsarem à se petiisse, quod hactenus illi Cardinales denegaverint. Id in ipsius Insulani literis viii Eid. Novembr. ad regem datis perscriptum fuit.

Tantum Thuanus

AUGUSTINI BAUMGARTNERI
Oratio Nomine Alberti Bavariæ Ducis habita in Concilio Tridentino 27. Junii 1562.

QUandoquidem S. D. N. aliquoties perquam paternè, atque vos ipsi Reverendissimi & Illustrissimi sacri Concilii Tridentini Præsides etiam amicè, ut ad celebrationem hujus tam sancti tamque necessarii instituti Legatos mitteret Illustriss. & Serenissimum Principem, Dominum Albertum Comitem Palatinum Rheni, Superioris Inferiorisque Bavariæ Ducem, &c. exhortati estis, sui muneris esse putavit Illustrissima sua celsitudo, ne quum Princeps sit Catholicus, nihilque magis elaboret, quàm salva ut sit Catholica religio nostra, tam necessario tamque sacrosancto operi deesse videretur, decrevit sanè Legatum suum ad Concilii negotium opportunis mandatis instructum ablegare. Quod quidem jam ipso facto præstans, ablegavit & misit præsentem me Illustriss. suæ Celsitudinis servitorem, cum plenissimo mandato, ut suæ Illustriss. Celsitudinis nomine paucula quædam sancto Concilio proponam, & postea etiam ubi usus & opportunitas erit, tractarem, ageremus atque efficere curarem, quæ & è honore Sacri Concilii & Illustrissimæ suæ Celsitudinis officio esse videantur.

Principio igitur tam ipsis Reverendissimis & Illustrissimis Concilii Præsidibus, quàm reliquis Reverendiss. Patribus plurimam & devotissimam affero Illustrissimæ suæ celsitudinis nomine salutem, amicitiam ac benevolentiam. Et profectò summoperè lætatur Illustriss. sua celsitudo; quòd sacrosancti hujus Tridentini Concilii non modò auspicato initium factum sit, sed etiam fœliciter progredi actiones ejus intelligantur, & quidem eo modo, ut omnes pii meritò queant felicissimum eventum sperare. Quanquam verò, siquidem est secularis, adque idcirco Illustrissimam suam Celsitudinem minimè decet in Concilio aliquid vel decernere vel præscribere in rebus spiritualibus. Sed tamen secularium Principum quùm intersit vel imprimis, ne quid authoritatis, quò minùs fervens Concilii cursus procedat feliciter, deesse videatur, eam tamen ob causam me potissimè misit Tridentum, quippe ut Concilium Illustrissimæ suæ Celsitudinis nomine cohonestem, concelebrem, ac si fieri possit, adjuvem etiam pro virili mea: hac tamen habità ratione, ut meminerim Illustriss. suam Celsitudinem esse secularem non spiritualem Principem, cujus sit non dare sed accipere leges ab Ecclesiâ. Hæc etenim quoniam pia materfamilias est, atque legitima divinarum dispensatrix, solersque & salutaris medica, cui nullum medendi modum præscribere debemus, sed morbum ostendere, & efficacem sperare medicinam.

Communes quidem Germaniæ morbos proculdubio Reverendiss. Sacri Concilii Proceribus notos esse, nec dubitandum existimat Illustriss. sua Celsitudo, quin etiam audierint quo in statu Bavariæ nunc Catholica religio versetur. Quandoquidem enim aliæ provinciæ, quæ Bavariam circumquaque propemodum cingunt, diversis sunt variisque infectæ erroribus, eosque non fovent modò apud se, sed propugnant etiam pertinaciter, propagantque quoad fieri potest summo studio, facilè existimari potest, quanto partim dolo, partim manifestâ vi in Bavariam irruere conentur sectæ, quarum aliæ quidem aliquâ diligentiâ authoritateque Illustrissimi Principis mei hactenus repressæ sunt, aliæ, nescimus quo infelici Bavariæ fato, jam in ipsa viscera Bavariæ penetrarunt, easque nunc (quod vehementer dolendum) radices egerunt, ut voto magis quam facto extirpari posse censeantur. Superioribus annis habita est totius provinciæ tam in Clero, quàm in populo de fide Catholicâ & de honestate morum visitatio. Inde autem & in ipsâ religione nostrâ, quot repertæ sint & quantæ hæreses, nimis longum foret si omnes deberent recenseri. Crassiores igitur generatim perstringi possunt, quùm universæ explicari non queant.

Reperti sunt enim inter parochos cæterosque ministros ecclesiarum, quorum alii sunt Zuingliani, alii Lutherani, alii Flacciani, alii Anabaptistæ, alii qui Manichæorum dogmata renovant, alii qui Eunomianorum, alii qui Jovinianorum, alii qui aliorum deliramenta & errores sectantur atque propagant. Hæc Catholicæ fidei nostræ zizania, quoniam Prælati pullulantia passim in ipsis herbis non extinxerunt, & jam mox adulta extirpare non potuerunt, eò nunc res devenit, ut si quis nunc hæc zizania eradicare

dicare conetur, metuendum ſit ne bonum triticum conculcet, zizania tamen non evellat penitus. . Nam hujus peſtis contagio non modò in fæce infimæ plebis, ſed etiam in penetralibus Statuum ac Reipub. maximè autem nobilium ac civium verſatur, qui ita animis errore corruptis, quotidie magis magiſque vicinorum ſectariorum commercio obfirmantur, ut foris cum adverſariis non occultò ſentiant, domi verò nihil non ſedulò faciant, quod invehendis erroribus percommodum ſit, & ſanctiſſimis priſcorum conſtitutionibus pernicioſum. Ita ut quacunque omnino ratione id agant unum, ne locus ampliùs relinquatur ſanæ & Catholicæ doctrinæ tutus aut integer. Unde viri prudentes, quàm difficilis ſit & quàm periculoſa in iſtis Ducatibus gubernatio, facilè judicare poſſunt.

Huic autem malo magnam anſam fuiſſe præbitam, omnes homines ſani fatentur, cùm à Clero, tum à populo: quando hic nullum poſſit inter doctrinam & doctorem diſcrimen cernere, ille id ſibi ſemper licere quod liberet arbitraretur. Tametſi autem degenerantis populi malitia tanta eſt, ut per ſe huic ſubſequutæ hæreticæ contagioni abundè materiam dederit, tamen dubium haud videtur, quin, cùm Clerus ſal terræ eſſe debuerit, infatuatus ſit, nec ad eam rem quam maximè oportebat, utilis, magnam in Clero culpam hujus mali verſari omnes ſapientes oporteat confiteri. In viſitatione nuper habitâ, quanta omnis generis flagitia in moribus Cleri comperta ſunt, quanta ſocordia & ſupina negligentia in quibuſdam proceribus ſeu Eccleſiarum prælatis, aurium pudore, ne manifeſtentur, prohibemur: ipſa morum turpitudo efflagitat, ne maneant diutius immendata. Atque hæc ſi quis vellet ſigillatim, prout per ſeſe res ipſa habet, atque exploratè conſtat, enarrare, caſtis piiſque Reverendiſſ. patrum auribus omnino fieret moleſtum; aliis verò qui minus firmati ſunt, ingens periculoſumque offendiculum præberetur. Quamobrem Illuſtriſſimus Princeps meus hoc abundè ſatis exiſtimat, ſi vobis Reverendiſſimis & Illuſtriſſ. Tridentini Concilii Legatis atque Patribus ſaltem per occaſionem inſinuaretur, ut duntaxat accuratiſſimè vobiſcum perpendatis, quàm infructuoſa doctrinæ emendatio futura ſit, niſi priùs doctores, qui tanquam vaſa doctrinæ judicantur, ab omni ſorde morumque fœtore expurgati repræſententur populo. Omnes ſapientes peritique viri unanimi ſententiâ hoc aſſerunt, hoc efflagitant penitus, ut priùs Clerus Eccleſiarumque miniſtri ac doctores à vitæ ſordibus repurgentur, quàm ulla queat fructuoſa doctrinæ diſcuſſio ac determinatio fœliciter inchoari ac definiri ſalutariter. Deinde nec parvum momentum videtur, quòd hæc pernicioſa contagio non modò non ceſſat tam longo tempore, ſed ſubinde grandeſcit, etiam multis variiſque amplificata acceſſionibus. Quippe Clerus noſter tantis Eccleſiæ calamitatibus nullo modo neque afficitur neque affligitur, ſed multò magis inſoleſcit, gulæ, libidinibuſque indulget, quaſi velit in contemptum Dei hominumque omni genere vitiorum ſe coopertum potiùs palàm cognoſci, quàm minimâ aliquâ in re emendatum animadverti. Ut cætera Cleri vitia quæ cum populo communia habet, taceantur: at certè libido illa in Clero nimis libera atque notoria, propter quàm is nunc potiſſimè infamis eſt, à plebe irritatoque populo alieniſſima eſſe judicatur. Siquidem politici magiſtratus nullum in civili ſocietate civem ferunt, qui palam ſcortetur, domique ſuæ quaſi in publico lupanari ſcorta fovere ſtudeat. In proxima viſitatione per Bavariam factâ, tam frequens concubinatus repertus fuit, ut vix inter centum tres vel quatuor inventi ſint, qui aut manifeſti concubinarii non fuerint, aut clandeſtina matrimonia non contraxerint, aut uxores palàm non duxerint. Quæ morum turpitudo in Clero vehementer offendit imperiti populi animos tantopere, ut ſacerdotium unà cum ſacerdotibus, doctrinam unà cum doctoribus exſecretur, diriſque devoveat. Ita fit, ut ſit confeſtim paratus ad quamvis ſectam exire potius, quàm redire velit ad Eccleſiam.

Præterea nec pauci homines à nobis deficiunt ad ſectarios ob utriuſque ſpeciei prohibitionem, quum arbitrentur de Communione utriuſque ſpeciei expreſſum Dei verbum exſtare, de unâ ſpecie nullum reperiri. Huc accedit quòd utriuſque ſpeciei uſus non modo in primitivâ Eccleſiâ, ſed etiam nunc in omnibus Orientalibus eccleſiis frequens eſt, & quidem celeberrimus. Quin nec Romana Eccleſia olim ab eodem uſu abhorruit, quemadmodum ex variis diverſiſque hiſtoriarum monumentis edoceri poteſt. Nec ſanè id parùm movet homines, præſertim in Bavariâ, quod Paulus tertius, editâ Bullâ ſuâ conceſſit Germaniæ Epiſcopis poteſtatem communicandi populum ſub utraque ſpecie. Quod quidem ſummi Pontificis decretum urgent ſummi & infimi, Illuſtriſſimumque meum Principem eam ob cauſam vehementer culpant, quaſi (quòd abeſt planè) divinam inſtitutionem contra expreſſum Dei verbum invideat ſubditis ſuis. Ea invidia quoniam Illuſtriſſ. ſua celſitudo vehementer grava-

 tur

tur frequentibus subditorum querelis apud alios Germaniæ Principes, odiumque hoc sui æquè domi ac foris adeò subinde exasperatur atque increbrescit, ut plerique, quibus veloces pedes sunt ad effundendum sanguinem, nihil expectent avidiùs, quàm aliquam præberi movendis tumultibus occasionem. Hinc proculdubio Reverendiss. Illustriss. S. Concilii Præsidentes atque patres perspicuò vident, quanto in periculo versetur Illustriss. & clementiss. Princeps, propter cohibitionem utriusque speciei. Itaque liberè fatetur, nisi auctoritate Tridentini Concilii hisce malis, quæ à nobis commemorata sunt, salutaris medicina primo quoque tempore adhibeatur, Illustriss. suam Celsitudinem nullo modo in tantâ animorum exacerbatione subditos suos regere posse, atq; in legitimâ obedientiâ continere aliter, nisi ut magno suo dolore & haud incertâ sinceræ religionis jacturâ invitus aspiciat tandem, quod prohibere solus nequeat.

Quanquam verò, sicuti antea dictum est, Illustriss. & clementiss. Princeps meus hæc gravamina eo animo non proponat Sacro Concilio, quasi præjudicium aliquod adferre velit, quum non ignoret quid postulet officium secularis Christiani Principis, quem deceat, se obedientem Apostolicæ sedis filium & non judicem controversæ religionis in Concilio exhibere. Quapropter quum hæc talis suspicio procul à personâ Illustrissimæ suæ Celsitudinis submota sit, tum illud non dedecere se arbitratur, si saltem quid sibi hisce malis remedii salutariter adhiberi posse videatur, familiariter & quasi consultandi gratiâ S. Concilio insinuet.

Primum igitur quantum attinet ad submovenda publica scandala Cleri, quibus imperitus populus permotus subinde magis magisque efficitur à Catholicâ religione nostrâ alienior, Illustriss. Celsitudo sua putat huic communi morbo duobus remediis occurri posse. Quorum prius, ut Clerus juxta antiquos Canones reformetur. Alterum ut Prælati dent operam erigendis domesticis scholis, & amplificandis publicis Academiis. Reformare mores Cleri sæpiùs à diversis Germaniæ Episcopis tentatum est parum fœliciter, ac sine omni fructu: quemadmodum re ipsa compertum est, quum tam ardua negotia non tam singulorum Præsulum auctoritas quàm consensio universorum rectissimè utilissimèque expediat, dum alii ne suos capitulares confratres offenderent, connivere visi sunt: alii, si quid tentarunt (ut fecerunt certè quidam optimi antistites) nihil tamen efficere idcircò potuerunt, quòd Episcopi cæteri circa idem non versati sunt reformandi institutum. Quocirca existimat privatam reformationis operam inutilem fore & infructuosam, nisi eò accesserit Generalis Concilii authoritas, ac legitima executio decretæ reformationis.

Nec verò ignorat Illustrissimus Princeps, quid à plerisque ne seria aliqua morum repugnatiò suscipiatur, objici soleat. Quum verendum sit, si Clerus ex rigore antiquorum Canonum reformari debeat, fore omnino, ut plerique omnes, præsertim parochi parochiarumque ministri, (qui ferè omnes concubinarii sunt) suas Ecclesias deserant, & confugiant ad sectarios, ubi concubinas liceat in uxores sumere, & unumquemque ex libertate carnis, ita, sicuti velit, vivere. Negari haud potest, quin hæc omnia in malis sacerdotibus exspectanda sint, in bonis autem nullo modo. Verum utcumque hoc metuendum videatur, non defuit tamen olim, nec nunc deest huic malo nodo congruens cuneus. Nam diligentem operam impendere Antistites debebant educando Ecclesiasticæ juventutis seminario, ex quo in locum eorum, qui vel apostasiâ abrepti, vel morte defuncti essent, restitui possent. At enimverò hæc necessaria diligentia quia neglecta est, atque hinc ista honesti Cleri inopia emersit, inprimis necessarium videtur, ut summo studio Sacrosancta Synodus Tridentina legitimum aliquem modum excogitet, quo inopia Cleri auferri possit, copia restitui. Multæ enim adhuc sunt in Catholicorum Principum territoriis opes, quarum aliæ in continuâ Simoniâ versantur; aliæ tenentur ab hominibus indoctis, impuris, inutilibus; aliæ etiam per fraudem eorum, qui bona vel maximè tueri debuerant, exstinguuntur passim, ab Ecclesiis alienatæ & translatæ in usus profanos. Nec dubium est, quin si hæc Ecclesiastica bona in certum ordinem redigerentur, posse inde selectum aliquem & copiosum Ecclesiastici seminarii in juventute plantari cœtum, & ex eo cœtu subinde, ubi necessariæ utilesque personæ requirerentur, tanquam ex instructâ officinâ catervatim depromi. Atqui verò si hac via collabascenti Ecclesiæ occursum non fuerit, timendum prorsus, ne aliquando Catholicos, non tam vi sectariorum expugnatos esse, quàm domesticis copiis destitutos periisse, conqueri oporteat.

Quapropter Illustrissimus Princeps amicè submisséque admonet sancti Concilii Reverendissimos ac Illustriss. dominos Legatos, cæterosque Patres, ut hanc rem sibi velint inprimis esse curæ, ne posthac tanta educandæ juventutis negligentia Prælatis permittatur. Sperandum enim magnopere, mirabiliter suas Ecclesiæ vires pedetentim restitui

tui posse, si sedulò operam navaremus erudiendæ copiosæ juventuti, & ornandis fovendisque piis ac doctis hominibus, qui Ecclesiam doctrinâ adversus hæreses tueri queant, & submovendis inutilibus flagitiosisque sacerdotibus, qui suis moribus turpissimis Ecclesiam vehementer deformant, & suâ inscitia labefactant non mediocriter. Illustrissimus verò Princeps meus quid gravissimis sumptibus & perpetuo studio hac in re conatus sit, referre jactanter minimè cœpit: testes autem habet quam plurimos tam eos ipsos quos liberalissimè etiamnum fovet doctores, professores atque sacerdotes, quàm vicinos provincialesque Episcopos, & alios etiam Catholicæ religionis amantes.

Cæterùm existimant plerique viri rerum Germanicarum periti, tale nunc esse in Germaniâ sæculum, quasi quandam occultam naturæ vim, quæ non modò omnes libidinosos, sed etiam moderatos veréque Catholicos eò perduxit, ut plerique omnes castum matrimonium contaminato cœlibatui præferendum arbitrentur. Quam ob rem animadvertitur passim, præclara ingenia doctissimosque homines ducere uxores malle, ut careant Ecclesiasticis beneficiis, quàm Ecclesiastica beneficia acceptare & carere uxoribus. Videlicet quum videant reliquam Cleri multitudinem gulæ libidinumque flagitiis coopertam, magno detrimento esse ac dedecori Catholicæ religioni, ne ipsi in hoc contaminationis grege versari cogantur, eorumque videri consimillimos. Hinc etenim doctorum hominum in Clero penuria extitit, hinc Cleri detestanda inscitia traxit originem, hinc hæretici sumpserunt vires, Ecclesia verò debilitata est. Periti igitur qui pressiùs hæc negotia accuratiusque discusserunt, existimant quòd ad sublevandam penuriam docti idoneique Cleri, vix aliâ ratione præsertim hâc ætate nostrâ in Germaniâ Clerus instaurari ac saltem ad obeunda necessaria Ecclesiæ munera satis frequens haberi queat, nisi more primitivæ Ecclesiæ docti mariti & ad docendum instructi admittantur ad sacros ordines, præsertim verò ad prædicandum & annunciandum populo verbum Dei. Legis enim divinæ quum non sit, ut oporteat hominem sacerdotem esse cœlibem, siquidem constet ex veterum monumentis atque historiis, maritos sacris ordinibus initiatos esse, & non modò ad sacerdotii dignitatem, sed etiam ad sublimitatem Episcopi pervenisse: quapropter hanc rem videri ejusmodi esse,quum hic jus divinum non sit, ut S. D. N. Sacrique Concilii auctoritas possit ex instinctu divino id statuere pro necessitate laborantis Ecclesiæ, quò status cleri instaurari queat, ac vires sectariorum infirmari. Verùm hoc non aliter in Concilio proponi jussit Illustrissimus Princeps meus, nisi ut Reverendissimi Patres Germaniæ morbos tantò diligentiùs inspicere queant, & quid remedii salubriter adhibendum judicent opportuno loco & tempore constituere.

Postremò verò quia fuit hoc consilium statim ab initio hujus exortæ dissensionis piorum doctissimorumque hominum, ne tantopere ob unius alteriúsve speciei usum tanta certamina instituerentur, ipso rei eventu animadversum est, quòd pleræque provinciæ in Germaniâ in obedientia sedis apostolicæ retineri potuissent, ab omni reliquâ sectariorum labe immunes, si moderatio quædam in re, naturâ suâ indifferente, admissa fuisset. At verò quum populus utriusque speciei usum, quasi ex divinâ institutione sibi deberi arbitraretur, quumque vicissim is usus à Prælatis constanter denegaretur, surreptitii sectarum duces eam occasionem nacti sub prætextu divinæ institutionis & concepto odio irati populi, non solùm hoc sanctæ Eucharistiæ sacramentum penitus profanarunt, sed etiam sub eodem prætextu diversa hæresium semina longè lateque adeò efficaciter dispersérunt, ut nunc occasione utriusque speciei non modò populi Germaniæ sed & reliquæ nationes instar torrentis ab Ecclesiâ Catholicâ defluere videantur. Ut autem hæc ista tam frequens defectio, tamque fervens decursus saltem inhiberi aliquo modo possit, prudentium virorum judicium est, si S. D. N. ex plenâ potestate sedis Apostolicæ & ex judicio S. Tridentini Concilii Laicis utriusque speciei communionem benignè largiretur, fore, ut qui hactenus sedi apostolicæ obedientes remanserint, imposterum quoque obedientes permansuri, ac si qui leviter deflexerint, ad obedientiam reversuri eximantur, quemadmodum in nonnullis cognitum est, qui quum ex indulgentiâ Pauli tertii compotes devotionis suæ facti essent, reversi sunt ad Ecclesiam.

Quum igitur hæc tria, turpis vita Cleri, concubinatus Sacerdotum, & prohibitio utriusque Speciei, principales causæ sint, cur tanto odio Catholicorum tantoque studio novitatis populi nationesque ab obedientiâ Apostolicæ sedis resiliant, conferantque se ad diversos sectarum duces; periti sanè Catholici viri arbitrantur, nullis aliis præsidiis hoc tempore populum studio novitatis tumescentem, ne sensim in manifestam defectionem prorumpat, in obedientiâ Sedis Apostolicæ retineri posse, quàm si ad submovendos

movendos

movendos vitiosos sacerdotes idoneus Clerus ex instauratis scholis copiosè educaretur, ad tollendum turpem concubinatum castis maritis sacri ordines concionandique in primis facultas conferrentur; ad placandos irritati populi animos utriusque speciei usus permitteretur.

Quia verò dubium non est, etiam si hæc tria ex quadam Catholicæ matris Ecclesiæ indulgentiâ per auctoritatem præsentis Concilii ritè ordinarentur, tamen sectarios duces seductosque populos idcirco ad Ecclesiam non reversuros esse, quum palàm editis libris non dubitent obfirmare sese, quòd nunquam velint Romanis Pontificibus ullam obedientiam præstare: itaque non vult Illustrissimus Princeps meus hanc suam sententiam sic accipi, quasi illis tribus concessis putet hæreticos posse ad Ecclesiam reduci, sed eam esse multorum piorum hominum opinionem, quòd isto modo Catholici populi reliquiæ in Germaniâ confirmari atque retineri aliquo modo possint: quum hoc tempore non tam necessarium videatur, ut refutentur adversarii, quàm ut queant fulciri domesticæ ruinæ nostræ: quæ nunc non minùs domi graves sunt, quàm foris adversariorum machinationes.

Atque hoc illi qui enodatiùs præsentis Ecclesiæ statum ad limam ducunt, eò interpretantur, ut opinentur in præsenti Concilio Tridentino nihil prius ducendum esse, quàm ut ante omnem cujusvis dogmatis explicationem, necessariò præcedere debeat ejusmodi morum in Catholico Clero rebusque Ecclesiasticis, (de quibus paulò antè facta mentio) reformatio: ut quum personæ Clericales pristinæ innocentis vitæ suæ testimonium vulgò receperint, tandem majori apud populum auctoritate ac fide id possint, quod in Catholicâ fide nostrâ verum est, constanter docere, quod falsum, refellere. Nec est ullus persuadendi modus, quo Clerus populo reconciliari potest, & ad audientiam sibi parare aditum, nisi palam constet anterioris vitæ inquinamenta abjecta esse, atque purioris vitæ documenta palàm exhibeantur. Quocirca omne Tridentini hujus Concilii studium prorsus inane futurum creditur, nisi omnis hujus mali origo atque scaturigo, quasi in ipso fonte, hoc est, in Clero eluatur atque repurgetur; quò meliore auspicio repurgata fontis origo, in reliquos universæ Ecclesiæ rivulos deduci posse, vulgo cognoscatur. Postea verò, quum talis facta reformatio; quum etiam honestioris Cleri atque doctioris suppeditata est copia; quum turpem concubinatum sacerdotes deposuerunt, receperuntque vicissim sive licitam medicinam à Concilio suppeditatam, sive constantem spontanei voti observantiam; quum etiam populus adhuc Apostolicæ sedis auctoritate non prorsus exauctoratus, de communione utriusque speciei mediocriter placatus existimatur, tunc denique tempus erit, quum omnia nostra domi sit confirmatiora, ut dogmatibus ineatur aliqua solidior disceptatio adversus hæreses. Quales autem & quæ hæc disceptatio cum fructu Catholicæ religionis suscipi possit, Illustriss. Princeps meus solus non scit fortasse optimè, sed intelliguntur piorum hominum & Catholicorum hac de re non inanes voces haud obscurè. De quâ etiam si suæ quoque Illustrissimæ Celsitudinis opinio aliquando requiratur, posset ea, quæ aliquo modo explorata sunt, non importunè referre. Verùm hoc tempore, quando hoc tantùm est propositum legationis Illustrissimæ celsitudinis suæ, nihil aliud velle in medium Concilii per me afferri, nisi ut cogitetur, non tam quomodo vel refutari sectarii queant, quod durum est, vel reduci quod multò magis dubium: sed potiùs quomodo hæ afflictæ Catholici populi reliquiæ possint corroborari, stabiliri atque reduci ad meliorem Ecclesiæ statum. Non enim videtur satis opportunum velle omni conatu adversæ religionis copias invadere, & non priùs omne studium impendere, ut ante omnia nostræ vires rectè domi constitutæ sint, & ita quidem confirmatæ, ut tam singulæ quàm universæ, universis ac singulis contrariis possint opponi fœliciter.

Reverendissimi autem Illustrissimique Sacri Concilii Legati cæterique Patres, hanc Illustrissimi & Catholicissimi Principis mei qualemcumque suggestionem, forsitan non satis elaboratam, amicam tamen benevolentissimamque, suapte naturâ boni consulent. Constanter enim sperat nihilque penitus dubitat Illustrissima sua celsitudo, eidem Sacrosanctæ Tridentinæ synodo hanc suam devotissimam juvandæ Ecclesiæ deliberationem si non inservire commodissimè, ulterius tamen de gravissimis istis Ecclesiæ afflictionibus cogitandi materiam & occasionem subministrare posse. Deum enim summum testatur, nihil esse eorum omnium per me propositorum, quæ ipse temerè absque consilio sibi expetat, ac non potius extrema esse reipub. Christianæ adhibenda remedia putet. Ad illum ipsum Illustrissimum & piissimum Principem meum quod attinet, ita firmissimè animo propositum habet; quumque Dei benignitate avitis in religione & doctrinâ Catholicâ vestigiis fortiter insistat, nihil existimat tam nece-

necessarium tamque pium vitæ suæ munus,. quàm id pro virili efficere & obtinere, ut ii quos regendos tutandosque Deus illi commisit, perpetuò secum habeant rectè, orthodoxè, & Catholicè credendi pieque secundum instituta Patrum vivendi commoditatem. Gratissimum verò quovis tempore Illustrissimæ suæ celsitudini futurum est, si quæ hucusque in religionem Catholicam præstitit (libentissimo sanè animo) officia, auctiora posthac & cumulatiora, ingenti subditorum ac patriæ fructu, reddere ullâ ratione poterit. Dixi.

VIA REGIA.

Compendium de Semitis antiquis apud Hieremiam Prophetam; Ecclesiæ reformandæ, aut restituendæ potius, & concordiæ tandem sarciendæ, proque salute Christi Evangelio rectè credentium populorum necessario ac summa fide præmonstratum.

Auctore *GEORGIO WICELIO* S.T.D. & Ferdinandi Romanorum Imperatoris Consiliario, Conscripta Anno Christi 1564.

Precatio ad Deum Opt. Max. pro reformatione Ecclesiæ.

OMnipotens, misericors, æterne Deus, qui es autor puritatis & pacis: effice, quæsumus, ut in Ecclesia tua Evangelii tui doctrina, sicut à principio, floreat: ut sacramenta tua rectè riteque tractentur: ut denique conversatio nostra in omni pietate & honestate te digna semper sit: ad gloriam nominis tui, & ad honorem religionis nostræ, per Christum Dominum nostrum, Amen.

EPISTOLA *FERDINANDI* I. CÆSARIS.

Ferdinandus, divina favente clementia, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus.

HOnorabilis, docte, fidelis, nobis delecte. Etsi nobis gratissimum fuisset, quod, sicut abs te clementer postulaveramus superioribus diebus, huc ad nos venisses, & nobis in arduo quodam negotio, ad gloriam Dei Optimi Maximi, & veritatem ac tranquillitatem Ecclesiæ Catholicæ spectante, potius operam navare potuisses, quam haud dubiè pro tua eximia pietate, eruditione, prudentia ac rerum usu, nobis in animi nostri sententia magna cum utilitate præstitisses: quia tamen propter ætatem & affectam valetudinem venire non potuisti, clementer tibi parcendum duximus, persuasum habentes, te idipsum, quod hîc tibi eramus demandaturi, domi quoque tuæ lubenter atque commodius exequuturum. Est autem illud, quod à te requirimus, ejusmodi.

Recordamur nimirum super articulis Augustanæ Confessionis, quæ à nonnullis sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus, & Statibus, Divo fratri nostro, præclarissimæ memoriæ Imperatori, Carolo V. anno 1530. exhibita fuit, unà cum Apologia ejusdem confessionis: concordiæ & unitatis sarciendæ gratia, antehac in sacro Romano Imperio, diversis locis & temporibus, sæpius

ſæpius Conventus, Colloquia, & Tractatus inſtitutos fuiſſe; & utcunque tales Conventus & Tractatus non omninò ſint ſortiti plenum & optatum effectum, interdum tamen inter colloquentes ſeu diſputantes de nonnullis articulis non poſtremis quadantenus conveniſſe: reliquorum verò, qui adhuc ſunt in controverſia, non uſque adeo magnum eſſe numerum: nobiſque à multis piis, doctis, catholicis, & modeſtis viris non exiguam ſpem factam fuiſſe, recuperandæ unitatis & concordiæ in Eccleſia, necnon conciliandorum animorum, qui nunc perniciosiſſima diffidentia & ſimultate, ob religionis differentiam, diſtracti ſunt: ſi maniſeſtè illi abuſus, qui hiſce noviſſimis & calamitoſiſſimis temporibus in Eccleſiam Catholicam irrepſerunt, expurgarentur, & è medio tollerentur, ac præterea quædam diſputationes nimis ſubtiles & abſtruſa (quarum cognitio cùm excedat captum rudis populi, non videtur uſque adeò illi ad ſalutem eſſe neceſſaria) ad alia feliciora tempora rejicerentur, modo in cæteris, quæ ad fidem & mores, ac intellectum, & uſum ſacramentorum & ceremoniarum pertinent, probè inſtitueretur.

Cum igitur nobis, ut Imperatori Catholico, pro ratione divinitus nobis commiſſi muneris incumbat, ſedulò curare, ut fideles ſubditi noſtri errorum & hæreſium laqueis, quibus miſerrimum in modum ſunt irretiti, divina benignitate eripiantur; noſque cenſeamus, omnem nobis movendum eſſe lapidem, ut tandem hujuſce pii voti noſtri compotes reddamur: cupimus proinde, abs te compilari primo quoque tempore Summarium quoddam doctrinæ Catholicæ, in quo, præter antiqua & indubitata dogmata fidei Catholicæ, in Confeſſione Auguſtana comprehenſa, quæ ſemper fuerunt extra controverſiam poſita, inprimis explicentur illi Articuli dictæ Auguſtanæ Confeſſionis, qui jam hinc inde inter eruditos utriuſque partis ad concordiam ſunt deducti, vel pro conſtituenda unitate & quiete adhuc poſſunt, ſalva veritate Catholica, concedi, & indulgeri. Adductis præterea rationibus brevibus & ſubſtantialibus, cur in reliquis, qui forte ſupererunt, Eccleſia Catholica cedere non poſſit. Deinde colligantur illi quoque articuli, qui nunc quidem ab iis, qui Auguſtanam Confeſſionem profitentur, contra religionem Catholicam vocantur in controverſiam, quibus tamen ipſa Confeſſio Auguſtana ſaltem expreſsè non contradicit, vel quos etiam ex parte approbat. Poſtremò recitentur etiam ſuccinctè alia quædam opiniones, partim reprobatæ, partim etiam fanaticæ, quarum nonnullæ quidem ante editam Auguſtanam Confeſſionem, multò major verò pars ab eo tempore citra orbem Chriſtianum invaſere, quæ nec ipſi Confeſſioni Auguſtanæ, multò minus Catholicæ religioni congruunt. Ita ut tale Summarium ſit quaſi methodus quædam, ad quam parochi & concionatores, in regnis atque provinciis noſtris exiſtentes, doctrinam ſuam tanquam ad regulam dirigant, atque accommodent, adeoque probatam & ſanam doctrinam ab adulterina & perniciosa internoſcere atque diſtinguere, & quid ipſis tam in prædicatione verbi Dei, quam in adminiſtratione Sacramentorum, ac reliquis ceremoniis Eccleſiaſticis ſequendum vel fugiendum ſit, clarè diſcernere poſſint. Quæ Methodus quò plauſibilior erit, & quo longius à contentione fuerit remota, eò gratiorem & utiliorem quoque futuram, diffidendum non eſt.

Deſideramus autem, ut hoc opus abſque omni mora in Dei nomine aggrediaris, & perfectum illicò ad nos tranſmittas. Ita namque extrema poſtulat regnorum & dominiorum noſtrorum neceſſitas. Neque dubites, hunc tam inſignem laborem Deo, cujus res agitur, acceptum fore, quem nos ſanè omni erga te benignitate recognoſcemus. Datum in civitate noſtra Vienna, die viceſimo octavo menſis Maii, anno Domini milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo quarto, Regnorum noſtrorum Romani 34. aliorum verò 38.

Ferdinandus.

Ad mandatum ſacræ Cæſ. Majeſtatis proprium,

V[t] Jo. Bap. Weber

M. Singkmoſer.

Honorabili,

EPISTOLA *MAXIMILIANI* II.

Maximilianus ſecundus, divina favente Clementia, Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, &c.

Honorabilis, docte, fidelis, nobis dilecte. Allatum nobis eſt ſcriptum quod ad benignam petitionem & juſſionem quondam Sereniſſimi ac potentiſſimi Principis Ferdinandi, Electi Romanorum Imperatoris, Auguſtæ memoriæ, domini & genitoris noſtri obſervandiſſimi, in negotio religionis compoſuiſti: & præclarum ſtudium, operamque tuam, quam pia (ut apparet) intentione ac bono zelo in illo impendiſti, perquàm clementi & grato abs te animo accepimus. Quinetiam à te clementer poſtulamus, ut deinceps quoque de hoc negotio accuratè & ſedulò pergas cogitare: & ſi quid tibi, quod ad hoc propoſitum, ſarciendæ in religione concordiæ, & optatæ unitatis ac quietis in Eccleſia reſtaurandæ, pertinere videbitur, id ad nos itidem quoquo tempore perſcribas, & viciſſim à nobis eandem gratiam ac benignitatem, qua te Divus parens noſter proſecutus eſt, expectes. Id quod tibi in præſentia gratioſè ſignificandum duximus. Datum in civitate noſtra Vienna, die 23. menſis Auguſti, anno Domini 1564. regnorum noſtrorum Romani 2. Hungariæ 1. Bohem. 16.

Maximilianus.

Ad mandatum ſacræ Cæſ. Majeſtatis proprium

Ut Joh. Baptiſta Weber.

M. Singkmoſer.

Honorabili, docto, noſtro & Sacri Imperii fideli, dilecto, Georgio Wicelio, *ſacræ Theologiæ Doctori.* Addantur hæc verba etiam ad fin. Pag. præced. omiſſ. à Typograph.

POTENTISSIMO, SERENISSIMO, Religioſiſſ. à Deo dilecto; Orthodoxo, Romanorum Imperatori Ferdinando ſemper Auguſto, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regi, Principi & Mecænati ſuo Clementiſſ.

Sereniſſime ac Religioſiſſime, & idem Princeps clementiſſ. En Majeſtati tuæ ſervitii mei opus, quale nimirum illa à me flagitavit, aut potius mihi imperavit. Breve tempus fuit, intra quod coarctabar, & valetudo eſt vitrea: at animus erga Majeſtatem tuam propenſiſſimus, & amor pietatis ejuſdem veluti exſculpſit imperatum opus; ut obiter non commemorem meum erga Eccleſiam Dei Zelum ſtudiumque. Tantò alacrius autem atque expeditius hanc telam contexui, quo magis in planitiem ſuam educeretur equus. Veritati Chriſtianæ potiſſimum ſervitur, non tantùm inevitabili neceſſitati. Etenim velimus nolimus, quod verum juſtumque eſt, fateri cogimur. Ad hæc in propatulo eſt, quæ inſtent tempora, qui mores urgeant, quóve devergat Chriſtianiſmus in Europa. Ut interim diſſimulem, pacem utilem à diſſidentibus Megiſtanis, atque concordiam in religione populorum alio pacto non poſſe redimi, quàm tali condeſcenſione. Quæ ita eſt per omnia, ut hæc Monarchas minimè dedeceat, nec rempub. Eccleſiæ ullo modo perturbet, ſed perturbatam potius ſedatis Conſiliis hiſce pacificet mitigetque, & reſtituat in integrum.

Status iste rerum Ecclesiasticarum plane ἄκυρος talem postulat catorthosin. Tot reipub. morbi remedia talia omnino expetunt; ita, ut tandem res redeat ad εὐταξίαν illam, Marco Ciceroni mirificè laudatam, quæ est videlicet virtus, per quam ordo rerum gerendarum conservatur. Huc adjumentum haud vulgare εὐκαιρία nobis obtulerit, quæ videlicet est scientia opportunitatis ad agendum aliquid.

Verùm quid nunc superest? Nisi ut Haggæus Propheta vociferetur ad supremos Ecclesiæ rectores, in hæc verba: *sed nunc tu Zorobabel esto fortis, dicit Dominus: confortare & tu Jehosua, sacerdos magne, atque universus terræ populus viriliter agat, dicit Dominus, & facite: quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus Zebaoth.* Hæc Propheta, ille præco Dei & vehementissimus ἐργοδιώκτης, ut domus Dei reædificaretur, sicut prior domus, Salomonis templum dicta, extiterat. Atque Propheta non usque adeo plausibilis hortator esse solet, quod sit persona contemptior: accedat ergo Rex, nec quilibet, sed Joas, qui secum in corde suo reputavit renovare domum Domini, & convocata synodo, sacerdotibus ac Levitis in mandatis dedit, de restauranda domo Domini, per Athaliam, reginam impiam, sacrilega tyrannide interruptà, vastatâ atque spoliatâ, propter Baalim, circa quod Idolum insaniit adeo, ut negare non dubitarit Deum verum Israelis. Huic Regiæ synodo quanquam Levitæ non faverunt plurimùm, nec quod authoritate Regis decretum erat, exequi festinàrunt, (sic enim textus Hebraicus: *Velo maheru haleviim*) tamen Jojada, caput ac Princeps sacerdotum animum planè adjecit ad executionem decreti, suum sincerè obiens officium, in hoc non tam Regi quam Deo serviens. Unde præclarissimum emeruit eloquium sacræ scripturæ: *Quia*, inquit, *fecit bonum in Israel, & cum Deo, ac cum domo ejus.*

Jam verò quod vetus scriptura loquitur de domo Dei, nos intelligimus de Ecclesia Dei viventis, *quæ est domus ista magna* apud Prophetam Baruch, ac Apostolum. Hanc extrui, hanc restaurari, hanc denique restitui tam Prophetæ Haggæi, quam Regis Joas crebris exhortationibus oportet per Christianos Reges, & Christianos Pontifices, Jojada, Helkia, ac Jehosua, ut formæ prioris Ecclesiæ, per Apostolos & horum dignissimos successores plantatæ atque propagatæ, respondeat, quantum fieri possit.

Hæc est voluntas Dei, hoc mandatum, hoc beneplacitum unicum. Rex Joas non solùm in animo habuit, ut Zorobabel, negotium maximum restaurandæ atque renovandæ domus Dei magnæ. Fecit isthuc Rex Ezechias & Rex Josias, de Ecclesia Dei, per domum Dei adumbrata, omnium præclarissimè meriti. De Josia scriptum est: *Va jetaer Jerusalaim*, hoc est, & *mundavit Jerusalem.* Illud autem mundationis genus exactè describitur in Paralipomenis, ut sit Ecclesiæ hodiernæ typus ac ὑπόδειγμα. Multò præclarissimum opus Josiæ Regis erat, quod tanta religione curavit repertum librum legis divinæ proponi populo, ut ageretur juxta omnia quæ scripta sunt in volumine isto, & vehementer doluit religionem non extitisse hactenus secundum scripta voluminis. Præterea de Ezechia Rege, qui Josiam in regno præcessit, apertè scriptum est, quod mandans dixerit: *Audite me, Levitæ, ac sanctificamini, mundate* (sanctificate) *domum Domini Dei Patrum nostrorum, & auferte* (efferte) *omnem immunditiam de sanctuario. Peccaverunt patres nostri, & fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri derelinquentes eum, avertentes facies suas à tabernaculo Domini, & præbuerunt tergum, &c. Unde facta est ira Domini super Jehudam & Jerusalem, tradiditque eos in commotionem, in stuporem & in sibilum, quemadmodum vos cernitis oculis vestris. Et ecce ceciderunt patres nostri in gladium: & filii nostri, filiæ nostræ, atque uxores nostræ, propter hoc* (ierunt) *in captivitatem.* Hactenus Rex Ezechias. Mox subjicitur de obedientia sacerdotum quam Regi religioso debebant: *Sacerdotes* (ait Scriptura) *ingressi templum Domini, ut mundarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam repererant in vestibulo domus Domini, quam extulerunt & asportàrunt foràs, ad torrentem Cedron.* Ad eundem quoque torrentem Cedron combussit rex Asa idola publica, zelo Dei aliquo, etsi non usque adeò integer rex, quales erant Ezechias, Josias, & Joas. Zeloten fortem Jehu suum chorum inter Ecclesiæ correctores habere sinimus: nos attulimus tantùm cultores Dei vivi, reges, qui ferre non poterant sordes superstitionum in religione Judaica, & illis in negotio perpurgandæ domus, sive Ecclesiæ Dei, Pontifices haudquaquam defuerunt, tametsi non pari zelo. Idem ὑπόδειγμα inculcamus orthodoxi; siquidem est eadem causa salutis, & cum primis Dei gloriæ.

Hactenus agnovimus quidem mala multiplicia, sed non amovimus. Difficile fuit monarchis iratis aliquid audere, quando non colebatur usque adeò quod est semper verissimum atque justissimum. Nunc corda divinitus tangi cœperunt multorum primatum, ut re propius perspecta, deliberandum & tempestivè agendum putent: idque occasione Concilii Tridentini, quod utinam ipsum videre quivisset, quid facto opus foret:

foret Verùm post has tenebras devolutum Ecclesiæ negotium fuit ad Christianos Reges, de quibus Salomon inquit, *Divinationem* (quam Græci μαντεῖαν dicunt, hoc est vaticinium seu oraculum) *in labiis regis esse.* Et quando *regibus piis labia justitiæ placent*, sicut idem rex Salomon ait, necesse est omninò, ut coram illis id quod res est eloquamur, nec dissimulemus quicquam: sin minus, *fervescet ira regis, infausta mortis nunciatrix. Eam verò sapiens placabit*, teste eodem Salomone, quippe vera justaque ingenuè respondendo, si consilium sanum ac maturum roget.

Alibi diximus de regibus ex professo Christo deditis, quantum illi olim Ecclesiam juverint. Nec quis forsan ignorat Constantinum utrumque, Theodosium, Valentinum, Arcadium, Martianum, Carolum Pipini filium, aliosque; qui verè flagrantes amore Dei supremi regis regum, coronam sceptrumque suum religioni Christianæ posthabuerunt, non minus de domo Dei soliciti, quam multi principes sacerdotum. Equidem illorum aliquot, si maluissent lux mundi esse quàm caligo, & sal saliens potius quàm sal insulsum; non opinor, in sua capita concitassent Imperatores, Conrados, Philippos, Othones, Fridericos, Henricos, Ludovicos, & nescio quos plures: nec excitassent tot sectas, inimicas sedi Romanæ, inde à multis annis; quarum tamen conquestione conveniebat, ut in seipsos potius descenderent, malaque sua cognoscerent atque corrigerent, quàm condemnatis illis, mala malis accumularent. Has priores ante hæc tempora quoniam contempserunt sine discrimine, nec ad harum vociferationes pœnitentiam egerunt, immisit ulciscens Dominus factiones hasce nostrates literis instructas, nec armis sævas; quæ spero tum mitescent, quando compererint conversionem & correctionem nostri, nobis quidem salutiferam, sin minus ipsis. Quos tamen homines servatos magis, quàm perditos Christiana charitas cupit, ob multa utilia cujusmodi inter eos reperiuntur, & quod nos de somno ad meliorem frugem expergefecerunt. Benè volumus sedi quoque Romanæ ob primæva secula; spe aliqua ducti, fore, ut, ubi ἀνομία hujus satis maturuerit, sese recipiat tandem ad κατόρθωμα Petro dignum.

Libertate linguæ usi multa his libellis reprehendimus, non hominum ullorum odio, sed rei depravatissimæ, nec adversariorum favore sicùt quidam opinabuntur. Dogma utriusque partis novum ac falsum, neque probamus, neque propugnandum suscipimus, quicquid garriant malè suspicaces Magistri nostri. Stamus immoti in professione Ecclesiæ Dei, quam catholicam & apostolicam credimus, nec discedimus à scriptis didacticis, quæ nostro nomine divulgarunt typographi; nisi solidiora doceamur *primùm* è scripturis sanctis, *deinde* ex patribus Ecclesiæ vetustissimis, *postremò* argumentis probabilibus, non sophisticis, nec hæreticis. Polemica scripta nostra tanti non facimus, quin hæc velimus aliquantò pacatiora esse: verùm tempus militiæ tunc ita postulavit, ut sentirent ii, cum quibus commissus eram, & mihi vires esse, & mea tela posse nocere. Primi isti temerarii impetus factionis, aut magis furores adversus receptam doctrinam Ecclesiasticam & in universalem Ecclesiam, nos quondam commoverunt, ut in certamen vel inviti descenderemus. Et tres quatuorve vexelliferorum, nobiscum justo Marte congredi, sibi valde præclarum ducebant: sed deferbuit atque desiit cum ipsorum vita dimicatio. Reliquos, utpote paulò mansuetiores, ac à portentis dogmatum quorundam alieniores, nunc factis induciis, si ritè mitteretur pater patratus & fecialis aliquis, in amicitiam veri Catholicismi redire cupiam, maximè saniores, & quos jampridem belli chartacei hujus tædet ac piget. Simus λωτοφάγοι rerum inimicarum obliviscentes, ut est in Odyssea, & hîc locum habeat ἀμνηστία Atheniensium, inter nos nimirum destructa maceria, si tamen illis ita libeat. Si non libeat, cogetur Entellus senex arma pridem posita capere, & matrem tueri, quatenus est ἄμωμος.

Monarchas adhortor in Domino, ut ipsi causam veteris Ecclesiæ defendendam suscipiant adversum bestias, ventresque pigros, qui Deo non placent, & cunctis hominibus adversantur, qui obsistunt ne cum antiquissimis Catholicis Evangelizemus, nec Deo soli serviamus. Iterum atque iterum adhortor, ne trepident timore, ubi nullus est timor, sed animo infracto perrumpant. Aderunt Romæi quoque quò quisque est Christianus magis; aderunt Principes, ita Catholici, ut tempore veritatis filia tandem edocti, abusus horreant, & superstitiones execrentur. Imò ipse aderit dominator Dominus, cujus est Ecclesiæ possessio hæreditaria: cui est cura de nobis, quem si pro nobis habuerimus, quis contra nos? Regum est, regia ire via, ita ut neque ad dextrum latus partium deferaris, neque ad sinistrum, atque inter Scyllam ac Charybdim in tuto naviges, ad eundem portum prospectans. Sive vehâre in navi Christi, sive in cymba Petri, unum idemque navigium est, nisi quod Petrinum gloriosius vulgò jactatur. Non est Christianismus ita mancipatus diversis istis partibus, quæ hodie

rerum potiuntur, ut eam oporteat ad Symplegades istas duas colligari vinculis indissolubilibus. Quasi verò non longè magis floruerit Ecclesia Christi, antequam orbis terrarum quicquam de partibus utrisque nosset. Non interest plurimum, quà, sed quò tendamus, modo orthodoxi, & bonorum in fide operum zelotæ simus. Quales Christiani & pluribus ante seculis extitere; quorum imitatores sic nos optarim esse, quemadmodum ipsi Jesu Christi imitatores (ὡς ἱερικὴν, ut ait Dionysius Areopagita) ab initio constantissimè fuerunt. Sed rem ipsam absque prolixiore procemio potius, Christo duce, aggrediamur.

Psal. 68. *Johan.* 2.

Zelus domus tuæ comedit me.

DOmus Dei magna, quæ Catholica Ecclesia, est ab Apostolis fundata, per orbem universum super solidamentum, quod est Christus: est eadem constructa, ut contra portas inferorum, non mundi tantùm totius vires, possit consistere. Sed ædificium adhuc etiam rude reliquerunt Apostoli, tracti videlicet ad carceres ac mortes. Sicuti ergo horum auditores, mox martyres, postremò homologetæ, sacrum ac augustum ædificium absolverunt; dum nondum omnia per Apostolos consummata perficerent ad supremum fastigium, usquedum dignitatem quandam adderent, in expoliendo, decorando, atque illustrando ita, ut posthæc nulla unquam artificis manus requiri videretur. Accesserunt longò post tempore Scholastici, quorum varii greges extiterunt. Tales non contenti solida vereque veneranda structura, manus illotas suas admoverunt, & cùm domum illam divinam conati sunt facere meliorem, quàm hanc fecere priores, insignes nimirum illi architecti, supra modum, atque præter opinionem etiam suam incommodarunt; hoc agentes, ut altius evecta structura, & tecto non ita bene adversus imbres munito, fracturis ruinisque viam aperirent. Quo animadverso, Schismaticorum populi temerè ingruentes, dum initio commodare ædificio ruinoso satagunt, totum penè convellunt; adeò ut parùm absit, quin domum electam à fundamentis eruant; non habita ratione, quid, quo tempore, per quos artifices, & qua vel necessitate, vel utilitate ædificatum sit.

Proinde conveniebat, ut quorum hæc domus veluti commune hospitium est, invocato Dei Opt. brachio, rebus fessis succurrerent, & consopitis eversoribus schismaticis, præterea ineptis scholasticorum additionibus antiquitatis, domum assererent; qualem ædificarunt Apostoli, qualem absolverunt Apostolici, qualem exornarunt sanctissimi vetustissimique Patres, contenti eo Theologiæ genere, quod ædificantes primi tradiderunt, sive per scriptam literam, sive per vivum sermonem, cujusmodi sancti martyres ac ὁμολογῆται quasi per manus acceperunt, usque ad eam ætatem Christianismi, qua vetus Theologia ceu res nihili explosa est, Lombardicâ videlicet succedente, cui debemus magnam calamitatum partem in Ecclesiâ; præsertim quando hæc nobis schismaticos primùm exsuscitavit; per quos malum ferè duplicatum adhuc ingemiscimus. Attamen speramus certè, (non desperamus, ut ut res cadat) Ecclesiæ reparationem, horum qui saniores sunt opera ac vigilantia paulatim non usque adeo infoeliciter adjutari posse.

Verùm quid obstat, quò minus in hoc quoque fimo quærere aurum liceat, si forte ita usu veniat? ut præcipiente Apostolo jubemur omnia probare, & bonum, si fors offertur, tenere. Neque ullus omninò liber usque adeò malus est, quin aliqua sua parte prodesse possit, autore Plinio. Et sunt *spiritus* in hominibus non extinguendi, sed magis *judicandi atque discernendi, utrum ex Deo sint, necne*, admonente Joanne. Multi sunt spiritus quidem, sed non omnes æquè boni. Sacræ literæ tradunt, esse spiritus impostores, & mendaces, & fallaces, sicut scriptum est: *Egrediar, & ero spiritus mendax, seu fallax*, (quod Hebræi Seker appellant *in ore omnium Prophetarum:* tradunt, spiritum aliquem esse impurum, spiritum esse vertiginis, spiritum esse nequam. Quo cautius agendum inter horum dijudicationes.

Libri varii hoc editi seculo, Ecclesiam Catholicam una cum probatissimis hujus patribus ac viris illustribus temerè contemnentes, omnem autoritatem novis quibusdam nostræ memoriæ hominibus arrogantes, ex bono spiritu non proficiscuntur. Sicuti nec illi, quibus sola scriptura mystica venditatur, fastiditis priorum seculorum sanctis, atque eruditis autoribus. Et hæc nimirum scriptura, quam ipsi suo arbitrio è fontibus converterunt pariter, & suo interpretantur ac enarrant libitu.

Cum

Cum primis verò pervelim, ut extaret sacræ scripturæ certissima, & numeris omnibus absoluta interpretatio: qua Ecclesiæ universæ tàm ad docendum, quàm disputandum ac revincendum Theologi uterentur, & tolleretur perpetua ista querimonia de variis Bibliorum translationibus, quas hodie multi non ad ipsam veritatem fontium edere student, sed magis ad confirmanda dogmata suæ quisque sectæ accommodant. Quam Vulgatam dicimus, non ita ad amussim olim conversam esse fatemur, ut ex omni parte possit consistere; idque jam interpretis inscitia, jam scribarum oscitantia, jam sciolorum temeritate, jam indoctorum præsulum somnolentia, jam scholarum audacia: breviter, tot retrò temporum injuria. Hæc si monarcharum procuratione à viris vigilantissimis castigaretur ad unguem, haudquaquam in postremis poterat esse. Proximum fuerit, ut emaculatæ versioni adderetur enarratio simplicissima ac dilucidissima locorum duntaxat obscuriorum, quæve omni careret suspicione partium, & talis, ut qui rejiciat, impius sit, nedum impudens. Scriptores antiqui primùm adhibendi erant, deinde si res ita poscat, consulendi recentiores, cum his, qui nostris scripsere temporibus, quorum fidem tamen antè perspici, quàm sequi oportuit.

Maximi semper momenti est ut linguæ primariæ ceu oracula consulantur; & ratio sit analogiæ habita; nec contemnantur idiotismi, figuræ, & schemata, ut principium perpetuum sit sacra scriptura, atque hujus locum loco edisserere. Quod consilium mirum in modum conducere videtur ad revocandam Ecclesiæ unitatem: alioquin quenquam sui instituti Biblion in dissidio retinet, dum suo quisque magistro credit, sive is interpretetur scripturam sacram, sive exponat, persuasum habens, non cæcutire posse, qui, ut vocant, renati Evangelii tempore exorti sunt.

PORrò his procemii vice prælibatis, accingamur ad probanda dogmata præcipua, ut quod optimum omnium extiterit, teneamus. Invocato autem bono Christi spiritu, indagemus hîc quoque; quod verissimum atque sincerissimum est; seipsum patefaciente, ac aspirante, & corda sensusque nostros adaperiente, ut sapiamus, quæ ejus sunt & ad gloriam sui nominis; non usque adeò soliciti, hominibus placeamus, necne; sed intelligamus, & huc attendamus, ut quod agimus, Christo Pontifici, & monarcharum monarchæ uni placeat.

Fatemur ergo & nos, quotquot Catholici atque ex animo Christiani sumus, verum esse & indubitatum decretum Nicenæ Synodi non modò, sed cumprimis Apostolicum & Athanasiacum, *de unitate essentiæ divinæ, & de tribus personis.* Nimirum firmiter credentes, quod sit una essentia divina, quæ Deus & est & appellatur, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitas, creator & conservator omnium rerum visibilium pariter & invisibilium: & nihilominus esse tres personas, videlicet Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, nomine personæ eadem significatione utentes, qua usi sunt, hac quidem in causa, primi Ecclesiæ catholicæ scriptores, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod propriè consistit.

Cæterùm fatemur etiam, verum esse: quòd post lapsum Adæ omnes homines naturali modo propagati, nascentes habeant *peccatum originis.* Intelligentes peccatum originale, quod sic vocant sancti Ecclesiæ catholicæ Patres, & omnes orthodoxi & piè eruditi in Ecclesia; videlicet reatum, quo nascentes propter Adæ lapsum rei sunt iræ divinæ, & mortis æternæ, ac ipsam corruptionem humanæ naturæ propagatam ab Adam protoplasto.

Quin confitemur quoque catholici, Verbum, hoc est, Filium Dei assumpsisse naturam humanam in utero beatæ Mariæ Virginis. Ut sint duæ simul naturæ in Christo Jesu, nempe divina & humana in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus, verè Deus & verè homo, natus ex Maria Virgine, verè passus, crucifixus, mortuus ac sepultus, ut is reconciliaret nobis patrem, & hostia esset non tantùm pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus peccatis hominum. Idem descendit ad inferos, & verè resurrexit à mortuis tertia die, pòst ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dextram Patris, ut perpetuò regnet ac dominetur creaturis omnibus, sanctificet credentes in ipsum, misso deorsum Spiritu Sancto in corda eorum, & sanctificatis det vitam æternam. Idem Christus filius Dei palàm est rediturus, ut judicet vivos ac mortuos resuscitatos, juxta Symbolum Apóstolorum, *&c.* Verùm ut consequamur credentes hæc summa Christi beneficia, scilicet remissionem peccatorum, sanctificationem, justificationem, & vitam æternam, dedit nobis Evangelium suum, in quo hæc immensa beneficia nobis proponuntur, sicut scriptum est Lucæ ultimo: *prædicare in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum inter gentes, &c.*

Præ-

Prӕterea non diffitemur Catholici de *Ecclesia*, quòd una & sancta perpetuò sit in terris mansura. Est autem Ecclesia propriè congregatio membrorum Christi Sanctorum in universum, qui verè credunt, & ex animo obediunt Christo, etsi in hac vita huic congregationi multi mali & hypocritӕ admixti sunt, usque ad novissimum judicium, &c. Habet autem Ecclesia propriè dicta, signa sua, puram ac sanam doctrinam Evangelii, & rectum usum Sacramentorum. Et ad veram unitatem Ecclesiӕ opus est consentire de hac doctrina Evangelii, & administratione Sacramentorum.

De *Baptismo* catholicè iidem docemus, quod necessarius ad salutem, tanquam sacramentum à Christo Domino institutum in aqua & spiritu; & quòd per Baptisma afferatur nobis gratia Dei, & quòd parvuli in fide Ecclesiӕ, non in sua, quam per ӕtatem habere non queunt, baptizandi sint; quodve per sacrum baptisma Deo commendati recipiantur in gratiam Dei, & fiant filii Dei ex filiis irӕ, sicut Christus ipse testatur loquens de parvulis in Ecclesia: *Non est voluntas patris vestri, qui in cœlis est, ut pereat unus ex parvulis istis.*

De *Sacramento cœnӕ Dominicӕ* (quam Eucharistiam Ecclesiastici appellant) Catholici docemus, quòd sub specie panis & vini verè exhibeatur in mysterio corpus & sanguis Christi iis, qui vescuntur altera pariter & utraque in unitate Ecclesiӕ Christi, exercentes simul omnia, quӕ ad Eucharistiam sacram hanc spectant, ex doctrina literarum Apostolicarum. Equidem, quod ad sumptionem attinet, posthac ita exigente causa, non magnoperè digladiamur cum utraque vescentibus, modò fiat juxta veteris Ecclesiӕ formam, & non pro cujusque cerebelli arbitrio.

Jam de *Sacramento pœnitentiӕ* confitemur nos quoque, quòd lapsis post baptismum contingere possit remissio peccatorum quocunque tempore, cùm convertuntur ac restituuntur lapsi: & quod Ecclesia talibus, qui redeunt ad pœnitentiam, impertire absolutionem debeat. Constat autem pœnitentia, & conversio impii, & reversio peccatoris propriè tribus, contritione cordis, confessione oris, satisfactione operis, qua nimirum satisfit Ecclesiӕ offensӕ. His prӕcipuè additur indubitata absolutionis fides, qua resipiscens credit, sibi propter Christum certò remitti peccata anteacta, &c. Confessio peccatorum, veteribus Exomologesis grӕcè dicta, propter absolutionem in Ecclesiis passim retinenda est, quanquam non necessaria sit delictorum omnium anxia enumeratio, nec ista peccatorum omnium circumstantia. Contenti sumus scriptis atque exemplis, adeòque vestigiis priscӕ Ecclesiӕ Dei. Alia est ratio Confessionis necessariӕ, quӕ fit Deo, cui soli peccavimus, ac malum coram eo fecimus. De satisfactione sentimus, quemadmodum sentit D. Cyprianus, cumque eo tota vetus Ecclesia: Deo satisfacere nemo potest, & est perfecta atque consummata satisfactio nostra Christus, sed Ecclesiӕ sive per publicam, sive per privatam pœnitentiam satisfacere aliquo modo possumus: peccata verò expiari per hujusmodi, nulla scriptura docet, fanatici quidam errones docent. Criminosorum seu flagitiosorum conversatio, siquidem planè non est timor Dei ante oculos eorum, diffidentiam tardissimamque absolutionem jure habet, quod sint coram Deo & hujus Ecclesia de facto ipso excommunicati, ac anathema facti. Istorum reconciliatio citra pœnitentiam publicam, & quam vocant canonicam, vereor ut fieri unquam possit.

Prӕterea fatemur Catholici unanimiter, *sacramenta* omnia instituta esse non modò, ut sint notӕ Christianӕ professionis inter homines, sed ut existant etiam signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, proposita ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui eis utuntur. Itaque utendum est sacramentis eo pacto, ut accedat fides, quӕ ex animo credat promissionibus per sacramenta exhibitis atque ostensis.

Qua fide accipimus promissam gratiam, quam sacramenta significant, & Spiritum etiam sanctum. Equidem vetustus ille ritus Ecclesiӕ mysticus (hoc est, sacramentalis) quo baptizati ad confessionem Evangelicӕ fidei confirmantur, & corroborantur, in totum abolere impietatis sit. Tantùm aboleatur abusus, & nescio quӕ ridicula ac plusquam puerilia, & valdè anilia. Certè sacratorum mitratorum (vocant hodie suffraganeos) levitas & morositas reprehendi meretur, qui cùm ad nihil aliud vacent, nisi ad corradendas undecunque pecunias, existimant, hic se esse meros reges superiores ipsis laicis, quos confirmandi gaudentes accipiant. Consulantur de hoc mystico ritu antiqui canones, & renovetur ita actus ille sacer, ut de baptizatorum atque in fide Christiana confirmatorum profectu gaudeat universa panegyris Christianorum. Atque utinam reciperetur in usum annuum actus ille huc faciens, quem vir quidam Dei ostendit in *prӕfatione paraphraseos in Evangelistam Matthӕum.*

Ad

„ Ad eundum modum (ut de his plura loquar, cujuſmodi in libro Comitiali deſideremus Orthodoxi) nihil conducebat ad veram (ut putatur) pietatem reſuſcitandam initio iſtius moliminis, temerè diſſentire à receptis ſacri *matrimonii* tam legibus quam moribus, & neſcio quæ nova concedere, priſcis Eccleſiæ temporibus ignorata, nec arcanis literis prodita. Nam ut leve ſit, matrimonii ſacramentum pernegare, quid attinebat gradus, lineaſq; temnere, & tot divortiis totque novis ac falſis nuptiis Eccleſias implere? Quod quid eſt aliud quàm Chriſtianum matrimonium diſcerpere atque prophanare, ut jam Judæis potiùs & Ethnicis reſpondeant ſponſalia quædam, quàm Chriſtianis moribus? Habebat Eccleſia non parùm pauca in uſu, quæ nemo prudens facilè rejiciat. Ejuſmodi proceſſus, ut ita dicam publicos, modò videmus antiquari. Utantur illi, obſecro majorum quibuſdam ſanctionibus & conſuetudinibus; viciſſim nos ab illorum placitis, ſiquidem ea ſana ſunt, non abhorrebimus, huc utrinque ſpectantes, ut meliùs agatur cum conjugiis, quàm nunc eſt in comperto. Si abrogare aliquid libet, fac abroges Sardanapaliſmum, nuptias paſſim comitantem in omni licentia carnis & ſanguinis; & præcaveas uſque adeò faciles conjunctiones obſcurorum homunculorum, per quas temerarias deſponſationes terra nebulonibus repletur & ſcortis, non ſine ingenti matrimonii ignominia, præſertim ſi copulentur ad libitum ſuum, qui prima conjugia ipſi præter honeſtas cauſas diruperunt. Licebit interim de ſacro matrimonio perutilia concionari è ſacris Bibliis: Licebit hujus laudationes commemorare, cantionibus ſeu odis ſpiritualibus lingua vernacula celebrare, conjugatos ad vitam matrimonio Chriſtiano dignam adhortari, & ſi quid reſtat, quod profeſſio noſtra exigit.

Sic ſuper ſacro *Ordine* principio judicare ac diſſerere conveniebat. Ob ſacerdotes malos malè judicabatur de Ordine déque toto ſtatu. Conſulatur Antiquitas, hæc quod pronunciat ratum eſto:. Nihil enim uſq; adeò moramur acceſſoria. Gradus habuere veteres, nec tales faſtidit Apoſtolus, uti non rejicit etiam impoſitiones manuum, & χειροτονίας. Quid flagitii fuerit, ſi adhibeatur chriſma, quo uſa ſunt priſcæ Eccleſiæ Catholicæ ſecula? Quid ea in parte eſt ridiculi, etiamſi è veſtigiis Synagogicis id aliquo modo ſupereſt? Si valent in Eccleſia varii Ordines, quidni hic Ordo valeat tantò ſublimior, quantò curandis animabus utilior? Deme abjurationem legitimi connubii, (quæ cauſa fuit inenarrandæ turpitudinis,) & abuſus plures, & opiniones ſcholaſticorum quorundam, de cœlibatu annexo ordini, de charactere ficto, déq; ſimilibus aliis; non inveniet vir pius, quod in hoc venerabili Ordine ita authorato, & per Eccleſiam utramque ita roborato, bono jure culpet. Compertum eſt, qua populi utilitate ſint, & qua gravitate conſtituantur ab extrariis Paſtores, quales iſti ſunt, quàm ſæpenumero intolerandi, & tolerari eos tamen oporteat per magiſtratus, & inſpectores ſuos; quanquam non excuſarim noſtros quoſdam omni modo reprehenſibiles, dormientibus aut aliud agentibus Epiſcopis, parùm aptis ad diœceſin ſeu gubernationem tot Eccleſiarum. Itaque conſultiſſimum fuerit utrinq; ſapere, & tandem idem ſentire in his legibus, moribus ac ritibus eccleſiaſticis, & idem, quod eſt antiquitati ſanctæ conformius, conjunctis animis complecti, & publicitus tenere; ne ſemper inter Judæos, Mahumetanos, ac prodigioſos novarum hæreſium architectos, hoc etiam exortos anno, ſacroſanctiſſimum Chriſti Jeſu unigeniti Dei nomen, & auguſtum Eccleſiæ Catholicæ agnomen malè audiat, blaſphemiis diſcerpatur, opprobriis conſpuatur, propter noſtras perpetuas diſſenſiones, & diverſa partium ſtudia.

Eodem pertinet, ut paucis admoneamus de temerè abrogato *Unctionis* externæ ritu myſtico, ne propter inemendatas hujus ſacræ actionis corruptelas, rem per ſe religioſam, & morituris in Domino fructuoſam, perpetuò conculcent, ſed recipiant potiùs ad uſum, amputatis quibuſdam ſupervacaneis atque otioſis additionibus. Breviter: Maneat ſubſtantia, tollatur abuſus hoc quoque loco. Indignum cùm ſit, preces uſque adeò pias omitti ſine cauſa, eas lingua morientibus intellecta prælegere liceat, unà cum exhortationibus validiſſimis; nec abeſſe poterunt piæ interceſſiones circumſtantis viciniæ. Si quæ tradiderunt Apoſtoli ſuis temporibus non quadrant ſingula cum his quæ præſens facit Eccleſiæ ſtatus, propterea haudquaqam rejiciendum erat bonum inſtitutum, quod eſt è radice ſancta, & Apoſtolici ſeculi manifeſtum veſtigium. Conſentiamus, obſecro, nec ſit poſthac inter nos ſchiſma. Deteſtemur ſuam quiſque φιλονεικίαν, & φιλαδελφίαν in conſilium adhibeamus; ſic erit Deus pacis nobiſcum.

Jam ut ad *libellum Confeſſionis* propoſitum redeamus; rectè ſtatuitur, neminem publicè concionari debere, aut ſacramenta adminiſtrare, niſi ritè vocatum, quod autem fit per legitimam *ordinationem*, atq; conſtitutionem presbyteri. Nec alienum à vero eſt, ritus ac obſervationes in Eccleſia retinendas eſſe, etiamſi humana autoritate ſint natæ, cujuſmodi citra læſionem fidei ac divinæ legis peragi poterunt, ut omnia ſecundum ordinem fiant, & ſervetur

servetur tranquillitas publica. Quod genus sunt Feriæ, quas reduci ad originem antiquitatis suæ oportet, revocandæ concordiæ gratia, ut electiores eæ sint, quàm plures. Quò plures sunt, eò occasionem præbent ad plura peccata, & graviora scandala.

Ad hanc veluti regulam publicæ pertinent in templis *cantiones*, quas omninò castigari, atque ad γνώμονα sacræ Scripturæ corrigi necesse est: Ut existant aut in ipsa sacra Scriptura, aut è sacræ Scripturæ verbis contextæ, aut ita vetustæ, ut liqueat, ab ipsis Ecclesiæ primordiis ac incrementis, à sanctis Patribus compositas, & clero populoq; Catholico decantatas esse. Recentiores istæ sileant in Ecclesia, quæ sæpe plus divis, quàm Deo ipsi tribuunt, aut certè divos Deo æquiparant, hoc est, creaturam creatori similem faciunt, idololatriæ speciem quandam post se trahentes. Conticescant item cantiones tumultuosæ, ad efferandos populorum animos confictæ, falso psalmorum titulo acerbis conviciis refertæ, contumeliosæ, minaces, nihilque minus sperantes, quam veram pietatem ac fraternam charitatem. Prudenter autem fecerint monarchæ, & cæteri Principes, si primo quoque tempore Ecclesiasticas aliquot odas à piè doctis quibusdam pangi curent, lingua populo vernacula seu domestica, ut liceat & idiotis Catholicis Deum timentibus, interdum in laudem Dei succinere more vetusto, unde corda ad Christum erecta exhilarescant. Sed postea de cantu chorali plura dicemus.

Ad hæc fatemur nos quoque, humanis constitutionibus, & consuetudinibus, & opinionibus, pro tempore locoq; prognatis, conscientias Christianorum per tyrannidem non onerandas, aut illaqueandas, aut territandas esse, ut discernatur à præcepto divino constitutio humana. Nisi tamen accedat contemptus transgressorum, aut scandali tam publici, quàm privati proseminatio. Lex Ecclesiæ legi Christi congruens, cum animæ periculo violatur. Traditio verò Apostolica est, quæ è fontibus Ecclesiæ priscæ ad nos usque promanat, & quæ fidem Christianam ornat, bonos mores decorat, quæve fidelium nemini est onerosa, conscientiam non obligare non potest, maximè quoties cum contumacia, & majorum fastidio improbè negligitur, ac superbè præteritur. Justitiam autem & sanctimoniam in observatis istis constitutionibus ponere velle, nec nos docemus, sed aliquid condonandum arbitramur tempori.

De constitutionibus inferiùs plura, *Cultum* alium in terris nescimus, præter eum, quem soli Deo debemus, & neque δουλείας neq; ὑπερδουλείας Christiani scimus, eo saltem sensu, quo tradiderunt non Ecclesiastici, sed Scholastici; qui erant non contenti prima illa atque originali, puraq; theologia, nec sat habuerunt Latino sermone uti, quemadmodum antiquissimi & eruditissimi Ecclesiæ Patres, nisi novum loquendi & scribendi genus excogitassent, malentes barbarè quàm Latinè sua disputare placita, & Ecclesiæ dogmata intricare magis quàm extricare, magisq; obscurare quàm elucidare. Quo fit, ut parum absit, quin istiusmodi ματαιολογία omnem calamitatem, quæ hodie Ecclesiam obruit, uni debeamus, si rem apud animum tuum seriò pertractes ac fateri fas sit. Eo enim rem adduxerunt, ut vulgò crederetur, Ecclesiam sanxisse quicquid isti somniarant, magis innitendo metaphysicis commentis, quàm Evangelicis aut Apostolicis literis. Unde nunc vix magno negotio dediscitur, quod semel imbiberat persuasa juventus, & jam pudeat consenuisse inter ista spineta, quæ roseta putabantur.

De *rebus civilibus*, (de monarchiis, præsertim de Cæsareatu quæ est potestas sublimior, postea) deq; magistratibus, principibus, præsidibus per obedientiam honorandis, nemo Catholicorum dubitavit unquam, nec quis horum ordinationibus legitimis restitit unquam, multò minus ministros Dei, qui gladium non frustra gerunt, impugnavit; non tamen nescii sumus, Deo ipsi magis obtemperandum, quàm hominibus, juxta parænesin Apostolicam. Evangelio credere si vetaret homo, non obedimus, siquidem Deus Evangelio credere præcipit. Multò verò propensius Evangelio credimus, Evangelicam doctrinam sequimur, Evangelium mente ac conversatione complectimur, quando præterquàm quod Deus præcipit, jubet etiam potestas ordinaria. Atque huc omnem curam, omneque studium conferimus, ut vita nostra tam politica, quam œconomica Evangelium Christi sapiat, ac spiret.

Quinimò confitemur, docemus, & gaudemus Catholici, quod Christus unigenitus Dei filius apparebit in consummatione mundi ad judicandum, & mortuos omnes resuscitabit, & hominibus piis dabit vitam æternam, ac gaudia perpetua: Impios autem homines & diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur. Quotquot his dictis reclamant, *Anathema maranatha* liberè dicimus.

De *libero arbitrio* docent Catholici, quòd voluntas merè humana libertatem habeat quidem cogitandi, dicendi, proponendi, faciendi. sed quæ hominis sint, hoc est, carnalia, profana, secularia. At voluntas ejus hominis, qui est ex aqua & spiritu renatus, qui nova creatura factus, per gratiam restitutus, jam spiritualis verius quàm carnalis, eò quòd

spiritu

ſpiritu Dei agitur, libertatem habet cogitandi quæ Dei ſunt, & eadem faciendi: agitante enim illo caleſcimus ad omne opus bonum perficiendum. Itaque homo Chriſtianus Evangelio Chriſti imbutus, fide Chriſti mundatus, per Chriſtum poteſt bona opera perficere, & pariter mala opera fugere, ut Deo placeat, quod fecit. Poteſt, inquam, amare Deum, diligere proximum; atque talia præcepta Dei non ſunt gravia, quantumlibet in omnibus aliquanto tardius, & difficilius ad perfectionem, propter naturam ſæpenumero gratiæ præpollentem, etſi invitis ac ægrè ferentibus nobis, atque etiam per fidem & timorem Dei ob oculos noſtros obverſantem, acriter repugnantibus. Præceptis autem Dei morem gerere difficillimum foret homini tam nato quàm renato (ut quod eſt veriſſimum confiteamur) niſi, Apoſtolo docente, *Deus ipſe eſſet, qui operaretur in nobis* credentibus ipſum *velle*, hoc eſt, voluntatem hanc ad bonum omninò liberam; & niſi Dominus in Evangelio diceret, ſine ipſo nihil nos facere poſſe. Quod ſi ſine ipſo nihil poſſimus facere, cum ipſo & cooperante ipſo, inſtigante ipſo, quid boni non fecerimus, modò velimus? Deus operatur in nobis ipſum operari, ſeu facere bonum: quidni igitur per ipſum, & cum ipſo quod bonum eſt, facere, & quod malum eſt, poſſimus omittere? *Non eſt à nobis ipſis*, inquit Apoſtolus, nec eſt virium humanarum, Deo placere poſſe: deſuper datur: uſq; adeò verum manet, nihil nos habere, quod non divinitus acceperimus, ne de carne noſtra gloriemur, in qua videlicet bonum aliquid eſſe Paulus negat. Sicq; conſiſtit illud: Nihil accipere hominem, niſi fuerit ei deſuper donatum. Nolle bonum, nolle Deo obedire, aut etiam poſſe, malum autem velle, naturæ ſimpliciter humanæ eſt; velle bonum, nolle malum, velle Chriſti legem ſervare, Chriſti verbum audire, cordi affigere, factis exprimere, Chriſti veſtigia per crucem ſequi, non naturæ humanæ eſt, ſed gratiæ divinæ. Nihil fructus tulerit palmes extra vitem, ſed palmes manens vegetus, vividus, floridus, in vite fructum multum & fert, & ferre poteſt. Hîc vides radicem omnis rei, quæ eſt nimirum è Spiritu ſancto, qui datus eſt nobis credentibus. Eo ſanè pacto habet homo, non præcisè homo, ſed Chriſtianus, liberum arbitrium. Pelagiani non ſumus, ſed non iidem Manichæi, multò minus nobis eſt negotii cum neceſſitate Wiclephica, & Philoſophorum fato, ſed gratiam prædicamus noſtræ voluntati cooperantem, & talem gratiam, quæ ſpecialis ſemper nobis adſit, non ſit tantùm generalis. Non loquimur de rebus mortalium, quid illic natura poſſit ex ſeipſa, hoc eſt, ſine gratia: ſicut in vita, & converſatione filiorum Adam omnium conſpicuum eſt, ac erat olim Paganorum ante & extra Evangelium Chriſti: Præterea quid natura eadem, quanquam ab initio corrupta, valeat in politicis & œconomicis. Loquimur tantùm de rebus Eccleſiaſticis, divinis, ſacris, & ad Deum, Deiq; regnum unicè ſpectantibus, quantulum ibi poſſit naturalis propago, ſine cœleſti gratia, non ſolùm opitulante, verùm efficiente etiam & ſuggerente, & robur addente, & irrefragabiliter cooperante. Si idem ſentit liber propoſitus, ut videtur, cum orthodoxis ſentit, & nos libro adſtipulamur, dextramq; jungimus. Gratiæ tribuimus plurimum, ac nihil non; naturæ minimum, ſi quid minimum tamen tribuimus. Aurelius Auguſtinus judex inter nos eſto, non ſolùm in hac controverſia. Cum illo loquimur, cum illo tacemus, & ſacris Scripturis confidentes, nos rectiſſima via ire ſcimus; quicquid ante nos garrierint novæ, hoc eſt, Scholaſticæ theologiæ fabri, quorum iras facilius feremus quàm Dei, qui eſt benedictus Deus veritatis.

Subjungitur in libro de non negligendis, aut rejiciendis *bonis Chriſtiani populi operibus*, id quod mirum in modum placet veteris Chriſtianiſmi indagatoribus. Eſto ſanè, qui laudem bonis operibus detraxerit, nemo ſit, introducatur in lite conciliatrix, & amneſtia illa olim Athenienſis rebus vel factis vel infectis imperet ſilentium. Eſt in confeſſo, verè bona opera credentium in Chriſto, & eo authore, bono profecta ſpiritu, majeſtati divinæ placere. Unum reliquum eſt, ut excuſſo torpore, & percalcata acedia tandem accingamur utrinque ad facienda bona opera, ne perpetuò rixemur de re, quæ exiſtit nuſpiam. Jam ſi altum ſiluerunt conciones uſque ad hæc tempora, de præcipuè bonis operibus & exercitiis fidei, nos ejuſmodi detrimenta tuenda non ſuſcepimus, uti non probamus incultas tantùm fuiſſe.

Conſtitutionum Humanarum commendationes de feriis plus æquo numeroſis: De jejuniis coactis, & per eos injunctis populo qui ipſi non jejunârant: de falſo monachatu hujuſque manifeſta hypocriſi, & vita parum pudica, rarò ſobria: De fictis fraternitatibus, vel ad quæſtum, vel ad comeſſationes, vel ad veræ fraternitatis, quæ eſt in Chriſto, ludibrium: De peregrinationibus votariis, quæ quid reipublicæ Chriſtianæ ad veræ pietatis ædificationem profuerint, totus nunc orbis novit: De cultu ſanctorum, quem præter canonicam ſcripturam introduxit in Eccleſiam turpis lucri cupiditas, & ter quaterque maledicta ſuperſtitio uno Deo non contenta: De roſariis: Adde de reliquiarum quæ-

ſtuariis, aut potius de reliquiis ſanctorum ad quæſtum proſtitutis quæ ab ebriis nugonibus quibuſdam conficta erant, ac ſi Sanctorum eſſent, cùm illis extiterit nihil nugacius; quod poſtea ipſi inter pocula effutierunt: denique de indulgentiis, (ſiquidem harum intolerabilis abuſus ſua ſponte interiit) in præſens nihil attingemus. Ejuſmodi ſi qui publicitus concionati fuerunt auſi, næ illi fideles ſervi Domini, & digni ſunt, qui ſupra multa conſtituerentur obeunda.

Fatemur *Caliginem*, nec imus inficias, per eos fuiſſe iſtiuſmodi in Eccleſiam invecta, per quos minimè debuit, & quos nunc authores eſſe oportuit, ut Augiæ non fabuloſum ſtabulum expurgaretur. Abhorrent animi piorum hominum, ſi percipiant iſthæc in concionibus bonorum operum loco fuiſſe apud majores noſtros declamata; qui error quantus ſit, nemo facilè crediderit. Veriſſimum eſt, opera ab operibus diſtingui debere; alia eſſe bona, quæ præcipit Dominus in Evangelio, & docent Apoſtoli in epiſtolis, cujuſmodi cum fide exiguntur, ad poſſeſſionem ſeu hæreditatem vitæ. Alia eſſe opera templaria, quæ in cultu divino requiruntur, quæ & ipſa ſi rite fiant, bona ſunt, & nullo modo contemnenda, ſi tamen ſacræ Scripturæ fines non tranſcendant. Rurſum alia eſſe opera civilia, quæ fieri poſtulat magiſtratus: hæc ad politiam pertinent. Item alia eſſe domeſtica, quæ & parentes & pædagogi jubent; atque hæc ad œconomiam ſpectant. Neceſſaria ac utilia omnia ad præſentem vitæ hujus functionem, ἀδιάφορα ſeu indifferentia nulla. Inter tot opera quærimus tantum in fidei Chriſtianæ regno Eccleſiaſtica, quotquot nomen laudemque ſuam habent in ſacris Bibliis, quæve animabus ſervandis conducunt. Hæc bona opera neque rejici, neque negligi, neque omitti à quoquam debent, quia ſunt à Deo prodita, & mandata credentibus ad ſalutem, & quæ ſuas habent promiſſiones Dei Opt. Max. & in quibus voluntati divinæ ſervitur: Breviter, quæ olim in judicio exiget, & affatim remunerabit. Hic eſt rei ordo. Conjungimus igitur noſtrum conſenſum cum libro propoſito de commendatione verè bonorum in fide operum, adverſus iſta quædam, quæ nec bona opera dici merentur, nec mala, nec media; & utinam fuiſſent mundo ſemper incognita.

Deploramus ergo nos quoque hanc Eccleſiæ calamitatem, quòd regnârint in ea varii cultus, quos Græci ἐθελοθρησκείας appellant, & quòd in humanis ceremoniis fiduciam ſpemque ſalutis unicam collocantes, in errorem ſeducta ſimplicium corda, cùm fiducia ſpeſque ſalutis æternæ unica poni ſolùm debuit in Chriſto Jeſu Servatore noſtro unico. Tantum abeſt, ut eam poni conveniat in meritis bonorum etiam operum, quæ præcepit Deus, ut faceremus. Uſque adeò agnoſcimus nos ſervos inutiles Domini, etiamſi fecerimus omnia, quæ ille præcepit. Ille, cujus præcepto juſſuque facimus, & cui ſerviendo inquam ejus gloriam facimus, bona ea opera ſeu facta eſſe æſtimabit, ac rependet: non judicabit inutilia, ſi nos judicaverimus noſipſos inutiles, & gloriationem operum ſive Chriſtianè factorum ultrò fugerimus.

Conſentimus quoque citatis locis adverſus opera ceremonialia in Judaiſmo, & propè ſimilia in Chriſtianiſmo, ſi accedat fiducia, & maximè horum neglectus quæ graviora ſunt legis divinæ. Hæc oportet Chriſtianos ſervare neceſſariò; ſed quæ exteriora ſunt in Eccleſiis, etſi leviora, non omittere. Semper verum eſt, miſericordiam erga proximum imprimis requiri, & charitatem longè magis poſtulari, quam ſacrificium; hoc eſt, facta Chriſtianæ charitatis præpollere iis, quæ agitantur per templa, potiſſimum ſi ſint ex humana conſtitutione, quemadmodum ſuperiora illa ex lege divina.

Ideòque collaudamus, quòd & alii primùm evangelizant, proponentes auditoribus Evangelium Chriſti, vera fide recipiendum; deinde addunt doctrinam de bonis operibus. Tale enim non Apoſtolicum eſſe non poteſt. Fidem promiſſionis rectè inculcant populo, & idem nos facere oportuit, poſteaquàm Evangelium arguit peccata, & requirit pœnitentiam & ſimul offert remiſſionem peccatorum propter Chriſtum gratis, non propter humanarum virium aut meritorum dignitatem.

Et ſicut univerſalis eſt pœnitentiæ prædicatio, ita & promiſſio gratiæ univerſalis eſt, & omnes ex æquo credere jubet, & accipere beneficium Chriſti; quia miſericordia Dei locupletiſſima redundavit in omnes homines, & hujus gratia φιλανθρωπία, id eſt, erga homines amor apparuit, illuxit, & palàm innotuit per Chriſtum omnibus hominibus. Unde advocat ad ſe ipſe Servator omnes homines, quotquot ſpiritualiter oneratos ſe eſſe agnoſcunt, qui venit ſervandis ex æquo omnibus. Pœnitentia peccatoris, & de peccatis commiſſis contritio, quam vocant, & dolor unà cum fructibus pœnitentiâ dignis, & ſui accuſatione propriaque condemnatione, & clavibus apoſtolicis & Evangelicis abſolutionibus, eſſe quidem debent in populi Chriſtiani uſu aſſiduo: ſed etſi hæc ipſa neceſſaria ſemper ſunt, ad impetrandam remiſſionem peccatorum, maximè poſt baptiſmum reiteratorum, tamen ſi conferantur cum gratuita miſericordia

Dei,

Dei, in Christo terrarum orbi exhibita præstitaque, & immensis ac inenarrandis meritis Christi unigeniti Dei, quantilli obsecro pretii fuerint? Solatium peccatoris omne in Christo quærendum est per fidem sui verbi: & ab hoc agno immaculato qui tollit peccata mundi, omnis peccatorum remissio perfecta expectanda est, & sanitas paxque conscientiarum & tota salus animarum: nihilominus tamen quæ divinitus jubemur exequi in Ecclesiæ communione, necessaria sunt, & ob id contumaciter fastidiri, negligi, ac omitti non debent, nec sine damnatione possunt, quantumlibet fiducia speique omnis in Christi gratia, quam peccatori ostendit, semper collocanda est. Quid nobis remitteretur, nisi esset gratia? Vicissim quæ esset erga nos gratia, nisi præcederet vera pœnitentia? Quandoquidem homini nisi pœnitenti, & ob commissa semet excrucianti, atque Christum in angustia conscientiæ suæ gementi ac suspiranti, non unquam contigit remissio? Num opus est medico, nisi malè valenti, & qui agnoscit se malè valere? Num missus est Servator in mundum, ut sanet, nisi contritos corde, & prædicet captivis remissionem? Nisi fortè sit captivus, qui se nesciat captivum esse. Hæc verò captivitatis & miseriæ nostræ cognitio ex concione verbi Domini primùm nobis contingit, in quo audimus, nos filios iræ nasci, & æternæ tradi gehennæ, nisi è tenebris spiritualibus experrecti ad libertatem, redemptorem, illuminatorem, medicum, Salvatorem, Christum Jesum filium Dei vivi à patre in hoc missum, confugerimus de cœlo renati.

Rectè hic dicitur, *fide hoc beneficium accipiendum est, qua credere nos oportet, quod propter Christum nobis donetur remissio peccatorum*, nempe credentibus. Siquidem apud Lucam in verbis Domini conjunguntur hæc duo: pœnitentia & remissio peccatorum, quasi alterum absque altero non firmè consistat. Et hæc duo complectitur fides verbi, quo promittitur absolutio, citra quam hæsitaret in ambiguo peccator, non habiturus ubi pedem figeret. Usque adeò est in negotio prædicatæ salutis firma hypostasis, & substantia certa Dei Opt. Max. promissio. Et nihil habet absurdi, nihil perplexum, nihil sophisticum. Non est hîc opus disputationibus de prædestinatione, aut similibus; nam promissio est universalis, quod antehac diximus, & nihil detrahit operibus, imò exsuscitat fidem, & verè bona opera. Nam remissio peccatorum transfertur ab incertitudine, insufficientia, reputatione, dignitate, gloriatione, fiducia nostrorum operum qualiumcunque.

At quò? ad misericordiam Dei, ut hoc tantùm salvationis solidum, ratum, certumque sit: non ut nos in Ecclesia nihil agamus, & otiosi securique vivamus, sed multò magis, ut sciamus, quomodo placeat Deo nostra obedientia, quæ fit in timore ac tremore Dei, in spontanea servitute Dei, in vera fide ac dilectione Dei, per opera bona toties Apostolo commendata, per abnegationem impietatis, ac mundanarum concupiscentiarum, per sufferentiam communicatæ nobis crucis, & per conversationem piam, justam, ac sobriam in præsenti seculo, usque ad diem Domini, quando redditurus est unicuique juxta opera sua. Quæ omnia communienda atque convestienda sunt ab Orthodoxis testimoniorum multitudine, de Scripturæ sanctæ hausta fontibus. Et consultum est cumprimis, ne secus loquamur, quàm de Evangelio locuti sunt authores veteris Ecclesiæ probatissimi, quemadmodum nec aliter sentimus, quàm illi sanctissimi atque doctissimi viri, qui Evangelium suo etiam cruore, non sermone tantùm confirmârunt. Reliquimus tamen alios suo more loque de justitia, quos nobis conjunctos religione Christiana fore in omnipotente Deo speramus, post tot certamina, quibus sæpe reperitur, non semper amittitur veritas.

Audivimus satis patienter ac benevolè, qua sermonis consuetudine, & qua diligentia inculcent, atque subinde iidem repetant receptam suam istam pithanologiam, quæ tamen à doctrina Ecclesiæ recta non ita multùm dissidet, si res ipsa penitus discutiatur. Cum pace igitur sua proponemus pari modo Ecclesiasticorum doctrinam de justitia hominis, quam satius erat habere, quàm disputare. Tamdiu ac toties rixamur de justificatione, & nunquam anhelamus, ut justi simus revera, & justi reperiamur ad salutem. Vellemus autem, de fide justitiæ quoties dicunt, ut exclusivam istam pacificè ac amicè omittant, quando sacræ nullæ literæ eam addunt, & ex Scripturis canonicis potius loqui ac docere ament, quàm ex propriis. Meminerint, se quoque dicto Davidico esse obnoxios, omnes homines mendaces. Arrogantiam odimus, modestiam si qua esset laudaremus. Sed esto: tempora poscunt mutationem in melius partis utriusque, ita ut sacræ Scripturæ in his hodie odiosissimis controversiis intercedant, & ad iter requirant, atque medium invitent, quatenus substantia religionis ac veritas professionis Christianæ ipseque authoratus fidei canon permittit.

Quapropter fidei nostræ non usque adeò nudæ, & omnibus charitatis orbatæ officiis, omnibus Sacramentorum adminiculis destitutæ, omnibus latriæ obsequiis, omnibus in universum erga quoscunque factis spoliatæ, virtutibus Christianis exutæ tribuatur, quod cùm ipsi fidei pariter, tum observationi mandatorum Dei tribuit tota Scriptura utriusque Testamenti. Scriptura, inquam, tribuit: idem facit Ecclesia per orbem terrarum diffusa, quam antiquitas vocat Catholicam & Apostolicam, quæ est universalis consensus communionis sanctorum, quam in Symbolo confitemur & credimus, nimirum justitiam, sanctimoniam, & vitæ æternæ possessionem, spiritualiter renatis & fide plenis, quæ fides per dilectionem operatur. Ἑτεροδιδασκαλίαν (ut, quod volo, ex Apostolo mitius eloquar) nec comprobare, nec recipere possumus: quandoquidem diversum sentiunt scripta Legis, Prophetarum, Apostolorum, Apostolicorum, sanctissimorum successorum, eruditorum Ecclesiæ scriptorum, beatorum patrum, electorum martyrum, & indubitatissimus consensus tam Orientalis, quàm Occidentalis Ecclesiæ, usque ad hanc divisionem præsentem.

Fatemur plusquàm ingenuè, quin credimus, talia opera seu facta nostra, non esse ejus dignitatis, ut hæc magnoperè attollamus, cœloque locemus: neque minus tamen hæc in verbo Domini exiguntur à credente, veluti necessaria, & passim cum fide charitas Dei proximique copulatur. Haudquaquam sumus nescii, quantilla sit coram Deo, adeoque nulla humanæ naturæ dignitas, quantillæ vires, & quàm imperfecta omnia: at iidem nescii minimè sumus, opera credentium bona esse dona Dei, cui sua dona quorum ipse autor est, displicere non queant, & juxta quæ sit in novissimo hæreditatem cœlestem redditurus. Profectò verè Catholici bonorum operum actionem, ac horum valorem nulli rei, præterquam agenti gratiæ Spiritus sancti ferunt acceptum. Cui gratiæ nostrum in bene agendo subservit arbitrium, quod est voluntas à Deo correcta ita, ut nostrum tam velle quàm posse nostrum gratiæ magis sit quàm naturæ.

Ea propter hactenus perstamus, nihil ferocientes in hac Apostolicæ Ecclesiæ sana constantique doctrina; secundum Scripturas sanctas, quas nostri majores (de vetustissimis loquor) nec fraudulenter, nec violenter tractarunt; sed non minus scribendo quàm docendo, pro pietate atque eruditione sua, simpliciter & fideliter secuti sunt, inde à primis annis fundamenti Ecclesiæ Christianæ jacti. Atque hîc quidem nobis Consilium non est, multis citationibus lectorem obruere, cùm possemus coacervare ad fidem huic doctrinæ conciliandam, infinita loca, tam è bibliis canonicis, quàm è scriptis patrum authenticis, quod ipsum alibi, opinor, plusquàm satis fecimus. In præsens tantùm legatur D. Augustini libellus, cui titulus *De fide & operibus*: deinde quod idem præco magnus Evangelii Christi in literas misit *super Psal.* 31. Utraque Ecclesia aliam nescit de justificatione fidem, præter eam quam Apostolus descripsit Galatis suis, nempe *fidem*; *quæ per dilectionem operatur*, ut paulò superius diximus. Norunt hoc loco, quid sibi velit vox græca ἐνεργουμένη. *Dilectionem autem majorem esse*, ex eodem Apostolo Paulo nemo non novit. A quibus oraculis nobis omninò standum arbitramur, & cum mansuetudine petimus, ut cupiditate victoriæ aliquantisper posita, de ipsa veritate seriò dispiciant, tanquam in conspectu Dei, & tandem ab antiquo Ecclesiasticos desinant contumeliis afficere, ac pro antichristianis proscindere. Quid pluribus contenditur? Pro sincerè Ecclesiasticis facit Scriptura ipsa tota V. Testamenti & consensus indubitatus utriusque Ecclesiæ, hoc est, Orientalis & Occidentalis, idque ab initio propagati Evangelii, cui contradicere quid sit aliud, quàm blasphemare? Profectò Evangelium Christi non potest esse, quod per Evangelium Christi oppugnatur. Nec verbum Dei potest esse, quod non prædicarit Paulus, non Petrus, non Joannes, non cæteri Apostoli, non horum discipuli, non horum successores Episcopi, sanctissimi pariter ac doctissimi ipsis etiam adversariis testibus. Jam si quid docemus Ecclesiastici, quod illi ante nos non docuerunt, quódve imprimis non docuerunt Apostoli, & ante hos Prophetæ Domini: age nos reos vel judicii, vel Concilii, vel gehennæ etiam si vis.

Coëgit diversa doctrina quosdam in angustias hasce, ut oportuerit fingere Fidem non rem sterilem, sed valdè fœcundam esse, & parere opera ex seipsa, ut opus non sit aut docere, aut præcipere, aut exigere à credentibus bona opera. At quibus istuc authoribus? Fidem aiunt arborem esse, quæ fructus operum ultrò proferat, & per consequens, fidem sine operibus nuspiam esse posse. Atqui secus clamat D. Augustinus, astruens, *fidem sine operibus esse posse, sed non prodesse*. Sic, amice Lector, sic habet Evangelica doctrina: nimirum Spiritum sanctum, & totum bonum illud quod in credentibus nobis creavit Spiritus sanctus, hanc esse arborem bonam, quæ bonos fructus, hoc est,

eſt, bona opera ex ſeſe in nobis credentibus divina ſua potentia generet: cùm ſit Deus Spiritus ille ſanctus, ac ideo creator rerum: certè Fides Creator non eſt, ſed creatura. Cur igitur creaturæ tribuitur quod eſt Creatoris? Quin & ipſa etiam Fides ab Apoſtolo inter fructus Spiritus ſancti palàm recenſetur; tantum abeſt, ut queat illa eſſe arbor fructifera.

Adhæc *tota lex & propheta* non fide nuda, etſi vera & Evangelica, non hiſtorica tantùm, & quemadmodum ipſi inquiunt, viva, *ſed in dilectione Dei ac proximi* pendent: ut teſtificatur Evangelium noſtrum, ſive ut Apoſtolus Paulus doctor noſter affirmat his verbis: Tota lex uno verbo comprehenditur atque completur, videlicet *dilectionis.* Et Deus eſt dilectio, Deo autem nihil majus eſſe poteſt. Is nunquam ceſſabit, eodem Apoſtolo teſte: ideo *nunquam ceſſabit dilectio.* Hæc dilectio ſive charitas eſt veſtis nuptialis in Evangelii parabola de puro corde, quippe exiſtens charitas in conſcientia bona non ſimulata: quæ credentes Chriſtiana converſatione veſtit atque ornat. Hæc dilectio ſive charitas eſt oleum illud in lampadibus virginum, utpote miſericordia erga fratres feliciſſimè flagrans: Nec *unum illud neceſſarium* apud Lucam Evangeliſtam fides eſt, ſed auditio. Non debet ita quibuſlibet ſcripturæ locis affigi fides, idque vincendi tantùm ſtudio. Et probi hominis non eſt, pro ſuo libitu ſacras torquere literas.

Quæ cùm affirmamus, num Fidem extenuamus? Num excludimus? Num poſtponimus? Nullo modo, ſed damus unicuique quod ſuum eſt. Procul abſit tam ſacrilega tamque diabolica de hominibus catholicè Chriſtianis aliorum cogitatio. Præponi fides debet, quia præcedit, quia oportet primùm credere accedentem ad regnum novi Teſtamenti. Jacit hæc fundamentum Eccleſiæ, quod ſolus Chriſtus eſt: dilectio ſubſequens, hoc fundamento jacto, ſuperſtruit & perficit, ac conſummat, quod initio illa cœpit, adeò non ſola, ut ſi abſit dilectio, frigeat, & veluti mortua videatur. Qua fronte excludamus Fidem, videlicet *ſine qua placere nemo Deo poteſt?* Tuemur modò dilectionem, bonorum operum matrem, ſine quibus fides eſſe non vult, nec valet caſſam nucem. Et confirmamus, eadem contentione, eodemque zelo, ſtudio, ardore dilectionem prædicari in Eccleſia oportere, quo prædicamus fidem: ne imprudentes deſtruamus quod conſtruxerunt Apoſtoli, quod Prophetæ, quod Martyres; & ne populus in ſecuritate & licentia torpeſcat perpetuò, erret in meridie, palpetque cæcorum inſtar, ignorans ſemper, quod iter ingrediatur ad vitam.

Si dogma iſtud extorſit cura inutilium vulgi operum, cujuſmodi proxima vidit ætas, videmus id præpoſteri ſtudii deferbuiſſe jam adeò, ut poſthac, ſi pugnare hoc enſe non abſiſtes, mortuum jugulare videaris, præſertim apud Germanos, quibus propitio Chriſto recipere viſum bona ex parte contigit. De ſumma vi fiduciæ, ac potentia maxima ſpei, alio loco è linguarum fonte diſſeritur.

Quæ poſthæc liber copioſè enumerat *de bonorum operum ratione*, non diffitemur Eccleſiaſtici, niſi quod iſtæ inculcationes creberrimæ ſuſpicionem humanæ cujuſdam inventionis ſecum trahunt; utpote quæ latuerit omnes homines uſque ad hodiernum tempus. Ut decet, approbamus orationem hanc libri, nempe *obedientiam erga legem Dei neceſſariam eſſe in reconciliatis*, puta renatis, & Evangelio credentibus, & *quod exiſtere fides non poſſit aut valeat, niſi in pœnitentibus:* cum nos nihil diverſum ſentiamus. Præterea quod ait, *inter bona opera præcipuum eſt, ſummus cultus Dei, fides ipſa:* nec enim colitur aut invocatur Deus, ſi abſit Dei cognitio, & niſi adſit fides, qua creditur eſſe Deus. Verba valde pia ſunt, ubi inquit: *Cum fide agnoſcimus miſericordiam Dei, confugimus ad Deum, diligimus, invocamus, ſperamus, expectamus auxilium, obedimus in afflictionibus, quia jam ſcimus, nos eſſe filios Dei, & placere Deo noſtrum ſacrificium, noſtras afflictiones, &c.* Aſſentimus: *neceſſe eſſe in Eccleſia, de interioribus operibus & fructibus ſpiritus doceri homines. Nam hæc opera,* (ſcilicet interiora) *diſcrimen faciunt inter pios & hypocritas. Externos cultus, externas ceremonias & alia externa opera præſtare etiam hypocritæ poſſunt. At hi cultus* (ipſi addunt tantùm) *ſunt veræ Eccleſiæ, vera pœnitentia, timor, fides, invocatio, &c. Hic cultus præcipuè requiruntur & laudantur in ſcripturis.* Subjungimus plura libri verba: *& hac fide, quæ conſolatur corda in pœnitentia, accipimus Spiritum ſanctum, qui datur, ut gubernet & adjuvet nos, ut peccato ac diabolo reſiſtamus, & magis infirmitatem noſtram agnoſcamus, & in nobis creſcat agnitio Dei, timor, fides. Quare debet in nobis obedientia erga Deum, & nova vita creſcere, ſicut Paulus docet, renovari nos debere ad agnitionem Dei, ut efficiatur in nobis nova lux & imago ejus, qui condidit nos.* His addas licet, quæ liber quarto loco diſſerit, *ſuper magna infirmitate & immunditia naturæ humanæ, qua fit, ut caro infirma legi Dei non ſatisfaciat: Opus igitur eſſe piis conſolatione, ut ſciant, quomodo hæc exigua & imperfecta obedientia Deo placeat, &c.* Mox, *Quanquam igitur hæc nova obedientia procul abeſt à perfectione legis, tamen eſt juſtitia, & meretur præmia ideo quia perſonæ reconciliatæ ſunt.* Rurſus:

Atque

Atque ita de operibus judicandum est, quæ quidem amplissimis laudibus ornanda sunt, quòd sint necessaria, quòd sint cultus Dei & sacrificia spiritualia, & mereantur præmia. Item rectè docent isti contra eos, qui jubent dubitare, aut confidere propriis viribus. Posthæc pulchrè dicunt: *De hac obedientia etiam docemus, eos, qui admittunt peccata mortalia, non esse justos, quia Deus requirit hanc obedientiam, ut resistamus vitiosis affectibus: qui autem non repugnant, sed obtemperant eis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra conscientiam, hi sunt injusti, & neque Spiritum sanctum, neque fidem, id est, fiduciam misericordiæ retinent. Nam in his, qui delectantur peccatis nec agunt pœnitentiam, ne potest quidem fiducia existere, quæ quærat remissionem peccatorum.*

Deinceps, quæ quinto loco refert liber, non reor à Christo esse aliena, sed multò magis digna, quibus assentiamur. Sunt autem hæc: *Necesse est quoque docere, quomodo placeant Deo: hic addimus etiam, quomodo fieri possint. Etsi enim homines suis viribus externa honesta opera utcunque efficere possunt, & hanc disciplinam debent præstare: tamen homines sine fide sunt in potestate diaboli, qui impellit eos ad manifestam turpitudinem, occupat animos eorum impiis & blasphemis opinionibus, id enim est regnum & tyrannis diaboli. Adhæc natura per se infirma est, & non potest sine auxilio dei se erigere, & spiritualia opera efficere. Ideo docentur homines, in Evangelio promitti Spiritum sanctum, qui animos eorum, qui agunt pœnitentiam & Evangelio assentiuntur, adjuvet & gubernet. Quare in omni vita in tanta infirmitate naturæ, inter has diaboli insidias, in omnibus periculis exercenda est fides in invocatione, ut perseverare in fide & obedientia erga Deum possimus. Itaque Zacharias inquit: Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ & precum. Ideo enim vocat spiritum gratiæ, quòd Spiritus sanctus erigat & consoletur perterrefactas mentes, & testetur, nos habere Deum placatum. Et vocat spiritum precum, ut fidem assiduè in invocatione exerceamus, ut per hæc exercitia confirmetur fides, & crescat nova vita. Et veræ virtutes sine ulla dubitatione sunt dona Dei: fides, perspicacia judicii in discernendis dogmatibus, magnitudo animi, qualem esse necesse est in his qui Evangelium docent & confitentur, vera diligentia in regendis Ecclesiis, vera humilitas, non frangi populari favore, aut odio, vera castitas, &c. Debet autem ad hæc dona accedere exercitatio nostra, quæ & conservat ea, & meretur incrementum, juxta illud: Habenti dabitur. Et Augustinus præclarè dixit: Dilectio meretur incrementum dilectionis, cùm videlicet exercetur. Habent autem bona opera præmia cùm in hac tùm vita æterna. Quia enim Ecclesia in hac vita subjecta est cruci, & morti corporali, differuntur præmia pleraque ad futuram vitam, quæ etiamsi per misericordiam certò propter Christum contingit his, qui fiducia Christi justificati sunt, tamen etiam est compensatio bonorum operum, juxta illud: Merces vestra copiosa est in cœlis.*

De ARTICULO XXI.

Rursum inquit liber: *Invocatio est honos, qui tantùm Deo omnipotenti præstandus est, videlicet patri æterno, & filio ejus, ac Servatori nostro Jesu Christo, & Spiritui sancto, ac proposuit nobis Deus filium suum Jesum Christum, mediatorem & Pontificem interpellantem pro nobis: propter hunc solum testatur nostras preces audiri & accipi, juxta illud: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Item, *Unus est mediator Dei & hominum. Ergo invocantes Deum offerant suas preces per filium Dei, sicut in fine precum in Ecclesia dici solet, per Jesum Christum, &c.* Hæc de invocatione doceri necesse est, sicut aliàs copiosius de Invocatione nostri scripserunt. Econtrà verò taxanda, & ex Ecclesia prorsus ejicienda est consuetudo invocandi sanctos homines qui ex hac vita decesserunt: Quia hic mos gloriam soli Deo debitam transfert ad homines, tribuit mortuis omnipotentiam, quòd sancti aspiciant hominum corda, tribuit item mortuis officium mediatoris Christi, & haud dubiè obscurat gloriam Christi. Ideo totum morem invocandi sanctos homines, qui ex hac vita discesserunt, damnamus & fugiendum esse censemus. Sed illud prodest, recitare veras historias piorum, quia exempla utiliter docent, si rectè proponantur. Cùm audimus, Davidi condonatum esse lapsum, confirmatur fides in nobis quoque; constantia martyrum veterum nunc quoque confirmat animos piorum. Ad hanc utilitatem recitare historias utile est, sed tamen prudentiâ in accommodandis exemplis opus est.

Ad

AD ARTICUL. DE MISSA.

NON erimus hoc loco valde oculati, cùm id esse ad reprehensionem justam usque possimus: Ut prævaleat charitas judicio, & dissimulando lucrifaciamus os nostrum ac carnem nostram. Fatentur ultrò, in Missa, *quam* aiunt *se non abolevisse*, Latinis concionibus alicubi admisceri Germanicas, quas videlicet addiderint *ad docendum populum*, ut excitentur aliqui ad verum timorem, fidem ac invocationem. Et è Paulo confirmant, uti oportere lingua populo intellecta, & hoc ipsum constitutum esse humano jure. Quin & adsuefieri populum, ut unà utantur Sacramento, si qui sunt idonei, & augeri per hoc reverentiam ac religionem publicarum ceremoniarum: Nec ullos admitti, nisi prius exploratos. Præterea admoneri homines de dignitate & usu Sacramenti, *quantum consolationis proponant his, qui agunt pœnitentiam, ut discant homines & timere Deum & credere, ac exerceant invocationem sive precationem, petant ac expectent bona à Deo.* Et reliqua ejusmodi Catholici improbare non poterunt. Presertim ubi liber *de cantionibus Germanicis admixtis* commemorat. Quid? è re Christiana foret, si in tota Ecclesia, maximè posteaquàm huc deventum est, cantiones quasdam populo intellectas, ad usum pietatis permitterent præsules; id quod attigimus suprà quoque. Non est novæ consuetudinis introductio, non hæresis, non scandalum, non flagitium, *Christo* filio Dei vivi *carmen dicere* & *antelucanos* hymnos, exemplo primorum Christianorum apud Romanos, teste Plinio. Carmen enim dicere Christo quid aliud est, nisi laudem Deo canere, juxta illud: *Cecinit Moyses carmen hoc.* Item, *cecinit Israël carmen hoc:* & alibi, *carmen Deo nostro.* Istuc autem, carmen canere, aut hymnum dicere, non tantùm ad Clerum coarctari decet, quia in hoc ut cantet mercede conductus est; sed interest etiam omnium invocatio in veritate, ut laudent ac glorificent Deum suum, nullo præmio proposito. An enim solùm cleri Deus est, & non etiam populi? Quis fidelium vocem obturabit? quis claudet ora fidelium, ne erumpant in laudem Dei sui? Nulla linguarum silescat, & vox omnis consonet, senum, juvenum, parvulorum, matrum, virginum, puellarum chorus dulcissimis ac effectuosissimis perstrepat concentibus. Scriptum est: *laudent Dominum omnes populi, laudate pueri Dominum, laudate servi Dominum.* Et Apostolus ad cantiones non carnales, sed spirituales, ex ipso corde personandas admonet Ephesios, tam laicos quàm clericos. Nec nos latere patitur Ecclesiastica historia, qua aviditate olim cecinerit populus catholicus cantilenas peculiariter compositas, pro asserenda sanctissima triade adversus hæreses. Hoc profectò erat, quod ille dicit: *labiis exultationis laudabit os meum. Laudant Deum cœli cœlorum, & exultat terra. Omnis Spiritus laudat Dominum, & benedicunt Domino omnes creaturæ,* etiam inanimatæ: & per invidiam tuam, veterator, muta fiant labia plebis Christianæ? Meminimus, quomodo itum sit obviam à Domino Jesu Scribis cum indignatione vetantibus, ne pueri clamarent in templo: *Hosanna filio David. Quidni?* inquit Dominus: *nunquamne legistis: Ex ore infantium,* &c. Verùm nemo cordatorum vetat. Ordo tantùm servandus, ne confusæ multitudinis voces Ecclesiam perturbent. Nihil seditiosum, aut quod sapiat Doricum quiddam, nihil schismaticum, nihil anile, aut ineptum, aut insipidum audiatur in Ecclesia Dei.

Vetus est, quod populus in Missa cecinit symbolum Apostolorum lingua sua: Quidni idem liceat nobis hodie? præsertim si non depravetur humanis additiunculis. Quidni liceat plures Ecclesiæ cantilenas succinere, catholicè conversas in linguam nostram, ut corda plebis Christo devotæ magis ad religionem inflammarentur, & in adversis suis fide fiduciaque consolidarentur, nedum consolarentur? Maximè verò decora est & jucunda laudatio, si ante & post conciones orthodoxas cum effusa lætitia cecinerit. Hæc ritè curabuntur.

Superest, ut clerus Psalmodiam suam observet accuratius: videas enim pudendam hujus ubique oscitantiam, & intelligentiam psalmorum nullam ubique deprehensam. Ut taceam, non esse usq; adeò speciosam laudem in ore multorum, qui etsi Deum confitentur, factis notoriis tamen negant, & conversatione inquinatissima plebem scandalis immanibus quotidie vulnerant. Nec commemorabo, quòd ubique cantent ex libris choralibus inemendatis, nec mendis librariorum tantùm vitiatis, sed errore etiam multo scatentibus: Præsertim si numerentur Missalia, Breviaria, Antiphonalia, Sequentionalia, Hymnaria, & id genus alia de Sanctis per annum: in quibus interdum mutatur gloria immortalis Dei in personam mortalis hominis. Unde criminantur facile-i, quasi uno soloque vivo Deo non contenti, nobis ipsis Deos Deasq; fecerimus, & tales honoremus adorabundi, & borum

horum deosculentur statuas, *confugientes in necessitatibus sub tuum præsidium*, &c. *sub tuam protectionem*, &c. *ad te suspiramus:* invocantes pro Domino dominam, juxta pseudo-psalterium, injuria virgini matri facta, quod excogitavit & evulgavit in angeli figura ipse diabolus, altum dormientibus Episcopis & negligentibus Prælatis. De hoc Ecclesiæ carcinomate pestifero aliàs. Neque tamen super Sion tacebitur, donec sordibus ac excrementis delirorum quorundam monachorum, indoctissimorum & stolidissimorum homuncionum, tandem expurgetur.

Jam ut pergamus, verissimum est, *semper fuisse querimoniam de prophanatione Missæ:* nec extitit, qui attenderet aut exaudiret conquerentium gemitus. Quæ culpa fecit, cur ultor Dominus immitteret cataclysmum hunc præsentem, & exuscitaret schismata alia super alia, per quorum improbitatem è somno expergisceremur, ac oculos veternosos in negotium Christi aperiremus, & in medium consuleremus, & succurreremus, rebus lapsis in tempore, priusquàm corruat ædificium totum. Certè liber meritò queritur his fermè verbis: *Non enim obscurum est, quàm latè pateat hic abusus in omnibus templis, à qualibus celebrentur Missæ contra canonum interdictum. Deinde quàm turpiter ad sacrilegum quæstum conferantur. Plurimi enim celebrant Missas & sine pœnitentia, & tantùm ventris causa. Hæc notiora sunt, quàm ut dissimulari possint. nec videtur ulla res divina ab initio mundi adeo vulgò ad quæstum collata esse sicut Missa. Paulus Apostolus autem horribiliter minatur his, qui indignè tractant sacramentum, cùm ait: Qui indigne ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini, reus erit sanguinis Domini: & in decalogo scriptum est: Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. Ut igitur sæpè aliàs mundus dedit pœnas pro idololatria: Ita haud dubiè hæc ingens prophanatio Missarum atrocissimis pœnis punietur. Et fortassis propter eam causam præcipuè plectitur Ecclesia his nostris temporibus cæcitate, discordiis, bellis & aliis multis pestibus. Atqui hos manifestos abusus Episcopi hactenus cùm quidem non ignorarent eos, non solùm toleraverunt, sed suaviter etiam riserunt. Nunc seriò incipiunt queri de calamitatibus Ecclesiæ, cùm alia nulla res præbuerit occasionem tumultibus horum temporum, nisi abusus ipsi, qui ita erant jam manifesti, ut tolerari à moderatis hominibus diutius non possent. Utinam Episcopi pro suo officio ante hæc tempora coërcuissent avaritiam atq; impudentiam, seu monachorum, seu aliorum, qui mutato veteris Ecclesiæ more Missas ad quæstum contulerunt.* Hæc illi.

Nihil sanè nobis cum istis vocibus, & loquendi scholæ formulis, *motus operis operati, benè vel malè utentis, applicationis, proprii meriti:* & id genus nescio qualium rerum. Defendant, qui excogitarunt: Excusent, qui ejusmodi mordicus tenent. Nos quibus Christianismus cordi est, respicimus ad originem, ad archetypon, ad vetustas Ecclesiæ praxes, & eam consuetudinem Liturgiæ veteris amplectimur, priusquàm invenirentur ista exotica. Nam largiri oportet te, Liturgiam, Synaxin, Cœnam Domini, Missam, vel quocunque vocabulo hanc sacrosanctam actionem digneris, in recto Ecclesiæ usu extitisse in orbe terrarum, longè etiam antequàm oborta esset ἀδολεσχία scholastica. Quòd si in recto veroque usu ab initio extitit, & Christianitati universali placuit, atque satisfecit ex doctrina primitiva, adeoq; comprobata est consensu: quorsum opus erat tuis, excæcate Sorbonista, inventiunculis ac appositiunculis? Videlicet sicut necesse est, currum quintam habere rotam & hominem sex sentire sensibus. Nisi quòd ita visum fuit Theologiam veterem mutare nova, ac in Ecclesia Patrum Apostolicorum peregrini nescio quid condere.

Porrò, *unde accipiatur remissio Peccatorum*, suprà catholicè ostendimus: Nimirum per unum Christum servatorem, atque fide in hunc certa; vim suam exerente pœnitentia cum partibus suis & fructibus se dignis. Quæ via consequendi indulgentiam ac recipiendi gratiam, irrefragabiliter bona est. Ea in sacro illo ecclesiastico à Domino cum fletu vehementer peti semper potest. Verùm huc peragi sacrum, quodq; hac causa institutum sit, alii negant, alii in dubio relinquunt. Illud extra controversiam liquet, hoc sacrum Eucharisticum olim in Ecclesia Græcorum & Latinorum, ad sublevamen eorum, qui in fide decesserant, peractum fuisse; etiam id, arbitror, per preces vivorum, ac obsecrationes accidisse. Hujus rei descriptionem legas licet apud Dionysium Areopagitam, Tertullianum, Athanasium, Chrysostomum, Cyprianum, Augustinum, Nazianzenum, Ambrosium, Damascenum, & in hoc citatum Nyssenum ac Basilium, & alios. Si quis horum singulorum requirat testimonia, etiam Græcorum è Græca veritate in medium proferentur, ut id, quod res est, cæco etiam appareat. De sacrificio paulò post dicemus nulli Christiano non ferenda.

Dicit liber: *Absurdum est, quod Missa confertur ad liberandas animas mortuorum, cum instituta sit ad recordationem mortis Dominicæ, ut utentes Sacramento seu cœna Domini, recordatione beneficii Christi erectam exerceant ac confirment fidem.* Quod cùm docet liber, non est, cur quis eat inficias; siquidem hactenus pro sinceriore Sacramenti usu adversus abusum

pugnat.

pugnat. De abusu *alieni operis* in Missa, & quòd per istud alienum opus impetretur remissio poenæ & culpæ, &c. dicat colorem non Quintilianus, sed Christi institutoris verbo sancto non contentus Pseudochristianus. Christi autem institutoris verbum est: *Hoc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis.* Proinde tota ista refutatio libri nihil pertinet ad Ecclesiasticos, sed ad Scholasticos tantùm, nec ad palæotericos nos, sed neotericos. Quare satis habemus hæc legisse, ac apud animos nostros revolvisse, desiderantes, in eo jam esse statu Ecclesiam Romanam, & hanc ita valere, ut talibus physicis & chirurgis non haberet opus.

Protestantes qui dicti fuerunt, precationem non ferunt, sive illa in Liturgia publica fiat, sive extra Liturgiam. Oramus autem, ut aliis, qui precari volunt pro sua pietate, id sua liceat pietate. Verùm qui pacificationem Ecclesiæ Catholicæ legitimam tanto tempore indesinenter quærimus, tantoque studio concordiæ inter tam immaniter dissidentes sarciendæ invigilamus, veritati forti præpotentique, per quoscunque tandem ea patefacta fuerit, ultrò cessuri, haudquaquam erroris argui debemus, longè minus convinci possumus. Siquidem nostra referre minimè arbitramur, quid novi vel Thomas, vel Albertus, vel Scotus, vel alius quispiam recentiorum Doctorum Ecclesiæ jam occiduæ per inane & plusquàm sterile acumen suum, ante annos 300, aut 400. invenerit, cùm in aliis doctrinæ partibus, tum in hoc Missæ negotio. Nec præstare quimus, quòd illiusmodi cogitationes, veluti dogmata definita, Roma recentior repetit: Et quibus adducti rationibus superiores nostri novitatem istam sequi maluerint, quàm in eo perstare quod ab antiquo ad istud suum seculum promanârat, tanquam ad Christianæ professionis hæredes. Equidem à primis Apostolicorum virorum annis traditum accepimus, in cœna illa Dominica certò subesse aliquod offerendi genus, atque talem Apostolicos homines non opinionem humanam, sed sententiam Christianam è Lege ac Prophetis hausisse primùm, & deinceps docendo atque tractando in usum simplicissimè produxisse, & piè ac reverenter continuasse in Ecclesiis omnibus, plurimo populorum credentium fructu. Rem verò ita habere sese, si quis postulet, documenta veritatis proferre poterimus, vel ipso sole lucidiora. Quo factum, ut orthodoxis planè persuasum sit, non cœnam tantùm, verùm unà cum cœna, oblationem in Ecclesia à principio inde ad nos usque extitisse. Hinc profluxit sacrificii vocabulum, pio tamen non minus sensu quàm usu: cui si quid impietatis procedente tempore per versutiam callidi Serpentis, ac ministerium mente corruptorum quorundam hominum accessit, nos culpari non meremur. Siquid inest impium, si iniquum, si falsum, quod posteritas temeraria invexit, judicamus resecandum & abjiciendum, non ferendum esse. Ab his ergo fontibus derivata fuit tam doctrina quàm tractatio reverendæ hujus oblationis, in eos, quos solenni titulo sanctorum Patrum consuevimus dignari: Inter quos sunt Episcopi primitivæ Ecclesiæ summa authoritate, qui cruentati quoque testes Evangelicæ doctrinæ ceu luminaria cœli, fidem Christianam recipienti orbi terrarum tota vita fortissimaque morte præluxerunt; à quorum spiritu, fervida sanaq; prædicatione, publica in Ecclesiis actione, atque unanimi consensu, si discedere gravamur orthodoxi, nemo, precor, iniquè ferat. Sacrificio huic eatenus consentimus, quatenus assentit totus Apostolicorum, patrum vetustissimorum, ac illustrium probatissimorumque scriptorum sancta communio: Et tantum illi deferimus, quantum Ecclesia per orbem terrarum diffusa, maximè primis seculis, defert: neque enim commentis & additamentis otiosorum hominum obstringimur. Hinc autem nobis præstò sunt Liturgiæ, seu ministeriales in publico sacræq; actiones Græcorum, quæ simul cœnam præ se ferunt, & oblationem, & oblatorum distributionem, & participationem, & communicationem, & ipsum esum potumque: Addimus gratantem cantionem & quævis. Cœna est Christianis exhibita: Hac Christiani vescantur, hanc sumant, nulli denegamus, nullum, si sit exploratus, inde prohibemus.

At credere nobiscum oblationem Liturgicam renuis; praxin Ecclesiæ Apostolicæ usque adeò vetustam, tanto assensu roboratam & tot authoritatum modis, recipere detrectas, tantam sanctorum hominum, cognitione fideque Christi unigeniti Dei præditam, panegyrin sociam habere recusas, fraternitatem deseris, communionem fastidis. Loquor hæc invitus: Sic me amet Christus ipse, cujus gloriam toto zelo quæsitam volumus. Age, tuo sensu fruere, patere solùm & fave, ut hoc ipsum, quod ipse rejicis, consectentur alii. Vicissim illi animo securo sinent ut liberè dicas faciasque, quod tibi suadet Apollo tuus. Nam disputationem intermittimus, cum inde nulla salus, quam tamen non subterfugimus. Pacem te poscimus omnes Catholici; abjecta simultate tandem concedamus in unum, futuri corpus denuò, quod eramus nondum oborto schismate. Adhortamur ideo & admonemus atque obsecramus per misericordiam Dei, per viscera miserationum ejus, per amorem ejus erga humanum genus, perque redemptionem nostri,

ut abnegato schismate una redeamus ad petram unde excisi sumus, & ad matrem quæ regenuit nos, credendo, docendo, confitendo, serviendo, faciendo juxta exemplar in monte veteris Ecclesiæ præostensum. Posthæc, ô fratres charissimi, vox ista nusquam audiatur: *Ego sum Pauli, Ego verò Apollo, Ego verò Cephæ*, vel ut hodiè auditur: Ego sum Papæ, Ego Lutheri, Ego Cinglii, Ego Rinchii, Ego Calvini. Num divisus est Christus? num Papa crucifixus est pro nobis? Num in nomine Lutheri aut Cinglii, aut Rinchii, aut Calvini baptizati sumus? Heu summum Christiani nominis dedecus. Suboritur jam nova pestis, qua non est alia nocentior hæresis, de dubitato Messia, deque ter beatissimæ Triados infirmanda fide, & nescio quæ portenta, quos furores, quos horrores infandos alios quidam Judaizantes & Ariomanitæ (ut Athanasii verbo utar) proseminare cœperint, ut Christianismum labefactatum transferant in aliud Evangelium, quod non est aliud, nisi quòd quidam sunt, qui turbant illum, nolentes revereri Evangelium Christi. Ea ira, eo judicio punit Deus, ulciscens publicum hoc dissidium nostrum, & quotidie multiplicat sectas perditionis, sectâ sectam plectens, dogma falsum falsiore, ut finis dolorum nunquam sit.

Nullum igitur consilium salubrius, nisi ut præsentia præteritis emendemus in Ecclesia, & antiquitas dispellat novitatem. Quod in Domino facientes, subitò transformabitur schismatica in Catholicam Ecclesiam, sublatis opinionibus ab Evangelio diversis, ac additionibus alienis atque supervacaneis, cujusmodi ignoravit initio mater Ecclesia. Præsertim si studium curamque omnem conferamus in restituenda Liturgia: Quod profectò in dissensione hodierna potissimum est. Videmus, quot in formas ea cœna, si ad contextum Evangelistarum tantùm vertas oculos, dissecta atque dilacerata sit, dum quælibet formula inventori & institutori suo archetypo Evangelii propior esse videtur, & perinde quasi εὐαγγελικωτάτη sit, populis incautis obtruditur. Hanc nefariam dissensionem atque dissimilitudinem vitare facilè queamus, si veteris Ecclesiæ Catholicæ praxes, ac consensione omnium gentium probatos ritus contemplabimur, & ad primam sacrosanctæ cœnæ institutionem adhibebimus: Id quod evidentissimum est fecisse Apostolicos, Clementem, Justinum, Dionysium, imò Apostolum ipsum Jacobum, qui profectò institutionem Salvatoris secundum Evangelistas cognoverunt, ac intellexerunt multò melius quàm nos, & Spiritu sancto imbuti, virtute ex alto induti, eam verè sacram actionem observarunt, quemadmodum monumenta prisca testificantur. Atque hos progressu temporis secuti Basilius Magnus, una cum Joanne Chrysostomo, aliisque ducibus in Ecclesia Græca. Si, inquam, Ecclesiam parentem, evangelio recens concepto fœtam adhuc, & verbo Domini perfusam ac illustratam ad summum, consuluerimus, quæ est sapientia sanctorum, & iisdem incesserimus vestigiis, quæ initio calcârunt fidei Christianæ principes viri. Institutio Salvatoris per hos (crede mihi) non destructa aut abolita, sed constabilita & authorata magis magisque est, etiamsi horum consilio ac spirituali scientia nonnihil accesserit non minus Apostolicum, quàm quod litera evangelicæ historiæ præ se fert, & adeò nativum, ut abjici haudquaquam fas sit. Quid enim non quadrat ad institutionem, & reliquam doctrinam Salvatoris nostri? An illi vocibus Evangelistarum reclamârunt? an illi mentem Apostolorum non habuerunt, qui habuerunt eundem Spiritum sanctum?

Verùm satis hæc corrigi volentibus, nec se supra magistros suos extollentibus discipulis. Qui forsan, sibi Liturgiam celebrem illam Græcorum non displicere, fatebuntur: At Missam Latinorum se neque probare, neque admittere posse ullo modo, cùm tamen hæc ab illa reipsa non dissideat, sed verbis duntaxat nonnullis, ut hæc ex illa prognata sit, si propius intueare, singula cum singulis conferens. Extant hujus haud ineptæ defensiones, quas ubi recto judicio, ac erga priscam fidem veritatemque ac concordiæ in Ecclesia revocandæ gratia, propenso animo lectitaveris, dubium non est, quin probes, quod jam improbas nullo judicio, plurimo animi aspectu. Ambrosiana sunt, inquies, & Gregoriana. Verum ad primos fontes composita, ut respondeant Græcorum archetypis: Certè ab his non dissonant, nisi causeris sacrificandi toties iteratum verbum, quod idem continent Græcorum archiva. Quod jure reprehendas in Latinorum Liturgia, perexiguum fuerit; sed quæ in hujus abusu teterrimo accuses, plura, quàm vellemus, erunt obvia.

Unicum sacrum in loco celebri huicque rei sacro reverenter nec indignè peragi debere, haud iniquè judicas, ubi frequens sit populus ad orandum, confitendum, gratias agendum, recolendum, & comparticipandum. Profectò, qui veram antiquitatem sapiunt, non longè ab hac sunt sententia, modò servetur pristina Liturgiæ forma restituta magis quàm reformata. Abominaris additamenta nova Missarum peculiarium,

rium, sive privatarum, per mendicantium quorundam multiplicationem introductarum. Nos equidem considerantes, quo initio istæ, & quibus autoribus cœperint, & quibus nitantur nervis, non admodum refragabimur, si consopiantur cum autoritate, non tumultu; quò in majori pretio apud infideles omnes sit publica hujus sacri actio non vendita, sed gratis parata atque exhibita nulli non, qui esurit sititque justitiam. Particulares Missulæ non congruunt cum institutione cœnæ, nec cum traditione Paulina, nec merentur Liturgiæ nomen, nec habent robur ex Evangelio, nec ex Ecclesia testimonium aut exemplum, nec sanctorum Patrum (de antiquis loquor) consensionem firmam, nec beatorum martyrum aut homologetarum adstipulationem, nec denique œcumenicorum Conciliorum veterum approbationem ullam: Sed nuperis seculis adinvenit has vana hominum superstitio & hypocrisis, ignorantia, & φιλαργυρία. Divites hujus mundi simplices, imò stolidi Midæ, ab habendi cupidis persuasi, has sibi proprias fecerunt, alius numerata pecunia, alius agris pratisq;, alius vineis, alius aliis emolumentis emerunt, ad redemptionem animarum peculiariter suarum: & quò negotiatio ista foret certior, membranis sanxerunt indeletis, ut repeterentur istæ, vel omni die, vel omni mense, vel omni anno. Onerati ligatique peccatis, sic se solvi, & sic se pœnas (quas dicunt) purgatorias effugere posse, putant; perinde ac si in hunc finem pararetur in publico cœtu cœna Dominica. Atque has emptiones vocant solennes fundationes, aut supremas morientium voluntates: quæ fons & origo sunt tot altarium per templa penè omnia, tot sacerdotum, tot meretricum, aut totius hujus gravaminis, de quo conqueritur adhuc & ingemiscit totus terrarum orbis. Sed nolim altius in hanc publicam querimoniam descendere. Lernam malorum hinc provenientium oportebat emendari potius, quàm deplorari, si summus Rom. Pontifex Christi Petrique vestigia insequi mallet, quàm usurpare plausibilia horum nomina, & Episcopis tam cordi esset Ecclesia quàm est aula. Invitant illi Canonicos suos ad capessendum sacerdotium, non sacerdotes ipsi: & sacrificos adigunt ad Missas legendas, quas Missas missas faciunt ipsi: plus æquo abhorrentes ab hac sarcina, quam tamen aliorum imponunt humeris adeò, ut multi Prælati sibi honori ducant, præsertim apud audientes Protestantes; quòd neque sacerdotes sint, neque sacrificent: sine tamen vitæ accelerante, condunt testamento sibi sacerdotales & venales Missulas expiatorias, quæ tanto plus valent, quanto pluris constant, & quò locupletius provisum est missatori. Præsules (certè horum plures) magis sunt soliciti, ut multos quàm electos sacerdotes habeant, & meliores cantores quàm concionatores, frequentiores item missatores quàm doctores.

Retuli superius de consuetudine veterum, qua olim in Liturgia exercuerint precationem pro defunctis Christianis: verum illa consuetudo ad hodiernas mercenarias, culinarias, atque dedecorosas nundinationes nullo modo pertinet. Permultum refert, ut una Liturgia ritè celebretur idonei sacerdotis atque benè instructi ministri, reverenter assistentibus diacono & hypodiacono, circumstante plebe sacræ rei cupida: ut ad altare recitentur omnia distinctè ac intelligibiliter, & peragatur religiosè tota ceremonia, & cantetur mente nedum voce: ut juxta ordinem & decorum fiant singula. Hoc unicum sacrum sufficit ex æquo cunctis, ad meditandum, orandum, gratias agendum sedulò. Et hìc exequatur plebs promiscua nihil non, cujus gratia cœna parata, & Eucharistica oblatio præstò est; sive fiat collaudando psalmorum verbis, sive confitendo, sive recordando, sive semet ad fidem, ad dilectionem, unitatem, Evangelio dignam conversationem excitando, sive quod appositum est cum Presbytero simul sumendo. Hìc veneremur mysteria cernui, hìc exosculemur sancta munera, hìc attollamus corda in Christum, & à Christo consolationem conscientiæ accipiamus, unà cum Liturgo sacerdote precantes pariter ac vescentes. Jam hac Liturgia, vero ritu ac in propatulo instructa, atque adornata singulis fidelibus Deoque devotis, præsente agenteque principali liberalique spiritu, ubi adest ardor animorum, ubi sacramentum cum efficacia conficitur ac consecratur: quorsum opus est aliò cursitare, & in angulis quærere, quod hìc affatim habes commune? An Ecclesiam Dei contemnis & sacrum Ecclesiæ commune, tuis præparatum usibus impiè fastidis? Tibi vis Missam seorsim, & tibi tantùm proficuam (ut isti loquuntur) non eam, quam tecum communem habet tota Christiana fraternitas. Placet sacrificulus conductitius, qui reclamante institutione, vix cuiquam audita vel intellecta demurmurat; & displicet totius Ecclesiæ Liturgus presbyter, in hoc accedens ad commune ministerium ut prosit omnibus, studioque habens ut non indignus ministerio mysterioque tanto coram appareat. Atque ad eam publicam sanctamque actionem quadrant Evangelistarum voces: *Cœnantibus illis*, &c. Et Apostoli: *Convenientibus vobis in unum locum*, non ad fundatorias in obscuro Missas,

Miſſas, ſine teſtibus contra rectum Eccleſiæ uſum obſervatas, ac ſine circumſtantibus quos ſalutent voce iſta ſolenni: *Dominus vobiſcum*, &c. ad quas irrumpitur lotis quidem manibus at incircumciſo corde, & inquinato ſæpe corpore, ac polluto ore, ſine bono affectu ſæpe inventi, & domeſticis curis occupati, ſpe lucri pellecti tamen, qui ſcopus eſt operis hujus operati. Quæ verò ibi vel imaguncula ſanctionis Dominicæ atque traditionis Apoſtolicæ ! Cur ergo ad hæc ubique anhelatur murmura, faſtidito vero ſacro: ubi periculum, ne numen ad iram magis provocetur, quàm ad indulgentiam flectatur?

AD ARTICUL.

DE UTRAQUE SPECIE.

SEd ſatis de abuſu Miſſæ particularis. Qua ratione voluimus inveterato Eccleſiæ Rom. morbo mederi, non obſervire quorundam affectibus. Teſtem Deum in animam meam invoco. Cæterùm Libro conſentimus de reſtitutione calicis, non in hoc attendentes, quid Liber hic in medium allatus atque ad diſcutiendum propoſitus, ſed quid Eccleſia ſancta, Apoſtolica & Catholica ex Evangelio Chriſti ſui, quod cùm doceat tum faciat, primitus hauſerit. Hæc verò niſi idem conſtitueret, & cum doctrina exemploque Salvatoris noſtri conſentiret, Librum indignum judicaremus, cui præberemus conſenſum ullum. Itaque non Libro ſed veritati divinæ creditur, quam oſtendit Liber ea quidem parte. Eſt in confeſſo, ſumptionem ſanctam de altari Eccleſiaſtico æquè omnibus Chriſtianis communem extitiſſe ad ſalutem, per omnia novi Teſtamenti tempora: obliteratam quidem pauliſper apud nos occidentales, & ab uſu promiſcuo ſemotam ſuas ob cauſas, at non deletam omninò atque extinctam. Ejus rei, cùm nube quadam certiſſimorum teſtium ſepti ſimus, πληροφορίαν amplectimur, omni excluſo dubio: Alteram quidem in hoc Sacramento ſpeciem, cui aſſuevimus Latini, non impugnantes, nec ullis modis condemnantes, aut improbè irridentes, ſed æqui bonique conſulentes; & quidem uti tulerunt tempora noviſſima partem in meliorem interpretantes; proque aliorum infirmitate, ignorantia, ac meticuloſitate aliqua ſufferentes. Multa etenim ſunt, cujuſmodi in reformatis etiam Eccleſiis ac utcunque reſtitutis toleremus neceſſe erit: ut ſciamus, ad perfectionem viam eſſe difficillimam. Præterea ſi conſideremus, olim altera etiam ſpecie fuiſſe cibatos homines, haud dubiè de Chriſti Evangelio ac Sacramento rectiſſimè ſentientes, cum interim ordo Apoſtolicus utriuſque ſpeciei in publica Eccleſiæ adminiſtratione retineretur. Putamus enim ſine fidei periculo fieri poſſe, ut alteram tantùm acceperint aut ægroti, aut ignoti, & peregrè venientes, tempore videlicet, quo Liturgia non peragitur. Nec obſiſtimus, ſi poſtulet neceſſitas in exterioribus aliquid extraordinarium, modò fides pietaſque & cognitio rei Chriſtianæ ſit undique integra.

Plurimum intereſt, quo pacto apud animum tuum utaris Euchariſtiâ ſeu Sacramento, & quantum vel edas vel bibas de Sacramento. Equidem interiora exterioribus ſemper anteferuntur in negotio Chriſtianæ Religionis. Deus Spiritus eſt, & caro non prodeſt quicquam: amat adorari in ſpiritu, ac veritate. Adhæc Paulus Deum ſpiritu colit. Certa hæc quidem ſemper ſunt, idque in ſincero ſenſu. Verùm ita præferri interiora velimus, ne contumaciter, ſi obtingere tibi queant, negligas exteriora, & tumore ſpiritus efferaris uſque ad latriæ Eccleſiaſticæ contemptum.

Ad ultimum, ut ſententiæ cruentæ damnatrici (patrocinante Cynico) pluribus reſpondeam: non inficiamur fractionem panis in viculo Emaus, & in urbe Jeruſalem; ſed explicari hoc ipſum deſideramus, ne ſimul peccemus, & in ordinem Evangelicæ ſanctionis, & in morem Apoſtolicum. Perpendendum igitur apprimè eſt, num hæc fractio, ſcripturæ familiaris, ſemper ita importet cibum, ut excludat potum. Nos enimverò haudquaquam refragamur idiomati Hebræo, quo intelligitur, frangere panem idem eſſe, quod Latinè dicimus, aut jentaculum ſumere, aut toto veſci convivio, etiam qualicunque: ubi nec cibus deeſt, nec ad vitæ ſuſtentationem potus. Unde videtur, frivola eſſe tergiverſatio, per hujuſmodi ſubterfugia manifeſtæ veritati elabi velle. Verborum ſuperficies, ac propria ad cauſam aliquam inclinatio, poſtea favor hominum, plurimis doctoribus, qui volunt eſſe aliquid * *.

AD

AD ARTICUL.

DE CONFESSIONE.

COnfessionem Sacerdotalem suprà, opinor, tractavimus. In ea moderationem aliquam Catholici quoque postulant. Ut ea non sit amplius, fanaticorum est somniare: verùm ut existat in Ecclesia nullis contaminata næniis, nec inanibus oppressa Sophistarum commentis, expetunt Orthodoxi. Si hæc extitit Origenis aut Hesychii & Augustini temporibus, profectò talis non extitit, qualem hodie deprehendimus usque adeò onerosam, ut non confessio, sed *laqueus* videri possit: laqueum dico, quem, donec rumpatur, tendunt Romæi socii, seu Theatini. Affirmamus Ecclesiastici: publicam privatamque Confessionem, publicam solutionem pariter & ligationem, à principio in Ecclesia Catholica fuisse unanimiter observatam, nec nos ad defectionem hujus cogi debere. Quibus temporibus concio Cathedralis acerba fuit voluntarie peccantibus, nec parcebat virga & vinculum Ecclesiasticum, quæ fuit excommunicatio, præsertim flagitiosis; ut esset discrimen Ecclesiæ judicio, inter homines peccatores & flagitiosos seu criminosos. Hi coërceri non poterant, nisi per illud vinculum, & terrorem Sathanæ effrænibus incussum: Citra cujusmodi præsentem licentiam publicorum morum cohiberi non posse comperimus.

Tuemur Confessionem peccatorum simplicem, qualis erat veterum; tuemur contritionem cordis, quæ acerbissimus dolor ac mœror est eorum, qui sua commissa verè agnoscunt deflentque. Tuemur denique satisfactionem, quatenus hæc antiquis Ecclesiæ magistris nota atque probata est, non ut derogemus Servatoris nostri Jesu Christi summis meritis (procul absit suspicio) sed ut hæc merita unicè surrogemus. Credimus in eum, qui pro peccatis nostris semel satisfecit, cujus redemptioni gratuitæ nec tantillum addere poterimus. Est tantùm aliquid, quo debemus placare nostris sceleribus offensam fraternitatem. Injunctas pœnitentias, quas vocant, jam non disputo, sed magis sobriam esse confessionariorum mentem cupio. Ita enim imponunt sæpenumero onera, quasi peccata nulla coram Deo remittantur, nisi placitis suis pareas. Inde sunt liberorum flagellationes, Germanorum peregrinationes, Templorum constructiones, Monasteriorum ditationes, Missarum fundationes, Morientium testamentationes, & ejus generis graviora satisfactoria; ad quæ si conferantur Precatio, Jejunium ac Eleemosyna, in nullo numero sunt: cujusmodi tamen opera bona veri Christiani sua sponte faciunt, tam ante quàm post confessionem peccatorum suorum, ut sese Christo Servatori, qui peccata remittit, gratos & obsequiosos exhibeant. Remittit autem primum pœnitentibus, deinde credentibus, postremò ad meliorem frugem conversis. Summa: Satisfactionem Ecclesiasticam, intellige fructus pœnitentiæ: hos exerce, & satisfeceris.

Cæterum, subjungemus pauca quædam ex Libro, quæ non facilè possis improbare. *Cùm autem*, inquit, *Confessio prabeat locum impertiendæ absolutioni privatim, & ritus ipse intellectum potestatis clavium, & remissionis peccatorum conservet in populo: Præterea cùm illud colloquium magnoperè prosit ad monendos & erudiendos homines; diligenter retinemus in Ecclesiis confessionem, sed ita, ut doceamus, enumerationem delictorum non esse necessariam jure divino, nec onerandas esse conscientias illa enumeratione. Nullum enim extat in scripturis Apostolicis præceptum de hac enumeratione. Et omnium delictorum recitatio impossibilis est, juxta illud Psalmi: Delicta quis intelligit? Item Jeremias ait: Pravum est cor hominis & inscrutabile. Quòd si nulla peccata, nisi recitata, remitterentur, nunquam possent acquiescere conscientiæ, quia plurima peccata neque vident, neque meminisse possunt. Quâ ex re facilè intelligi potest, ministerium absolutionis, & remissionem non pendere ex conditione enumerationis. Testantur & veteres Scriptores, non esse necessariam enumerationem. Chrysostomus enim in Epistola ad Hebræos inquit: Persuadeamus nobis, peccasse nos: nec id lingua tantùm pronunciet, sed etiam intima conscientia: nec tantùm dicamus, nos esse peccatores, sed etiam peccata specialiter computemus. Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque te ut apud alios accuses, sed etiam obedire te volo Prophetæ: Revela Domino viam tuam, coram Deo peccata tua confitere: apud verum judicem cum oratione delicta tua pronuncia non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria: & tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Hæc Chrysostomi concio non solùm docet, quid de enumeratione sentiendum sit, sed etiam gravissimè conjungit contritionem & fidem, sicut nos conjungimus. Jubet primùm ut peccata verè agnoscamus, & ex animo testemur: Deinde docet, addendam esse orationem ac fidem, qua statuat, nobis ignosci.* Post pauca Liber idem: *Sed*

Sed veteres illi mores tempore consenuerunt & antiquati sunt. Nos igitur non oneramus conscientias satisfactionibus, sed illud docemus: Fructus pœnitentiæ necessarios esse, obedientiam, timorem Dei, fidem, dilectionem, castitatem, & universam novitatem spiritus debere in nobis crescere. Monemus & illud: sæpe puniri peccata etiam temporalibus pœnis in hac vita, ut David, Manasses, & alii multi puniti sunt. Et has pœnas mitigari docemus bonis operibus, & universâ pœnitentiâ, sicut docet Paulus: Si nos ipsos judicaremus, non judicaremur à Domino. Et pœnitentiâ meruit, ut Deus sententiam de delenda Ninive mutaret.

AD ARTICUL.

DE DISCRIMINE CIBORUM.

Atque hæc quidem hactenus. Jam de constitutionibus humanis scrupulosa incidit disputatio, dum aliud aliis videtur. De his primùm in genere dicemus, deinceps ad speciem exspatiabimur, quo ordine Liber hic procedit.

Initio certum & persuasum nobis Catholici habemus, Dominum apud Evangelistas constituta Judaica reprehendisse, quæ nimirum Scribæ, Pharisæi ac seniores populi tenebant plus quàm mordicus, quæve propemodum præferebant constitutis divinis, & justitiam suam, sanctimoniam suam, adeoque latriam Synagogæ omnem in hisce collocabant, nec posse se salvari citra horum observationem arbitrabantur. Unde sæpissimè, historia Evangelii teste, moverunt tragœdiam Domino, (ut jam ita loqui liceat) de constitutionibus suis violatis; credentes, nefas extremum esse, si quis hasce *δευτερώσεις* transgrediatur, parati statim ad vindictam; quæ erat, transgressorem facere *ἀποσυνάγωγον* nullo perciti zelo, si quis in Legem peccârat. Quia verò hæ constitutiones non Dei, sed hominum erant, rectè adduxit Esaiæ testimonium contra has, & appellat *mandata, præcepta, & doctrinas hominum:* quæ tantò minus erant ferendæ, quòd per istarum rigidam ac plus quàm exactam observationem Lex Dei apud Judæos irrita facta fuit & omni authoritate privata. Præterea, Dominus tam acriter in *ἐντάλματα* seu mandata ista hominum invehitur, nolens ferre horum neque *διδασκαλίας* seu doctrinas, neque *ἐντάλματα*· sic enim loquuntur Evangelistæ. Dicit (nec hîc textus Evangelicus ab Hebraico diversus est vel in uno apice) item Matthæus græcè, *παράδοσιν Presbyterorum ut Seniorum* esse, illotis edere manibus; quam vocem vertunt latinè Traditionem. Verùm longè diversa est *παράδοσις* Synagogæ, & paradosis Ecclesiæ. Hæc enim & suas habet *παραδόσεις*, maximè quas ei tradidit Apostolus Paulus, *1 Corinth.* 11. 2 *Thess.* 2. de quibus paulò post.

Atque ita ostendimus, Christum Dominum peculiariter & propriè Pharisæos Judæorum arguisse, propter nimiùm exactam & accuratam observationem constitutionum suarum, quæ tamen homines suo libitu, extra scripturæ canonem, tenendas esse statuerunt. Eodem spiritu taxârunt easdem Apostoli, videlicet Paulus *Galat.* 1. *cap.* ubi has epitheto perbello insignit, vocans *πατρικὰς παραδόσεις*. Verùm ad *Colos.* 2. appellat simpliciter *παραδόσεις* hominum, Evangelistarum more: & Petrus vocat uno verbo *πατροπαραδότων* nimirum quod Paulus expresserat *τῶν πατρικῶν παραδόσεων*. Ut intelligas, quo in pretio extiterint Judaicæ istæ constitutiones, tam apud Christum Dominum, quàm apud servos Apostolos.

Quamobrem si constaret, Ecclesiam pari studio suas urgere constitutiones, nihil forsitan potiores, & in eo haud dissimiles constitutionibus Synagogæ, quòd fideles ab observanda Lege Domini impedirent ac remorarentur, & statutorum illorum humanorum occasione redderetur lex divina irrita & penè abrogata, cassata atque rescissa: (nam quid Græca vox Evangelistarum *ἀκυροῦν* sonet, non est obscurum theologis) ad eundem certè impingeret lapidem, Synagogæ facta similis. Verùm Ecclesiam Christi libenter excusaverimus, nec siverimus talem illi inuri notam, ut ipsa credatur fecisse, quod per homines præposterè Christianos factum esse novimus. Neque enim à Christo suo dissentit Ecclesia, neque ab Apostolis, quorum opera primùm in orbe terrarum constituta est, discrepat. Synagogam quodammodo vocamus constitutionum humanarum causa. Quin potius rectores hujus sumpta fiducia coarguamus, qui imprudenter (ne dicam impiè) vel invexerunt ipsi statuta illa perniciosa, vel passi sunt, ut aliunde irreperent. Equidem negari non potest, Evangelium cum Scribis Pharisæisque propter suas *δευτερώσεις* vehementer digladiari *κατ' ἰδίαν*. Sed si idem exemplum Scribæ, Pharisæi, & Seniores populi Christiani pari passu sequantur, nullatenus reclamârim, quin eodem sint feriendi gladio spiritus, qui est verbum Dei, & increpandi, sicut

ſicut Judæorum Rabbini, ut & noſtri audiant hypocritæ: *rectè de vobis prædixit Eſaias, Matth. 15.* Cur enim non torqueatur hoc quoque telum in eos, qui cùm nominentur Chriſtiani, Judæis ſunt affines magis quàm Chriſtianis. Similis culpa ſimilem requirit pœnam: qualis reperitur, talis judicatur.

Judicatus eſt Scriba cum Phariſæo in Synagoga, tanquam humanarum conſtitutionum aſſervator acerrimus, etiam uſque ad legis divinæ injuriam, fraudem & derogationem; & pari judicio non pereat, qui ſe fidelium Chriſti ducem oſtentat, ac facit paratque ſimile, & adeò ſimile, ut planè unum idemque eſſe videatur? Nonne Dominus juxta Evangelii hiſtoriam, olim ad ſuos in conſummatione ſeculi reverſus, talem ſervum diſſecabit, partemque ejus ponet cum hypocritis ac Phariſæis, imò etiam μετὰ τῶν ἀπίστων, quemadmodum Lucas habet? Cum hypocritis Judaicis pars hujus ponetur, qui hypocritas cæcos imitari maluit, quàm Apoſtolos, quos Eccleſia videntes ſuos quondam habuit. An ſcelus vulgare judicas, præceptum Dei propter præceptum hominum reſcindere, & propter opiniones & doctrinas hominum verbum Dei peſſundare?

Horrendum lectu eſt, quòd non ſine indignatione fremuit Dominus in ἀκυροῦντας τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, quemadmodum deſcripſit Marcus. Cacodæmonis ex profeſſo eſt, non hominis, hoc facere: Ut appareat, non eſſe humanum ſed Diabolicum, illud etiam velle conari, ne verbum Dei vivi regnet ac floreat in Eccleſia, ſed obruatur verbo alieno; & præcepto Dei vivi aut æquiparetur aut anteferatur præceptum hominum, ſeu illi ſint de Synagoga, ſeu de Eccleſia. Sermo Dei in ſcripturis canonicis deſcriptus ut minimè abhorret à ſermone pii viri ſermoni Dei per omnia congruente, & idem per omnia ſentiente; ita Lex non dico abhorret in Eccleſia à lege hominis plane θεοφόρε, ut cum D. Ignatio loquar, ſed amat etiam explicari plenius & illuſtrari per legem verè religioſi hominis, qui nimirum ſibi præfixit ſcopum unicum, ut minimè omnium aberret à lege Dei ſui. Quod ſi ſunt conſtitutiones præceptaque hominum Eccleſiaſticorum ejuſmodi, ut nihil ab inſtitutionibus ac mandatis Dei differant, ſed idem præ ſe ferant in univerſum, adque finem ſalutis eundem tendant, conſtitutiones Dei potius ſunt quàm hominis. Igitur in primis attendendum eſt, ut examinatis atque probè excuſſis conſtitutionibus, quæ quacunque occaſione prætextúque penetrârunt in Eccleſiam. Si quæ inventæ fuerint ad verbum legemque Dei quadrare nulla non ex parte, eæ conſtanter in uſu perpetuò retineantur: Sin minus, vel caſtigentur, vel moderentur, vel relaxentur, vel in univerſum abrogentur ſi cenſuram reſpuunt. Eccleſia citra conſtitutiones atq; veluti frænationes ſeu repagula, gubernari non poteſt.

Non imus inficias, *& major pars rerum, quæ in Eccleſia geruntur, è ſtatutis humanis profluxit.* Pulchrè: Sed tantò magis conveniebat, iſtas *conſtitutiones Pontificias* (ſic enim loquuntur) ad formam legis divinæ redigere, ne ullo pacto Lex Dei & lex hominis damnante Eccleſia inter ſeſe pugnare, ſed idem ſentire, idem velle, idem præcipere videantur. At quæ conſtitutiones in Eccleſia tenentes arcem, ſermoni Chriſti, legi Evangelicæ vetuſtati Eccleſiaſticæ palàm adverſæ ſunt & inimicæ, protinus condemnandas liberè pronunciamus, unà cum ipſarum authoribus, aut legis latoribus, & ex Eccleſiæ agro eradicandas; proque impiis habendos, qui credunt, ſitam eſſe juſtitiam, & pendere ſalutem ab hiſce obſervationibus, gehennam à non obſervatis.

His præmiſſis, viſum eſt, ad conſtitutionis humanæ articulos aliquos digredi; quorum eſt præcipuus poſt graviora quædam, *delectus ciborum,* ex jejunandi primùm conſuetudine ortus; Principium non malum, niſi quòd abuſus vitiavit, & ſuperſtitio deturpavit paulatim propè omnia. Profectò ab eſu carnium & vini potu ſimplex abſtinentia, quam inter Chriſtianos non obtinet laudem? ſimiliter temperantia, continentia, frugalitas, & vitiorum contrariorum fuga? collaudamus magnopere igitur abſtinentes citra ſuperſtitionem, atque admiramur continentes, & ſuſpicimus Evangelicè temperantes: tantum abeſt, ut hæc apud Catholicos in reprehenſione eſſe debeant. Ante hæc autem tempora acceſſit hujus quoque rei extremitas, Ephoris noſtris non ſatis fideliter apud ovile Dominicum excubantibus: Quo factum, ut hoc totum ferè corruerit, & abſtinentia verſa ſit in crapulam.

Verùm *hæ citationes* adverſus diſcrimen ciborum in Eccleſia propriè reſpectant delectum iſtum Judaicum, quem nonnulli ex circumciſione jam Chriſtum profeſſi, nondum depoſuerant, ſemper diffidentes ac metuentes, ſi quibuſlibet veſcerentur cum Chriſtianis qui erant è præputio, ne in Moſem νομοθέτην ſuum delinquerent. Chriſto, quem Meſſiam eſſe acceperant, fidem habebant quidem, ſed Moyſi (in his præſertim legibus) omninò valedicere non audebant. Illis meticuloſis admodum Judæo Chriſtianis cupiens mederi Chriſtus Dominus in Evangeliis, & Paulus ſervus Domini

in

in epiſtolis, ut eos ad libertatem Chriſtianam è captivitate Moſaica fortiter aſſererent, ſententias haſce hoc loco citatas pronunciârunt: Nimirùm *nihil de cibis per os acceptis inquinare poſſe hominem edentem*; cur ergò veſci dubites, recutite ſeu Apella, quocunque genere vel pecudis vel piſcis? Huc tendit Apoſtolus: *Regnum Dei*, inquiens, *neq; eſcam eſſe, neq; potum*, quaſi tanta dementia, captus homo poſſit eſſe, ut regnum Dei, & ſpem ſalutis omnem putet poſitam in hoc, ſi non edat carnem, & non bibat vinum. Rurſum dedocet Apoſtolus ineptum iſtum delectum cœnæ Judaicæ, ubi vetat judicari debere veſcentes quolibet cibo ac potu, perinde quaſi peccarent alioqui contra fidem: Eſſe indifferens, ſive edas ſive non edas, modò tibi non blandiaris de juſtitia aut ſanctimonia, ſive quod auſus fueris edere, ſive quòd malueris ab eſu tibi temperare. Illiuſmodi quidem Judæis ad Evangelium converſis, ſed nondum in fide planè firmis: At Chriſtiani ſecus ſimus affecti oportet, ſi nolimus eodem loco decumbere. Nam ſi eadem formidine ab eſu carnis abſtinuerimus, & per hanc abſtinentiam ſimilem nobis ipſis juſtitiam aut ſalutem pollicebimur, iiſdem ſacrorum dictorum confodiemur jaculis. Judæus non quamcunque carnem reſpuit, ſed partem aliquam mandato Moyſis vetitam. Inter nos exiſtunt, qui ipſi ſibi vetuerunt ex æquo omnem de carne eſum, exceptis aviculis, idque per totam vitam: alii certis tantùm diebus, quippe jejunalibus: Et utrobique juſtitia quæritur, aut certè inanis gloriatio. Illi quod faciunt, voto & religione, aut ſuperſtitione potius faciunt: Hi autem conſtitutione humana ſe obligari credunt, ut cogantur piſce veſci, non carne, aut potius carne piſcis, non carne quadrupedum, quaſi coram Deo multum referat, utra carne ventrem oppleas, quandoquidem deſtruat tam ventrem quàm in ventre eſcam, juxta vocem Apoſtoli.

Jejunium Eccleſiæ non debet abrogari: Licebit moderari, ac in melius reſtitui. Non putatur hodie jejunium, ſi vel modicam portiunculam carunculæ guſtes, ſique ovum unicum, aut juſculum de gallina recoctum ſorbeas. At vero jejunium eſt, ſi carnem variorum piſcium vores, ſi vino totus madeas, ſi ſatur menſa lautiſſima ſurgas, & inſuper prandio cœnam jungas. Ea ſcilicet abſtinentiâ conſumitur quadrageſima, & quatuor temporum angaria, & per divorum vigilias omnes. Pluſquàm Judaica ſuperſtitio aſtrinxit conſcientias ad formidines culpæ, pœnam purgatilem poſt ſe trahentis: Etiamſi tantùm veſcaris tenui lacte, ſi olido caſeo, ſi putri butyro. O ſanctas gentes, quibus cœlum debetur ex myrothecio illo, quod in alvum abit, & in ſeceſſum ejicitur. Cur enim Evangelii verbis non utar in re tam gravi, ſi ſuperis inferiſque placet? His creaturis Dei non licebat veſci, niſi Quirinaliter indulgeretur, idque non Metelli ſed metalli ergo?

Quæ ſæva coarctatio peperit nobis licentiam hanc, qua non voratur ſed ingurgitatur, excuſſo omnis diſciplinæ jugo, abjecto jejunio, faſtidita temperantia, & neglectis ſuper ea re ſcripturæ locis. E contrà alibi reperias longè prælatam hanc conſtitutionem divinæ legi, de non pejerando, de non occidendo, mœchando, furando ac aliis; dum magis conſtitutioni hominis, quàm legi Dei obtemperatur; & creditur, per opera jejunii, diſcriminis ciborum, feriarum, Miſſarum ad certos divos deſtinatarum (quod Manifeſtè idololatricum eſt) ac hujuſmodi, elui ſeu expiari crimina illa adverſus legem Dei admiſſa. Citius aliquis rapiat equum tibi, aut infeſtet tuam domum, aut virginem uxoremque proximi comprimat, aut cædat innoxios, aut fraude circumveniat fratrem, aut blaſphemet, aut de vero Dei verbo cultuque audire non ſuſtineat, quàm die conſtitutione humana vetito, non dicam de carne, ſed nec de ovo guſtet, dictitans, ſic conſtitutum eſſe, & interim diſſimulans, præcepto divino caveri, ne ſceleratè vivat. Uſque adeò præpoſtera omnia debemus huic Judaiſmo novo, & vaniſſimæ ſuperſtitioni, quæ tantum facit diſcrimen inter carnem ancillæ ac carnem vitulæ. Atque eo modo iterum irritum facimus Semi-chriſtiani præceptum Dei propter conſtitutionem hominis; & ſi ita docemus, fruſtraneum ſineque fructu cultum Dei docemus, obnoxii judicio Scripturæ Propheticæ pariter ac Apoſtolicæ. Non improbatur abſtinentia ab eſu carnis, ſi non ſecundum carnem vixeris, nec patraveris opera carnis, ſique edentem pro ætate ſua aut neceſſitate non condemnaveris; præſertim ſi ille qui utitur libertate donata, conſtitutionem moremque Eccleſiæ haudquaquam contemnit, nec exemplo domeſtico quenquam offendit, nec judicat non edentem, nec eſu ſuo voluptatem quærit, & his ſimilia. At crucifigendum, domandumque veterem Adam cum concupiſcentiis ſuis, opus jejunio: Cui ſi detrahas fiduciam, ac ſanctimoniæ opinionem, & oſtentationem hypocriticam, bonum utileque tibi opus jejunium feceris.

Extant ea de re tota commentarii noſtri, in quibus nihil deſideres, modò priori Eccleſiæ faveas. Placeat & Librum hoc audire loco, ubi cum Eccleſiaſticis admodum facit. *Vera & non ſimulata*, inquiens, *mortificatio eſt tolerare crucem, verſari in periculis, ærumnis*,

ærumnis, & afflictionibus. Hujus generis obedientia est cultus Dei, & opus spirituale, sicut docet Psalmus: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. Docemus præterea, aliud genus exercitiorum necessarium esse. Quilibet Christianus etiam corporali disciplina, laboribus, temperantia, meditatione divinarum rerum, & aliis exercitiis aptis ætati coërcere carnem debet. Horum finis proprius ac proximus esse debet, ne saturitas aut desidia exstimulet ad peccandum, & ut mens admoneatur, & fiat aptior ad affectus spirituales. Non est sentiendum, hæc exercitia cultus esse, qui mereantur remissionem peccatorum, aut satisfactiones esse, &c. Et hæc disciplina debet esse perpetua, nec possunt præscribi certi dies pariter omnibus. De hac disciplina, inquit Christus: Cavete, ne corpora vestra graventur crapula & ebrietate. Item hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi jejunio & oratione. Et Paulus ait: Castigo corpus meum, & redigo in servitutem. Itaq; non vituperamus jejunia, sed superstitiosas opiniones, & laqueos conscientiarum in traditionibus. Porrò hæc exercitia, cùm ad illum finem referuntur, ut habeamus corpora obnoxia ad res spirituales, & ad faciendum officium juxta vocationem, &c. sunt in piis bona opera, ut testatur Danielis exemplum. Sunt enim opera, quæ ad hunc finem requirit Deus, ut carnem coerceant.

De Feriis admonuimus suprà. Vereor, ne nos hîc quoque Judaismum superaverimus, & Pharisæismum justificaverimus nimis superstitiosi facti, dum nimis religiosi videri volumus, præsertim in severè exigendo feriarum otio ab invita plebe, quippe cui tota otia non perinde prosunt ac Clero. Nimium est, tanta austeritate postulare, quod nec pium, nec necessarium est, nec utile, nec legi etiam naturali, nec fidei, nec dilectioni conveniens est, sed quod plurimis dispendiosum, & quod ad malefaciendum invitat otiosos, juxta tritum illud vulgo: *Otia dant vitia.* Rursum: *Otia sunt diaboli mollia pulvinaria.* Et Syrachius ait: *Multam malitiam docuit ἡ ἀργία*, quod est apud Ezechielem, *otium.* Subvereor, ne in Clerum potius, quàm in populum competat, (nihil addam durius,) *& ignavis semper feriæ sunt.* Nullus septimanæ dies latius patet ebrietatibus, crapulis, comessationibus asoticis, impudicis garritibus, jurgiis, conviciis, clamoribus, cædibus, prostibulis, quàm dies feriatus. Frendent tamen, ac strident, mordentque præ sanctitate quidam crassuli, quoties aliquis apertior aristas fricat, aut bovem puteo eximit die Divis sacro: Hoc est, quoties parandi victus gratia vel unam tantùm manum admovet absolvendis operis, etiamsi calceum consutum reficiat. Judæi solùm Sabbathum suum tanto rigore observandum urgebant: Nos præter Sabbatha nostra Dominica, tot Divorum etiam ferias, majore ferè religione observare cogimur, ut plus peccetur, & ad illorum imagines procumbatur, & statuæ adorentur, & illæ ceu adjutores Dei invocentur, & œnopolia frequententur, & orchestra sudent: Alioqui profectò arescerent choreæ puellares. Verùm potestatis ordinariæ partes erunt hos abusus tollere, ac rectissimum feriandi usum præscribere, ne posthac vel Judæi, vel Ethnici esse videamur. Operæ pretium fuerat, istis feriis, præter alia, historias divorum divulgare veras, non aniles recitare fabulas, ut hactenus compertum fuit: Dicas, follibus mendacia pinguissima fuisse efflata, nec non vulgo credita pro veris narrationibus. Extant Catholicorum commentarii, qui proponi poterant concionatoribus ad discendum & evulgandum sanctorum historias.

Ceremonias Ecclesiæ Catholicæ publicas nullo modo aspernandas arbitramur, eas maximè, quas vel ab Apostolis, vel ab Apostolicis viris, veluti per manus accepimus, quasve in recto usu retinuit vetus Ecclesiæ praxis, & consensio utriusque Ecclesiæ approbavit, quæve sunt in pietatem conducibiles, ipsaque significatione mystica rudi populo mirum in modum salubres. Nec enim protinus existimârim ceremonias Christianismo afferendas, nisi concionatorum operâ, ac perpetuo studio. Dionysii Areopagitæ exemplo, ignoranti plebeculæ omnes explicentur, ac quid quælibet arcani habeat, enucleetur. Illud autem accedet ad ceremoniarum commendationem, & harum observationem reddet coram toto cœtu acceptam, si nôrit idiota tanquam ungues digitosque suos, causas ceremoniarum, ob quas quæque instituta sit antiquitus. Alioqui si hujusmodi aperire non dignabitur Ecclesiastes, nihil aliud erunt ceremoniæ in Ecclesia, quàm histrionum gesticulationes in theatro; unde plus tædii auferas, quàm utilitatis, adeoque plus risus quàm pietatis. Spectat populus avidis oculis, quod geritur, & ignorat quid geratur: Nec multum interest, ludumne aut fabulam saltari videat in foro, aut res tractari sacras in templo.

Attamen Episcoporum est, explorare ceremoniarum ortum ac causam, & secernere veteres à novis, num æque graves omnes sint. Quæ levitatis speciem præ se ferunt, & sunt (nescio, quæ?) ludicra, minusque seria, & ad cachinnum excitandum exhibita, procul arceantur à templis. Cur enim nostras panegyres, & cœtus nostros venera-

 biles

biles semper ludibrio habeant Judæi, ac hæretici? Adhæc, quandoquidem totus fermè cultus Dei nostris seculis ceremoniosus apparet, cum primis est superattendendum in ceremoniarum rationem, ut eæ graves, ac Evangelio Ecclesiaque dignæ sint. Justæ reformationis ense rescindendum sine mora, quicquid Christianos non decet, & latriam dedecorat magis quàm decorat. Semper metuendum est, ne illo feriamur fulmine: *Frustra me colunt, &c.* Si frustra, quid igitur aut facimus aut occupamur circa frustranea? Quid ergo inutiliter totam vitam scientes ac prudentes perdimus?

Dispiciant iidem in ceremoniolas, quæ populo exhibentur circa baptisma parvulorum, & missarum solennia, præsertim missarum Episcopalium, an fortè aliquid eò accesserit per neoterismum, quod pro veteri utili ac sacramentis digno, adversus contradicentes hodie defendi non queat? Quò minus audiendi sunt, qui plus obedientiæ ac plus sanctimoniæ ceremoniis novis tribuunt, quàm antiquis, & utcunque receptis quàm utriusque Ecclesiæ usu consensuque comprobatis. Næ isti verò nimium homines suaves sint oportet, qui ex ceremoniarum qualiumcunque observatione se justos, pios, Deo placentes fieri putent, & peccari extra observationem, etiamsi absit contemptus. Tanta inest erroris ἐνέργεια humanis constitutionibus, si initium ac finem harum non probè intelligas. Porro adumbratam coacervationem ceremoniarum Ecclesiasticarum videas licet in toties edito libro, cui Author titulum fecit: *Forma Ecclesiæ prioris, &c.*

Summatim: In Concionatorum prudentia spirituali situm est omnium ceremoniarum pondus. Concio ceremoniæ fructum in aures, animosque plebis instillat: Concio ceremoniam facit utilem, & hoc agit, ut plebs earum moderata saltem consuetudine carere nolit. A qua sententia opinor Protestantes, quos vocant, neutiquam diffidebunt, modò concordiam Ecclesiæ quærant ex animo, nec existiment, regnum χισμάτων fore perpetuum: Schisma autem est à toto ad partem desciscere, & verum a falso non dignoscere, sed magis odio falsi omnia temerè calcare, contemptis veteribus, mediis, recentioribus, qui diversum non affectu sed ratione sentiunt.

AD ARTICUL.

DE CONJUGIO SACERDOTUM.

NEC hoc omne punctum de Clerogamia largiremur Libro, nisi ferè idem traderet Ecclesia. Dicitur autem Ecclesia tradere, quod vetustissimi vel scripserunt, vel fecerunt Ecclesiæ Patres, Doctores, ac viri in sancto fidei Christianæ negotio illustrissimi. Nisi, inquam, conjugium Presbyterii divinitus concederetur in Ecclesia, nec reclamarent scripturæ sanctæ, nec veteris Ecclesiæ indubitata praxis, nec publica honestas. Et horrendum auditu est, quòd Apostolus Paulus, dæmoniacum seu diabolicum esse scribit, si quis doceat adversus conjugium. Longè magis dæmoniacum sit oportet, propter conjugium in Christianos sævitiam exercere, & innocentes interficere. Liber rectè asserit, cùm ait: Constitutionem istam humanam, qua prohibetur conjugium Presbyteris, ac distrahitur contractum, pugnare cum jure naturali, cum jure divino, cum Evangelio, cum veterum synodorum constitutionibus, cum exemplis veteris Ecclesiæ, imò cum exemplis etiam Ecclesiæ Romanæ qualis erat circa 500 annos: Quæ exempla, spiritu parùm sancto Hildebrandus notabiliter actus, ex Ecclesia Romana sustulit.

Verùm capita quædam tantùm attingemus de Clerogamia: Cùm possemus verbosissimè hanc tractare materiam; de qua tamen extant libri mei tres ἀνέκδοτοι hactenus, quibus, nostrâ quidem sententiâ, nemo cordatus obsistere ad minimum vel cupiat, tantum abest ut quis valeat.

I. Scriptum est: *Sacerdos virginem ducat uxorem.* Quæ vetus lex moralis est, habens adhuc vigorem: Non ceremonialis, hoc est, abrogata.

II. Novo Testamento illucescente per Johannem Baptistam, erat hujus pater Zacharias Sacerdos Domini, habens Elisabetham uxorem.

III. Recenset Paulus Apostolus in regula, quam ad Timotheum præscripsit, Presbyteris novi Testamenti ut sint unius uxoris viri.

IV. Eandem regulam ingeminat ad Titum.

V. Ipsos

V. Ipsos Apostolos uxores habuisse proprias, divus Ignatius & Clemens Apostolicus idoneus testis est.

VI. In primitiva Christi Ecclesia tàm Orientis, quàm Occidentis, duravit Clerogamia improhibita.

VII. Et perduravit improhibita quia Apostolica, usque ad tempus prohibitionis primariæ per Syricium, & Innocentium factæ. Pòst secundariæ prohibitiones secutæ sunt per Concilium Carthaginense, per Gregorium & Calixtum secundum, maximè per sanctiss. Hildebrandum. Sed hanc prohibitionem, quia neque Apostolica, neq; universalis extitit, Oriens non recepit. Decreta verò canonica, quæ conjugio favent, illud tantùm postulant, ut uxor virgo ducatur ante ordinationem sacerdotalem.

VIII. Panormitanus scribit: *Matrimonium de jure divino non impedit susceptionem sacrorum ordinum.* Idem Panormitanus Juris peritus ait; *Lex cœlibatus non est de necessitate salutis. Et continentia in clericis secularibus non est de substantia ordinis, nec de jure divino, &c.* Adeoque contendit, ut sit liberum: *Quia contrarius effectus cœlibatum sequitur.* Rursus idem: *Etiam post votum solenne posse contrahere, &c.* Equidem vix unquam alium uno quasi halitu plures Canonistas citasse audivi, quàm Hiero: Mosserum D. consentientes omnes in libertate conjugii sacerdotalis concedenda, idque in commentariolo suo de Clerogamia. Hunc virum ego Canonistarum facilè principem dixero.

IX. Canon Apostolicus habet: *Ne Episcopus aut Presbyter, religionis obtentu, uxores suas à cura sua expellant.* Idem ferè Concilium Gangrense, cujus verba sunt, cap. 4. *Quicunque discernit à Presbytero conjugato, quòd non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, Anathema sit.*

X. Canon & Concilium Ancyranum sic concludit: *Si Diaconi in ipsa ordinatione protestati fuerint, se uxores habere velle, nec posse continere: Hi si postea venerint ad nuptias sive matrimonium, in ministerio manebunt.*

XI. Uxores Presbyteros suas post acceptos ordines servasse, testis est Historia tripartita *lib. 9. cap.* 38.

XII. Notissimum est de Paphnutio Confessore Christi, consulente Clerogamiæ apud Eusebium, & in Decretis.

XIII. Dionysius Corinthiorum Episcopus admonuit Pinytum synepiscopum, ne onus cœlibatus tanquam necessarium fratribus imponeret, sed infirmitatis multorum rationem potius haberet. Vide Eusebium.

XIV. Pius secundus Pontifex Romanus dictus ante Æneas Sylvius, dixit: *Fuisse caussas graves, cur Presbyteris ademptum esset conjugium, sed existere graviores, cur redderetur.*

XV. Fatetur Petrus à Soto in apologia adversus Ducem Wirtebergensem: *Matrimonium, quantum est ex jure divino, omnibus ex æquo laicis & clericis liberum esse: Usum vero ejusdem non ex jure divino, sed ex consuetudine & consensu Ecclesiæ Romanæ clericis interdictum esse.* Hæc ille. Ergo vicimus: Quid enim est interdictum esse, nisi prohibitum esse, ut prodatur voce sua sorex. 1 *Timoth.* 4. Pergit Sotus: *Quare non sit mirum, si vel alicubi vel aliquando aut usurpatum, aut permissum fuerit.* Certè concedit ille magister noster, Ecclesiam Romanam posse in futurum hanc constitutionem humanam, videlicet cœlibatus, aut mutare aut parùm laxare.

Fatetur item Martinus Peresius Episcopus, conjugium præsulari ac sacerdotali muneri minimè repugnare: Atque hoc postea exemplis Apostolorum & Apostolicorum disertè probat. Præterea idem Martinus Peresius sic de incontinentibus loquitur: *Si sine delectu aliquo admitti debent hujusmodi homines ad sacerdotium, necessarium mihi videtur, ut lex ista cœlibatus pro hujusmodi hominibus* (incontinentibus) *in futurum relaxaretur, ut evitarentur tot scandala & peccata, & ne blasphemetur sancti sacerdotii nomen.* Item: *Et Augustini tempore fuisse sacerdotes uxoratos in Africà*; cui Peresius subdit, *aut rarissimos, aut nullos.*

Summa: deprehenditur hîc & ubique conjugium clericale primis ecclesiæ temporibus passim extitisse quidem, sed per Papas & sua Concilia postea abrogatum fuisse, & legem cœlibatus promulgatam ob dignitatem clericalem.

Verùm Soto & Peresio adjunctum damus Thomam Aquinatem suum. Is in Summa, quæ incipit, *Commiserationes Domini*, cap. CLVI. inquit: *Si acoluthus in secretà confessione ad discretum sacerdotem veniat, & se nullo modo continere posse dicat, non multùm peccat sacerdos, dando ei consilium, ut cum aliquà occultè matrimonium contrahat, & occultè sui episcopi oculos fallat. Minus credimus peccatum esse, beneficium cum occulto conjugio retinere, quàm fornicariam contra prohibitionem habere. Si verò postea ad sacros ordines à suis prælatis cogatur accedere, credimus minus peccatum esse uxore uti, quam cum alià fornicari, si ex toto noluerit continere.*

 XVI. Nice-

XVI. Nicephorus affirmat, etiam Synesium episcopum factum protestatum esse, se uxorem, quam sibi Deus, & ipsæ leges, ipsáq; sacra Theophili manus dederat, prorsus non deserturum, neq; cum illâ veluti mœchum clandestinam consuetudinem habiturum. Alterum enim minimè pium, alterum minimè legitimum esse. Videatur idem Nicephorus de Clerogamia veraciter attestans l. 12. cap. 34.

XVII. Isidorus libro officiorum de clericis dicit: *Castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant clerici, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur.* Hæc Isidorus. Vociferantur quidam ex misogamis, nuspiam reperiri, sacerdotes post ordinem contraxisse matrimonium. Legant ergo isti Socratem hist. Eccles. lib. 5. cap. 21.

XVIII. Franciscus in Rubricâ inquit, se credere, quòd Ecclesia tale præceptum (cœlibatus) sit aliquando revocatura, juxta illud Apostoli: de virginibus præceptum non habeo, &c.

XIX. Cypriani dictum vulgatissimum est de puellis votariis, *satius esse ut nubant, quàm in ignem deliciis suis cadant, &c.* Cui consonat Basilius Magnus. De virginitate ejusmodi exponit D. Ambrosius episcopus dicens. *Ubi necessitas imponitur castitati, ibi libidini auctoritas datur. Itaque nec casta est, quæ metu cogitur.* Hæc Ambrosius.

XX. Numerantur plus 20. exempla presbyterorum olim maritorum, & legitur in can. *Volumus*, distinct. 81. sacerdotibus prohiberi, ne cum mulieribus conversentur, excepta matre, sorore vel uxore, quæ castè, ait, regenda est: quod verbum *castè* glossator ibi sic exponit: *Concubitus enim cum propriâ uxore castitas esse dicitur.*

XXI. Extat super clerogamiâ Epistola divi Ulrici, sive alterius cujusdam viri, Deum timentis: unde apparet, Presbyteros in Germaniâ uxoratos fuisse. Id quod novimus (vel extra hanc Epistolam) verissimum esse ex tot historiis, etiam in Galliâ, Angliâ, &c.

XXII. Constat de conventu citatorum conjugatorum, reclamantium Episcopo Moguntino ante quadringentos annos, quando per tyrannidem miseri sacrifices adacti sunt contra fas jusque ad cœlibatum, aut potiùs concubinatum, Deo scilicet placentem super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas. Videatur historia Lamberti Hirsfeldensis.

XXIII. Accedunt leges civiles, & novissima authenticorum jura; ubi inter alia legitur, clericos non alios ordinandos, nisi castè viventes, aut uxorem legitimam, ac ipsam unam ac primam habentes.

XXIV. Speculator in tractatibus de modo congregandi Concilii pensandum putat, annon expediret ac provideri posset, quòd in Ecclesia occidentali, quantum ad votum continentiæ attinet, servaretur consuetudo orientalis, quum temporibus Apostolorum eadem servaretur.

XXV. Objicitur de bonis Ecclesiarum dissipandis: quasi non major cura requiratur circa animas servandas. Et eò cæcitatis rapiuntur Romulidæ quidam, ut censeant votarios minùs pecccare fornicando quàm nubendo. Hinc est quòd graviùs plectuntur mariti, quàm concubinarii. Vides ludibrium mersum esse factam legem divinam, & huic longè præferri constitutionem humanam.

XXVI. Objicitur Babylonismus futurus, si omnes sacerdotes maritescant. Respondemus: quis cogit omnes contrahere, aut quis cogit unum etiam contrahere? Quo impulsore contrahit matrimonium chori pondus, ut quidam loquuntur? In quorum grege tamen nonnulli extra reprehensionis notam conversantur. Quid illis in hac libertate? Nisi velint opulentiores de suâ substantiâ ac bonis honestè quæsitis inposterum victitare, nec ecclesiam gravare, quæ ministros suos alit, operarios videlicet mercede suâ dignos. Alii si mavelint, suo proventu contenti vivant, & gastrimargiæ non semper studeant, si tamen per potestatem sublimiorem posthac licebit, regulares foro magis quam choro adhærere. De utilibus ecclesiæ Presbyteris, & veris ovium dominicarum pastoribus loquimur, quos irreprehensibiles vivere præcipit Christus dominus, & postulat ecclesia. Peresius & multi opinantur, si pauci essent boni Presbyteri magis quàm multi malique, fore rem in optimo statu. Atqui horum paucitas temporibus Apostolicis non effecit, quò minùs sanctus Paulus clerogamiam sanciret in Ecclesiâ Christi, ut excluderet impudicitiam vel à paucis talibus.

Dicimus, licere, non oportere. Sed concubinatu prohibito, coget res ipsa vel ad honestum conjugium, vel ad sanctum cœlibatum. Quod inter hæc duo incidit, vetitum est, nempe scortationis scelus, aut adulterii, aut cinædiæ, pæderastiæ: quorum scelerum est repleta terra. Et talibus debetur duplex honor, debetur census, debetur immu-

immunitas ac libertas; tales digni sunt, qui soli administrent Ecclesiæ sacramenta; quibus honorandis aperiantur hominum prætereuntium capita. Horum os manusque rebus sordidissimis aptæ atque assuetæ admoveantur tremendis mysteriis, & adeò, ut sempiterna salus populi, qui dicitur catholicus, solum pendeat ab impurissimis ac fœdissimis scortatoribus. Hi conficiunt sacramenta; hi solvendi ligandique potestatem habent; hi soli psallunt Deo, quem adversarium habent, & inimicum. Horum dignitas venerabilis scilicet tanti fit, ut in horum ordinem certatim irruant adolescentes, otio, censu ac honore pellecti tantùm, quum metu Dei & formidine gehennæ procul hinc fugere conveniat, propter eandem turpitudinem vitæ, in quam prudentes incidunt; præ quorum jactitâ dignitate casti Presbyteri propter honestum conjugium sordent, à thysiasterio, à baptisterio, à cathedris, à pulpitis arceantur, à sacris muneribus muniisque repelluntur omnibus, indigni habiti, qui intueantur lucem, quum tamen coram Deo & Ecclesiâ sint sacris ministeriis tractandis magis idonei, propter conscientiam bonam fiduciamque erga Deum, rectamque & honestam conversationem.

O præsules, quæ est ista, precor, tam crassa ac illaudata supinitas, quæ est ista tam perversa perversitas, ac cæcitas cæcitatum: tantam ubique fœditatem in Clero quotidie sacrificante patienter ferre posse, contempto Christo & oppressâ conscientiâ, & ne semel quidem ad reformationem ac correctionem totius status animum adjicere! Videat Dominus & requirat. *Amen.*

Cæterùm his subjungere visum est quasdam considerationes, quas paucis antè annis apud semet eructavit Orthodoxus quidam, tempore Caroli V. imperatoris, super Clerogamiâ.

NEmo nescit melius esse, si Ecclesia habeat Presbyteros agamos, hoc est, absque connubio: verùm contrà in confesso est melius esse, si Ecclesia habeat Presbyteros castè uxorios, quàm turpiter concubinarios. Manifestissimum equidem est, cubile immaculatum Cleri nullâ vel veteris, vel novi Testamenti scripturâ vetitum esse. Econtrà verò reperias, istud in utroque Testamento concessum esse. Quòd si quis hîc neget, Vetus ad nos eâ in causâ pertinere; negare certè non poterit, Epistolas Pauli ad Christianos scriptas esse. Est item irrefutabile, Clerogamiam seu immaculatum Cleri cubile in Constitutionibus Ecclesiasticis juris positivi esse; ita ut Ecclesiæ, si tale communis utilitas suaserit, concedere liceat, quod concessit ipse Dominus Ecclesiæ, ad regulam duntaxat Apostolicam à Paulo præscriptam. Nam hîc ego irreligiosos istos ac temerarios nuptiatores quosdam de schismate, quive tam divinam quàm humanam legem suâ libidine quadam transcendunt, accusandos magis quàm excusandos esse arbitror.

Mores veteris Ecclesiæ laudo: qui si iidem essent hodie in Clero, quis censeret opus esse remedio? Quid prohibiturus erat Siricius, Innocentius, Calixtus & Hildebrandus, si hanc hoc tempore Ecclesiæ faciem adspexissent? Quòd si quis ad exempla provocet, longè cognitissimum est, historias Ecclesiasticas exemplis ejusmodi refertas esse. Sed ante ordinem, inquis? Rectissimè probaturus igitur eras caussam clerogamiæ, si quis hodie quoque ante ordinem honestè ductâ virgine, recipiatur in ordinem? Scripturam Apostolicam, jus positivum, exempla Ecclesiastica, & honestatem ipsam publicam quisquis ingenuè confitetur, is huic considerationi non reclamabit unquam. Nisi fortè primis temporibus fuerit licitum, quod nostris illicitum judicari debeat: quando videlicet Cleri nefanda turpitudo eò crevit, ut sacra etiam ipsa deturpet, adque abominationem adducat extremam.

Verùm ut fulcra illa hujus negotii transeamus, ratio omninò habenda est tempestatis hujus periculosissimæ. Quâ de caussâ Carolus quintus imperator Romanus neque impiè, neque imprudenter indulsit eum articulum, interim dum Concilium erit, idque pacis ergo, & in gratiam reducendorum schismaticorum. Cui indulto Romanus pontifex meritò suffragaretur, si illi cordi maximè esset Germaniæ perturbatæ tranquillatio, sique prius haberet necessitatem quàm severitatem in consilium adhibere. Necessitatem allego, quæ propè nulli legi est obnoxia: humanam intelligi volui. Et lex prohibitionis humana planè est, si non inhumana. Factiosi vix reduci poterunt per indultum istud: quid usu veniret, hoc per pontificem ablato? Quis sanctorum redibit ad Ecclesiam cum tantâ conscientiæ famæque suæ læsione? Imò tanto cum periculo castimoniæ? Nisi fortè tolerari semper debeat ab uxoribus ad meretrices discessio.

Non defuturi erant Ecclesiæ plurimi pastores, non minùs pietate quàm eruditione præstantes, si ageretur cum illis mitiùs hac quidem parte. Ubi quæso erunt pastores

res idonei tot curandis populis, si ob uxorem, rem neque impiam neque inhonestam, depellas præsentes, qui tamen ex Orthodoxis sunt? Aliam certè caussam multi non obtendunt, quàm hanc ipsam, videlicet se redire posse, nisi ita sæviretur in conjunctionem legitimam, nisique ipsis per eam disjunctionem aperiretur janua ad scortationes promiscuas: neque enim aberit quin alienas mulierculas sint recepturi, maximè ad usum domesticum, qui abjicere conjuges coacti sunt. Pars Lutheri usque adeò firma est adhuc, ut ab illis metus Ecclesiasticis ingens immineat. Et Principes, qui etiam Cæsariani videri volunt, in eâ factione pertinaciter obdurant. Illi certè longiùs resilient ab hoc religionis proposito, si Catholici usque adeò nihil de consuetudine suâ non bonâ remittant: habebuntque refragandi caussam, quandoquidem quod Cæsar relaxat, Papæ legatio restringit.

Poculum benedictionis concessit quidem Pontifex suâ in bullâ: sed plebs non dignabitur accipere sacramenta Dominica de manu Presbyteri, qui conjugem concubina mutavit. Ais, hoc quoque esse vetitum. Respondeo, vetitum quidem, sed tamen semper toleratum, adeóque censu & honore præ altero passim adauctum.

Cæterùm misogami philogamis perpetuò solent in aures ingerere scripturæ loca de carne crucifigendâ atque mortificandâ: quasi post disciplinam Ecclesiæ jampridem collapsam, & in ipsâ iniquitatis abundantiâ (de quâ Dominus in Evangelio) eâ ratione, natura succulenta juvenum sacerdotum corpora exsiccari queant in totum, inque angelismum quendam transformari. Est mundo notissima Thelogorum talium crucifixio atque mortificatio. Sunt in confesso horum jejunationes, aquæ potiones, humi dormitiones, genii defraudationes, totiusque vitæ incommoditates: quo medicamine scilicet efficitur, ut suis in corporibus stigmata portent, non qualia Paulus, Lucas, Chrysostomus, & Franciscus, sed qualia dicere nolo. Profectò brevibus Gyaris dignum facinus, ac nescio quantâ cruce, aliis onus importabile imponere, quod tute ne digitulo quidem minimo contrectes. Præstat, eunuchos quosdam tales Terentianos non tam mentâ, quàm linguâ castrari.

Legitur de Ratholdo præsule Argentinensi, qui matricidam ad pœnitentiam publicam adigens, ex mandato pontificio primùm prohibuit ab ingressu templi, unius anni spacio: attamen foris orare licuit. Deinde anno revoluto licuit quidem ingredi, sed non nisi inter catechumenos consistere, nec de Eucharistiâ participare; præterea totis septem annis oportuit pœnitentem illum neque carnem edere, neque vinum bibere: Imò verò jejunare per tres hebdomadum dies ad vesperam usque. Ibi additur: *à propriâ tamen uxore non separetur, ne in fornicationem corruat:* & hanc pœnitentiam mitigandam esse, si bene agere cœperit. Hac ex historiâ intelligis, prudens Lector, quantam semper rationem infirmitatis humanæ veteres nostri habuerint, in eo etiam homine qui tot ignominiarum, afflictionum ac incommodorum veluti flagris cædebatur, ut putare possis, illi nec libuisse unquam conjugem tangere.

Quid igitur credas honoratis, saginatis, lascivis, luxui deditis clericis, qui totum vitæ suæ tempus deterunt in otio, quod D. Bernardus appellat diaboli cervical? Verùm istiusmodi aliis amplificanda tempestiviùs reliquero. Reliquum ergo fuerit, ut his ac hujusmodi aliis penitissimè consideratis, prohibitionis rigor piè leniatur, & liceat ἀκωλύτως uti Sacramento matrimonii eos, qui citrà præterque hoc, passionibus (quas Apostolus ita vocat) perpetuis & iisdem criminaliter peccaminosis torrentur, eo etiam tempore, quo vel student literis, vel operantur sacris. Par erat ergo quamprimùm obtineri à Romano pontifice, ut horum temporum necessitate consideratâ, super isto articulo dispenset usque ad futurum Concilium. Alioquin omnis opera frustra consumitur in revocandis schismaticis, quorum pars maxima ne Concilio quidem sese subiiciet: tam altè radices egit factiosum dogma in Germanorum animis.

Equidem confitemur, continentiam in clero veram, maximum esse ornamentum Ecclesiæ: præterea confitemur, Occidentem hujus continentiæ clericalis exempla olim habuisse cum plurima tum insignia. Sed quia status modernus, ut appellant, veteri omninò non respondet, & tempora distinguere jubemur: mutari dura constitutio voti posset, ita ut in casu necessitatis saltem quoquo modo conjugatis, doctrinâ, vitæque honestate insuper commendatis, ad sacros ordines aditus pateat, quandoquidem hæc ipsa constitutio juris positivi est. Per hanc sanè dispensationem bene prospiceretur populis Christianis, tam exemplo quàm doctrinâ, & tolleretur omnis ista querela de turpitudine publica concubinatus, omnisque generis impuritatis. Eâ in re nihil observiretur sectis, sed Ecclesiæ, præterquam quod infinita præcaverentur scandala, quorum nullus erit ubique finis, quamdiu laqueo vocationis hujus infelix clerus contra conscientiam, non contra voluntatem tantùm suam ligabitur. Sed pergamus in instituto.

A D

AD ARTICUL.

DE VOTIS MONASTICIS.

MOnasticen ita improbare, atque hoc conari, ut ea omninò non habeat locum in rerum natura, sed stirpitus eradicetur, alienum à Christianismo esse arbitror; adeò, ut Christianismo Mahumetismus aut Turcismus ipse mitior videri possit, nimirum qui monasticen Christianam & toleret, & adversus violentiam barbaricam protegat passim in Asia, præsertim in Thracia. Ea parte mansuetudinis nos ab inimico crucis Christi superari debere, dedecorosum nomini Christiano non esse non possit. Raram, inquies, monasticen ille: at nos quem mundum, precor, alimus? Nec ego nunc de nimia monasteriorum multitudine sentio, qua videlicet gravari civitates compertum est, & obrui; nec horum hominum dominatu non premi; ut nihil durius addam de horum hypocrisi, ac doctrinis hominum suo instituto inservientibus, quorum autoritate veram pietatem labefactârunt, maximè recentem theologiam, quam dicunt scholasticam (si tamen sanctum Theologiæ vocabulum hæc meretur) in Ecclesiam introducentes, & hanc omnibus ingenii viribus provehentes. Hinc sævi isti clamores adversus antiquam illam ac sinceram theologiam, cum linguis primariis theologiæ necessario ancillantibus, quæ nostro seculò resuscitari cœpit, quam diffamant hæresin esse, nec quiescunt, dum contemnunt ceu certum Ecclesiæ virus. Itaque æquum judico, ut quæ monasteria supersunt & tolerantur, eò adigantur, ut posthac deserta barbarie sua, & abnegata matæologia ac gastrologia tota, antiquæ theologiæ (quæ sola hoc nomine digna semper est) sese totos addicant, dedantque; & concionaturi ad populum, morem Ecclesiasticum sequantur, non monasticum; ut progressu temporis dedoceant superstitiones, quas in animas gentium inseverunt tanto studio, ac si verbum Dei esset, cum sit verbum nescio cujus, vix etiam hominis.

Qualia initio fuerint monasteria, nos non fugit: hodierna dissimilitudo tanta est, ut ægrè possis cognoscere affinitatis etiam vestigium. Basilius Magnus apud Græcos princeps extitit monastices, & habebat instituti laudatores eximios, Chrysostomum, Nyssenum, nec hos solos. Talis erat Benedictus apud Latinos, author piæ sodalitatis, approbator Gregorius; & ante utrumque quantis studiis patrocinatus est rei monasticæ Hieronymus ipse, Augustinus & Ambrosius? Quorum omnium sententias de isto vitæ genere, ut vituperare nolim, ita judicarim non temerè contemnenda, quæ viri illi, qui sanctimoniam cum eruditione insigni copularunt, usque adeò commendarunt orbi Christiano. At ubi est monastice hisce seculis, quæ conferri queat cum Basiliana & Benedictina? De re loquor, non de umbra. Deum immortalem, quanta diversitas eluceret vel Tiresiæ aut Hipsiæ cæcis, si antithesin visum sit ejus rei facere tam quod ad vitam, quàm quod ad doctrinam attinet! Doctrina sana erat & Apostolicæ similis, vita Christi Evangelio digna. Hodie scatent pleraque impurissimæ doctrinæ sententiâ, vita doctrinâ etiam ipsâ impurior: nihil videas monasticum, præter rasuram atque vestem distinctam, quæ materia est tanti odii, quo illud hominum genus persequitur omnis populus, uterque sexus usque ad pueros ipsos. Et haud multum abest, quin eadem in navi seu cymba sint sacerdotes, quorum ne nomen quidem ferri amplius potest, idque non ordinis caussa, sed morum culpa. Vota objiciuntur, quibus quid vanius esse possit? Siquidem juris divini ea neque sunt, neque à quoquam servantur. Vovent non ut ea servent, sed ut per hunc prætextum monasterium ingressi sine labore ac solicitudine vivant, & vivant in otio ac saturitate, & saginentur ut plurimum ad stuporem usque.

Profectò (si modò vera fatemur) plurimi nobiles suam carnem & sanguinem ad hunc statum vel blanditiis induxerunt, vel austeris interminationibus compulerunt, alendi ventris gratia: utque eo pacto elocarentur absque multis impendiis, & ipsi hac cura levarentur, in alios liberos futuri profusiores. Et decantatum vulgò est: *desperatio monachum monachamve facit.* At quæ desperatio, nisi quotidiani victus? Ut diffidentiæ sit cujusdam, facere aut fieri monachum vel monacham. Mitto iterum conqueri de sacerdotio, in quod quotusquisque est qui se præcipitat, nisi ventris exsaturandi, & laboris fugiendi gratia? Paucissimos reperias, qui non ob hæc monachizent, videlicet, ut per hujus status divinitatem consequantur remissionem peccatorum suorum, ut inde velint justificari ac pro justis ac sanctis videri, quive salutem omnem in hoc vitæ genere collocent ut se pro perfectis ducant, & cæteris hominibus meliores, & persuadeant sibi, vota sua paria esse votis baptismi, & opera supererogationis istius allegoricæ sese

ſeſe in cœnobiis facere, & his adeò abundare, ut aliis communicare poſſint, (quod non fecerunt prudentes virgines, apud Matthæum, quarum hæc vox eſt: *ne non ſufficiat nobis & vobis)* nec ullibi religioſiores Chriſtianos, præterquàm in monaſteriis vivere, & n'ſi eſſent monaſteria orbem jampridem periiſſe: ibi enim iratum numen per merita ſua mitigari. Qui ejuſmodi fecerunt, forſan ante hæc tempora in Europa extiterunt, jam non ita deſipiunt. Nimirum oculatiores redditi, ut penè vereantur, ne licentiæ ſuæ cauſa è monaſteriis profligantur, præſertim Nonnæ, quarum multa clauſtra quid, obſecro, aliud ſunt, quàm pornoboſcia ſpecialia? Et huc commeant ſui ordinis & regulæ patres, & fratres. Et ea tamen neſaria, atque conſcelerata multa tolerant Præſules, hujus ſanctimoniæ non neſcii, ſi non comparticipes, ludentes nimirum ludum Udonis Saxonici. Exempla haud obſcura ſunt, καὶ οὐκ ἐν ἀποκρύφοις: ut præſtaret, aliquot harum ſalaciores inde eximi, veterum more, & conjugio copulari, ad ærumnas vitæ humanæ perferendas, quàm deliciis clauſtralibus ut intereant, ſinere.

Quis eſt tam vecors, ut credat, per hanc monaſticen iram flagellantis Dei poſſe placari, & non exulcerari magis? Nullum igitur Conſilium tempeſtivius dari à quoquam poteſt, niſi ut inſpectione ſevera corrigantur monaſteria, & ſi quæ deprehendantur prorſus incorrigibilia, ſenſim extinguantur potius, quàm hominum turpe otium fruſtra ſuſtentetur tot cenſibus, proventibus, & pinguibus locupletum eleemoſynis, quemadmodum ſeculis ſuperioribus uſu venit: præſertim puellarum, quarum patrocinium ex Epiſtola ad Timotheum non facilè poſſis petere, niſi velis ſexagenarias, ſpontaneas, pudicas, Deum timentes deligere. Ejuſdem fuerit negotii inſpicere, quem cultum Dei obſervent in templo, ſi abrogetur ἁγιολατρεία. Præterea de concione, qualis ea ſit, vetuſtiórne an verò recentior. Si recentior, obſtruatur os vaniloquentiæ. Inſpiciatur bibliotheca, num ibi arcem teneant probati authores primævæ Eccleſiæ, & libri novi quidem, ſed veteribus non abſimiles: & qualia cumprimis Biblia ſacra. Inſpiciatur œconomia tota, examinetur cujuſque vita, & an iſta ſodalitas monaſtica ipſis verè placeat, atque cujus rei gratia in monachiſmum devenerint, ac quid in eo quærant, an animus ſit foris plus ferre fructus populo Eccleſiaſtico, hoc eſt prodeſſe proximo.

Cur tales habeas odio, & utilem rebus Chriſtianis monaſticen deſtruas, propter alios deteriores, ac abuſiones pravas? Malos ejice abuſus; opprime ſuperſtitiones penè omnes in monachiſmo notas: dele funditus etiam de terra viventium, ut ne horum memoria quidem ſuperſit in generationem alteram: emenda mores; exuſcita regulas obliteratas, in quibus ſi qua deſunt, ſupple. Breviter, ſic viſita, ſic ſuperintende, Præſul, ut impetres à monachis, quæ tam illis profutura videbuntur, quàm toti Eccleſiæ, quæ ſolet ſæpenumero è monaſteriis mutuò accipere doctores Evangelii, & olim inde accepit perdoctos Epiſcopos, qui de cathedris ipſi ſuis prædicârunt verbum Dei vivi, cui cedit humanum verbum, humanum votum, omneque iſtud inſtitutum. Verbum Dei ſincerè prædicatum non tollit monaſticen, modò verbo Dei non repugnet ipſa, & ſemet ei formandam reformandamque volens ſubjiciat, bonis monitis ceſſura.

Breviter, hic ſcopus monachiſmo reſiduo, mea quidem ſententia, præfigatur: nimirum ut hic ad hunc ordinem redigatur. Primùm ſoluti liberique ſint monaſtici homines à mundo, hujuſque contagiis ac illecebris, & reipſa oſtendant, quod audiunt ſolitarii. Proximum eſt, ut vero cultui Dei ſerviant dies noctéſque, meditando, precando, ſurſum ſuſpirando, humiliter pſallendo, confitendo, gratias agendo, docendo, exhortando, increpando, arguendo. Deinde ut illic aperiatur ſchola ad ædificationem æque omnium, ut qui literarum rudes etiamnum ac ἄμουσοι, & tantum non ἀγράμματοι fuerant, paululum aſſurgant ad cognitionem bonæ literaturæ; atque hinc ita præparati ultrò accedant ad ſtudia theologica, quibus ſolitudinis tædium & relevent, & fratribus, ſive monaſticis ſive Eccleſiaſticis, in Domino proſint. Ex academiis pædagogos ac didaſcalos petere ſemper licebit idoneos, & quales volunt profeſſores, ut ſchola latriam communem adjuvet, nedum exornet. Officinulam artificii cujuſdam liberalioris, ſi quis veterum monachorum exemplo, addendam ſcholæ exiſtimet, næ ille probè ſapit. Poſtremò convenit, & monaſticen veram decet, ut ſit hoſpitalis, id eſt, hoſpites peregrinos tecto menſaque excipiat, amicitiæ adblandiendæ gratia, & poſtea ſibi hinc hoſpitales eſſe videantur: cùm id genus convivationis, non hoſpitalitas, ſed prodigalitas ſit Epicurea magis quàm monaſtica: nempe iis gratificari, qui neque indigent ipſi, ſemper ſaturi, jejuni nunquam, neque magnopere poſtulant. Pauperes ſemper habeant fores monaſteriorum obſidentes, hos cibent, hos potent, hos veſtiant, hos omni officii genere conſolentur, de eleemoſynis ſuis eleemoſynas dantes, ad dimidium bonorum uſque. Adhæc in ſummis neceſſitatibus reipublicæ ſubveniant pro ſuo modo,

do, & operarios regni Dei liberaliter sublevent. Domi mansitent, libros revolvant, regulas suas constanter servent, præcipuè de his potiora, magis autem regulam Christi Domini, ut exemplo aliis esse queant, & glorificationi suæ satisfaciant, quippe qui tàm præceptorum, quàm consiliorum Domini factores videri velint.

Talibus monachis utriusque sexus cur Principes ac Comites hostiliter adversentur, & violenter expulsis omnibus eripiant quæ habent, omnia mobilia cum immobilibus, contra fas jusque, edictum quoque monarcharum, prædecessorum dotationes, in Evangelio Dei hactenus nobis legere non contigit; maximè cum usurpatores experiantur dissipationem istam inhumanam nec sibi prodesse, obesse verò magis revera comperiant, & per eas invasiones ac alienorum bonorum rapinas tot egenorum millia quotidianis eleemosynis defraudari, & peregrinos beneficiis debitis excludi, contra legem charitatis Christianæ. Modum numerumque excesserat monasteriorum multitudo pariter ac magnitudo: non ideò decuit nos, Ziscanum sive Bohemicum exemplum imitari, & quod in pios usus fuerat collatum aliorsum distrahere; & prædia monasteriorum poterant esse certa, ac perpetua egenorum subsidia: sed sic, opinor, erat in fatis.

Quod propterea commemoro, non quòd facta infecta fieri queant, sed ut posthac prudentius cum immensis monasteriorum opibus agatur. Ne quia pinguis est panis Christi, præbens delicias Regibus, Evangelio resuscitato nomen dedisse videamur. Incundæ aliæ rationes sunt, ut opes Ecclesiæ conserventur in tuto; & monasteria certè præcipua sic se gerant ut tam tragica mutatione, quæ res est mali exempli, opus non sit. Monastice nobis ab initio dedit viros doctissimos, atque Ecclesiæ Catholicæ utilissimos: verùm eadem dedit nobis sophistas spinosissimos. Illorum pia opera Ecclesia juvit: horum autem perversitate sua ac barbarie læsit, juxta illud:

Una manus nobis vulnus opemque tulit.

AD ARTICUL.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

De utraque Episcoporum potestate operæ pretium facit Liber, qui recta admonet, idque magis amicè, quàm odiosè; presertim cùm taxat illorum opinionem, aut potius assentationem, qui commiscuerunt in Pontificibus ac Episcopis Ecclesiasticam pariter ac Politicam potestatem. Nam ea quò longius discernuntur, hoc magis Evangelium sapit. Secus antè sensi, quàm penitius ac pressius negotium totum intuerer. Sed tamen verbis dissentiebam potius, quàm sensu. Quid enim choro cum foro? Quid gladio spiritus cum gladio carnis? Profectò Apostolus de Apostolis, & horum successoribus apertè negat, arma illorum esse carnalia. Quæ est societas Christo cum Herode, aut Paulo cum Agrippa? Itaque magnoperè probamus istud discrimen, sicut discrimen ponimus inter cœlum & terram. Potestas Ecclesiastica de cœlo est, at politica de terra: utramque verò in uno eodemque homine conjungi posse, disputent alii, qui solent objicere de gemino dispari,

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur.

Verùm disputetur ad vivum investigandæ veritatis ergo: Utrum idem existere possit Pastor spiritualis, & miles plus quàm carnalis? Ac jurene gestet altera manu pedum pontificale seu Episcopale, & simul altera ensem cruentum, galeam, thoracemque Martialem? Verùm hæc sacra non aliter constant: tantò difficilius est, contra tractum fluminis niti, & cum suo depugnare seculo. Alioquin enim provocari poterat ad Ecclesiæ principia, quando tam Pontifices quàm Episcopi uni vacabant potestati Ecclesiasticæ, in timore & tremore Dominum suum audientes nimirum *vos non sic.* Quin & cum Bernardo quæri poterat: *Sic ne fecit Petrus? Sic ne Paulus? Talia gestavit arma Linus? Talem Zonam Clemens? & Episcopi Dionysius, Ignatius, Augustinus, Ambrosius, & infiniti horum similes? Sed esto,* ait Bernardus, *alius, & alii hominum mores, & tempora periculosa non instant jam, sed exstant.* Hæc Bernardus. Attamen nihilo segnius fatendum id quod res est.

Nimirum Pontifices, Episcopos, Patriarchas, Cardinales, primam omnium curam ac operam impendere oportet in ea, quæ solius Dei sunt, memores Paulini mandati,

quando inquit, *dicite Archippo, vide ministerium* (diaconiam) *quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Quod mandatum Apostolicum summum literis aureis inscribi, sculpique debuit in omnibus palatiorum Episcopalium fenestris ac parietibus: simul cum hac Apostolica atque gravissima præmonitione: *Attendite vobis, & cuncto gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit Episcopos, ad regendum sive pascendum* (ποιμαίνειν) *Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Quod munus propriè suum, si sincerè obierint vel biennium, sensim, crede mihi, nauseabunt ad secularia. Semel statuant, potestatem Ecclesiasticam, qua Episcopi sunt omninò excellere, & longè inferiorem esse potestatem, qua Principes sunt. Quod cùm sit irrefragabile atque immotum, tamen gaudent audire tantùm principes, & propemodum pudet Episcopos dici. Imò illorum aula non sustinet patienter audire, si quis roget, ubi Rev. Episcopus sit: Præcisè dicendum est, ubi reperiam meum gloriosissimum Dominum & Principem: sin secus, ad suspicionem malam protinus rapitur. Cujus rei forsan causa est, quod malint esse reipsa Principes quàm Episcopi, & propensiores sint ad Principatum quàm Episcopatum. Si qui tales existunt, ipsi constituunt semet Episcopi nomine ultra modum indignos: Sed hoc pactò non subterfugient iram venturam.

Porrò quandoquidem usus, mosque publicus obtinuit, sicut supra diximus: Ut videlicet Pontifices & Episcopi utraque simul potestate fungantur, etiam atq; etiam contemplandum est, ne, dum alteri incumbunt, alterum negligant. Quod si eligendum est melius, multo satius est, Ecclesiæ curis operisque incumbere Pontifices ac Episcopos, quàm politicis vacare causis, & mundi hujus implicari negotiis. Hoc enim alieni officii est: Illud verò proprii, quemadmodum sæpius dixi. Quòd si Cæsar Romanus, totumque Imperium sinceris animis super ea re consultaret ac dispiceret: An utrumque, an verò alterutrum Christianismo conducibilius foret: Haud equidem arbitror Episcopos ipsos hanc deliberationem improbaturos. Omninò prius habeant religio si Prælati, ut Ecclesiæ Christi bene præsint, juxta legem Domini, quàm ut aulæ suæ prospiciant, & seculo caduco serviant. Prima cura Christo, proxima Ecclesiæ, ultima, si ita libet, ditioni debetur. Addam liberius: Si constaret, potestatem Episcoporum & pontificiam Ecclesiasticam aut præpediri, aut diminui, aut labefactari, aut evacuari per potestatem politicam, quam simul exercent jure humano, præstabat alteram, (videlicet hanc) potius deponere, quàm hujus onere alteri malè præesse, cui primas partes tribui oportuit, & quæ, ut bene administraretur, totum requirit hominem, non divisum ipsum.

Adhortamur ideo per miserationes Dei, non præcipimus, primùm Pontificem ipsum Maximum Episcopum Episcoporum: Deinde Episcopos reliquos, præsertim, per Germaniam nostram: Ut potestatem, quam acceperunt à Domino non ad destructionem sed ad ædificationem Ecclesiæ, eò videlicet conferant, ac solam exerceant, misso interim gladio in vaginam suam, & politicam politicis hominibus administrandam tradant. Adhibentes in concilium Jethro illum Madianiten sacerdotem, quòd ille consilium olim Moysi servo Domini dederat: nimirum, ut Moyses multitudine ac ceu pelago causarum populi Israëlitici adobrutus, majora tantùm negotia curet, videlicet quæ ad cultum divinum spectant: cætera demandet transigenda primatibus in cœtu suo, ac viris amplissimis: Quos cum primis illustret hic ternio; Nempe sapientia, pietas, & veritas, quive inculpatam agant vitam, præsertim ab avaritiæ crimine remotissimam. Horum delectorum officio, ministerio, cura, & opera utatur licebit Pontifex & Episcopus, in administratione rerum hujus seculi; ut ipse minus interturbetur, rebus divinis solicitè vacans. Meminerint Jethro Sacerdotem prudentissimum dixisse: *Ultra vires tuas est negotium.* Item: *Stulto labore consumeris tu.* Rursus: *Solus illud sustinere non poteris.* Illi à te, Præsul, constituti subsidiarii, qui ditioni præerunt tuæ, & mundana procurabunt, quicquid ad opes celsitudine tua dignas facit, affatim subministrabunt, atque te de tuis decorabunt, ut non solùm abundes ipse, sed etiam supersit unde impertias aliis. Et benedictio Domini, cui soli vacas, ô dispensator hujus mysteriorum, ditiorem te faciet, quàm tua propria œconomia poterat. Primatibus igitur in partem ferendi oneris prudenter ascitis, & politicen integrè administrantibus, tu, qui segregatus es in diaconiam potestatis Ecclesiasticæ, noveris, judicem à Domino constitutum te in causis populi, sententiam ac æquam viam Dei quærentis, ut hîc jus dicas, doceasque per omnia juxta legem ejus, nempe Domini Dei, cui es servus addictus, quemadmodum præcipitur in Deuteronomio. Hîc utere datis Ecclesiæ clavibus, hîc solve, hîc liga, tanquam in conspectu omnia videntis ac audientis Domini, qui in novissimo die te judicem judicabit. Si sapientiæ filius es, per sapientiam, quæ est unigenitus Dei vivi, constitutiones in Ecclesia condes, & justa decernes; semper væ illud apud Esaiam

Esaiam ob oculos positum circumferens, quod horribiliter incutitur statuentibus statuta iniquitatis, & scribis scribentibus miseriam subditorum.

Quot verò horum statutorum millia in libris recentioribus extant? cujusmodi Ecclesia Christi non solum reprobat, verùm etiam ferre amplius neque potest, neque debet: siquidem condita sunt præter legem Dei, præter legem naturæ, contra ædificationem domus Domini (imò ad hujus destructionem) contra charitatem proximi, contra consuetudinem veteris veræque Ecclesiæ, contra exempla priscorum, ac sanctorum patrum; adhæc ex malo fundamento ambitionis & avaritiæ, ut hæ duæ pestes nativæ radices sunt omnium totius curiæ malorum. Quæ statuta constitutaque, quando Ecclesiæ ac Reipublicæ obsunt, improbis tantùm ad quæstum ac ambitum temporarium prosunt, & cum voluntate Dei pugnant, saluberrimum fuerit, si Pontifex Max. irrita faciat, & his morbis Ecclesiæ corpus liberet. Cujus genus est magna pars Decretalium & Clementinarum, quibus Ecclesia carere potest adeò, ut his oneribus levari jampridem cupiat. Aboleantur libri turpiter parasitici atque gnathonici omnes.

Non de *primatu* loquor, cui nos semper quod suum est, dedimus: sed de *summa* nescio qua *plenitudine potestatis*, de *scrinio pectoris*, de *vicariatu*, de ridiculo tristephaniæ mysterio: Breviter de *deitate* aliqua terrestri attributa, & his similibus absurditatibus. Meminerint, si qui sunt digni justique Pontifices, ejusmodi de Petro Petrique veris successoribus, ab initio nunquam fuisse scripta dicta audita. Recolant statum non nascentis tantùm, sed adolescentis Ecclesiæ, usque dum consenuit, semper abhorrentis ab id genus pestilitate. Perpendant apud se, in quale seculum inciderimus, & quò res properet. Interitus in foribus est, nisi resipuerimus, securi videlicet ad arborem positâ. Admonemus amici, non contumeliam facimus inimici. Meliora vulnera nostra sunt, quàm adulatorum oscula. Sedem salvam cupimus cum antiquis, non extinctam cum antipapis nostratibus. Verùm ea salva quî esse diu poterit, nisi expurges, reformes, corrigas, sanes, restituas, exornes.

Idem sentimus de libris recentiorum multis, è medio submovendis, autoritate pontificia. Exerat potestatem suam in obliterandis inanibus, & provehendis utilibus libris. Arceatur ab Ecclesiæ limine pseudotheologia garrula omnibus bonis fastidita, paucis ad ostentationem adamata, nemini utilis, nisi ad subversionem veritatis Apostolicæ, & veteris Theologiæ detrimentum summum. Parcatur Ecclesiæ Christi, & ne gravetur amplius per quosdam emissarios afflatos, (sicut adhuc apparet) Antichristiano spiritu; quæ viperarum γεννήματα nobis multa mala bene sopita resuscitant. Quasi antea non sat haberet Ecclesia, de quibus conquereretur, nisi hæc quoque portenta irreperent, quæ super dolorem vulnerum ejus adderent, ut cum Psalte loquar. Mittat nobis Roma viros opere sermoneque potentes, qui adnuncient verè Apostolica, sicut ab initio, quando non ita dominaretur nobis omnis iniquitas: & qui calcar nobis addant ad currendum viam vitæ: Qui libros doctissimos nobis ad ædificationem domus Dei seriò commendent, veteres obtrudant, novos, qui Aristotelem metaphysicum magis quàm Christum crucifixum sapiunt; rejiciant: qui denique nobis authores sint convocandæ synodi, qualem celebrari tempus postulat & res.

Præterea potestas Ecclesiastica summi Pontificis exposcit, ut præscribat, quales sint, & à quibus Episcopi deligendi, ne semper habeat Germania œconomos tantùm, sed non œconomos, quales Apostolus Corinthiis commonstrat. Deinde destruat emporium sacerdotiorum, quâ negotiatione vix est alia major, sed juxtà iniquior, ac fraudulentior, quæve vel sola sedi Romanæ summam conciliat invidiam. Ah! ipse Pontifex facto flagello è funiculis ejiciat vendentes ementesque, ac horum mensas evertat, qui quæstum putant pietatem esse. Heu! pietas *prostat & in quæstu pro meretrice sedet!* Prævenire satius est, quàm præveniri. Si hîc quoque dormitabitur, contemptis admonitionibus tam amicorum quàm inimicorum, subveremur, ne, ultore Deo, malè suborta pejus occidant.

Porrò Pontificibus ad expurgandam curiam & reformandam Ecclesiam Romæ existentem accinctis, intererit Episcoporum, ut ipsi quoque sibi ipsis attendant, & potestate sua propriè Ecclesiastica occipiant uti ad pascendas regendasque Ecclesias suæ solicitudini creditas oves, maximè in negotio cathedræ & sacramentorum: quæ res summam requirit vigilantiam, ita ut cathedra sanam Evangelii doctrinam sonet tantùm, & altare respondeat antiquitati suæ juxta præceptum Domini. Secunda solicitudo sit de Pastoribus non pecorum sed hominum, corrigendis per diœcesim suam, & ad officium Apostolici pastoratus obeundum revocandis. Cogitent, seipsos esse Pastores, tantò magis diligant necesse est suos compastores, hisque demandent obeunda ea, pro quibus olim parati sint Christo pastorum principi judicique rationem

 reddere.

reddere. Exerceant pii Præſules poteſtatem hanc Eccleſiaſticam de recognoſcendo Clero quoque, & apud ſe cum animo ſuo reputent, An expediat otioſa multitudo? An velit rationem reddere pro tot ſcandalis, quorum abundant primariæ civitates? An deceat ſucceſſores diſcipulorum Domini Jeſu hoc pacto Epiſcopum agere, atque num ſe deceat hierarchia iſtiuſmodi? An ſic vivere oporteat, an ſic per traditiones Apoſtolicas liceat, an ſic excolere vineam Dei Sabaoth conveniat, an ſic domui Dei præeſſe atque prodeſſe par ſit?

O fratres, τὸ καθῆκον urgemus tantùm, alia ſtudio tranſilimus, ne quid ultra ſepta. Equidem poteſtas Eccleſiaſtica Pontificum Præſulumque permagna eſt, quia de jure divino: Sed tamen non decet, nec licet gregem Domini gravare novis conſtitutionibus, & imponere humeris aliorum ea onera cujuſmodi ipſi ne digitulo quidem minimo contingunt, maximè ſi repugnent vel ſacris literis, vel vetuſtiſſimis venerandæ Eccleſiæ placitis, vel libertati Chriſtianæ, quam Paulus Apoſtolus rectè commendat, non eam, quam Petrus improbat. Sat enim eſt conſtitutionum, & ſanctionum, & aggravationum. Sit modus in rebus, ſi is tamen modus eſt. Magis ad rem Eccleſiaſticam attinet, ut concordiæ paciſque conciliandæ ſtudio, multæ harum conſtitutionum vel relaxentur, vel mitigentur, vel in univerſum aboleantur, ſi habeant ſpeciem impietatis, & ſint omninò frivolæ, & degravent miſeram plebem ſine cauſa, aut ſi ſapiant aliquid tyrannicum. Licentia morum poterat alio fræno coerceri, etiamſi onera iſta Eccleſia Dei vidiſſet nunquam, quæ certè jugo Chriſti commodo ſuaviq; haudquaquam reſpondent: Et ſemper eſt ſpectandum, ut cumprimis archetypo reſpondeat, quid aut præcipiat, aut ſanciat, aut definiat, aut moliatur deniq; Pontifex, Præſul, Abbas, &c. Multa, quæ per iſta ſecula fuerunt adinventa, ac imprudenter imperata, ſua ſponte corruunt, dum mundus jampridem intelligere cœpit, hominis inventum eſſe, non Dei, qui legifer noſter eſt, Eſaia docente. Neque tamen legem Eccleſiæ repudiamus omnem: Si legi Dei ſit affinis, & rationi congruat, & reipublicæ ſuſtinendæ conducat.

Providere politicis & ſecularibus, alienius eſt ab Epiſcopo, quàm dici fas eſt: De quo abundè ſupra. Quin ſcholas etiam bonas aperire, ſua intereſt quidem; ſed requiritur ſcholarum fructus uberrimus in Eccleſia; & plurimum, qualia foveas pædagogia. De ſimulatione Androgynorum quorundam ne μῦ quidem hoc loco. Politicam poteſtatem in corpora reſque corporeas, honorandum eſſe ducimus in aliis, qui etiam apud Apoſtolum audiunt liturgi Dei: At eam in præſulibus (ut alienam) magis toleramus, quàm laudamus: Nimirum ab his cœleſtia potius, quàm terreſtria expectantes: inque his priſcos Eccleſiæ Epiſcopos, non Hyrcanos, aut Ariſtobulos, aut Jaſones quærimus: Judaiſmum cum ſceptro conjunctum relinquentes. Toleramus tamen; præſertim ſi id minimi faciant reſpectu poteſtatis ſpiritualis, & quod æquum eſt exequantur, & oderint tyrannidem ſatrapicam, & horreant bellum, & fugiant expilationem gregis & excoriationem pauperum, tondeant non deglubant oves, non dominentur adverſus hæreditatem Domini, ſed ſint exemplaria ſui ovilis in omni opere bono, exſpectantes ἐπιφάνειαν ſeu apparitionem juſti judicis, qui redditurus eſt unicuiq; ſecundum facta ſua.

P E R O R A T I O.

HÆC pro pacificatione Eccleſiæ Univerſalis viſum fuit duobus ita jubentibus Monarchis, examinanda mittere. Præter hæc, quod Catholici concedamus, nihil novimus: Et confidimus in Domino, his conceſſis, contentos fore & manſuetiores Confeſſionis authores, ac concordiam ſtabilem nobiſcum facilè inituros, præſertim ſi viciſſim ipſi concedant de ſuis tantundem. Hæc quidem jam inde à compluribus annis verè ſenſimus; quanquam nondum ita verbis expreſſimus omnia, quemadmodum nunc & tempus fert, & exigit Eccleſiæ neceſſitas Sic ſenſimus, inquam, ſic multis colloquendo communicavimus, ſic ſparſim libris editis evulgavimus; ne quis nobis hanc libertatem linguæ vitio vertat, quaſi nunc primùm ea uti cœperimus. Vociferamur cum Hieremia: *In domo Dei invenimus mala.* Rurſum: *Dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa.* Vidimus ac ingemuimus taciti, ſed dolorem alto corde preſſimus, nec adhuc doloris hujus expertes ſumus, *donec egrediatur ſicut ſplendor juſtitia veri Zionis, & ſalus ejus ſicut lampas accendatur.* Eam ob rem voluit Eſaias tacere inter Judæos; & nos inter Chriſtianos vidimus abominationes illas multas apud Ezechielem,

chielem, & audivimus propter hasce vocem Dei altifrementis: *A sanctuario meo incipite cædem clademque*, puta quasi dicat, quia hujus ministri plus aliis peccarunt. Ne autem simili ultione cædamur Ecclesiæ cultores, sit dolor assiduus cordi nostro, propter impias superstitiones ac pseudolatrias: Et gemitibus è pectore ductis humiliter ambiamus, ut Thau signo salutifero consignemur, atque ita cædem iramque Dei venturam evadamus cum electis Dei. Tempus est loquendi, quia præteriit tempus tacendi. Fiat, quod bonum est in oculis Domini.

APPENDIX DE ABUSIBUS.

Enumeratio abusuum ac incommodorum quorundam Ecclesiæ Romanæ, in causa propria deprehensorum.

QUòd barbariem scholarum fœdam, non tantùm ineptam detester: Quòd Aristotelicam, Scholasticam, sterilem falsamque Theologiam averser: quòd Sophisticen illam insulsam fugiam: Quòd Lombardicas nugacitates frigidissimas vitem: Quòd Sententionarius, ac Quæstionarius isto suo modo, hoc est Lutetianus Theologus aut Sorbonicus esse recusem: Quòd pileatos, annulatos, & titulis ambitiosis inflatos, hoc est, doctores sine doctrina, nihil morer, nec Pharisæos Judæorum fimbriatos magnopere curem: Quòd libros recentium subtilitatum, absurditatum, obscuritatum, breviter, inanitatum refertos fastidiam: Quod horum amatores ac defensores impudentes omittam, nec horum utar commercio: Quòd Ecclesiarum incommoda exitiabiliter multa sublata cupiam: Quòd apud istos cathedrarum tenebras, errores, fabulas, vanitates, adeoque mortes meras abominer: Quod rituum aliquot fatuitates vel ex superstitione vel ex amore pecuniæ natas, homo liberè Christianus contemnam: Quòd sacerdotum inscitiam atque monachorum ruditatem incredibiliter odiosam, utpote Deo & hominibus molestam, iniquissimè feram: Quòd chori morbos curatos, & lectiones, cantiones precationesque quasdam aut probè castigatas, aut planè deletas esse velim: Quòd sacra omnia purgatiora, præsertim altaris quotidiana sacra, contueri gestiam: Quòd linguas in scholis primarias, & optimas literas disciplinasque patrocinio tuear, opera juvem, studio colam: Quòd de Præsulum incuria, socordia, ac indiligentia, atque horum officiis illaudabiliter neglectis, subinde conquerar: Quòd animo discrucier ob supinitatem mentium, quæ iidem Præsules nostri non deliberant, non consultant, non dispiciunt de miserrimo Ecclesiæ Romanæ statu juvando atque reformando, nec congregantur unanimes, propter illam & unicè necessariam causam, perinde ac si Ecclesiæ languores depelli ac curari nolint, & defectus hujus dissimulent, & Clerum emendari omninò renuant, quasi denique suos ipsorum mores corrigi respuant. Præterea quòd Prælatorum ignaviam, & pleonexiam cum asotia conjunctam, veris deplorem lachrymis: Quòd Canonicorum irregularitatem, fastum, inertiam, & intolerabilem licentiam defleam: Quòd de clericorum universali iniquitate, quam Psaltes græcus jam *παρανομίαν*, jam *ἀνομίαν* appellat, ex animo doleam: quòd ad enormia Romanæ curiæ vitia indigner, utpote quæ non corrigantur: Quòd Curtisanicas, adeoque Simoniacas præbendarum nundinationes non tolli, impatientius fremam: quinimò, quòd isti Levitici nihil festinent in reædificanda ac renovanda domo Dei, ad mandatum Joas Regis religiosissimi, quemadmodum in Paralipomenis scriptum est. Hujus acediæ gratia concalescit, & contabescit intra me cor meum. Quòd ore aperto clamem, ludos literarios Christo & Ecclesiæ non aperiri passim, earumque necessitatem fastidiri, utilitatem contemni: quòd invehar in monasticen corruptissimam, suiq; dissimilem: quòd lamenter Episcopalem & profundam socordiam, turpissimam illam in populo ignorantiam religionis, rerumq; sacrarum omnium: quòd incusem concionatores turpissimè & periculosissimè mutos, ad increpanda flagitia Christianorum publica, & ad arguendas culturas superstitiosissimas statuarum, & ad ea inculcanda, quæ cumprimis in cultu divino necessaria erant: ut jam de administratione, atq; tractatione Sacramentorum frigidissima despicabili, planeq; nauseabunda nihil addam. Ob hujusmodi me persequuntur odio, mordent, vitant, & sibi ab afferenda mihi vi vix temperant, juxta dictum propheticum: *Odio habuerunt corripientem in porta.*

Superbum

Superbum fastidium concordiæ quærendæ, in causa fuisse, cur opera inanis sumpta sit in Colloquio Wormatiensi: & cur Concilium quoque Tridentinum citra bonam frugem dissolutum sit.

ET quò tandem nos pestilens φιλονεικία rapis? An semper erimus immemores, quæ res Regem Romanum Statusque Imperii permoverit, ut in Comitiis hoc indiceretur colloquium, & qua de causa fuerimus huc missi? Num inimicè certandi atque dissidendi gratiâ, & non potius ob id, ut inter partes dissidentes concordia aliqua quæreretur, eaque felicitate bearetur tandem afflicta Germania? An verò hoc est concordiam seu conciliationem inter partes amicè quæri, si penè nullis Ecclesiæ veterascentis languoribus agnitis, remedia respuamus, áque mediis abhorreamus omnibus? Si inquam tempora non distinguamus, nec antiquitatem à novitate discernamus atque separemus? Quòd si hoc contendimus, nusquam fuisse erratum, nihil uspiam esse quod repurgetur, &c. ubi erit mens nostra? An ignoramus, quem Colloquii hujus fructum à Deo exspectent hominum gementium millia? Quòd si nullus respectus legum positivarum, nec tempestatis hujus nostræ habebitur, sed ad rigorem summi juris ambitiosè agentur omnia, periculum est, ne hoc Colloquium nobis bellum cruentum gignat, cujus crudelitate adigamur plura concedere, quàm oportuit: maximè, si in hisce etiam controversiis conciliationem recusamus, cujusmodi Declaratio Cæsareæ Majestatis anno 1548. recuperandæ ac firmandæ pacis ergo, pro hoc temporum statu concessit: quæ corroborare eadem æquitate Paulo tertio quoque Pontifici Romano placuit. Viderint igitur, quorsum evasura sua consilia putent, qui omne modificationis genus exsibilant, qui extremitates tuentur, quive implacabili sectarum odio ea etiam in sectis condemnare audent (aut si non condemnant, certè obturatis auribus aversantur) quæ tam sacris literis, quàm veterum scriptorum sententiis nonnunquam conformia sunt. Ipse, quod ad meam personam attinet, coram Deo animorum cognitore unico contestor, & coram universali Ecclesia protestor; nullo me suffragio extremitatum defensores adjuturum; nec cum istis consensurum esse, aut consensisse unquam, qui recentioribus potius, quàm vetustioribus in Ecclesia doctoribus adhærendum esse existimant, qui denique omnia non judicii sanitate sed affectuum pravitate metiuntur, huc spectantes tantùm, ne quid nescisse ipsi, & ne quid adversarii scisse videantur. Sic me servet Dominus Jesus, cui vivo.

GEORGII WICELII ELENCHUS Abusuum, corruptelarum, deformitatum, vitiorum & deliquiorum præcipuorum in Ecclesia Romana, ad Imperatorem Romanum.

Jerem. Thren. c. 5. *Egressus est à filia Zion omnis decor ejus.*

Abusus Curiæ Romanæ inter crassiores præcipui, ob id subindicati, ut reformentur aut corrigantur per potestatem subliminorem, si fieri non possit per potestatem Ecclesiasticam.

DIspiciatur, num Christianismum deceat, ut Apostoli Petri successor (alterum titulum excellentiorem effari non ausim) ita se per omnem vitam gerat, ut appareat, eum nihil minus esse quàm quòd dicitur. Num successorem humillimi piscatoris hominum diadema plusquàm regium deceat. Num conveniat, ut per urbem ministrorum humeris tanta pompa strepituque ac splendore gestetur, ac si ostentaret seipsum esse Deum, elatus contra supraque omne quod dicitur Numen. Num illi liceat,

liceat, Synepiscopos Ecclesiarum jurejurando sibi obstringere & obnoxios facere, manusque & pedes horum colligare, quo nimirum vinculo coërceantur, ne veritati Christianæ libere subscribere audeant, & modis omnibus caveant, ne vel pilum sedis lædant, nec hiscant, quicquid aut peccet sedes, aut si scelus etiam committat. Huic psychotyrannidi ante omnia stet in faciem potestas sublimior. Quin etiam à Curia ista resecet auctionem palliorum intolerandam, qua scilicet insigniuntur Episcopi, sine qua ne Episcopi quidem sunt. Tanti autem venditur pallium unum, quanti multa etiam ditissimi cujusque latifundia, contra apertissimos Canones Gregorii Magni, & aliorum: ut hodie nihil aliud sit pallii redemptio, nisi Germaniæ ac aliarum Nationum tacita direptio.

Num post Christum & hunc crucifixum, supremum Ecclesiæ sub sole caput æquum sit, ut patiatur suos deosculari pedes ac manus, nec simpliciter pedes, sed sanctissimos pedes? & num ad Evangelium Christi Jesu, cujus vice fungi fertur, congruat, ut politicè imperet, non populis solùm, verùm omnibus etiam Regibus terræ, seseque anteferat Monarchis, & in Imperatores imperium sumat, quos velit agnoscens, quos nolit procul abjicens? Num potestatem hos confirmandi ac approbandi à supremo cœli terræque domino acceperit, adeò ut Imperator non sit quem is reprobet, nec tantillum valeat Principum electio atque authoritas, si ille caput quassans renuat? Num omnium sub cœlo Episcoporum summum apicem ac coryphæum belligerare fas sit, & belligerando omnia regna mundi commiscere, omnia belli incommoda machinari mortalibus, omnia perdere, sanguinem Christianorum sicut aquam effundere? Et an Constantinus Evangelium Dei sic oderit, ut ejusmodi voluisse ac permisisse, imò jussisse credatur? Præterea num tale fecerit Sylvester, & alii hunc secuti? A patronis nimiùm justis donatio ista tota gravioribus argumentis probetur, quàm hactenus videre orbi contigit, ac probabilibus refutetur rationibus, quicquid eruditi in statu inficiali ei palàm opposuerunt. Num post filium Dei, pastorem in terris Ecclesiæ Dei summum, oporteat judicio perverso condemnare homines innoxios, & servare nocentissimos quosque? Num justum sit, ut suo feriat fulmine, suoque percutiat anathemate libros Ecclesiæ Catholicæ frugiferos, ac omni eruditionis genere claros, & econtrà libros chartasque pestiferas, ac quibus nihil indoctius insulsiusque fingi potest, albo calculo comprobare atque tueri, judicare hæresin ubi hæresis non est, & laudare ubi hæresis est & error immanis? Hocne Apostolicum? Non enim dicam Evangelicum, ne à cæcis videar Evangelicus, quod nomen hodie inter exteros malè audit.

Dispiciatur item, num expediat Christianismo, tantam alere curiam, cujus pars maxima ad nihil vacat aliud, nisi ut mulgeat Episcopatus, exsugat Abbatias, deglubat Prælaturas, expilet citatos, excoriet damnatos? Atque hæc per nefariam avaritiam, fraudulentiam, imposturam, malitiam. Breviter aurum & argentum, quod Petro non est, emungat ab omni natione: & hoc ad delicias seculi adque voluptates obscœnas prodigaliter abutatur, omni Dei metu seposito. Hæcne Apostolica? Hæcne boni exempli? Ut est multò indignissimum, eam vocem, *Apostolicum* & *Apostolicè*, in curia omnibus diplomatis assui solitam, perque hanc audaciam, adeoque apertam blasphemiam, sacrilegos obtinere ab omnibus omnia: renitentibus, reclamantibus Petro & Paulo: nisi fortè illic alius Petrus & Paulus regnet, quos nescit Ecclesia Christi.

Num denique Christiano Pontifice dignum sit, sacra vendere, & profana præbendarum negotiatione ita esse occupatum cum tota aula, ut istuc peculiare ejus officium existimetur? Num sit Pontificalis officii, commentari indulgentias in Purgatorii usque Utopiam valentes, & has vendere fatuis nobis, unâ cum diplomatibus de libertate lacticinii, & excitare jubilarias nundinationes, propter turpe lucrum omnia? Harum fatuitatum etsi pudet Simones, tamen expectant occasionem renovandæ pseudolatriæ atque ludificandæ plebis. Eatur obviam huic consceleratæ negotiationi; & subvertatur hæc nummulariorum mensa tandem, & conficiatur spiritu oris divini Simonismus ac Gezismus Curtisanorum. Quis Zelum Jehu cohiberi velit? Emporium istud sacerdotiorum ferre amplius non potest cœlum & terra. Res processit ad impietatem usque, & implevit templa bipedibus bestiis, quæ dedecorosa portenta Ecclesiam passim contaminàrunt. Sunt infinita quæ ipse ignoro, quæ nihilominus pietatis Christianæ sit aut reformare Romæ, aut moderari, aut si horum neutrum fieri queat, extinguere; donec ad Gregorii primi tempora sit reditum. qui hodie, si revivisceret, nobiscum & consentiret & loqueretur, unà cum tot retro Pontificibus, servis servorum Dei, & magis imitationem quàm successionem Apostolorum meditantibus.

Abusus

Abusus Curiarum & Ecclesiarum Episcopalium, præsertim per Germaniam.

ABusus præcipuus committitur in electione, quæ parens est postea omnium corruptelarum. Eliguntur affectu magis quàm judicio: non à tota Ecclesia, sed à certis quibusdam paucis; quorum pars major neque Deum magnoperè neque Ecclesiam universalem curat, neque hujus profectum spectat, neque sacras callet literas, tota harum rudis, tota tenebris involuta operibusque carnis immersa: quo fit, ut ament potius sui similem eligere, quive ipsis commodus sit præsul magis quàm qui sit propensus erga populum subjectum, ut tunc in pace gubernet, diligat, pascat, ac ponat animam pro grege suo Ecclesiastico.

Abusus præterea est & magnum dispendium, post electionem possessio confirmata, & ingressio Imperialium citatum unde Episcopi sua cognomina ducunt, etsi invitis ubique civibus.

Post quæ prima est cura de novis corradendis pecuniis, virtus post nummos, ut semper, & de moribus ultima quæstio: Proxima cura est de amplificando choro, hoc est, ut turba sacerdotum ingens præstò sit in conspectu Principis sacerdotum, & quò majora veniant scandala in populo, & crimina multiplicentur ad sacerdotum numerum.

Abusum de duobus tribusve Episcopatibus copulandis, & de inhabitatione seu residentia, deque id genus rebus similibus reprehendendis, vidit etiam Concilium Tridentinum, etsi semicæcum, vidit & unius Prælati viginti aut etiam triginta præbendas: vidit quidem, sed non correxit, dixit nec fecit.

Tertia cura Electo incumbit de equitatu strepituque aulico, & satrapia magnifica: cùm præsulum nullus inferior præcessore suo videri velit. Inde nobis vita tota aulica, consilium aulicum, supercilium aulicum, nihil Episcopale, nihil humile, præter amictum clericalem cæteroquin familiaribus, quia de seculo sunt & pseudo Evangelici, plerumque permittitur vestitus iste. barbaricus, atque adeò monstrosus, & majoribus inusitatus, ut permissa hac licentia, hujusque simili, in servitio aulico ac comitatu retineantur. Et indulgetur peccaminosa crapulatio, inebriatioque dies atque noctes, & nescio quid obscœnius, ne querantur de insulis sordidis.

Atque his multò plures existunt abusus & longæ pacis mala, dispendia ac corruptelæ aularum Episcopalium, præter scripturas canonesque, præter exempla veterum Episcoporum Ecclesiæ verorum. Cujusmodi nobis omnia progignit status ille Archicus, sive ἡγεμονικὸς, cujus initium est ab homine, non à Deo. Et homo Cæsar poterit ephoros hosce hoc onere levare, quippe qui imposuit; qui habet condere, idem habet rescindere. Videbatur illud Ecclesiæ prodesse, sed comperitur obesse: siquidem potestas politica præpedivit Ecclesiasticam, & cura seculi præponderavit in detrimentum Christi. Scriptum est de magnis sacerdotibus, sive illi synagogici sint, sive Ecclesiastici, officium illorum esse in his, quæ apud Deum aguntur. Mundus excluditur, nec Deo militans implicatur vitæ hujus negotiis; quod utrumque Paulinum esse intelligis. Et verum est, quod ait Satyricus:

Pectora nostra duas non admittentia curas:

nempe cœli, & terræ. Nec minus verum est: *Neminem posse duobus servire dominis.*

Mitto persequi reliqua, in quæ jure inspiciant Monarchæ Christiani, maximè cùm ipsi Episcopi juxta cognomen suum non inspiciant in diœceses suas, & deserant parochias suas, utpote quibus non est cura de ovibus. Væ ingeminatum apud Prophetam ad aures occinitur magnis pastoribus illis Ecclesiæ Romanæ qui pascebant semetipsos. *Lac edebatis, & lana operiebamini, & quod crassum est mactabatis: gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit non consolidastis: quod ægrotum non sanastis, &c.* Sed quid pluribus opus est? Unâ sententiolâ, totam querimoniam claudit idem Propheta: *sicut mater, & filia ejus.* Intelligenti sat.

Abusus

Abusus negligentiæ, impietatis, superstitionis in Ecclesiis, sub Episcoporum pastoratu.

PRæsules curam abjiciunt de cathedrarum suarum officio: nec superattendunt nec disquirunt solicitè, quales habeant pastores, quales concionatores, & quid pabuli apponatur ovibus, quid recti pravique concionentur splendidè isti togati, nisi quòd subinde percipiunt ab assentatoribus: *rectè per Jovem lapidem ille: nihil enim Lutheranum.* Quod percepisse tantùm, contentus est Præsul. Item, *Optima fuit concio, nam hæreticos suis depinxit coloribus: sat est*, ait Præsul. Atque hujus rei gratia stat illi currus aheneus, & aliri quadrijuges in vestibulis. Adeò stupidi non intelligunt, quid rectum, quid minus. Lutheranum autem illis est, quod etiam in minimo dissidet à receptis: & hæreticum, quod pugnat cum Aquinate, Scoto, Anselmo, Bonaventura, Vade mecum, Dormi securè, Discipulo, Pomerio, & id genus Evangelistis. Abusus igitur exitiosus est, cathedræ non satis invigilare, sed in utramque aurem stertere, Evangeliumne concioneris Christi an Antichristi, ac è scripturis sanctis viam Dei ostendas, an verò ex foetentibus indoctorum monachorum lacunis.

Abusus est, bonam horæ partem prolixis ac inanibus parœmiis & invocationibus ac frivolis nugis deperdere, & mortuorum næniis & fictis divorum fabulis. De horum vitis historicè conscriptis non dico.

Abusus ingens est in frigidissima istà sacramentorum administratione, altum dormientibus Episcopis. Quantò majus est sacramentum baptismus, tantò indignius ubique tractatur. Res usque adeò sacra per garrulas ac bibosas mulierculas agitur tantùm, viris alibi occupatis: & sæpenumero per sacerdotulos & æditous temulentos alienio re tempore, qui quod faciunt ipsi nesciunt: legunt aut potius demurmurant isti Hieronymistæ è libro suo verba, neque sibi intellecta, neque circumstanti plebeculæ. Quibus si quis suadeat, ut Germanis Germanicè proferant preces, illicò clamant, *se esse Catholicos, non Lutheranos*; quasi verborum sonus schismaticum faciat. Mox properatur à baptisterio ad crapulam & ebrietatem, sibi persuadentes, satis esse pædobaptismo factum.

Similis abusus inest in Confirmatione; præsertim quoties vix pubescentes ulnis apportant, non manibus adducunt. Quasi verò non satis sit, inscios tinctos fuisse, nisi inscii etiam confirmentur. Præsules ducunt hæc pro leviculis, tantum abest, ut ipsis curæ sint, cùm Canones de hoc ritu, quid, quo tempore, fieri debeat, præcipiant.

Ordo sacerdotalis, quot, obsecro, scatet abusibus! quot deformitatibus! Properatur in templum, ut mereantur. Mereri enim appellant, si quid faciunt in publico cultu: & tantò frequentius ac diligentius, quò, quod meretur pinguius fuerit. Gratuitò apparere in loco sancto, plebis est, non cleri. Ut & in Novo Testamento impleatur, quod dictum fuit olim contra Leviticos apud Prophetam Malachiam: *Quis est inter vos, qui claudat ostium, ac incendat altare meum gratuitò?* Talis verò annon est abusus manifestissimus? Nec vita domestica, plena vitiis & flagitiis? Non est manifestus abusus concubinatus, vinolentia, somnolentia, comessatio, turpiloquium, amor, alea? & in magnatibus, qui cognomen à regula ducunt, præter hæc, vitia sunt domestica, nec enumerantur inter abusiones Ecclesiasticas.

Neque hæc tamen ferenda in clero reformabili. Quotquot verò ejusmodi patrare amplius pertinaciter decreverunt, nec colla sua potestati sublimiori submittere in animo habent, omnem reformationem respuentes, ac bonis recalcitrantes monitis, deponantur à clero, & locum habeant inter laicos, sicuti patres eorum. Cur enim perpetuò toleretur plusquàm Ethnica pseudocleri licentia? & quid commeruit Ecclesia Dei, ut à suis peculiaribus ministris indesinenter ac atrociter perpetuis obruatur scandalis; & hos scandalorum disseminatores suis alat opibus? Ecquid Christo placeat à talibus peracta latria?

Nec suo caret abusu Confessio auricularis. Nam vitium est, homines ad hanc invitos cogi. Ad hæc requirunt potissimum, quid quis peccàrit adversus constitutiones Ecclesiæ: perraró exquiritur, quid peccatum sit adversus decalogum, & parænеses Apostolicas; & faciunt interdum peccatum ex non peccato. Præterea extendunt Confessionem sacerdotalem, ut quæ pariter fieri debeat & beatæ Mariæ virgini Sanctisque omnibus: quasi Maria desideat in angulis templorum prompta confessionum auditrix, & habeat socios auditores, Baptistam, Petrum ac Paulum. Impietas est, & hæc haud sanè mediocris, quod nuper φρατρία tanti fecit confessionem istam sacerdotalem, ut audeat om-

nem

nem penè justitiam & spem salutis in hac, tanquam in anchora Christianæ Religionis sacra atque unica, collocare. Evangelio detrahit, & confessioni tribuit: plus de hoc, quàm de illo sentiens, cùm non ignoret, humanum esse inventum, ut persuadeat incautis, humanam constitutionem, si non præferri, certè adæquari debere aut posse Evangelio Dei. Multa sunt utilia, quæ non ad salutem necessaria: sed isti semper magis urgent minùs necessarium, minusque principalia. Adeò non celant nos quo spiritu agantur.

Inter abusus Matrimonii alius aliud quiddam numerat. Nos hîc adulterium accusamus; quod tamen est crimen, olim capitale, nunc veniale, & tantò impunitius committitur, quantò gravius vetuit utrumque simul Testamentum, ac quantò severius olim in hoc scelus animadvertit Ecclesia, & scommatis exagitavit Satyra. Nullum superest remedium, nisi ut leges politicæ resuscitentur autoritate Imperiali, & renoventur pœnæ adulteriorum, ne semper audire cogamur: *Lex Julia dormis?* Cui severitati suam addet excommunicationem, suam virgam, suum vinculum mater Ecclesia, tradens adulterum unà cum adultera Sathanæ, donec satisfiat crudeliter offenso populo Dei. Quorsum enim acceperit Ecclesia clavem ligandi, nisi ea legitimè utatur? In quem finem alium potestas politica gestet gladium, ultorem facinorum? Mementote tribunalis supremi judicis vos qui judicatis terram.

Ad hæc non minor est Christiani nominis ignominia, nec crimen minus, quod exemplo Heliogabali ac instinctu diaboli, Episcopi & magistratus tolerant, imò ædificant ac protegunt spurcissimos fornices fœdissimæ Veneri consecratarum mulierculárum, ut mensuram impleant omnium iniquitatum, & Christianismum pergant cooperire flagitiis, offendiculis innumerabilibus. Verùm ejusdem est impietatis concubinatus sacerdotum & lupanar publicum, nec est utrobique dissimilis religio, nisi quod hæc apparet venerabilior, altera sordidior. Hunc statum reperit cœlibatus, illum discursum invenit otium, neutrum thorus immaculatus. At jam pudere nos cœpit hujus potissimi, & destrui cœperunt Heliogabalica multis in locis: Ephoros nondum pudet κλινεμπορείας, nec forsan aliud perinde decet collegia hieratica. Ponat Augusta Majestas super cor suum, ut utramque impuritatem, hoc est, ut quod malum est de populo Christiano auferat: Magnum mentis opus, quod prædicabit posteritas, quæ laus Homero judicatur non ultima.

Cæterùm, querela nostra de pravissimis abusibus redeat in Ecclesiam. In qua redundant Missæ vitia, maximè autem circa istas Privatas Missationes, qui abusus de optimo Liturgiæ & publico per hominum superstitionem ac avaritiam crevit, haud aliter quàm. Sed comparatio est odiosa. In confesso est, hîc non esse nec esse posse cœnam Dominicam, nec communiter hoc opificio quæri aliud quàm pecuniam & quadram alienam. De paucissimorum pio affectu non loquor: quanquam nec hos tuebor, ni comparticipent vel in templo, vel domi, ut se quidem offert aut loci aut temporis ratio, cum necessitate conjuncta. Mercenarias missationes & conductitias pro rejectis judicato, quisquis de Christo & hujus cœna ultima rectè sentis. Quare? quia sunt mercenariæ, & non illis vel tantillum cum institutione originali, nec cum Apostolica traditione. Per monachos irrepsit in mundum, per Monarchas consopiatur, sacerdotes ob has creati revocentur ad Evangelizandum, & ad alia Ecclesiæ juvanda necessaria munia, atque ita suis vivant: sin minus, redeant ad locum laicum, unde venerant: ad sacra sacri suffraganei manus. Neque enim sunt de tribu Levi, ut oporteat semper esse Leviticos. Horum tamen nullus audebat olim proprium, & pro suo beneplacito altarium erigere, ac sacrificium seorsim facere. Cœnam Dominicam actitatam in Liturgia Apostolica Græcorum vehementer collaudo: à Latinis non dissentio. Appello cum Ambrosio Missam, cum aliis μυστήριον, ac communionem voco εὐχαριστίαν. Res est eadem, diversa nomina. At verò istas monasticas, & ut ita dicam, Pseudo-Gregorianas missationes neque collaudare, neque propugnare possum, ut nec unquam antea, quantumlibet Catholicus.

Idem quererer de abusu communionis, nisi nunc ordinariè concessum esset utrâque vesci specie cuivis Christiano, antea satis explorato, & mysterium intelligenti. Verùm qui in abusu & sententia Sorbonica permanere decreverunt, illis mentis sobrietatem precor. Si maledicent, nos benedicemus: si λοίδορα evoment & hæreses crepabunt, nos placidè objiciemus Evangelium Jesu Christi secundum omnes quatuor Evangelistas, dolentes super cæcitate antichristiana, & plangentes planctum magnum super speciosa deserti.

Insignis abusus alius reperiret circa tantum reliquum chori Latini, qui fit quotidie ex codicibus inemendatis, magno cum risu vel semidoctorum. Et hunc abusum magis ridiculum

ridiculum reddunt inertes, qui contendunt, sic instituisse cantum veteres, propterea ne iota quidem corrigi aut mutari debere. Quid tu de veteribus, bipes asine? Ad veteres ego provoco, illi ut sint judices. Vetus tibi sit optimum, quod vix hesternum est? O supinitatem clericalem! quanta est amentia, qua Dominus percussit magnam Ecclesiæ Romanæ partem! Nullum mihi prorsus dubium est, quin si redirent in hanc Romanam Ecclesiam, in qua fuerunt quondam S. Ambrosius & Augustinus, reprobaturi sint partem cantus, ac partem probaturi: eam videlicet, cujus ipsi auctores fuisse vulgò feruntur.

At quibus auctoribus tuebere cantum universum de Virgine matre, deque Divis per omnem annum? Quid hujusmodi legisti apud veteres cani, atque observari universaliter? Confer purpuram juxta purpuram, & vide quid prisci in Ecclesia Dei cecinerint, & quid hisce nuperis seculis novelli. Clamabis, dissimilia esse, & quod vetus est, Christum sapere. Eheu! degeneravit bona ex parte, ut cantus, ita ferè omnis λατρεία. Ubi putabas laudari Deum, laudantur homines. Quam fermentatam laudem quis Theologorum afferet? Olim solus Deus invocabatur cantibus, precibus, laudibus; nunc invocatur quidem, at non solus. Additur ei jam socia mater, jam divorum multitudo, ac si nunc abbreviata esset manus Domini, & inciperet esse alius, quàm erat à Principio: forsitan infirmior ad adjuvandum progressu longissimi temporis factus, ut ei coadjutoribus opus sit. Quò magis demiror frigus istud inusitatum semichristianorum, in quibus non solùm refrixit dilectio Dei, sed propemodum extincta est cognitio Dei: aversi videlicet existentes à Christo ad Mariam, àque filii cultu degenerantes ad cultum matris, adeò ut putent summum esse scelus, dicere orationem Dominicam, nisi statim addant salutationem Angelicam: perinde ac si illa citra hanc non valeat cassam nucem.

Ex talium, non ovium, sed hircorum grege prodeunt nobis, qui non dubitant, (adeò sunt in reprobum sensum traditi) puritati Ecclesiæ veteris cantionem illam, nauticam magis quàm Evangelicam, *Salve, Regina, &c.* vendicare: Et cum accusare impietatem debeant, excusant, tantisque ornant laudibus hanc cantiunculam, quantis nemo unquam Christum Opt. Max. evexit: imò ab Erebi faucibus caliginosissimis revocatam superstitionem. Volui compluribus antè annis hoc chori putre vulnus medicari, pro Catholicorum, ut dicitur, honore conservando: Sed quò attentius curavi, hoc majorem operam lusi, præsertim ubi incidissem in libellum Joannis Henlini Dominicastri cujusdam, super ἀσμάτιον istum, *Jesu bone*; quo an potest extare uspiam libellus falsior, audacior, furiosior? O tempora! ô credulitatem majorum! Perdat te infelix Henno, cum tua ista futilissima, insulsissima, alienissima expositione, Christus Rex Opt. Max. cui gloriam eripis, & alteri tribuis. Calcet hunc basiliscum, qui contrivit ipse caput serpentis. Monarcha enim Ecclesiasticus, ut confido in Domino, ubi aliquando fuerit expergefactus, tale probrum & ejus generis alia cantica inexcusabilia non solùm abrogabit ac mutescere jubebit, verùm obstupebit etiam ad impietatem, specie pietatis artificialiter obtectam. Nullum canticum hodie tritius, nec celebrius, nec decantatius per templa, per vicos & plateas. Hac melodia percepta leniuntur superstitiosorum aures; & statim loculos aperiunt ad Syrenas hasce; cùm vix aliud in toto sacrorum choro sit alienius à scripturis sanctis, & quod cum Evangelio Christi, atque doctrina apostolica perditius pugnet. Si foret in terris Chrysostomus, rideret utique: Si Epiphanius, stomacharetur in suos Collyridianos. Salvo tamen honore matris Domini nostri: Quam honoramus honore debito, & adversum honoratores istos contumeliosos jure Ecclesiæ veteris defensitamus. Litania clamat, *ora*, non *adjuva*; quod non potest; filius solus potest. Perbellum verò commentum incacat Henno in sancta sanctorum: *Scriptum est*, inquit, *non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium, id est, Non sufficit unus advocatus vel mediator humano generi in cœlo, cùm tot & tam periculosas causas habeat coram Deo: Faciamus ei adjutorium, id est, beatam virginem, &c.* Ejusdem ambrosiæ nectarisque, Angelum salutasse virginem Latinè: *Ave, id est, sine va,* quòd à multiplici miseria liberemur per reginam misericordiæ. Quasi Hebræam Hebraicè non salutarit Schalom, more Judæorum omnium; aut non potius, quemadmodum Græcè descripsit Lucas, χαῖρε. Quam salutandi voculam seu vocabulum olim psittaci calluerunt quoque. Inde *salve* generaliter dicimus; quod Henno sic interpretatur, *salva à væ,* ac si vellemus dicere: O Maria, quæ es sine væ, salva nos à væ, &c. Talem absurditatem, nedum impietatem in Christianam mentem cadere posse, quis credidisset? Nec minus tamen Marisstellani quidam hoc oraculum tanti faciunt, ut ad asylum illuc pœnitentes mittant suos, quoties satisfactionis loco eis injungunt aliquot Pater, aliquot Ave, & aliquot Salve. Nomen Dei, quod Hebræi appellant *Schem ha Mephoras*, à nullo unquam Rabbino expositum est accuratius, quàm hoc canticum Compostellanum,

omni trisagio Dei, omniq; doxologia Dei celebratius, augustius, divinius. O quantum cæcæ noctis habent mortalium pectora!

Proximus huic abusus versatur circa statuas Marianas quibusdam in locis. Quas cùm non nesciant Episcopi probè adorari, maximè verò ad carmen illud lucrosum juxtà ac incomparabile Petri de Compostella: Dissimulant, nec sculptile submovent, in quo creditur inhabitare numen ceu in Apollinis Delphici statua. Ad quod scilicet numen, sive sit sculptile sive fusile, terra mariq; confugiunt, opemque expetunt, qui non credunt in Israël esse Deum, & puri Nabalitæ, qui dicunt in corde suo: *Non est, &c.* Qui citius crediderint Cottæ Ciceroniano, neganti Deos esse, horumq; curam de mortalibus, quam Balbo, Deos esse asseveranti. Quod illi de diis, nos de Deo sentimus. Corroboratur hodie per Marisstellanos, ante id genus sculptilia religiosè procumbentes; hi nisi venissent, illa de nimis sero occasu periclitabantur. Hìc quæritur, hìc colitur Maria votis, invocationibus, obsecrationibus, genuflexionibus, manuum complicationibus, pectorum tusionibus, pretiosissimis ornatibus, floridissimis coronationibus atque sparsionibus, mellitissimis instrumentorum musicorum sonis, candelarum incensionibus, & fixis in has statuas oculis gementium filiorum Evæ. Nunquid istæc est enormis dyslatria? Jehu videt, ne stomachum hyperdulo moveam. παρθενολατρεία est apertissima; καὶ λάτρα σεβάζειν τὸ ἄγαλμα τῆς κόρης, hoc est: summa contumelia virginem matrem afficiunt. Sub dio invocari Mariam in adversis, Evangelium non patitur, & sub tecto patiatur invocari in sculptilibus? In tantum verò abusum erupit honor beatissimæ matris, ut imagines hujus non appellent imagines, sed ipsam dominam: quemadmodum reliquorum divorum iconas ipsos divos compellunt: indignum rati, opera manuum hominum dicere. Reliquum sibi fecit Rex Ezechias; ut qui serpentem æneum, quem fecerat Moyses, in nihilum redegit propter idololatriam Judaicam. Idem tollat è medio simili zelo, & purgandæ religionis vehementi studio, hæc ἀγάλματα lignea, quæ fecit zabulosus quispiam, & quæ colit adoratque παρθενολάτρα inter Christianos; ut post synagogam gaudeat Ecclesia, se quoq; habere suos Ezechias, Josias, & Joas, mundatores domus Domini.

Eadem severitate si non animadvertat potestas Ecclesiastica, attamen non cesset politica in lustrandis delubris, ubi divi divæq; nominatim coluntur. Ad quæ χρυσοφύγια frequentissimi simplicium concursus esse solent, pro impetranda ope corporis, rarò animæ. Quales plusquàm Enthusiasticos accursus habuerunt delubra beatæ matris. Παρθενομανίας dixeris, si videas œstro devotionis suæ percitos turmatim convolare illuc ex agris, & ex ergasteriis utriusque sexus, spiritu quodam peculiari agitatos. Quæ erat valdè opima messis quorundam Camarim. Adeò tota hominum salus pendebat à divis, aut potius à divorum imaginibus, ac sacerdotulorum persuasionibus. Vocabant eas stultitias *peregrinationes*, quarum aliæ votivæ fuerunt, aliæ spontaneæ, utræque ludificationes maligni, ut prætextu talium religionum, scelera in Ecclesias inveheret. Hoc Antichristi venturi spiritus fecit, & prosperatus est, teste Scriptura.

Pari zelo dispiciet potestas utraque, an deceat Ecclesiam illud σέβασμα alibi affixum; quod vulgò vocant *Sanctum auxilium*; de quo ambigitur, utrùm mas sit vel fœmina: ad quod plerumque in adversis refugiunt, sua adferentes votiva donariola, quæ ἀναθημάτων loco suspenduntur in argumentum suæ superstitionis. Quòd si mas sit; consentaneum est, majores voluisse, hac imagine adumbrari rudioribus auxilium Dei invocantibus, eum præstò adesse omnibus, sed Scripturâ planè informi, crucifixi nimirum togati ac coronati, & stantis & funiculis alligati, non clavis affixi. Purganda sunt templa ab his sculptilibus, propter cultum divinum, quem populus seductus illis impendit, & propter anathemata indusiorum, femoralium, ocrealium omnis generis, propter item peregrinationes superstitiosorum, & nescio quas frivolas votationes. Auxilium Dei de cœlo nobis est quovis loco, ubi est vera fides, ubi invocatio, ubi dilectio Dei, & proximi: ἀγάλματα sive stantia sive pendentia, ad salutem nihil conferunt: imò labefactant fidem, & corda sursum aspirantia deorsum trahunt ad exteriora, ubi nihil vel rei vel spei.

Porrò quæ, precor, nos dementia cepit usque adeo notabilis, ut abusum excogitaremus de baptizandis glocis? (sic enim aiebat Carolus M. in Constitutionibus suis). Ut in hoc quoque assimilaremur synagogicis, de quibus Evangelista Marcus scripsit, illis curæ fuisse βαπτισμοὺς χαλκίων. Hæc campanarum baptizatio, (vocant lotionem, ut rem extenuent) haud aliter suas habet preces, chrisma sacrum, aquam sacram & his similia, quàm hominum baptismus. Credo, ut nolarum animæ haud secus salvæ fierent, quàm hominum animæ juxta illud Dominicum: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Verbum *Crediderit* includitur: Nam fidem sequitur confessio, quæ est sonus æramentorum,

rum, propulſator fulminum omnium. Quæritur hoc loco, Utrùm major hæc baptizatio fatuitas, quàm impietas ſit? Reſpondetur per affirmativam: utrumque ſimpliciter & in plano, abſque ſtrepitu juris. Nolæ in hoc paratæ ſunt, ut Eccleſiam convocent ſtatis diei noctiſque horis & conventum ornent, atque ſonitu plauſibili modo aliquo exhilarent. Vim adminiſtratoriam Angelis non campanis pii adſcribunt. Ut nec cereo paſchali, ramis palmarum, titionibus pervigilii, herbis virginis aſſumptæ, pani aut vino Joannico, aquæ, ſali, cineri, chartæ de collo penſili. Qui exigui quidem abuſus ſunt, ſed tamen detrimentum Chriſtianæ fidei haudquaquam exiguum ſecum trahunt: ut taceam, abuſus hos incantatricibus obſervire. Nolim tamen, quæ bona ſunt, propter homines malos omitti, nec cupiam piorum affectum aut hæreticorum aut ſuperſtitioſorum hominum affectu aliquos metiri velle.

Purgentur templa à tabellis penſilibus immodicè ſuperſtitioſarum precum ad divos. Nam ad hos ſunt intitulatæ: & tamen negatur, adoratos fuiſſe tam divos quàm divas. Purgentur templa à tabulis indulgentiarum Papalium, quas jam ipſi præſules nihilominus patiuntur eſſe in conſpectu & offendiculo populi. Viſuntur paſſim & mutilæ ac confractæ ligneæ imagines, ad nihil aliud utiles, niſi ut prætereuntibus ſcommata jaciendi atque cachinnandi occaſionem præbeant vel invitis. Divos nemo Chriſtianorum contemnit quidem: At quis ſe à riſu contineat, quoties in oculos incurrit icon lacera ſine capite, ſine cruribus & manibus? etiamſi ille à temerariis iconomachis δὶς διὰ πασῶν diſſentiat. Dolet Catholicis, inde offendi debere hos & Judæos occurrentes; ut ne dicam indecorum eſſe. Talis imaginum abuſus, præſertim ſculptilium vituperabilis admodum eſt, & ad pietatem nec tantillum facit. Cur igitur dubitent vel præſules, vel magiſtratus, ejuſmodi ſine tumultu removere, aut in integrum reſtituere? præter hæc, ſi quæ aliæ ſtatuæ puellares altaria fruſtra occupant, ad concupiſcentiam carnalem allicientes magis, quàm ad timorem Dei invitantes.

Verùm hos abuſus, quoniam præcipui eſſe videntur, commonſtraſſe viſum eſt ſatis. Abuſus infinitos alios quis enarrabit? Multos tamen inſuper commonſtravimus ſparſim in libro Viæ Regiæ & multis alibi longè ante hæc.

Si quis præterea volet excutere Monaſticen, aliquot ſubtiles inveniet abuſus, alios craſſos, ſed penè omnes cum vitiis morum conjunctos. Alius monaſteria ditat, alius eadem exſpoliat. Neutrum probatur: ſiquidem egenis ſubtrahitur utrumque. Magis tamen peccat abuſus (aut magis raptus) quo ſpoliantur monaſteria, quàm quo dotantur. Xenodochia, Ptochodochia ditari oportuit, ac ſaturari famelicos. Fruſtraneum eſt, ventres avaros & jam confertos infarcire, hoc eſt actum agere.

Invenies abuſus in curatione ſpirituali ægrotorum ad mortem; ſicut & abuſus in exequiis mortuorum ac ſepulturis, & variis hominum credulitatibus.

Abuſus teſtatorum non eſſe non poteſt, quòd nihil bonorum relictorum legant in hoſpitalia; nec memores ſunt pauperum puellarum, ut honeſtius elocentur, multi prorſus ἄστοργοι ne pauperum quidem cognatorum, quos frigere ac eſurire norunt. Hunc duntaxat vertunt animum, ut detur habentibus, quod corraſerunt per fas nefaſque: qui videlicet flammis purgatoriis percoctas liberent animas.

Abuſus peſſimus eſt Eccleſiæ in hac etiam cauſa, dum alii domo efferuntur ac trahuntur ad ſepulturam planè aſininam: Ubi ne mica quidem honoris ultimi, qui homini debetur, nedum homini Chriſtiano; obrutorum humo nulla poſthac memoria, neque publica neque privata. Dum contrà alii modum excedunt in honorandis mortuis, funeralia magnis impendiis curantes; unde vix minutiſſima portio redundat in egenos. Nuſquam apparet medium, tenditur ad extrema, quocunque vertas oculos. Quæ cauſa eſt tot ac tantarum in Eccleſia ruinarum. Et extrema illa tribuuntur Spiritui ſancto; citra cujus ſuggeſtionem nihil in Eccleſia omninò geri ſtolidè confirmant; quaſi totum ſpatioſum hoc mare errorum, fabularum, ineptiarum, abuſuum, ſuperſtitionum, deformitatum manârit à Spiritu ſancto, & non potius multa profecta fuerint à ſpiritu illo mendaci, qui in ore prophetarum fuiſſe legitur, & adhuc eſſe poteſt.

Quin reperitur etiam abuſus circa mendicabulum, dum non inſpectatur antè in mendicos publicos, validine ſint an invalidi, quàm permittantur pulſare oſtia. Inexplorati admittuntur, & inter hos ſæpenumero proditores. Veros pauperes, qui aut mori aut mendicare coguntur, portis civitatum prohibere, aut fortè ingreſſos excludere, non Chriſtianum ſed tyrannicum eſt. Nec non abuſus eſt, imò peccatum omiſſionis, pauperes, quos vocant domeſticos, derelinquere, ut cum liberis ſuis parvulis extabeſcant frigore, fame, ſiti, (maximè ſi petant) & non meminiſſe, quòd illi non ſolùm fratres noſtri ſint in Domino, ſed etiam vicini; quippe quos cognôrimus multò magis, quàm qui aliunde ad nos adreptant. In utroſque valeat miſericordia, attamen major in domeſticos, aut mendicos patrios.

Hic

Hic corripiendus est prætoriorum abusus circa captivos neglectos, ac loco canum habitos: adhæc circa insontes quæstione exploratos. Abutitur prætor prætura sua, & judex judicio, carcere, gladio.

Abutitur Paterfamilias oeconomia circa servos suos & ancillas, quas sub jugo ceu pecora ductat: mercedem non solvit justam: alimoniam non præbet æquam: denegat necessaria, & citius sinit sibi situ perire sua superflua, quàm pauperculo famulitio nonnihil inde decedat. Quod est familiare vitium locupletum & nobilium. Ubi Mammon regnat, Christus exulat. Simili dilectione tractant mercenarios suos: qua sævitia non erunt excusabiles in die justi judicii, sive credant Catholicè, sive schismaticè: neque enim habebitur respectus personarum. Abutitur denique paterfamilias imperio erga liberos, dum illis fræna laxat, & patitur imperium eripi sibi, ut contra jus Dei ac naturæ parentibus incipiant domi dominari.

Similis abusus est in conjugio, dum neque maritus uxorem, neque uxor maritum juxta matrimonii legitimi leges tractat. Vitia hæc sunt statuum, sat scio, per concionem quotidianam atque severam corripienda pariter ac corrigenda: nihilominus statuum quoque & ordinum bonorum pravi abusus sunt. De abusibus Scholarum alio tempore.

Atque hæc quidem non satis est Christianismi potestates & potentatus admonuisse, nisi, sicut scriptum legitur, *quod justum est, juste exequantur*, memores Clitophonis Platonici, qui propterea Socratis sermones non probavit omnes, & tandem Thrasymachum magistrum audire malebat, quòd arbitraretur, virtutem in admonitione non esse sitam, nisi progrederetur ad effectum: perinde ac si quis nihil nisi medicinam adhiberet ægroto, nec sequeretur sanitas.

Urgenda hæc sunt in reformationis negotio. Maximè instandum est, & utroque pede persistendum pariter, ac utraque manu connitendum, donec conteratur sub pedibus nostris, & avertatur ira Dei à nobis. Admonui fideliter, non quasi versarer ἐν χορῷ ἀλλοτρίῳ, sed ut qui membrum Ecclesiæ Catholicæ ad totius hujus corporis compagem pertineam, & os de ossibus hujus: sperans, misericordiam Dei Salvatoris, atque exspectans consolationem & redemptionem veri Israel.

Vesperi die festo Laurentii
Anno 1575.

ΤΕΛΟΣ.

GEORGII

GEORGII WICELII METHODUS Concordiæ Ecclesiasticæ, cum exhortatione ad Concilium; juxta Exemplar excusum apud *Nicolaum Wolrab.* 1533. cum gratia & privilegio Cæsareæ Majestatis.

Adjectæ sunt Notæ Marginales, Doctrina & Vita ipsius, ex aliis Scriptis ejus collecta. Unà cum enumeratione Auctorum qui scripserunt contra squalores & errores Curiæ Romanæ, & Elencho operum; per THOMAM JAMES, S. T. P.

Longè Honoratissimo Domino D. GUILIELMO COMITI PEMBROCHIÆ, *D. Regiæ Domus Camerario, Regiæ Majestati à Consiliis sanctioribus, prænobilis Ordinis Periscelidis Equiti, & Florentissimæ Academiæ Oxoniensis Cancellario munificentissimo dignissimoque.*

QUOTIES *mecum recolo, recolo autem quam sæpissimè Ecclesiæ præsentis statum, toties mihi in mentem venit,* Comes Illustrissime, *divinæ Providentiæ consideratio, quæ ita suaviter disposuit omnia numero, pondere & mensura, ut Ecclesiæ suæ naviculam jactatam inter procellas & turbines hujus sæculi, veluti inter Scyllam & Charybdim, dextera manu sua semper sustentaret, sustentatam conservaret, conservatam reduceret ad portum veritatis. En digitum Dei, vel potius potentem manum ejus, & est mirabile hoc in oculis nostris, ita ut verè liceat nobis exclamare, Non est Deus noster sicut Deus illorum: verè non est Deus noster sicut homo. Proposuit homo, homo ille peccati, qui extollit se supra omne quod Deus est, vel Deus dicitur, veritatem omnem extinguere, Ecclesiam pessundare, cùm per sanguinarias pœnas, tum per diabolicas censuras, &* Indices Expurgatorios: *sed Deus optimus maximus ita disposuit omnia in bonum Ecclesiæ suæ, ut Martyrum sanguis esset semen Ecclesiæ, Indices Expurgatorii essent Judices directorii & vindices præpotentis gloriæ suæ, & testes veritatis. Sic visum est divinæ Majestati suæ (cui sit omnis gloria) bonum è malo, & lumen quasi è tenebris educere; Cyros unctos suos statuere, & Papistas testes veritatis & magni nominis sui constituere. Et, ut nihil dicam de Ecclesia in primævis persecutionibus cruentata per Martyres, vel mediis temporibus triumphante inter* Albigensium, Wicklephensium, *vel* Hussitarum *numerosissimas strages, habuit semper Deus, habet in ipsa* Romana Ecclesia *qui Romanæ tyrannidi resisterent, bene multos: sed posteriori hoc sæculo excitavit Deus inter* Espencæos, Fabros, Masios, Guilliandos, Feros, *Romanenses,* Georgium *hunc nostrum, magni illius* Cassandri *(ut ita dicam) præceptorem: qui licet* Anti-Lutheranus *esset & domesticus ejus (si credimus Guadalarano), ita tamen fortiter propugnantem fidem avitam & priscam, orthodoxam & veram quam defendimus, adversus novellissimos Ecclesiæ Papanæ, additamenta & superadditamenta Pontificiorum, ut videatur apertè transire in castra atque præsidia nostra, ut ausim dicere, si Papa vel Papani dedant se cognoscendos secundum regulas ab ipso fixas, primariam scripturæ, & secundariam sanctorum Patrum (excipio semper hoc numero Patres non Patres, larvatos & adulteratos Scriptorculos), confectum est prælium, concordia Ecclesiastica sine sanguine & cæde jam denuò triumphabit in mundo, & Ecclesia antiquo & pristino suo decori atque honori restituetur. Non hæc ita à me dicta velim, quasi hoc mihi propositum sit, omnia ipsius dogmata mordicus tueri atque defendere: nondum à fermento Pontificio totus resilierat. Sed quod ex regulis & dogmatibus ab ipso positis atque fixis, ut in 50 plus minus articulis apertè desciscit à partibus & hæresi illorum, ita in reliquis omnibus, si sibi constet, & fundamentis suis, reliqua defendi possunt nostratium dogmata contra omnes gentes. Legantur libri ejus eruditi* de Via pacis, de Via regia, de Methodo Ecclesiasticæ Concordiæ, *quem librum ante annos centum excusum recudimus, & recusum à tenebris plusquam Cimmeriis Pontificiorum in lucem damus, & invenientur*

venientur ea quæ à nobis dicta sunt veriora quàm quæ apud Sagram. Wicelium *secutus est* Cassander, Cassandrum *alii bene multi: quibus si stare velint Pontificii, concidet superstitio, destruentur novitates errorum, & in antiquam Romanorum fidem tantopere laudatam ab Apostolo, securi concorditerque ambulabimus: Quod ut fiat, ac cum adversario communi Christiani orbis juncto ambone congrediamur, divinam Majestatem etiam atque etiam rogo. Et confido, me facile impetraturum ab* Honore vestro, *ut prodeat hic liber jam denuò excusus sub auspiciis magni nominis vestri. Ut eum dicarem nomini vestro, impulerunt privata beneficia; sed vicerunt publica in Academiam, quæ sub tuo felici regimine ex lateritia marmorea facta est: taceo de privilegiis à beatissima memoria Rege Jacobo impetratis: sileo de Professoribus publicis, quos vel ditavit vel dotavit universos spontanea & voluntaria munificentia vestra. Certè quamdiu Academia superstes erit, cedet Collegium Pembrochianum in honorem & æternitatem nominis vestri. Supersedeo de Auctore (cujus vitam pro modulo scripsi, & doctrinam descripsi) plura dicere, vel de ratione instituti mei in dedicatione operis hujus. Scio, apud illustrissimum* Comitem *Religionis veræ studiosum, non displicitam iri methodum concordiæ Ecclesiasticæ de Religione, quæ si haberi posset hoc vel aliquo alio modo (& spes est futurum aliquando, si ejusmodi Concordatistas etiam Pontificios in concilium advocemus) Regi* Carolo *(cujus regnum perpetuet Deus) nihil prius,* Honori *vestro, nihil acceptius: vincet veritas, triumphabit Ecclesia catholica, quæ est mater nostrorum omnium. Deus Pater conservet* Honorem *vestrum Ecclesiæ ornamento, Academiæ adjumento, S. Regiæ Majestati Consiliarium fidissimum. Hoc mecum boni omnes, Academici omnes, assiduis & enixis precibus comprecantur.*

Honoris vestri deditissimus,

THO. JAMES, S.Th.

METHODUS CONCORDIÆ.

I. DOCTRINA

Les Huguenots ne sont heretiques bien que differens en l'explication de quelques poincts en religion d'avec nous. Exam. Pacif. ep. au Lecteur.

Les Huguenots ne peuvent à bon droit estre reputez membres de l'Eglise Catholique, Apostolique & Romaine. Exam. Pacif. p. 3. & chap. 6.

Concedat pars Lutheri Ecclesiæ Doctrinam Christianam, siquidem hanc ab initio Apostolicam ac rectam tenuit, assentiente sacrâ Scripturâ, unà cum vetustissimorum Patrum Commentariis. Retineatur mordicus ecclesiastica doctrina, & sit hæc inter omnes una eademque. de fide ter adorandæ Trinitatis, de infidelitate, de regeneratione, de justificatione, de fiduciâ, de operibus, de cruce, de providentiâ, de libero arbitrio, de pœnitentiâ. Hæc religionis nostræ capita sunt, cujusmodi veritas penes Ecclesiam Catholicam, sic volente ac curante Christo, est, eritque semper. Sectæ rectè docerent, nisi suum insidiosè superseminarent. Melle prælitus gladius est, quo miseras occidunt animas.

Les erreurs des Huguenots ne sont si enormes de foy, qu'ils destruisent le fondement de la foy, &c. Exam. Pacif. p. 6. *Il advint, qu'au colloque de Ratisbone, les Catholiques & les Protestans tomberent d'accord en la question du peché originel, de la predestination, du franc arbitre, & de plusieurs autres poincts, ce qui mesmes est confessé par l'Evesque Lindanus, l'un des plus aspres ennemis, que les Huguenots ayent.* Exam. Pacif. p. 9.

Que les Huguenots peuvent à bon droict estre reputés membres de l'Eglise Catholique, Apostolique & Romaine. Exam. Pac. p. 108. c. 6.

Ecclesia contrà concedat aliquid parti, in excussione dogmatum, quæ vocant scholastica, quibus multi tragicum hoc & immane sæculum acceptum ferunt. Nam si moderni Theologi priscâ Theologiâ contenti esse, quam recentem excogitare maluissent, vix fuisset tot hæresibus pressa Ecclesia. Carere ea absque detrimento potest multis vocum inanitatibus, quas sæculis aliquot præter necessitatem invenit Monastica atque Academica scientia, & inventas imprudenter ingessit quorundam fastus, adeò ut Carnificinæ simul & Gehennæ tradatur ovicula Christi, quæ illas non certò crediderit. Suaserim itaque

† Si vetus Theologia revivisceret, non probaret spinosum istud sophistarum & frigidum Theol. genus. Er. sch. in to. 5. Hieron. ep. Brun. & Bas. Amorbach. † Malorum omnium causa audax hoc & irreverens recentium Theol. genus. Er. tom. 9. Scioli scholastici papæ mancipia. Ant. de Dom. l. 5. c. 6. App. p. 263.

Sobri-

ſobrietatem iis, qui è ſcholis ſuperſunt. Ineant obſecro cum animo ſuo rationem, quàm minimè Chriſtianæ profeſſioni congruat, non ſolùm novum docendi genus invehere, verùm etiam nova quædam docere, quæ neſcivit antiquitas.

Quomodo defendent coram Chriſtianâ Synodo, imò quomodo excuſabunt coram Judice Chriſto, quæ majore damno quàm utilitate Eccleſiæ Dei, divinis literis & orthodoxorum Patrum ſcriptis addiderunt, huc proficientes, ut additamenta illa ſua plus dominarentur in Eccleſiaſtico populo, quàm ipſum verbum Dei & doctrina Patrum, hujus rivulus? Moneo, recolant ſcholaſtici judicia atque ingenia mortalium nunc diverſa eſſe ab eo ſæculo, quo genita fuit moderna Theologia.

† Contra eos qui novum theologizandi modum invenerunt. *Geo. Vic.* tom. 6. ſect. 1. prob. 6. † Cultioribus literis bellum indixerunt — Matæologi iſti, Jo. Avent. Annal. Bojor. l. 4. p. 234. † Libr. ſent. Ariſtotel. argutiis contaminarunt. *Paul. Lang.* in Chron. Cytiz. p. 379. *Germ.* ſcr. tom. 1. † Mundana philoſophia dominatur. *Paul. Lang.* ib. p. 831. † In Theologorum ſcholis celebrior *Ariſt.* quàm *Paulus. Er.* ſchol. in *Hier.* p. 17. † Sacroſancta philoſophia commentis fabulis anilibus polluta. *Jo. Avent.* Annal. l. 5. p. 446. † Argumentorum rivi ex *Ariſt.* fontibus *Jo. Avent.* Annal. Bojorum, l. 2. p. 146. Propoſitum in Concilio Tridentino ut remedio aliquo excogitato, obviam eatur ſcholaſticis, quorum fides radicata & fundata erat ſuper philoſophiâ *Ariſtotelicâ.* Hiſt. Concil. Trident, p. 188.

Conſiderent ſeſe indies decreſcere, & ſuam modernitatem ubique rideri; tanquam inanem tinnitum, ac aëris verberationem. Perpendant ſecum, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Eremitas, Epiſcopos, Paſtores, Doctores, à primordio Sanctiſſimos pariter ac eruditiſſimos ignoraſſe Sorbonicam Theologiam, nec minus tamen Chriſto ſuo unicè amabiles ſervos extitiſſe.

† Contra quidditates & eſſeitates ſcribit Paulus Langius Chron. Cytiz. p. 379 Scr. *Ger.* tom. 1. † Contra nugas in ſcholis. Vives in Aug. de Civ. Dei. tom. 5. † Scoticas argutias. Rhen. in præfat. † Gryphos explodit *Eraſ.* t. 3. p. 8.

Nam ſi damnandi ſunt, quotquot Neoterica iſta neſciverunt, & quotquot eadem neglexerunt, non erit in cœlo Ignatius, non Dionyſius, non Juſtinus, non Hieronymus, non Chryſoſtomus, non Oroſius, non Beda: quid recenſere laboro veteres, quorum quanta eſt multitudo, tanta fuit magnitudo, tanta ſanctimonia, tanta ſcientia, tanta celebritas? Quare conſentiant cum Eccleſiâ & Sectæ & Sophiſtæ, ut præter ſcripturam arcanam ac piiſſimorum Eccleſiæ magiſtrorum probata monumenta, in poſterum nihil ampliùs aut doceatur aut credatur. Imò quum Pariſienſes ſine dubitatione confiteantur, ſacram Scripturam ſufficienter determinâſſe, quæ pro ſalute fidelium determinari expediat, reliqua verò diſpoſitioni Eccleſiæ relicta, &c. debebant ipſi ſibi monſtrare viam, & hujus cenſuræ limen non tranſcendere.

† Involucra & loca inexplicabilia ait. *Greg. Gyrald* tom. 2. Dial. 9. p. 189. † Diſſentientes horum (Dialectico-ſophiſticorum) opiniones. *Jo. Avent.* l. 5. p. 386. Diſcrepant (ait) ut horologia ita fit ut nulli duo concinant. Ib. l. 5. p. 497. Nihilominus in Concilio Tridentino Concionatores in mandatis habuerunt, ut juxta ſcholaſticorum doctrinam ſermones ſuos confirmarent conformarentque. Hiſt. Conc. Trid. *p.* 30. Excuſantur ſcholaſtici quod ſtudeant *Ariſtoteli*, ut debitum Scripturæ honorem conſervent. *Conc. Trid.* p. 158. † Nihil quod ad ſalutem attinet ſine verbo *Dei. Fer.* in Ep. ad Rom. c. 3. p. 303. † Sufficiet ad æternam fœlicitatem, *Ib.* † Solum Dei verbum — cætera falſa, ſi diſſentiant. *Ib.* † Nihil ultra quàm ſacris literis proditum, eſt definiendum. Eraſ. annot. in Hilar.

Sacra certè Scriptura nihil horum omiſit, quæ pro ſuâ cuique ſalute neceſſaria ſint. Veruntamen Eccleſiæ tot è populis ampliſſimæ collectæ gubernatio exigit Traditiones quaſdam, ceu adminicula, quibus tanta fidelium multitudo commodiùs regatur: neque tamen niſi eas Traditiones, quæ non ſolùm cum Scripturâ non pugnant, verumetiam conſentiunt, & inde robur ſuum colligunt. Cæterum ne mireris, veterum ſcripta cum Scripturâ non temerè copulo. Nam tria perquam neceſſaria Eccleſiæ præſtiterunt Veteres: Primùm, propugnârunt gladio Verbi fidei noſtræ ſinceritatem adverſus diaboli creaturas hæreſes. Deinde enarrarunt primi ſacra Biblia, poſtremò verbis factiſque ad ſummum docuerunt Chriſtianam vitam. Horum nihil egregiè præſtant neque Schiſmatici neque Scholaſtici, cur igitur veteres illos non præferam? Attamen ſi quid pii bonique ſive in Scholaſticâ ſive in ſchiſmaticâ theologiâ ineſt, id ego adprimè tenendum duco. Etenim è ſterquilinio quoque probum aurum colligitur: Nec eſt ullus liber tam malus, ut non aliquâ parte proſit.

† Ex div. fontibus potius hauriendum, quàm ex quibuſcunque rivulis. Er. præf. in Nov. Teſt. p. 4. † Nihil vult Deus agi ſine verbo ſuo. Vatabl. in c. 2. Reg. in marg. † Sacra ſcriptura adeò perfecta, ut nihil ei adjiciendum. In Synopſi de vitâ Agobardi, ad. 4. Continet omnia neceſſaria. *Ant. de Dom.* l. 7. c. 2. ſect. 9. & c. 6. ſect. 21. & c. 9. ſect. 1. ☞ Omnia neceſſaria ad ſalutem fundantur in ſenſu literali. *Conc. Baſ. MS.* p. 42. Epiſcopi non habent poteſtatem ſtatuendi aliquid contra Evangelium, *Caſſ.* p. 259. ☞ (Valeant) traditiones contra Deum, ſive contra Scripturas. Gu. de S. Amore, MS. contra Gyrovagos, &c. p. 172. † Si ſecundum canones per ſpiritum hos non repellunt: ſi ſunt ſecundum carnem, nihil dico, non parum faciunt adverſus Chriſtum. *Jac. Faber* ad *Timoth.* 2. c. 3. p. 204. † Dominus monebat diſcipulos, ut à fermento, id eſt, doctrinâ Phariſæorum & Sadducæorum attenderent: quia humana traditio erat, non Dei verbum, non divinum mandatum, quæ quod parit eſt hypocriſis, *Jac. Faber* in *Matth.* c. 3. p. 26. Eccleſia antiqua Lydius lapis ad probanda ea quæ div. fide ſunt tenenda. *Ant. de Dom.* l. 7. c. 4. ſect. 26. Antiquitas reverenda eſt, & mos retinendus fœliciſſimæ vetuſtatis, *Himerlis.* p. 62.

II. BIBLION.

FLagitat necessitas hujus ævi, ut sint conversa Biblia in linguas unicuique nationi vernaculas. Et hoc volunt Sectæ, nec opinor reclamant cordati viri catholicæ partis. Sed hoc opus, hic labor, ut ea catholiκῶς, non hæretiκῶς vertantur, idque non ab uno aut altero, sed à compluribus iis, qui in omni linguarum genere veluti cyclopædiam absolverunt, & qui eum laborem obeant ecclesiasticâ authoritate.

† Aron. in Jo[...] docet laicos [...] momentum [...] de [...] [...] Biblia [...] esse in [...] Chaldaicam vel Britannicam. In præf. Ant. de Dom. *l.* 7. *c.* 1. *sect.* 46. Ad div. fontes castigandam vulgatam edit. docet Marian. in tra[ct.] de vulgata. † Non scandalum si vulgata editio juxta Hebr. veritatem emendetur. *Hier. Oleas.* præf. in Pentateuchum.

Res* maximi momenti est, habere Biblia fontibus suis ad exactissimam amussim respondentia, & in quibus nullum insit vitium ceu lepra candida, dogmati privato subserviens.

Porrò præter alias commoditates, quas secum afferet interpretatio primariæ linguæ, magnum incitamentum Ecclesiastis erit, ut vel literati vulgi metu accuratiùs cautiúsque Scripturæ loca in cathedris usurpent, úque constantiùs in officio se contineant. Nec periculum est, ut hinc hæreses pullulent, si in suâ quisque statione modo steterit, sique cathedras puras custodierit Ecclesia. Ad hæc plurimum obstabit radicibus amarulentiæ vigilatrix Inquisitio, quæ committenda est sanctè doctis viris, non istis, qui venerunt perdere magis quam servare, obliti cum suæ professionis, tum exempli Dominici. Erit quoque novæ hæreseos obex secreta confessio, & Episcoporum visitatio.

† Et de accedendo ad Hebræos fontes scribit Isid. Clarius, præf. in Biblia. Quid ita? † Quia priores Doctores non callebant linguas, Tucc. tuc. in Cant. p. 129. † Nunc formidabilis est omnibus bonis *Tuanus* l. 77. p. 555. † Hactenus querimoniis, sævitia, rixis, tumultibus, nihil profectum est. *Eras.* tom. 2. *Adag.* cent. 3. p. 603. † Nunc in ignem pertrahuntur, qui dubitant an Rom. Pontifex jus habeat in purgatorium. *Eras.* tom 9. p. 861. † (Ob res leviculas) Hæresis si quis dixerit aut scripserit aliquid quod aliquo pacto cum Magistralibus Theologorum positiunculis vel in re grammatica dissentiat. *Eras.* tom. 2. *Adag.* 1. cent. 3. p. 603. † Notantur articuli, & parantur Fasciculi. *Id.* tom. 9. p. 861.

III. CONCIO.

INter omnes æquè convenit, verbum Dei prædicandum esse, & nihil tritius in ore omnium atque verbi Dei Nomenclatura. Utinam vero ab omnibus tam prædicaretur verbum Dei, quàm jactatur ab omnibus verbum Dei. Partes ex Ecclesia scissæ usque ad monstrum jactant, qua immoderatione suspicionem magnam nobis importarent, si aliàs non apertissimè de errore eorum constaret nobis.

† Verbum Dei sine Philosophiâ edocendum. *Paul. Lang.* in Chron. Cyt. Germ. scr. tom. 1. p. 805. † Sed nunc in Templis vix vacat Evangelium interpretari. *Eras.* tom. 6. in Matth. † Concionantur ex historia Longobardica, hoc est, mera fabella Jo. Avent. Annal. Bojorum, l. 5. p. 386.

Catholici non usque adeò grandia jactant, sed quos ego audivi nuper, fidelius tradunt verbum. Pars pacis erit, si Sectæ domi suæ prognatas postillas, & Catholici suas Legendas, aut repurgent aut aboleant. Nonne æqua est conditio? Postillis novis nihil immundius est, & Legendis quibusdam nihil mendacius. Impius vero sim, si omnia ex æquo damnanda rejiciendaque esse existimem, quæ de sanctis Dei ad posteritatem transmiserunt pii historiographi. Diagoræ nostri caveant à temerario judicio. Illud perquam necessarium, ne posthac è cathedra negotium Dei Ventris agatur, ne proceribus aut plebi vulpinæ caudæ obtrudantur, ne irritentur vel ad speciem mali principes, ne perturbationibus indulgeatur, ne palam [a] ridicula ac puerilia admisceantur, summatim ne prædicetur de ceruleis anatibus.

Et hujusmodi fabellis ad quæstum confictis — imperitos in admirationem sui lactant — alliciunt & oblectant. *Jo. Av.* p. 255. & 453. Annal. ☞ Contra hujusmodi tricas & fabulas queritur. *MS. Acos.* 29. p. 325. & 346. & 352. ☞ (Concionandum itaque) de S. Scripturæ verbis, non de nugis & hujusmodi frivolis. *MS.* c. p. 242. Multi sunt, de quorum sanctitate obscuriùs constat, & nonnulli per revelationes tantum innotuerunt, atque adeò de quibusdam an in rerum naturâ fuerint meritò dubitatur, quorum cultum figmenta historiarum & imposturæ miraculorum mirificè auxerunt, *Cass.* p. 157. Quid aliud volunt Tridentini, quàm ut non solùm Legendæ, sed etiam Missalia & Breviaria reformentur, pag. 513. † Multa in Martyrum historiis fabulosa. Crantz. in Metropoli, l. 2. c. 21. p. 33. a † Ut Mariæ de lapide apud Helvetios, Eras. tom. 9. in dialogo qui inscribitur Peregrinatio. † Vel Mariæ Ordinis Dominici Lisbonici. *P. Matthæus* in Constitut. sum Pont. in Annot. ad Constit. 15. Sixti 5. † Vel Magdalenæ Cruciæ Hispanæ in Cœnobio D. Claræ, quæ consuetudinem habuit cum diabolo, si fas sit credere Bodino. l. 2. Dæmon. c. 7. p. 335. † Christophorus & Georgius nunc omnes omnium fabulas æquant, *Eras.* Et Divi cognominantur, qui vix sunt homines, *Eras.* tom. 2. Cent. 7. p. 768.

Item

Item ut advigiletur, ne posthac exaudiantur [b] odiosa convitia, quibus alter alterum ob dissidia fodit, non ædificationis, sed ultionis cupidine. Utinam vero à docto catholico quopiam, qui potens in Scripturis sit, Christianè concionandi modus conficeretur. Profectò concionatoribus, quorum industriæ negatum est, sine Commentariis docere populum, prædicanda abundè subministrarint Homiliaria quorundam labore recognita, quæ velut eclogæ sunt vetustissimorum Scriptorum.

[b] † Concionatores & Theologi non seditiosis clamoribus, sed sobriè placidéque quæ Christi sunt agant, *Eras.* tom. 6. in cap. 11. *Matth.* præfat. † Conciones quales esse debent & catechizando populo fusè tractat Anon. in *Jo.* in

Nec committendum est, ut Concionatores careant uno atque altero Scriptorum illorum, quos Biblicis studiis rectissimè adjunxerint. Illud inprimis optandum, ut à doctissimis orthodoxis in usum Ecclesiæ Germanica [c] Postilla (quàm vocant) componeretur, idque cum primis ex sacri Biblii certis oraculis, & secundo loco ex vetustissimis & optimis quibusque tam Græcæ quàm Latinæ Ecclesiæ luminibus. Præterea ut colligeretur Agiologion è probatioribus, fideque & religione non indignis legendis, maximè ex historiis ac exemplis indubitatis, ne iterum caulentur Sectæ fabulas pro Evangelio prædicari. Non sunt omnia fabulæ, quæ de gestis divorum divarumque memoriæ reliquerunt veteres, ut nos provocarent ad idem capessendum pietatis iter. Confido hæc nulli partium displicitura.

[c] Hist. Conc. Trid. p. 514. † Sermones otiosi ex patrum Commentariis. Leo Bapt. Albertus de re ædificatoria, c.13. l. 7. p. 112. ☞ De sacræ Scripturæ verbis, non de nugis & hujusmodi frivolis, *MS.* 9. p. 241. † Muliercularum deliramenta & somnia lecta in templis, *Eras.* p. 314. ☞ Mirum est quomodo Principes & Magnates sciant rectam fidem, qui nunquam fortè audierunt rectam prædicationem, *MS.* o. p. 108.

IV. BAPTISMA.

CEdat Ecclesiæ Sectarum examen in negotio Baptismi. Rectè namque de isto sacramento, de ejus institutione, natura, utilitate ac significatione docuit, assentiente Scripturâ Dei, & priscis doctoribus. Porrò quod ad usum unguenti attinet, certissimum est, eum ritum à traditione Apostolica promanasse. Nec video idoneam causam, cur ita contemni omittique debeat isthuc mysterium. Nam quæ contra allegant, nullum habent pondus. Imò ob instaurandam atque retinendam unitatem haudquaquam reluctari vellem, si cæteris quoque ceremoniis suis Sacer Baptismus ornetur, quas non sine consilio addidit olim Ecclesia, tantum absint abutentium vitia, & arceatur fiducia.

☞ Rectè Anon. *MS.* —— Dicamus cur & hæc aqua sale misceatur. Cùm enim Salvator noster de Baptismo loqueretur, nullam salis facit mentionem. Non enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aquâ salsâ vel sale mixtâ, vel aliquid hujusmodi: sed quid dixit? Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Id ipsum autem & de oleo & de chrismate dici potest, *MS.* 29. p. 198. & alibi. ☞ Diximus quid prima fidei rudimenta significent, potuerunt enim ista sola ad Baptismi sacramentum & Ecclesiæ consecrationem sufficere. Sed sancti patres nostri, qui Spiritu ista constituerunt, voluerunt nobis satisfacere non solùm in his quæ pertinent ad virtutem sacramenti, sed & in illis quæ pertinent ad significationem. *MS.* 29. p. 201.

Consecrationem elementi unà cum precibus & cantionibus nemo pius rejecerit, nisi accedat aliunde quod rejici mereatur. Præposterum est, omittere pia quædam, & facere impia; circa Baptismum Sanctorum inventa negligimus: At pompam muliebrem, at jocos risusve, at superstitiones aniles, at temulenta convivia, diabolicorum Angelorum inventa circa Baptismum constanter servamus.

Modò superstitiosæ illæ opiniones tollantur, & ad finem utilem referantur, *Cass.* p. 120. Traditiones in Ecclesia Rom. jam longo usu receptas communiter observant his conditionibus [Protest.] *Cass.* p. 222. Multi ex vulgo tuere qui in externa harum traditionum observatione justitiam & fiduciam collocarunt, *Cass.* p. 112.

Jam verò ne Ecclesia salubria improbare videatur, donet hoc bonorum virorum desiderio, ob eandem unitatem, cujus gratia alii de suo sensu concedunt, & ob animas infinitas, quas spes est è Retinctorum fœdere reductum iri, Nempe ut curet Baptismum Parochus

☞ Non hoc scilicet chrisma vel oleum habuerat Philippus quando Eunuchum baptizavit: hæc tamen jam nunc prætermittenda non sunt quæ ad significandum aliquid Sanctorum diligenti appositione addita sunt, *MS.* 29. p. 201. Sputum, exorcismum, & ejusmodi quæ non sunt ex institutione divina à Baptismo eximenda esse. Histor. Conc. Trid. p. 450. † Ritus variati per ecclesiam, *Bas.* Manuscript. pagina 211.

reli-

religiosius, & majore solicitudine peragendum. In dedecus fidei nostræ vergit, & immodica parit scandala, tantæ rei neglectus.

† Et nos magnam orbis partem perdidimus, dum omnes cæremonias ad vivum exigimus. *Eras. schol. in Irenæum p.* 309. † Non hoc quidem cæremoniarum genus adfert pietatem, si præter externa signa nihil accesserit —— non erant præcepta quæ perpetuò facerent ad pietatem, sed quæ pro tempore pertinebant ad decorem & concordiam Ecclesiæ. *Er. tom.* 9. *p.* 877. † Si vehementer dilatari Christiana ditio (posset) nonne par esset ut hujusmodi leges pro tempore cederent Deo? *Er. tom.* 7. *p.* 40, 41, 42.

Præterea donet & iillud, nimirum ut ordinetur Catechismus, non Luthericus, sed Apostolicus, [c] Constat è patribus, qualis ille olim fuerit. Hoc summopere necessarium in Ecclesiâ. Ad hæc, ut professio baptizatorum infantium per Susceptores facta, in puberibus una congregatis solenni ritu renovetur, quò illi certiores fiant de [d] accepto baptismate, & animis novellis tenacius inhæreat sanctissima professio atque abjuratio semel facta, ne putare pergant nostri homines, baptisma consuetudinem esse, & ludum, aut quæstum sacerdotalem, adeoque cui satisfaciat uncta popina, ac inita cum Susceptoribus amicitia. Ex Deo non est, quisquis hoc consilium longè saluberrimum inani causatione præpediverit. Consulitur ea ratione Christianis baptizatorum moribus, quæ res ceremoniarum finis est. Isthuc pium obsequium pariet Ecclesiæ amicos ex inimicis, & è Schismaticis Catholicos, præterquam quod præclarum monile ejus erit, & utilitas nullis verbis satis prædicanda.

[c] ☞ Usum perantiquum fuisse testatur *Anon. MS.* 29. *p.* 158. & Anon. † excusus in Jo. in præf. *Conc. Trid. Hist. p.* 680.

[d] ☞ (Attamen) Baptismus non est ita necessarius ad consequendam vitam æternam, sicut divina volutio: quia Deus non sic suam potentiam alligavit Sacramentis, ut sine ipsis non possit aut non valeat dare & conferre vitam. *Bas MS. p.* 65. ☞ Legitur enim de latrone cui à Domino dictum est, Hodie mecum eris in Paradiso, cujus Baptismus non legitur Et dicit Cyprianus, Invenio quiddam aliud præter martyrium quod supplet vicem Baptismi, scilicet fides & confessio. Et dicit Ambrosius de quodam Catechumeno qui sine baptismo decesserat, Utinam sors mea non esset nequior sorte illius. *MS.* *. *p.* 176. ubi hæc quæstio fusè disputatur. Dissentiones & controversiæ non debent impedire unionem. *Ant. de Dom. l.* 5. *c.* 5. §. 6.

V. EUCHARISTIA.

CEdat & hîc Ecclesiæ schismatica novitas. Nam quod illa habet, non ab hesterno accepit, sed à principio sui. Nec dissentit à recepto Scriptura utriusque Testamenti, si simplici oculo germanum sensum hujus contemplere. * Fateatur pars Lutheri Apostolicos, & priscos Theologos in hac re, sicut in plerisque, rectè sensisse. Pars [a] Zuinglii confodiat Berengarium.

* Reclamant Patres. † *Olympiodorus in Eccles. c.* 9. *BB. PP. tom.* 1. *col.* 617. agens de mysticâ participatione Christi, & † *Philo Carpathius in Cant. ib. col.* 720. Mysticum (inquit) cibum corp. Christi possidet Ecclesia. Ut habet nota marginalis. † Imago & similitudo corp. & sang. Christi in Actionis mysterio celebratur. *Gelas. to.* 2. *BB. PP. col.* 561. & † *Totorianus. Ib. tom.* 4. *p.* 958. Odo, Basilius & alii. Reclamant recentiores ac cordatiores Pontificii. † Arias Montanus. † Erasmus. † Jac. Faber, Ant. de Dominis, & innumeri alii, quorum nomina consignârunt sceleratissimis Indicibus Expurgatoriis. [a] *Facilis victoria ubi nemo resistit. Berengarianam aut Zuinglianam sententiam non capit Wicelius, aut ex aliorum relatu allegat.* Si Episcopi hos abusus præcipuè qui missam, & alias partes divini cultus invaserunt, in tempore correxissent, minus nunc esset dissentionum, neque tantùm monendos & rogandos putamus, ut abusus corrigant, verumetiam ut antiquos aliquot Ecclesiæ ritus — revocari studeant. *Cass. p.* 61.

Ecclesiastici corrigant Missæ dedecorosos abusus, ac stolidas superstitiones, & erit Concordia læta. Amputetur consuetudo Sacrificantium ob [c] nonnullos, atq; adeò sacra impiè vendentium, attestante illorum conscientia. Minuatur ingens turba quotidiè missantium propter saginandum aqualiculum duntaxat. Non admittantur sacra concubinariorum, quos Deus pejus odit, atque manifestarios incestos. Meminerimus in decretis Pontificum piè caveri, ne quis Missam ejus Presbyteri audiat, quem scit indubitanter [b] concubinam habere, aut subintroductam mulierem, cujusmodi mulieres Græci Theologi Parisactos appellabant, quemadmodum legis apud Eusebium: Divus Chrysostomus vocat Synisactos, in Sermone contra concubinarios. Sint Sacerdotes boni, docti, Zelotæ domus Dei. Faciant illi sacra in omne ævum memorandæ hostiæ religiosè, fideliter, seriò, denique hoc animo, ut inde glorificetur Deus, & ædificetur proximus. Satius est paucas Missas fieri cum fructu, quam multas non sine fructu solum, verumetiam cum peccato horrendissimo & scandalo gravissimo.

[c] † Quia pinguis est panis Christ. Joach. Curens apud Zuingerum in theatro. *Z. p.* 2963.

[b] ☞ Sacerdotes concubinarii non possunt celebrare. *MS. o. p.* 161. ☞ Imò juxta Concilium Basileense debent à prædicationibus abstinere. *MS. Bas. p.* 525. ☞ Contra missificantes pro quæstu, lege *MS.* 29. *passim p.* 233, 240, & 251. † Nunc Missa cœpit esse quæstus ac viaticum imperitorum ac sordidorum hominum. *Eras. tom.* 9. *p.* 744. Missas ipsas ita à sacerdotibus fieri oportebat, ut hinc utilitas aliqua ad populum redeat, &c. *Cass. p.* 217.

Altaria

Altaria (quæ menſæ etiam Domini veteribus dicuntur) cereos, mixturam calicis, veſtes, nolas & id genus alia non puto damnabunt Sectæ, ſi modo graviora emendentur.

Nec Ceremoniolas Liturgicas horrebunt, nec faſtidient varios miniſtri geſtus, quandoquidem nil impietatis habent ejuſmodi, ſed potius ob pietatem excitandam inſtituta ſunt à majoribus; quorum veſtigia ſequi, honeſtiſſimum eſt.

De [d] Canone lis ingens eſt ſub judicibus non nimis integris, verum ſi ille æquum interpretem adipiſcatur, mirabor, ni plures inveniat, qui reo quàm qui actori faveant. Oppreſſus fuit à Martio furore, causâ nondum plenè examinata. Quod ſi ille habet nonnihil vel ſupervacanei vel incongruentis, Pontificis erudita pietas & Evangelicorum zelus non patietur iſtuc nos ignorare. Illud exertè affirmo, Sacrificium eam cœnam rectiùs dici credique poſſe, quàm Teſtamentum.

[d] ☞ Petrus Apoſtolus apud Antiochiam prius ita incipiens celebravit. Hanc igitur oblationem, &c. Nam officium illud quod nos Introitum appellamus, addidit Papa Cæleſtinus. Nam anteà primùm Epiſtola, ac deinde S. Evangelium recitabatur, & pòſt Miſſa celebrabatur. MS. 29. p. 235. & MS. alius. Beatus Petrus primus Antiochiæ, publicè miſſam celebravit, & tunc tantùm tres orationes dicebantur in ea, incipientes ibi: Hanc igitur oblationem. Jacobus quoque frater Domini & Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus celebrationem Miſſæ ſcriptis mandârunt —— poſteà verò Gregorius inſtituit cantari in eâ Pater noſter, addiditque multa alia & ordinavit. MS. o p. 391. Cur Canon —— aliis in ſuperſtitionem, aliis in contemptum adductus ſit, in causâ eſt potiſſimùm mutatio priſci ritus. Caſſand. p. 237. ☞ Circa Sacramentum diviniſſimæ Euchariſtiæ, multa videntur addita vel mutata, &c. Baſ. Conc. MS. p. 214.

Quod autem queruntur de [e] Miſſis Divorum, proclive eſt explicatu, ſi Liturgiam ſemper eandem, atque ſui per omnia ſimilem eſſe noris, orationes verò hujus & lectiones varias. Nec oratur ad Divos, ſed ad Deum unum, ut is ob amorem quo Divos ardet, calamitatem noſtram in hoc periculoſiſſimo vitæ ſalo clemens reſpiciat. Illud cum gemitu, cúmque multo cruciatu cordis fateri nos oportet, nimirum Miſſas extraordinarias à Sacerdotibus mercenariis non invitis ſolùm & ſemper moleſtis, verumetiam impuris ſæpenumerò ac ſtomachabundis, non legi, ſed murmurari celeriter ſine mente ſineq; fructu. Aiunt ſe cogi ad privata Altaria, alius à Decano, alius à Præfecto, alius à fundatore, non ſecus ac cogi ſoleant mancipia ad ſerviles operas. Utinam talis Latria Chriſto tam ſit grata, quam quidam opinati ſunt. Latriam Chriſto dignam in ſacrâ Euchariſtiâ tueamur unanimes, ſed interim conſulamus turbatis fratribus, qui iſtâ ſuâ miſerrimâ ſacrificatione animas ſuas in gehennam demergunt, dum perpetuò judicium ſibi manducant & bibunt.

[e] ☞ contra plures aras in eodem Templo *ſcribit Leo Baptiſta Albertus de re ædificatoria. l. 7. c. 13. p. 112. Les Catholiques meſmes ne tiennent plus la meſm[illegible] de pri[illegible]* Exa. Pacif. p. 41. Omnis hic honor ad Deum potiſſimum referatur. *Caſſ. p. 137.* *De les honorer trop c'eſt à dire, de leur attribuer ceſt honeur qui appartient proprement à Dieu.* Exam. pac. p. 20. Tanta multitudo Miſſarum paſſim ſummâ negligentiâ celebratur, itaque nonnunquam à viliſſimis & impuris hominibus hæc actio tanquam quoddam opificium unde vitam traducant quæſtus tantum causa exercetur. *Caſſ. p. 114.* Contra panis adorationem. *Vide Ant. de Dom. l. 7. c. 11. §. 200. & cont. Suarem, c. 2. § 2.*

De [f] participatione communionis facilis erit conſenſus, ſi neceſſitatem legis de utrâque ſpecie laxârint Sectarii, ſique Eccleſiaſtici utrâque neſcientes Erebi duci non miſerint, ſed medium utrique tenuerint. Enimvero laudandum, ſi Generali Synodo conſentiatur [illegible] utramque ſiquidem olim ita communicatum in Eccleſiâ. At non laudandum, rupta unitate, utrâque veſci, & ſpectare quantum ſumas, non quàm dignè ſumas, ad hæc cogitare, ut ambas magis partes, quàm unam edas, non quamobrem, & in quem finem edas, ut jam non commemorem, nefas eſſe, quod Sacramentum communionis contra commûnionem ſumas, adeoq; cum odio Tartareo communionis totius, pro qua Chriſtus mortuus eſt. Nec eſt partibus temerè rejicienda conſuetudo, quâ cibantur domi quiſque ſuæ fideles in Domino morituri, licèt res, niſi contemnatur, periculo ſalutis careat. Omnia ejus generis ſancita ſunt, in profectum credentis populi. Si quid vitii acceſſit, vitium tollatur, res verò reſtituatur, & concordia alatur.

[f] ☞ Sumitur hoc ſacramentum ſub duplici ſpecie panis & vini, non ſub alterâ tantùm, quia Chriſtus ita tradidit, dicens, Accipite & comedite—& bibite ex hoc omnes.—— Debet ſub utraque ſumi, quia (ut ait Ambroſius) caro Chriſti pro ſalute corporis, ſanguis verò pro ſalute animæ offertur. Ergo ſub utraque ſpecie ſumi debet, quod ad ſalutem utriuſque valet, ne forte ſi ſub alterâ tantùm ſumeretur, ad alterum tantùm valere ſignificare videretur. MS. o. p. 388. Non modò nil Eccleſiæ auctoritati contrarium, imò verò Eccleſiæ paci & unitati conveniens & propè neceſſarium futurum puto, ſi vel illi penes quos Eccleſiæ gubernatio eſt, priſcum hunc communicandi morem reſtituant, vel Eccleſiæ paulatim, quod citra gravem perturbationem fiat, ad eum quem initio habuerunt, longoque tempore retinuerunt, morem redeant. *Caſſ. p. 185.* ☞ Quia in Primitivâ Eccleſiâ Græci ab Apoſtolo ſuſceperunt conſuetudinem utriuſque ſpeciei, eam ſervaverunt uſque in præſentem diem: & ſic Dionyſius Græcorum conſuetudinem ſequens. *MS. Baſ. p. 191.* Communionem ſub unâ invectam vel potius intruſam volunt Tridentini, tum contra legem Eccleſiæ, tum contra conſenſum principum, rationes Gerſonicas ad examen revocatas in contrarium, damnatas volunt, receſſum & defectionem ab Eccleſiâ eo nomine graviter deplorant & Reginæ matri, Ducique Bavarico denegatum conqueruntur. *Hiſtor. Concil Tridentin. p. 387. 521. & 450. Vide Anton. de Dominis contra Suarem, c. 2. §. 14. Conc. Trid. Hiſt. p. 163. & p. 387. & p. 519. &c.* Quòd rariùs & rariores è populo communicent, in causâ ſunt potiſſimum ipſi Paſtores, qui populum ad frequentiorem communionem non invitent. *Caſſ. p. 221.* Non debet indignari Paſtor, ſi qui è vulgo ſint, qui ſingulis Dominicis aut etiam aliis diebus ad communionem ſacroſanctam accedere cupiant. *Caſſ. p. 222.*

Quin

Quin & illud vix quispiam improbaverit, videlicet propius facere ad mysterium synaxeos, si tota simul Ecclesia participet, quàm sicuti nunc plerisque mos est, ut non sit, cur displiceat consuetudo paschalis fractionis. Et nisi mores populi palam corrupti essent, videretur consultum, si sæpiusculè collectim participes sacræ cœnæ fieremus, ut hoc arctius coagmentarentur, ac in charitate mutua altius irradicarentur animi.

VI. CONFESSIO.

In Concilio Tridentino rejecerunt nonnulli confessionem utpote rem non necessariam & minime possibilem. *Ib. p.* 325,358,359.

SI nonnihil de Confessionis onere remittant ecclesiastici, non difficili operâ revocandi huc homines fuerint, qui jam à mentione etiam confessionis, tanquam à Pharaonismo quopiam vehementer abhorrent. Anxietate circumstantiarum, & tortura conscientiarum (quæ est materia desperationis & odii) sublata, consentient Lutherani in confessionis salubrem deuterosin, quorum aliqui dudum ad eam rediere, sed adacti à vexillifero Marte. Et crediderim qui sunt de grege Zuinglii non recusaturos, si fit tam examen, quam confessio, quo in negotio singillatim disquirat pastor Ecclesiæ quales habeat oves. In quo inquam sciscitetur, quid quisque credat, quomodo vivat, num delegato officio, aut suscepto servitio satisfaciat, &c.

☞ De Confessione secretâ & angulari Sacerdotis nulla in Scripturis habetur traditio. *MS. Bas. p.* 213. ☞ Soli deo, ut Græci dicunt, sufficit confiteri. *MS.* 51. *p.* 100. *Vide hist. Conc. Trid. p.* 358. &c. Nimis anxia inquisitio omnium circumstantiarum, quæ in multis conscientiæ carnificinam gignit, nemo moderatus approbat. *Cass. art.* 11. p 88. Hæc confitendi medicina ab imperitis & importunis medicis, multis inutilibus traditiunculis infecta & contaminata fuit quibus conscientiis quas extricare, & levare debebant, laqueos injecerunt, & tanquam tormentis quibusdam excarnificarunt. *Ib. p.* 90. † Non sit disquisitio criminum exacta, ——— tantum credat sibi per Christum remissa esse peccata. *Conc. Colon. in tr. de sacram. confess. §. Quod si p.* 148.

Item si eadem opera explicet rationes conscientiarum. O optimè conlocatas horas, si ad eum modum transigantur. Tale sensisse videtur, ne putes me hoc novè comminisci, Antho. Episc. Florentinus in suo Exomologetico. Illud haud mediocriter ad revocandam plebem adjuvabit, si id negotii committatur optimis Ecclesiæ ministris, quibus cura est de ovibus, & intercludatur via sordidissimis quibusdam mercenariis, quæstuariis, tyrologis, quibus cura est de lanâ lacteq; infelicis caulæ. Quod in nullius contumeliam dixerim. Nec nisi istos noto quorum culpa factum est, ut Germania tot periculosissimis Sectis quatiatur, irascente nimirum Deo. Ob hæc & hujusmodi scandala ubivis obvia, adeo invisa plerisque est confessio, ut dici non possit. Proderit hoc quoque, si posthac acerbissima carpantur flagitia & doceatur diligentissimè ne quis fidelium quotidianam confessionem prætermittat, quam audit in occulto pater cœlestis. De hâc sæpe Johannes Chrysostomus.

Pii tantùm & prudentes viri huic utilissimo & sanctissimo audiendæ confessionis & absolutionis impertiendæ ministerio præficiantur, qui hominum conscientias peritè tractare possint. *Cass. p.* 90. [illegible] Hodiè præfecti adolescentes inepti & stulti, plerumque mali & petulantes. *B. Rhen. in Tert.* ☞ Cavendum vel in conf[illegible]ibus, vel ob aliam causam loqui cum mulieribus: Nam omnes homines quatumcunque specie fortes in hoc plurimùm turbant. *Bac. MS. p.* 286. Utut confessio secreta sit Pontificiis aurifodina, ut habet *Crantzius.* † *Metrop. l.* 8. *c.* 42. *p.* 193. Rejecta tamen atque repudiata est communiter ab † Erasmo, † Jac. Fabro, † Chrysost. in Indice, † P. Aërodio, aliisque Pontificiis bene multis.

VII. EXCOMMUNICATIO.

HAnc unà cum pœnitentiâ publicâ ab initio habuit Ecclesia juxta mandatum sacræ Scripturæ. Declarant istud reliquiæ nonnullæ in quibusdam locis, & Synodales accusationes, quas, licet pecunia vitiatas, annuatim vidimus in nostrâ provinciâ. Arguit hoc insuper utilissima consuetudo Ecclesiæ, quâ in Dominicâ Palmarum facinorosis interdicit usum Eucharistiæ. Scribit etiamnum de ea Jo. Eccius, quæ ego quidem viderim minimè aspernanda. Sed sæculis aliquot perverterunt hoc bonum homines quidam voluptatum magis, quàm Dei amantes. Ergo si redacceperit virgam suam mater Ecclesia, non dubito, quin sit multis Sectis, præsertim, Anabaptistarum persuasura, quod Deus revera in ipsâ sit. Flagellet non debitores pecuniarum, sed criminum, hos terrenæ potestati committens. Crimina invalescunt in populo deterrima, ut periculum sit; nisi ecclesiasticâ potestate *νομικῶς* coercebantur: ne deterior fiat, quàm fuit olim in Gentilitate,

litate, cùm noncum inter nos nominatus esset Christus. Castiget item præfractos, qui contumaciter unitati publicæ obnituntur, conantes peregrina inducere, ad demolitionem absoluti ædificii. Verùm ejusmodi ipsa probè novit, ut à me tale edoceri supervacaneum videatur.

Ballatores terrores vocat, *Ant. de Dom. l. 5 c. 9. §. 24.* Post corruptam avaritiâ Ecclesiam. *Ib.* † Excommunicatio fulgur è vitro seu vase æreo – solus Deus habet fulmen quo feriat animam. *Er. tom. 9. p. 863.*
☞ Ecclesiastici judicant sine justitiâ, testificantur sine veritate, sine misericordiâ ligant, sine causæ cognitione——magis quidem proni ad damnandum, quàm ad solvendum. - -- Non autem sic Christus. O quot sunt termini absolvendo, & nullus in ligando, &c. *Conc. Bas. MS. p. 509.* De excommunicationibus injustis lege *Fel. Hemmerlin. p. 60.* ☞ Excommunicatio falsa etiam Papæ non timenda. *Bas. 3. MS. p. 353.* Contra ejusmodi satisfactiones scribit. *Ant. de Dom l. 5. c. 7. §. 78. & c. 8. §. 3.* Sed † vera satisfactio est vitæ emendatio vera. *Ut rectè Ant. Mag. ser. 16. BB. PP. tom. 1 col. 123.* ☞ Habeo penes me duos MS. codices summæ antiquitatis, quorum unus præfert nomen P. Manducatoris, in quibus quæritur, utrùm solus Deus peccata dimittat, an etiam sacerdos, & concludit, Deum solum peccata remittere, & remittere (ut ait Cassiodorus) quando interiùs illuminat introducendo veram cordis contritionem. *MS. o. p. 410. & MS. 29. p. 31. Les Huguenots d' iront —— qu' il est necessaire d' avoir contrition, & douleur de cœur.* Exam. Pac. p. 33. † Quòd attritus non sit contritus ostendit Dominicus S. *Tr. del. Purgatorio, c. 18. p. 209.* † *& Geo. Venetus, problem. to. 4. §. 3. Prob. 122.*

Jam quod ad satisfactionem attinet, reputent Sectæ secum, quanto fructuosius sit indictæ Satisfactionis obedientiam præstare, quàm, uti nunc fit, peccatis suis peccantes adblandiri. Cogitent fuisse neque impios, neque stultos, qui olim Canones super eâ re decreverunt non inutilissimos. Imo ipsa ævi hujus incredibilis malitia doceat, quod opus sit criminosis satisfactionum leges imponere. Conferant igitur suffragia sua, qui hactenus inconsideratè refragati sunt, ut sit Pœnitentia, Contritio atque verus dolor interioris hominis, ob admissa sua, sit Confessio tam privata quàm publica, sit Satisfactio tam privata quàm publica, pro qualitate admissi, sit [g] Absolutio, quam unus dat vice totius Ecclesiæ. In hoc modò incumbatur, ut omnia ritè, compositè, & secundum ordinem in charitate fiant, juxta Scripturas, & veterem Ecclesiæ morem. Romana Curia tot malis edocta, contrahet, confido, pacis [h] consuendæ gratia indulgentiarum largitatem. Nec committet, ut ob has, aut hujusmodi exigua, catholica concordia disjiciatur.

[g] ☞ Hic est sensus, sacerdos absolvit aliquem à peccato, id est, ostendit absolutum *MS. o. p. 93.* Circa harum usum & praxin optimi quiq; correctionem & moderationem fieri desiderant——optandum esset, ut Pontifices publicæ paci aliquid concedant. *Cass. p. 103. Les Catholiques mesmes diront, que l' Eglise en a esté mille ans en ignorance.* Exam. Pac. p. 69. Indulgentias neque in Orientali neq; in Occident. eccles. usitatas aut saltem notas fuisse ante tempora Urbani II. anno 1095. & posteà in abusus varios præsertim quæstuarios abiisse. *Hist. Conc. Trid. p. 822. & p. 4.* [h] ☞ Non est putandum, quòd ut pecunias recipiat det indulgentias: & si faceret, peccaret graviter, nec tenerent, quia nec esset charitas in recipiente, nec pietas in Causa. *Conc. Bas. MS. p. 709.*

VIII. CONFIRMATIO.

Ritum confirmandi baptizatos, quod Sacramentum etiam sine impietate appellavero, despicatissimum habent Sectæ, non ob justas causas, sed quia sic libet menti cordis eorum. Si in hoc Episcoporum negligentiâ peccatum est hactenus, negligentia damnetur, non id, quod per se bonum est. Non nititur fumo ventoque Confirmatio fidelium à Baptismo, sed sacrarum literarum authoritate pariter, & Ecclesiæ enascentis antiquitate. Atque utinam cuncta ejus generis noscitanda, populo divulgarentur aliquando ut audiret, quid quâ inscitiâ stoliditateque contempserit. Proinde contemptâ vanâ gloriâ suffragentur universitati Ecclesiæ Sectæ, quandoquidem hic ritus baptismo tuendo valdè prodest, & baptizatis majorem in modum frugifer est. Episcopi tantùm curent, ut citra scandalum, uti sese decet, religiosissimè atque accuratissimè confirment baptizatos, & commendent eos gratiæ & Verbo Dei.

IX. CONJUGIUM.

IN conjugii causâ non difficulter conciliandæ cum Ecclesiâ partes essent, si haberent dilectionem unitatis, citra quam vix unquam inter unum ovile claudemur. Reducat ad calculum Lutheri factio & retractet, quæ portenta, & quàm non pudicè admodum scripta ediderit de Conjugio, de divortiis, de iterando post divortia, de gradibus, de polygyneciâ populi, de digamiâ cleri, *&c.*

[a] In pastoribus Ecclesiarum, quos in medio hominum turba vivere, & ut nunc res se habet, rem quoque familiarem curare necesse est, restat ut in posterum ordinandis hoc statutum relaxetur, & veteris Ecclesiæ, & huc usque Orientalium Ecclesiarum honesti quoque mariti ad ecclesiæ ministerium admittantur. *Cass. p.* 199. † Lucas uxorem habuit in Bithynia. *Platina apud Zuingerum in theatro, p.* 4136. Et † Jo. Episc. Leodiensis uxorem duxit. *Apud Hedionem in chron. Germaniæ. apud eundem Zuing. p.* 870. Et † Adolphus Archiepiscopus Coloniensis. *Zuing. p.* 870. † Apostoli uxorati. *Nota marginal. in Ignat. BB. PP. to.* 3. *ad ep.* 9. *col.* 25. *in nota marg.* † Prophetas omnes uxores habuisse colligitur ex Indice Chrysostomi. [i] † Qui concubinas ante conjugium habere præsumit, pejus facit, quàm qui adulterium committit. *Erasmus in Indice, Aug.* † Melius quidvis agere, quàm in hoc incendium libidinis conjicere. *Er. in c.* 19. *Matt.* † Rectè Laur. Schraderus ait, Uxores restituendæ. *Id. in monumentis Italiæ, p.* 214.

[a] Ecclesiastici contra remittant nonnihil de impedimentis, ne ob hæc impediatur concordia, quâ nihil prius habuerunt Apostoli. Cur enim unitas scindatur, aut non resarciatur scissa ob eas res, de quibus usque adeò nihil mandavit Christus, nihil tradidere Apostoli, nihil docuere Patres, quæ denique neque fidem, neque bonos mores lædunt? Valeat Augustinus, si alibi, ad Januarium. Scrupus ingens est, quod quidam è Clero pro scortis virgines uxores domum duxerunt. At contra [i] dedecus & inexpiandum scelus est, pro uxoribus prostibula fovere. Hoc damnant Sectæ, illud probant. Ecclesiastici verò utrumque damnant, nec tantillo minus alterum, nempe turpius palam admittunt. Quid hic judicabit Synodus? neutrum permittet.

[k] Sub honesto castimoniæ nomine, stupra, incestus & adulteria, referente Jo. Avent. *Annal. l.* 5. *p.* 446. Eò res jam rediit, ut vix centesimum invenias, qui ab omni commercio fœminarum abstinet. *Cass. p.* 204. Fatentur Tridentini, vix quinquagesimum ejusmodi inveniri. Itaque castum conjugium ex sententia eorum non casto cœlibatui vel concubinatui longè antestat. *p.* 206, 241, 527. Qui hujusmodi castum cœlibatum ultrò præstant, laudentur & honorentur, qui hujus autem summum castitatis gradum conscendere nequeunt, in secundo & proximo gradu casti conjugii consistere permittantur. *Cas. p.* 203. Si unquam tempus fuit antiquæ alicujus consuetudinis immutandæ, certè hæc tempora, hujus quamvis prisci moris immutationem aliquam efflagitare videntur, cum optimi quique & religiosissimi Sacerdotes infirmitatem suam agnoscentes, & perpetuæ scortationis fœditatem exhorrescentes, si publicè non audent certè conjugium ineant. *Cass. p.* 204. Conjugium apud Reformatos sanctius *Anton. de Dom. l.* 2. *c.* 10. §. 45.

Optimum sanè, si ut vetare, ita efficere isthuc possit, præsertim uti nunc sunt tempora. Si Thaides non permittentur quibusdam ventricolis magis quàm Christicolis sacerdotibus, [k] fœdabunt thoros viciniæ, aut certè curabunt suæ libidini furtivas Lupas ac Lenas. Hanc Scyllam prospicite judices. Sin permittentur pudicæ uxores, comes erit multa vis incommodorum, maximè si duplicetur conjugium contra Pauli canonem. Hæc est Charybdis. Utrò nunc flectant arbitri, non satis consilii atque prudentiæ in promptu fuerit. Extra controversiam optimum foret neutrum, at si alterutrum fieri oportet, tolerabilius esset, quod minus est, nimirum, virgo uxor una.

[l] † Nicæna Snodus permisit matrimoniam in uniuscujusque voluntate. *Dan. Venatorius in Anal. Juris,* Pag. 497.

[m] *Vide Concil. Trid. Hist. p.* 680.

[n] † Pii dictum indictum, *apud Erasm. tom.* 9. *p.* 400. † *Apud Fulg sium, l.* 7. *c.* 2. *Item Zuinger. p.* 869. *in Theatro.* † *Apud Jo. Nevizanum in indice, & l.* 1. *p.* 16. *nu.* 134. *& p.* 71. *nu.* 133. Fortasse eam ob causam, quòd filium nothum habuerat, experto crede. [o] ☞ Quomodo potuerunt illi patres qui fuerunt in Nic. Synodo dare nobis legem, qui neque interfuimus neque consensimus? Item quomodo potuit eorum institutio irritare matrimonium institutum à Deo & ab Apostolis inter legitimas personas? *MS. o. p.* 160, 161. *L' observatio en ce temps la en estoit voluntaire & non forcée.* Exam. Pac. p. 45. Turpitudines & scelera quæ prætextu cœlibatus passim in oculos & aures incurrunt. *Cass. p.* 201. † Damnato Sacerdotum conjugio, Sodomia ubique per Angliam regnavit. *Ran. Cestrensis Zuing. p.* 2082. Sunt causæ non leves, cur hodie his quoque qui jam ordinati non libidine, sed conscientiâ ducti, uxores duxerunt, & ecclesiis utiles esse possunt. *Cass. p.* 201. Naturæ fragilitate & virtutis continentiæ raritate ritè pensiculatâ peritum est matrimonium, sed non obtentum, *in Conc. Trid. p.* 823. 824.

Quod si ad vivum secludantur à consortio mulierum sacrifices, præbebit causam, cur nemo charorum hominum sese posthac ordinis odiosæ pedicæ ultrò dedat, atque hic iterum salebra est. Si verò consilium est Episcopis, clero connivere, & clandestinos concubitus ignoscere, periit religio, quæ alioqui plus nimio inclinata est, ipsis Sathanæ sponte suâ traditis. Res undique plena est periculi, si quæ alia. Reclamat unus atque alter decretorum canon, ne fiat, quod est tolerabilius: at sunt [l] contra in iisdem decretis, qui nihil reclament.

[m] Quin & Æneas [n] Sylvius periculum intellexit, quum ambigeret, utrum potius statuendum: Et Joannes Faber Episcopus idemque Prædicator Evangelii scalpit caput, videlicet dicturus de connubio presbyterio, unde Titulum fecit: Dubitatio super uxore ducenda. Atque nihil dissimulans: Auribus lupum tenere, quisquis rectum in eo loco deciderit, &c. Certè qui [o] Canonem adversum conjugii honorem imposuerunt, non suspicari poterant, occasione cœlibatus tot scelestissima cleri stupra in Ecclesiâ fore.

Nec verisimile est Calixtum, si jam in terris viveret, & pudicitiam eorum coram videret, qui lux sálque plebis esse debent, temerè aliquid promulgaturum. Viderint itaque præsides Synodi, quid & quatenus, aut vetent, aut permittant. Sedent in Cathedrâ Christi, à quâ procul absunt insinceri motus. Si ipsi, quod melius esse judicabitur, sectaram

sectaram odio suppresserint, & quod nocentius, pro affectu privato decreverint, habebunt, cui decreti reddant rationem. Nos expectamus vocem ° ecclesiæ, cujus membra sumus, olim excusati, utut res ciderit.

° ☞ Sciendum est (igitur) quòd non omnes qui suscipiunt sanctos ordines, faciunt votum continentiæ, nec est votum continentiæ de substantia S. Canonum: quia Græci habent eosdem ordines quos Latini, & tamen non tenentur continere, sed habent uxores suas. (ita me docuerunt membranæ *MS. o. p. 51.*)

X. UNCTIO.

NON renitentur partes, hoc quoque mysterio uti, quòd nil minus est, quam res Scenica, si verè æstimes. Literis Apostolicis, vetustate consuetudinis, & consensu maximo commendatur. Estque ejus non minima utilitas, si ritè peragatur. Equidem nihil prætermitti debebat, quod è corpore migraturis conducere videretur. Latent plebem ea, quæ ibi geruntur ac dicuntur, nec nisi liquorem in oculis habet, quem ridiculum arbitratur, & pretium exolvendum incusat, quo queritur sacrum vendi.

Cæremonia ungendi vetus in ecclesiâ. *Ant. de Dom. l. 5. c. 10.* Neque tamen est propriè dictum sacramentum, & nihil certi habetur ex Evangelio, & in usu fuisse apud omnes Ecclesias negatur apertè in Concilio Tridentino. *Conc. Trid. p. 594.*

Quo magis curandum Ecclesiasticis, ut in posterum majore vigilantiâ atque gravitate res bona fiat, idque sine conscientiarum laqueo, quasi in hoc salus sita sit si adhibeatur, exitium verò præsens, si non adhibeatur, item sine lucro, sine testamentorum aucupio, breviter sine habendi spe, ne quid deterreat animos discedentes, in concordiæ sententiam. Aliunde alatur diaconus, quàm è sacramentorum messe. Summa dicam. Si in timore & tremore ceremonias pias fecerint Ministri, non aberit, quin fidelem populum & delectaturæ sint & ædificaturæ.

(Sed proh dolor) † neglectis iis quæ sunt veræ pietatis, plus æquo fidunt cæremoniis, quæ plus habent Judaismi, quàm Christianismi. *Querela est non nova aut infrequens apud Erasmum, tom. 3. p. 6.*

XI. ORDO.

SI Ecclesiastici non ceu cœli tertii oracula credenda nobis præcipiant, quæ de Ordine scholastica Theologia nuperis sæculis dogmatizavit, citra Scripturæ ferè & Patrum orthodoxorum testimonia, non possent non ad pacem accedere Sectarii. Neque enim non quàm plurimum opus est Ecclesiæ, ut habeat ordinatos Episcopos, utque illi rursus ordinent & constituant presbyteros ac diaconos.

In confesso est, Ordinem sacrum, & ejus gradus nullius Papæ quatriduanum figmentum esse, nec heri cœpisse Ecclesiam ordinare œconomos suos. Quid quòd ipsæ Sectæ ordinatos in Ecclesia, non ordinatis præponunt? Et plebes nullâ ferè fide, neque honore ullo dignabitur eos, qui post hos sine ordine sacrâ tractaturi sunt, cujus rei jam diu documentum dat. Irruere * jam cœperunt etiam in Ecclesias homines quidam levissimi, non prophani modò ac egregiè sæculares, verum etiam flagitiosi scurræ, nullo proposito alio concionaturi & mensam illam suam paraturi, quam ut veterem Ecclesiam subvertant, & suo ventri parent lautam culinam. Tantò melius scilicet habet nunc status Clericalis, quam antehac.

* Utpote † literas non minus scientes & inertes. *Ita Polyd. Virg. in orat. Dom. p. 529.*

† Avari ac superbi. *Germ. Script. tom. 2. in Gunther. p. 370.* † Amatores mulierum. *Laur. Sebrad. in monumentis Italiæ, p. 235.* † Qui per luxum & otium ventri vivunt. *Er. to. 3. p. 158.* † Qui militant Plutoni, Baccho & Veneri. *Her. Brulæus de militia duplici, p. 117.* ☞ Curiales vel mercatores *MS. 9. p. 139.* ☞ Qui non veniunt ad Ecclesias suas nisi tempore autumnali. *MS. 29 p. 200.* Quastu clerici, & habitu milites, *MS. 59. p. 127.* † Sacerdotes quoad verticem, cætera laici. *Eras. to. 2 Adag. 1. cent. 3. qu. 603.* ☞ Qui præsunt, non ut prosint. *Conc. Bas. MS.* † Caudaces & salaces. *Avent. l. 5. Annal. p. 386.* † Quorum sacerdotia quasi caballi empta. *Jo. Avent. l. 4. p. 33.* † Vel histrionica arte comparata. *Lilius Greg. Gyrald. to. 2. dial. 6. p. 236, & p. 318.* † Non merentibus, sed magis offerentibus data. *Jo. Lang. in chron. Cytizensi ad an. 1513.* † Nemini quamlibet indigno nebuloni modo is muneret denegare consueta. *Fr. Duarenus de sanctis Ecclesiæ ministeriis. l. 6. c. 4. p. 518.*

° Contra adolescentes promotos vide *Conc. Bas. MS.* p. 92
ᵖ Sed ob hæc & ejusmodi nefandissima flagitia discessio facta est à Romana Ecclesia in omnibus Ecclesiis Orientalibus & aliis. *Bas. MS. p.* 115. Nic. Ormannetto contra ordinatos Romæ sacerdotes, prout res nunc se dant. *Hist. Conc. Trid.* p. 717.

Prætereà si solicitè caveant Episcopi, ne tanto gregi inutilium ° juvenum ad ordinem aditus pateat, sed iis duntaxat, qui ætate, probitate, eruditione spectati satis sint, & quos poscat Ecclesiarum necessitas, non sine viciniæ bono testimonio, sed sine numerato pretio. ᵖ Tale nimirum lenire posset schismaticæ gentis implacabilitatem. Profectò bonum viciniæ testimonium, electionis atque suffragii popularis vice esse poterit, maximè ut nunc habet temporis ratio. Quid pluribus opus? Si hac in re agatur, quemadmodum olim, quum de sacerdotio Ecclesiastico ab omnibus quàm optimè sentiretur, non video cur partes dissentire malint, quam consentientibus animis studiisque communem religionem provehere. In ipsa re nihil lepræ est, sed in abusu rei: Absint somnia quorundam, absit superstitio, absit negligentia ac levitas, absit favor, absit amor habendi, & erit, quod amplectamur cleri ordinem.

Notandum, quòd juxta aliquorum traditionem, corona clericorum hinc sumpsit initium. Nam dum Petrus Antiochiæ prædicaret, in contumeliam nominis Christi, summitatem ejus capitis abraserunt, quod quidem postmodum toti clero traditur in honorem, quod Christo in contumeliam fuerat irrogatum.

Nec dignum est ut certetur de stolari pexâque togâ, & coronula tonsi verticis.
Negari certè nequit magis decere presbyteros eum cultum, quem hactenus reverenter
gestarunt, quàm scurrile istud gestamen nostræ tempestatis. Barbatos, ac apertissimis
calceis ad aras stare decorum est, sæculo isto judice, at coronula tonsa & terete ᵠ pi-
leolo ἀχήματ. Expendent, opinor, quid cui præferendum, & quanta sit necessitas Ec-
clesiasticæ Ordinationis. Videmus hodiè his in provinciis Germaniæ Sacerdotes ritè
ordinatos, mirè desiderari, adeò ut citiùs reperias, qui Carnifices, qui Lenones, qui
Incendiarii, qui publici raptores, qui delatores, quàm qui Sacerdotes velint fieri. Ingenui adolescentes, & ad hoc officium aptissimi procul refugiunt à sacris Ordinibus,
atque hos ceu mortem ipsam horrent. Interim reperiuntur inertes quidam ac rudes rerum sacrarum, quibus nihil insuper præter pretium dulce est, illos allectos ordinant.
Quum verò tales ad nullum honestius vitæ institutum idonei sunt, mirum sit si bonos
Sacerdotes præstabunt. *Sic itaque procedente tempore regetur Ecclesia ab asinis, &
prædicabunt imperitissimi misero populo, quod nunquam didicerunt ipsi. Adolescentes optimi quique propterea abhorrent ab instituto illo, quòd nolint suam libertatem
sibi eripi. Deinde verentur, ne Clericalis status occasionem vetitæ impudicitiæ
præbeat.

—— Capillorum detruncatio fit, ut ex hoc detur intelligi, quòd clerici omnes cogitationes superfluas à mente sua debent abscindere, & ad verbum Dei auditum paratum & expeditum habere, etiam omnia temporalia præterquam ad necessitatem à se penitus removere. *MS.* 21. p. 204. ᵠ Dolosè agit, qui habitum & tonsuram, & cætera quæ sunt signa quòd de familiâ Domini est, secum portat, & tamen Dominum peccando impugnat. *MS.* p. 43. Paucissimi adolescentes pietatis indole prædit, ad Theologiæ studium se adjungunt;—sed ii ferè tantum, qui opima beneficia, vitæ luxum, & splendorem ac carnis licentiam, & vagam effræremque libidinem animo præsumunt, præter nonnullos, &c. *Cass.* p. 201.

† (Nunc) sylva Judaicarum cæremoniarum agrum Dei occupavit. *Polyd Virg.* 4. *de invent. rerum*, p. 226.
† Inundatio—examini constitut. humanarum. *Er. in Matth.* 11. t. 6.

Postremò non possunt per conscientiam observationes ac constitutiones omnes tueri, ad quas sacrifici adiguntur. Homunciones contra isti quia à labore ad libidinem
proclives, & quia appetunt iners & turpe otium, irrumpunt in hoc vitæ genus. Nemo vocavit eos, nemo misit, non examinantur, non explorantur, ætas modò spectatur, & literæ commendatoriæ, ut de favore Magnatum nihil dicam. Atque eo pacto
fiunt cives, qui sacerdotio dignissimi erant, & alii contra fiunt sacerdotes, qui vix suibus pascendis erant idonei. Sal erit infatuatum, terra salsa. Nam cives Laici doctrina pollebunt præ istis ignavissimis sacrificis, & docebunt eos, à quibus doceri ipsi
debebant. Quæ consideranda ob id propono, ne Ordinatio sacerdotalis per odiosos
abusus posthac ullo modo vilipendi possit.

† Atque usque adeò stulta sunt hominum judicia, ut humanas divinis longè præferant —— & haud scio (inquit *Jac. Faber in Lucam*) an tempora nostra hac labe careant. Faciat Jesu benignitas, ut citò purgentur, & omnes cœlestem Ambrosiam, vinum semper novum, vinum Evangelicum bibant, p. 362. Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes Nobæ: Doeg Idumæus idem, motus terreni consensu, Sacerdotes nostros invadit, unde & alibi dicitur, quasi vacca lasciviens declinavit Israel: idem vir videns Deum, Prælatus scilicet Ecclesiasticus. Hujusmodi igitur vituli occidendi sunt, eò quòd pingues sunt: Unde & Petro dictum est, Macta & manduca. *MS.* * p. 21. Vis ergo aptius discernere inter Sacerdotes Christi & Sacerdotes Pharaonis? Cùm videris Sacerdotem plus intentum ruri quàm legi, plus curam agere agri quàm animæ, audacter de eo pronuncia, quòd sit Sacerdos Pharaonis, *MS.* * p. 25.

XII. VITA.

XII. VITA.

ECclesiastici diligentiùs docuerunt bonam vitam, quàm Sectæ, è quibus Lutherana tantum non dedocuit tum vitam bonam tum opera bona. Pars Zuinglii aliquanto plus exegit à credentibus pia facta. Anabaptistæ videntur omnium diligentissimi esse in docendâ vitâ, si in sinceritate & veritate fieret, quod agunt. Profectò vel horum lucrifaciendorum gratia, si non alioqui summa lex Dei Opt. Max. ad id quàm vehementissimè urgeret, omni curâ ac labore insudandum est Ecclesiasticis, ne quid frequentiùs, fideliùs, severiùs inculcent credentibus, quàm Christanam conversationem & bona opera. Erunt tandem nobiscum homodoxi Lutherani, ubi scilicet satis ematuruerit dogma falsæ libertatis. Retinctores hâc unâ duntaxat parte sapiunt, tenentes doctrinam Ecclesiæ Catholicæ: Helvetii sine magno negotio invictissimæ sententiæ subscribent, & illud universi simul perpendent (O utinam) nempè tum demum optimè cum Ecclesia agi, quum optimé conversentur ejus filii, & filiæ. In hunc finem, mihi crede, omnia desinunt, quæcunque docet, quæcunque facit Ecclesia; quando quidem neque in verbo, neque in Ceremoniâ regnum Dei est, sed in virtute fidei & vitæ.

Docent Lutherani, quòd & Protestantes sedulò faciunt. † Justus ne in operibus confidat quantumcunque bonis. *In Ind. Chrysost.* † In bonis operibus inesse nonnihil mali — quamvis ex gratiâ Dei non imputetur. *Ita idem in c. 2. Matth. p.* 180.

† Instigantur Prædicatores, ut liberè hypocrisin bonorum operum damnent. *Vatablus in Is. cap.* 58. *in marg.* Cæteroqui communis opinio est apud verè protestantes, ut verè ambulemus in iis—qui bona opera non habet, testatur se fidem in Christum non habere. *Vatablus in Eccles. c.* 9. † Bona (inquam) opera non præcedentia quod meruit (justificatus) sed consequentia quod accepit, ostendunt. *A. Guilliardus in ep. ad Rom. c.* 4. *p.* 22. Ita totum gratiæ Dei debetur, non meritis nostris. *Ib.* † Purgant opera legis, fides convertit: justificatio illuminat opera tenebrosa, purgatio fidei applicatio, justificatio mundicia illuminans, & omnia serenans. *Jac. Faber in ep. ad Rom. c* 4. *p:* 76. *nu.* 29. † Beatus cui viva obtigit fides, & qui gratiâ, non operibus, etsi maximè adsint opera, vivit. *Jac. Faber in Matth. c.* 3. p. 26.

XIII. JEJUNIUM.

ECclesiæ cum partibus convenit de Jejunio, tametsi ægré. Nam apud has non optimè audit inediæ vox. Verùm de tempore hujus nondum convenit. Partes asseverant omne tempus esse Jejunii tempus. Idem non inficiatur Ecclesia. Sed sub hujus verbi lenocinio latet periculum. Imò jam apparet, quando pro omni nullum tempus Jejunii est. Is est affectus mutati moris. Ea est sapientia nostra, quâ præjudicabamus priorum constitutis. Cur igitur, re expensâ, non redeunt ad id quod fuisse optimum jamjam elucescit? Quoniam verò Tesseracoste sive P Quadragesima authoratæ consuetudinis est, quæ certò de Traditione Apostolicâ manavit, & plurimùm prodest mortificandæ carni tot dierum abstinentia: Christianè fecerint Partes, si eam unanimes restituant. Impetret hoc Politia, si non religio, siquidem non feret diu abliguritionem immanem, non necessariam, & sunt multi qui saturi licentiæ Evangelicæ, abstinentiam serò probare cœperunt. Si pudor obstat, cogitent, pudore quàm concordia cedere præstabilius esse. Imò nullus pudori locus est, ubi de causa Dei agitur. Consentiant item in Jejunia per singulas hebdomadas sparsa. Nam amentiæ sit, sesquimensem modo Jejuniis aridos esse velle, reliquos verò totos crapulare, id quod nobis nunquam planè licet.

☞ Tunc præclara apud Deum abstinentia corporis, cùm animus jejunat à vitiis. *Phil. Repington. MS.* p. 145. ☞ (Jejunium verum) non abstinentia ciborum, sed mortificatio vitiorum. *Ita MS.* * p. 222. ☞ Hoc magnum & generale jejunium est, à carnalibus voluptatibus peccati abstinentia.

bus abstinere. * p. 249. † Cui concinit *Marcus Eremita in BB. PP. tom.* 5. *col.* 85. *nu.* 24. Dicenda † virtus est nentia. † Cæterum quamvis ciborum observatio à Christo sublata sit. *In Indice Chrysost.* Et † suadenda, non præcipienda. *Ib.* † tamen ciborum delectus rejectus ex admonitionis div. exemplo memorabili. *Jo. Lang. Annot. in Nicephorum.* † ☞ Quando jejunia fiunt superstitiosa, abstinendo à quibusdam cibis communibus —— minimè parabilibus quamvis voluptuosis: sed aliis cibis æquè voluptuosis & magis sumptuosis utuntur. *Gu. de sancto Amore.* P † De jejunio quadragesimæ quidnam sentiendum sit. *Vide* † *Er. tom.* 9. *p.* 400. Id est, diebus Veneris & Saturni, & vigiliis Sanctorum. † Nunc & Mercurii dies periclitatur. *Er. to.* 9. *p.* 400. *modò ex sententia Erasmica.* † Nullum certum cibi genus præscribatur—quisque pro corporis habitu vescatur quæ maximè conducunt bonæ valetudini, *Er. tom.* 9. *p.* 74.

Sunt certi dies inediæ dicati, quos omnes in memoriâ habemus, si in ventre habere-mus. Hos ob tranquillitatem stabiliendam volentes observemus, recordantes, non satis jejunare posse sponsam ablato sponso. Porrò æquitatis contra fuerit, ut Primates Ec-

Ceste ordre a engendre la superstition, & pour eviter la superstition, l'ordre peut estre change. Exam. pac. p. 67. † Minus oneris olim impositum Judæis. *Er. to.* 9. *in dial. qui dicitur conviv. Prophetarum.* † Quando nec ætate subvenitur, nec morbo, *Er. tom.* 6. *in c.* 11. *Matth.* ☞ Volumus hominem jejunare, ut cogatur vitiis mori, non ut cogatur nostra dissolvi, *MS.* 59. *p.* 5.

clesiastici remittant aliquid de severâ istâ obligatione atque obstrictione conscientiarum propter cibum. Ne statim posthac ad lanienam trahatur, qui vel invitus collapsæ valetudini esu promiscuo medetur. Meminerint Christianos non esse Agarenos, nec omnibus opiparè pisculentas splendere mensas contingere.

Laudo publicitùs indictam à carne abstinentiam ob multa commoda: valdè tamen cavendum, ne superstitiosorum Judæorum similes efficiamur, & ne innitamur operi. Tolle fiduciam jejunii, & heremiticæ mensæ opus firmum maneat. Laudo si quis ipse sibi amplius indicat, quàm indixit Ecclesia, quò magis cicuretur Adam. Quo minus improbandi sunt prisci Fratres, qui prorsus carni vinóque corpus suum subduxerunt. Cum primis verò stata Jejunia agamus unanimiter, & iidem omni tempore moderatè victitemus, ᵃ áque vitiis soliciti jejunemus. Cæterum de citationibus, quas Sectæ miserabiles adversus hanc observationem intruditis, securi sumus. Neque enim vel tantulum explicaveritis. Scripturæ instrumento propugnantur magis Ecclesiasticæ traditiones tales, ad ædificationem corporis Christi non injuria superadditæ, quàm oppugnantur. Idcirco favete paci, & qui eundem cum Ecclesiâ Christum creditis, ejusdem cum eadem vestigia sequimini.

Les Huguenots approuvent, moyennant que ce sont par discretion, & non par conscience. Exam. Pac. p. 46. † D. Bernardus accusatus, quòd corpus suum nimia abstinentia reddidisset imbecille. *Auctor vitæ, l. 3. c. 6 apud Zuing.* p. 1503 ᵃ † (Quia) † jejunium sine operibus misericordiæ nihil est. *Vatab. in Zach. c.* 9. Sed † jejunium impiorum, & non jejunium Dei. *Vatab. in c.* 58. *Isa.* Et peccator jejunans dæmoni similis est. *S. Elig. hom.* 11. *BB. PP. tom.* 2. *col.* 513.

XIV. ORATIO.

Quò segniùs de Oratione in gratiam redeant cum Ecclesiâ Partes, facit intercessio ᶻ Divorum. Alioqui convenit inter eos, orandum esse, licèt eæ, dum sanare conabantur orationem, totam ferè occiderunt. Certè exulat magnâ ex parte à populo novæ libertatis oratio, & eò succrevit fastidium hujus, ut hypocriticum sit, prolixius orare. Sed ingredior querelas meas non in loco. Quid verò consilii dabitur, ut non prorsus sublata intercessione, amicitia inter nos sancta fiat? Ecclesiastici ponant modum dogmati suo, & non faciant articulum Symboli, ex pia persuasione. Partes non vociferentur impium, quod est probabile, nec obturbent cupientibus suis precibus intercessionem cœli civium accedere. Æqua ni fallor hæc conditio est, quam si utrique accipiant, atque ea non refugiant, pax est. Citationes ab utrisquè gnaviter contortæ, ventis committantur, sit ἀμνηστία inducta, non in ædem Telluris Rom. sed in Ecclesiam Christi Opt. Max.

ᶻ † Christo neglecto mater ejus invocatur. *Nota marginalis apud Crantz. Metrop. l.* 11. *c.* 15. *p.* 301. *nigro carbone notata.* † Tituli Mariæ tributi vix inveniuntur in canonicis libris. *Eras. t.* 9. *in Naufragio.* † Multi magis fidunt præsidio Virginis Matris aut Christophori, quàm Christi. *Ib. in declarat. ad* 68. *&* 69. *tom.* 9. *Adorent avec pareille devotion, nostre Dame, & les autres Saincts, que Dieu mesmes de maniere qu'à grand peine (voire par le jugement des Catholiques) les Catholiques mesmes peuvent eviter Idolatrie.* Exam. Pac. p. 21. † Nihilo pejus ageretur cum religione Christiana, si paulò minus tribueretur invocationi divorum, quàm tribuitur à nonnullis. *Er. in Dial. qui dicitur Naufragium.* † Et Sancti & Angeli clamant, Deum adora. *Jac. Faber in Marc. p.* 317. † Quid facitis vobis patronos, & non confiditis Domino, domus sine patrono, magis patrono quàm Domino confidentes. *Jac. Faber in ep. ad Hebr. c.* 3. *p.* 385. *Dominicus à Soto, nie que les Saincts au ciel prient pour les ames.* Exam. Pac. p. 21.

Præterea communi consensu damnetur barbara superstitio magicarum precum, atque ᵃ consecrationum prophanarum. Tollantur oratiunculæ quas somniarunt ad colum vespertinam anus, aut deliri Monachi, nam talibus plus creditur atque Evangelio, & quarum efficacia stulti heu nimium sibi pollicentur. Nihil eximii promittatur semper orantibus, & nunquam Christiane viventibus. Valeat eadem subinde ᵗ repetita precatio, utpote quæ sit instar obsecrationis ex omni affectu urgentis atque instantis: ejiciatur tantùm oscitantia, properatio, ostentatio, nausea, opinio ᵛ sanctitatis. Confido in hujusmodi utrosque facilè assensuros.

ᵃ † Dubitatur à viris doctis, quibus verbis consecratio facta sit. *Er. to.* 9 *p.* 68. ᵃ Contra missæ arcana. *Bodin. Meth. Hist.* p. 73. ᵗ † Muliercularæ neniæ sacris admixtæ, *Er. tom.* 6. *in* c. 6. *Mat.* p. 54. † Divinæ precationis nugæ assuetæ. *Ib.* † Ad calculum hypocritarum præcipua fucosæ bonitatis instrumenta. *Polyd. Virg. de invent. rerum l.* 5. *c.* 9. *p.* 347. ᵛ † Monachi orando etiam simulant sanctitatem prolixitate orationis. *Gu. de S. Amore. MS.* † De precibus prolixis, ineptis ac ridiculis. *Er. t.* 6. *in c.* 6. *Matth.* † De legitimo precandi modo. *Polyd. Virgil. in Dom. orat. in proœmio.*

Agnoscant interim Sectæ, quantum incommodarit rebus sacris sua ista Tartarea furia, cujus obtentu bona pars piissimarum orationum ab animis, adeóque à memoriâ Christianorum pulsa est. Ferre tales poterat Dominica precatio, ferre poterant & Davidicæ precationes, at istis nostris nihil placuit, nisi aut suum, aut sui prorsus simile. Quod mihi scomma interim condonabunt.

XV. STIPIS.

XV. STIPIS.

CONsentitur de Stipe publica. Ecclesia hactenus vario stipendiorum genere juvit egenos suos, cujusmodi si exaugeret magis quàm diminueret, non video cur abroganda ea sint. Pars Lutheri Cistam posuit, & suos habet loculos vulgò infames, ingenti jactantiâ magis quàm fruge.

Nolo hic commemorare, quàm non Evangelicè res agatur. Quo magis sibi in hoc displicere debebat Secta, & se universitatis judicio submittere. Cistam igitur aut de suo impleat, aut è medio auferat, & subveniat pauperibus meliore modo. Scripturæ Lutheranis citatæ Cistam novam non tuebuntur. Catholici sic sese effundant in pauperes, ut pudefiant cistarii, atque ita utroque modo benefiet pauperibus. Cista sponte suâ intercidet, ablatis alienis. Nam nemo ferè è grege libertatis vel quadrantem injicit, nisi quod Mammonarii è bonis malè partis aliquando largiri videntur. Quare consultum foret, ut iisdem rationibus ab utrisque publica largitio, & ea dives, dispergeretur in carnem nostram, pauperes.

Præstereà ut Prochodochia unà cum Xenodochiis reformarentur, nempe ut iis servirent, à quibus nomen habent. [w]Majores non præviderunt, tam malè dissipatum iri, quod illi benè locarunt. O Primates, O Theologi, expergiscimini ad causam pauperum. Nam nisi illis prospiciatur, Deum tot Ceremoniis frustrà coluerimus. Crescant tandem stipendia atque præbenda pauperum, posteaquam ad supremum excreverunt [x] sacerdotales Monasticique proventus, quibus etiam adjicitur, quod pauperum erat, ne quid ii habeant, & ne quid illis desit. Gehenna vos certa manet præsides Ecclesiæ, nisi hîc vigilaveritis, pauperum memores. Porrò de privatis Eleemosynis hic non loquor. Eas cuique Christianorum curæ erit ne vel petenti deneget, vel egenti subtrahat.

[w] ☞ Aliud etiam imminet periculum clericis beneficiatis: scilicet quòd tenentur Domino rationem reddere de bonis Ecclesiæ quæ expendunt, & dispensatio bonorum eis tradita est, ut sint dispensatores pauperum, & de bonis Ecclesiasticis ipsi provideant Ecclesiæ & pauperibus, maximè qui sunt de parochiis suis, quorum prius receperunt eleemosynas & oblationes, & residuum sibi reservent ad suas necessitates, non ad luxuriam & voluptates. Prælati autem è converso bona Ecclesiæ expendunt in lasciviis & seculi vanitatibus, & propriis militant stipendiis in Principum Curiis, ut ampliores reditus percipiant, & faciant sibi phiolas aureas, & deargentatas, & ornamenta pretiosa, & meretricibus dant & histrionibus, & de omnibus talibus expensis Deo respondere debent. *MS. o. p.* 129. [x] ☞ Clerici, qui nihil possidere devoverunt, omnia possidere præsumunt. Non laborant, non arant, non seminant, non ædificant, non navigant, non pugnant, & ut verbo utamur Psalmistæ, In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. *MS.* 29. *p.* 324.

XVI. CANTUS.

NON longè dissident in sacra canendi consuetudine. Id solùm est eis controversum, qua lingua cani debeat: Catholici [y] Latinâ, Partes Germanicâ delectantur, sed eæ satietate propemodum languescunt, quando placere desiit, quod novum esse desiit. Existimo autem multum adjumenti ad concordiam allaturum, si iterum posita pertinacia utrique aliquid de suo concedant. Catholici donent, ut ea quæ Latinè canuntur, leguntur ac aguntur, non rarò plebi per doctum Sacerdotem è suggesto Germanicè exponantur, id quod nonnullis ante hanc quoque tempestatem familiare fuisse audio. Insuper ut plebes interdum nonnihil suâ [a] linguâ [b] occinere permittatur, maximè Symbolum, [c] idque ex veteri more, præter eas Odas [d] quas sibi solennia per annum vendicant.

[y] † Romanis similes, qui devictis provinciis Latinæ Jurisdictionis frænos injiciebant. *Zuinger. in theatr.* p. 1101.

[a] † Cyrillus contra Pontif. sententiam obtinuit sacra patrio sermone. *Ran. Hyden. l.* 5. *c.* 32. *Ant. tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. *Z. pag.* 4107. *&* *p.* 4146. & ut satis cuivis fiat in hac questione legatur. *Ant. de Dominis, l.* 7. *cap.* 12. *sect.* 99. *Hist. Conc. Trid. p.* 430. [b] † (Quid quòd) cantantur Psalmi in cœnobiis sine intellectu, sine eruditione, & quod pejus est, mente, *Jo. Casp. in Austria, p.* 601. De ps. lingua nota. *Conc. Trid. Hist. p.* 450. [c] ☞ Circa fidem inquirendum est, utrùm sciant Symbolum Apostolorum & Orationem Dominicam, *MS. o. p.* 108. ☞ Laici debent scire quæ erant necessaria ad salutem, ut præcepta Decalogi & hujusmodi, quæ debent fieri ab omnibus, sed subtilitatem Scripturarum & Prophetiarum dicta ignorantur, *Phil. Repington, MS.* p. 485. *In Hist. Conc. Trid.* Quid aliud desideratum est à Polonis, p. 399. à Cardinale Lotharingiæ nomine Reginæ matris, quæ hac de re scripsit ad Pontificem Romanum (exemplar literarum extat in hist. Thuani: quid dico extat? extabat olim, sed cautum est ab Inquisitoribus ut dispungatur.) *Conc. Trid. p.* 653. & à Jo. Moulucio Valentiæ Episcopo: quid multa? Regina mater extunc malè audiebat apud Pontificem, Polonorum petitioni quamvis justissimæ minimè assensum est: Moulucius Episcopus & Lotharing. Cardinalis vix ac ne vix quidem evaserunt laqueos vel potius tyrannidem Inquisitionis. *Conc. Trid. Hist. p.* 461. *&* *p.* 633. *p.* 450. [d] ☞ Turpissimum & damnabile est (laicis) quòd ipsi bene sciunt cantilenas vanas & gesta Caroli & aliorum Principum, & nesciunt rectam Fidem & gesta Salvatoris, *MS. o. p.* 108. ☞ Cantilenæ amorum sunt evangelia dæmonum, pater noster simiarum, oratio reproborum, *MS. o. p.* 332.

vendicant. Tale multum frugis Religioni nostræ adtulerit. Partes contra redeant ad Latinam consuetudinem, ipso Catholico Cantu cum tota universitate contentæ. Expertæ omnino illæ sunt, facilem esse mutationem recepti, at suppositionem melioris difficillimam. Quanquam verò optandum est, ut Ecclesia purgatissimum [e] cantum habeat, non paulò tamen satius esse arbitror, præsentem tueri, si aliter fieri nequeat, quam Schismaticum recipere. Equidem nihil est quod perinde offendat Partes ac cantati Divi. Æquum namque fuerit, ut si quid intolerabilius inexcusatiusque hac in re deprehenderint Ecclesiæ Judices, id ob pacem sarciendam, & ob amorem sincerioris Christianissimi resecent. Judicium omne penes partes non sit, alioqui nihil non resecaretur, quod laudem sanctorum Dei saperet.

[e] Sunt multi Sacerdotes & alii Clerici qui ita psallunt in Ecclesiis parochialibus, quòd non dicunt nisi vix principium & finem versus: unde tales non dicunt Psalterium vel Psalmum David, quia David nunquam fecit illud Psalterium, vel illum psalmum, quem ipsi dicunt: nec exaudiet Deus talem Psalmum qualem ipsi dicunt, quia nihil significat, nec est Psalmus, & ideo tenentur totum iterare, & *Deo* restituere dictiones & syllabas quas furati sunt, *MS. o. p.* 110.

XVII. HORÆ.

SI verum est, quòd censuit vetustissimus Poeta, nempe moribus antiquis rem Romanam stare: Si laudatur sententia Lyrici, eum esse virum bonum, qui consulta Patrum, qui leges juraque servet: Quæ, rogo, dementia est, nos Antiquitatem nihili facere, quum literis sacris etiam liqueat, antiquas semitas præ novis disquirendas esse? Omninò res Christiana sancta Antiquitate stat, nec ruinosa rectius reparabitur, quam si ad originem suam censeatur, ita enim cum Tertulliano loqui libet. Proinde traditio vel non scripta de observandis septem horis, observatione tamen defensâ & confirmatâ consuetudine, non usque adeo displicere partibus debebat, siquidem in eum finem pleraque aguntur, qui piissimo cuique favorabilis est, videlicet laudis Dei nostri. Nec potest non esse optimum, media de nocte consurgere ad confitendum Domino, aut certè sub diluculum. † Tot horæ dantur nocturno somno, diurnæ quieti, manuariis operis, agro, quæstui, itineri, libris, pulpitis, rumoribus, colloquiis, calumniis, consultationibus, imaginationibus, bellis, litibus, deambulationibus, morbis, jurgiis, ludis, nugis, culinis, facetiis, poculis, amoribus, pompis, lachrymis, gaudiis, mœroribus, munditiis, equis, canibus, avibus, hortis, ripis, nemoribus, lavacris, comptibus, myrotheciis, choræis, palæstris, (non mihi tempero quin hic exclamem: O curas hominum, ô quantum est in rebus inane) & horulæ inventæ non sunt, quas Deo tuo impertias? Illud modò curetur, ut preces ac laudes istæ horariæ decentiùs magisque piè agitentur, quàm eas hactenus sueverunt frigidissimi templarii agitare. Absit bonæ rei turbatrix festinatio, absit tædium, absit singularis justitiæ opinio. Adsit verò alacritas, adsit cum ore cor psallentium, canatur ac legatur articulatim, explanatè & reverendo gestu ad ædificationem orantis interea Laici.

† De 7. horis Canonicis *vide Ant. de Dom. l. 7. c. 12. sect.* 101. ☞ De horis nihil amplius dicam, tantùm recensebo lepidam historiam ex *MS.* ut quæ sit omnium optima, si velitis bonas horas malè conterere, planè intelligatis. Sic se habet: Magister Gilbertus Porretanus, cùm esset in consortio cujusdam Episcopi, & ille Episcopus diceret horas suas in itinere, & nihil daret pauperibus: M. Gilbertus, statim cùm Episcopus incœpisset aliquam horam, vocavit aliquem pauperem, & dedit ei argentum, & prætermisit horas episcopi. Cùm autem episcopus eum super hoc increpasset; respondit, Tu dixisti horas, & ego feci, *MS. o. p.* 55. ☞ Contra transcurrentes horas, *Bas. MS. p.* 202.

Non necesse habeo pacificandi modum addere Musici organi causa. Amant Lutherani, minimè Lacones, præ aliis Siphones, adeò, ut istuc primum fuerit, quod abjectum recepere. Melòs varium Ecclesiæ concedi poterit, si Deo magis quam nobis in hoc deserviatur. Alioqui si voluptas aurium quæritur, magis conveniebat, ut in orchestro, quam in Templo moles Theatralis musæ istius penderet.

☞ Miram musicæ scientiæ potestatem super omnes scientias laudat *Rogerus Bacon, p.* 175. Attamen musicam lascivam in Templis insectatur acerrimè *Bacon. p.* 173, 174, 175. Eodem modo invehunt Patres Tridentini in cantiunculas lascivas admixtas musicis organi, *Conc. Trid. p.* 574. ☞ Contra cantum delicatũ *vide MS. o. p.* 331.

XVIII. FUNUS.

XVIII. FUNUS.

HOC unco Partes quam validiſſimè à conſenſu detrahuntur. Quare ſi pax amabilis componenda eſt, neceſſum erit, ut Catholici circumcidant funeralia. Vix eſt moleſtior purulentia in toto ſtatu, atque hæc. Nihil æquè deturpavit totum Cleri ordinem, inque implacabilius vulgi odium adduxit, atque id vitii. Sed quid non facit auri fames? Si igitur adhibeant negotio non limam ſed falcem, forte mitigaretur quorundam ira fortaſſe juſtior, quam religioni conducit. Meminerint temporibus Patrum non ita quæſtuoſa fuiſſe Chriſtianorum cadavera, pſallendi verò, orandi atque conſolandi morem, ſi quis diem ſuum obiiſſet fuiſſe. Quin igitur Majorum veſtigiis incedant, qui Majores ſæpe non injuria in ore habent, non addentes malum, ſi nolint, aut non poſſint bonum addere.

a † (Quum) Eccleſiæ legata magis offerenda ſint quam exigenda. *Eraſ. in vita Aug. c.* 24. *p.* 602.

☞ Per confeſſionem quibus ſe ingerunt immenſa ſibi legata relinquunt. *Gu. de S. Amore.* † Extat lepida hiſtoria cujuſdam prædivitis qui multa donarat S. Franciſco & Dominico, quem poſt legatum virum humare voluerunt. *An. Ceſte commemoration — a engendré la priere pour les morts, ceſte priere a produit le Purgatoire, le Purgatoire les pardons, & les pardons ont apporté l' argent aux coffres du Pape,* Exam. Pac. p. 65.

Neque errat neque peccat Eccleſia pro filiis ſuis orans, ſive in corpore ſive extra corpus illi ſint. Præterea, non Pontificium inventum eſt, exorare pro mortuis, ſicuti non novum eſt, oblationes & eleemoſynas pro iiſdem largiri. Revolvant Partes Apoſtolicorum virorum Scripta, qui & ipſi ſpiritum Dei habuiſſe putandi ſunt. Circumſpiciant pauliſper curſum ſuæ fabulæ, & ipſi ſibi ſobrietatem imperent. Si corrigantur acceſſiunculæ, nulla cauſa remanſerit, cur concordiam detrectent. Utinam verò ſic vivatur inter Chriſtianos, ut precatione dormientibus non ſit opus. Certè qui impœnitentes hinc decedunt, niſi futurâ precatione, operibuſque alienis, non tutò decedunt, vel Hieronymo teſte.

Cæterùm vetus contentio eſt de Purgatorio igne. At meâ ſententia melius ageretur cum rebus Eccleſiæ, ſi vitam hanc ocyſſimam ita viveremus, ut non ſit cur metueremus à pœna. Qui potiſſimum de hoc diſputant, ferè ita vivunt, ut citius in Gehennam quàm Purgatorium ſint involaturi, ab utroque futuri tuti, ſi cum Scriptura, & priſcis Patribus purè ſentientes, Chriſtum viæ vitæque ducem recta ſequerentur.

† Presbyteri orationem pro mortuis damnant. *Chryſoſt. in Indice.* Et † mortuis nullam curam ineſſe de vivis *docet Er. in indice Aug.*

† Rectè Greg. Neocæſarienſis, Verè ſentiunt qui ſublatas volunt preces pro defunctis. *In Metaphraſi eccleſ. c.* 9. *col.* 97. *to.* 3. *BB. PP.* † Purgatorii apud priſcos nulla mentio. *Polyd. Virg. l.* 8. *c.* 1. *p.* 484. † Dubitat de eo Aug. *Er. in Indice.* † De Purgatorio dubitant viri docti ac pii, *Er. tom.* 9. *p.* 685. A Cacologis non à Theologis excogitatum. *Ant. de Dom. l.* 5. *c.* 8. *ſect.* 39.

Erat igitur cautius diſputandum de eo, quod Deus in univerſum ſcire nos noluit. Nam ut maximè ſint loci purgabiles, ſic enim loquitur Bernardus, qui excipiant corpore nudatas animas, non tamen decebat ſapientes ac graves viros, tam certò omnia definire & metiri, quod Scripturæ Dei non ſatis expreſſerunt, nec Antiquorum Traditio expoſuit. Neque enim nitendum eſt Allegoriis Ambroſii & Gregorii, præſertim cum Regula Theologiæ habeat, Allegoriam non probare.

S. Aug. le fait une choſe probable, & non neceſſaire,— outre-ce que les Catholiques meſmes n' en ſont pas d' accord, entre eux. Exam. Pac. p. 34. Animarum loca certa aſſignare impoſſibile, *Ant. de Dom. l.* 5. *c.* 8. *ſect.* 122. Res eſt difficultatis plena, verbis idoneis definire Purgatorium, *Hiſt. Conc. Trid. p.* 799.

Piè creditur locus eſſe in quem deferantur, pro quorum peccatis exorat Eccleſia, ſed ubi, qualis, quibus tormentis inſtructus, quo fine circumſcriptus, nunquam fuit cognitum, nec nos ante ſciemus, quam illuc devenerimus. Proinde ut in unum coaleſcant Chriſtianorum animi, temperent ſibi Theologi ab immodica aſſeveratione & qualitatum deſcriptione. Lutherani contra temperent ſibi ab audaci & pertinaci negatione, ac convitiorum diritate. Recolat Lutherus verba ſua: Ego credo Purgatorium eſſe, & conſulo ſuadeoque credendum, ſed neminem volo cogi. Hæc ille. Græci forſan non uſque adeò refragati noſtris fuiſſent, ſed illæ parum probabiles circumſtantiæ quorundam Scholaſticorum abalienarunt eos. Summa, qui ſimplici credulitate hujus rei contentus, nec altiora, nec inferiora ſe rimatur, ſed obedit voci domini corde & opere, is omnium optimè fecerit.

XIX. DIES.

XIX. DIES.

PArs Lutheri accipit causam, ob quam operæ pretium sit, ferias interponi. Cæteræ Partes valdè oderunt ferias, non tam quod dicuntur constitutionis esse humanæ, quam quod fomenta sunt plurimorum flagitiorum. Ecclesiastici in otia ista propensiores, plus æquo exigunt, nempe, ut quarta fere pars anni feriatiunculis conteratur, non inexperti, quo id Ecclesiæ dedecore, & animarum dispendio. Eapropter ut fiat æquabilitas, demant ii aliquid de multitudine Festorum, illi verò nonnihil ad paucitatem addant.

† De vigiliarum abusu. *Er. schol. in tom. 2. Hier.* Ep. adversus Vigilantium, *p.* 4. Contra festorum multitudinem, *Fel. Hemerlin. p.* 40. 2. De festis inutilibus, *Ant. de Dom. l.* 3, *c.* 9. §. 9. † Sunt & apud Christianos, qui in his rebus Judaizant, plus tribuentes quàm oportet. *Er. tom.* 9. *p.* 406. ☞ Sciendum est, quod in multis locis prava est consuetudo ubi conveniunt in festivitate alicujus Sancti lascivæ mulieres & stulti adolescentes, & tota nocte cantant in cœmeteriis, & in Ecclesiis lascivas & Diabolicas cantilenas, ducendo ibi choreas suas & multos alios turpes ludos exercentes, omnia talia cum magna diligentia prohibenda sunt, si fieri potest, *MS.* 30. *p.* 15. ☞ Peccatores in diebus solennibus magis se applicant lenociniis & ebrietatibus, *MS.* * *p.* 290. ☞ Nunc plerique dies festos expendunt in rixis & litigiis, potionibus & luxuriis, frivolis & choreis, &c. *MS.* 29. *p.* 350.

Cogitent Catholici, non veteris sæculi esse, tot feriis tempus terere. Adimatur gravissima obligatio conscientiæ & fiducia. Substituatur lex charitatis & necessitati pauperum nostrorum non obsistatur, ne videamur Judaizein. Neve perpetuo nobis objiciatur ex Augustino, Judæorum conditionem nostrâ tolerabiliorem esse. Porro quæcunque restituentur, sic consumere plebes doceatur, ut bonæ menti harum occasione aliquid adcrescat, nihil decrescat. Et in illis duplicentur sacræ conciones. In illis vulgentur patria lingua, quæ Ecclesiis populo non intellecta cecinit, ut divis dicti dies, gloriam Deo, & hominibus Pietatis segetem afferant. Hos dies Sectæ ultro recipiant, ne benè sopita discordia ob medium tale resuscitata exasperetur. Tantum obviam eatur salacissimis choreis, scurrilibus ludis, turpissimis ingurgitationibus, insanissimis clamoribus, ac tumultibus, publicis scortationibus, &c. ne ecclesiasticam legem servantes, divinam violemus. Id quod num decus Ecclesiæ sit, num voluntas Dei, num honor sanctorum, num ædificatio populi, alii judicaverint. Hebdomadam magnam, sic enim vocat Chrysostomus, quam nos charam, propter multas commoditates Sectis quoque observandam duco. Semper satius est precari, quàm nugari; & meditari, quàm otiari. Ad hæc malim theatrica illa de Domino, quæ in templis (utinam sine superstitione) aguntur, quàm comœdias circulatorias, ac Saturnales ludos in libertate Decembri.

☞ Non curant de festo Domini, sed de festo Diaboli, (magis) de lasciva cantilena quam de una missa, de dissolutis ludis quam de bonis Sermonibus, *MS.* 41. *p.* 27: ☞ Quiescere faciunt & cessare de terra dies festos Dei, & convertunt eos in ritum & festivitatem Diaboli, *Phil. Repingdon. MS. p.* 41. ☞ In talibus festivitatibus Jesus sæpe perditur. Quamvis enim constituta fuerint ad salutem animarum: tamen plures eas convertunt ad corporis voluptatem, *Id. MS p.* 47. ☞ In his sic regnant gula, luxuria, detractiones, furta, perjuria & homicidia, quod amplius tempore hoc quam tempore feriali communitas est polluta, *Id. MS. p.* 194.

XX. IMAGINES.

REligioni habendam ædem, in qua quotidie sacra faciant ministri, ne Partes quidem negaverint: Atqui eæ templa sua temerè deformarunt, ut balnearia hypocausta citius videri queant, quam Templa. Catholici contra ita decorant, quasi summa sit necessitas, atque ita neutra pars modo servando studet. Ista deformis ac vasta inanitas aliis scandalum offert, aliis delectationem aufert, multis etiam ciet bilem, movet autoribus commeritam invidiam, inter omnes rixam serit.

Adversus sumptuosa ædificia & ornatum Templi scripserunt varii docti & cordati viri. † *Polyd. Virg. l. de Invent. c.* 12. *p.* 422. † *Lact. l.* 6. *col.* 246. *to.* 8. *Bibl. PP.* † *Erasm. Schol. in Hier. p.* 94. † *Jo. Nevizanus in Sylva nuptiali, l.* 2. *p.* 165. *MS.* 64. Quamdiu — serico, auro & gemmis ornatæ statuæ in Templis, & Aris constituuntur, superstitionis finis sperandus non est. *Cass. p.* 179.

Ille

Ille verò longè ſumptuoſiſſimus ornatus præter ſcandala, trahit poſt ſeſe pauperum gemitus, & nonnunquam famelicis nudiſque lachrymas excutit, ut ſine peccato eſſe vix poſſit, maxime ſi neglectis egenis, id ſolum agitetur, ut omnia niteant gemmea, aurea, holoſerica, marmorea. Si tale probant veteres, præcipuè Chryſoſtomus, Lactantius, & Bernardus, non renitor, ut non merum aurum ipſi etiam parietes ſint. Ponderetur ſeriò, num tale deceat Religionem noſtram, cujus ſumma lex eſt, beneficæ dilectionis, quæ Chriſto Jeſu, legis autori, potior eſt, atque delubrum ex mero obryzo topaſiove, ſolidis Sapphiris ac ebore conſtructum.

Admonent idem Sectæ, ſed prætexentes dilectionis legem, factis propalam contradicunt legi, & vociferantes: In Templo quid facit aurum? Sibi uſurpant aurum, pauperibus cum ſua dilectionis lege vix relicta ſcoria.

☞ Sequitur ad ſimulachra muta] Ecce mentis hebetudo, ſecundum quod dicit *Ambroſ. ſuper illud, Rom.* 1. Mutaverunt gloriam Dei, & iterum, Ecce quanta hebetudo, quanta ſtultitia eorum, apud quos plus poteſt imago quàm veritas? *MS.* 24. *p.* 81. *Conc. Trid. hiſt. p.* 296. Quantum veteres initio Eccleſiæ ab omni veneratione imaginum abhorruerunt declarat unus Origenes, &c. *Caſſ. p.* 168. Fortaſſe optandum eſſet, ut Majores noſtri adhuc in priſca illa majorum ſuorum ſententia integrè perſtitiſſent, &c. *Caſſ. p.* 175. Gallici in Conc. Trid. damnant imagines Trinitatis, abuſum quemcunque imaginum, oblationes quæſtuarias, & id genus vitiorum. *p.* 479, 531, 654, 470.

Sed, ut ad inſtitutum revertar, ſic in Imaginum negotio agendum eſt, ut Helvetii Feliciani placentur magis quam irritentur. Statuatur itaque ferendas quidem eſſe Imagines, ſed non adorandas, quum ob id olim neque ſculptæ neque pictæ ſint, ſed ob alias cauſas. Utilitatem certè aliquam præbent iſtæ, tam pueris quam adultis idiotis, ſi rectè utentium accedat pietas. Quidam à quibus origo eſt abolendi Imagines, vendunt nobis interim ſe cum ſuis Nonnis ſatis religioſè ſcilicet pictos.

Ad hæc celebrantur nunc picturis Ruſſii Baſilii, Sultani Soleymanni, Waſcones, Scythæ, impii milites, gladiatores, ridiculi moriones, Biberii, propudioſæ Laides, mammoſæ ſpatalæ, effœminatæ choreæ, naſatorum cordax, cupediariæ nugæ, comeſſationes in viridi, laſcivi complexus, coronata convivia, citharœdorum deliciæ, amœnæ venationes, cruentæ ſtrages, inviſa monſtra, irriſi antilutherani, victores hæretici. Hujuſmodi dignantur nunc parietibus ac poſtibus ſuis Chriſtiani, ut quæ pro divorum Imaginibus ſuſpiciant. Sed hoc parergon. Quid multis? Pax fiet, ſi nos faſtum templarem effigieſque moderemur, & ſi Partes reſtituant ſepoſitas tabulas, non luxuriantes, mundanique cultus formam præbentes, ſed quæ tardis ac obliviosis ad ſublevandam memoriam proſint, & quæ corda ſimplicium ad pietatis ſtudia per occaſionem vellicent.

Imagines vetitæ per verbum Dei, & prohibitæ per D. Gregorium *Hiſt. Conc. Trid. p.* 450.

Ex Durando Miniatenſi videtur utile, quod per Ordinarios, & Rectores locorum, omnes imagines deformes, & in quibus à veritate rei geſtæ deviatur, deponerentur, &c. *Caſſ. p.* 176. † Contra vetuſtam eccleſiæ diſciplinam, non ad adorationem, ſed ad memoriam & recordationem. *Tucc. Tucc. in Cantica.*

De theſauris Eccleſiarum nemo forte rixabitur, quando quidem jam inde ab initio propagatæ religionis fuiſſe leguntur. Publicus eorum uſus eſt in extrema neceſſitate, & ubi ceſſant privata ſubſidia, inopiæ tenuium fratrum atque ſororum debita, de quibus ſupra.

† Patres in Concilio Trident. aptè ore docent contrarium. *Conc. Trid. hiſt. p.* 822. Et Indulgentiarum originem acceptam ferunt Urbano II. an. 1095. *Ib.* † De iis nihil in primitiva eccleſia. *Chron. Cytiz. Jo. Langii, ad an.* 1513.

XXI. OBSERVATIUNCULÆ RELIQUÆ.

CONfido Partes non ita odiſſe unitatem Religionis, ut eam propter levia quædam, & quæ neminem neque gravent neque lædant, non ſartam tectam velint. Contra eccleſiaſticos non ita odiſſe errantes exiſtimo, ut horum reconciliandorum gratia, de obſervationibus iſtis quidpiam non remittant. Meminerint ii Præcepta Dei non eſſe; quare iniquum videri, ſi hujuſmodi Chriſtianorum humeris impoſita, tam pertinaciter tueantur ad conſcientiarum uſque formidabile periculum.

On peut recueillir combien les Ceremonies ſont indifferentes, pendant qu'il ny à point d'abus, & de l'autre coſte combien il eſt licite voire neceſſaire de les oſter pour prevenir un plus grand inconvenient. Exam. Pac. p. 50.

Contra cogitent Partes, tametsi præcepta Dei non sint, attamen non consequi, ut tam barbaris vociferationibus in eos ritus tanquam Antichristianos debacchentur. Imò verò probari merebantur, quatenus conducant inflammandæ pietati, & quatenus per exteriora illa ad interiora proficiamus. Equidem mihi in ceremoniis nihil quæritur, præterquam Concordiæ materia, & Mysteriorum fructus. Sanctimoniæ existimationem, atque salutis spem aliis in rebus constituimus Orthodoxi. Nec adeò ridendas vulgò ceremoniolas arbitror, si interdum publicitus harum arcana à Sacerdotibus explicarentur.

† Non damnamus cæremonias quæ conducunt ad pietatem. *Er. Tom. 6. in Matth. in c. 24.*

† Sic cum Ecclesia modo corrupta sit cæremoniis. *Stella in Lucam. c. 11. to. 2. p. 84.* † (Et) Sylva Judaicarum cæremoniarum agrum Dei occupet. *Polyd. Virgil. de invent. rerum. l. 4. p. 226.* † Quarum bona pars à vulgi errore. *Krantz. Wandal. l. 6. c. 37. p. 148.* † Quæ crassæ cæremoniæ speciem pietatis præ se ferunt, *Jo. Aventinus, Annal. Boiorum. l. 4. p. 300* † Dicimus cum Fero non temerè alios judicandos propter (hujusmodi) transgressiones *Fer. in Matth. p. 207.* † Quia Christus non in externis quærendus. *Er. to. 6. in Marcum.* † Ut in cibo, potu & indumento exterioribus: sed multò magis in interioribus *Jac. Faber in Matth. p. 54.* † Faciat Jesu benignitas ut hæ impuræ additiones, *Bal. MS. p. 215.* ritè purgentur. *Jac. Faber in Lucam, p. 362.* † Si nullus obsistat hujusmodi cæremoniis semper in pejus gliscentibus, actum fuerit de Libertate Evangelica. *Er. tom. 9. p. 400.* † (Denique) pias & frugiferas Patrum constitutiones amplectemur, non mortuas, non Pharisaicas. *Er. tom. 9. p. 630.*

Aspersione aquæ nihil nunc est rejectius, vaporatione thurea nihil contemptius, consecratione creaturarum nihil invisius, habent tamen horum singula, à cujus explanatione tam non abhorreas, quam abhorres à conspectu. Stabit verò penes capita, utrum istiusmodi abrogata velint, an rursus subrogata. Quapropter utrum judicaverint, nostrum erit obtemperare potius, quam tumultu atque contumaciâ reluctari. Nam semper ante oculos constituendum est sanctissimæ concordiæ simulachrum, non res eæ de quibus contenditur. Considerandum est, quam tetrum sit schisma; contrà quam bonum, & quam jucundum sit, habitare fratres in unum. Impium non est, ista observare, sed longè impiissimum est, propter ista Ecclesiæ communionem σχίζειν. Si rebus humanis omittendo, quàm observando rectius consulitur, ecquid ita nihil emendatius meliusque nunc est in toto Reipublicæ statu, in sacris, in prophanis, quando etiam omittuntur publicæ Litaniæ, solennes supplicationes, processiones, stationes, pervigilium noctis paschalis, signatio crucis, existimatio cinerum sanctorum Dei, cujusmodi semper & habuit & observavit Ecclesia, quemadmodum prisci Scriptores testantur? Execrandas istas superstitiones Reliquiarum, quas perditissimi nepotes à quæstu verissimè appellati, indigniores quàm qui vel Sacerdotes vel Monachi dici debeant, ad Ecclesiæ ludibrium exitiumque invexerunt, nescivit tantummodò Antiquitas. Nec vidit abusus ridiculos, in quibus non exigua pars pietatis vulgi nostratis hærebat hactenus.

Hic dissidii causam nullam futuram puto, cum videam optimos utriusque partis in eandem sent. convenire. *Cass. p. 68.* Touchant le signe de la Croix voiez l' *Examen Pacifique. p. 30.* Ab improbis hominibus falsa fiducia in cultu inepto & superfluo reliquiarum collocata. *Cass. p. 161.* Avaritiæ cum ad simplicem populum illiciendum reliquiæ supponebantur & ficta prædicabantur miracula, &c. *Cass. p. 161.* Si Episcopi & Principes in veris reliquiis inquirendis & dijudicandis, eam quam deberent operam adhiberent, ingentes & detestandæ imposturæ patefierent, &c. *Cass. p. 162.* Non multùm pietati, plurimùm verò superstitioni servitur. *Ib. 163.* *Les Huguenots ne blasment les reliques simplement.* Exam. Pac. p. 70.

Da homines pientiores ac correctiores à neglectu istorum prostagmatum Ecclesiæ Catholicæ, & judicari debent inutilia. Ante neglectum, nemo ibit inficias, melius agebatur cum Rep. Christiani populi. Dic sodes, quanto melius habet res, posteaquam puerperæ sine lege omnia faciunt, atque adeò naturam ipsam impiant? Quid accessit morum bonitati, posteaquam sine ordine veteri sepelitur? Quid accrevit utilius, posteaquam Chorus, illustrior Ecclesiæ portio, colobia linea exuit, malens chlamydatus ac seculi amicus conspici? Ordo turbatus est in baptizando, introducendo, consistendo, inque tota fere cultura, quantillo autem probiores sumus? Religio non prohibet, sed honestas publica, sustisque metus, alioqui videas, quales filios novæ Saræ libertas enixa sit. Inerant vitia, & ea multa, hæc igitur amputari oportuit magis, quam totum tolli. Fidebat hisce vulgus, putabat hæc necessariò requiri, credebat se justiorem ob hæc, credebat hæc efficere ut peccatis venia sit, anteferebat hæc præceptis decalogi, hæc modò spectabat, in hæc solum procumbebat, nullo respectu probæ vitæ habito. Hanc purulentiam è re bona expurgatam esse conveniebat, idque crebris concionibus & increpationibus. Ais, Temporis erat perditio. Imo melius consumebatur tempus in religiosis istis occupationibus, quam in vanitatibus seculi hujus, quarum curæ nunc plus nimio dediti sunt novi Saraceni. Ais, Carent ista prostagmata scripturæ patrocinio. Imò citiùs scripturas invenient, quam vanitatis secularis studia. Ad hæc, tun' Scriptura omnia defensitabis, quæcunque Sectæ in Templis suis observanda his annis receperunt, aut ab Ecclesia

Eccleſia mutuatæ ſunt? Fallere, ſi id coneris. Evangelio convenit, quidquid cum Evangelio non pugnat. Jam verò quî pugnent cum Evangelio iſti Eccleſiæ ritus, ſi reſcindantur innata mala, & fiant ea intentione, quam olim inſtituti ſunt? Illud multò veriſſimum eſt, ceremonias à quibuſlibet prælatis ad nimium exaugeri, quam præſtaret, veteres Ceremonias, quas conſuetudo fidei obſervatrix roboravit, & quibus ſua eſt utilitas † purgare, inque rectum uſum reparare, quam novas addere ad onerandum populum magis, quam honorandum Chriſtum.

† Iſti nebulones quæſtum pietatem, religionem prædam putant. *Jo. Avent. Annal. l.* 4. *c.* 438. † Strophiolas & calceos— oſtentant magis ad quæſtum. *Er. Schol. in Hier. p.* 322. + —— Soleas & ſubligacula oſculo obtrudunt præſtabat iſta non fieri. *Er. tom.* 9. In Peregrinat. + Contra Eccl. Rom. doctrinam pop. obtruduntur de particulis ſepulchri B. Mariæ & B. Michaelis Cranio, de ſtatuarum quarundam capitibus perforatis, quibus impoſtores oleum aut alium liquorem inſtituebant, ut ſtatuæ lachrymas aut ſudorem mittere viderentur. *Thur. l.* 37. *p.* 463. + Avaritia & turpis quæſtus multos errores induxit in Eccleſiam cum circa alia, tum circa doctrinas quæ ad quæſtum plus faciunt —— O quot ſcrupi conſcientiæ timidis & infirmis mentibus ingeruntur, quæ per ſolum Chriſti ſanguinem poſſunt eſſe lotæ. *Jac. Faber in ep. ad Tit. c.* 1. *p.* 220. + Queritur Eraſmus contra conſtitutiones epiſcoporum de feſtis, eſu piſcium, &c. pecunia redimendis. *Er. tom.* 9. *p.* 307. † His premebant pop. pluribus quam Judæi. *Er. tom.* 3. *p.* 178. † In ſervitutem redigebant. *Jo. Avent. Annal. Boiorum, l.* 2. *p.* 204.

Oſtendi qua redire in gratiam poſſint cum Eccleſia ſchiſmata noſtri temporis, ut ſimilitudine (quæ amoris conciliatrix efficaciſſima eſt) obtenta, & iis quæ in Eccleſia vetuſtate ſublapſa ſunt, in melius reparatis, mutua concordia ac indiſſolubilis pax fiat, in gloriam patris noſtri, qui in cœlis eſt, Deus pacis & non confuſionis. Concordiæ in præſentiarum me ſervire fateor, ſi verò id peccare eſt, fateor id quoque.

XXII. SCHOLA.

NEmo Scholas improbat, niſi Anabaptiſticum fœdus, retinens nimirum mordicus quicquid Lutheranorum calor in principio invexit. Sophi. ſcholas probant quidem, ſed ſuæ ætatis, arcentes una cum Linguis Muſas. Lutheri ſocietas ſibi habet ſcholas, ſibi fovet doctos, non unitati Eccleſiæ. Et hujus occaſione ſcholaris diſciplina magna ex parte corruit, præterquam quod literæ iterum in contemptum abierunt, & illud modò in pretio eſt, quod utile eſt. Pax erit, ſi omnes conſentiant, ut ſcholæ non modò ſint, ſed & doctæ Scholæ, & quæ cum rectioribus literis mores tam Chriſtianos quàm Politicos doceant, quales nimirum eſſe cœperant ante diviſionem Eccleſiæ.

XXIII. VISITATIO.

ID emolliet potiſſimùm Partes, ubi Eccleſia vigilantius ſuum fecerit officium. Quam magnopere autem poſtulet viſitationem Miniſtrorum incuria atque improbata vita, vix quiſquam dixerit. Autoritatem negotio adderet, ſi ipſi Epiſcopi dignarentur id laboris ſubire, ſatisfacturi in hoc & ſuo muneri & nomini. Sin ipſi inſpicere ſuas Diœceſes nollent (id quod ſine peccato non ſuperſederint) proximum fuerit, ut hoc per integerrimos ac peritiſſimos viros quàm diligentiſſimè procurent. Magna pars purgandæ, & exornandæ Eccleſiæ eſt, ſi œconomi ejus fidi officio ſuo nunquam deſint, perpetuo ſoliciti, quomodo olim reddant rationem villicationis iſtius nihil neſcienti patriſfamilias.

XXIV. MONASTERIUM.

VIX ipſa Pytho Sectis perſuaſerit, ſive ut tolerent poſthac Monaſteria, ſive ut probent. Quanquam Coloni jampridem experti ſunt Ranarum exemplum, ita ut bona horum pars trabem priſtinam, quam ciconiam malit, & cum Aſino tegularium priſtinum quam coriarium : ſi voto rurſus adeſſe vellent implorati Superi. Quid aliis videatur ignoro, mihi certe nemo unquam perſuadebit, Monaſticam vitam tam Satanicam, tam tartaream, tam Antichriſtianam, breviter ſepties execratam eſſe, quem-

 admodum

admodum uni & alteri provinciæ ab eo homine persuasum est, qui laxius, quàm strictius vivere maluit. Stupescis ad hanc vocem. At tu posita persuasione & attracta diu Monasteriorum turpitudine, omnia dijudica, confer, examina, nec dubitabo quin mitescas. Origo ac causa priscæ Monastices sincerè expensa te leniet. Et nisi planè oderis veterem sanctimoniam, non poterit non commovere animum tuum tot millium verè priorum hominum consensus, qui à primis usque Ecclesiæ sæculis, Monasticen vel ipsi excoluerunt, vel dignis elogiis, & præconiis ornaverunt. Quapropter si in cæteris gravioribus collata sunt suffragia, haudquaquam committendum est, ut hic cessetur. Eam discordiæ maceriam, id instertitium solo æquate Catholici, ut junctis dextris, de concordia gaudenti Ecclesiæ exultim gratulemur.

Si Monachatus in ea forma perstitisset, quæ describitur ab Athanasio, Basilio, &c. nunquam tam graves reprehensiones, & insectationes incurrisset, &c. *Cass. p.* 245.

† Novos ordines cum antiquis confert, *Polyd. Virg. de Invent. rerum, l.* 7. *c.* 1. *p.* 440. † Antiqui non distincti cultu aut vestibus. *Erasm. Schol. in ep. ad Rusticum, p.* 50. † Laborabant *Polyd. Virg. de Invent. l.* 7. *c.* 3. *p.* 451. Non vi compellebantur ad laqueos vitæ Monasticæ. *Er. to.* 6. *in c.* 23. *Nota Marg.* † Professio priscæ liberæque vitæ emendatio. *Er. in vita Hier. p.* 5. † Nunc mundus undique plenus est sodalitatibus titulo plausibilibus ac religionis titulo commendabilibus. *Er. to.* 4. *p.* 224. † Ad Monachatum plerique spe otii veniunt. *Er. in Ind. Aug.* † (Imò) est otii genus quoddam. *Er. t.* 4. *p.* 463. Claustra prostibula meretricum. *Laur. Schraderus in Monumentis Italiæ. p.* 231. † Hypocriseos domicilium. *Nic. Clenardus, p.* 165. *l.* 2. *ep. ad Jo. Valæum.* † Continentiam ipsi quam profitentur servare, non servant. *Jul. Cæsar Scaliger de causis plantarum, l.* 1. *c.* 5. *p.* 15. † Non potest superbia eorum operari quam cum superbia Luciferi, qui voluit fieri altissim. *Barth. Cass. Catal. gloriæ mundi.* 4. — *consid.* 29. §. Sed cum † ut porci in latibulis ventri — serviunt. *Jo. Cuspin. in Henric.* 2. *p.* 404. † Calvitie & habitu duntaxat religionem præ se ferentes. *Jo. Avent. Annal. Boiorum, l.* 2. *p.* 156. † Profitentur paupertatem ut effugiant paupertatem. *Er. in Marcum, to.* 6. *p.* 120. † Fortasse expediat Monasteriorum esse modum. *Er. to.* 4. *p.* 463.

Si itaque multitudo monasteriorum utriusque sexus minuatur, & relicta paucitas, à Mundo avulsa, Deo noctes atque dies ritè serviat, fiatque nobis operum bonorum exemplar, & Evangelicæ innocentisque vitæ forma, non usque adeo reclamaverint Partes, maximè si ea paucitas nemini oneri sit, sed potius hinc nonnihil sublevaminis sentiat popularis inopia. Verum non deerit, si concordia utrique parti placeat, quod ea de re inter sese communicent. De vestitu, hoc est, de Asini umbra, nemo sanus rixabitur. Norunt Monachi suam neque Justitiam neque salutem in lana, aut calvicio constitui. Quod si quidam tale putent, illos ride, non sapientes. Jam si cucullus tam malè habet proceres, cur ipsi eum [b] cervice sua dignantur? Videmus enim magnos etiam Satrapas cucullatos magnificè incedere, & ambire cucullum videmus cerdones & aurigas. Attamen pacis studio nonnulla ejus generis remittentur, atque mutabuntur. De monachis infra.

[b] Quid sit in cucullo mon. vide *Jac. Fabr. in ep. ad Rom. c.* 16. *p.* 104. Rerum ecclesiasticarum curam ad temporalem Magistratum specturam. *Hist. Conc. Trid. p.* 133.

XXV. MAGISTRATUS.

IN dogmate de sæculari potestate consensus est, nisi quod Retinctores eam Christianam esse pernegant, ferunt tamen hactenus. S. Polycarpus, si nesciremus, inter carnificum manus docet, & præter hunc Basilius Magnus de instit. Monachorum, quatenus potestati terrenæ [a] obediendum sit. Verùm spes est, Imperatorem Romanum, quando in Eclesiam acceptum est, eo impietatis non lapsurum, ut Idololatrica aut Antichristiana Christianis imperet. Id quod etsi faceret, non obediret Ecclesia, utpote [b] cujus major auctoritas est, ac cœlo vicinior. Etenim si paganæ religioni summum Imperium cessit, nec Sacris dæmoniorum servire dubitavit, quemadmodum scribunt Historiographi, quur non magis id mutata Religione fiat?

[a] ☞ Rex in regno suo nullum supra se habet. *MS.* 29. *p.* 7. † Honore quolibet sublimiorem quum habeat dignitatem. *Agapetus Diac. Col.* 795. *BB. PP. tom.* 2. Sacerdotem cogi posse docet. *P. Ærod. Pand. l.* 2. *tit.* 7. *c.* 6. *p.* 61. Habent potestatem ferendi leges Ecclesiasticas. *Ferreri*ns, *Hist. Conc. Trid. p.* 776. Principibus quamvis malis ex ma itia mala, tamen obediendum. *Hist. Conc. Trid. p.* 772. ☞ Non cogendi sed vincendi ratione. *Conc. Bas. MS. p.* 230. & *p.* 233. Gladius materialis pro fide vel conservanda vel promovenda à nemine exercendus. *Ant. de Dom. l.* 6. *c.* 8. § 44. † Dogmata Anathematizanda, non homines, *In Ind. Chrys.*

[b] † Magistratum Sacerdoti anteferri, & è Magistratu

De plectendis verò hæreticis controversia adhuc durat. Audienda est Ecclesia, quid ea post Scripturam olim in suis Doctoribus senserit, & quid nunc sentiat: in qua re maximoperè cavendum est, ne ejus judicia secum pugnare videantur. Veritas pendebit ab inter-

ab interprete. Gravamina Reipublicæ plurima mitigabunt æqui Domini, & ita moderabuntur omnia, ne quis posthac jure de his queri possit. Inter tot alia vix aliud intolerabilius est, quam odiosa illa Monetæ publicæ inconstantia. Hoc malo paulo pauperes potissimum premuntur, divitibus nihil affert detrimenti ulla vicissitudo.

XXVI. FLAGITIA.

DOminantur rebus flagitia quædam, adeo conspicua, ut ea cum Ecclesia Partes quoque detestentur. Veruntamen non itur obviam tot tantisque maculis, adeoque letalibus Religionis nostræ vulneribus.

† De hoc malo copiosè conqueritur, *Claud. Espenc. in ep. ad Titum, cap.* 1. *Digress.* 2. *p.* 65. ☞ Ut cessaret impudicitia, & per consequens cessarent adulteria, concubinatus, & omnis dissolutio morum quibus totus mundus (huc) erat corruptus, agitatum est in Conc Bas. de iis ejiciendis, *Bas. MS.* p. 264. & *Bas. MS. p.* 602, & 615. † Sed (proh dolor) clerici omne genus libidinum atque nequitiæ exercent, *P. Crinit.* de honesta discipl. *l.* 9. *c.* 10. ☞ (communiter dicunt) inebriemus nos in vino, non sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra, viget in Clericis, subditis & prælatis, completum est illud, *Matth.* 6. Ipsum aut templum plenum erat luxuriis & comessationibus, *MS.* 9. p. 304.

Quid fœdius vel inter gentes esse possit publicis Pornoboſciis, quorum execrabilitas omnes civitates polluit? Ultra horum turpitudinem excedit [d] pædiconum, Cynædorum & Catamytorum terque quaterque nepharia fœditas. O dolorem nostrum. Quid dedecorosius publico concubinatu, qui permittitur viduis civibus? Quid magis infandum, tot virginum compressione, maximè paupercularum, servarum & pupillarium? Quid flagitiosius adulterio [e] impunito, quod nunc jactant quidam inter pocula ad citandum risum?

[d] ☞ Sunt quidam —— bestialiores bestiis —— in Suburbiis Civitatum. Nam tales masculi —— fœmilizant, seu —— degenerando masculizant, naturæ naturalia denaturalizando, *Anon. MS. in Gol. Bal. In illud de nuptiis Canaan, p.* 223.
[e] Hodiè non puniuntur adulteria. *Jo. Ne. in Sylva nupt. p.* 55. *MS.* 89. *Conc. Trid. p.* 414. —— † Non solum unam, imo plures uxores seu amasias, imo & concubinas habent eodem tempore. *Id. p.* 68. *MS.* 128. † Monachi (ut nihil de aliis sive Clericis sive laicis dicam) vitæ sunt incontinentissimæ, *Id. l.* 4. *p.* 180. *MS.* 33. † *Impregnant proprias commatres, Id. p.* 69. *MS.* 130.

Quid perniciosius usurâ, Monopolio, Propolioque, & illis tamen locus est inter Christianissimos?

Quando major avaritiæ patuit sinus?

Quid intolerabilius pompis fastuosissimis & cultibus superbissimis, qui nunc celsitudine atque gravitate sua laborant?

Quid levius ac religione nostra indignius tot formis [f] versicolorum atque sectilium vestimentorum, quæ ipsis etiam ephebis gestare nunc decorum est? Quid perditius dicam an detestabilius, tantis Christianorum sumptibus? Squalet auro gemmisque & margaritis vestitus tuus ô adjuratissimum Lucifero mancipium, & confrater, imo caro tua à probrosa nuditate [g] posticum ægrè tuetur.

[f] De excessu in vestitu præsertim Ecclesiasticorum, vide *Conc. Bas. MS.* p. 116, & p. 335, & *MS.* 29. p. 162. & *Tho. de Brackly*, *MS.* 43. p 99. ☞ Non affectent vestibus placere, sed moribus, *Hugo de Folio de* 12 *abus. Claustral.*
[g] ☞ Habent similiter tot paria vestimentorum pendentium in perticis suis, quæ sæpè à tineis comeduntur: & tamen nolunt unum parvum & vetus vestimentum dare pauperibus Christi, cum videant illos mori præ frigore in Hyeme, *MS.* 24. *p.* 150. † Regnat hoc vitium, *Er. Annot. in ep.* 48. *Vincent. p.* 122. ☞ Codices ad calices translati, & scribere ni bibere, & plus studii in Salmone quam in Salomone, *Linc. de oculo, c.* 11. *MS. p.* 42. ☞ Hoc vitium ita versum est in consuetudinem, ut homines non credant esse peccatum, *MS.* 0. *p.* 171. ☞ Vitium præsertim in Sacerdotibus, *MS.* 29. *p.* 148. ☞ De eorum Messeil & Drinkheyl. *MS.* 29. *p.* 326. ☞ Prill & Wrill. *MS. Coton.* ☞ Cum ebriositas, id est, consuetudo bibendi sit culpabilis in laico, qualibet ebriositas timenda est Sacerdoti, *MS.* 29. *p.* 326.

Quid insanius crapulâ & ebrietate, quæ præter modum occupant corda ventresque professorum Christiani nominis? O causam maximam blasphemiæ Christi nominis apud exteros!

Quid amentius, iniquius, inhumanius bellorum, tumultuum, fœderum, furiarum, lanienarum, rapinarum, litium, oppressionum, incendiorum, proditionum, expilationum, excoriationum, prædationum, fraudationum, circumventionum vel mentione? Et tamen hæc exundant nunc, ut hactenus,

Quid nocentius aleæ artificioso furto, cui quotidiè adjiciuntur nova ludendi genera?

Quid

Quid deformius militum erronum mendicitate atque ignavia?

Quid gravius Mercatorum licentiosa auctione?

Quid miserius nobilium ferocia, Satraparum immisericordia, Judicum injustitia, Advocatorum rapacitate, qui omnes neque Deum timent, neque homines reverentur? Quid execrabilius tam crebra, & indies mirè novata maledicentia? Quid irreligiosius tam facili juratione, tam prompta imprecatione, tam inhumana devotione?

Quid tetrius veneficio & magiâ?

Quid indecentius & à Christianismo alienius divinatione, augurio, physiognomiâ, genethliacâ, chiromantiâ, necromantiâ, observatione magicâ dierum, locorum, personarum, quasi non plus satis sit, populum Christianum gentium similem in moribus esse, nisi in curiosis artibus & credulitatibus superstitiosissimis similis quoque sit? Non possum plura præ dolore. Heroës, vestræ animæ luent, vestra corpora dependent in Gehennæ flamma, si tot ac tam immanibus flagitiis autoritate severitateque vestra obviam non ibitur. Edictis, & diplomatis membranaceis nihil proficitur, nisi manum quoque, Dei ministram, admoveritis. Officium Spiritus sancti est, ut fiamus ac simus Christiani. At per vos stat, ne simus aut fiamus propalam gentes.

Quin illis etiam vitiis obsistite, quæ seu Sacramentorum aliquorum initiationes, magnam scandalorum vim in Ecclesiam exundant, imò in eam venenum certum effundunt.

Sanctissimum Baptisma excipit luxuriosa comessatio, & ea bis terque in uno puero ingeminata.

Ordinem Clericalem, & Matrimonium ea ingurgitatione auspicantur, ut vix politia etiam ferat, tantum abest, ut vel Christo placeat, vel Ecclesiam juvet, vel ipsis autoribus conducat.

☞ Causæ —— luxuriæ sunt potissimum epulæ deliciosæ. Nam venter & genitalia conjunguntur, *MS.* 29. *p.* 327.

Præter hæc sunt dedicatoriæ crapulæ, & item Bacchanales, sive ut rectius dicam, Lupercales insaniæ Christianorum, à quibus in sacram Quadragesimam feliciter sanè itur, posteaquam totum penuarium elurcatum est. Viderint Monarchæ, quomodo ejusmodi coram Rege regum excusent, qui ipsis gladium non frustra commisit. O utinam tollendis his incommodis redeat ad militantem Ecclesiam beatus Augustinus, ut nimirum cessante Justitiario potestatis secularis gladio, potentissimæ linguæ suæ viribus publica religionis nostræ mala, inveteratis hominum usibus eximeret, quemadmodum olim apud Cæsaream Mauritaniæ accersita è Rhetorum scholis eloquentiæ granditate consuetudinem longè exitiosissimam & eandem tamen inveteratam de cordibus pariter ac moribus Christianorum avulsit pepulitque. Verba tanti oratoris, quibus profectum concionis suæ testificatur, hoc loco tempestivè subjecero: Non tamen egisse aliquid me putavi, quum eos audirem acclamantes, sed cum flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri & delectari: flecti autem lachrymis indicabant. Quas ubi aspexi, immanem illam consuetudinem à patribus & avis, longéque à majoribus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat, vel potius possidebat, victam antequam reipsa id ostenderent credidi. Moxque sermone finito, ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. Et ecce jam fermè octo vel amplius anni sunt, propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est.

Exemplo Theodosii, Justiniani, Constantini, Caroli, &c. quorum diligentia in rebus Ecclesiæ constituendis, tum in Historiis Ecclesiasticis, tum in saluberrimis legibus quas de rebus Ecclesiasticis tulerunt, satis apparet. *Cass. Art.* 16. de Magistratu per totum caput, *p.* 125. † Negotia Ecclesiastica ad Principes spectant. *Espenc. ad Titum. c.* 3. p. 513. † (Habent) imperium in Sacerdotes —— si negligenter aut non rite conficiant, aut violent, *Andr. Mas. in Jos. p.* 59. † Bonus Princeps curam habet religionis, *Fr. Duarenus, l.* 1. *de H. eccl. minister. c.* 5. *p.* 443. † Ad principes spectat cura religionis, *Anton. de Dom. l.* 5. *c.* 9. §. 42. *& in App. l.* 9. *p.* 152.

XXVII. CLERUS.

QUoniam verò nihil omnium est, quod vehementius offendat, ac indignius animos nostrorum hominum percellat, atque consentiendo deterreat, imò à mentione etiam consensus procul abigat, quam vita cleri, cum primis adlaboretur, ne hujus gratia Pax æquis conditionibus accersita, rursus aufugiat. Si propter Sectas, quæ totum aboleri clerum potius, quàm in melius reparari debere contendunt, nihil reformandum est, certè propter eos id fieri oportebit, qui adhuc intra Ecclesiam sunt, haud minora scandala patientes. His dolet Ecclesiæ tanta deformatio, quare reformatam ex animo concupiscunt. Sectis verò doleret, si res melius haberet, atque habet. Nam

Nam illæ, si restauretur redintegreturque inclinata ac labens Religio, pudefierent, & eo pacto adimeretur illis maxima concionandi materia, quam alioqui abundè præbent ad delectamentum gregis sui, mala cleri publica. Ignoscent mihi hoc, quod hic necessariò commemorandum fuit. Illud tandem concedant, Nimirum satius esse repurgari statum cleri, quam in universum deleri, quandoquidem id neque pium, neque honestum, neque utile esset, nec sine concussione periculosissima totius orbis fieri posset. Compererunt, opinor, quantum veteribus nova sua præstent, si fateri velint, & quæ exeat è tenebris veritas, & quæ demum justitia lampadis instar accendatur, ut opus non sit hoc loco pluribus immorari.

† Cleri vitæ causa persecutionis Eccles. *Esp. in Tit c.* 1. *digress* 2.

† Plerique sunt nostri temporis à religione & Sacris quam quivis Satrapæ & Principes prophani alieniores, *Fra. Duarenus, l.* 1 *c.* 4. *p.* 440. † (Venimus) ad hæc tempora quibus episcopi nihil minus norint quam eas partes quæ illis à Paulo assignantur —— sed fructus & vectigalia, *Isid. Clarius in* 1 *Tim.* 3.

Judicium verò incipiat Pontifex Rom. à [a] domo sua, in quam congestum est tot annis, vel se invito, plurimum fimi. Agnoscat verbum Domini Jesu. Recolat divi Bernardi Considerationem ad Eugenium. Suspiciat eum, cujus vicem gerere dicitur. Intueatur eum, cui in sede successit. Respiciat priores se papas patriæ patres, Ecclesiæ muros, portis inferorum formidabiles arietes. Volvat animo, quid sit vocari Sanctissimum, Maximum, Summum. Quid sit dici caput, petram, patrem; quid sibi velit vox *Apostolicæ sedis, Apostolicæ autoritatis.* Conferat paulisper præterita cum præsentibus. Heu dissimilia, vel ipsomet judice! Reputet secum hominum omnibus in terris judicia, Cogitet piorum gemitus, lachrymas, vota, zelum. Perpendat quid sit scandalum, & minax illud væ. Consideret quid detineat à Religione tot nationes orbis increduli, & quid retineat à reversione tot provincias schismaticas. Denique meditetur funestam horam mortis suæ, ac requisitionem rationis Oeconomicæ terrificam. Ad hæc obturet aures, ad Gnathonica encomia, & impudenti adulatione fœtentes Panegyricos. Quin ipse legat magis quam audiat, æstimans consilium Dem. Phal. Nam qui bona dicere & recta monere possunt, nihil audent præ illis, quibus occinere sedulo καλὸς πίθων, messis est. Petri, Pauli, Lini, Cleti nomen & exemplum in memoria ejus obambulet & Clemens Clementi placeat magis quam isti, de quibus chronica parum Apostolica, valdè verò horrenda lectu memorant. In animo statuat, se verè pontificiis factis honestaturum sedem, & eam fidelibus pariter & infidelibus nunc invisam, Christianis atque heroicis gestis favorabilem facturum, quæ novis annalibus de se ad posteritatem conscribendis digna sint futura.

[a] Hanc Methodum reformationis urget. *Jo. Zuing. Hist. Conc. Trid. p.* 568. Nonnulla emendatione digna animadvertit, *Lainez. in Conc. Trid. vide Hist. p.* 365. † In multis reprehensibilis & pauci sancti licet sanctissimi appellentur, *Jo. Neviz. in Sylva nuptiali, p.* 145. *MS.* 150. † Liberius Arianus, *Er. Scholiis. Hier. ep. ad Damasum, p.* 134.

† Sylvester 2. Magus & — Diabolo se devovit. *Ans.* Ru. *p.* 44. † Cum Diabolo fœdus iniit, *P. Æmylius apud Zuing. p.* 1332. † Cogita Zosimi stuprum, *Marul. l.* 3. *c.* 20. *Zuing. p.* 1347. † Alex. 6. vitia. Non sinceritas in homine, non pudor, non veritas, non fides, non religio, *Id.* p. 1579. † *Jo.* 22. Errorem de visione animi, *Ib.* Benedictum apud inferos vectum nigro equo, *ex. hist. P. Damiani. Zuing. p.* 1395. † *Jo.* 2. Maroziam & greges meretricum, *Zuing.* ex Luithprando, Sigeberto & Tritkemio, *p.* 2289. † Non graventur ingredi Apostolorum vestigiis, qui locum & autoritatem vendicant sibi Apostolorum, *Eras. To.* 2. *Adag.* 1. *Cent.* 3. *p.* 603. Canonistas in Concilio Trid. mulctandos censuerunt Patres Trid. qui plus nimium attribuerunt assentatiunculis suis Pontifici Rom. *p.* 188

[b] Repurgetur tota curia, incuriâ, fastu, astu, luxu, habendi ac dominandi cupidine infamis, non solum in Germania. O quæ, O quanta inde exoriuntur Ecclesiæ satis calamitosæ scandala? Quæ inquam illi inde infliguntur vulnera? Ah primates, ne committite, ut jam plusculis seculis toties tot viri pii (ut de schismaticis innumeris nihil memorem) id frustra admoneant, seu defleant potius. Annon molestissimum est vobis, tot libris in orbe circumferri scelera Romanæ Curiæ? Mirum, ni molestissimo molestius. Atqui eam infamiam justa correctione opprimere possetis, non nescii in Ecclesiam redundare, quicquid designet peccati Sentina Curia. Sed incidam orationem largius æquo (non liberius tamen) & præter institutum currentem. Synodo curæ erit singula vitia atque incommoditates, mihi magna ex parte incompertas, ad calculum subducere, subductas emendare, emendatas servare, servatas tueri.

[b] † (Si potest fieri) † nam Romæ omnia venalia, *Bud. de asse, l.* 5. *p.* 725. † Pecunia omnia potest, *Stella in Lucam. Espenc. in Tit. Digress.* 2. † Romæ non licet benefacere. *Jo. Neviz. p.* 390. *Nu.* 149. † Continentia ibi corvo rarior albo, *Krantz. Metrop. l.* 9. *c.* 34. *p.* 253. ☞ Non respiciunt ad personarum merita: sed tantum ad quantum pecuniæ concessit, *MS. C. in Coll. Magd.*, *p.* 92. † Roma Babylon, *Jo. Avent. Annal. Boiorum* Bestia Apocalyptica, *Ant. de Dom. l.* 4. *c.* 3. & (hinc sine dubio) decessio facta est à Rom. Ecclesia in omnibus Ecclesiis orientalibus & pluribus aliis, *Conc. Bas. MS. p.* 115. Vide invectivam *Claudii Violæ in hist. Conc. Trid. p.* 414. contra abusus Curiæ Rom. hæreseon omnium causam, & *Ib. p.* 704. fontem omnium malorum.

Collegium

Collegium Cardinalium in se quoque descendat, considerans, quantum absit ab eo quod audit. Detur opera Religioni fulciendæ magis quàm labefactandæ, consulatur inclinatæ Reipublicæ, consumatur vita in sacris studiis ac precationibus. Excogitent solicitè, quæ faciant ad verum decus Ecclesiæ, sint cardines domus Dei, non suæ. Sint poli verticesque cœli, non mundi, obnixè effugiant prosonomasiam, qua dicuntur carnales & carnei, pro Cardinalibus & cardineis. Retrospiciant, si Ecclesia ab initio ipsorum similes Ministros Christi habuit, hoc est, ut uno verbulo cuncta eloquar, tam Mundanos. S. Bernardo teste fuerunt Pontifici assistentes, coadjutores, seniores populi, judices orbis, quos antiquitas appellavit presbyteros ac Diaconos, nunc verò Cardinales. Num autem coadjutorium & presbyterion Ecclesiasticum talem exigat principatum, talem strepitum, tam valdè secularem splendorem, taceo de opum immensarum comite immodica luxuria, vel ipsi è conscientiæ suæ libro dixerint. Idcirco memores sint Hieronymi, Osii Cordubensis, Claudii, Habiti, Quinati, Paschasii & aliorum verè Cardinalium Diaconorum Ecclesiæ Dei, & redeant ad officium, ne apud posteros quoque uti nunc malè audiant, & apud Deum pejus. Jam status Episcoporum illo degeneravit quoque, ut nisi aliquanto melior seipso reddatur, vix cum eo pacem ineant Partium Principes. Solicitudo omnium Ecclesiarum translata est ad ditionum prophanarum administrationem. Nomen, species & ceremoniæ ecclesiasticæ tantum sunt, cætera mundus. Sed quid tristes querimoniæ, si non concilio culpa reciditur? Adjungant animos illi, si cupiunt Christo placere, Ecclesiæ prodesse, & saluti suæ consulere, ad rerum cœlestium studia. Sit præcipua solicitudo, quomodo regant ac pascant Ecclesias suæ quisque dioecesis, idque visitando, corrigendo, docendo, constituendo, destituendo, Synodos provinciales convocando, Ecclesiarum incommoda, superstitiones, abusiones, pericula inquirendo atque castigando, scholas Christianas & ptochodochia curando. Magna cura sit, ut parochos doctrina vitaque probatos habeant; Major, ut Sacra ritè peragantur, utque quàm purissimè & diligentissime prædicetur Verbum Dei; Maxima verò, ut populus Christianus dignè Evangelio conversetur, & in unitate rectæ fidei perseveret. Succurrat sæpe memoriæ Episcopi, vobis ab Apostolo gentium relictus Canon, bis scriptus, ut plus haberet momenti. Scriptus est Canon in Epistola ad Timotheum, & repetitus in Epistola ad Titum. Quas duas Epistolas una cum posteriore ad Timotheum, S. Augustinus ante oculos habendas ei esse præcipit, cui est in Ecclesia Doctoris persona imposita, lib. quarto, de doctrina Christiana. Succurrant vestigia vobis præcalcata ab Episcopis Timotheo, Aristippo, Irenæo, Cypriano, Hilario, Martino, Ambrosio, imò à recentioribus etiam, puta Rabano, Leodegario, Lamberto, Columbano, Ulricho, [a] Thoma Cantuariensi, Joanne Roffensi, &c. qui adjuverunt Christi civitatem, studendo, meditando, scribendo, disputando, concionando, exhortando, convertendo, benè operando, exemplis vitæ odoriferæ præfulgendo. Saltem commonefaciat vos officii vestis linea, petalus, chirothecæ, pedum. Quem ego cultum non improbaverim propter significationes: Sumptum verò hujus pretiosiorem & pompam ostentationemque insolentiorem improbo propter offendicula. Si gaudetis ab Ignatio sanctissimo commendari, æquum est, ut tales vos præstetis, quales ille vult. Vult autem tales, quales desideramus, & quales venerari nos volumus, uti Christum, quorumque præcepta servare ultrò volumus, sicut ignem ardentem, ad Trall. Impetrent aliquid emendationis suspiria nostra. Inveniantur efficaces preces nostræ, quibus cœlum quotidie tundimus. Facite, ut nostis ipsi sat docti ac prudentes, & spes est confore, ut tam amet vos, quam nunc odit vulgus, nec hoc solũ: Vestri emendatio erit Schismatũ certus interitus. Nam hæc alioqui vivunt & confirmantur

☞ Reformatio debet incipere à Cardinalibus descendendo, *Conc. Bas. MS.* 2. *p.* 47. † (Non fidendum) Neviz qui affirmat Curiales, Cardinales & Prælatos, admitti in Paradisum absque examin. *l.* 4. *p.* 336. *nu.* 155. (Imò) † Carpinales rectè vocantur à Conrado Moguntinensi, *Zuing. in Theat. p* 2814. † Nomen Hier. ætate vix notum, *Id. p.* 1315. Attamen rubeus petasus D. Hier. impertitus à Pictoribus, *Polyd. Virg. l.* 4. *de Invent. rerum, p.* 274. Sed nota sunt crimina vel flagitia potius. † Cardinalis quidam apud Guicciardinum juvenculæ sibi sanguine conjunctæ amore ardens fratris oculos eruit, *l.* 6, & 7. *Zuing.* p. 113. ☞ Sunt more solito cupidi. *MS. C. in Coll. Magd.* p. 117. † Simoniaci. Ferdin. Ponzetta 60. aureorum millibus Cardinalitium pileum eruit à Leone Garimbertus, *l.* 6. *de vitis Pont. apud Zuing.* p. 2490. † Fr. Armellinius Rom. Mercator ab eodem Cardinalatum 150 millibus aureorum emit *Id. ib. p.* 251. parum hoc est, si cupis videre Cardinales scortatores, cynædos & spurcos, consule *Ant. de Dom cont. Suar. c.* 1. *sect.* 28. ☞ Presbyter nuncupatur quasi præbens iter ad cœlestia. Dum igitur ad temporalia incurvatur, palam quia nomine suo Deo mentitur — dictus enim ab [illegible] quod est supra, & [illegible] quod est intendens — Bonum est nomen sacerdotale vel Episcopale, sed melius est res nominis, *MS.* * p. 86. ☞ † (Olim) nomen erat operis non honoris, *Conc. Bas. MS.* 2. p. 455. ☞ (Electi) non tam ut præessent, quam ut prodessent, *Conc. Bas. MS. p.* 345. † Hodie nulli minus Episcopi, quam qui inter Episcopos primas tenent, *Er. To.* 2. *Adag.* 1. *Cent.* 3. *p* 603. † Pleriq; — à religione & sacris literis quàm quivis Satrapæ & Principes prophani longè alieniores — † Imò paucis exceptis sacrarum literarum scientia cæteris ex populo longè inferiores, *Fr. Duarenus, c.* 11. *p.* 448. † Nihil minus sciunt quam eas partes, quæ illis à Paulo assignantur, *Isid. ad Tim.* 3. † Duplicem personam sustinent (puta ecclesiasticam & civilem) *Ib.* † Auro gemmisque fulgent (habent) sumptuosas ædes vel potius palatia; *Er. Tom.* 2. *p.* 603. † Episcopi cum clero sunt amatores mulierum, *Laur. Schraderus in Monument. Ital.* p. 235. † Vita in luxuria & aliis voluptatibus, *Engelbert. de ortu & fine Rom. Imperii, c.* 22. *p.* 89. Patrimonium Christi consumitur cum meretricibus, *Schrad.* p. 235. † Episcoporum & Doctorum vox invitantium populum ad compotationes, non ad studia, *Vat. in Hist. c.* 56. *nu.* 23. † Et aucti temporalibus, spiritualibus diminuti, *Jo. Avent. Annal. Bojorum, l.* 2. *p* 92. ☞ Progeniem suam ita ditant vel dotant, *Conc. Bas. MS.* p. 328. ☞ Ut qui in Ecclesia episcopatur vel papizat: tota etiam progenies inde episcopari vel abbatiari videtur, *Conc. Bas. MS. p.* 228. Ut taceam † de galeatis & loricatis, *Ant. de Dom. l.* 6. *c.* 8. *sect.* 30, & 32. Quid mitra cum gladio? † De episcopis venatoribus, *Jo. Av. Annal. Bojorum, l.* 2. *p.* 217. [a] ☞ Ignorabat Wicelius Thomam fuisse olim in prato proditorum, unde vox illa populi, capite furem, capite proditorem, *Ran. Higden.* MS. *in Polychronico, in Col. Bal.*

super

ſuper vos. Veſtra lux erit diſſidiorũ caligo, alioqui ipſa lucent, vobis obſcuris. De his hactenus.

Cæterum quod jam moniturus ſum maximè omnium conducet ad frangendam iram Schiſmatis, & promovendam concordiam. Nimirum, ſi Pontifex Max. una cum primariis Diaconis ſeu Cardinalibus & Epiſcopis Monaſticen & Sacerdotium ad limam, vel ſarculum potius, revocarent. Quid enim nunc ſcabrius, rubiginoſius atque horridius eſt? Quid magis obductum ſentibus & urticis? Clamatum eſt à Partibus quàm vehementiſſimè in hæc inſtituta, non ut purgarentur, ſed ut everterentur. At nihil utilius ſuccederet, etiamſi præſentia ac recepta omnia ſemel diſpereant, quemadmodum his annis non ſine gemitu videmus. Eapropter conſultius eſſe arbitror, ut Monaſteriorum pars aliqua, & Sacerdotum inutilium terræ ponderum minuatur, aut amoveatur, ſi quidem nulla ſpes eſt, tantam multitudinem κηφήνων [a] obnixè facturam, à decem etiam ſeveriſſimis Synodis. Nec coagulabitur concordia inter Eccleſiam & Sectas, niſi tale fiet. Nam nos hujus potiſſimum cauſſa pleraque commniniſcimur, ne quis interpretetur contumeliam, aut ſchiſmatis imitationem, cujus hic nihil ſimile. Recenſeantur multa variaque genera Monaſtices. Reputetur quot utriuſque ſexus homines unumquodque habeat. Reputetur. quæ ſit ſingulorum mens, quæ pietas, quæ ſtudia, quæ vita, qui mores, quæ ſanctimonia. Reputetur quæ ſit horum neceſſitas, item quæ neceſſitas tot Regularum inter ſe [c] pugnantium, quas major pars aut odit, aut nolens ac magno tædio ſervat: Ad hæc quæ ſit neceſſitas utilitaſve tot & toties auctarum ad nauſeam uſque cæremoniarum, quibus magna pars innititur, plus quàm obſervatione præceptorum Dei, & quas aliis magno venditant, promittentes quæ non habent ipſi. Reputetur Evangelium Cathedræ Ariſtotelicæ. Reputentur indigna Chriſtianis hominibus Mythologia, quæ deliri in hunc uſque diem adaugent. Reputentur cuculli ſalvandis animabus venditi, quod & alii monuerunt. Reputentur parochiarum detrimentum, parochorum & monachorum, imo monachorum & monachorum inter ſe odium atrum & implacabile. Pauca in memoriam obiter adduxi, ut plura inquirantur. Reputetur qui ſit fructus ſingulorum conventuum, quæ inde ædificatio Chriſtianiſmi, quæ gloria Chriſti. Reputetur alimonia, qua tot ſodalitia ſuſtentantur, & unde ea ſubminiſtretur. Pauperes de labore, imo de corpore ſuo alunt mendicimonia illa, quibus ſæpe hoc dant, quod famelici pueri poſt deſiderare cogantur. Et iſtis tamen offerumentis ſaginantur [b] ventres pigri, utinam nullæ ſint inter omnes malæ beſtiæ. Reputetur Epicuriſmus Monaſteriorum principalium. Invitus dico. Vereor ne ea ſorores ſint civitatis abominandæ dicta apud Ezechielem. Perpendatur ſi juſtum eſt, Monaſterion ſive Scholaſterion ϰ̀ διδασκαλεῖον, atque adeo σεμνεῖον, ut olim dicebatur, Philone teſte, verti in regia palatia, in quibus multo promptius Voluptiæ ac Libentinæ deabus, quam Chriſto Deo ſerviatur. Nemo obſecro ſuccenſeat vera dicenti mihi, imo nemo non ingemat ad eam mutationem, orbi gravem, Deo inviſam, Eccleſiæ criminoſam, ipſis verò ſic monachis, ſic cœnobitis damnabilem. Qui amicus eſt Monaſticæ, is tale admonet. Qui ad tot flagitia mutus eſt, is agit cauſam Satanæ, venantis per ſilentium intempeſtivum mortales flagitioſos igni ſuo inextincto. Finem faciam, ſi tamen hoc votum meum addidero: utinam mentirentur omnes omnia quæ de Monaſteriorum graviſſimis incommodis, tam ſcripſerunt quàm prædicaverunt, non hac noſtra tempeſtate tantum. Proinde reformatis iis Monaſteriis, quæ videntur Eccleſiæ utiliora eſſe, indicatur vera religio. Imperetur ut Monaſticen germanam exerceant, ut ſpectent veteres Eremos ac Anachoreſes, ut vitam Heliæ, Baptiſtæ, Pauli, Anthonii, Hilarionis, Macarii, Arſii, Benedicti, Bernardi, & Aſſiſiatis illius celeberrimi ceu prototypum æmulentur, ut in ſacris literis verſentur, ut verè

† Sacerdotes ad peram & baculum Apoſtolorum revocandi, *Er. to 2. Adag. 1. Cent. 3. p. 603.*

† Fortaſſis expediat Reip. Monaſteriorum eſſe modum, *Er. To 4. p. 463.*

[a] ☞ Heu timendum eſt quòd his diebus — jam alicubi plectrum obedientiæ perditur, totius patriæ relinquitur, & aliò à Clauſtralibus exulat charitas, profugatur humilitas, proſcribitur temperantia, languet pudicitia, & ſic præcedentum patrum religioſa devotio modernis in filiis flebiliter refrigeſcit, *Anon. MS. Bal. de nuptiis in Canaan, p. 217.* *Pour les ordres des Moines, Les Huguenots nommeront le temps, & l'année qu'aid chacun d'iceux a eſte invente,* Ex. Pac. p. 46.

[b] † Nota contentio in Clarevallenſes & Cluniatrenſes ex Dubravio, *Zuing.* p. 61.

Il n'y à aucunt reſemblance des Ceremonies de l'Egliſe moderne aux Ceremonies anciens, Exam. Pac. *p.* 49. † Neglectis iis quæ ſunt veræ pietatis, plus æquo fidunt cæremoniis, quæ plus habent Judaiſmi quàm Chriſtianiſmi, *Er. to. 2. ep. 6.* † Proverbium vulgò Sacerdotes ſuperſtitionum præſtigiis caliginem oculis effundere mortalium & cæremoniis, *Jo. Avent. Annal. Bojorum*, p. 577. † Quarum examina vide apud *Er. To. 6. in Matth* 11. † Quæ efficaciores ſunt quàm juſta religio, *Id. Ib. l. 4. p.* 300. † Doctrinas hominum non plantavit (Cœleſtis pater). Ideo illa (id eſt) præcepta Dei manebunt: hæc autem evellentur. [b] ☞ Qui ſub victualium obtentu ad Clauſtrum ſeſe convertunt —— contra hos facit illud Evangelicum, Quæritis me, non quia mirabilia vidiſtis, ſed quia ſaturavi vos panibus. *A S.* * p. 77. ☞ Cum ad Clauſtra contemplationis aſcenderunt, caveant ne eos ſequantur duæ filiæ Loth. viz. gula & luxuria, *Phil. Repington MS.* p. 175. Cœperunt in Monaſteriis ſtudia non ſolum rerum divinarum, ſed etiam Liberalium Artium exerceri, ſic ut ibi Adoleſcentes in Liberalibus Artibus & potiſſimum pietatis ſtudiis imbuerentur, *Caſſ.* p. 248. [c] Quàm longè Monachatus hodie à prima ſua origine degeneraverit & quantis abuſibus contaminatus & deformatus ſit, vide *Caſſ.* p. 252. ☞ Vidi ficus bonas, & bonas valdè. Ficus bonæ valdè ſunt boni clauſtrales, & quicunque perfectiores in Eccleſia; & malæ valdè ſunt mali Clauſtrales, & mali viri eccleſiaſtici, qui ſeculo verbo renunciant, & mente ſecularibus inhiant. De hujuſmodi dicit Hieronymus, Sicut non vidi meliores his qui in Clauſtris profecerunt, ſic non vidi deteriores, *A.S. p.* 46. *La vie ſolitaire ——— eſtoit anciennement tout autre que celle de nos Eremites & Anachorettes d'aujourdhuy, &c.* Exam. Pac. pag. 45.

Theologi fiant, & Hieronymiani potiùs quàm Scotiani, ut aliquid operis [a] faciant, nunquam otiosi, nunquam torpentes, ut vocati [b] exeant ad evangelizandum, ut invisant ægrotos non vulturii, ut commententur Ecclesiæ salubria, qui donum prophetiæ habent, non ordini lucrosa, ut consulentibus se Christianè consulant, ut sint terror flagitiosorum, formido impœnitentium, lucerna se sequentium. Profectò si hæc & hujusmodi posthac in Monasteriis paucioribus ultra divinum cultum fiant, non admodum diffiderem, quin Sectæ assensuræ sint, præsertim quum sciant, solere ea [c] aliquando viros doctrina præstantes, præterea vita sancti laudatos producere, deinde acerrimos reprehensores vitiorum non modò plebeiorum, verùm etiam quæ Principes & crassi isti Hansones prælicenter delirant, quum tales Evangelistæ interim nostri Cyri matris consilio obaudientes, byssinis sermonibus mulceant atque expalpent. Postremò demereri Monasteriis favorem insignes Bibliothecas quas ita asservant, ut ab iis studiosorum neminem prohibeant. Nec illud prætermittendum, nempe ea egenis de sua egestate largiri, & juvare quoscunque maximè peregrinos, & sublevare opifices, & commiserari agricolas. Cum his confer gesta, eleemosynas, subsidia, cujusmodi nunc videmus ac audimus in Monasteriis vacuefactis.

En l'Eglise primitive —— ils gaignoient leur vie à la sueur de leur visage, Exam. pacif. p. 45.
[a] Monachus qui non operatur, latroni par judicandus est, *Ant. de Dom l. 9. c. 5. §. 64.*
De Monachis superiorum temporum & nostræ ætatis vide *Ant. de Dom. cont. Suarem, c. 1. §. 8.*

[b] ☞ Exurgere debet vir Claustralis ad prædicationem, & præcipue qui in Ecclesia cathedrali Monachatus est, *MS.* * *p.* 107.
[c] ☞ Adhuc in Claustris manet habitus religionis sicut antiquitus quasi veritas vita, & mortui mundo rarissime inveniuntur. *Phil. Repingdon. MS. p.* 207.

Porrò Sacerdotum non [a] sacra admodum vita concordiam vix impediret, si de Monastica soporata lis esset. Sacerdotes enim non tanto laborant odio apud hoc seculum: Neque tamen ita valdè amantur ob conversationis indecentiam. Corrigatur itaque sacerdotium, & multi ad paucos redigantur, ne multi multa peccare pergant, sed ut pauci diligentius observari queant. O gubernatores plus nimio tabulatæ navis Christi, evigilate, excutite lethargum tenacissimum, aspicite ordinem, officium, conversationem Presbyterii. Quid dissimilius, quid magis diversum ab antiquitate, professione, decore ac decoro? Homines è mediis Mundi tenebris in lucem Ecclesiæ constituuntur. Homines nullis apti functionibus ad sacra mysteria admittuntur, imò alliciuntur, trahuntur. Nec alia de causa itur ad ordines, quàm lautæ vitæ. Qui volunt humanæ miseriæ sorte exempti reliquum vitæ tempus esse, illi se in ordines conjiciunt, ut videlicet bonum otium desidia & [a] pudenda voluptate conterant. Alea Biblia est, equi pauper proximus est, spata calamus est, catti mendici sunt, canes ægroti, aves exules, horti hospitalia, thesaurus bona opera, prostibulum pudicitia. Videtis? Ah videte Primates, aut contrectate potius. Sed exulceratum tempus & concordiæ spes, non sinit me nunc audacius loqui, utcumque hæc sectis plausibilia erunt, quæ si semet noscerent, animadversa trabe propria, forte collachrymarent citius quam loripedes deriderent non recti ipsi, & communibus consiliis operaque adessent ultronei, ut Ecclesiæ languores allevientur. Vos facite gubernatores, [b] ut Clerus vulgo melius audiat, utque tot & tam opimi proventus eleemosynarii rectius collocentur, ne unus analphabetarius equiso tantum (non honestis rationibus acquisitum) possideat, quantum tribus quatuorve probis viris sufficeret. Summatim, in ordinem agantur canonici pathicissimi, vicarii sordidissimi, parœcii indoctissimi, & succedet optata pax. Qui inter hos probi sacerdotes & studiosi sunt, ii delectabuntur generali ista admonitione, tantum abest, ut monitoribus nobis succensere debeant. Non malè volumus sacerdotibus sacerdotes ipsi, sed illis nunc benefacimus, olim sensuris, quando nimirum à Christo judicabimur. Joan. Chrysostomus vir incredibilis & secundum scientiam zeli, cujus lingua ardens facula erat, ferre non potuit [f] sacerdotes sui seculi; at is si revivisceret nunc, qui rogo clericatum nostrum ferret? Ferre poterat, sed correctum. Quid putas dicerent reversi ad nos Episcopi, per quos Germania fidei Catholicæ primum adjuncta est? Atque adeò quid di-

[a] ☞ (Sacerdos) velox ad mensam, sed tardus ad Ecclesiam, potens ad potandum (piger) ad cantandum; pervigil ad fabulas, somnolentus ad vigilias; procax ad loquendum, mutus ad psallendum; promptus ad iram & detractionem, piger ad ordinem; invidiæ auctor, Christi persecutor, &c. *MS.* 29. *p.* 122.
[a] In tantum est Clericis hodie effræna concupiscentia, quia sicut equus & mulus quibus non est intellectus, quod capiuntur cum mulieribus, & ducuntur simul per civitatem in opprobrium Clericalis ordinis & contemptum, *MS.* 24. *p.* 276. [b] ☞ Non est multum si laicus peccet in loco sancto: sed magnum est & horribile, si Clericus qui factus est ostiarius, ut à loco sancto prohibeat immundum, in loco sancto peccatum committat, *MS.* 24. *p.* 225. ☞ In Laicis & in vetulis major devotio reperitur. *Phil. Repington, MS. p.* 157. ☞ Quanto serpens est coloratior, tanto venenosior: ita quidem in se varias curiositates quasi multos colores prætendunt. Nam in capite coronas habent ut Clerici, tonsuram ut Laici, habitum ut milites, gladios ut armigeri, caligas ut Histriones: de quibus dicit Bernardus ad Eugenium Papam, Habitu milites, qui tamen Clerici: Neutrum actu exhibent; nam neque pugnant ut milites, neque evangelizant ut clerici, *MS. o. p.* 428. [f] ☞ Benè petit Prælatus pennas Columbæ, columba enim alienos pullos pascit: sic & Prælatus non consanguineos suos tantum, sed & alienos pascere & procurare tenetur. *MS.* * *p.* 74. ☞ Sed heu! jam non omnibus, sed paucis, notis scilicet & propinquis benefaciunt: cæteros autem sibi subditos & Pauperes negligunt & contemnunt, & ita fructum misericordiæ non referunt, sed sterilescunt, *MS. o. p.* 435.

ćturi

cturi essent priscæ Romæ Sacerdotes, quos Numa instituerat? Quid Jovis Flamines? quid ipse Metellus? quid ipse Nasica, Pontifices maximi? Quid tandem vos diceretis, ô Primates, si Primates non essetis, sed populares? Aut si coram adstans Dominus Jesus, cujus flammei oculi in ipsa cordium vestrorum adyta introspiciunt, vos sententiam rogaret? Fortè movebit vos ira quorundam corrigi nolentium. Atqui melius est, homines irasci vobis, quam Deum altifrementem, qui est ignis consumens, à cujus facie liquescunt elementa ceræ instar. Nec est, cur quisquam queratur, instituta Patrum mutari ea ratione, quum multò magis ad instituta Patrum mutentur nova quædam Ecclesiæ perniciosiora, quàm salubriora, & tollantur mali mores, ut bonis locus sit. Igitur propter metum Dei, charitatem Christi & proximi, ædificationem Ecclesiæ, destructionem Synagogæ & Turcismi, amorem virtutis, famæ vestræ celebritatem, & animæ salutem, si non propter Schismata accingimini ad emendandum clerum, idque ad Scripturam ceu reginam dominamque rerum, ad Decreta deniqûe Patrum ceu reginæ pedissequas. Sic quæso agatur, ne Ecclesiam cleri sui in posterum pudeat. Porrò concordiam promovebit, si Sectarii quoque Sacerdotes corrigantur. Horum doctrinam ac vitam indicavimus in libro, cui titulus, Evangelion Lutheri. Sic vivunt isti quoque, ut locus nullus illis relinquatur carpendi alios, & cum clericis certare propemodum videntur, utri improbius vitam exigant. Neque tamen pudet hos, semper in Sacerdotum Nonnorum & Nonnarum vitia acutum cernere, ad sua turpiter lippire. Quam habent isti concionem, in qua non meliorem horæ partem in traducendo Clero consumant? Et faciunt hoc scurriliter, huc duntaxat tendentes, ut vulgi applausus excitent, utque Sacerdotibus etiam atque etiam damnatis, suæ interim licentiæ parcat populus, & de suis moribus tanto melius sentiat, quo pejora quotidie de Sacerdotum moribus è suggesto audit, digni videlicet præcones tales, ut sua ora Sacerdotum benè obesorum muco & oleto obturarentur.

XXVIII. RESTITUTIO.

POST transactionem pacificam Ecclesiasticæ rei opus est, ut ob effecta aliqua, quæ infecta vix fieri poterunt, nulla sit contentio, ne retrogrediatur omnium votis postulata pax. Invasio aliquot Monasteriorum, direptio fanorum, & eorundem demolitio æqui bonique consulenda est, non aliter ac si fines Germaniæ nuper ingressus Turca talia fecisset. Nam cur velint Monarchæ vilis metalli gratia concordiam benè sartam rursus dissui? Qui manus adtulerunt alienis rebus, nihilo ditiores aut meliores facti sunt, quare non est, ut illis infelix felicitas invidiam afflet ullam. Forsan sic placuit fatis. Ad immensum excreverant aliqua, quæ fortè incidi isto impetu debuerunt. Et tentârunt idem exemplum nonnulli etiam ex Catholicis, quò citius cæteris condonandum. Nisi videatur æquum, ut restituant summam aliquam auri ac argenti, in confessionem sui sceleris. Qua summa consuli possit exturbatis Monachis, & Templorum parochialium ruinis, præterea reparandis scholis, eleemosynis denique publicis. Magnus est quidem ausus, aliena adeo confidenter invadere. Sed quid non condonandum propter pacem orbis terrarum, præsertim si aliquo Pœnitentiæ signo raptores ostendant, se contra Deum & Cæsarem violentas manus bonis alienis intulisse? Viglephi dogma seditiosissimum de diripiendis Monasteriis & Templis debebant promachi Schismatis hujus prius excutere, quàm defendere. Sed vicit rationem appetitus. Insuper de personis [b] Monasticis, quæ conjuges esse & duram pauperiem pati maluerunt, quàm invitæ, [c] torpentes, deliciantes in suis phratriis pretiosum tempus consumere, nemo sanus litigabit. Facilè vident sapientes ac sani, utrum præstabilius. Neque verò tam dementes ullos esse reor, qui repudiandas miseras uxores, & abjiciendos his miseriores

† Divitiæ circumcidendæ. *Budeus de Asse, l. 5. p. 730.* ☞ Ecclesia dicit, Pauper sum ego: cum potius dicere debet, Dives sum ego, quia ut alibi dicitur, à tempore Silvestri Papæ, hausit Ecclesia venenum, quia fuit major dignitate, & minor religione. Qui licet abundantes in temporalibus, &c. tamen sunt tanquam nihil habentes, quia pauperes sunt spiritu, *MS.* * *p. 129.*

[b] ☞ Si Monachus fuerit in Cœnobio suo, si conjugio legitimo uxoratus fuerit, suasque conjuges & liberos in Dei servitio foveant, seu divites seu pauperes sunt, non errabundi sunt —— vocantur ad cœnam Domini, *MS. o. p. 31.*

[c] † Ignaviam probè animadvertit, *Polyd. Virg. l. 7. de Invent. c. 2. p. 496. Vide Notas marg. in c. 9. de Conjugio.* ☞ Jure Sacerdotum parochialium Angliæ ferè cunctorum damnabili quidem & detestabili publicè secum habebat concubinam, comitem individuam, & in foco focariam, & in cubiculo concubinam, *Sylvest. Gyrald. in Manuscripto Cotoniano, p. 159.* ☞ Improbe hoc, sed improbius illud quod habet Tho. Gascoigne in suo Alphabeto Theol. Tho de la Bere Episcopus, cùm instarent atque urgerent Sacerdotes, ut à concubinis divellerentur, non consensit in petitionem eorum ne annuum censum 40 marcarum aut circiter amitteret: sed longè improbissimum factum quorundam malè officiosorum – officialium (dicerem & vicariorum)—— qui tum Clericos tum Laicos cum concubinis, pellicibus & meretricibus cohabitare, liberosque procreare sinebant, accepto ab eis atque adeò alicubi à continentibus certo quotannis censu. Habeant (aiebant) si velint. *Espenc. in ep. ad Tit. digress. 2. p. 65.*

 liberos,

liberos, contra fas & Leonis noni decretum suasuri sint in invidiam Sectæ, aut qui adimendas uxores parochis censeant, & harum loco concubinas [d] permittendas, aut qui acceptas uxores concubinarum loco habendas, ac concubinarum nomine coram tota Ecclesia appellandas esse judicent. Si tales censores & judices nunc vivunt, mirum est: Certè nihil absurdius, aut ab humana ratione alienius censeri ac judicari possit. Quanto consultius est, ut quoquo modo conjugibus factis, conjugium primum concedatur, at ea lege, ne illud posthac repetant. Ad hæc satius fuerit, conjugatos parochos tolerare, quàm his vi deturbatis atque abactis, manifestarios fornicatores in sedem horum turpiter sufficere. Perpendendum est, multos imprudenter magis quàm impudenter illapsos in vinculum istud: Nec omnes esse malos viros, qui in Sectæ ministerio deprehenduntur, tametsi plurimi sunt perditissimi homines. Et multis denique Sectæ ipsius facies displicere cœpit, nec tamen vident, impliciti malis variis, quò sese conferant, aut qua ratione sese inde evolvant, in isto maximo dissidiorum fervore.

[d] ☞ Quæritur qua re Ecclesia meretrices sustineat? (Respondeo) quod fragilitas carnalis præsentis temporis [cùm etiam mulierculæ non solùm sequantur curias Sæcularium Principum, sed etiam Episcoporum] valdè prona est ad malum, & ad libidinem, & vix potest aliquis suaderi vel compelli ad continentiam; & ad vitandam deteriorem libidinem, sustinentur Meretrices & scortatores in Ecclesiis, & ab Ecclesia: Sicut Moyses cùm videret populum pronum ad occidendum uxores suas —— permisit dare libellum repudii, —— ne deterior libido usum assumat, *MS.* 29. *p* 51.

Habetis, monarchæ Christiani orbis, quæ ego minimus Christianorum pro tempore ad recuperandam omnium summæ atque nobilissimæ Religionis nostræ Unitatem commoda fore arbitrer, offerens ea, ceu debitum animæ meæ, Pietati vestræ cognoscenda saltem. Judex ipse aut etiam cognitor aut arbiter tanta in re, ut nolo, ita non possum esse. Vos quæ pacis sunt sectamini, & Deus pacis erit vobiscum.

ZACHAR. VIII.

Veritatem tantùm & pacem diligite, ait Dominus Deus omnipotens.

ADHORTATIUNCULA, UT Vocetur Concilium, ad Archiepiscopum Moguntinum, &c. privatim scripta à GEORGIO WICELIO, & nuper ab eodem locis aliquot locupletata.

PAULUS APOST. 1 COR. i.

Adhortor vos, fratres, per nomen domini nostri Jesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos Schismata, sed sitis integrum corpus, eadem mente, & eadem sententia.

SOlenne est & à Majoribus acceptum panegyricis, hoc est, laudatoriis atq; plausibilibus festisque gratulationibus in populari cœtu habitis, ingressos excipi Principes, idque partim ut significationem gaudii & promptissimæ voluntatis civium erga se intelligant, partim ut ea specie tam commoda eaque hora tam opportuna officii sui submoneantur, quos alioqui difficile sit pro re (ut debet) compellari. Tale à me in præsentia minimè expectet Celsitudo tua, clarissime Princeps, utpote qui is non sum, à quo præstari ejusmodi queat. Deinde Faccham, non Hallim ingressam R. D. T. excipimus. Postremo nullo ea opinor laudum desiderio ardet, quippe plus quàm credi possit harum satura. Hoc volo, hoc tantum ago. Ubi inaudivi R. D. T. adventare, cœpi mecum animo revolvere, ecquid incola, tanto primate fumosa oppidi nostri tecta subituro

ſubituro facerem gratulabundus, unde fructus aliquis ad rempub. Chriſtianam redire videatur poſteaquam nunc pro hujus ſalute impensè laboro. Nam hoc congruere potiſſimum Epiſcopo Eccleſiæ, & profeſſionem meam decere putavi. In mentem igitur immiſſum eſt illicò (non diffido quin ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων) ut quoniam diœceſeos R. D. T. presbyter ſum, majore cum fiducia ad hanc de eo auderem ſcribere, citra quod neque Eccleſiæ gubernatio, neque Religionis conſervatio ulla eſt. Sed ſine proloquii ambage iſtud eloquar.

Concilium œcumenicum eſt, Reverendiſſime Præſul, cujus diutino deſiderio tantum non enecti pii ubique homines crebros ab imo pectore gemitus ducunt, & oculis non ſiccis vident mala Chriſtiani orbis innumera. Pendent & ſpe ſola exercentur probiſſimi quique inter hæc, nec portus ſeſe adhuc ullus aperit. Indecoram Eccleſiæ confuſionem ſentio, cui ire obviam, cui mederi, quam reſtituere poteſt nihil niſi Concilium. Hoc unum rebus fidei juvandis conceſſit Dominus Jeſus, ad cujus mentionem ſurſum corda ſurrigamus cultores. Hoc ceu perfugium afflictæ religionis noſtræ unicum ſuo exemplo commendarunt nobis Apoſtoli Domini Jeſu. Hoc mandarunt S. Patres, ut modis omnibus neceſſarium ad tuendum Eccleſiæ negotium. Ad hoc hortantur morbi Eccleſiæ periculoſiſſimi, & varii caſus. Ipſa adeò animarum infinitarum jactura vel ſola animos omnium huc non commovere modò, ſed perpellere etiam debebat, ut omiſſis omnibus, Concilium vocetur quo videlicet concilientur pugnantes inter ſe opiniones, quoad fieri poſſit, atque adeò quò concilientur inimici animi illorum, qui ex æquo omnes tamen unum adorant Chriſtum, quò inquam uniatur coagmenteturque * Eccleſiæ corpus tot ac tam horrendis modis dilaniatum, quò denique concordia Chriſtiani nominis univerſas terras rumore pervagetur, in ejus gloriam cujus unius res agitur. Nemo, ſicut ego quidem judico, aliquid præſentius invenire poterit, quo incommoda tolli queant. Alii papyro, alii ferro, alii Bullâ pontificiâ, alli perſuaſione, alii concionum vi, hoc eſt, clamoribus exiſtimant rei eſſe occurrendum, ſed falluntur. Libri enim libros pariunt utrinque, clamatur utrinque non ſine rabioſis conviciis. Armis arma repelluntur [a] Bullas aſpernantur Germani, Perſuaſiones ſuo loco valere poſſunt, hic tota luditur opera. Quiſque enim alteri nititur perſuadere, quod ſibi eſſe rectum ac æquum videtur. [b] At in Concilio quæſtiones allatæ ad vivum examinantur, controverſiæ ſeriò diſpiciuntur, obſcura elucidantur, dubia certificantur, mobilia ſolidantur: ibi nullius niſi recti, veri, honeſti reſpectus. Agitantur pleraque quaſi in conſpectu Dei, ut de quibus immortali judici ſit olim reddenda ratio. Ibi nullo metu proponitur, liberæ ſunt ſententiæ, ſed judicium ſeverum propoſita manet. Nihil effugiet Lydiam regulam. Eſtque itaque Concilium, ſi timore Dei Opt. Max. cogatur, pharmacum Reipubl. eccleſiaſticæ, aſylum veritatis, extricatio atque enodatio difficilium cauſarum, aſſertio Majeſtatis Scripturæ ſanctæ, redintegratio divini cultus, reciſio improbatorum morum, deletio Chriſto indignarum conſuetudinum, excidium errorum, terror hæreſeon, conſolatio ſpeſque catholici populi, breviter certa ſanitas Eccleſiæ Dei. Viderunt hoc majores noſtri, qui eum neutiquam abs re caverunt, ne ultra decennium Concilii neceſſitas differretur, nimirum ut vel hujus metu quidam non boni mali quippiam audere abſterrerentur. Atqui nunc nonaginta fermè anni abierunt, quod Concilium fuit, & illud ipſum quod fuit, non uſque adeò Eccleſiæ Chriſtianæ profuiſſe cum ſuſpirio videmus. Voluerunt quoque idem ſapientes & religioſi viri, ut quotannis provinciales ſive epiſcopales ſynodi cogantur, in quibus ſi qua incidant intoleranda, corrigantur. Nam quî fieri poteſt, ut in tanta Chriſtianorum turba non plurima uſu veniant, quæ emendari neceſſum ſit, ut jam de clero nihil commemorem? Recitabo hic, quod B. Anacletus in primis Rom. Eccleſiæ temporibus de Concilio fratribus ſcriptum reliquit: Si autem, inquit, difficiles cauſæ, aut majora negotia orta fuerint, ad majorem ſedem referantur. Et ſi illic facilè diſcerni non poterint, aut juſtè terminari, ubi fuerit ſummorum congregatio congregata, quod per ſinguſos annos bis aut ter fieri ſolet & debet, juſtè & Deo placitè coram Patriarcha, aut Primate eccleſiaſtico, & coram Patritio, ſecularia judicentur negotia in commune. Quod ſi difficiliores fortè fuerint quæſtiones, aut temporum vel majorum judicia, aut majores cauſæ fuerint, ad ſedem Apoſtolicam, ſi appellatum fuerit, appelletur: quoniam hoc Apoſtoli ſtatuerunt, juſſione Salvatoris, ut majores & difficiliores quæſtiones ſemper ad ſedem referantur Apoſtolicam, ſuper

At Papa in Conc. Trident. palam affirmabat ſolum ſe ſine & abſque Concilii omnia poſſe, ſuperior quum ſit omnibus, *p.* 299. Multi in Papatu ad reformationem aſpirant, vel potius ſuſpirant, *Ant. de Dom. l. 7. c. 5. §. 42.* † Si modeſtè [illegible] ci è ingenui cun; *Er. To. 6 in Matth. 11.*

† Sed hæc deflere potius quàm emendare poſſumus, cùm quidem cum paucis ſapere ineptius ſit, & multis videre *Lil. Greg. Girald. to. 2. p. 403.*

† Concilium Generale remedium omnium malorum, *Er. tom 6 in Matth. 11.*

* *Vide notas marg. in cap. 1.*

[a] Lutherus tradidit bullam Leonis & Decretales Pontificiorum igni cremandas præſentibus omnis generis ſcholaſticis Academiæ Wittembergenſis. *Hiſt. Conc. Trid. p. 10.*

[b] Sic eſſe oportet. † Non Concilio, ſed Scripturarum auctoritati innitendum eſt, *Eraſ. in Indice A g.* Hæc habet Wicelius ex epiſtola fictitia Anacleti.

quam

quam Christus universam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad beatum principem Apostolorum Petrum: Tu es, inquit, Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Sit, ergo, fratres constantia vestra adversus contentiones eorum, qui adversa sapiunt, & non quæ Dei sunt, & erit fortior petra constantia vestra, sicut scriptum est: Ne timueritis ab eis, & neque terreamini à facie eorum qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Quod autem in aure auditis, prædicate in lumine, illum timentes qui potest animam & corpus occidere, & mittere in gehennam. Hæc Anacletus beatissimus Papa.

† Nihil aliud ex his verbis elicitur quàm petra fidei secundum *Ferum in c. 16. Matth.* p. 220. † Petra verbum, clavis fides, *Jac. Fab. in eundem locum Matth. p.* 126. † Petrus non fundamentum ecclesiæ: ex istis verbis, *Eras. Schol. in To. 2. ep. ad Marcellum, p.* 130. nu. 1. *vide Hist. Conc. Trid. p.* 611.

Quando igitur tam salubris tamque necessaria res est Concilium Christi nomine vocatum, & hoc carere Religio planè nequit, [a] maximè in eam tempestatem impacta, in qua non sine lachrymis versamur, nihil utilius poterit facere R. D. T. Religiosissime Heros, quàm ut instet sedulò, ne negligatur quod in tribus Comitiis Cæsarea Majestas assentiente principum voluntate de convocando Concilio decrevit. Re experiamur quod ex animo decreverit, de quo ut ipse nihil dubito, ita non desunt quibus id fulgur ex vitro est. Plurimum valebit apud omnes imperii Rom. proceres, si R. D. T. acriter & ardenter institerit. Quis enim est in omni præsulum albo celsitudine tua celebrior? Quis nescit quàm sit R. D. T. erga pietatem, erga bonos mores, erga rectas literas affecta? Novimus quanta solicitudine, non Augustæ solum, verumetiam Sueinphordiæ, vere proximo egeris ut coëant cum Ecclesia Sectæ, utque sepeliatur ter detestanda discordia, quæ in prælia Germaniam armatura erat. Nec in obscuro est, permulta nunc existere, tot seculis sensim in Ecclesiam illapsa, quæ minimè probet sapientia tua. Quæ res, ut nihil aliud, non mediocrem animi tui pietatem nobis declarat.

[a] † Quum nullo unquam tempore tanta fuerit morum depravatio, *Fr. Duarinus de sacris ecclesiæ Ministris, l. 1. c. 4. p.* 440. (Ecclesia) † perverso cultu sensim depravata,— fidem ejus rei faciunt querelæ piorum virorum, & emendationem in Ecclesia frustra petentium. Dixit nonnullus apud Thuanum, *lib. 63. p.* 175. † Quanta malorum omnium exundatio? Videtur supremum mundi diem minitari, *Er. ep. ad Guil. Warrhanum, To.* 4. † Corruptissima tempora: ita Henr. Breulæus de militia politica duplici, p. 2. in ep. ad lectorem. Corruptissima tempora: ita concludit hunc chorum, *Ant. de Dom. l. 9. c. 9. sect.* 15. † Et mihi nunc apud vos secretè liceat exclamare, O tempora, O mores, *sic Lil. Greg. Gyraldus, to. 2. ex Hist. Gentium, p.* 318. Hæc omnia de Ecclesia Rom. non Lutherana, dicta sunto.

Proinde, summe Præsul, & Domine illustrissime, huc referat pietas ista tua omnem curam, industriam, laborem, ut dicatur dies, ut deligatur [b] idonea civitas, ut [c] evocetur Pontifex Rom. ut impigrè coëatur ex omni provincia Christiani orbis. Ne, obsecro per salutem, præpediat negotium multò omnium saluberrimum (ut solet quod Dei est) Satanas. Ne detineat malitia quorundam magnatum, qui nihil castigatum volunt, nec ea quæ apertè gentilia sunt. Ne obsistat Lutheristarum perfidia: Nam illi Conciliis omnibus pridem valedixerunt, & suam istam doctrinam Angelorum etiam judicio subtraxerunt. Ne denique remoretur clericorum aliquorum injustitia, cujus meritam metuunt correctionem, malentes probro esse Religioni sacrosanctissimæ quàm decori. Sat, ô sat datum atque largitum nonnullis erroribus, quos præter rem invexerunt otiosuli quidam, & iniquitatibus quibus miserè premitur infelix Ecclesia. Etenim quousque volentes patiemini eam defœdatam, quum purgare possitis? Quur autem non possitis capita si voluntas adsit? Et qui fit ut primis ecclesiæ temporibus adeo in proclivi erat vocare Concilia? Et ea nec pauca, nec tam necessaria, uti nunc? Si olim una quæstio congregare valuit sanctam Synodum, mirum si jam non congregent centum. Si divus Augustinus desperat unum comessationis vitium (quod sua ætate in quibusdam Africæ Ecclesiis ad sepulchra divorum nescio in quem honorem fieri pro more solebat) nisi authoritate Concilii sanari posse (his enim verbis utitur in Epist. 64. ad Aurel.) Nos profectò sperare non possumus, ut tot Ecclesiæ Rom. vitia tolli è medio queant, nisi publica Concilii sacri authoritate. Numera vitia, abusus supputa, & confitebere, nulla hominum ætate pejore in statu fuisse rem religionis. Id quod non odio Ecclesiæ, quemadmodum hæretici, dico, sed benevolentia. Aliud est calumniari, aliud conqueri. Inimici homines traducunt Ecclesiam ut dehonestent publicitus: Ego admoneo amicus, ut suam tueatur honestatem. Dici solet: Amici vitia si feras, facis tua. Qua sententia vel sola eo extimulari de-

[b] Millies petitum hoc & expetitum à Protestantibus in Conc. Tridentino, sed frustrà. *Conc. Trident.* p. 27. [c] *Quid ego audio? Ut evocetur Pontifex Rom.* † Constat itaque Synodos mandato Principum convocari. *P. Ærod. Pandect. c. 17. p.* 45. † Jus principum convocatio, Fr. Duarenus jureconsultus nulli secundus, ex cujus scriptis liquidò apparet, Principes non adfuisse tantum Synodo, sed & præfuisse, *Duar. l. 1. c. 5. p.* 443. *vide Hist. Conc. Trid.* p. 136. Enumerantur Concilia per Principes convocata, & *p.* 137. Concilia terrori sunt Pontificibus, non libenter itaque passuri sunt ob periculum imminens, ut convocentur, *Hist. Conc. Trid. p.* 302.

bui.

bui. Qui favet Pontificibus, dolens eos revocat in viam, si exorbitent. Qui invidet, gaudens effert ac exaggerat malum. Uterque malum videt, sed non iisdem oculis. Sed ut cœpi pergam. Si non quàm maximè opus est, de nullo cogitetur Concilio. At quis inficiabitur, quàm maximè opus esse? Quis nisi summè cæcus, summè malus? Querimoniæ omnis sexus, omnis ordinis, omnis ætatis, cœlum quotidiè pulsant Dolores sunt vehementissimi, mœrores gravissimi.

Commiseramini igitur Christiani populi vicem, qui incertus mirificis æstibus fertur ac fluctuat, nec satis sibi persuasum habet, ubi pedem figat. Et periculum est, ne indies plura exoriantur schismata, cujus immensi mali culpa est nulla, nisi synodi intempestiva dilatio. Vulgus conciunculis mellitis ab Ecclesia catervatim abductum est. Ad hanc verò reduci nunquam poterit, nisi Concilio arbitro. Nec diffido facile reduci posse, si amputentur modò superstitiosa, inutilia, perniciosa, immodica, idque dolenter magis quàm inimicé. Audio undique qui percupiant redire, si non ita deterrerent odiosa offendicula. Ferè enim major pars populi pertæsa est Lutherismon, utpote materiam duplicatorum malorum. Fatentur se ea via non ituros in vitam. Fatentur omnia propè prioribus deteriora, nec se inclinare rem ad emendationem sui. ò spem maximam de ornamentis Christianæ Religionis deque communi salute, si R boni, hoc est, Concilium mox futurum dissidia componat, & tollat Ecclesiæ dedecora, ob quæ blasphemiis immanissimis oneratur apud Turcas, Indos, Ruthenos, Judæos, Hæreticos. Itaque nihil est, quo minus aut possitis, aut debeatis, ô columina. Tempus ad hoc invitat. Nam Turcicæ res in Hungaria propediem speramus suam nanciscentur catastrophen. Admonet caussa. Compellit necessitas inevitabilis. Hortatur ærumna perplexæ plebis. Flagitat schismatis confidentissimi atque audacissimi secura pervagatio, & plurima quæ ex hoc suppullulant. Extimulat ruina domus Dei. Nec ad hoc quicquam deest. Sunt viri doctissimi & clarissimi in Europa, per quos sanctiss. negotium transigi: Extant libri vetustissimi & singulari authoritate, quorum adminiculo expediri rectissimè queat. Imperator Carolus 5. invictissimus præstò est in Germania nostra. Est unde sumptus sustententur, breviter minimum maximum, nihil deest. Hîc non comminiscar immortalitatem consequuturos Heroës quotquot satageritis, ut Concilio Christianismi languoribus medicina paretur, at R D. T. peculiarem etiam famam nominis (& si eam non usquequaque spectat) reportabit, si primam curam adhibuerit solicitatrix atque impultrix cæterorum Principum. Considerandum maximopere est, imminere gravissima pericula, ni in tempore statui rerum publicarum succurratur. Qui insidiatur calcaneo nostro, qui lolium lappasque superseminat, qui quærit quos devoret, mihi crede, non agit ferias.

Superest ut fiat Concilium, & ex Concilio consensus. Diu superstes vivat R. D T. Facchæ. Ann. Domini 1532.

COL. III.

Superna curate, non terrestria.

Precatio ad DEUM Opt. Max. pro Reformatione Ecclesiæ.

OMnipotens, misericors, Æterne Deus, qui es author puritatis & pacis, effice, quæsumus, ut in Ecclesia tua Evangelii tui doctrina sicut à principio floreat, ut Sacramenta tua rectè ritéque tractentur, ut denique Conversatio nostra, in omni pietate & honestate, te digna semper sit, ad gloriam nominis tui & ad honorem Religionis nostræ, per Christum Dom. nostrum, Amen.

Ec-

Ecclesiæ Pax loquitur.

Pax redeo læta ramo ornatissima Olivæ.
Pacis amor redeat, me redeunte, tibi.
Paci dede manum, virgo mea Mater: ab imo
Pacem persequitor: Sum tibi sola salus.
Pax ô Nympha mari terra cœloque verenda.
Pace potest rerum pulchrius esse nihil.

Finis Methodi Concordiæ.

VITA GEORGII WICELII Senioris.

VItam *Georgii Wicelii senioris* ennarraturo, dabitur mihi venia (uti spero) ab ingenuo Lectore, si minus id assequar quod velim, aut sicubi cæspitem in via, in tanta caligine Scriptorum, qui ejus aut nôn meminerunt, aut si memorarunt in scriptis suis, fecerunt hoc cum nigro carbone & nota infamiæ. Protestantes nomen ejus ignotum, Pontificii exosum habuerunt: Testis est [a] Index Sandovillianus, in quo recensentur scripta ejus Homiliaria inter damnatæ memoriæ Auctores. Unus tantum est [b] Cornelius Loos Callidius Pontificius, qui vitam ejus ex professo tractans, numerat eum *inter doctrinâ simul & pietate illustres viros, qui sacra fidei dogmata, à profanis Sectariorum novitatibus, & resuscitatis veteribus olim damnatis hæreseon erroribus* [c] *vindicavit*: Id quod in sequentibus luce meridianâ clarius apparebit rem penitius intuentibus. Accedo igitur ad vitam ejus describendam ex Autographis ejus, & literariis fragmentis *potissimùm*, quæ fidem faciunt indubitatam; quod si libri *Epistolarum* (Deo sic disponente) in manus nostras pervenissent, dubium non est, quin eam daremus Lectori, si non omnibus suis numeris absolutam, longè quàm nunc est absolutiorem.

[a] Vide Indicem librorum prohibitorum & expurgatorum, D. Bern. de Sandoval. Madriti 1612. p. 48. & p. 355. inter secundæ classis Scriptores.
[b] In illustrium Germaniæ Scriptorum Catalogo, Mog. 1582. in 8. 600.
[c] Anno 1548. *Gilb. Genebrardus* ponit *Geo. Wicelium* inter catholicæ fidei propugnatores, unà cum *Aloysio, Lipomanno, Dominico de Soto, & Alphonso de Castro.*

Natus est igitur *Georgius Wicelius* noster *Fuldæ* Herbipolensis Diœceseos, haud obscuro oppidulo, [d] anno 1501. ex parentibus honestis, [e] qui habuerunt satis unde eum alere possent. [f] Fratrem habuit *Andream*, fratruelem *Jo. Landavum*, unde familia ejus *Landavica* dicta est: quæ (quod [g] *fatetur, sed cum dolore*) *Chrestologiis Prædicatorum inescata, maluit ab ecclesiastica disciplina ad licentiam schismaticam discedere, quàm cum Pontificiis unanimiter durare, & odiis implacabilibus, convitiis, vituperiis, periculisque objici.* [h] *Adolescens Monasticen amplectitur, à quo vitæ instituto mox resilnit: sic Cornelius Loos.* Fides sit penes Auctorem: accipio interim quod dicit, si verus sit; multò verius atque fortius est argumentum, quod toties torquet contra Monachos sui ordinis, [i] *qui in otio & propter otium alebantur, qui magna ex parte* [k] *falsi erant & hypocritici, agentes vitam parùm pacificam, raro sobriam*, & innumeris abusibus Monasticis cumulatè oneratam: expertus loquitur, ex sensu animi sui experto credite: si falsus sit, quam fidem in posterum merentur scripta ejus? Utpote cum dicit *Wicel.* [l] Apostatantem ab ordine suo, *uxorem duxisse non unam, vel alteram, vel tertiam, sed (ut ferunt) plures.* Quis hæc dicit? *Callid.* quo ore? Certè Pontificio, hoc est, pleno mendaciis. Quo argumento? Certè nullo quod sciam: nam ut ipse conjugatus fuit (negari hoc non potest) quia [m] *uxorem duxit in fervore schismatis*, eamque *virginem, & unam* tantùm (neque enim putandum est eum bigamum fuisse, aut trigamum, vel tetragamum) vitam conjugalem penè in

[d] Cornel. de Loos.
[e] *Geo. Wicelius* in confut. resp. Ionicæ, p. 52.
[f] Dicavit Epitomen Rom. Pontificum ex Platina integerrimo viro, *Jo. Landavo* fratrueli charissimo.
[g] Id. ib. p. 6.
[h] Cornel. de Loos in vitâ.
[i] Geo. Wicel. in orat. de Pastoribus.
[k] Vide contra falsum monachatum hujusque manifestam hypocrisin, & vitam parùm pudicam, raro sobriam, Geo. Wicel. de inspec. eccl. p. 36. 3.
[l] A quo vitæ instituto mox resiliens, uxorem duxit: quâ defunctâ, alteram; & hâc, tertiam, & (ut ferunt) plures, Callid. vel Corn. de Loos in vitâ.
[m] Uxorem in primo statim fervore schismatis duxi, persuasus, &c. *Wic. in confut. resp. Ionicæ*, p. 63.

omnibus

omnibus ſcriptis ſuis multis laudavit, probavit pluribus, in *Via Regia*, adductis ad eam probandam argumentis [*] 26. iiſque lemniſcatis: utut tamen uxorem duxit, *perſuaſus neminem poſſe neque piè vivere, neque bene mori citra uxorem*, nihilominus tamen Monogamus fuit, non ex hac parte Lutheranus, non una mortua aliam ducendam cenſuit: Imò [n] *ejuſmodi voluntatem prohibeat Deus, ne unquam faciam, aut putem:* verba ſunt ipſiſſima Wicelii. Sed dicet fortaſſe Adverſarius, Bene eſt, conceditis eum vixiſſe in fervore ſchiſmatis, *Lutheranum* fuiſſe, *Lutheranum* prædicantem: ita enim [o] *Hardingus* noſter adverſus *Juellum*, [p] *Gretſerus* veſter adverſus *Waldenſes*. Quid tum poſtea? Num fides ei derogabitur in poſterum, dicenti ac declamanti, vel detonanti potius in abuſus multiplices eccleſiæ Romanæ, tam in fide quàm in moribus; haud minore zelo, quàm ſi in *Auguſtanis Comitiis* vel *Colloquio Wormatienſi* medius conſediſſet inter Doctores ex parte *Lutheranorum*? Minimè gentium: ſubducite mecum rationes. Annum agens triceſimum vel triceſimum primum (ea de re certè nihil poſſum ſtatuere) *defedit in ſca Lutheri*, [q] factus eſt paſtor *Nemanſatenſis*, [r] *doctrina & laude ingenii evectus eſt à Lutheranis uſque ad aſtra:* ſed mutavit animum, quia diſplicuit ſecta, diſplicuit ſecta (ingenuè fatetur, & apertè agit) propter [ſ] *Lutheromanias*, [t] *cæcitates*, [v] *ſectas, diſſectiones*, [w] *ſuperbias*, [x] *hypocriſes*, [y] *hæreſes*, [z] *blaſphemias, diabolicam ſuperbiam*, & quod [a] caput eſt, propter *odium* pluſquam Vatinianum. Non diſputo verene an ſecus hæc à *Wicelio* prolata ſint; Deus novit, qui ſolus eſt cardiognoſtes: illud in confeſſo eſt, ubivis gentium, in omni regione ac religione, [*] extare bonos & malos. Eccleſia ager eſt, in qua ut ſegetes ſunt, ita *infœlix lolium & ſteriles dominantur avenæ:* horreum eſt, in quo ſunt paleæ & grana; ſagena, in qua ſunt piſces boni & mali, quiſquamne inventus eſt qui hoc auſit negare? Mihi ſatis eſt inpræſentiarum, quod ex quo deſcivit à ſectis, & receptus fuerat in gremium Eccleſiæ *Romanæ*, *Romanus* ſemper fuerit quoad viſibilem & exteriorem formam, neque unquam inducere potuit in animum ſuum ut *relutherizaret, quamvis laudatiore forma uteretur, ſi ad eos redire voluiſſet*, [b] *oblato ei Armſtadienſi Eccleſiâ*, loco haud inhoneſto: ſed noluit redire, non perſuaſiſſent etiamſi perſuaſiſſent. *Pontificius* fuit, *Romanus* fuit, *membrum de Eccleſia eorum* fuit, & [*] *os de oſſibus:* In fide eorum ([c] utor tantum exceptione legitima ſuperadditamentorum & abuſuum) vixit, ſcripſit, dixit, ad extremam uſque ætatem, *contra* [d] *dextrarios & ſiniſtrarios, per varios caſus, per tot diſcrimina rerum.* Nam, *Lutherani*, hoc eſt (ut ego interpretor) ſiniſtrarii, inter quos *Juſtus Jonas*, vel potius injuſtus *Judocus Coquus*, [e] *excitavit Principes adverſus eum, ſeditionario facto, conjectus eſt in lacum, neque longè fuit* [f] *à laqueo præfocatore: ſed* [g] *Lutherus pro eo ſcripſit*, & [h] tandem incolumis evaſit ad patrios lares, ſine ſpe reditus. Hæc illi contingebant dum inter ſectas verſaretur: ſed numquid melius ei fuit inter *dextrarios* ſuos? O quantum [i] queritur *Frider. Nauſea* tantum ac talem virum ſpretum fuiſſe, inglorium vixiſſe: queritur & ipſe contra [*] *Wiceliomaſtigas ſuos, rejectum ſe ab* [k] *Erphordenſibus ſuis*, cùm promptum ſe & paratum oſtenderet ad *prælegendum* apud eos: actus eſt *in* [*] *exilium*, fortè [l] *direpta ſubſtantia ſua*, odium concitavit in ſe multorum: ſed innocentia ejus perſpecta, & explorata veritate, reſtitutus eſt priſtino ſplendore; [m] primò *Lupenitius paſtor* factus eſt: Poſteà Sacerdos & *Doctor Facchenſis:* Poſtremò receptus in aulam duorum Imperatorum, [o] *Ferdinandi* & *Maximiliani*, & factus utrique *à conciliis:* reſtat adhuc ſcrupulus aliquis de religione Pontificia eximendus, præceptor fuit (ut ita dicam) [p] *Geo. Caſſandri*, amicus *Jo.* [q] *Cochlæi*, notus [r] *Andreæ Maſio*, notior *Jo.* [ſ] *Fero*, notiſſimus *Julio* [t] *Phlug. Epiſcopo interimiſtico*, & multis aliis quos ſigillatim recenſere longum eſſet: quid quod libros ſuos dicandos, imo & limandos dedit [v] *Archiepiſcopis*, *Epiſcopis*, [w] *Cardinalibus* Eccleſiæ Romanæ, & *in eorum* [x] *patrocinium ſuſceptus:* In difficilioribus quæſtionibus inter *Caſſandrum* & *Lindanum*, inter *Caſſandrum* & alios, *ſemper Wice-*

[*] *Apud Wolf. to. 2. p. 370.*
Ibidem.
[n] In loco ſupra allegato.
[o] In fine defenſionis Juellicæ in reſp. ad concluſionem.
[p] Scribens contra Waldenſes ex Wicelii receptione Lutheriſmi.
[q] Eccleſiam Nymecenſem non dereliqui volens, ſed veſter Phalariſmus divulſit me ab ea nolentem, *Wicel. in confut. reſp. Ion. p. 54.*
[r] Ante ſeptennium eram vobis magiſter — doctrina & ingenii laude me vehebatis, *Ib.* p. 21.
[ſ] In *Hom. quadrageſ.* p. 140.
[t] Pag. 252.
[v] Pag. 406.
[w] Lutherana atque adeò diabolica ſuperbia, p. 161.
[x] Pag. 12.
[y] Pag. 211.
[z] Pag. 159.
[a] Charitatis hoſtes quanti, *Hom. in Evan.* p. 135.
[*] Heu! ut in profundum venit impietas hujus ſeculi — quæ ſui plena doloris ſunt, & eadem ultionis divinæ provocamenta — Inde nobis tot vitæ flagitia, quot vix ulla vidit ætas: Ita ut niſi per dexteram Excelſi immutemur, in Paganiſmum quendam videmur deſinere, *In ep. ded. ant. Poſtil. Evan. &c.* Ea ſunt ſcelera noſtra, ut non modò Judææ vaſtationem, ſed etiam Sodomæ excidium commeriti ſimus, *Caſſ.* p. 1153. [b] Quid quod Armſtadii licebat eſſe Eccleſiaſten, ſi voluiſſem Lutherizare, *Wicel. in confutat. reſp. Ion.* p. 58. & 59. [*] *In concluſ. lib. de abuſibus.* [c] Scio, eheu, nimium multam maculam, rugam & rubiginem Eccleſiam contraxiſſe. Scio domum Dei ruinoſam & deformem eſſe factum Templum in tanto tempore. Scio, nec diffiteor, laborare magna ſui parte ſponſam Chriſti, &c. *Ib.* p. 63. [d] Caſſan. ep. 5. ad eundem. [e] *Wicel. adver. Jonam*, p. 13. & Non ſufficiebat ſemel mihi ſeditionis crimen impegiſſe, impegi ſexies, *Ib.* p. 38. [f] *Ib.* p. 22. [g] Lutherus pro me ſcripſit, recolo, *Ib.* p. 21. [h] Pater me ſollicitavit ut venirem patriæ domui præfecturus: veni, inque domo ejus vixi, *Ib.* p. 58. [i] Nulla apud nos Eccleſ. ratio, nullus zelus, nulla diſciplina, *In ep. ded.* [*] Pudebit tandem ſui Wicelio maſtigas, & pigebit, ſe mihi toties injuriam feciſſe, tamque indignis modis toties exulem Wicelium affixiſſe. [k] Erphordiæ ſuper quorundam invidia rudimenta Hebraica tradere non licuit. *Id. orat. in laudem linguæ Hebr.* [*] Exilium quod religione, non crimine ſuſcepi, *In Thren. Hier.* [l] *Wicel. adver. Jonam, p. 60.* [m] *Ib.* p. 81. [o] Inep. honorabilis, docte, fidelis, nobis dilecte, &c. [p] *Vide epiſt. 5. & ep. 115.* [q] Non pudet me Jo. Cochlæi — amici quantumlibet à vobis ſpreti, *In confutat. reſp. Ionicæ*, p. 60. [r] Vide *Caſſ. ep. 4. eidem.* [ſ] Examen ordinandorum per Jo. Ferum, Jo Holthuſ. & Geo. Wicelium, Col. 1610. [t] Ei librum dicavit. [v] Antonio electo Arch. Colon. Romani Imperii Cancellario. [w] Othoni S. Roman. Eccleſ. Cardinali. [x] Receptus in patrocinium Cardinalis ante quinquennium.

lius [y] ut robustior & instructior, * arbiter litis electus, & controversiam diremit placidè & piè, haud absimili modo: [z] *Geor. Cassandro subscribo, Gulielmum Lindanum amo, sed magis amica est veritas.* Hic est ille celebratissimus *Georgius*, quem commendat *Cassander* discipulus suus, [a] *Ximeni inter moderatores & pacificatores Ecclesiæ*, & optavit *diutissimè istis malis sanandis superesse*, quia [b] *ex eo hominum genere fuit*, *qui in alteram partem minus divertunt*; —— *sed ex iis qui regiam & mediam viam ingrediuntur.* Ingressus est hanc viam feliciter primò sponte sua, *ducente Deo*: Postea perrexit in eadem, rogantibus *Ferdinando* & *Maximiliano* Imperatoribus. Excutite Annales, percurrite Historias Ecclesiæ, inspicite Indices Expurgatorios, *Romanum*, *Lusitanum*, *Hispanum*, *veterem*, *novum*, *Belgicum*, *Italicum*, non invenietis duos *Wicelios*: Invenietis neque similem, nec secundum. Et confidenter loquor, *si duo prætereà tales Germana tulisset terra viros*, *Luthero* opus non fuisset: sine sanguine & cæde parta fuisset victoria super Pontificios, exulasset religio, ululassent sacerdotes eorum, quia non esset qui solaretur eos. Verè dico, *Georgius* noster quantus, quantus fuit! pacificator fuit, & usque adeò per omnem vitam concordiæ studiosus, ut ab [c] anno tricesimo tertio (quo cœpta est edi in lucem *Methodus Concordiæ Ecclesiasticæ*, quam nunc, Deo favente, recudimus) ad annum vitæ septuagesimum tertium, totus fuerit in hoc genere pacificatorio. Ostendunt hoc (†) *Libellus de amabili Ecclesiæ concordia Erasmi*, ab eo versus in linguam Germanicam; *Via pacis*, & * si qui sint ejusmodi. Merito igitur si quisquam alius, ingressus dicitur in *viam pacis*, in *viam regiam*: qui in ore semper habuit illud maximè pacifici Regis nostri, Regis *Jacobi*, *Beati Pacifici.* Diximus de doctrina Pontificia, vita pacifica, & animo concordi: superest unum dicendum de scriptis ejus perelegantibus, & judicio quo valuit plurimum. Scripsisse fertur (si Gesnero vel Theod. de Bry, *Protestantibus*, vel *Possevino* & *Cornelio de Loos* credimus Pontificiis) tot volumina, pleraque lingua vernacula, ut exæquare videatur, si non superare, ipsummet *Augustinum*: unde *Augustinus* fortè à [d] quibusdam dictus est, & * *lucubrationes ejus in Tomos recudi cœpta.* Et illud certo certius est, nullum ferè librum ab eo editum fuisse Lingua *Germanica*, qui non Latinè prodiit: interpretes nactus est haud vulgares, *Laurent. Laurentem*, & *Judocum Lorichium*, & quæ Latinè vel Germanicè prodierunt, *Lipsiæ*, *Friburgi*, *Coloniæ*, vel *Moguntiæ*, per Casparem *Behem* vel Nicolaum *Wolrab.* excusa & recusa fuisse sæpiuscule *cum Privilegio Cæsareæ Majestatis*, *per Imperium & omnes hæreditarias regni ditiones.* De modo quo scripsit tot ac tanta, judicent alii: viderint Pontificii, ferunt eum [e] *utilitate cum eloquentia conjuncta scripsisse*, (ut mea fert sententia) nemo est omnium hominum (loquor de Pontificiis) qui rem Reformationis aggressus est majore zelo, temperatiore stilo, judicio sinceriore & minus corrupto, cujus rei gustum damus ex tractatulo *de Via Pacis*; quem, quia brevis est, visum est adjungere coronidis loco, in hoc perinde ac si collatis suffragiis cum *Juello* vel *Whito*, nostratibus exquisitissimi judicii Scriptoribus, sic pedibus & manibus descendit in sententiam illorum.

[y] Vobis robustioribus & instructioribus hoc munus relinquo. Geor. Cassander Geo. Wicelio, ep 5.
* Cass. ep. 60. Joach. Hoppero.
[z] Vide Cass. ep. 59. G. Lindan.
[a] Geo. Cassand. ep. Ximeni, p. 1131.
[b] Cassandri ep. 115. Geo. Wicel.
[c] Apud Nic. Wolrab. anno 1533.
(†) Quem Erasmus edidit ann. 1533. —— in quo & Lutheranis & Pontificiis concordiæ formulam præscribit.
* Ut Dialogus de Religionis dissidio, media concordiæ, Formula reformatoria, &c.
[d] A Frider Nausea in ep. ad Hagiologion.
* In ep. ded. ante Postillas.
[e] Ubique elegantia & utilitate præstans. Frid. Nausea in ep. præfixa Hagiolog.

Via Pacis inter discordias.

In immensum dissidemus. Hoc in confesso est. Quæque Communio sibi arrogat veritatem, & vendicat Religionem. Restat, ut quærantur tantæ dissentionis Judices. Communiones seu Partes Judices tam confessionis quàm confutationis esse non possunt; nec fert altera judicium alterius. Ubi igitur invenientur Arbitri, qui sine dolo judicent, controversiam componant, dissidentes reconcilient? Ubi, nisi in Concilio justorum, quæ est Ecclesia Catholica, Communio Sanctorum Patrum, tam Græcorum *quàm* Latinorum? *Penes hos arbitrium esto: ii pronuncient per scripta sua, perhibeantque veritati testimonium, & horum sententiæ utraque pars ultrò accedat. Non destruent Ecclesiam, qui ædificârunt Ecclesiam: non seducent Ecclesiam, qui pro Ecclesia animas suas posuerunt: nam Judices tales corrumpi non poterunt, & nulla favoris suspicione laborant. Omnia paucis comprehendam. Dedat cognoscendum atque judicandum sese tam* Papa *quàm* Lutherus, *communioni Patrum, qui ante mille annos Ecclesiam Christi rexerunt, & ad horum arbitrium reformetur uterque. Sacra Scriptura regula primaria est, ad quam omnis status corrigi debeat; scio & fateor: sed nos hanc non excludimus, quoties scripta* Priscorum Patrum *jactamus, qui sacram Scripturam non habuerunt solùm, verùm etiam legerunt, lectam intellexerunt, intellectam prædicaverunt, prædicatam scriptis expresserunt, bono ducti Spiritu: nisi fortè reperias, quod ex Diametro cum Evangelio pugnet, quodque recipiendum dissuadeat publica utilitas. Compertum est, è* Lutherismo *non provenire bonos fructus: & Ecclesia præsentis disciplina corruit. Proinde consultissimum fuerit, eò nos reduci, ubi liquet esse & rectam doctrinam & probam vitam.*

Geo. Wicelius.

Hactenus

Hactenus ille, ille, ille *Wicelius*: cui si obtemperaverint *Pontificii* ac *Neo-Romanenses* nostri, actum est de religione illorum; audebimus ingeminare Canticum illud vel Epinicion religiosum, Cecidit *Babylon*, cecidit *Babylon*, faxit Deus. Claudam omnia verbis *Callidianis*, *Wicelius* tandem fatis cessit *Moguntiæ*, anno 1573. ætatis 73. Tumulatus in æde D. *Ignatio* sacra, ejus Electoriæ civitatis non incelebri Parœcia: ubi carmen æri insculptum illius tumulum exornat. Elegans quidem illud, si ut metro, ita viri meritis responderet. Fuit huic cognomen *Major*, quod filium haberet *Georgium Wicelium cognomento Minorem*, qui minutiora quædam in lucem dedit. Sic vixit, & ut abundè satis fiat curioso Lectori, sic dixit, vel scripsit potius,

I. *De Sacra Scriptura.*

1. Sacra Scriptura Canonica perfunctoriè & oscitanter haudquaquam est perlegenda, *Ep. ad Othonem, præfixa quadrages. operi.*

2. Scriptura primaria regula est: vult cœlestis Unguentarius omnia antidota ex hoc signo probari. Christum quicquid sapit, divinum est & salutare: Christum quicquid non sapit, fatuum est, & diabolicum, & exitiosum, *Ibid.*

3. Non *Patribus* eadem tribuenda Majestas, atque Dei Verbo.

II. *De Vulgata Editione.*

1. Quam *Vulgatam* dicimus, non ita ad amussim olim conversam esse fateor, ut ex omni parte possit consistere.——Hæc si à viris diligentibus castigaretur ad unguem, haudquaquam in postremis poterat esse. *In Via Regia Wolph. tom. 2. rerum memorab. p.* 360.

2. Maximi semper momenti est, ut *Linguæ Primariæ* ceu oracula consulantur, *Ib.*

3. Nihil consultius quàm ad certam illam atque nativam scripturam se applicare, quæ sola sibi constat, sola non errat, sola rata, firma, probaque est: citra quam in ambiguo relinquemur miseri & miserandi. *Orat. in laud. ling. Heb.*

III. *De Papa.*

1. Loqui non licet, & tacere non licet.——Sic vociferari solent. *Romanus Pontifex* non est missus à Deo, nec hujus *Cardinales*, nec *Episcopi*, nec *Abbates*, nec *Canonici*, nec *Benedictini*, quia non aguntur Spiritu Dei; sed pleni sunt spiritu Antichristi: quo fit, ut posito gladio Spiritus, quod est Verbum Dei, acceperunt gladium carnis, & subjecerunt sub pedibus suis non totam modò *Italiam*, sed meliorem etiam partem *Hispaniæ*, *Galliæ*, *Britanniæ*, *Germaniæ* matris hujus: quibus in terris sedent, non ut *Papæ & Episcopi, sed ut Reges & Principes*; non pascentes gregem, sed poscentes à grege; non prædicantes, sed prædantes; non curantes, sed cruciantes; non visitantes, sed belligerantes; non consolantes, sed desolantes; non gubernantes Ecclesiam in Apostolica solicitudine, sed dominantes Provinciæ in omni fastu, ambitu, splendore, strepitu, opulentiâ, sævitiâ, exactione, litigatione: sunt innumerabilia mala. *Orat. Ecclesiastica de pastoribus ovium.*

2. Papæ omnes videndi, sed non ex æquo omnes audiendi, (quia) aliqui carnaliores quàm spiritualiores, *In Epit. Pontif. ex Platina, p.* 37.

3. Optandum, ut Papa sit œconomicus æquè ac œcumenicus, *Ibid.*

4. Aboleantur libri turpiter Parasitici atque Gnathonici omnes—de summa nescio qua plenitudine potestatis, *de scrinio pectoris, de vicariatu, de ridiculo Tristephaniæ mysterio*, breviter de *deitate* aliqua terrestri attributa ei, & his similibus absurditatibus. *Via Regia apud Wolf. tom. 2. p.* 384.

5. Meminerint si qui sunt digni justique Pontifices, ejusmodi de Petro, Petrique veris successoribus, ab initio nunquam fuisse scripta, dicta, audita.—Interitus in foribus est, nisi resipuerimus—semper abhorrentes ab id genus pestilitate—*Ib. p.* 384.

6. Ipse Pontifex, facto flagello è funiculis, ejiciat vendentes ementesque, ac horum mensas evertat qui quæstum putant pietatem esse. Heu! pietas *prostat, & in quæstu pro meretrice sedet*, Ibid. p. 384.

7. Dispiciatur num Christianismum deceat, ut Apostoli Petri successor, – ita se per omnem vitam gerat, ut appareat eum nihil minus esse quàm quod dicitur; num successorem humillimi piscatoris hominum Diadema plusquam Regium deceat, ut per urbem ministrorum humeris tanta pompa, strepituque ac splendore gestetur, ac si ostentaret seipsum esse Deum, elatus contra supráque omne quod dicitur Deus? *Ib. p.* 388.

8. Num illis liceat Synepiscopos Ecclesiæ jurejurando sibi obstringere, & obnoxios facere, manusque & pedes hominum colligare; quo nimirum vinculo coerceantur, ne veritati Christianæ liberè subscribere audeant, ne vel pilum Sedis lædant, nec hiscant,

quicquid aut peccet Sedes, aut si scelus etiam committat? —— Huic Psycho-tyrannidi ante omnia stet in faciem potestas sublimior, *Ib. p.* 388.

9. Non convenit ut politicè imperet, non populo solum, verum etiam omnibus etiam Regibus terræ; seseque anteferat Monarchis & Imperatoribus, quos velit agnoscens, quos nolit procul abjiciens.—— —— Adeò ut Imperator non sit, quem ille reprobat, *Id. ib.*

10. Aurum & argentum quod Petro non est, emungit ab omni natione, & hoc ad delicias seculi, ad voluptates obscœnas, prodigalitatem abutitur, omni Dei metu posito, *Ib.*

11. Curia ejus ad nihil aliud vacat, nisi ut mulgeat Episcopatus, exugat Abbatias, deglubat Prælaturas, expilet citatos, excoriet damnatos—— *Ib.*

IV. *De abusibus & reformatione.*

1. Quæ jura, qui mores, qui usus, qui abusus, contra quæ contracta labes, quæ sui dissimilitudo? *In oratione de pastoribus ovium Christi.*

2. In quale seculum incidimus,—— interitus in foribus—— nisi securis ad arborem ponatur.

3. In domo Dei invenimus mala, *In Via Regia, p.* 384. Religio inter Turcas gravata, *In orat. de pastoribus ovium.*

4. Scio, eheu, nimium multam maculam, rugam, & rubiginem contraxisse Ecclesiam. Scio domum Dei ruinosam. *In confutat. resp. Ionicæ, p.* 63.

5. Loqui non licet, & tacere non licet, *In orat. de Pastoribus.* Velimus & nolimus quod verum justumque est, fateri cogimur, *In Via Regia, p.* 356.

6. Sedes Romana—— salva esse non potest diu, nisi expurgetur, *Ib. p.* 383.

7. Roma aut reformanda, aut moderanda, *Ib. p.* 387.

8. *Protestantes* veritati forti præpotentique, per quoscunque tandem ea patefacta fuerit, cessuri, *Ib. p.* 368.

9. Admonemus amici,—— urgenda sunt hæc in Religionis negotio, *Ib. p.* 393.

V. *De Ambarvalibus.*

Non licet—— Floralia & Ambarvalia cum infidelibus exercere, ac Bacchanalia seu brumalia celebrare, *In inspect. Eccles. p.* 6. 1.

VI. *De Aqua Benedicta.*

Aquæ conspersio, si accepti semel baptismatis prætereuntes nos commonefaciat, toleranda magis quàm tollenda est—— ter maledicta superstitio procul inde facessat, *Ex inspect. Eccles. p.* 20.

VII. *De libero Arbitrio.*

Liberum arbitrium (habemus) ad mala, non ad bona.—— *Aurel. Augustinus* Judex inter nos est in hac controversia, *Ex inspect. Eccles. p.* 362, *&* 363.

VIII. *De Campanarum Baptizatione.*

Quæ nos dementia cœpit, usque adeò notabilis, ut abusum excogitemus de baptizandis glocis: hanc campanarum baptizationem vocant lotionem, ut rem extenuent, *In Via Regia, p.* 392.

IX. *De Caremoniis.*

1. Cæremoniis Ecclesiam spoliare, delirare est, *In quæstion. Catechet. p.* 33.

2. Si quæ Idololatriæ species ulla in re deprehensa, & probabiliter demonstrata fuerit, est quod exibiles, condemnes, aboleas: ordinem levi de causa turbare, non est sapientum hominum, *Ib. p.* 33.

3. Cæremoniarum superstitio displicet —— & salutis fiducia in eis, *In Catechistico Exam.*

4. Non damnandæ, si Scripturis sacris non contraveniant, *In quæst. Catechet. p.* 33.

5. Pharaismus per exteriores observationes, *In Exam. Catechist.*

6. Constitutiones humanæ à præcepto Christi distinguendæ, *Ex inspect. Eccles. p.* 360.

X. *De Clerogamia.*

1. In Primitiva Ecclesia, tam Orientis quàm Occidentis duravit Clerogamia improhibita, *In Via Regia, p.* 376. *Wolf. tom.* 2.

XI. *De*

XI. *De Cantu in Ecclesia.*

1. Publicas in Templis cantiones——ad gnomona ſacræ Scripturæ corrigi neceſſe eſt, ut exiſtant aut in ſacra Scriptura, aut è ſacræ Scripturæ verbis contextæ, *In Via Regia, p.* 361.

2. Prudenter fecerint,—— ſi primo quoque tempore Eccleſiaſticas aliquot Odas à piè doctis quibuſdam pangi curent lingua populo vernacula ſeu domeſtica, ut liceat & idiotis Catholicis Deum timentibus interdum in laudem Dei ſuccinere, more vetuſto, *Ib. p.* 361.

3. Inſignis abuſus circa cantum-chori Latinè, qui fit quotidiè ex codicibus inemendatis, magno cum riſu vel ſemi-doctorum, *Ib. p.* 390.

4. Item circa cantum de Virgine *Maria*, deque Divis,——nihil hujuſmodi lectum apud Veteres, *Ib. p.* 390.

XII. *De Confeſſione.*

1. Non neceſſaria eſt delictorum omnium anxia enumeratio, nec iſta peccatorum omnium circumſtantia —— Contenti ſimus ſcriptis——atque exemplis priſcæ Eccleſiæ, *In Via Regia, p.* 36c.

2. In confeſſione ſacerdotali ——Catholici quoque moderationem aliquam poſtulant, *Ib p.* 371.

3. Vitium eſt ad hoc invitos cogi, *Ib. p.* 389.

XIII. *De Confirmatione.*

1. In confirmatione dedocendi abuſus & vanitates ridiculæ, *Inſpect. Eccleſ. p.* 6.

2. In confirmat.——vix pubeſcentes ulnis apportant, inſcios confirmant, *Via Regia, p.* 389.

XIV. *De Decretalibus.*

1. Decretalibus & Clementinis——Eccleſia carere poteſt, adeò, ut his oneribus levari jampridem cupiat, *Via Regia, p.* 383.

XV. *De Diſpenſationibus.*

1. Diſpenſationes vel diplomata de libertate lacticinii valeant, *Ib. p.* 387.

XVI. *De Eccleſia.*

1. Eccleſia propriè congregatio membrorum Chriſti ſacra in Univerſum qui verè Chriſto credunt, *Ib. p.* 359.

XVII. *De Encænalibus.*

1. Ferè idem accidit in Encænalibus, quando Templa olim Deo dedicata, nunc ventri per fœdiſſimum abuſum dedicantur: ubi——una hora ſervitur Deo, & duobus diebus diabolo:——illic lingua tantum, hîc toto corpore,——ab ipſo Magiſtratu aboleri conſuetudinem Chriſtianis dedecoroſam oportet, *Ex inſpec. Eccleſ. p.* 7.

XVIII. *Euchariſtia.*

1. Quibuſdam in locis abuſus Euchariſtiæ ſacræ, quam & equis jculariter gyrantes malè ſani, temulenti, clamoſi ruſtici circumgeſtant, *Ib. p.* 7.

XIX. *De Excommunicatione.*

1. Multos à malefacto ſolvunt, quos olim apud Tribunal Judicis ligatos eſſe comperient. Nam clamant, Pax, pax, cùm non ſit pax, *In quæſt. catechet. p.* 27.

2. Papa—— ſuo ferit fulmine, ſuoq; percutit anathemate libros Eccleſiæ Catholicæ frugiferos, ac omni eruditionis genere claros——condemnat homines innoxios—— judicat hæreſim ubi hæreſis non eſt, & laudat ubi hæreſis eſt, & error in animis, *In Via Regia, p.* 387.

XX. *De Exequiis.*

1. Si quis volet excutere Monaſticen, aliquos ſubtiles inveniet abuſus——in exequiis mortuorum, ac ſepulturis, & variis hominum crudelitatibus, *Lib. abuſuum apud Wolf. tom.* 2. *p.* 392.

2. Has emptiones voca[illegible] ſolennitatis fundationes, ac ſupremas morientium voluntates, quæ fons & origo ſunt tot Altarium per Templa pænè omnia, tot Sacerdotum, tot

tot Meretricum, aut totius hujus gravaminis, de quo conqueritur adhuc & ingemiscit totus terrarum orbis, *Via Regia*, *p.* 370.

XXI. *De Feriis.*

1. Habet Ecclesia suas ferias à traditione, sed præter modum auctas, superiore seculo, idque est pessimus abusus, *In quæst. catechet. p.* 35. Ex sapientibus audivi, fore ex utilitate S. Status, si pauciores essent, *Ex Catechist. Exam.*

2. Feriandum non in comessationibus & ebrietatibus, non in cultibus & impudicitiis: alicqui præstaret ne unum quidem diem feriari, *Ex inspect. Eccl. p.* 20.

XXII. *De Fide.*

1. Fidem promissionis rectè inculcant (*Protestantes*) populo, & idem nos facere debemus, *In Via Regia*, *p.* 366.

2. Utendum est Sacramentis eo pacto ut accedat fides, *Ib. p.* 360.

XXIII. *De Fraternitatibus.*

1. Sunt qui inducunt quæstuosas fraternitates, & sectantur divitum exequias, *Ex orat. de pastoribus ovium Christi.*

2. Fictæ fraternitates (inventæ sunt) vel ad quæstum, vel ad comessationes, vel ad veræ fraternitatis quæ est in Christo ludibrium, *In Via Regia*, *p.* 363.

XXIV. *De Horis Canonicis.*

1. Horas canonicas nemo sanus abrogat: emendari tantum oportet torporem ac acediam psallentium, *Ex inspect. Eccles. p.* 19.

XXV. *De Idololatria.*

1. Si qua Idololatriæ species ulla in re deprehensa, & probabiliter demonstrata fuerit, est quod exibiles, condemnes, aboleas, *Ex quæst. catechet. p.* 33.

2. Ea specie *Judæos* ac *Turcas* ut plurimum offendimus, atque à religione deterruimus, *Ib. p.* 35.

XXVI. *De Jejunio.*

1. Carnem non edo ut videar sanctulus, aut ut esca neglecta sideream mihi sedem pollicear.——(Considero) matris Ecclesiæ legem esse, *Ex Catechist. Exam.*

2. Abstinentiam à carnis cujusvis usu jejuniorum tempore laudamus: neque tamen arridet nobis præposterus ille rigor quorundam Prælatorum, qui pauperes aggravant, & ipsi pro sua interim libidine lautissima quæque esitant.---Malè agitur cum Christiano, si populus præter necessitatem adiaphoris degravatur. Multa publico Ecclesiæ ordini dari convenit, is si expectatus, nihil fuerit quod contra murmures, *Ex quæst. catechist. p.* 36.

3. Coguntur pisce vesci, non carne; aut potius carne Piscis, non quadrupedum; quasi coram Deo multum referat, utra carne ventrem oppleas, *In Via Regia*, *p.* 375.

4. Jejunium Ecclesiæ non debuit abrogari, licebit moderari:——jejunium non est, si carnem variorum piscium vores, si vino totus madeas, si satur mensa lautissima surgas, & insuper prandio cœnam jungas. Ea scilicet abstinentia consumitur Quadragesima, & per quatuor temporum auguria, & per divorum vigilias omnes, *Ibid. p.* 374. Judaismus novus, *Ib.*

5. Loquitur ubique contra jejunia coacta, & per eos injuncta populo, *Ib. p.* 363.

XXVII. *De Imaginibus, Invocatione Sanctorum, & Hagiolatria.*

1. Icones Sanctorum Templis ejiciunt quidam (scilicet *Protestantes*). Num idem Catholicis factitandum? Respondeo, adorari ne ipsa quidem Dei icona licet: tantum abest, ut nos incurvare genu deceat coram Divorum imaginibus, *Ex quæst. Catechet. p.* 35.

2. Statuæ igitur & similitudines Dei, quibus divinus honor impenditur, è medio tollendæ pariter, & puniendæ Idololatriæ sunt, *Ib.*

3. Imagines ornamenta Templorum sunt potiùs, quàm Religionis solidamenta, *Ex catech. Exam.*

4. In Templo abroganda Hagiolatria, *In Via Regia*, *p.* 383.

5. Invocatio est honor, qui tantum Deo omnipotenti tribuendus est, *Ib. p.* 366.

6. Libenter laudamus testes Christi, libenter veneramur organa Spiritus Sancti: honoramus, inquam, & laudamus, & veneramur; non item adoramus: non novos aliorum

aliorum Deorum cultus effingimus; non à servis quærimus, quæ à Deo potissimùm expectamus. Libere corrigatur, si quid irrepsit mali, quòd Idololatriæ speciem præ se ferat: hoc emendetur, si quid de Divis & Sanctis publicitùs legitur, quod aut probari non possit, aut soli Deo congruat. *Ex Inspect. Eccl.* p. 20.

7. In tantum abusum erupit honor beatissimæ virginis (in cantico Compostellano omni trisagio Dei omnique doxologia ejus celebratione) ut imagines hujus non appellent imagines; sed ipsam Dominam, quemadmodum reliquorum Divorum icones ipsos Divos compellant.

8. Purganda sunt Templa (à sebasmate pendulo, quod vulgò vocant S. Dei auxilium) ab his sculptilibus propter cultum divinum, quem populus seductus illis impendit, & propter anathemata indusiorum, femoralium, cerealium omnis generis, &c. *Lib. de abus. Eccles.* p. 392. Item statuæ puellares, quæ altaria frustra occupant, ad concupiscentiam carnalem allicientes, magis quàm ad Dei timorem invitantes. *Ib. p.* 392.

XXVIII. *De Indulgentiis.*

1. Harum intolerabilis abusus sua sponte interiit. *In Via Regia, p.* 366.

2. Indulgentias in Purgatorii usque Utopiam valentes, & has vendunt fatuis nobis, unà cum diplomatibus, —— & exeitant jubilares nundinationes propter turpe lucrum.—— Eatur obviam huic sceleratæ negotiationi.—— Quis zelum Jehu cohiberi velit? Sunt infinita quæ ipse ignoro, quum nihilominus Prælati Christiani sit, aut reformare Romæ, aut moderari, aut si horum neutrum fieri queat, extinguere, &c. *Ibid.* p. 387.

XXIX. *De Justificatione.*

1. Sine Christo nihil neque credere, neque facere possumus—— in nobis operatur & velle & posse. *In ep. ante opus quadrages. Othoni Cardinali.*

XXX. *De B. Maria Virgine.*

1. Nullum canticum hodiè tritius, nec quidem celebrius, nec decantatius per Templa, per vicos, & platæas. Hac melodia percepta, leniuntur superstitiosorum aures, & statim loculos aperit ad Syrenas hasce, cùm vix aliud in toto choro sit alienius à Scripturis sanctis, & quod cum Evangelio Christi atque Doctrina Apostolica perditius pugnet. Si foret in terris *Chrysostomus*, rideret utique; si *Epiphanius*, stomacharetur in suos *Collyridianos*: salvo tamen honore matris Domini, quàm honoramus honore debito. *De abus. Eccles.* p. 392.

XXXI. *De Meretricibus.*

1. Ad gravamen de meretricibus, &c. ingemiscit totus terrarum orbis. *In Via Regia, p.* 37.

2. Miserabiliter conqueritur passim (in omnibus libris suis) de Pornolatria, & contra eos qui in publico concubinatu vivunt.

XXXII. *De meritis bonorum operum.*

1. Fiducia spesque salutis æternæ unica poni solùm debet in Christo Jesu Servatore nostro uno: —— tantum abest, ut eam ponere conveniat in meritis bonorum operum. *In Via Regia,* p. 363.

XXXIII. *De Miraculis.*

1. Dicas follibus (Legendariorum qui Historias Divorum divulgarunt) ——mendacia pinguissima fuisse, nec non vulgò credita pro veris miraculis. *Ib.* p. 375.

XXXIV. *De Missalibus & Missis.*

1. In Missalibus, Breviariis, Antiphonaliis, Sequentionalibus, & id genus aliis de Sanctis, in his interdum mutatur gloria immortalis Dei in personam mortalis hominis. *In Via Regia, p.* 370.

2. In Precibus & Liturgiis castigari poterunt minus excusabilia, præsertim si quæ nuperis seculis parum cautè accesserunt. *Ex inspect. Eccles.* p. 17.

3. Celebrantur Missæ contra Canonum interdictum — turpiter ad sacrilegum quæstum,— & tantum ventris gratia, sine pœnitentia.—— Hæc notiora sunt, quàm ut dissimulari possint: — haud dubiè, hæc ingens prophanatio missarum atrocissimis pœnis punienda. *In Via Regia,* p. 369.

4. Missæ

4. Missæ mortuorum abolendæ, *Ib.* Veteres olim in Liturgia exercuerunt precationes pro defunctis Christianis: verum illa consuetudo ad hodiernas mercenarias, culinarias atque dedecorosas nundinationes nullo modo pertinet. *In Via Regia*, p. 370.

5. Quorsum opus aliò cursitare, & in angulis quærere, quod hic affatim habes commune? *Ib.* p. 371.

6. Particulares Missæ non congruunt cum constitutione Cœnæ, nec cum traditione Paulina, nec merentur Liturgiæ nomen, nec habent robur ex Evangelio, nec ex Ecclesia testimonium, aut exemplum, nec Sanctorum Patrum (de antiquis loquor) consentionem firmam, nec beatorum Martyrum aut Homologetarum adstipulationem, nec denique œcumenicorum Conc. veterum approbationem ullam; sed nuperis seculis adinvenit has vana hominum superstitio, & hypocrisis, ignorantia & Philargyria. *Ib.* p. 370.

XXXV. *De Monachis.*

1. Nihil dicam de Monachorum & mendicantium abusibus, quos toties ingeminat Auctor in Libris suis; satis sit inpræsentiarum dixisse, modum numerúmque excessisse Monasteriorum multitudinem pariter ac magnitudinem.—— Desperatio Monachum facit, dixit *Wicelius*, & *Nunnarum* Claustra nihil aliud sunt quam pornoboscia specialia. *Ib.* p. 383.

XXXVI. *De Distinctione operis operantis & operis operati.*

1. Distinctionem operis operati defendant qui excogitarunt, excusent qui hujusmodi mordicus tenent. *In Via Regia*, p. 369.

XXXVII. *De Patribus.*

1. Non Patribus eadem Majestas atque Dei Verbo. *In Ep. ante opus Quadrages.*

2. Si legerent Patres ——— haud dubiè alium in orbe vultum pacatus.

XXXVIII. *De Peregrinationibus Votariis.*

1. Numerat Peregrinationes votarias inter Constitutiones humanas. *In Via Regia*, p. 363.

2. Adeò tota hominum salus pendet à Divis, aut potius à Divorum imaginibus, ac Sacerdotulorum persuasionibus;—— vocat eas stultas Peregrinationes, quarum aliæ votivæ fuerunt, aliæ spontaneæ, utræque ludificationes maligni, ut prætextu talium Religionum, scelera in Ecclesiam inveheret: Hæc Antichristi venturi spiritus fecit, & prosperatus est, teste Scriptura. *In lib. Abus. Eccles.* p. 392.

XXXIX. *De Pœnitentiis.*

1. Ipsa adjumenta & medicamenta, tormenta, ut à pœnarum exitio pœnali eruantur auxilio. *In Quæst. Catechet.*

2. Injunctas pœnitentias quas vocant, jam non disputo, sed magis sobriam esse confessariorum mentem cupio. Ita enim imponunt sæpenumero onera, quasi peccata nulla coram Deo remittantur, nisi placitis suis pareas. Inde sunt *Iberorum* flagellationes, *Germanorum* Peregrinationes, Templorum constructiones, Monasteriorum ditationes, Missarum fundationes, Morientium Testamentationes, & ejus generis graviora satisfactoria; ad quæ si conferantur precatio, jejunium ac Eleemosyna, in nullo numero sunt. *In Via Regia*, p. 371.

XL. *De Populo.*

1. Non hic repetam quà licentia vivatur, & qua impunitate passim peccetur: considera——— solum inscitiam populi planè dedecorosam: Ea unde nisi è neglecta concione proficiscitur? Examen institue, atque quid de religione singuli norunt, explora: mirum ni ad istam indignam nostro nomine ruditatem obstupescas. *In Epist. Dedic. in Postillas Evangel.*

2. Spectant Cæremonias, sed quia significationem illarum nesciunt, nihil ædificantur. Audiunt conciones: verùm quia deest interpres, nihil afficiuntur, utpote rerum Ecclesiasticarum pudendum in modum ignari:— Inter plebeios —— hos qui orare norunt, aut recitare symbolum fidei sanctæ nostræ, paucissimos invenias: ut taceam quanto fastidio hæc Gens accedat Templa, & quanto tædio illic desideat pecus. In tanto Ecclesiæ deliquio, ne dicam occasu, semperne exoculati erimus? Aut nondum satis iram Dei flagellantis sumus experti? *Ib.*

XLI. *De*

XLI. *De Prædicatione & Concionibus.*

1. Inter tot onera, sub quibus pii homines gemere solent, non facilè occurrerit indesinentius deflendum, quàm odium istud tam prædicandi verbi Dei, quàm audiendi.—— Hìc cura jacet Præsidentium, hìc friget studium omnis ordinis.

2. Ovibus deest optata scientia & intelligentia, quod non usque adeo mirum, dolendum tamen est mihi: verùm quid dicam, quoties considero, meis Compastoribus eandem deesse & scientiam & intelligentiam? Quid pascant, quid prædicent, quid exhortentur, qui ipsi nihil rectæ cognitionis sibi unquam comparaverunt? *Ex orat. de pastoribus ovium.*

3. Sunt istorum aliqui adeò omnium literarum rudes, ut vix queant Requiem illa Grammatica dicere; tantum abest, ut duo triave verbula in Missaliis & Breviariis probè intelligant. Magna pars ne curat quidem unquam, ut vel modicum quid discat. Satis se Latinos esse putant isti, si possint docere: primitiare, sacris ordinibus, Latinis verbis, in Collegio, Festum Burcardi—— litigare, citare, celebrare, & horum usu tritorum similia. Sed tanta Ecclesiæ nostræ dedecora tempori suo increpanda reservabimus. *Ib.*

XLII. *De Purgatorio.*

1. Si quod habet *Wicelius* contra Purgatorium in hoc libro *Concordiæ* Capite de *Purgatorio*, non satis fuerit aut non satisfecerit Lectori dubitanti, remitto eum ad Purgatorii *Utopiam*, secutus consilium Auctoris *in Via Regia*, p. 387.

XLIII. *De Reliquiis.*

1. Sanctorum officula aut cineres—— (aut ejusmodi reliquias) reverentèr asservandas esse eas (multi) opinantur, nulli adorationi verò exponendas. *In Quæst. Catachet.* p. 34.

2. Reliquiæ quæstuariæ, aut potius Reliquiæ Sanctorum ad quæstum prostitutæ,— ab ebriis nugonibus quibusdam confictæ erant, ac si Sanctorum essent, cum illis extiterit nihil nugacius, quod postea ipsi inter pocula effutierunt. *In Via Regia*, p. 363.

XLIV. *De Rosariis.*

1. Rosaria—— præter Canonicam Scripturam introducta in Ecclesiam turpis lucri cupiditate, *ib. p.* 363.

XLV. *De Satisfactionibus.*

1. Deo satisfacere nemo potest, & est perfecta atque consummata satisfactio nostra Christus—— Ecclesiæ satisfacere aliquo modo possumus, *ib. p.* 360.

2. Non onerandæ conscientiæ satisfactionibus, *ib. p.* 372.

XLVI. *De Scriptura.*

1. Cum primis—velim ut extaret S. Scripturæ certissima, & numeris omnibus absoluta interpretatio, qua Ecclesiæ universæ tam ad docendum quàm disputandum ac revincendum Theologi uterentur, & tolleretur perpetua ista querimonia de variis Bibliorum Translationibus. *In Via Regia, p.* 360.

2. Conqueritur de doctrina salutifera Christi non acceptata ubique, in civitatibus, in Castellis, in Vicis, in Arcibus, in Monasteriis, in Aulis, in Prætoriis, in Curiis. *Ex orat. ecclesf. de Pastoribus ovium.*

XLVII. *De Scholasticis.*

1. Ubique loquitur contra ineptas Scholasticorum additiones, & queritur veterem Theologiam ni seu res nihili per eos explosam, *Lombardica*, viz. succedente, cui debemus magnam calamitatum partem in Ecclesia. *In Via Regia, p.* 358.

2. Novæ, hoc est, Scholasticæ, Theologiæ fabrorum iram facilius feremus quàm Dei, qui est benedictus Deus veritatis. *Ib. p.* 363.

3. *Aristotelem Metaphysicum* potiùs quàm *Christum crucifixum* sapiunt, *ib. p.* 384.

XLVIII. *De Conc. Tridentino & aliis.*

1. Abusus tales Concilium Tridentinum etsi semicæcum vidit, & unius Prælati 20. aut etiam 30. præbendas; vidit quidem, sed non correxit; dixit, nec fecit, *ib. p.* 388.

XLIX. *De Precibus & aliis Lingua vulgari.*

1. Indignissimum est—— preces usque adeò pias omitti sine causa, eas lingua morientibus intellecta prælegere liceat, unà cum exhortationibus validissimis. *Via Regia, p.* 361.

2. E re Christiana foret, si in tota Ecclesia — cantiones quasdam ad populum intellectas, ad usum pietatis permitterent Præsules.—— Non est novæ consuetudinis introductio, non hæresis, non scandalum, non flagitium.

3. Demurmurant isti Hieronymistæ è Libro suo verba neque sibi intellecta, neque circumstanti plebiculæ — si qui suadent, ut Germanis Germanicè proferant preces, illicò clamant, se esse *Catholicos*, non *Lutheranos. In Via Regia, p.* 388.

L. *De Votis.*

1. Super ratione voti deliberandum est, quo minus fiat, ne in posterum quoque queramur de tot tamque immanibus stupris.—— Aut enim tolerandus est Clero Concubinatus, aut relaxandum conjugii jus. Neque enim inter omnes æquè Sacerdotes, duos tresve reperias, qui per ætatem non ament. *Ex libro cui tit. Inspectio Eccl. p.* 18.

Hactenus *Wicelius* noster purus putus *Augustanus*, qui [a] *immotus in Ecclesia Pontificia semper stetit in Professione hac, dogmata neutrius Partis probans, quicquid ganniant mali suspicaces, nisi solidiora docerentur ex Scripturis Sacris & Patribus Ecclesiæ vetustissimis.* Ipsi credite dicenti, ac concludenti in hæc verba: *Accedat alius qui me ostensa etiam fide superet, & perlibens cessero locum.* Sequuntur *Wicelium* innumeri alii, qui Ecclesiam *Romanam* vel *deformatam* pessimè vel *reformatam* optimè ex animis exoptaverunt, quorum notæ vel vota sequuntur: ego digitum tantum ad fontes intendo, de scaturiginibus viderint alii.

[a] In Via Regia p. 357.

DE DEFORMATIONE, VEL PRO Reformatione Ecclesiæ Romanæ scripserunt variis in locis, & diversis regionibus, & temporibus, Auctores qui sequuntur, Alphabeticè distincti.

Claruerunt

A

Anno 1523 Josephus *Acosta* de procuranda Indorum salute, *l.* 4. *c.* 3.
Adrianus Episc. Rom. 6. P.
Jo. *Agricola* in Proverbiis Germanicis.
1470 Rod. *Agricola.*
1518 Henr. Cornelius *Agrippa.*
1240 *Albertus* M. in Evang. Jo. *c.* 10.
1400 Petrus de *Alliaco* in libello de emendatione Ecclesiæ.
1391 Magister *Alofresant.*
1330 *Alvarus* Pelagius de Planctu Ecclesiæ, *l.* 2. *Art.* 5. *lit. Aleph.*
1416 Valent. *Alusius.*
1555 † *Amatus* Lusitanus.
1480 *Andreas* Episcopus Carinæ.
Anonymus de vita & honestate Clericorum.
Anon. de ætat. Ecclef.
Anonymi Carmina.
Anon. Parochus.
Anon. Propheta.
Antonius Arch. Florent.
† Lud. *Ariosto.*
P. de *Arragon.*
† Io. *Aventinus*, Annal. lib. octavo. Anno 1529
Guil. *Aurifaber* Cæsarius Dist. 10. sui Dialogi. 1218

Claruerunt

B

Jo. *Bacon* in Libello de Idiomate linguarum. 1346
Bannes. 2. 2æ *q.* 1. *Art.* 10.
Cæsar Baronius, *Anno* 92. *nu.* 8.
Jo. *Barath.* 1426
Conc. *Basileense.* 1431
Tho. *Becket in ep. MSS.* 1162
Berchorius in Dictionario, Verbo *Aurum.*
Jac. Philippus *Bergomas.* 1494
Bernardus Glossator.
D. *Bernardus* in Considerat. ad Eugenium P. & Concilio Rhemensi. Item de conversione ad Clerum, *c.* 29. 1130

Bertran-

Claruerunt

Anno 1370 *Bertrandus.*

1290 Nic. de *Biberach.*

1480 *Biel* Canone Missæ, Lect. 49.

1160 P. *Blesensis*, Serm. in Syn.

1360 *Bocacius.*

1580 *Bredenbachius.*

1360 B. *Brigitta*, Revelat. *l.* 6. *c.* 35. *& l.* 4. *c.* 33.

1520 † Guil. *Budæus*, lib. de Asse & partibus ejus, *l.* 5.

1433 Nic. de *Buldesdort.*

1384 Jo. de *Burgo.*

C.

1220 *Cæsarius* Mon. Heysterbach.

Ric. *Caistre.*

1430 Tho. de *Calva*, MS. apud *Gascoigne*, MS. in Dictionario.

1260 Tho. *Cantipratensis.*

1216 P. *Cantor* in MSS.

1464 Jo. *Capgrave*,

Conc. delectorum *Cardinalium.*

Carolus V.

1460 Dionys. *Carthusiensis* in fine com. in Apoc.

In cap. pluralit. Benefic. *Art.* 13.

1440 Jac. *Cartasensis.*

1310 Ubertinus de *Casali* apud onus Eccl. *c.* 43.

Balth. *Castalio* de Aulico

Rodericus *Castellanus*

1370 *Catharina* Senensis.

1340 Alanus *Chartier* apud Jo. Marium Belgam de schismate, *p.* 467.

1402 Galf. *Chawcer*,

Epist. *Christi* in Conc. Basil. *MS.*

1460 *Civitatensis* Episcopus,

† Isid. *Clarius.*

1400 Nic. de *Clemangiis* de corrupto Ecclesiæ statu.

1480 Ant. *Codrus.*

1172 Jo. *Commonus.*

1414 Conc. *Constantiense*, Sess. 11.

1327 *Cossiodorus.*

1420 Matth. *Cracoviensis* de *Cracovia* de nævis & squaloribus Ecclesiæ.

1329 P. de *Cugneriis.*

1366 Telesphorus de *Cusentia*,

1450 Nic. *Cusanus* de concord. Cath. *l.* 2. *c.* 29. & deinceps potissimum, *c.* 33.

1346 Gerard. de *Cussiaco.*

Cuyckius in speculo concubinariorum.

D.

Daniel Carmelita

1321 † *Dantes.*

Diez Postill. Serm. 4. de nat. Dom. *p.* 363.

Fr. *Dominicus*

Simon *Dunelmensis.* *Claruerunt* Anno 1164

Durandus Miniatensis de modo celebrandi Conc. Generalis 1270

E.

Ecbertus Abbas in Ep. 1130

Eckardus. 1140

Ecclesia & Simoniæ colloquium.

Emericus. 1350

† *Erasmus* Ep. variis, & chiliadibus, in Adagiis & in Enchiridio Militis Christiani. 1530

† Claud. *Espencæus.* 1550

Petermannus *Eterlinus.* 1507

F.

Alex *Fabritius.* 1429

Fasciculus temporum. 1470

Fasciculus rerum expetendarum.

Jo. P. *Ferrariensis.* 1400

Vincent. *Ferrariensis.* 1453

F. *Flechen.* 1514

Gu. *Flete*,

Flores Hist. 1226

Ant. *Fraclius.* 1478

Tho. *Frater* lib. de conditione Presbyt.

Guil. *Fresen.* 1360

Jo. *Froissardus.* 1360

G.

Nic. *Gallus.* 1270

Lib. pro libert. Eccl. *Gallic.* adversus Rom. Aulæ defens.

Henr. de *Gandavo.* 1290

Tho *Gascoigne* MS. in Col. Lincoln. 1460

Gaufredus. 1174

Genebrardus Chron. l. 4. anno 991.

Georgius Dux Saxoniæ.

J. *Gerson* de temper. in cibo & potu, *tom.* 4. *& tom* 1. in declar. defect. Eccl. 1410

Jo. *Gochius.* 1496

Gratianus dist. 34. Is qui. 1170

Gravamina Nat. Germanicæ. 1550

Rob. *Grosthead* MS 1250

† Fr. *Guicciardinus* hist. *l.* 13.

Jac. de *Guitrode.* 1472

† Lilius Greg. *Gyraldus* de Herculis vita, & dial. 5.

Sylvester *Gyraldus* spec. Eccles. 1175

H.

Claruerunt

Anno 1380 Henr. de *Hassia*

1346 *Hayabalus*

Alex. *Hegius*.

1451 Felix *Hemmerlin*.

1477 † *Hermannus* Arch. Colon.

1350 R. *Higden*, *l.* 7. MS.

1160 S. *Hildegardis*.

1480 Jo. *Hilton*.

1350 Rupertus *Holcot* in lib. sap. lect. 182.

1120 *Honorius* Augustodunens. Dial. de Praedest. & lib. arb.

1253 *Humpertus* de Romania.

1404 *Jo. Hus*.

1517 Ulricus *Hutten*.

I.

Corn. *Jansenius* Conc. *p.* 270.

1190 *Joachimus* Abbas.

1480 Dietherus de *Isenberg*.

1485 *Josquinus* Groning.

1371 Henr. de *Jota* vel *Icota*.

1430 *Julianus* Card. S. Angeli.

1465 Jac. *Junterbuch*.

1430 Laur. *Justinianus* de compunctione & complanctu Christi.

K.

1414 Henr. *Kaltheisen*.

1511 Jo. *Keiserbergius*.

1470 Dion. *Kichet*.

1486 † Albert. *Crantzius*, *l.* 4. Metrop. *c.* 9. & *l.* 5. Sueciae, *c.* 10.

L.

1369 Rob. *Langland*.

1512 Conc. *Lateranense* sub Julio 2.

1320 Rob. *Liciensis*.

Jo. *Leichenberg*.

Ep. *Luciferi* inter Germ. scriptores.

1160 Pauperes de *Lugduno* vel Wald.

950 *Luithprandus*.

830 *Lupus*.

1460 Do. *Lurtzen*.

M.

Nic. *Machiavellus* de Rep. *l.* 1. *c.* 12.

1520 Jo. *Major*.

1500 Jo. Bapt. *Mantuanus* Calam. *l.* 3. Fast. *l.* 2. de carnisprivii consuetud. & Sylv. *l.* 1.

Claruerunt

Gualth. *Mapes*, MS. 1200

Gu. de *Mara*. 1507

Jo. *Marius* Belga. 1498

Marsilius Patav. defens. part. 2. *c.* 11. 1320

Papyr. *Massonius* de Episcopis urbis, *l.* 6.

Conc. *Pauli* 3.

Mechteldis. 1290

Gaudent. *Merula*.

Mart. *Meyer*. 1457

Militzius Bohemus. 1370

Laurent. *Miniatensis*. 1470

Liber de *Miseria* Curatorum.

Jo. *Monachi*. 1465

Geo. *Morgenstern*. in Serm. 1400

Jo *Myreus* in Manuali Sacerd.

Com. *Mussus* orat. in Conc. Trid. Conc *tom.* 3. Item Conc. Evangel. de Dom. & Festis, & Ser. 4. cinerum.

N.

Jac. *Naclanti* medulla Scriptur. in Praelud. cap. 4.

Jo. *Netheard*.

† Jo. *Nevizanus* in Sylva nuptiali passim.

Theod. à *Niem* de schismate *l.* 3. *c.* 41. & unione *p.* 379. & Labyrinthi, *c.* 37. 1418

Norimbergenses.

O.

Gu. *Occham* Dial. 1. *l.* 2. *c.* 28. 1316

Jo. *Oldcastel* Miles. 1390

Onus Ecclesiae, *c.* 22. §. 12.

Nic. *Orem*. 1364

Otho Frisingensis. 1150

P.

Gu. de *Pagula*. 1350

Marcel. *Palingenius*.

Jac. de *Paradiso*. 1452

Guil. *Parisiensis*. 1216

Acad. *Parisiensis*.

Matth. *Paris* Hist. majore in Hen. 3. 1250

Henr. *Parker*. 1469

Jac. *Payvensis*.

Gu. *Peraldus*. 1255

† Fr. *Petrarcha* sonnet. 92. & 96. & ep. 20. 1350

Jo. Fr. *Picus* Mirandula Orat. de Mor. reform. ad Leonem. 1490

Collut. *Pierius*. 1408

Bapt. *Platina* in vitis Pontif. in Marcellino 1. Bened. 4. & *Jo.* 13. 1460

Potho

Claruerunt

Anno 1160 *Potho.* Primenſis *l.* 3. de ſtatu Domûs Dei.

Schola *Pragenſis*, Onon, & Pariſ. Hier. *Pragenſis.*

1421. Jo. *Purvey.*

Q.

1480 Nic. *Quodus.*

R.

1510 P. *Raeſteriſcus.*

1382 Phil. *Repingdon MS.* in Col. Lincoln.

1436 Tho. *Rhedonenſis.*

1467 Herm. *Rhied.*

Val. Anſ. *Rhydd.*

1377 *Richardus* 2. Angliæ Rex.

1470 *Rodericus* Zamorenſis in Spec. *l.* 2. *c.* 10. *p.* 306.

1342 Ric. *Rolle* de Hampoole.

1470 Wern. *Rollewinc.*

1340 Alb. de *Roſate.*

1260 Helias *Rubeus.*

1240 Jo. à *Rupe-Sciſſa.*

1500 Nic. *Ruſſ.*

S.

1480 M. Ant. Coccius *Sabellicus.*

Salmeron Com. in Ep. B. Pauli, *l.* 1. *part* 3. *diſp.* 10. *p.* 235.

Fr. *Sanſovinus.*

1140 Jo. *Saresburienſis* in objurgat. Cleri. Item in quodam Sermone. Item in Ep. Pauli. Item in Policrat. *l.* 6. *c.* 24.

1480 Hier. *Savanaroli.*

Laur. *Schraderus.*

1300 Jo. *Scotus.*

1498 Paulus *Scriptoris.*

1500 *Sebaſtianus* Doctor.

1428 Jo. de *Seyſello.*

1570 Car. *Sigonius.*

Geo. *Simlerus.*

1499 Tilem *Spangenbergius.*

1404 *Speculum* Aureum.

Speculum Exemplorum.

1507 † Jac. *Spiegelius.*

Frid. *Staphylus* Apol. part. 1.

1499 *Stella* Clericorum.

1500 Jo. *Stella.*

1496 Cour. *Sumenhart.*

F. *Sylveſter.*

Surius, To. 4. Com.

1460 Æn. *Sylvius* l. 2. de Dictis & factis Alphonſi.

Claruerunt

Jo. *Syringinus.* Anno 1511

T.

Talheymius. 1452

Jo. *Taulerus* in Conc. Epiphan. 1350

Gu. *Thorpe.*

† Aug. *Thuanus.*

Jo. de *Treviſa.* 1397

Conc. *Tridentinum.* 1563

Syn. *Turonenſis.*

Opuſc. *Tripartitum*, To. 2. Concil.

V.

Vadiſcus.

Jac. de *Valentia* in *Pſ.* 118.

Laur. *Valla.* 1430

Udalricus Auguſt. ep. ad Nic. de Cœlibatu Clericorum. 1324

Udalricus Hugualdus.

Fr. de *Victoria* Relect. 9.

Arn. de *Villa-Nova.* 1290

* *Vincentius* Italus Q. *Ferrarius.* * 1400

Ægidius *Viturbienſis.* 1512

Lud. *Vives.* 1530

Ric. *Ullerſton* in petit. ad Con. Conſtant. *MS.* 1414

Jo. Epiſc. *Urbeventanus* paſſim in Schol. ſuis in Pontific. Damaſi.

Volcanius. 1400

Theod. *Urie.* 1410

Cour. à Liechten. *Urſpergenſis* Paralip. *p.* 164. 1225

W

Bern. *Weſteroddus.* 1366

Guil. *White.* 1428

Jo. *Wicklephus.* 1377

Ric. *Wimbledon.*

Nigellus *Wirocher*, in Speculo Stultorum. 1200

Z

Fr. *Zabarel.* 1418

Jo. *Ziska.* 1420

Hi ſunt quidam, ſed non omnes, qui aperuerunt vulnera & cicatrices, revelarunt nuditatem vel fœditatem potius *Eccleſiæ Romanæ*; integri planctus & querimoniæ ſi tranſcriberentur, integrum volumen conficerent: Qui Annum Domini adſcriptum non habent, ferè novitii ſunt.

Sequitur

Sequitur Notatio omnium Operum *Geo. Wicelii Senioris.*

A

† DE Abusibus.
Oratio in veterem *Adam. Lipsiæ.*
Adhortatio ad Congregat. Conc. apud Nic. *Wolrab.*
Exhortationis S. *Ambrosii* ad mortem translatio in linguam Germanicam. *Mog. & Lips.* 1536.
Annale privati hominis.
De *Antichristo*, *Lips.* bis.
Apologia contra calumniatores. *Frib.* 1536. *& Lipsiæ.*
Apophrasis de voluntate Christiani hominis, *Lipsiæ* bis.
De Libero *Arbitrio* hominis Christiani, *Mog.* 1548.
Commentarius de *Arbore* bona. Collectio ex Aug. de Civitate Dei, bonorum ac malorum quibus humanum genus affligitur, *Mog.* 1542.
Dogmata Ecclesiæ ex *Aug.* Tract. Germ. *Mog.*

B

De *Baptismo* & Eucharistia, *Hom.* 2. *Lips.* 1538.
De ritu *baptizandi* apud veteres, libel. ex Bibliotheca Fuldensi. German. *Mog.* 1541.
Basilii M. Conc. contra Fœneratores. Germ.
Annot. contra *Biblia* Wittenbergensium, *Lips.* 1537.

C

Adventus *Cæsaris* in Germaniam.
Enarrat. *Canticorum* Beatæ Mariæ Virginis, & Zachariæ Sacerdotis, ac Symeonis, cum tribus Psalmis Davidicis.
Catechismus Mog. 1541. *Frib.* 1535. *Mog.* 1535.
Catechisticum Examen. *Mog. bis.*
Tabulæ *Cebetis* expositio, *Mog.* 1545.
Conc. Jo. *Chrysostomi* contra avaritiam & usuram, Germ. 1535.
Collectæ Dominicales.
Dialogus de *Comitiis.*
Dialogus de *Concilio Nurenb.*
Resp. ad Artic. Lutheri de *Concilio*, 1545.
Positiones de *Concilio*, 1545. *Conciones* 30. *Lips.* 1536. bis.
Anacephalæosis *Conc.* Eccles.
Ecclesiasticæ Dæmogoriæ & *Conc.* Evangelicæ ac Epist. per totum annum, *Mog.* 1543, 1545. Media *Concordiæ* apud *Berlinum.*
† Methodus Ecclesiasticæ *Concordiæ, Lips. apud Nic. — Wolrab.* 1533.
Conquestio de calamitosa Christianorum statu, *Lips.*
Expositio verbi *Credendi*, & quot modis in S. literis accipiatur, *Lips.*
Cyprian. ser. de morte tr. Germ.

D

Dialogus de Ecclesiæ statu.
Dialogus de Comitiis.
Dialogus de Nuptiis.
Dialogus de relig. dissidio, *Lips.* 1539.
Disticha in totius anni Dominicas.
† *Divorum* ex veteri Testamento Hypodigmata, *Col.* 1535. *Mog. Bas.* 1557.

E

De mediis quibusdam ad *Eccl.* emendat.
De *Eccles.* Sanctorum. *Bas.* 1557.
De *Ecclesia* Christianorum, contra Justum Jonam, *Lips.*
Ecclesiæ incommodorum rationes, & alia multa.
† De inspectione ceu visitatione *Ecclesiarum*, aliisque nonnullis ad Epanorthosin Ecclesiast. pertinentibus, *Col.* 1564.
Epistolarum libri 4. *Lips.*
Epitaphia in mortem *Erasmi*, *Lips.* 1538.
Erasmi Roterodami libellus de Ecclesiæ concordia, *Erphordiæ* 1534.
Responsio ad scripta *Eterlingi* nomine edita.
† Enarrat. *Evangeliorum & Epistolarum* Dominicalium & Quadragesimalium, *Mog. & Col.* 1537. *&* 1545. *& Par.* 1565.
† De *Eucharistia* juxta sensum Scripturæ ac sanctorum Patrum, *Friburgi semel, Lips. bis, & Col* 1549.
Expositio in Psalmum 120.

F

† Theses de *Fide* & operibus, *Lips.* 1539.

G

Georgii Ducis Saxoniæ Epitaphium & Epicedium.
Compendium *Grammatices.*
Præconium Evangelicæ *Gratiæ*, 1534. *Mog. & Lips.*
† Tuba Gratiæ, *Bas.* 1557.
Gratiarum actio ob Dei beneficia, *Mog.*

H. † Ora-

H

† Oratio in laudem *Hebraicæ* linguæ, bis, *Col.* 1535.
Encomium sacræ linguæ.
Enarrat. in Haggæum Prophetam, *Mog.* 1541.
Hagiologion, sive de Sanctis Ecclesiæ, *Mog* 1541. cum addit.
† In Threnos *Hieremiæ*, *Col.* 1553. *Col.* 1537.
Argumentum in omnes libros *Homericæ* Iliados.
Proloquia in *Hæreses.*
De moribus veterum *Hæreticorum*, *Par.* 15 8.
† *Homiliæ* duæ——— de Baptismo & Eucharistia, *Lipf.* 1538.

I

Icones christiani hominis, *Mog.*
Idiomata linguæ Vet. & Novi Testamenti, *Mog.* 154?.
De *Jejunio.*
† Justi *Jonæ* confutatio, *Colon.* 1549.
Expostulatio cum Justo *Jona.*
Acta *Islebiensium* de remiss. peccatorum, *Lipf.*
Meditationes cujusdam *Itali* in Psalm. 31. Germ. *Mog.*
Belli *Judaici* descriptio ex Flavio *Josepho* compendiosiss. *Mog.*
De vera *Justificatione*, *Lipf.*

L

De falso Evangelio Mart. *Lutheri* & ejus falsa Ecclesia, *Frib.* 1535. & *Lipf.*
Retectio *Lutheranismi* 4°.

M

Martyrologium Christi, *Lipf.*
Methodus Studii Theologici pariter, & de Concionali offic. *Col.* 1552.
De *Missa* vet. Ecclesiæ ex Jo. Chrysostomo, Germ. *Mog.* 1541.
De die *Mortis* Dominicæ.

O

De *Obdormitione* Christianorum, *Frib. Mog. & Lipf.*
Onomasticon Ecclesiæ, *Mog.*
Coacervatio Locorum utriusque Test. de absoluta necessitate bonorum in fide *Operum*, *Col.* 1547.
† Lib. pro defens. bonorum *Operum*, *Lipf.* 1532.
De Bonorum *Operum* ad justitiam simul & salutem æternam necessitate libellus, *Lipf.*
De *Oratione*, jejunio & eleemosyna, *Friburgi.*
† *Oratio* de veris pastoribus, *Lipf.* 1537.
Odæ Christianæ, *Mog.*
Oratio adversus calumniosum accusatorem in genere judiciali.
Oratio hodæporica.
† *Ordinatio* examinandorum, *Mog.* 1544. vel *Ordinandorum* examen.

P

Pedagogiæ Christianæ fragmentum, *Mog.*
Parallela ex Sacris & Gentilium libris.
† Epitome Rom. Pontificum à Petro usque ad Paulum 3. Pontif. Max. ex Bapt. *Platina*, Col. 1549.
De *Pœnitentia*, Confessione, & Potestate clavium, *Lipf. & Frib.*
Christianorum *Poetarum* carmina à Theologis, *Mog.*
De *Polygamia* l. 3.
Precationes, *Mog. & Lipf.*
Prophetici Sermones, *Mog.*
Leges Scholæ *Puerilis*, bis.
Psalmorum Pœnitentialium expositio, *Lipf.*
† De igne *Purgatorio*, Col. 1545.

Q

† *Quadragesimale*, *Mog.Col.*1559. & 1545.
Querela Evangelii contempti, *Lipf.*
† *Quæstiones* Catechisticæ, *Mog Col.*1543.
Quæstiones Eucharisticæ, *Mog.* 1540. bis.
In *Quæstionem* de igne Purgatorio additiones quædam ex clarissimis Ecclesiæ Scriptoribus, *Col.* 1545.

R

Formulæ *Reformatoriæ.*
† Compendium de Semitis Antiquis apud Hieremiam Prophetam, *Reformandæ* aut restituendæ potius & Concordiæ fanciendæ gratia.

S

De Intercessione *Sanctorum.*
Sanctorum vet. Test. vitæ, *Col.* 1435. & mox, *Mogunt.*
Leges *Scholares.*
Syllabus, seu comprehensio Locorum ex utroque Testamento, *Lipf.* bis.
Contra Lud. *Sylvium* Hessum de raptu Epistolæ privatæ.

T

Tesseradecachordon super negotium pacificationis.

Insignium

Insignium locorum utriusque *Testamenti* comprehensio.
Castigat. in Novum *Testamentum*.
† *Tuba* Evangelicæ Gratiæ, *Isleb.* 1534.
Typus Prioris Ecclesiæ, *Mog.* 1540. *bis.*

V.

Versuum aliquot Centuriæ.
† *Via* Pacis, Mog. 1545.
† *Via* Regia, 1564.

Quæ præfixam habent notatiunculum hujusmodi †, habentur vel in publica Bibliotheca Oxon. vel extant apud privatos amicos.

STEPHANI GARDINERI, EPISCOPI *Winton.* de vera Obedientia Oratio.

Unà cum Præfatione *Edmundi Boneri* Archidiac. *Leicestr.* (postea verò Episc. *Londinensis* pinguissimi & sanguinolenti) Serenissimæ Regiæ Majestatis *Angliæ* in *Dania* Legati, capita notabiliora dictæ Orationis complectente.

In qua etiam ostenditur Causam Controversiæ quæ inter ipsam Sereniss. Reg. Maj. & Episcopum *Romanum* existit, longè aliter ac diversius se habere quam hactenus à vulgo putatum sit.

Juxta editionem *Hamburgensem*, ex officina *Francisci Rhodi*, mense *Januar.* MDXXXVI.

EDMUNDUS BONERUS, ARCHIDIACONUS Leicestrensis, Serenissimæ Regiæ Majestatis Angliæ in Daniâ Legatus, ad sincerum & candidum ac pium Lectorem.

QUandoquidem nonnulli sunt haùd dubiè etiam hoc tempore, ut semper hominum judicia varia ac diversa esse consueverunt, qui putant Controversiam illam, quæ inter Serenissimam Angliæ Franciæque Regis Majestatem & Episcopum Romanum existit, in eo positam esse, quòd sua Regia Majestas longè clarissimâ ac nobilissimâ dominam Annam Matrimonio sibi copularit: quùm reverâ tamen res longè aliter ac diversius sese habeat. Idcircò ut omnes quotquot verè & ex animo Christi Evangelio favent (quod piissimus ac optimus ille Princeps sedulò & indefesse ad Dei Optimi Maximi honorem, Christianorumque omnium commodum & utilitatem ubique promovet) quibus denique veritas (quæ primas ubique partes meritò sibi vendicat, & cui tandem omnia quantumvis reluctentur in initio, cedunt ut par est & obtemperant) non invisa sed grata est, caput controversiæ illius uberiùs intelligant, ac non ignorent etiam cujusmodi sit optimorum ac doctissimorum Episcoporum, Procerum item, & totius Populi Anglicani, non in illâ causâ Matrimoniali solùm, sed in asserendâ quoque Evangelicâ doctrinâ concentus & approbatio: Divulgabitur hæc Wintoniensis Episcopi (viri, inquam, in omni genere doctrinæ insignitèr eruditi) de

verâ

verâ obedientiâ oratio nuper ab illo in Anglia edita; de cujus tamen Episcopi laudibus nihil à me hoc loco dicetur; non solùm quia infinitæ; sed quoniam etiam orbi Christiano longè sunt notiores quàm ut hîc commemorari debeant. Et de oratione ipsâ, ut doctissima itâ etiam elegantissima, quid attinet pronunciare? quùm ipsa seipsam satis laudet, & vino vendibili non opus sit hædera. Sed in ipsâ tamèn oratione, Tu, quisquis es, Candidissime Lector, videbis præter cætera splendidè ac doctè tractatum, quanta sit quamque invicta divinæ veritatis vis & magnitudo, quæ, ut interdùm ab hostibus premi, itâ tamen opprimi sic nunquàm potest, quin postliminio tandèm redeat speciosior & magis grata. De obedientiâ item quæ veritati debetur, ac quæ sit vera obedientia censenda. Ad hæc de traditionibus humanis, quæ plerumque divinæ legis veritati repugnant. Et obitèr ubi de conjugio dicti Serenissimi Regis, quod maturo judicio, plurimarum & præcipuarum Academiarum autoritate & Suffragio, totius denique Ecclesiæ Anglicanæ consensu cùm multò Clarissimâ & Nobilissimâ Dominâ Annâ Reginâ contractum est. Deinde de ipsius Regiæ Majestatis titulo, quod ad Ecclesiæ Anglicanæ Supremum caput attinet. Postremò de ementito hactenùs Romani Episcopi primatu in Regno Angliæ justissimè abrogato, & quatenùs Episcopi Reliqui, ei in functione pares & in suis provinciis aliquousque etiam superiores, juramento olim illi præstito obligentur. Illud autèm tibi sit persuasissimum, optime Lector, Episcopum Romanum, si nihil præter hoc matrimonium esset, facillimè quieturum, præsertìm unâ aut alterâ objectâ offâ. Sed quum tantum Principem, ut optimum ita etiam longè doctissimum, tam sincerè & ex animo, Christi Evangelio favere videat, denique sentiat annuam, eamque optimam prædam, talem, inquam, quæ proventus Regios ferè æquabat, ex manibus sibi ereptam esse, nec licere amplius in ipsius Regiæ Majestatis Regno Tyrannidem (olim heu nimium truculentam & acerbam) exercere; denique multa in divinæ Majestatis offensam & contumeliam statuere quod ipsum olim sub titulo *Ecclesiæ Catholicæ*, ac Apostolorum Petri & Pauli autoritate, interim etiam dum Lupus rapax ovis vestimento palliatus servorum servum se appellabat magno Reipublicæ Christianæ damno, fecisse constat; hinc lachrymas ortas esse dicas: hinc iras istas esse & fremitus, ac tantam excitatam Tragœdiam. Nam nisi hæc itâ se haberent, credibile ne cuiquam esse poterit, hunc Jovem Olympium, qui pietatem planè Ἀνυπόκριτον sibi falsò arrogavit, omnem lapidem movere voluisse, quo hic pius ac bonus veréque Evangelicus Princeps, apud cæteros Monarchas & Principes, quo jure quâve injuriâ falsò traduceretur. Nec quicquam tamen te moveat, Candidissime Lector, quod hactenus huic sententiæ non est visus Wintoniensis accessisse; Causam enim quamobrem id non fecerit, ipse in hâc oratione offert, quod si non attulisset, non te clàm est tamen quantæ prudentiæ sit judicium suspendere, nec præcipitare Sententiam. Vulgatum autem illud est, minus nobis præstitisse Magdalenam citò Christi resurrectionem credentem, quàm Thomam diutiùs dubitantem. Verè hunc Fabium esse dicas qui cunctando restituit rem. Quanquàm non hoc eo dicit, quod anteà Winton. ipse tacitus secum non probaverit, (probavit enim olim haud dubiè) sed quòd lentè festinans rem, (licet alioqui per seipsam solidam, tamen propter varietatem opinionum tenebricosam & involutam) è tenebris primum indefatigabili suo studio, extrahere, deinde prudenti trutinâ expendere, ac demùm reipsa priùs diù multúmque deliberata; quoniam Σύμβουλος οὐδεὶς ὅτι βελτίων χρόνου, docto & consummato judicio suo comprobare voluerit. Quo tibi gravior, Amice Lector, illius censura & autoritas esse debent, quandò non temerè & fortuitò, sed (ut vides) judicio & prudentiâ res sit examinata & discussa. Neque verò novum hoc est exemplum, videlicet isti tyrannidi Episcopi Romani adversari, quùm non iste solum, sed multi sæpè ac doctissimi viri superioribus temporibus id fecerint, Scriptis etiam editis, quibus & illum suis coloribus pingebant, & imposturas, technas, fraudes & dolos illius orbi reddebant manifestos. Proinde si olìm aliquandò tu, vel de verâ Obedientiâ, vel de ipsius Regiæ Majestatis matrimonio, aut titulo, vel denique de Episcopi Romani hactenus ementito primatu dubitaveris, quod ipsum tamen te, modo naris eras emuncti & judicii solidi haudquaquam fecisse opinor: perlectâ hâc Oratione (quæ haud dubiè, si modò veritati faves, ac tyrannidem Pontificiam illam fraudesque illius Satanicas exosas habeas, insignitèr tibi placebit) errorem depone, ac veritatem ultrò oblatam, tandem gratus agnosce; illud tecum reputans, satius esse serò quàm nunquam resipiscere.

Vale, Candidissime Lector, fœlicitèr; & hunc serenissimum Angliæ Franciæque Principem, quem tuendo Evangelio Divinâ quâdam Providentiâ natum esse constat, non ama solùm sed honora; sed cole quàm religiosissimè. Ipsum autem Wintoniensem, quem jamdudum eruditissimorum albo adscriptum esse constat, summis laudibus extolle.

STEPHANI GARDINERI EPISCOPI *WINTON.* De vera Obedientiâ Oratio.

EXistimanti mihi, & cogitatione mecum tacita consideranti, præsentem in Ecclesia Anglicana ordinum statum, in quo permulta quæ vel hominum, vel temporum vitio jamdiu confusa, nonnulla autem labefactata, quædam etiam collapsa, ac tantum non funditus eversa essent, ad pristina rursus divini operis fundamenta, appenso verbi Dei perpendiculo, revocata, reposita, ac restituta esse cum viderem; Subibat animum continuo meum, non sine veneranda quadam admiratione, divinæ veritatis invicta vis, & magnitudo, quæ nimirum licet humanæ interdum persuasioni ruinas pergraves ac diuturnas perpessa videatur, manet tamen ipsa solida semper, firma, atque certa, hominum quidem nonnunquam præstigiis atque fucatis artibus, ceu nebulis quibusdam, paulisper obducta, at tempore à Deo præscripto, solis instar, tene-
Psal. 50. bris tandem discussis, & profligatis sese denuo proferens, atque vindicans: Ut justificetur Deus in sermonibus suis, & vincat cum judicetur. Neque vero dubito quin in hanc eandem, aut certè haud multo dissimilem cogitationem mecum multi, iique docti, graves, ac boni viri inciderint: quibus inepta quadam, & inveterata superstitione impeditis, veritatique aliquamdiu reluctantibus, eadem hæc cogitatio omnes dubitationis scrupulos prorsus ademit, lucemque veræ veritatis, divina operante gratia attulit, atque adduxit. Equidem autem ut de meipso ingenuè confitear, cum legis & literæ, ut ita dicam, æmulator, ac propugnator essem accerrimus; nec quicquam illibentius unquam, aut invitius facerem, quam ut à receptis, qualiacunque essent, discederetur: quo quidem longius meum in ea re judicium à veritate recessit, hoc certè vehementius, atque acrius quiddam in veritate agnoscenda passus videbar; non aliter sanè atque oculi tenebrarum caligine hebetes jam facti, ad subitum irradiantis luminis splendorem solent obstupescere. Mihi namque illud haud datum fuit, quod Divo Paulo constat accidisse; qui simulatque
Act. 9. à Deo prostratus cecideri, vocem obedientiæ protinus emisit, dicens: Domine, quid vis me facere? hoc enim electo illi vasi uberior dei gratia contulerat, ut vocem corripientis Dei, & ab errore revocantis, confestim agnoscens, totum se Deo committeret regendum, & ei in omni veritate statim obediret, ac pareret in omnibus. Ego autem etsi veritati semper, quæ omnis haud dubie à Deo manat, obediendum statui; in ipsa tamen veritate discutienda, atque examinanda, difficilior protinus non acquiescebam. Sed ita me comparavi ut tanquam omnium sensuum judicium exigendo, nisi ea prius me, & auribus audisse, & naribus olfecisse, oculis præterea vidisse, manibus denique contrectasse sensissem, haudquaquam satis spectatum putassem, ut veritati quasi perspectæ & cognitæ intelligentiæ meæ sensum submitterem, & captivarem. Quam meam cunctationem, quæ aliquibus fortasse nimis quàm pertinax reluctatio visa est, non prudentiæ sanè, aut gravitati volo adscribere; ne quis me velut bonis vicinis destitutum, quod dicitur, meas meiipsius laudes putet prædicare, sed Dei planè, in veritatis traditione, constantissimè varietati, ut par est, tribuo atque assigno. A quo omnes cum doceantur, qui videlicet
Joan. 9. docentur, secundum illud: Et eritis omnes docibiles Dei: Ut quisque se in assentiendo veritati senserit affectum, enarrare quidem licet, ac profiteri. Caussas vero cur hic citius, ille tardius, alius nunquam oblatam à Deo veritatis cognitionem amplectatur, neque semper perspicere est datum, neque altius quam scripturis expressum est, permissum investigare.

Tantum abest ut causam tarditatis meæ coner in præsentia reddere, aut cunctationem illam, ceu propriam animi mei dotem, mihi arrogare, quod ipsum non solum apud homines stultitiæ nota, sed impietatis etiam aqud Deum crimine non vacaret, quin potius orbi rationem reddere volui quid meam mihi sententiam tantopere mutarit, quidque me à meipso, ac meis antehac cum verbis, tum factis tandem coegerit dissentire. Coegit certè (ut uno verbo dicam) quod omnes cogit, cum ita Deo visum est, vis veritatis; cui parent tandem atque obediunt omnia.

Quod te oro atque obsecro, benigne, candidéque lector, ut me de vera Obedientia verba facturum læta fronte feras, quæque tua causa vel rhetorum, vel dialecticorum leges à scriptore exigunt, ut nimirum in ingressu te vel benevolum, vel docilem vel denique attentum reddam, cujusmodi nihil hactenus præstiti; ea tu tamen mihi, quasi accepta referas, & quasi verè soluta acceptilatione remittas. Nam cum ego me verè obedisse sentiam

sentiam veritatem agnoscendo, non possum sanè mihi temperare, quin de vera obedientia aliquid in medium proferam, eamque si non pro rei dignitate dicendo valeam illustrare, at certè publicè eam prædicare, ac profiteri contendam. Atque ut quod proposui statim aggrediar, nihil esse aliud puto, verè obedire, quam obedire veritati. Deus autem veritas est, ut Scriptura testatur, in qua etiam maximè prælucet nobis adeo quidem, ut qui aliunde conquirant, & à cisternis, atque lacunis hominum, non ab ipso limpidissimo & sincerisſ. fonte petant, hauriunt interdum, & referunt nescio quod turbidum & lutulentum, certè ad restinguendam humanarum cupiditatum sitim, quod omnino veritatis est proprium, inefficax atque inane. Solus enim ille est qui aquam nobis præstat veritatis salutarem, de qua, qui fidei per JESUM CHRISTUM proditæ obediendo biberit, is etiam veræ obedientiæ fructum feret, ut non sitiat in æternum. Nempe Deus etiamsi in veteri lege cum jam cultum sui sincerum & purum, quem nunc veri adoratores in spiritu & veritate sint exhibituri, in victimis & sacrificiis adumbrare & significare decrevisset, ipsas ideo victimas & sacrificia summo in honore haberi, parique religione præstari præcepisset, ut ostenderet tamen quanto habuerit semper cariorem obedientiam, eam omnino omnibus & victimis & sacrificiis etiam tum anteponendam fore, in quamplurimis sacræ scripturæ locis manifestè declaravit. Joan. 4.

Sic enim Samuel ex spiritu Dei loquitur ad Saul, Nunquid (inquit) vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ, & auscultare, magis quam offerre adipem arietum. 1 Regum, 15.

Moses etiam in Deuteronomio obedientiam populo commendaturus ait, En propono, inquit Moses, in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem. Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionem, si non obedieritis. Divus autem Paulus hujus veræ obedientiæ illis verbis meminit, cum ad Rom. scribens, se gratiam & apostolatum accepisse refert, ad obediendum fidei in omnibus gentibus, &c. Fides enim obedientiam exigit, videlicet ut Dei voluntatem in Christo, qui est verbum patris, agnoscentes, atque illius merito gratiæ Dei participes effecti, per eundem etiam dominum nostrum, & obediendo credamus, & credendo obediamus. Quisquis autem Deo, atque in Deum credendo sperat, atque ab eo solo remunerationem expectat, neque extra Deum operum factorumque suorum fines porrigit, sed illis limitibus circumscribit, ut tanquàm à Deo profecta, à quo omnia bona procedunt, etiam in Deum referat, illumque & initium unicum boni, & finem esse agnoscat: hic certè est qui verè obedire dici potest, veritatem videlicet sectando, & præ illius amore omnia contemnendo, quæ fallax hic mundus & magnifacere solet, & ostentare. Deut. 11. Rom. 1.

Quam quidem obediendi veritatem ut dilucidè ac manifestè, non auribus modo, sed oculis etiam cerneret, atque conspiceret mortalium genus: nempe ut ad eam consectandam & exterius, & interius à patre cœlesti quotquot futuri sunt filii traherentur, à patre processit verbum in virginem Christus Jesus: Indutusque vero ac mortali corpore jam caro factus, idem Deus & homo habitavit in nobis, gloria etiam ejus in signis, & virtutibus manifestata, quasi unigeniti à patre, & quem nemo unquam vidit, deum nobis enarravit, verasque obedientiæ vias præivit, & præmonstravit, ut sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita per unius obeditionem justi constituentur multi: & superatâ morte, quam inobedientiæ peccatum induxerat, vera jam vita in Christo ex obedientiæ virtute viveretur. Fidere enim deo atque illi firmissimè adhærere, quam justi vitam appellat scriptura, hoc certè illi obedire est, & obedientiam exercendo corpus castigare, carnem in servitutem redigere, regnum peccati quoad licet convellere, à deo pendere; membra nostra in justitiæ servitutem mancipare, nostra contemnere, & Dei amore quæ sunt aliena curare, Deum ipsum pro præmio sperare, nec absque Deo, aut præter Deum ipsum quicquam plausibile, aut jucundum ducere. Hoc autem est dominum diligere ex toto corde, qui videlicet zelotes est deus, neminem ferens in amore communem, sed qui totum sibi exposcit hominem, nec in partes divelli patitur, ut duorum dominorum præceptis subserviat, sed se solum adorari vult, & sibi soli à suis inserviri. Cujus certè divinæ voluntatis mysterium à seculis inscrutabili dei consilio absconditum, revelavit nobis in fine temporum noster Christus, humani generis hostia & piamentum, qui justissimam dei iram placando, doctrinam obedientiæ factis edidit salutarem, & pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus: quæ quidem vestigia si considerabimus, reperiemus planè obedientiæ veritatem eam demum esse, quæ voluntatem dei in verbo, qui Christus est, mortalibus proditam cæteris omnibus postpositis exequitur in mandatis, & à deo excitata, in deum etiam qui dat & velle & operari pro bona voluntate refert effectum & finem. Itaque cum Joan. 1. Rom. 5. Exod. 20. 1 Pet. 2.

Christum jam in templo docentem, & in veræ obedientiæ officio versatum interturbaret
Luc. 2. mater, Nonne scis, inquit, quia in iis quæ patris mei sunt oportet me esse? ut ostendat
manifestè etiam naturæ affectum divinæ voluntati parere oportere, nihilque prius esse
Joan. 14. debere, quam præcepta divina obediendo præstare. Sicut, inquit, mandatum dedit mihi
Matt. 15. pater, sic facio. Et alibi, non sum missus nisi ad oves, &c. innuens nihil esse petendum, quod veræ obedientiæ officium violaret. Cum passionis hora jam appropinquaret, eamque orationis formam edidisset Christus, quæ nostræ fragilitati in imminentis
Matth. 26. mortis periculo maximè conveniret, orans, Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: subjecit tum, ut obedientiæ victoriam faceret clariorem, Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Cujus patris præceptis in mysterio redemptionis nostræ prorsus paruit deus filius, ut nobis quo modo pareamus ostenderet: qui ne vinum tamen perderemus infusa, quod dicitur, aqua, & omnem obsequendi fructum amitteremus, idem suis verissimis atque certissimis verbis nos alibi docuit, id quod factis etiam comprobavit, non suam se gloriam obediendo quæsisse, sed patris. Ego, inquit, gloriam meam non quæro, sed
Joan. 8. patris. Si glorifico, inquit, meipsum, gloria mea nulla est. Et alio in loco nos de hoc clarius admonens, Sic luceat, inquit, lux vestra coram hominibus, ut glorificent patrem
Matth. 5. vestrum qui in cœlis est: Quod si ab hominibus laudem speramus, aut vanam gloriam consumpta hic mercede, vacuis olim vasis in conspectu altissimi tanquam virgines fatuæ
Matth. 25. apparebimus, gravissimam ab adveniente sponso repulsam passuri. Itaque ne sciat sinistra
Matth. 6. quid facit dextra: sinistrum est, obliquum, & pravum quicquid est carneum. Noli igitur conspurcare & contaminare divina humanis, sed seorsum à carne in abscondito
Matth. 6. obedias, & Deus in abscondito reddet tibi. Atque huc referri posse puto, quod scribit divus Paulus, inquiens, Non is, qui in manifesto Judæus fuerit, Judæus est, neque quæ
Rom. 2. in manifesto carnis circumcisio fuerit, circumcisio est, sed qui in abscondito Judæus fuerit, is demum Judæus est, & cordis circumcisio est circumcisio, quæ constat spiritu, non litera,
Psal. 15. cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Sit itaque Dominus & pars & summa hæreditatis nostræ, qui solus certam restituet hæreditatem: Nempe obediamus Deo propter Deum, quæ sola vera obedientia est: quæ eò regreditur unde cœpit, & à veritate profecta, in veritatem tendit, eodemque Principio continetur, & fine. Quo qui-
Col. 3. dem temperamento Divus Paulus obedientiæ normam proposuisse videtur, cum servis juberet, ut Dominis propter Deum forent obedientes; ostendens plane Deum, & illius justi obsequii, quod à servis præstatur carnalibus Dominis autorem esse, & remuneratorem: ut quidquid illius nomine factum apparuerit, ratum id ab eo, atque acceptum
Luc. 6. iri non dubitemus. In quam sententiam scriptum apparet in evangelio, Beati eritis, cum vos oderint homines, &c. propter filium hominis: gaudete, & exultate, quoniam merces
1 Pet. 3. vestra multa est in cœlo. Nam si debitam legibus pœnam, ut habet divus Petrus, luentes colaphizati patiamur, quæ nobis gratia? legibus etenim hoc exhibetur, non Deo: quemadmodum nec illud quantumvis specie pium ullam à Deo mercedem promerebitur, quod aliquid hic terrenum venetur, aut gloriæ, aut existimationis humanæ quod hypo-
Matth. 6. critarum est, quibus illa Dei vox competit, Recepisti mercedem tuam: Sic enim maledicetur homini, qui non obedierit Deo: id quod duobus modis contingit, vel cum Dei præcepta aut ambiendæ gloriæ, aut aucupandi quæstus gratia in speciem apud homines exequimur, de quo superius nonnihil diximus. Cujus rei in singulis judicium sibi Deus servavit in diem justi judicii promulgandum, gravissimè interdicens: ne de cujusquam in ea re animo temere pronunciemus, etiamsi in universum quod nos fecimus de hoc genere peccati, ut de omnibus disserere non prohibuerit, aut in eo de quo etiam
Matth. 15. hominibus pronunciare permittitur, cum veram obedientiam fucata obumbramus, & neglecto Dei præcepto aliunde in quibus exerceamur, accersimus, ad illam severissimam
Matth. 15. divinæ veritatis sententiam obsurdescentes, Frustrà colitis me in mandatis, & doctrinis hominum, qui quidem mea violastis præcepta propter traditionem vestram. Quod ne fiat, prima nobis cautio esse debet, ut notam certam illam, & digito Dei obsignatam teneamus, qua facilè ab humanis divina distinguamus, ne confundantur. Primum itaque illud constet, eloquia Dei, quæ in sanctis scripturis ipso Spiritu sancto dictante editis continentur, certissimam Dei vocem ad nos referre, ut ex illis intelligamus, discamusque voluntatem ejus, ejusdemque præceptorum & dogmatum certitudinem, ut eam viam mandatorum edocti, ad patriam recta tendamus æternam. In illis ergo quid tandem præcipitur? præcipiuntur quidem multa, quorum in veteri Instrumento quædam non ad animi præcipuè justitiam, sed ad populi conditionem relata, in hoc novo populo in Christo renato, tanquam succedente tenebris veritatis luce, evanuerunt, quorum tractatio superflua jam foret, & aliena; ut qui de iis duntaxat præceptis dicere instituerim, quæ non uni populo Deus, sed per unum populum cunctis gentibus decreverat significare,

quorum

quorum ne iota quidem unum, aut apex præteriret. Quæ quidem præcepta à nonnullis moralia sunt appellata, quæ etiam cum ad sanctimoniam, castitatemque vitæ ac morum pertineant, vim adhuc solidam & integram obtinere censentur. Id quod nos persuasum habeamus cum multis ex aliis locis, tum ex illo præsertim Evangelii, ubi Christus populum docens, tam apertè pronunciat, non aliter ingressuros nos regnum cœleste, nisi justitia nostra, plusquam Scribarum, & Pharisæorum abundaverit. Qua quidem sententia etiamsi Pharisæorum justitiam non omnino probaverit Christus, utpote humanam solum & carne tenus, i. externa factorum hypocrisi consistentem, neque ab illo manantem fonte spiritus, quem sola Dei gratia in ejusdem Christi meritis facit irriguum: nobis tamen hac collatione indicasse videtur & admonuisse de puritate morum, quam in Scribis & Pharisæis lex exigebat, nihil per Evangelii doctrinam remittere & relaxare ipsum, sed illa verborum significatione etiam castitatis, & sanctitatis fines longius proferre ejusque augmentum ac progressum in hac nova lege exigere velle. Nam libertas, qua nunc per Evangelium donati sumus, quæque legem Mosaicam sustulisse creditur, non eò pertinet, ut moralium etiam præceptorum obliti, dissolutam ac turpem vitæ conditionem sequamur, sed ut vitiis liberi sanctitati serviamus, & quod Dei voluntas ad sanctimoniam pertinere scripturis aliquando insinuaverit, id sequamur, id amplectamur divino præcepto, ut obedientiæ nostræ ratio queat constare: quorum quidem moralium in veteri lege præceptorum, ut aliquot commemorem, nam singula numerare non est hujus instituti, Levitica illa de vetitis, incestisque conjugiis præcepta, ad castitatem, puritatemque matrimoniorum attinentia, in quibus & humanæ vitæ consuetudo tota continetur, & propagandæ sobolis origo consistit, ejusmodi semper sunt habita, quæ Judæis quidem tradita primum, quoniam essent ad illustrandam naturæ legem explicata, ad universum ideo mortalium genus perpetuo pertinerent. In quibus haud dubiè & naturæ vox, & divina jussio in unum convenientes, quod ab utriusque conditione diversum esset, prohibuerunt. Inter hæc autem, cum illud de non ducenda uxore fratris præceptum contineatur, quid aliud debuit, aut potuit serenissimi Regis Angliæ Majestas facere, quam quod cum summo populi consensu, suæque ecclesiæ judicio fecit? ut ab illicitis divulsa fœderibus, licita, permissaque copula frueretur, & de præcepto (ut par fuit) obtemperans, relicta, quam nec jus, nec fas retinere permisit, casto, legitimoque matrimonio indulgeret? Qua in re, cum divini verbi sententia suffecisset, cui omnes incunctanter parere debent, gravissimorum virorum suffragia tamen, & celeberrimarum orbis Academiarum censuras adhibere, non est gravata sacratissima Regia Majestas. Nempe ut quæ facere, & posset, & deberet, ea eruditissimorum, & optimorum virorum calculis, rectè prorsus fecisse judicaretur. Atque ejusmodi obedientiam in eo præstitisse, cujusmodi divini verbi veritas ab omni pio, atque bono videtur exigere, ut & Deo paruisse, & verè obedisse merito dici posset: de quo quoniam dicere aggressi sumus, id quod commodum in hunc locum sese obtulerat, non potuimus taciti præterire. Sed redeamus ad institutum, quod in eo potissimum vertitur, ut ostendamus eum demum vere obedire, qui ambulat in lege Domini, nec à mandatorum via discedit, sed humili promptoque animo divinæ se voluntati committit, ut Dei authoritatem nunquam defugiat, sed & ei ipsi obediat, & omnibus, quibus ipse jusserit obediendum propter se. Nempe Deus pro sua in mortalium genus immensa, atque ineffabili bonitate ad augendum in nobis gloriæ cumulum, quo materiam nobis sisteret præsentem, in qua cum pietate, & merito nos ipsos exerceremus, homines substituit, tanquam vicaria potestate obedientiam exacturos, quam illis nos pari cum fructu præstaremus propter Deum, ac si Deo ipsi immediatè, id quicquid esset honoris exhiberemus. Quo certè in loco Principes posuit, quos tanquam ipsius imaginem mortalibus referentes, summo, supremoque loco voluit haberi, eosque inter reliquas omnes humanas creaturas præcellere, ut scribit divus Petrus: Seque autore eosdem Principes regnare, ut Proverbia sacra testantur, Per me, inquit Deus, Reges regnant, adeo quidem ut secundum Paulum quisquis potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui Paulus quod hic generaliter locutus, Tito explicans mandavit, ut admoneret universos suis Principibus obedire. Sunt porro & alii inter homines etiam à Deo ad exigendam obedientiam constituti, sed ordine inferiori. Nam & marito uxor, & Domino servus, & quicunque quibuscunque subjecti sint, præpositis etiam obediant propter Deum. Unde certè accidere interdum hæsitatio solet, divinæ legis sensum, non rectè callentibus, quum duorum præpositorum uno eodemque tempore mandata dissideant, & invicem collidantur, ac manifestè repugnent, utri primum, ac potissimum sit obediendum. Verbi gratia:

Matth. 5.
Levitic. 8.
1 Pet. 2.
Proverb. 8.
Rom. 13.
Tit. 3.

Mandat Dominus servo id, cujus diversum eodem tempore, eodemque momento imperat Princeps: quibus utrisque cum obedientia propter Deum debeatur ex verbo Dei,

Dei, utriusque autem imperium uno eodemque momento, ab uno eodemque homine obiri rerum natura haudquaquam patiatur. Hic ut ab aliquo fortasse, qui sensus nondum exercitatos habeat, subdubitari posset, cuinam servus obedire primum & potissimum teneatur. Ita ei qui in reliquis similibus causis animadverterit, ita natura comparatum esse, ut inferiora superioribus semper subserviant, ac locum dent: hujusmodi quæstionis enodatio statim patebit. Itaque in exemplo proposito, non domino servus pareat, sed principi, tanquam Domino illi suo, superiori, ut cui Dominus pariter cum servo obedire teneatur. Quibus quidem servo, domino, atque Principi, cum unum agnoscimus Deum superiorem, Regem videlicet regum, & Dominum dominantium, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ejus utique præceptis omnes, primum, & ante omnia parere debent, servus, dominus, Princeps: ut omnibus propter Deum, nemini autem extra eum, nedum contra eum obedisse videantur.

Itaque laudatur etiam uxor marito morigera, sed usque ad aras, ut est in proverbio: Melius est enim Deo obedire, quam hominibus. Ex his autem cum sit manifestum in obedientia ordinem esse servandum, & ita cuique nos primum obtemperare oportere, prout is ordine alium ac prærogativa divinæ legis testimonio præcedat, operæ pretium visum est, de ordinum gradu necessario dicturum, illam etiam hic attingere causam, quæ hodie fermè in manibus & ore omnium versatur & celebratur: Num juri divino universi populi Anglicani consensus innitatur, quo invictissimum & potentissimum Principem HENRICUM octavum Angliæ & Franciæ regem, fidei defensorem, & Dominum Hiberniæ, summum in terris caput Ecclesiæ Anglicanæ celebrat, & veneratur, Eidemque in publicis comitiis liberis suffragiis autor fuerit, ut suo jure uteretur, seque Ecclesiæ Anglicanæ caput non minus nomine quam reipsa profiteretur. Qua in re nihil novi latum est, tantum significantiore vocabulo apposito, competentem Principi jure divino potestatem exprimi clarius voluerunt, eo potissimum consilio, ut fucum illum à vulgi oculis amoverent, quem Romani Episcopi ementita potestas aliquot jam seculis obduxerat, non citra principis potestatem vehementer imminutam: quam salvam omnes, & ab injuriis sartam tectam optare tenentur, & pro virili præstare. Qua quidem in re certè non video, cur quenquam offendat, Principem Anglicanæ Ecclesiæ caput dici, magis quam Regni Angliæ caput. Hic jam te appello, candide lector, ut sepositis interim appellationibus, rem ipsam consideres. Neque enim ignoro utriusque appellationis vim & Ecclesiæ vocabulum non quamvis congregationem, nisi cum adjectione (ut odivi Ecclesiam malignantium) significare: sed eam demum populi multitudinem, quæ Christiana professione unita in unum corpus coaluerit. Hoc enim usus obtinuit, ut Ecclesiæ appellatio, alioqui communis, excellentioris tamen corporis propria efficeretur. Regni vero appellatio latius patet, omnesque principis dominio subjacentes complectitur, quicunque fuerint, & qualescunque Judæi, Barbari, Saraceni, aut Turcæ, nedum Christiani. Cæterum cum in hoc, de quo agitur, ita se res habeat, quæ significetur, ut utrique appellationi ex æquo respondeat, atque ex eisdem hominibus hodie Ecclesia constituatur Anglicana, qui sub regni vocabulo continentur, quorum caput dicitur princeps: Sub appellatione Regni Angliæ, non erit etiam eorundem hominum caput, cum Ecclesia designantur Anglicana? Itane vero verba, cum tantum eum usum habeant, ut sint rerum notæ, eatenus in hac causa valebunt, ut etiam rerum ipsarum naturam invertant? Ut pro nominum varietate alius atque alius homo in existendi ratione idem censeatur? Equidem non sum nescius relatione nominum nonnunquam mutari officia, atque eundem hominem prout alio atque alio nomine afficiatur, partes etiam nomini convenientes subire debere.

Verum enimvero si Princeps caput Regni est, quod perinde est, ac si dicas, omnes quotquot intra Regni ditionem sunt, tanquam uni corpori inexistentes adglutinatos habeat, ut illis pro capite præesse videatur: an ullo modo fieri potest nominis mutatione, ut idem homo subsit capiti huic, & non subsit capiti huic in eodem genere subjectionis, nempe propter Deum? Nam contra Deum nulla est subjectio. Quàm ridiculum igitur illud, ut eundem hominem, quem si Joannem libeat vocare, in Anglia commorantem, Principi tanquam capiti subesse fatearis, hunc si voces christianum eodem modo subesse neges? Etenim quatenus in Anglia commoratur, de regno est; quatenus vero Christianus est in Anglia etiam commorans, de Ecclesia Anglicana esse censetur. Caput, inquiunt, Princeps est Regni, non Ecclesiæ: cum tamen Ecclesia Anglicana nihil aliud sit, quam virorum & mulierum, clericorum & laicorum in regno Angliæ commorantium, in Christiana professione unita congregatio. Ecclesia videlicet merito appellanda, quia communio sit Christianorum, à loco vero, Anglicana,

glicana, ficut & Gallicana, Hifpana, atque etiam Romana. Itaque qui Principem regni quidem caput fatentur, Ecclefiæ tamen, fi diis placet, in eodem regno congregatæ non concedunt (quæ eft eorum five infcitia, five malitia) illud apertiffimè innuunt Principem caput effe infidelium, fidelium non effe, nifi ipfe Princeps fit infidelis, ut aut infidelis Princeps fideli five infideli populo imperet, aut idem Princeps Chriftianæ fe jungens Ecclefiæ, omne deinceps imperium, & poteftatem deponat. Quenquam reperiri, qui hoc innuat, fatis certè mirari non poffum, & tamen qui adverfantur, quid aliud dicant, non invenio: Firmamentum aliud allegationis adferunt nullum, quam quod nullo pacto confiftat, & fibi conftet. Caput, inquiunt, regni eft Princeps, non Ecclefiæ.

O dictum abfurdum, atque ftolidum! Quafi vero quia populus jam cœpit fidere Deo, juftiffima caufa fit, cur amplius non fubfit Principi, Dei vicario, fed ab ejus corpore omnino eximatur.

At non ita docuit Paulus, qui dominorum jus in fervos Chrifti profeffione tradidit, non immutari, aut minui, fed integrum adhuc dominio confervandum admonuit, fervis præcipiens, uti carnalibus dominis fint obedientes propter Deum. Coll. 3.

Uxoris ad fidem converfio nihil detrahit imperio mariti, utpote qui caput adhuc manet uxoris, quæ etiam ne poft fidei profeffionem, præpofteri ordinis argumentum edat, quod aliquorum animos abalienaret à religione, cenfuit Divus Petrus, ut uxores fidem profeffæ, omiffo prædicandi munere, quod verbis exequerentur, lucrifacerent fine verbo maritos per caftam converfationem. Ergo autoritas domini in fervum, & in uxorem jus capitis marito, religione non perit, & peribit principi? Qui cum quandam Dei imaginem in terris etiam infidelis dum eft, refert ut caput, & dux populi dicatur, profeffione Chriftiana ftatu minuetur, nec amplius caput illius populi, qui Ecclefiam conftituit, dicetur, fed quò propius ad Deum per fidem, qui unicus eft aditus, accedit, hoc longius à Dei imagine recedet, atque hoc minus populo venerabilis effe incipiet, quo nomine vel maximè debeat honorari? Certè fi caput eft populi, idque divina ordinatione, quod nemo non fatetur, etiam tum cum populus fimul, & princeps à Deo per infidelitatem quam longiffimè disjunguntur: Quanto magis nunc cum in unam fidei profeffionem, non fine divina virtute coeuntes, Ecclefiam eo pacto conftituerint, nomen capitis debeat retinere? Ut Ecclefiæ illius caput adhuc merito habeatur, Dei jam vices multo clarius referens, quam olim dum in tenebris infidelitatis verfaretur. Paulus fine diftinctione, jubet iis obedire principibus, Rom. 13. qui gladium geftant. Divus Petrus de regibus loquitur nominatim. Chriftus ipfe 1 Pet 2. jubet tributum folvi Cæfari, & difcipulos increpans, quod de majoritate contenderent.

Reges, inquit, gentium dominantur eorum, oftendens planè in tanta graduum ac Matth. 23. ordinum varietate, quibus Deus hunc mundum ornat, dominium, atque imperium ad folos Principes pertinere.

Sed dicet mihi hic aliquis: In eo laboras, de quo nemo dubitat. Nam Principi effe obediendum quis unquam negavit? Certiffimum quippe eft, eum qui principi non obedierit, morte effe mulctandum: Ut in veteri lege eft comprehenfum, atque adeo in nova confirmatum. Sed videndum, inquiet, eft illud, ne terminos pofitos tranfilierit princeps, tanquam de finibus regendis adhibendus eft arbiter: Nam deberi obedientiam certum eft, quatenus autem fefe proferant obedientiæ exigendæ limites, totum quicquid effe poterit quæftionis continetur.

Quofnam mihi limites dicis, cujufmodi fcriptura nullos dicit? Sed generaliter de obedientia loquens, quam Principi fubditus, vel marito uxor, vel domino fervus præftare debeat, nullam vel fyllabam exceptionis fubjecit, præterquam quæ Dei obedientiam integram confervaret, ne ulli mortalium voci contra deum aufcultemus, alioquin planè indefinita oratio eft, quæ mandat obedientiam univerfali ex æquo pollens, ut fruftra mihi limites nomines, qui nullo fcripturæ teftimonio comprobentur. Nobis quidem præcipitur, ut obediamus. In eo noftra functio eft, quam fi obire cum gratia Dei, & hominum volumus, animi humilitatem exhibeamus oportet, imperia quantumvis gravia propter Deum fubeundo, non quid aliis imperare Princeps, dominus, aut maritus debeat, aut poffit inquirendo aut quæritando: qui fi aliquid fibi amplius quam æquum & juftum fuerit, aut ipfi arrogaverint, aut delatum fufceperint, dominum habent, cui aut ftant, aut cadunt, & qui de illis fit olim judicaturus. Attamen dicet aliquis, etiam de hoc dicere in initio es pollicitus, quod nunc rejicere conaris, propofiti ut videtur oblitus. Imo inquam non rejicio, fed fatis effe confirmatum affevero ex fuperioribus, Principi obediendum effe ex præcepto Dei: & obediendum quidem

quidem sine exceptione, utpote cujus nulla fiat mentio in illa lege, cui si addideris quippiam, aut dempseris, impius sis.

Quid igitur ultra quærimus: Nam si ad commodam interpretationem generalis illius de Obedientia eloquii descendamus, & scripturam scripturæ conferentes collatione & comparatione, verum & genuinum scripturæ sensum elicere conabimur, id quod à sanctissimis & doctissimis viris fieri & solet & debet: non planè video, cur inferiores discedamus. Itaque consideremus, quid referant scripturæ, quæ ex adverso proferuntur. Obedite præpositis, inquit Paulus ad Hebræos, quem locum, & item caput decimumtertium ad Romanos de potestate pont. quam vocant Ecclesiasticam, interpretantur quidam. Item in actis Apostolorum, Attendite, *&c.* in quo vos posuit spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, *&c.* Ac ne quid prætermittamus, etiam illud non omittamus, quanquam alium sensum habet, quod divus Petrus de regali sacerdotio loquitur.

Nam illud, Quodcunque ligaveris, aliò pertinet; & illud, Pasce oves: præterquam quod à Christi ore processerit, non amplius quicquam continet, quam quod de regenda Ecclesia mandatum fuisse jam indicavimus. Hæc & si qua sunt similia etiam eo sensu intellecta, quo isti volunt, nimirum ut Episcopis, & verbi Dei ministris in Ecclesia obediatur. Regiæ potestati quo minus etiam ad capitis usque appellationem in Ecclesia porrigatur, nihil adversantur, non magis certè quam Principis obedientiæ detractum esse quippiam, aut diminutum in eo existimemus, quod uxor marito, & servus Domino obedire, suo generali quadam pronunciatione jubentur.

Nam quemadmodum apud jurisconsultos, ut loquuntur ipsi, jurisdictiones interdum variæ ab eodem manantes non se invicem perimunt, sed mutuis auxiliis consistentes concurrunt. Sic quod apostolis, & iis, qui in eorum locum succedunt, regimen Ecclesiæ committitur, nulla in parte id quod ante à Deo principibus commissum est, tollere, minuereve censeatur. Neque minor sane est parochi cura parochianorum, quod curare etiam debet Episcopus, nec Episcopi jurisdictio ideo nulla putetur, quod superiorem agnoscat Archiepiscopum. Regit enim Ecclesiam suo gradu atque ordine parochus, episcopus, archiepiscopus. Quemadmodum itaque in iis suo quisque munere fungens, non detrahere sibi invicem, sed auxiliari videtur, sic quod Apostolis, & qui in eorum locum succedunt, regimen Ecclesiæ commissum reperitur, id quod antea à Deo Principibus commissum est, haudquaquam tollitur.

Sed quum regimen multa opus habet, doctrinam in primis videlicet, & præeminentiam secundum variam distributionem donorum, aliis doctrinæ munus, & sacramentorum ministerium in eodem corpore mandavit Deus; aliis vero præeminentiam, non ut adversentur quidem, sed quemadmodum varia in eodem corpore membra, sic in Regimine congruenter consentientia sint, ac suum quisque munus obeat cum charitate. Sed audio hic obstrepentes quosdam, & magna quadam cum severitate objurgantes, quod nova potius distinctione uti maluerim, quam trita illa, quæ regimina tam commode, ut isti putant, secat Principis videlicet & Ecclesiæ, nimirum ut illud sit temporalium, hoc spiritualium, secundum quam distinctionem Princeps tanquam luminare minus ea curet, quæ sunt noctis, cætera quæ sunt spiritus, & diei, soli soli relinquat perlustranda. Caliginosa sanè distinctio, & tenebrarum plena. Nam si Principi Christiano Regis adhuc nomen relinquis, ut Dei vice in terris non præesse solum populo, sed ipsum etiam regere, atque adeo dirigere teneatur: primum quæro, quam tandem viam insistet regendo Rex Christianus, ut ducat populum Christianum, veritatisne, quæ ducat ad vitam, an mendacii, quæ properet ad mortem? Nam media via nulla invenitur: si veritatis, quam mihi solam curam narras rerum temporalium, scriptura clamante, primum quærendum esse Regnum Dei, cætera vero non quærenda, sed adjicienda dei benignitate? Scilicet in privata cujusque solicitudine quærendum est Regnum dei, & in Principis administratione negligendum, aut saltem non curandum? Illud est certè cum vererentur boni homines, ne quis aliquando Rex nimium sanctus futurus sit: hic videlicet ne virtutis vestigia altiora imprimat, bello scilicet commento, cavendum putarunt principis quidem munus ita circumscribere, ut nihil ipse habeat pensi, sui cives bonine sint, an etiam non sint, bonitate quidem Christianæ professioni congrua, modo non prorsus nefandis sceleribus, ac facinoribus sint ita infamati, ut ab hominum natura degenerasse videantur. Itaque ne furentur, ne occidant, ne vim bonis inferant laici, id vero curet Rex.

Rom. 13.

Adulteria autem, & his deteriora, ac quæcunque faciant ii, quorum titulus, & vestis diversa persuadeant, quantumvis enormia, securus negligat. Sunt enim spiritualia, id est spiritualium hominum vitia, de quibus regem jubent esse securum: ut cui

cui satis sit populum in temporalibus regere, nec aliud præterea quicquam ad illius notionem pertinere, hoc videlicet est regere ad interitum expeditissima planè via; quam longissimè ab illius munere diversa, qui in regendo populum in terris Dei vicem referat. An hoc est pascere populum? Quo verbo scriptura ad reges utitur. 2 Reg. 5.
Multo certè aliter cum summo applausu curam Principis in moribus Ecclesiæ corrigendis Dunstanus sanctissimus atque optimus vir, Cantuariensis olim Archiepiscopus interpretatus est, qui eam regis vocem libenter amplexus est, qua se gladium gladio copulaturum edixit: Ut dissoluti Ecclesiæ mores ad rectam vivendi normam aptarentur. Altero gladio ad illud alludens Pauli, quem verbi ministri docendo, & excommunicando exercent. Altero præeminentiam ostendens jure divino concessam, cui omnes parere, quotquot principis ditioni subjecti Ecclesiam constituunt, omnino debent. Mandatur enim Principi, ut populum regat: ipsosque Principes officii commonefaciens alloquitur propheta, Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Psal. 2.
Quod si istorum interpretationem recipimus, hoc tantum intelligant, nihil aliud erudiantur Principes, quàm ut negligant fere omnia, hoc est mediam populi partem ne respiciant quidem, si nomine & habitu domino mancipentur, in reliquam autem partem eatenus animadvertant, non ut ab omnibus facinoribus abstineant, sed à quibusdam.

Ast longè alia est prophetæ interpretatio, quam subdit, Servite domino in timore: hoc nimirum quid sit, nobis intelligendum est, atque ex ore Dei discendum. Os autem Dei in sanctis tam veteris, quàm novi Testamenti scripturis patet. De regis Salomonis administratione sic refert Scriptura: Constituit Rex Salomon juxta dispen 2 Paralip. 29.
sationem patris sui officia sacerdotum in ministeriis suis, & Levitas in ordine suo, ut laudarent, & ministrarent, coram sacerdotibus juxta ritum uniuscujusque diei, & janitores in divisionibus suis per portam, & portam.

Audis hic Salomonem regem, etiam sacra curasse, non temere, sed ex præscripto patris David: de quo Deus per prophetam protestatur invenisse se hominem secundum cor suum.

Itaque etiam illa de Salomone historia contextum habet, quod sequitur, Sic enim præceperat homo Dei, nec prætergressi sunt de mandatis regis quicquam, tam Sacerdotes, quàm Levitæ ex omnibus quæ præceperat.

Quid hic commemorem solicitudinem regis Josaphat, qui supremum illud in Hierusalem sacerdotum ac Principum familiarum tribunal constituit? In qua tandem potestate fecit nisi regia? Muneris sui ducens esse, divina se potius curare debere, quàm humana. Quæ denique audacia fuisset Ezechiæ regis, primo protinus regni sui anno, atq; adeo primo mense, ita se divinarum rerum administrationi immiscuisse, si non regii tum muneris à Deo traditi disciplina id exegisset? Ut videlicet Rex à Deo constitutus qui spiritus est æternus, spiritualia, & æterna potius, ac priori loco curaret, quàm corporalia, & tempore peritura? Ezechias ergo ipse, de quo tam celebre extat elogium, ut non fuerit alius ei similis qui servaret omnia præcepta domini in cunctis regibus Juda.

Volens videlicet requirere dominum in toto corde suo, id quod fecit, & prosper ratus est, ut habent scripturæ verba, 2 *Par.* 29. hic inquam Ezechias quid fecit? In ipso sanè primo anno & primo mense regni sui, non modo instauravit valvas domus domini, sed etiam sacerdotes ipsos corrigere, atque adeo vivæ structuræ ruinas reficere conatus est. Nempe sacerdotes in plateam orientalem congregatos, non solum admonuit neglecti officii, sed tanquam potestatem etiam habens, Audite inquit, Levitæ & Sacerdotes, sanctificemini & mundate domum domini Dei vestrorum patrum, & auferte omnem immunditiam de sanctuario, *&c.*

Qui quæso potuit hìc majore cum imperio loqui? Neque enim more hortantis locutus est, quomodo inferiores aut æquales solent seipsos, quò levior sit oratio rei gerendæ communicantes, quod genus orationis pius interdum affectus etiam in aliena re exigit: ad quem modum si Ezechias loqui voluisset, Non sanctificemini, sed sanctificemur; non mundate, sed mundemus; non auferte, sed auferamus: aut si rei natura communionem non pateretur, à privato illa optanda fuissent, aut indicanda, cui quidem certè neque exigendæ rei se conjungere, ut exhortetur, neque pro imperio mandare licuisset.

Cæterum Ezechias optimus Princeps de regio officio, cura atque administratione à Deo edoctus, oratione ad sacerdotes ejusmodi usus est, quæ loquentis autoritatem referet, & potestatem. Itaque imperandi modo, Audite, inquit, mundate, atque auferte. Illi etiam sacerdotes, ut in eodem loco habetur, tanquam justum regis mandatum

 exequentes,

exequentes, imperio paruerunt. Sic nimirum eruditi fuerunt reges illi, qui suum ex divina autoritate munus in populo Dei plenè atque perfectè obierint.

Quæ etiam à Principibus Deus nunc multo magis est exacturus: Ut audita prophetæ voce ad eruditionem hujusmodi amplectendam, exhortantis in regendo populo, Domino serviant cum timore, & tremore. Ut populum non qualemcunque sed Domino dignum, & acceptabilem, quo ad ejus facere possunt, exhibeant, sicque fideles dispensatores reperiantur in Die illo, in quo rationem susceptæ administrationis sunt reddituri. Audiant itaque Sapientem Sapien. 6. Audite reges, & intelligite, præbete aures vestras vos qui continetis multitudinem, quoniam data est à domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra. Quare non tanquàm pigri, negligentes, & otiosi versentur Principes, sed jugi in timore serviant. Nam tanto magis soliciti esse debent ex munere dato, ut quidam scripsit, quanto se obligatiores esse conspiciunt in ratione reddenda, Magnum siquidem talentum est Principibus à Deo concreditum: Nempe ut populum non solum regant, sed rectè etiam regant: Non in una aliqua parte, sed in singulis. Sicque vineam domini, quam colendam suscepisse videntur curare, ut non arceant solum, quod noceat, sed repurgent etiam, atque repastinent, nec ullum genus culturæ prætermittant, quo fructum proferat vinea uberiorem, à patrefamiliàs suo tempore repetendum. Quis enim facultatibus sufficiat Principibus illud cavere, ut cum ipsi omnem in se regendi populi curam Deo autore susceperint, pacisci deinde ipsis liceat ut partis majoris cura sit alterius, ipsi interim tanquam bellè defuncti, in utramque aurem dormiant securi? Scilicet quam vocem præsentis reverentia virtutis, non veritas potestatis aliquando expresserat, eam deinceps etiam si ab homine sic affecto emissam ad eludendam divinæ autoritatis curam usurpabunt? Nempe illud Constantini dictum. Ego vos non judicabo, à quibus debeam ipse judicari? Deus generaliter loquitur, neminem excipit, populum credit Principi interdum malum malo. Si bonum aliquando populum Principi bono, certè tanto magis credit, ut universo populo secundum Dei præcepta, non uni populi parti secundum traditiones hominum præesse credatur. Qui populus una fide Christi conglutinatus, si Ecclesiam constituat, quid habet absurdi, ut Princeps, qui illius populi caput dicitur, Ecclesiæ etiam, quam populus ille constituit, caput vocetur? Dices fortasse, solus CHRISTUS caput est Ecclesiæ, omnes fatemur, qui quidem alioqui ne Ecclesiam propriè constitueremus, nisi malignantium. CHRISTUM sanè Ecclesiæ caput agnoscimus, atque in cœlo regnantem cum patre, quem advocatum habemus ad patris dextram assidentem, ac intercedentem pro nobis.

Quatenus autem Christus Mediator Dei atque hominum, ipse Deus & homo, caput Ecclesiæ est, non recipit ea Ecclesiæ adjectionem, cum neque Anglicana sola sit, sed etiam Gallicana, Hispana, neque non Romana, quippe nullo loco circumscripta, sed quocunque terrarum etiam apud Turcas, sicubi suos sibi filios obsignaverit Deus, à quo, ut est in Evangelio, omnes trahuntur, quibus dedit potestatem suos fieri filios. Itaque sit hoc extra controversiam, de quo vel contendere, ne dicam disceptare, sit impium. Atque ut hoc removeatur, & nequa causa calumniandi remaneat, & verbo caput additur in terris, & verbo Ecclesiæ adjicitur Anglicanæ. Cujus quidem Ecclesiæ Anglicanæ supremum in terris caput, quoniam id Scripturæ & rationes comprobant tanquam Principis & Regis appellationi inexistentem, rem eam quoq; verbis apertis exprimendam duxit populus Anglicanus universus, plebs, patresque atque etiam ii, qui ab illa jurisdictione immunes, temporis, non veritatis præscriptione habebantur. Quid ni enim consentirent veritati? Neque profecto deterrere quicquam potuit aut debuit verbi novitas, & insolentia: Postquam enim rem ipsam, quæ nomine exprimebatur, non modo veram, sed etiam veterem fuisse appareret, Judicii non temeritatis fuit, ut insigne aliquod nomen proponeretur, quod oscitantes quorundam animos languidaque judicia ad ipsam veritatis considerationem excitaret, ipsoque nomine admonerentur subditi, principem totius populi Principem esse, non partis, ipsumque populi corpus in Ecclesiam coalescens non mancum esse, aut truncum, sed eodem Principe tanquam capite constare, cujus muneris sit non humana solum, sed multo magis divina curare, cuique videlicet corporis membro commoda distributione suas functiones mandare: Ut ipse oculis, auribus, & ore juxta solicitudinem, qua dono Dei præest corpori inserviendo, & sui quemque muneris commonefaciendo officium obeat ejusmodi, quod à Christiano principe, Christiano populo præsidente, Deus sit haud dubiè olim exacturus. Atque hæc quidem de nominis novitate. Nam ipsa alioqui res, & multa, & gravissima habet exempla, non ea modo quæ veteri lege testata

testata supra recensuimus, sed pleraque etiam alia, non cum illis quidem pondere & gravitate conferenda, quæ divina autoritate nituntur: Verumtamen quoniam ad causam pertineant, non omittenda.

Itaque quis unquam improbavit Justiniani factum, qui leges edidit de summa Trinitate, & de fide catholica, de Episcopis, de Clericis, de hæreticis, & cæteris id genus? Quas certè leges aut frustra tulit, aut curam se etiam illius, quæ purior & sanctior esse deberet (id quod profitetur) populi partis habere interpretatus est. Veritatis revera judicium in hoc assecutus.

Quoties autem legimus causas hæreseos apud Cæsares & Principes agitatas, ipsorumq; examine discussas fuisse? Si antiquas Anglorum retro Principum leges excutiemus, quam multas reperiemus ad religionem & Ecclesiam pertinentes ipsorum Regum jussu & autoritate latas, promulgatas, ac demandatas executioni? Imo tanquam defensores inquiunt Ecclesiæ, non ut autores & capita hujusmodi statuerunt. Quis igitur interim caput fuit? quis præfuit? Cujus fuit præcipua solicitudo? Scio quid respondebunt: nempe Romani Episcopi, post videbimus hoc. Interim certè concedatur necesse est Regiam dignitatem summis in Anglia Episcopis semper præfuisse, & sub nomine Defensoris Ecclesiæ (quo titulo Reges etiam donati sunt ab iis, qui minimum tribuerunt) ea præstitisse, & exhibuisse, si non in omnibus, certè in quam plurimis, quæ capitis dignitatem, atque officium in Ecclesia referrent.

Defenderunt namque Principes Ecclesiam, quomodo caput tuetur corpus, atq; defendit. Cumque hodie passim accidere videamus, ut rem ipsam in multis negligentes, aliqui nomen tamen ambiant. Illi Principes contra, re atque officio tales, qui capita dici merito debuissent, a capitis vocabulo tantum abstinuerunt. Illi enim de hæresi, in qua prima & præcipua functio est, sua autoritate, suisque legibus inquirendum statuerunt, quod & hodie est, & perpetuo usque ad hæc tempora fuit observatum; jam vero Episcopis ipsis, & clericis multa permiserunt, multasque illis immunitates concesserunt, quorum certè concessio abunde magno argumento esse debet, aut frustra hactenus Principes de re aliena rogatos fuisse, quæ nihil ad eos pertineret, dedisseque, quod ipsi non haberent, quod planè absurdum est, aut eorum quæ concesserunt exercendi potestatem habuisse, atque ideo de suo jure eatenus discessisse, atque remisisse. Quæ cum ita sint, fuerunt reipsa quidem capita semper Principes, etiam tum cum defensores duntaxat appellarentur, si id est caput esse corpori præesse universo, ac singulis ejus membris, quod in usum cederet universi, mandare, remittere nonnunquàm & indulgere, sicque singula moderari, & temperare, ut Dei gloria fideique professio indies augeatur.

At enim dicent isti, Romanum Episcopum tanquam universalis Ecclesiæ caput agnoverunt Principes, huic honores supremo capiti pares habuerunt, huic se submiserunt, hujus autoritatem agnoverunt, hunc pro patre venerantes, filios contra se ab hoc appellari gloriati sunt: ut si à factis jus æstimemus, & ad juris probationem satis fuerit facta docere, ut quicquid aliquando factum apparuerit, id etiam jure factum esse omnino fateamur: potior erit haud dubiè causa Romanorum Episcoporum.

Nolim videri, à quo longissimè absum, tam vanus, aut impudens, ut dissimulem quæ facta sunt, nedum negem; & tamen cum hæc concessero, quæ negari non possunt, videtur mihi, quod quemadmodum virtus etiam tum cum maximè dejicitur, vitiisque obducitur, vim tamen suam alicunde ostendit, ut oppressam in præsentia, non planè extinctam intelligamus.

Sic in mediis iis factis; quæ Principis juri, atque autoritati derogasse videantur, velut è longissimis tenebris lux quædam veritatis semper emicuit, ex qua propius, ac certius intuenti, licuit deprehendere, non fuisse hæc facta solida, integra, justisque fundamentis innixa, sed speciosa magis quam vera, & honoris fœnerati, potius quam soluti argumenta.

Etenim si illa unquam opinio Principum animis penitus insedisset, Romanum Episcopum Christi in terris vicarium fuisse, hoc est omnibus esse à Deo caput constitutum, cui parerent omnia, omnia obedirent, sine quo nihil usquam sanctum haberi debeat, nedum sacrum, cujus benedictio prospera, maledictio semper adversa daret, aut si hoc ipsis adeo Romanis Episcopis sic se habere persuasum fuisset. Neque ipsi Romani episcopi quæsitis artibus & humano ambitu potius quam solido divinæ veritatis testimonio, si quod hujusmodi proferre potuissent hactenus in defendenda autoritate usi fuissent, neque Principes illi suis quisque temporibus illam ipsam autoritatem, quam vocabulis & appellationibus concedere videbantur rebus ipsis, & factis non clam, sed apertè sic imminuere ausi fuissent, eorum certè Principum, quorum summam in Deum religionem, illis in sanctorum numerum relatis, orbis jam post funera colit, & veneratur.

Nempe si episcopo Romano curam totius orbis à Deo commissam majores credidissent, quæ tandem audacia eos impulerit, ut tam multa statuerent curæ illi, & ejus prætextu venditanti se potestati adversantia, atque contraria, & ut alia multa fecissent, illud certè quod tamen fecerunt, nunquam fuissent ausi facere, ut quem à Deo speculatorem ad videndum in eminentiore loco positum existimassent, hujus oculos ne providerent impedire, obicemque opponere voluissent.

Æquum fuit, credo, tantam diligentiam in Dei vicario improbare, qui cura videlicet, ac solicitudine omnium Ecclesiarum affectus, ne pastores deessent populo, triplici interdum substitutione providit. In superiorem quidem, aut adversus eum nulla legislatio legitima est. Inferiores enim non præscribunt iis qui præsunt: sed neque eorum administrationi, quantumvis iniquæ & gravi, fræna jure imponunt.

Itaque majores nostri retroque Principes, qui maturo consilio in publicis consiliis cum ad consultandum de repub. convenissent, illam in Romanis Episcopis oculorum aciem ne provisionem suam ad nos usque intenderent, editis legibus arcendam censuerunt: nec suæ interim conditionis inscii fuisse videntur, nec illius potestatis originem; atque naturam prorsus ignorasse; quorum in ea re & judicia, & facta Episcopi Rom. adeo non improbanda existimaverunt, ut Principes ipsos, qui hoc & statuerunt & observarunt, non modo non reprehenderint, sed acceptam etiam cladem dissimulantes, à fide atque obedientia laudarint; homines nimirum cauti, & prudentiores in generatione sua, callidos in hoc negotiatores imitantes, qui ex inutili stipulatione cum dimidium vix auferant, discedunt tamen quieti, id omni lucro quod acceperint deputantes, cum nihil jure potuissent vendicare. Majores autem nostri cum Romanorum Episcoporum autoritatem ex fructibus deprehendissent, nec Dei vicarium judicassent, ita putaverunt, tolerandam precariam illam autoritatem quidem cum moderamine, sic enim ratio tum ferebat; non abjiciendam, sensisse certè nobiscum se, editis factis apertissimè significaverunt.

Cæterum ut est cujusque animi magnitudo, ita vel suum vendicat, & præsente animo utitur, vel oblata utilitate contentus, cætera dissimulat animi securus.

Quæ cum ita sint, nihil est quod moveant reliqua facta quantumcunque in specie adversantia, quibus juri divino haud potuerunt derogare, suamque potestatem temeritate minuere, aut negligentia. Appellarint sanè Episcopos Romanos patres, appellarint capita, ornarint quibuscunque præterea nominibus, veritas certè rerum erroribus gestorum non vitiatur. Fuit olim Romana Ecclesia vel sanctimoniæ specie, vel potestatis amplitudine non modo magni nominis, verum summæ etiam autoritatis; quum autoritatem dico, Tullii sensum sequor, qui in testimoniorum pondere ingeniosis & opulentis, propter vulgi judicium, etiamsi interdum non rectum, ut ipse ait, tantum quia non facile mutatur, tribuit autoritatem.

Nam alioquin autoritas, quæ divino jure censeretur Romano Episcopo nulla est apud nos quidem, quemadmodum nec cujusquam externi Episcopi.

Neque hic veritati afferat præjudicium, quod variis consiliis ante hac homines in speciem fecerunt: nempe vel intervientes suæ utilitati, vel tempori cedentes, aut ignorantia occupati; vincat modo veritas divini verbi, quæ si istis Rom. Episcopis nihil concedit amplius, quam cæteris Episcopis, videlicet ut commissam in sua diœcesi plebem divini verbi, & sacramentorum ministratione alant, & pascant, ne præscribatur tempore, veritati divinæ, nec judicentur Principes, aut populus ignorantia occæcati, calliditate circumventi, aut utilitate rerum capti, aut denique quovis alio respectu inducti fecisse, quod facere nullo pacto debuissent, aut potuissent. An quia consulere Episcopum Romanum in regenda Ecclesia moris fuit, illo id propterea inconsulto nihil agere liceat? & quia Principes eos à suis consuli permiserunt, propria eo pacto jurisdictione se exolverunt, quam à Deo commissam non licet abdicare? Quæ præteritis temporibus confusa sunt, revocentur ad amussim verbi Dei, expendantur utriusque potestatis fundamenta, & quemadmodum Principis amplissimam potestatem non corrogatis, aut eblanditus populi suffragiis quæsitam, sed à Deo collatam divini verbi testimonio supra ostendimus, etiam num idem Deus episcopo Romano aliquam potestatem concesserit, quæ supremæ Principum potestati debeat derogare consideremus. Qua in re non est quod in scrutandis veteris Testamenti scripturis detineamur, in quibus sacerdotes summis Principibus subditos fuisse, & supra nonnihil attigimus, & multis aliis locis est manifestissimum. An non Aaron Moysen pro Domino agnovit, quæ est appellatio imperium agnoscentis?
Exod. 32. Nunquid eodem subjectionis vocabulo usus est Achimelech summus sacerdos, cum lo-
1 Reg. 22. queretur ad Saul regem Israel? Nonne Salomon in summum sacerdotem Abiathar
3 Reg. 2. etiam capitali sententia animadvertit?

Quid

Quid quod Alexander Rex, ut est in libro Maccabeorum, scripsit Jonathæ, dicens, Nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ? Annon hæc satis indicant superiorem Principum esse, etiam summis sacerdotibus, potestatem? Omitto, quod Demetrius Simoni summum sacerdotium contulerit, ac deinde aliis. Prætereo etiam alia quamplurima. Non tam enim confirmationis vim habeat ex divina lege exemplorum multitudo, quam ostentationem. 1 Macc. 10. 1 Macc. 14.

Hoc namque interest divina & humana, quod illa constantia, hæc vanitati, ac proinde varietati semper sint subjecta. In illis itaque nunquam non est verum, quod exemplo semel pro vero proditum est; ut ad probandam supremam Principum potestatem, atque autoritatem unius Ezechiæ exemplum divina historia testatum, ac nobis commendatum merito suffecisset. Relinquitur ergo ut Romanus Episcopus aut novi Instrumenti tabulas proferat, aut nullas. Primum autem ut de nova lege in universum loquamur, qui potest illius auctoritati ulla in Christi verbis syllaba suffragari? cum idem Christus tam aperte sit, & verbis, & factis protestatus, non terrenum se regnum quæsisse, aut hujusmodi regnum arrogare se unquam voluisse, sed manente ordinum statu, cœlestis conversationis formam, & intestinæ mentis justum per Dei gratiam imperium tradere, atq; docere, quod non in fastu, & dominatione; sed contra in humilitate, & rerum humanarum contemptu consistere factis luculentis, dum pro nobis acerbissimum & crudelissimum mortis genus pateretur, clarissimè declaravit. Cujus profecto vices sunt, si quis eas bona cum fide obire velit, non præesse, sed subesse; non Principibus imperare, sed eorum potestatem atque imperium agnoscere; idque non solum cum æqua imperent, & facilè obeunda, sed iniqua etiam modo impia non sint, in conviciis, in plagis, in verberibus usque ad mortem, & mortem quidem crucis.

Hæc sunt certa Christi vestigia, atque adeo hæc in Christo dominandi majestas: hæc, inquam, est Christi vera potestas, & admirabilis nobis, ac summè salutaris, per quam data est nobis etiam potestas filios Dei fieri: hanc factis docuit atque expressit, de regno Israel. Somniantes discipulos semper increpavit: neque aut Cæsaris tributo, aut cujusquam potestati quicquam factis aliquando derogavit. Atque hæc cum ita se habeant, jam fecimus, opinor, manifestum, si Christi facta consideramus, quæ mutari non possunt, nec ullum ambiguam interpretationem recipere, reperiemus planè omnia cum his ex diametro pugnare, quæ tanquam Christi vicarius sibi vendicat episcopus Rom. Superest igitur tantum hoc ut ad verba ipsa confugiat Evangelistarum, de quibus quidem ipsis (utcunque in interpretatione sit variatum) ut sunt tamen in contextum relata inter omnes satis constat. In iis autem quid quærit? Nimirum hoc. Num dixerit aliquando Christus, via, veritas, & vita, in quo à factis nonnihil dissentiret suis? ut quam nunquam apud homines exegerit ipse autoritatem, eam nihilominus Romano Episcopo tanquam suo vicario commiserit usurpandam. Hæc est certè quæstionis summa; verbis quidem (ut proponitur) blasphema, & impia, sed quæ rem profecto ipsam exprimit quæ tractetur. Nam cum in cæteris omnibus cœpit Jesus, ut Evangelista testatur, facere & docere, & quod factis præstitit, doctrina exprimere: hac una certè in re, de qua nunc agitur, si quid docuerit ejus, quod hodie Christi titulo sibi arrogat Romanus episcopus, videlicet ex verbis Christi Principibus præesse, confitendum omnino erit docuisse Christum verbis, id cujus nullum in seipso exemplum non modo edidit, sed cujus longè diversum in perpetuo vitæ cursu præmonstravit. Maneat itaque hoc in causa, Christi facta à nobis stare, quæ nulla hominum interpretatione queant torqueri, tantum in Christi verbis quæstionem esse, quæ humana interpretatio interdum audet violare. Quanquam etiam cum ipso Romano Episcopo hac in causa congressurus, in eo primum possit insistere. Nullam de ipso Rom. episcopo in scripturis sacris syllabam reperiri ut quamcunque verborum Christi interpretationem confirmaverit, extra oleas quod dicitur versari videretur.

Nam quæ tandem consequentia est? Petrum voluit Christus Principibus præesse; id quod nunquam etiam voluisse videtur, ergo etiam & episcopum Rom. An scilicet quia est successor Petri? utinam esset, nihil amplius dico; quo casu præesset omnibus non dubito, si non eminentia potestatis externæ, cujusmodi haud dubiè nullam habet, at certè admiratione, ac veneratione internæ virtutis, quo nomine, ipsis etiam imperatoribus voluit Christus suos prælucere, ac primatum obtinere. Utpote quibus, tanquam legatione pro se fungentibus, claves etiam tradidit regni cœlorum, & in iis Petro, qui omnium nomine confessionem primus emiserat tam salutarem, ut Jesum agnosceret filium Dei vivi. Quam quidem confessionem ut caro & sanguis non revelaverat, ita nec carni in Petro aut sanguini data est prærogativa, quæcunque est data; sed potiori ejus parti, qui spiritus erat, nimirum ut uberiore gratia à Deo donatus, in virtute, ac verbi Dei potentia

Primatus Petri.

tia regendorumque affectuum potestate primatum obtineret; quod si Christi verba sic interpretaremur, ut externam aliquam in dominando potestatem; quam reliqui omnes agnoscerent mortales; atque in iis etiam Principes, licet antea ab eodem Deo in superiori loco collocati, ut nihil aliud afferatur, qui consisteret illa Christi sententia? Non est discipulus major domino suo, si præsertim discipulus exemplo Christi imperium non pateretur, sed supremam illam potestatem exequeretur ipse, quam dominus nunquam voluit sibi erogare. In scripturis de primatu Petri nulla facta est mentio, & Eusebius in Ecclesiastica historia refert Clementem in sexto dispositionum libro asseruisse, Petrum, Joannem, & Jacobum post assumptionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus pene prælati, non sibi tamen eos primatus gloriam vindicasse, sed Jacobum, qui justus appellabatur, Apostolorum Episcopum esse statutum.

Jacobus Episcopus Apostolorum.

Verumtamen propter autoritatem eorum, qui à verbo primatus non abhorruerunt, verbum ipsum non perinde refugio, sed ad illam ejus verbi interpretationem confugio, quæ cum genuino evangelii sensu, in Christi factis depicto, queat convenire. Fuerit igitur Petrus primus, habuerit etiam primatum à Christo, quid tum postea? an simul cum primatu regnum aut dominium collatum est, aut præeminentia? An quia jussus sit fratres confirmare in fide, datum est idcirco in fratres exercere imperium? Nullum hujus generis vocabulum novit Christi humilitas, nedum rerum; licet enim Christus Deus erat æqualis patri, apud quem erat in principio, & in omnibus quæ ab eo creata, dicta, aut facta sunt, unà cum Spiritu sancto cooperator individuus (una videlicet trium personarum in divinitate essentia) semper fuerit, licet inquam secundum hanc Majestatem, omnem potestatem habuerit semper, qua subjiceret sibi omnia: vixit, vivit, vivetq;: regnavit, regnat, atq; regnabit per secula Deus omni tempore: pro immensa tamen sua in humanum genus misericordia, seipsum exinanivit, formam servi accipiens, habitu inventus ut homo, atque adeo inter homines, secundum prophetam, opprobrium, ut faceret planum atque apertum, ea quæ summo apud homines in pretio haberentur, imperia, dominia, & præeminentias, tanquam impedimenta quædam ad æternam felicitatem assequendam, abjicienda potius, & contemnenda esse, quam cum studio quærenda, ambiendaq;, imo nec amplectenda quidem, si se ipsa offerant, nisi ea cautione adhibita, ut tanquam materiam, in qua exercendæ pietatis causa versemur, unusquisque in vocatione sua à Deo oblatam accipiamus; quæ, quo major ac numerosior fuerit, eo certè difficilior sit expeditio, quam nemo eorum sibi exoptat, & quærit, qui ad patriam bona fide contendunt æternam.

Tantum abest, ut de primatu aliquo externæ administrationis sensisse Christum intelligamus, qui milites suos, quos velut in acie adversus mundi, carnis, & Sathanæ fraudes, prælia, & perpetua bella instruxit, eos demum Primos, & in ipsa fronte quasi Antesignanos collocavit: Quos quasi ad frangendos majores impetus hostium fide robustiores noverat, nulla alia cura externarum rerum occupatos, atque impeditos: quique cæteros infirmiores, ut nomina huic militiæ darent, constantiæ exemplo animarent, allicerent, & provocarent; qua in militia, quod CHRISTUS suorum faciens delectum, primam stationem Petro inter fratres contulerit, nihil mirum: cum ita eum ipse armaverat, ut etiamsi aliquando hosti pro tempore cessurum, rediturum tamen eum ad pugnam, nec prorsus succubiturum, sed acriter fortiterque pro veritate asserenda dimicaturum præcognoverat. Primus ergo Petrus fuit? id nemo negat. Primus enim confessus est, Christum verum Filium Dei vivi. Petrus etiam in eadem veritate defendenda nemini unquam fuit animi constantia atque firmitate secundus. Primus post Christum docuit Judæos. In conventu etiam Apostolorum cum necesse esset unum loqui omnium nomine, aliquando, cum ita res ferebat, primas obtinuit in dicendo partes. Non igitur refragabor argumento, quod vocant à conjugatis, quo minus divus Petrus tot modis atque rationibus primus, etiam primatum inter Apostolos habuisse censeatur. Quemadmodum enim sapienti quatenus est sapiens adest sapientia, sic etiam primatus adest primo. Quid ergo? qui primus medicorum omnium habetur, annon habet etiam primatum inter medicos? Quid ni enim habeat? In pictoribus rursum, si quis hac tempestate Apellem æquaret, aut Parrhasium, & primus ideo pictor appellaretur, annon eum primatum inter pictores obtinere diceremus? planiss. In academiis autem si omnium consensus in hoc conveniret, Lutetiam Parisiorum tanquam doctissimis viris refertissimam, ac frequentissimam, primam appellare orbis academiam, Annon etiam eidem, inter alias academias primæ, primatus appellatio competere posset? certé. Sed propius adhuc accedamus: Si quis cum unum universæ familiæ regendæ præposuisset, in qua magnum numerum juvenum cum haberet, quos bonis artibus imbui atque instrui cuperet, multosque præceptores asciscendos curaret, ac in his unum

unum præter cæteros egregiè doctum virum, quem tanquam inter alios eminentem, præceptorum omnium quos asciverat primum vocaret, cuique quos habet charissimos erudiendos committeret: An non hic, præceptor primus cum sit, primatum obtinet? maximè. Neque sanè primus quavis in re non habere potest primatum: sunt enim primus & primatus conjugata non solum vocabulo, verum etiam re. Cæterum illud quæri potestis, de quo diximus, Primus præceptor in hac familia, si quid ibi inciderit de moribus, aut ordine controversum: utrius prior potestas haberetur, ejusne cui familia commissa sit, an ejus qui ad erudiendam Juventutem asciscitur? qui primus, ut diximus, appellatus est, atque ideo habet primatum. Quis dubitat, quin illius cui commissa sit familia? quid ita? nempe manifestissima est ratio, videlicet quia ordo nonnunquam relatione mutatur. Et quod in una relatione primum, & supremum est, in alia vel diversa, inferiorem interdum locum, etiam sæpe numero ultimum tenet. Itaque Deus filius æqualis patri secundum divinitatem, minor est patre secundum humanitatem.

Item Deus filius quatenus quidem Deus in Principio est, atque Principium ipsum, quatenus verò Dei filius, secunda numero persona est, licet sine omni consideratione temporis Deo patri semper coævus. Sed è rebus inferioribus ut petamus exempla: An non domi videmus eundem hominem diversis muneribus functum, Arithmeticarum figurarum instar, nunc primum, deinde secundum, tandem tertium occupare locum, interdum etiam inferiorem, prout causæ, in qua versatur, & loci, ubi convenitur, ratio postulat? Nunquid videre est eum, qui in judicum consessu Primus est, & eo nomine etiam primus Judex appellatur, cum extraordinariis judiciis adesse rogatur, quod non raro fit, in tertio aut quarto loco post alios collocari? Quin in divinis quæso functionibus, quantum, ut ita dicam, primatum obtinet Sacellanus in dominum, dum interest divinis, quem tamen cum loco & veste mox deponit. Neque id sane mirum. In hoc enim ita se res habet, ut qui primi, ac primatus nomen cupit retinere, ab eo non discedat oportet, cui illa fuerat appellatio apposita, atque affixa. Itaque ut ad exempla redeamus. Medicus quidem habeatur in medicina primus, hoc est, scientia cedat nemini, sicque, quoniam etiam id res ipsa postulat, retineat primatum, cæterum tantisper dum versatur in re medica. In administratione autem reipub. quoniam alia est functio, sua sit classe etiam secunda contentus, nec aliis contendat imperitare, quia primus sit Medicus: sed nec cæteris quidem Medicis imperandi sibi arroget autoritatem, quippe quæ in primatu collata nulla est, non quia non potuit conferre etiam hoc, qui eum sic prætulit, sed quia non collibuit conferre, quia sic ratio non ferebat: vel quod gravissimum est dicere, quia id non fecit, utpote qui eum non absolute primum, sed primum Medicum appellavit.

Sit etiam Pictor egregius Pictorum primus, & in eo contendat retinere primatum, ne si alius superarit arte, superet etiam nominis dignitate. Academia Parisiensis non tam de honore glorietur vocabuli, quam studeat præstare quod est appellatione tributum. Denique hic præceptor, qui ad liberos erudiendos ascitus est, quia non hominis personam, sed latentem sub persona virtutem honore primatus donandam censuit paterfamiliâs, meminerit etiam atque etiam se non tam honorari hoc nomine, quam onerari, studeatque potius secundum nominis rationem in exhibendo docendi munere, se primum præstare, quam vano appellationis titulo abuti, & tanquam absolutè primus esset, neglecto officio, & eo pacto amisso primatu, de nomine tamen atque vocabulo cum his qui verum obtinent primatum, atque absolutum, tanquam regendæ familiæ præpositis contendere, & digladiari, sacraque & prophana miscere, ut quo jure, quaque injuria vincat, ac pro libidine obtineat, nihil præterea de functione atque officio habens pensi: sed totus in hoc. Id quod multo jam tempore planè fecisse videntur Episcopi Rom. qui ea, quæ primatui Petri adjecta fuerunt, nihil curantes, atque Primatus nomen certis quibusdam functionibus annexum ipsi absolventes, quippe qui absolvunt omnia, nudum orbi vocabulum proposuerunt, ut primi haberentur, atque ipsis primis priores: nihil interim cogitantes, quam sint in cæteris, infimis quibusque inferiores. Non confero hic, in quo mihi latissimus pateret campus, hominum vitia cum causæ conditione; non semper boni præsunt, scio, nec autoritati tamen quicquam derogat hominis malicia, etiam illud scio, omnes peccavimus, & egemus gratia Dei. Quod autem causæ annexum est, sileri non potest; ne quis mihi objiciat illud Pauli, quod in quo aliis prædico, ipse reprobus reperiar. Quam enim non satis faciam mihi in meo munere, conscius mihi ipse sum. Fidelis autem dispensator quis invenietur? secundum Paul. qui in eodem loco subdit, Nolite ante tempus judicare. Itaque nec ego hac in re latius, ampliusve versabor, quam postulat causa, nempe ut eum qui se primum vocat immerito, quam modestissime cum veritate refellam, eique si nihil aliud, illud saltem optem, ut iisdem titulis primus sit,

quibus

quibus primus esse debet is, qui primus merito appelletur, quibusque fuit ille, unde sibi tanquam successione primatum vendicat.

Quamobrem præcedat modo alios Christum confitendo, & primus eatenus inter omnes, etiam jure divino, merito censeatur, id quod si Bonifacius sensisset, non fuisset ei opus idipsum suffragiis à Phoca Imperatore, tanquam mendicando impetrare, quod sibi ipse, Dei opitulante gratia, per se conquirere potuisset. Præterea primus ante alios doceat, & prædicet Christum episcopus Rom. & tantisper ante alios obtineat ejus functionis primatum. Quàm vero illud ridiculum, ut multis in stadio currentibus, unus quispiam à spectatoribus magno cum ambitu cupiat impetrare, ut ipse ad currendum quidem inter cæteros designatus, cum jam aut culpa sua claudus, aut aliter ad cursum ineptus factus sit, alios tamen omnes etiam tum cursu antevertisse, ac primus omnium metam attigisse dicatur, quum præterquam quod vestitu ad cursum apposito prodierit, sederit interim inter spectatores otiosus, nullam aliam precum suarum rationem afferens, quam quod ab iis (si diis placet) ortus & prognatus sit, qui olim optimi cursores, atque ideo primi sunt appellati.

Egregia sanè ratio, & eo sanè digna, qui vanis, ac falsis appellationibus gaudeat, & adulationem plusquam Gnathonicam æquo animo ferat. Quemadmodum autem huic sanus amicus, si quis adesset, non modo mentem optaret meliorem, verum ab illa etiam inepta petitione, recta si posset admonitione averteret; indicans nimirum, quam sit stultitiæ plenum, velle verbis dici, & appellari, quod revera non sis. Ita quoque ego sane cuperem Romanis episcopis, quos simili quodam affectu (volo rem verbis temperare) laborasse constat, atque adeo in præsentia ab inveterato (ut audio) non desistere, consultum ab aliquibus fore, ut ne contenderent primos dici, quoàd consisterent in postremis: Sed si nominis appellatio delectaret, viderent, potius quibus rebus parta, quibusque rebus propriè fuerit attributa. Ut enim in Civitate bene constituta, qui primi sunt in divitiis, non sunt ideo autoritate primi: sic nec in ecclesia Christi aliis præsunt ii, qui fastu, pompa, divitiis antecedunt. Ideoque si in munere, atque officio prædicandi verbi Dei, si in illustrandi nominis Christi cura, & solicitudine, si in prompta ad veritatem tuendam, & fidem Christi ab hæresibus vindicandam animi magnitudine magno olim cum consensu orbis, Romanæ Ecclesiæ primatus stetit, id quod illis temporibus maximè patuit, cum Romani jam episcopi, & fere soli in ipso nascentis Ecclesiæ primordio furori tyrannorum in Christianos sævienti, cum sanguinis profusione mederi curarint: Neminem puto hodie Christianorum Principum, qui Rom. Episcopos, si viderint de illo primatu contendere bona fide, nimirum ut alios omnes quotquot habet Ecclesia Christiana quaqua versum dispersa Episcopos pietate, fide, religione, pia quadam æmulatione vincere, & tam longo anteire intervallo certarent, ut in cursu hoc primi merito dicerentur. Hæc, inquam, Principes, si viderent, haud gravatim facerent, ut quod oculis cernerent, veris nominibus donarent: & quem primum animadverterent, in eo certamine etiam primum appellarent, ac in primatu honore virtuti debito, venerarentur. Qua quidem opinione inducti videntur majores, quæ etiam opinio ad nostra tempora duravit, ut operam sibi conducerent Rom. episcoporum, qui se servos servorum Dei, non tam nomine, ut nunc, quam reipsa tum profiterentur. Cæterum servi appellatio ministerii rationem notat. Neque enim servus operas suas locandas imperat, sed tanquam in medio promptas sistit, ut alliciant conductorem. Qua in re aliqui tamen diligentiæ, ac fidei commendatione sic operas ostentant suas, atque desiderabiles reddunt, ut multos efficiant competitores; atque eos ita afficiant, ut quum domi negotium & melius, & expeditius absolvi potuisset, illis tamen inconsultis nihil aut præclari, aut recti geri posse existimetur.

Id quod in variis opificum generibus, atque minimis quibusque rebus cum indies accidere videamus, non est mirum si in religione, in qua ad absolutissimum quodque exemplar, omnia componi omnes optant; in quo tamen nonnulli suis ingeniis partim diffidunt, partim in eo corruptis utuntur, quod peregrina domesticis anteponant, non debet inquam cuiquam mirum videri, si splendor nominis Rom. Ecclesiæ, claris tum virtutibus illustris, etiam omnes fermè orbis partes in sui admirationem excitans, attrahensque virtutis amore, quod est vinculum firmissimum, sibi adglutinaverit omnes, effeceritque, ut eam Ecclesiam, quam omnes tot virtutibus tum temporis conspicuam cernerent, inter alias tanquam primam, ac præcipuam venerarentur. Pii quoque homines iis etiam nominibus ornarint, quæ hodie tanquam divinis oraculis prodita orbi jactant Romani Episcopi, ut primatum defendant non virtutis, sed potestatis atque hujus quidem terrenæ, externæ, atque carneæ, qualem nec exercuit Christus aliquando, nec unquam exercendam commisit, quatenus ex sacris quidem literis licet colligere. E quibus

bus tamen cum aliqua decerpserint aliqui, quibus id confirmarent à Christo esse mandatum atque constitutum, in quod sua sponte, populus ac Principes virtutis vi, tanquam à magnete attracti concessissent, nempe ut Ecclesiam illam Rom. & in ea præsidentem Episcopum, non modo colerent ac venerarentur, sed iis etiam appellationibus exornarent, quæ pietas fingere atque exprimere solet (qua in re pius nonnunquam est error bonorum hominum.) Tamen editis in hoc multis multorum libris, mutuaque conflictatione impetentium, ac defendentium, cum sit plusquam manifestum illa Scripturæ loca, ad eam autoritatem defendendam, à vero ac genuino sensu detorta esse, non putavi operæ pretium actam rem agere, & illa repetendo, quasi scrinia aliena compilasse videri. Cum interim ego etiam ne omnia omnium scripta videar rejecisse, de primatu non ita multum contendo, modo ne ultra id proferant, quam cui videtur ab initio fuisse appositum. Id autem pernego fuisse Episcopum Rom. in absoluta aliqua externa potestate primum à Deo constitutum: de hoc est quæstio, in hoc causa consistit. Qua in re planum fecimus (opinor) facta Christi à nobis stare, nec primatus vocabulum à patribus usurpatum obstare, eam autem appellationem commoda interpretatione adhibita potestati, quam nunc sibi vendicat episcopus Rom. nihil suffragari. Nihil præterea, causæ Episcopi Rom. patrocinari prærogativas, quas Deus sua in Petro dona coronans eidem contulit: quæ videlicet non carni & sanguini, sed ad insignis illius fidei professionis testimonium sunt collatæ. Cujusmodi adhuc Deus, qui etiamnum inexhaustam habet bonitatem, istis ipsis Rom episcopis sit daturus, si fidem Petri fuerint imitati. Quod si adhuc pergant Rom. Episcopi malè constructæ, atque ideo jamdiu nutantis potestatis ruinas fulcris & pedamentis, ab humano ingenio fabrefactis, in suo fastigio sustinere, potius quam, ne casum patiantur graviorem, ad eum usque modum demittere, quem veritas tueri ac defendere posset; nolo gravius quicquam ominari. Tantum animadvertant vincere tandem in omnibus veritatem, jam tenebris successisse evangelii lucem: lucem autem arguere quæ non sunt probanda. Vident omnes quid sibi velint ea evangelii verba, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Cernuntur mysteria & trinæ interrogationis Domini ad Petrum, & trinæ ejusdem negationis, ac solutionis didrachmatis pro eodem. Intelligitur hodie, quid sit Apostolorum esse primum: quid denique oves pascere concreditas à Deo, hæc passim obvia in ore sunt omnibus. Clamant etiam aliqui fucum & imposturam. Alii vero aliis, ut fert natura, atque ingenium, parcius loquuntur, atque moderatius. Sunt etiam qui, quum se animi tamdiu falsos fuisse animadvertunt, præ pudore quoad licet tacent; omnes planè constantissimo consensu in hoc convenerunt, docti pariter atque indocti, tum viri tum fœminæ nihil ei cum Roma esse negotii, quem Anglia genuit, & educavit; omnes summo consensu veritatem amplexantes, atque exosculantes Principem, supremum in terris ecclesiæ caput agnoscunt, colunt & venerantur. Jubere valere Episcopum Rom. cujus operam utcunq; receptam aliquando ita hoc tempore inutilem atque incommodam, non magis religioni habent, ut in quo nulla sit religio, quàm à se illum sacellanum invitum dimittere, qui ad divina peragenda conductus aut rogatus, non seipsum officio, fide, ac diligentia probaverit iis, à quibus operæ præstitæ mercedem deberet expectare. Maluit enim re ipsa servum in ministerio fidelem, in cujus nomine certa rerum nota, qui vocabulorum est usus, deprehendatur, quam servi loco factis quidem, venditantem sese dominorum dominum, qui interim sese appellet servorum servum.

Cui tamen pro Christiana charitate benè precantur, & optant omnes, inter quos etiam ego vel maximè: nimirum ut nunc qui Paulus est, ita cæteros antecessores superet divi Pauli dotibus, ut quemadmodum hic una ad Rom. epistola universa nostræ religionis mysteria complexus est: sic ille è Rom. ea nunc scribat iis, qui ei auscultant, quæ veram CHRISTI gloriam sapiant, & ad fidem illustrandam pertineant, verius quam quæ superioribus his annis ab archivis illis & scriniis in orbem emanarunt. Breviter, vivat, & valeat in Domino felix. Ego vero redeo ad institutum: Nempe ut omnes cohorter ad obedientiam, quæ in Dei præceptis, ac propter Deum sola nos efficit felices, ac beatos. Præcepta autem Dei lucida, quæ oculos illuminant, ne in tenebris offendamus; sunt justa, sunt honesta, sunt denique tum animæ tum corporis perpetuæ vitæ non utilia modo, sed necessaria, eademque nec gravia observatu aut difficilia; habent quidem jugi rationem quod detineant, & contineant in labore, sed cum suavitate; onus autem sunt, sed leve. Nempe illud præstat Dei gratia, quæ per Jesum Christum facta est, utque carni sint impossibilia, per spem præstentur cum alacritate; diffusa namque charitate in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, ac renovati spiritu mentis nostræ, jamque spirituales effecti cum simus: dicere licebit cum divo Paulo, Omnia possumus in eo qui nos confortat Christus.

Non est igitur quod rei gravitate deterreamur, quæ Christi beneficio, morte ejus pretiosissima, & gloriosissima interveniente, facillima effecta sit iis, qui carnis imbecillitatem agnoscentes, divinæ se totos fidei, cum certa in deum fiducia obediendo committunt. Ergo accingamur obedire Deo in præceptis ejus, quæ ut difficilia non sunt, ita nec numerosa. Qui diligit proximum, ait Paulus, legem implevit: quid dici brevius potest, aut majore cum compendio? Quoniam autem dilectionis verbum interpretationem habet, eam sequamur ante omnia oportet, quæ in scripturis ab eo prodita est, qui legem edidit, & promulgavit.

Ordinem denique servemus à Deo præscriptum, nec ab eodem constituta, atque divisa commodè corporis Ecclesiæ membra, ut unus in Ecclesia doceat, alius præsit, id quod Principibus est attributum, nostra interpretatione confundere conemur, atque pervertere. Quinimo relictis atque neglectis quæ hominum sive prudentia, sive calliditas adinvenerit, ipsam sequamur veritatem. Huic pareamus, huic obediamus, quæ sola constituit veram obedientiam. Atque hic quidem claudere sermonem potuissem, ni me ineptæ quorundam voces, tanquam ponè præhensum resupinassent, meque de meipso rationem reddere coegissent, quo tandem fretus de obedientia quacunque nedum vera, verbum edere ausus sim, qui interim obedientiam docere professus, meam detego inobedientiam, & in ejus potestatem atque autoritatem impetum facio, cui defendendo patronus olim ascitus sum; atque adeo jurejurando adactus, ut eam pro virili tuerer, & propugnarem? Ubi, inquiunt, jurisjurandi religio? Ubi fides? Quid credas his temporibus? Aut cui credas? Etenim Episcopus quidam Romani episcopi suffragio in episcoporum ordinem cooptatus, & ejus mandato consecratus, atque inter sacra ipsa Ecclesiæ Rom. jura defendere juratus, quæ omnia volens, ultro & sponte subivit atque pollicitus est præstare. En, inquiunt, idem ipse deterrimo prævaricationis exemplo fidei datæ, atque juramenti oblitus, aut si non oblitus, certè quod deterius est, jurejurando ac fide spretis, atque contemptis, Romanæ Ecclesiæ apertum se hostem profitetur, ac, quo tela in illam venenata securius jaciat, tanquam ab obedientia hastam mutuatus, quasi tectis lateribus delitescere se credit, cum interim omnibus pateat apertus, & nudus, pari cum stultitia atque improbitate. Hæc qui dicturi sunt, iis me ut satisfacere possim, nonnihil vereor, atque pertimesco.

Afferent enim fortasse ad causam nescio quid, animo præjudicatum, quo repletus jam animus, id quod à me dicetur, non aliter respuet, quam vas quodcunque aqua jam plenum, superfusum liquorem non admittit. Qui vero hæc audient, ac vacuo deinde, liberoque animo, aut saltem non summo tenus pleno, nostra vicissim cum æquitate legere voluerint: his nihil dubito ostensurum me, atque adeo persuasurum, verba hæc quatumvis specie gravia, quippe perjurii & infamiæ accusationem continentia, convitii duntaxat crimine alligare eos qui proferunt: me vero, in quem dicuntur, non magis movere debere, quam è dolio reddita tonitrua, quod habet proverbium. Neque enim in dictis juratis, aut promissis spectari potius debet forma, quam materia. Quinimo dicas, jures, aut promittas sanctissimè id quod facere & exequi non debes, non vincent pacta rerum naturam: Nec in his forma mutabit materiæ conditionem, sed persanctè juratum, si malum sit, aut non rectum, sanctius omittitur, quam juramenti prætextu, quasi vinculum sit iniquitatis, efficiatur, atque præstetur, nisi fortasse persuasum habeamus in malis atque perversis laudandam esse constantiam, vitioque potius dari deberi de media via recurrere, quam semper currere malé. Ad quam rem clarius demonstrandam illud mihi exemplum visum est accommodatissimum. Maritus quidam cum justissimis argumentis credidisset primam uxorem nusquam inter vivos extare superstitem, Autore Ecclesia, quasi à conjugio liber, mulierem quandam virginem creditam, specie quidem egregiam, cum consensu parentum superinduxit uxorem, ex qua post aliquot annorum cohabitationem liberos cum sustulisset, en rediit tanquam postliminio prior uxor inexpectata, hæc repetit virum secundis nuptiis malè colligatum.

Vir autem ipse re pene incredibili percitus, atque perculsus, primum negare eam ad se pertinere, dein signa quærere, postremo quoniam se ab illa, quam posterius duxisset, ægre admodum avelli pateretur, quod poterat dilationibus procrastinare, tandem vero ad judicium provocare, in judicio autem, quod secundæ uxoris caussam tueretur, nihil omittere. At victus tandem, veritati cedit, ac priori uxori ex Ecclesiæ judicio se adjungit. Hic nunc si ea mulier, quæ secundo loco ducta merito expellitur, aut ea per tristitiam & mœrorem tacente, parentes ejus aut amici exclamarent. O mores, ô tempora, atque in hunc hominem similem quandam orationem habe-

haberent, atque in me dicere videntur isti, Quid tu, pessime, fœdifrage nequam, an hanc nunc deseris, atque destituis, cui tu olim tam sanctè inter ipsa sacra, cum Deus testis adesset, dedisti fidem? An exciderunt memoriâ verba illa, quæ in corona hominum celeberrima, ministro Dei recitante, in ipso templo protulisti, muliere quam nunc turpiter abjecisti, tum præsente, & stipulante, atque invicem etiam promittente? Annon orasti nos olim de hac, & illius nuptias multis precibus ambivisti, atque editis pactis jurasti seorsum nobis, hanc te tanquam matrem familiâs semper habiturum, neque te vivo deserturum? An etiam non pudet, quum hæc te patrem fecerit talium liberorum, illam nunc turpiter tanquam meretricem abjicere? Atque adeo illam cum deseras, ejus qui te ab hac evicit partes tueri?

Ubi jurisjurandi religio? Ubi fides? Quid credas his temporibus, aut cui credas? Maritus deserit uxorem. Quæ quidem orationis ipsius forma, ut mulieris dolori concedi posset, tum propter gravem præsentis calamitatis sensum, tum etiam propter sexus infirmitatem, ita certè ab aliis prolata, qui quidem graviter videri vellent dicere, extremæ stultitiæ ederet argumentum, quamque in concione riderent omnes, in ipsis judiciis ferret nemo. Mulieri autem ipsi post aliquod temporis intervallum si quis responderet, Non rectè accusas, mulier, eum, quo nunc jure cares marito, & defensore: Quid enim in eo nunc improbas? Nempe quamdiu aberat prior, te amavit, te coluit, te habuit pro uxore; atque adeo primæ redeunti, quam non superesse putavit, illi non temere credidit, non protinus assensus est: nihil amplius tua causa facere potuit, quam fecit. Si à te eum meretricis amor abalienasset, fuisset aliqua tua querela. Nunc autem quid exprobras fidei violationem ei, qui ut eam servaret, à te discessit, & mulieri adhæsit, quam jure antea desponsaverat? Quid adhuc conquereris? Cederet opinor mulier: Certè non haberet quod conquereretur. Quæ quidem si non virgo, ut credebatur, fuisset, sed corrupta, quæque priorem hujus viri uxorem ideo curaverat ipsa in extremas aliquas insulas ablegandam, ut fidem interim hujus sibi obstringeret, & quo minus alteri in matrimonio serviatur efficeret: Utrius tandem culpa major censeatur? Hujus viri qui bona fide contraxit, nulla: Callidæ certè mulieris maxima, ut quæ alieno matrimonio delectaretur. Atque hæc si quis consideret, annon tanquam in speculo cernet in me hujus mariti veram imaginem, qui scilicet quum eam obedientiæ veritatem nusquam extare crederem, aut saltem requisitam non invenissem, secundis me fœderibus ei copulavi bona fide, cum qua mihi cohabitationem interdictam non putavi; redeunti veritati, quæ prima est uxor omnium hominum, utpote in baptismo desponsata, & quæ primam fidem ab omnibus exiget ei acquievi, ei adhæsi: à secunda copula, tanquam nulla, Eccl. meæ judicio recessi. Et æquum cuiquam videbitur, quia veritati pareo, appellari mendacem? Quia in obediendo Principi, Deo inservio, sacrorum contemptorem dici? aut jurisjurandi violatorem? Et quod ridiculè objicitur marito post divortium, qui fidem non præstitit, quam dare non debuit: id mihi in hac causa graviter, & seriò objicietur, qui gravissimo quidem veritatis judicio ab illa Romana ecclesia, quam mihi retinere non licuit, divulsus, sponsam veritatem tandem postliminio redeuntem cogor agnoscere, atque illi firmiter adhærere? Si docere posset non esse hanc veritatem, quam pro uxore, fidem primam repetente, amplexus sum, quod nunquam faciet, me quibus volet vocet nominibus.

Sin hoc omisso, de juramento aget, verendum est, ne odisse incipiant omnes eam calliditatem, quæ juramentis contra veritatem innitatur. Itaque removeatur à causa juramentum, quod veritati subservire, non autem præjudicare possit, aut debeat. Qui jurat illicita, haud rectè facit: qui vero illicita juraverit, & ea exequi perseverat, altius atque altius sese immergit, unde nisi retrogradus queat nunquam evadere. Quamobrem nimis absurdum foret, ut, in quo quis resipiscere laboret, in eo crimen contrahere, & sese dehonestari ac deturpari videatur. Secundum quam rationem fit, ut ne in civilibus quidem legibus ulla sit turpium obligatio, videlicet ne in criminibus perseverantiam potius, quàm resipiscentiam probasse videantur. In Ecclesiasticis vero sanctionibus, nullo eum teneri nexu, qui illicita juraverit, definitum est, cum juramentum non sit vinculum iniquitatis. Superest tantum hoc, ut ab illa impetitione depulsi, qua perjurii notarent, temeritatis mihi notam inurere contendant, qui juravi ea, quæ præstare non licuit. At licuisse putavi, non solus, sed cum judicio multorum. Nam veritatis vox, jamdiu tum sepulta, haud impedire videbatur. Nunc autem cum domum redierit ipsa, & tam multis se judiciis mihi eam ipsam esse confirmaverit, Quidni amplectar veram sponsam, quæ fidem meam habet sibi obnoxiam, ipsam nimirum veritatem, in cujus obsequio nulla est culpa, nedum crimen? Tantum

abest, ut aliorum convitia pertimescam, dum huic uni mea probem officia, & secundum eam Principi supremo Ecclesiæ Anglicanæ in terris capiti obediendo, alias simul obedientiæ veræ partes obire contendam, quæ sunt hominis propriè Christiani, ut emensis in obedientia, & veritate hujus vitæ spatiis, potiri valeam æterna vita, cujus Autor est & dator Jesus Christus, qui ut omnes ad patrem traheret, patri per omnia factus obediens, mortem pro nobis obiit salutiferam, nec facto minus quam verbo eam docuit obedientiam, quæ veritatis plena cum sit, ad ipsam omnes, quotquot in fide adhæserint, tandem evehet veritatem, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

RICARDI SAMPSONIS, REGII Sacelli Decani, Oratio, qua docet, hortatur, admonet omnes, potissimum Anglos, regiæ dignitati cum primis ut obediant, quia verbum Dei præcipit, Episcopo Romano ne sint audientes, qui nullo jure divino, in eos quicquam potestatis habet, postquam ita jubet Rex, ut illi non obediant. Qui contra fecerint, eos perspicuè docet, legem divinam contemnere. Non est ergo quod sibi timeant Angli, de humana quavis potestate Episcopi Rom. qui aliam quam humanam, hoc est humano consensu, in Anglos non habet. Obediant igitur Deo, non homini.

Hæc est veritas verbo Dei firmata.

NIHIL est aliud in sacris literis, quod me tantopere ad dilectionem Dei & Proximi invitat, quam illud Joan. 13. cap. Mandatum novum (inquit Christus) do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. Novum (inquit Christus) mandatum, &c. quia prius solo verbo docti estis: nunc autem verbo & exemplo, quia exemplum vobis dedi, ut sicut dilexi vos, &c. Ex hoc loco, dilectionis duo genera docentur, Dei scilicet erga hominem, & hominis erga hominem; neque non ex priore dilectione, proficiscatur tertium dilectionis genus necesse est, nempe hominis erga Deum. Causam itaque primæ dilectionis cum audieritis, erit quoque & postremæ dilectionis manifesta vobis causa, neque non esse necessariam tertiam illam dilectionem, hominis erga hominem, facilè perspicietis. Si non esset alius locus ullus, quam primum illud Geneseos cap. satis perspicua est Dei erga hominem dilectio. Postquam enim alia omnia, quæ in cœlo, in terra, in mari, quinque primis diebus creaverit Deus, tum sexto die, hominem, qui omnibus præesset fecit. Neque modo fecit ut alia priora, sed ad imaginem suam fecit, deditque omnium rerum dominium (fecit inquam) ut præsit, &c. Hinc ait benedicens, Crescite, &c. & dominamini piscibus, &c. Fecit præterea ad imaginem suam, quia sensum & intellectum, & animam immortalem dedit. Quod ait ad similitudinem, &c. Innocentiam præstitit, quoad peccato amisit, neque tamen è paradiso abjecto, rerum dominum sustulit.

Dilectionis tria genera.

Bonitas Dei erga hominem.

Hinc David bonitatem Dei admirans erga hominem tam ingratum. Quid est homo (inquit) quod memor es ejus? &c. Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronasti. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, &c. Nunquid non maxima sunt hujusmodi beneficia erga hominem? Sed aliud longè maximum Dei beneficium est, quod priora omnia longissimè vincit. Misit enim filium suum Deus pater, cui non pepercit, ut ait Apost. ad Rom. 8. ut nos filios iræ & damnationis, filios adoptionis efficeret. Misit, inquam, filium, ut per eum ad patrem, qui nobis prius irascebatur, facilem accessum haberemus. Factus est enim homo nostra causa, Omnes nostras miserias ut homo sustulit. Passus est.

Christi benignitas erga hominem.

Redemit nos, Patri nos reconciliavit. Lavit, mundavit peccata nostra suo sanguine, pro omnibus mortuus. Per ipsum datur nobis remissio peccatorum. Ipse interpel- lat

lat pro nobis, pro nobis apud Deum patrem Mediator est. Nobiscum præsens est semper, quoties eum in veritate invocaverimus, ut opem ferat in tempore. Sed frustra hujus benignissimi Christi erga genus humanum beneficia numerare conarer, cum sint longissime ineffabilia. Nos tamen suo monet exemplo, Sicut ego dilexi vos, &c. Quis tam ferreus est, ut hunc optimum Deum, ex toto corde, &c. amare nolit? Hoc est dilectionis secundum genus, de quo tota scriptura loquitur, & toties admonet, ut Deum diligamus, ut in eo spem omnem nostram constituamus, illi nos totos committamus. Neminem præter ipsum timeamus, si ejus negotium urgeat. Dominus protector (inquit) vitæ meæ, à quo trepidabo? *Psal.* 26. *Timete eum*, inquit Christus, *qui potest tradere corpus, & animam in gehennam ignis*, *Mat.* 5. Neq; tamen servilis timor esse debet, sed sanctus, purus, reverendissimus, non aliter quam obsequiosissimus filius amantissimum suum patrem timet; Patrem amat ex animo, offendere metuit, quia amat. Et si aliquando deliquerit, à patre non abhorret, sed eundem humiliter petit, ut veniam impetret. Eodem modo & diligamus nos Deum, &c. Et bonus quidem hic Deus, ne simus voluntatis ejus ignari, vitæ regulas tradidit. Docuit nos vias vitæ non hujus tantum, sed potius æternæ. Neque multa sunt præcepta, sed duo tantum, ut Deum ex toto corde diligas, & Proximum sicut teipsum, id quod est dilectionis tertium genus. Visne scire, quonam pacto Deum diligas? Paucissimis verbis docet Christus. Si diligitis me (inquit) mandata mea servate, *Jo.* 14. Hic labor. Neque prodest omnis labor, nisi dirigaris. Hinc orat propheta. Dirige gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea, Item, Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. In hac prece soliciti simus, cum neutiquam sufficiat nostra imbecillitas, ut Dei mandata servemus, ut dirigamur in Deum. Sunt tamen multi civiles mores, natura docente, quos præcipit quoq; Deus, qui in nostro sunt arbitrio, & potestate, ut faciamus. Ab illis qui se excusare potest, nullus est. Qui igitur ea præcepta non facit, non servat, dignissimus est, qui vapulet multis, *Luc.* 12. Cujus generis sunt, Proximo non nocere, ejus bona injustè non auferre, furtum non facere, neminem dolo decipere, falso crimine non urgere, id quod cum primis impium est, &c. Præpositis obedire. Hæc etenim, & id genus alia multa, hominis ipsa natura docet. Sed postquam & eadem suo mandato firmaverit Deus, Omni conatu ut servemus, elaborandum est. Et nisi quidem servaverimus, erimus planè digni multimodo supplicio. Quod autem adjeci inter alia, præpositis obediendum esse, diligentem cautionem habeamus oportet, ut illi obedientiam præstemus, cui debetur. Cui honorem, honorem, &c. Ad Rom. 13. Regem honorificate, 1 *Pet.* 2. Et sis cautus oportet eo ne spreto, cui Dei præcepto obedire teneris, illi obedias, cui nullam obedientiam debes. Hoc enim grave peccatum est. Mandat Deus, ut regi obedias. Neque modo hoc præcipit, sed præterea nisi feceris, damnationem minatur, Ad Rom. 13. Quicquid ergo mandat princeps, id facias oportet, quia sic præcipit Deus, modo nihil mandet contra Deum. Neque illi aut verbo, aut facto, resistendum est, quia potestatem habet à Deo. Et qui ei resistit, dei potestati resistit (inquit Apost.) à quo potestatem accepit. Et qui illi resistit, sibi damnationem acquirit, inquit idem. O magnum præceptum, & ab omnibus observandissimum. Si vero ut serves non admonet Dei amor, æternæ damnationis timore, nisi deploratissimus fueris, servab. planè. Hoc est præceptum, quod ex voluntate tua pendet, ut facias. Potes enim id facere. Et nisi quidem id feceris, non modo præsentaneam vindictam, ex manu regis meritus es, sed etiam æternam, ex manu Dei. Hinc ait Apost. ideoque necessitati subditi estote, non modo propter iram, quia se potest vindicare de te; sed etiam propter conscientiam, quia præceptum Dei est. Et qui agit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. Vis ergo non timere principis iram? Obediens esto, & malum ne facito. Si enim non obedieris, malum facis.

Dilectio dei.

Obediendum Regi.

Iram igitur time. Ab hac ira, ab hoc jure principis, inobedientes afficiendi, eximitur prorsus nemo, nullum genus hominum, nisi quos suo donaverit beneficio. Quicunque ergo is est, qui non vult timere gladium, regi & ejus legibus obediat. Sin autem, time, quia potestatem habet à Deo princeps, in hoc ipsum (ut ait Apost.) quia minister dei est, ut inobedientes & malos coerceat. Est enim constitutus ad vindictam malefactorum, & laudem bonorum, quos tuetur, defendit, honorificat, 1 *Pet.* 2. Et quemadmodum ad ejus officium pertinet, bonos & probos tueri & defendere; sic inobedientes & immorigeros, dignis pœnis afficere. Hanc potestatem habet à Deo. Palam est. Scripturæ manifestæ sunt. Est enim verbum Dei, quo docemur, ut huic potestati obediamus. Neminem prorsus excipit. Neque in sacris literis unum iota reperitur, quod immorigerum, & peccantem quempiam, à regia potestate eximat. Non est ergo quod mireris, si delinquentem aut sacerdotem aut monachum, aut episcopum, supplicio

A potestate regis eximitur nemo.

supplicio affectum videris, magis quam laicum. Si malum feceris (inquit Apost.) time potestatem gladii.

Hoc enim omnibus, & ad singulos omnes loquitur. Nam si deliqueritis, quænam gratia (inquit D. Petrus) si colaphisati suffertis, 1 *Petr.* 2. Conversationem igitur bonam habete (inquit) ne vobis detrectare possint homines, tanquam de malefactoribus. Subditi igitur estote, &c. inquit. Ut simus ergo regi, & ejus potestati, ejus legibus subditi, in omnibus quæ ad hujus seculi negotia pertinent, mandat Deus ipse. Cum ergo hanc supremam potestatem habeat à Deo, ut jam ex verbo dei accepistis, mirum est reperire tam stultos homines, qui hunc regem supremi capitis appellatione ornari, quantum in eis est, non sinunt; & ut non recipiant alii, aut imprudenter, aut impudenter, & malevolè contendunt. Nonne supremi capitis nomine dignus est, cui soli in terris data est verbo Dei, illa, quam diximus, suprema potestas? Velim qui se doctos arbitrantur, unam aliam potestatem proferant è sacris literis, quæ possit huic æquari. Hanc ergo potestatem habent reges ab ipso Deo, ejus ministri sunt, ab eo missi sunt, (ut ait D. Petr. in priore loco) ejusque vicarii sunt. Omnes ergo huic potestati obediant necesse est, qui volunt esse subditi Deo. Alias quidem Deum verè rejicit, vel spernit potius, qui non recipit eum, & ei non obedit, quem mittit Deus, cui expressam hanc potestatem dedit. Vocetur idcirco supremum caput, quia verè talis est, verbo divino confirmatus. Id quod naturalis quoq; ratio, & usus rei apertè docent.

Supremum caput Rex.

Quis nescit totum regnum, unum esse politicum corpus, singulos homines ejusdem corporis membra esse? Ubinam est hujus corporis caput? Estne aliud quàm rex? Aliud planè non est. Aliud usquam reperiri non potest. Usus rei hoc te manifestissimè docet. Quid fieri, quid statui, quid decerni potest, absque regio consensu? Quid laxari, quid dissolvi, quid remitti, absque eodem potest? Vides ne supremi capitis supremam potestatem? Cur detractas illum suo nomine vocare? Si id per imprudentiam feceris, disce, & resipisce. Si malevolè, pœniteat te celeriter, & esto subditus Deo, qui hoc mandat. Sin autem, ut communis pacis perturbator si afficiaris, jure pateris, & quidem divino. Mandat jus divinum, ut obedias. Pœnam statuit lex humana, suo jure. Hoc enim regi statuendum relinquitur. Neque est rex qui vindicat, sed Deus, cujus minister est; & à quo hanc accipit potestatem. Meum est enim consilium, &c. Per me reges (inquit Deus) regnant. (*Prov.* 8. mihi) inquit Deus vindicta, & ego retribuam, quia minister, vicarius meus, vel in hoc seculo retribuet meo nomine, vel ego æterna pœna afficiam. Esto cautus, ne utrumque patiaris. Non potest planè non utrumque pati, qui verbum Dei contemnit. Quid aliud est, quam contemnere verbum Dei, non obedire regi, ministro Dei, vicario Dei? Non episcopum illum Rom. hunc vicarium Dei intelligo, qui suo jure non habet, quod agat, extra suam provinciam. Episcopus est Rom. Agat Romæ episcopum.

In Episcopi Ro. arrogantem potestatem.

In Anglia plus potestatis non habet, quam habeat Cantuariensis Episcopus Romæ. Nullum planè verbum est in sacris literis, quod illi extra suam Romanam provinciam, ministerii quicquam tribuat. Id quod tibi exploratissimum efficiam. Si, quam tantopere ambit, jure divino potestatem habet, verbo Dei manifestum faciat, oportet. Sed de Rom. Episcopo, magis quam de Cantuariensi, nulla prorsus est in sacris literis mentio. Ex hoc igitur fonte hanc aquam haurire nequit, ubi nulla prorsus est. Quod ait se Petri successorem esse, tum ab hac successione hanc potestatem accepisse, si adesset D. Petr. negaret planè, & in hunc mendacem haud dubiè clamaret: O impostorem, O virum ambitiosum, superbum, arrogantem! Docuit me magister meus CHRISTUS humilitatem, abnegationem meipsius, hujus seculi, totiusque fastus ejus contemptum, pacem, &c. Sed qui meo nomine primatum sibi vendicat, quam habet nihil humilitatis, docent perspicuè quidem externi mores. Ex fructibus cognoscitur arbor. Pro abnegatione suiipsius, omnia pro voluntate & libidine, facere ambit. Pro hujus seculi contemptu, nihil tam amat, quàm quæ sunt hujus seculi. Fastu, pompa, gentium principes vincit. Pro pace bellum ubique serit non aliam ob causam, quam ut vivat ipse, agatque omnia pro libidine. Hæc, inquam, & longè plura de Rom. Episcopo, diceret D. Petr. si adesset. Sed de Romanis corruptissimis moribus, & abominabilibus, ut ait *Psal.* 13. interim taceo. Non enim minori negotio oceani omnem prope aquam exhaurirem, quam illos mores omnes recenserem, & pro dignitate tractarem. Deum precor pro christiana charitate, ut Deum agnoscere discat, agnitum amet, ut quæ præcipit Christus, tandem incipiat studiosius Episcopus Rom. imitari, ut quemadmodum jam plerisque annis, omnium fuit abominationum (ut uno vocabulo mala omnia complectar) parens & pater, non Christi, sed Sathanæ opera

Divus Petr. in Rom. Episcopum.

opera porrigens; ita & tandem resipiscat, ut de uno tam famoso peccatore converso, gaudeant multi christiani viri, qui nunc illum odio prosequuntur, odio, inquam, bono & justo.

Iniquos (inquit propheta) odio habui. Et cum primis discat Episcopus Rom. intra suos fines se continere. Stultè enim id vendicat hæreditario jure, quod sancti parentes neque habuerunt unquam, nec habere voluerunt. Nihil enim minus arrogavit sibi D. Petr. quam hujusmodi primatum. Exercuit nunquam. Ideo non exercuit, quia non accepit. Nusquam reperies illum, aut aliquem Apostolorum aliquando misisse, aut alicui jussisse quicquam. Illum ab apost. una cum Johanne, missum legimus, Act. 8. Quod autem in Ananiam fecit Petrus, *Act.* 5. non ut primatum habens, sed tanquam unum apostolorum fecisse, tam ex principio illius cap. quam ex alia parte exploratum est. Ait enim, non ad Petri, sed ad apostolorum pedes, Ananiam agri pretium posuisse. Postea vero, ne Petrum in Ananiam id fecisse putaretur, superioris potestatis gratia, non per manus Petri, sed per manus apostolorum (inquit Lucas) fiebant signa, & prodigia multa in plebe, spiritu prophetiæ huic malo velut occurrens. Nullum primatum accepit Divus Petrus.

Neque in alio loco, ut tolleretur murmur Græcorum contra Hebræos, multitudinem discipulorum convocavit Petrus, sed duodecim, inquit, &c. *Act.* 6. Neque constat in illo loco, quis eorum ad multitudinem sermonem fecerit. Dixerunt (inquit) &c. cum tamen præsentes essent duodecim omnes, quia sic narrat Lucas, quorum unus erat D. Petrus. Quod si absolutam illam quam jactant haberet solus Petrus potestatem, quid de Paulo, dicemus, qui eo inconsulto, Corinthios, Galathas, Romanos ipsos, &c. sua doctrina solidavit. Timotheum Ephesiis, Titum Cretis, ut quæ deessent, corrigeret, presbyteros per civitates constitueret, &c. præposuit, ipsum Petrum in facie reprehenderit, &c. Neque contulit evangelium cum solo Petro, sed cum apostolis. Ad Galat. 2. Quod si D. Petro, primatum potestatis asserere voluerimus, ultra Judæos non protenditur, Pauli testimonio, qui se positum ait prædicatorem gentium & doctorem, 1 Timoth. 2. Et non minus creditum illi evangelium præputii, quàm Petro circumcisionis. Neque Petrum neque apostolos reliquos omnes, quicquam illi contulisse ait. Neque Petro primatus quicquam tribuit supra alios apost. Ait enim, Jacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, societatis dextras dederunt mihi, & Barnabæ, Ad Galat. 2. In quo loco non modo Petrum æquat aliis, sed etiam primæ vocationis honore non præmittit. Priorem enim Jacobum nominat. Neque ad rem pertinet, quod Petro loqueretur Christus, in evangelio, dicens: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. *Mat.* 16. Non enim ædificavit Christus ecclesiam suam super Simonem Petrum, super hominem, hoc esset planè super arenam ædificare, sed super illam fidem, quam confessus est Petrus, quod Christus esset filius Dei, &c. Huic ait in Simonis Petri persona omnibus apostolis: Simon, ecce sathanas expetivit vos, &c. Ego autem rogavi, ut non deficiat fides tua. &c. Luc. 22. Quod autem dixi Christum loquutum omnibus apost. in persona Petri, ne videatur somnium esse meum, omittam omnes veteres interpretes, tam Græcos, quàm Latinos, & solum mihi Lyranum, familiarem illum & domesticum, omnibus Rom. episcopi adulatoribus interpretem accipio. In illo enim loco, 16. Matth. sic explanat. Et ego dico tibi; pro te, (inquit Lyranus) & pro sociis tuis, quia tu es Petrus, id est, confessor veræ petræ, qui est Christus factus, & super hanc petram quam confessus es, id est super Christum, ædificabo ecclesiam meam. Hæc Lyranus ad verbum. Neque alius est sensus illius loci, Luc. 22. Fides etenim Petri, quam confessus est, non illius solius Petri est, sed totius ecclesiæ. Sic orans pro fide illius oravit Christus pro fide ecclesiæ, id quod solum fundamentum est, 1. Corinth. 3. Quod autem addidit, Luc. 22. Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Hoc enim & ad omnes, & ad singulos quosque fideles, in Petri persona, loquebatur Christus. Est quidem officium uniuscuiusque Christiani viri, fratrem solicitè docere, consolari, corripere. &c. Convertamur igitur omnes (inquit ibidem D. Ambros.) & caveamus, ne in perditionem, aliqua inter nos de prælatione possit esse contentio. Item paulo post, sermonem ad Deum vertens: Tua (inquit) ædificatio quæritur, non alterius honor. Et ideo datur una omnibus forma sententiæ, ut non de prælatioue jactantia sit, sed de humilitate contentio. Hactenus Ambrosius. Quod autem ait Christus ad Petrum, Et tu conversus, &c. non sentit de futura sua potestate, sed quod modo, cum conversus fuerit, & fidem receperit, & quidem celeriter, quia primam Dei sequutus est vocem, (ut ait D. Ambros.) studeat alios in eadem fide confirmare. Id quod nullius Christiani viri non est officium, ut supra dixi.

Hanc

Hanc itaque doctrinam omnibus dedit, in persona Petri, potissimum verbi prædicatoribus. Non erat itaque ecclesiæ potestas in persona Petri. Absit, ut ab humana fragilitate pendeat Christi ecclesia, sed cum esset primus apostolorum, ordine, non potestate, propter illum primatum (inquit August. Joan. ultimo) non verè, sed figurata generalitate, ecclesiæ personam gerebat. Quod autem ad ipsum Petrum propriè pertinet (inquit Augustin.) unus homo erat, gratia, unus Christianus, abundantiore gratia, unus idemque primus apost. &c. Lege ibidem quæ sequuntur in nostram sententiam, adeò perspicuè, ut nihil clarius. Primus erat apostol. non primaria potestate præditus. Erant enim potestate æquales. Nec trina illa interrogatio, una cum commissione, ut oves pasceret, Joan. ultimo, magis ad Petrum quàm alios apost. pertinet, nisi quod trina illa interrogatione, Petrum confirmare voluit Christus, commemoratione prioris trinæ negationis suæ, ut solidius in fide incederet. Hinc ait; Sequere me. Neque trina illa Christi interrogatio de dilectione, omnes non solicitè admonet, de fide erga Deum, & dilectione ejus, unde omnis virtus emanat.

Si adesset itaque D. Petr. nihil haud dubiè magis ægrè ferret, quam quod suo titulo, suoque nomine, hanc plusquam secularem potestatem sibi vendicat Rom. Episcopus. Si enim D. Petr. hanc potestatem à Christo accepisset, cum illo mandato, ut solus exerceret, ab eoque suam potestatem acciperent alii omnes, ut nunc sibi arrogat Rom. episcopus, & peccasset valde Petrus, qui jussioni non obtemperabat, & perditissimè errassent, qui absque eo, in ecclesia Christi ministrassent. Neque hanc rem tacuisset in apost. actis Lucas haud dubiè, qui post Christi ascensionem, apostolorum gesta scripsit. Sed quam alienum est ab actis apost. jam satis perspicuè diximus. Cum ergo hanc non haberet potestatem D. Petr. unde arrogavit sibi Rom. Episcopus? A principum scilicet atque populorum nimia tolerantia, & illius loci Episcoporum fœda ambitione & superbia. Id quod ut omni sole clarius perspicias, efficiam, neque tam multis. Primum, certius aliud nihil est sub cœlo, quam quod Episcopo Rom. aut primatus, aut potestatis, plus non tribuatur, jure divino, quàm cuivis alii Episcopo, sive in Anglia, sive in Gallia, sive in Italia, cum ne D. quidem Petr. haberet. Superest ut eam, quam arrogat potestatem, humano jure habuerit, necesse est. Plerique igitur ex primis Rom. pontificibus, neque ambierunt, neque exercere aliquando conati sunt, neque illis, aut eorum cuivis tribuerunt alii talem potestatem. Extant quidem nonnullæ familiares epistolæ D. Cypriani, episcopi Carthaginens. ad Cornelium Rom. episcopum, ducentos & quinquaginta circiter annos post Christum. Quantum vero primatus illi tribuat, illarum superscriptio docet non obscurè. Cyprianus Cornelio fratri (inquit) salutem. Neque epistolarum verba ampliorem illi potestatem tribuunt. Fidem vero verbi Dei, quam ambo apostoli Petrus & Paulus, tam sua doctrina quam tandem martyrio solidam reliquerunt, præ cæteris locis, Romæ, & venerati sunt prisci illi patres, & integram adhuc Cypriani ætate servarunt fœlices Rom. Episcopi. Neq; Damaso Rom. Episcopo, trecentos & quadraginta octo circiter annos, post Christi ad patrem hinc reditum, alium primatum tribuit D. Hier. in suis ad eum epistolis, quam ut fidem illius Rom. sedis imitetur, & eam magnifaciat. Quod autem ait D. Hier. Extra hanc domum qui agnum comederit, prophanus est, in epistola quæ incipit: Quoniam vetusto, to. 3. pag. 59. extra hanc fidem, haud dubiè sentit, quantumvis in illo potissimum loco, non tam sincerè loqui videtur Erasmus, quam in aliis plerisque locis, qui illam domum nimis inadvertenter Rom. ecclesiæ primatum interpretatur. Non enim in illa ætate agnoscebatur hujusmodi primatus.

Unde prodit episcopi Rom. arrogata potestas.

Quod si aliud nihil extra sacras literas, hujus primatus vim enervaret, de ipsoque omnem opinionem tolleret, satis mea sententia primum illud sanctissimum Nicæni Concilium, omnibus ut certam doctrinam accipiant, sufficeret, in quo, neque aderat Rom. episcopus, neque præerat vicaria quavis potestate. Procuratorem ut confrater & coepiscopus, illuc miserat, in eodemque, in hunc ordinem constitutus est Rom. episcopus, ut apost. Petri & Pauli honoris gratia, primum locum inter Episcopos haberet, alium primatum nullum. Neque Græcorum ecclesia, inter tot beatissimos, eosdemque in sacris literis doctissimos viros, alium aliquando de Rom. ecclesia primatum agnoscere voluit. Id quod miretur nemo, cum postea in Africano Concilio, ducentorum, decem & octo Episcoporum, id idem negatum est Bonifacio Rom. episcopo, qui primatum ambiebat. Præsens erat Divus Augustinus, Aurelio Valentino episcopo præsidente. Si verbo Dei hanc supremam potestatem haberet Rom. episcopus, tot optimos & eruditissimos patres, utriusque linguæ, haud dubiè non fugisset, neque negassent, quod sacræ literæ firmassent. Nulla ergo de verbo Dei erat controversia, in Africano Concilio, quod ad primatum Rom. episcopi attinet, sed an talem illi potestatem dedisset Nicænum Concilium, humanus consensus in dubium vocabatur. Hinc & Romani episcopi procuratores, ut

ut Nicæni Concilii articulos acciperent, rogarant Africani, & ne dolo circumvenirentur, in Græciam nuncios miserunt illi, qui afferrent. Hæc gesta sunt, ad quadringentos viginti quatuor annos, ab anno salutis. Non objiciat nobis Anglis argutus quispiam, quod Romanæ sedis solicitudine, regnante Lucio, primi omnium provinciarum, anno salutis humanæ 182. Christi fidem accepimus. Quis nescit non hominis, sed Dei esse donum fidem? ut ait apostolus ad Rom. 12. Id quod in hoc loco perspicuum est. Quia Lucium regem non solicitavit Eleutherius Rom. episcopus, sed per literas egit Lucius cum Eleutherio, ut Christi fidem, hoc est fidei regulas, acciperet. Misit itaque Eleutherius Fugatium & Damianum, &c. Neque non postea, anno à natali Christi, 603. Augustinum & Miletum Monachos, una cum aliis misit D. Gregorius qui prope extinctam in Britannia fidem, Anglorum dominio, renovavit, normas religiosæ vitæ in Christo nonnullas dedit, &c.

Hæc & nonnulla alia nobis, inquam, objiciunt, quibus Romanæ sedi nos obligatiores docere cupiunt, quam alias nationes, paucis respondetur. Nisi Eleutherius rogatus à Rege, viros misisset, qui sanctum conatum suum auxissent, ejusque petitioni satisfecissent, haud Episcopi nomine, sed dæmonis dignior fuisset. Magis miror illum non accurrisse. Gregorii solicitudinem quis non laudat? Ejus canones libenter Ethelbertus rex amplexus est, aliud non docentes, quam sanas, & religiosæ vitæ in Christo regulas, quibus velut duceretur facilius in fidem Christi, novitius adhuc populus. Non imperium sibi arrogavit, dominari non ambiebat; venit, exemplo Christi, ministrare, non ministrari. Aliis mandatis, jussionibus, imperiis, regnare noluit, quam verbo Dei. Non coegit provinciæ homines ad se venire, dirimendarum causarum gratia, citationibus, comminatoriis, excommunicationum terriculamentis, populum vexare noluit. Tantum ad sanam vitam hortatus est. In hac re omnem solicitudinem exercuit, omnes vires exhibuit, quærens non quæ sua fuerunt, sed quæ Christi. His mandatis obediebat Christianissimus rex. His monitionibus parebat populus Deo deditus, non quia jubebat homo Rom. episcopus, sed quia mandat Deus. Non suis verbis hortatus est, sed Christi. Ab hoc verbo cum degeneraverit Rom. episcopus, quid justius, quam illum, & ambitiosos ejus canones omnes rejicere, respuere prorsus? Non enim sunt Christi, sed verè hujus seculi canones, qui aliud quam fastum, ambitionem, superbiam, avaritiam, non docent Hinc insignis hujusmodi primatus, hinc dominium, plusquam regum gentium, hinc abhorrendum illud pedum osculum. Paulus & Barnabas exilierunt in turbam, etiam conscissis vestibus præ dolore, cum eos cœpisset adorare populus, clamantes, Et nos mortales sumus, similes vobis homines, Act. 14. Cum vero ad Petri pedes, procideret Cornelius, illico elevavit eum Petrus, dicens, Surge, & ego ipse homo sum, Act. 10. Quonam igitur modo cupit Rom. episcopus, ut ei sint audientes Christiani populi, postquam omnia quæ docet, quæ facit, tam sunt adversa CHRISTO: aut enim Christus deserendus est, aut his moribus Rom. episcopus. Nemo potest duobus his dominis servire. Quamdiu Christum sequuti sunt Rom. episcopi, nulla fuit omnium Christianorum natio, tam illi subjecta, tam obediens (non supremæ potestatis gratia, sed sua sponte) quàm Anglica, in magnam usque superstitionem. Neque non diu & multis quidem annis intolerabiles ab hac sede Rom. molestias, injuriasque, sustinuit Anglica Resp. Postquam vero neque modus, neque finis reperiri posset, prudentissimus rex, non aliter quàm debuit, quamvis tardè, suæ reipublic. consuluit. Constituit ille, cui omnes verbo Dei obedire tenemur, ne obedientiam illi præstemus, qui nullo verbo Dei, obedientiam exigit. Qui ergo Christianus & haberi & esse vult, CHRISTI verbo obediat necesse est. Regi obedire teneris verbo Dei, ut perspicuè docuimus, Romano Episcopo neutiquam. Jubet rex ut illi obtemperes; Jubet Romanus episcopus, ut illi te subjicias: Jubet rex verbo Dei. Humano jure sibi vendicat Romanus Episcopus: Si te Christianum fatearis, Dei verbo parebis. Si me diligis (inquit CHRISTUS) serva mandata mea. Nam qui non diligit me, mandata mea non servat. Qui non est mecum, contra me est, inquit. Ut ergo sis ex parte Dei, agas quod mandat Deus, necesse est. Alias quidem eris planè de inimicis illis, qui noluerunt regem regnare super se, ut ait Lucas, cap. 19. qui moriemini in peccatis vestris, quia Deum non modo non diligitis, sed etiam odio eum habere videmini, quia verbum ejus respuitis, & planè contemnitis, postquam id docti estis, nisi spreta omni humana potestate, verbo Dei obedieritis. Verbum Dei est, obedire regi, non episcopo Rom. Quodam tacito humano consensu, irrepsit in hanc ditionem Rom. episcopus. Ex multis, & quidem justissimis causis, ut partim supradiximus, expresso consensu sancitum est, huic potestati, amplius ne subjugamini. Hoc mandat Deus, quia rex, Dei in terris minister, cui verbo Dei suprema potestas datur, hoc præcipit. Utitur jure suo. Non vult amplius pati,

ut qui diu nimis, non alia quam precaria potestate usus est, illum è suo jure extrudat. Huic sancioni obedire tenetur quisquis Anglus est, ut cum primis, regem, hujus reip. Supremum Caput, diligatis, ut vos omnes qui hujus capitis membra estis, diligatis invicem magis ac magis, sicut ego (inquit CHRISTUS) dilexi vos. Ut ab hac unanimi dilectione, vitam quietam in hac momentanea vita agatis, & post hanc vitam, filii sitis Dei, cohæredes CHRISTI quem diligitis, cujusque verbo obedistis in vitam æternam. Amen.

CATHOLICO-ROMANUS Pacificus, auctore, *Joanne Barnesio*, Benedictino Anglo.

LECTORI PRÆFATIO.

POST Erasmum, Cassandrum, Wicelium, Modrevium, aliosque Romanæ Ecclesiæ alumnos, qui etsi ejus erroribus & corruptelis serio ingemuerint, spe tamen reformationis promovendæ detenti, in ejus communione usque ad mortem permanserunt, locum sanè aliquem meretur Joannes Barnesius Anglus, monachus Benedictinus, Auctor libelli de Æquivocatione olim editi, & operis irenici quod hic exhibemus, cui titulum fecit, Catholico-Romanus Pacificus.

Quam infelici vero instituto hæc & alia hujusmodi scripserit, eventus qui demum secutus est, indicio fuerit. Bonus *enim ille* Irenæus (*Johannis Basier S. Th. P. verbis utor, in diatriba de antiqua Ecclesiæ Britannicæ libertate, Brugis impressa, An.* 1656.) "*Tametsi vitæ inculpatæ, & "famæ integræ fuit, media Lutetia correptus, suo habitu exutus, & quadrupedis instar, barbarum "in modum alligatus ad equum, & ita vehementissimè avectus, primo in Flandriam, deinde Romam, "ibi in Inquisitionis barathrum, deinde in maniacorum ergastulum erat detrusus.*

Ne autem nos lateat qui fuerint Tragœdiæ hujus architecti, Leodegarius Quintinus, alias Theophilus Raynaudus, Societatis Jesu, in libello inscripto, Theologia antiqua, de veri martyrii adæquate sumpti notione; *Lugduni impresso An.* 1656. *p.* 7. *in monitiuncula ad Lectorem, dicit*; "*Joannem Barnesium, Jesuitis admodum infensum, ob nonnullas suspiciones de comperta illis vita sua, "eo loco fuisse apud Paulum V. ut eum tanquam novæ fidei fabrum, per Albertum Austriacum "è Gallia abductum, & è Belgio Romam avectum, judicaverit carcere dignum, donec emoto cerebro "inter fatuos, pone S. Pauli minoris ædem sacram, fatuari desiit cum aliorum periculo.*

Liber hic cum Auctore tenebris diu damnatus, tandem aliquando in lucem prodit, fide trium exemplarium subnixus; quorum unum Reverendissimus in Christo Pater Gulielmus providentia divina Cantuariensis Archiepiscopus; alterum Illustrissimus Angliseiæ Comes, Privati sigilli Regii Custos; tertium Reverendus Ecclesiæ Paulinæ Decanus suppeditavit.

Nec Editori vitio vertat Lector, si hic quædam subinde occurrant, à Reformatorum placitis aliena; siquidem officii sui esse ducit, libros edere non fingere. Et si pacis studio transversum actus, veritatem quandoque subticuerit Barnesius, veniam is criminis merebitur, cujus dudum tam acres pœnas dederat; posteris documento futurus, Catholico-Romanum Pacificum, *patrum societatis Jesu, & summi Pontificis sententia,* carcere dignum, & fatuis, emotæque mentis *homuncionibus, certissimè accensendum.*

CATHOLICO-ROMANUS PACIFICUS.

PRÆFATIO.

DElineabo, studiose Lector, tanquam in Cebetis Tabula, quid, salva communione Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, & hoc seculo docetur, & ante hoc seculum edoctum fuit à præsentis & superiorum temporum Catholicis celebratissimis, quorum memoriam honoramus, & qui vel degunt, vel demortui sunt piè in Christo & Catholica communione.

Scopus

Scopus hujus scriptionis est, ut auferatur ansa & occasio, quam libenter plerique arripiunt fugiendi Catholico-Romanorum communionem & consortium, quia vident in eis quod fugiant, etsi eis compertum non sit, quo fugiant; ut [a] vir doctus hujus elapsi Centenarii de se fassus est.

[a] Cassand. de de offic. viri pii.

Profero enim quid Pacifici amplectantur, ut intelligant, sine schismatis periculo, & sine salutis dispendio, Communionem illam Ecclesiæ veteris Imperii Romani, in qua tot pii Orthodoxi obdormierunt in Christo; læsa concordia & caritate, sub prætextu abusuum, derelinqui non posse.

Rogo obnixè meminerint, Christum adeo commendâsse reconciliationem & pacem fraternam, ut sine ea nolit suscipi sacrificium altaris; Paulumque obtestari se sine caritate nihil fore.

Et quia pronum est cuivis de hoc scripto meo pro beneplacito & juxta captum suum judicare, unicuique permitto judicium de me & meis liberum, modo sit caritativum.

Tale ut sit, intelligat sat esse Christo & Catholicæ-Romanæ Ecclesiæ in hac opella inserviviſſe, cui me perquam humiliter subjicio, ut corrigatur, sicubi hic erratum, aut plus minusve quam oportuit, scriptum.

Interim sciat me manere, & per Dei gratiam mansurum in unione Catholicæ Ecclesiæ antiquæ. Scio enim odium, lites, discordiamque ei moveri non posse sine Numinis offensâ. Ex aliâ vero parte, nec Ecclesiæ, nec piis displicere debere, si juxta liberam optionem à Christo datam, eligam ex veteribus & novis Doctoribus, quod noverim pro tenuitate ingenioli magis Christianum, verum, & catholicum. Consistentibus enim intra limites & cancellos Orthodoxæ Ecclesiæ licet *probare spiritus si ex Deo sint*; & post probationem eorum, fas est, quod bonum est, seligere & tenere; quod malum est, refutare.

Id si fecero, ut laudetur Christus, ædificeturque proximus, in hac brevi synopsi, perveni ad extremam desideriorum meorum lineam. Interim his fruere. vale.

SECTIO I.

De sacra Scripturâ Regula fidei, & Traditionibus.

DUO sunt quibus Ecclesia inter credendum opinandumve regitur, & eorum cuivis, etsi non æqualiter alterutri, summopere defert. [a] Prima est Regula infallibilis, cui Catholica fides innititur. Ea autem in solis sanctis Scripturis continetur. Canon autem Scripturarum, quas Universalis Ecclesia Græca & Latina in VI. Synodo, Can. 2. recipit, ex 84. Apost. & Synodo Carthag. Can. 47. eum exactè explicante, traditur & consignatur. Secunda est, suprema Ecclesiæ autoritas, quæ in Decretis Synodorum, scriptis Patrum, Populi Christiani receptis consuetudinibus, elucet.

Juxta hæc duo capita de Traditionibus judicium est ferendum. Nam illæ quæ spectant ad Praxim Ecclesiasticam & ceremonias, referuntur ad Ecclesiæ autoritatem: Illæ vero quæ dogmata tradunt, in verbo Dei scripto, aut actu, aut *δυνάμει* continentur.

Paralipomena ad Sect. I.

I. [a] Pulchrè S. Cyprianus confirmat hanc Thesin in Epistola ad Pompeium contra Epistolam Stephani, ubi "omnem traditionem dogmaticam vult descendere à Scriptura: "facienda quæ scripta sunt, Deus testatur: Si ergo aut in Evangelio præcipitur, aut in "Apostolorum Epistolis, aut Actibus continetur, observetur etiam hæc sancta traditio. Et postea, "Scripturas *vocat* Compendium ex quo religiosæ mentes errorem deponant, "& inveniant & eruant veritatem. Si in aliquo nutaverit aut vacillaverit Veritas, ad "Originem Dominicam & Evangelicam & Apostolicam traditionem revertamur, & inde "surgat actûs nostri ratio, unde ordo & origo surrexit. Sed quia Bellarm. l. 4. de verbo Dei, c. 11. ait Cyprianum, hæc asseruisse, *cum errorem tueri vellet more errantium*, ostendo celebres Patres omnium seculorum hoc assertum Cypriani tradidiſſe, utut quandoque Tertulliano posteriores incautè lapsi sint in illius sententiam, qua defendit Nonscriptas traditiones dogmaticas extra Verbum Dei: contra quam tamen sententiam ipsemet Tertullianus catholicus pugnavit, ut postea dicetur.

Irenæus, lib. 3. adversus hæreses, cap. 1. ait, " Apostolos Evangelium per Dei voluntatem in Scriptura nobis tradidisse, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum; & per hos ait nos " dispositionem salutis nostræ cognovisse. Et cap. 2. ait fuisse hæreticum hunc cavillum, " Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur " ipsarum Scripturarum quasi non rectè habeant, neque sint ex authoritate, & quia variè " dicta sunt, & quia non possit ex his inveniri Veritas, ab iis qui nesciant traditionem. Aitque Hæreticos dixisse, traditionem Apostolicam, " non per literas traditam esse, sed " per vivam vocem. Censura Irenæi quæ hos percutit, est, " hos perversos, semetipsos, " regulam Veritatis depravantes, prædicare non confundi. Ex quibus patet Irenæum dum opponit hæreticis traditiones Non-scriptas, uti argumento ad hominem, ut ostendat hæreticos, *neque Scripturis neque traditioni consentire.* Quod urget cap. 2. citato. Et lib. 2. cap. 46. ait, *Regulam veritatis* esse, *quacunque apertè & sine ambiguo ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis*; ex quibus *ambigua*, & difficiliora *absolvi* posse contendit. Et cap. 47. " Si omnium quæ in Scripturis requiruntur absolutiones non possumus invenire, nihilominus, *ait*, sciamus, quia Scripturæ perfectæ sunt; & defectum provenire ex nostra imbecillitate.

II. Origenes hom. 1. in Hieremiam, ait, " Enarrationes sine Scripturis testibus non " habere fidem. Et Tract. 25. in 23. Matt. " Debemus ad Testimonium omnium verbo- " rum quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem quem " exponimus sensum. Omnis sensus qui fuerit extra divinam Scripturam, quamvis admi- " rabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur à sensu Scripturæ. Et lib. 3. in cap. 3. Epist. ad Rom. ait, " Ea quæ Doctores Ecclesiæ loquuntur ad populum, " divinis munita testimoniis proferant: si enim tantus ac talis Apostolus Paulus autoritatem " dictorum suorum sufficere posse non credit, nisi doceat in lege & prophetis scripta esse " quæ dicit, quanto magis nos minimi observare hoc debemus? Et Dial. 3 contra Marcionitas de Resurrectione inter Marinum hæreticum, Eutropium Philosophum Judicem, & Origenem Catholicum, *solis Scripturis credendum,* ait Marinus: *sanè Scripturis suadeamus,* ait Origenes. Et Judex definit, *Apertum & confessum est, qua sit assertio utriusque,* nempe solis Scripturis suadendum & credendum.

III. Tertullianus in lib. Præscript. c.4. ait, Regulam quæ " præfinit hæreses fugiendas, esse " Dominicas prænunciationes, & Apostolicas literas. Et c.8. " Non est Curiositate opus " post Christum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus " ultra credere. Hoc enim prius credimus non esse quod ultra credere debeamus. Ubi autem sit Evangelium explicat statim; c. 14. " Scrutamini, inquit, Scripturas, in quibus " salutem speratis. Fides in Regula posita est; habes legem, & salutem ex observatione " Legis. Adversus regulam nihil scire, est omnia scire. Et postea, cap. 15. respondet tacitæ objectioni: *Hæretici de Scripturis agunt & suadent*; aiens, hoc mirum non esse, quia hæretici astutè hoc faciunt, ut decipiant; sciunt enim nullam esse aliam regulam quæ tractat de rebus fidei præter Scripturam. *Aliunde scilicet loqui possent de rebus fidei nisi ex literis fidei?* Ex quo loco patet Arrianos argumentantes ὁμοούσιον non esse in Scripturis, arguisse ad hominem contra Catholicos, quibus tunc notum erat nihil extra sacras literas credendum. Nam ut Gregorius Nyss. (Tom. 1. operum Edit. Parisiens. pag. 926.) in lib. de Anima ait, οὐδεὶς δὲ ἐκ τῶν ἀμφιβαλλομένων συνάγει τοὺς συλλογισμοὺς, ἀλλὰ ἐκ τῶν ὁμολογουμένων, *Nemo argumentatur ex controversis, sed ex confessis principiis.* Porro Tertullianus prædicti libri de Præscript. cap. 52. docet, spectare ad hæresin Cataphryg. (quam ipse postea miserè amplexus est) *Paracletum plura in Montano dixisse quam Christus in Evangelio protulit.* Hæresis ergo Montanistarum est, credere à Deo dici plura quam sunt in verbo scripto.

IV. Indicant id scripta Tertulliani jam Montanistæ lib. de corona militis, cap. 1, 2, & 3. ubi contendit gestationem coronæ Castrensis in capite prohiberi consuetudine aliqua non scripta, *quæ sine dubio à Traditione manavit.* E contra verò Catholicus ait, in *Traditionis obtentu exigenda est auctoritas scripta*; arguitque gestationem Coronæ sibi licere, quia id in Scriptura vetitum non sit. His opponit Tertullianus multa *solius Traditionis titulo, sine ullius Scripturæ instrumento vindicari.* Ita ille ex doctrina & principiis Montani: longè aliter disputans dum esset Catholicus, ut patet ex lib. contra Hermogenem, c 22. ubi ait, " Adoro Scripturæ plenitudinem, &c. Scriptum esse doceat " Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud adjicientibus vel detra- " hentibus destinatum. Ubi virtute argumentum continetur à genere distributo ad speciem affirmativè. Omne additum Scripturæ meretur Væ. Ergo Hermogenianum additum illud meretur. In quo Enthymemate Tertullianus supponit antecedens, saltem Catholicis notum esse.

V. Author

V. Author tractatus de Cardinalibus operibus [a] (quem Pamelius putat esse Cyprianum vel alium æquè vetustum, ac qui eandem auctoritatem meretur) vocat Scripturam eam "ex qua omnium doctrinarum Regulæ emanarunt, & hic nascuntur, & huc "revertuntur, quæcunque Ecclesiastica continet disciplina. [a] Arnoldus Bonevallensis. de Baptism. Christi.

VI. Auctor etiam expositionis symboli apud Cyprianum, qui existimatur à Pamelio esse Ruffinus, de libris Canonicis ita ait. "[b] Ex eis Patres fidei nostræ assertiones con-"stare voluerunt, libros verò non Canonicos "sed Ecclesiasticos legi quidem in Ecclesia "voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. At Bellarm. [c] traditiones non scriptas, ait, "Scribi non in divinis literis, sed in libris Eccle-"siasticis. Igitur non habent robur infallibile verbi Dei. [b] In Art. credo unam S. Eccl. [c] l. 4. c. 1. de verbo Dei.

VII. S. Augustinus, lib. de utilitate credendi contra Manichæos, ponit in Scripturis veritatem talem *ut nemo inde haurire non possit, quod sibi satis est*; at verò in Ecclesia ponit "auctoritatem à Deo constitutam, qua velut gradu incerto innitentes at-"tollamur in Deum, ut sapientes esse possimus, id est, inhærere veritati: atque aucto-"ritatem miraculorum positam esse ad commovendum stultos, ut ad sapientiam festi-"nent. Et postea explicans specialius in quibus auctoritas Ecclesiæ consistat, recenset successiones Episcoporum, plebis judicium, conciliorum gravitatem, miraculorum majestatem. Et de iis cap. 4. contra Epist. fundamenti, ait esse "vincula quæ hominem "rectè credentem tenent in Ecclesia Catholica, etiamsi propter intelligentiæ tardita-"tem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissimè ostendat. Ex quibus patet in solis Scripturis infallibilitatem verbi Dei, ex mente S. Augustini reperiri, licet in Judiciis & Conciliis Ecclesiasticis culmen auctoritatis consistat.

VIII. Idem Augustinus, lib. 1. de Baptismo, cap. penultimo, ait, Cyprianum, excepto errore Anabaptismi, quoad reliqua id tenuisse, *quod & præterita Ecclesiæ consuetudo, & postea totus Catholicus orbis complexus est.* Ergo opinio Cypriani de Scripturarum αὐταρκείᾳ non error est, sed orbis judicium. Et lib. 2 c. 1. "Cyprianus te-"nens regulam rectam veritatis esse Scripturam, peccavit contra eam. Et cap. 3. Aug. proponit Donatistis Cyprianum imitandum, ut sicut Cyprianus voluit omnes Synodos & consuetudines Scripturis cedere: Ita Donatistæ præponant definitionem Scripturarum, synodo Cypriani fundanti se in humana traditione extra Scripturas, concluditque; "Quis nesciat sanctam Scripturam Canonicam tam veteris quàm novi Testa-"menti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum lite-"ris ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum vel "utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem lite-"ras quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem "fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum gravio-"rem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid "in eis fortè à veritate deviatum est. Et ipsa Concilia quæ per singulas regiones vel "Provinciis fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo Orbe "Christiano sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus "emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur "quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, "sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum "Charitate Christiana. In quibus verbis fit mentio de negotio speculativo & dogmatico, quale erat assertio Anabaptismi, in eoque Augustinus docet, quascunque synodos posse corrigi ex sacris literis, ac per consequens nihil extra verbum Dei esse infallibile. Et hanc sententiam Augustini esse certam, indicant illa ejus verba, *Quis nesciat*, &c. Et cap. 8. lib. 2. citati, Augustinus vocat *consuetudinem* non rebaptizandi *veracem, sed nondum assertam,* scil ex Scripturis. Et Cypriani *rationes*, ait esse *non veras*, sed tantum *non victas* ex sacris literis nimirum. Ex quibus constat traditionem debere *ex Scripturæ instrumento vindicari,* ut Catholicus asseruit apud Tertullianum, in libro de Corona Militis.

IX. Quin & libro 4. de Baptismo, c 5. Augustinus recitat Cypriani assertum, & de eo censuram profert; facit enim Cyprianum sic dicentem, "Frustra qui ratione vincuntur, "consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate. Censura Augustiniana hujus dicti est, *Hoc planè verum est.* Et lib. 5. contra Donatistas, c. 26. Augustinus loquens de Cypriano, sic ait; "Quod autem nos admonet, ut ad fontem recurra-"mus, id est, ad Apostolicam traditionem (Scripturas nempe) & inde Canalem in no-"stra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum. At quod *verum, optimum, & sine dubitatione faciendum*; quomodo errantium more factum asseritur à Bellarmino?

Augu-

Augustinus, Tom. 9. lib. de pastoribus, c. 11. *Quicquid est extra Auctores divinarum Scripturarum respuitur*, & cap. 13. *Auferantur chartæ humanæ, sonent voces divinæ.* Lib. 1. de Symbolo ait, *Regulam fidei esse verba per Scripturas sparsa.* Lib. de Natura & Gratia, c. 61. profitetur se *in quorumlibet hominum scriptis liberum, quia solis Canonicis debet sine ulla recusatione consensum* Et lib. 3. contra literas Petiliani, c. 6. "Sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacunque alia re quæ pertinet ad fi-"dem vitamque nostram, non dicam, Si nos, nequaquam comparandi ei qui dixit, Si "nos; sed omnino quod Paulus adjecit, Si Angelus de cœlo vobis annunciaverit præ-"terquam quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis, Anathema sit. Et lib. 2. contra Cresc c.31. Literas Cypriani non ut *Canonicas* habet, sed ex Canonicis considerat. Et lib. 11. contra Faust. c. 5. "Non credendi necessitas, sed judicandi libertas ver-"satur in lectione eorum quæ sunt extra Canonem. Et in actis cum Felice, lib. 1. c. 14. Manichæus dicit *non posse omnem veritatem ostendi per Apostolos.* E contra Augustinus asserit: "Ostendam secundum Scripturas quod pertinet ad fidem Christianam.

X. S. *Athanasius* lib. περὶ τῆς σαρκώσεως, Discipulos Evangelii jubet στοιχεῖν τοῖς γεγραμμένοις aitque Christianos esse non posse, οἱ μήτε τοῖς γεγραμμένοις πειθόμενοι, μήτε τοῖς γινομένοις στοιχοῦντες· aitque esse ἀπόνοιαν τῆς ἀμετρίας λαλεῖν τὰ μὴ γεγραμμένα, *Vecordiam magnæ immodestiæ loqui non scripta.* Et Tom. 2. 39. Epist. ἑορταστικῇ loquens de libris Canonicis; ait, ἐν τούτοις μόνοις τὸ τῆς εὐσεβείας διδασκαλεῖον εὐαγγελίζεται, μηδεὶς τούτοις ἐπιβαλλέτω μηδὲ τούτων ἀφαιρείσθω τι. Et in tractatu περὶ σαρκώσεως. Ait quod αὐτάρκης ἡ εὐαγγελικὴ παράδοσις, & oratione contra gentes, αὐτάρκεις εἰσὶν ἅγιαι καὶ θεόπνευστοι γραφαὶ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν. Et lib. 1. De unita deitate Trinitatis, & in synopsi sacræ Scripturæ, & quæst. 49. ad Antiochum ὅπερ ἡ θεία γραφὴ ἑκουσίως ἀπέκρυψεν, οὐδεὶς κατ' ἀκρίβειαν εἰπεῖν ἰσχύσει "Quod Divina Scriptura abscondit, nemo exactè docere potest. Idem asseritur disputatione contra Arrium de Nicæno Concilio.

XI. S. *Basilius* Mag. Hom. 39. p. 623. de libris Canonicis ait τοῖς γεγραμμένοις πίστευε, τὰ μὴ γεγραμμένα μὴ ζήτει. Et procemio in Ethica ait, Infidelitatis & superbiæ argumentum certissimum, si quis ea quæ non scripta sunt introducit. Et lib. περὶ πίστεως p. 251. φανερὰ ἔκπτωσις πίστεως, καὶ ὑπερηφανίας κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων. Et in cap. 27. lib. de Sp. sancto. Non scripta debere approbari, quatenus Scripturæ concordant. Videatur Regula Moralis 8. 26, & 28. & Epist. 80. alias 8. Ubi docet Scripturas continere omnia necessaria ad salutem.

XII. S. *Gregor. Nyssenus Basilii* frater, in eo quod Spiritus solus sit Deus, sive ad Eustathium de sanct. Trinitate, pag. 8. in Tom. 3. operum edit. Parisiens. ἡ θεόπνευστος ἡμῖν, διαιτησάτω γραφή, ibique apertè negat consuetudinem esse infallibilem judicem rerum controversarum. Et in disputatione cum sorore sua Macrina de anima & resurrectione, ait, quod Christiani, regula prorsus divinæ doctrinæ, & lege utuntur sacra Scriptura, atque ad hanc necessario respiciunt; hoc solum respiciunt & approbant,. quodcunque cum Scripturæ conveniat & concordaverit intentione. Et in Vita S. Gregor. Thaumaturgi, vocat ipsum μαθητὴν τοῦ εὐαγγελίου discipulum Evangelii. Et oratione de dormientibus, consuetudinem facit viam, progressionem, seriem, continuationem ad perfectionem, nec semper spectandam; sed ad id quod honestum est traduci debemus: sicut non debemus semper vivere ut Embryo, aut ad mammam permanere. Sed ad perfectiorum studia transire: nisi, quod Embryis accidit, velimus semper in innaturali jucunditate, quam habemus in utero matris vivere. Traditionem hic facit cum Augustino viam ad veritatem.

Greg. Naz. Orat. 37. seu de Theologia, lib. 5. Nihil audet de Spiritu sancto dicere, nisi quod possit ex sacris literis proferri.

XIII. S. *Cyrillus* Hierosol. his consentit in Catechesibus, quas licet Perkinsius in præparat. ad demonstrat. problematis pag. 40. Edit. Hannov. 1604. inter dubia opera Cyrilli recenseat, & Johanni Hierosol. tribuendas opinetur; veritas tamen est, esse genuinas Cyrilli, easque ut tales memorat Theodoret. dialog. 2. qui inscribitur ἀσύγχυτος, ubi citat nonnulla ex Catechesi 4. sect. de generatione & virgine. Joan. item Damascenus orat. 3. de imaginibus, ubi citat quædam ex Catechesi 12. Johannis item Cyparissiotus decad. 6. c. 4. citat Catechesin 10. Cyrillus ergo Catechesi 4. sect. de Spiritu sancto. Δεῖ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων, μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν· μηδὲ ἁπλῶς πιθανότητι καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι· μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτά σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν· ἡ σωτηρία γὰρ αὕτη τῆς πίστεως ἡμῶν, οὐκ ἐξ εὑρεσιλογίας, ἀλλὰ ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστὶ γραφῶν Et Catechesi 5. ubi ait, πίστιν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας παραδιδομένην, τὴν ἐκ πάσης γραφῆς ὠχυρωμένην. Et statim subdit; *Præter Scripturarum doctrinam aliam non sapere decet, etsi Angelus è*

cœlo

cælo aliud Evangelizaret. Ibidem, contenta in Scripturis vocat *traditiones.* Et Catechesi 11. Cur πολυπραγμονεῖς, id est, curiosè inquiris ea, quæ nec Spiritus Sanctus locutus est in Scripturis? Qui ea quæ scripta sunt non nosti, in his quæ scripta non sunt es inquisitor curiosus? Quid de eo quod scriptum non est curiosi sumus? Catechesi 16. εἰ δέ τι μὴ γέγραπται, μὴ πολυπραγμονῶμεν λεγέσθω ἐκεῖνο ἃ εἴρηκεν· ὅσα γὰρ οὐκ εἴρηκεν, ἡμεῖς μὴ τολμῶμεν. Catechef. 17. ait, se velle commemorare ea tantum quæ sunt in sacris Scripturis, hoc enim esse tutissimum. Catechef. 12. μάθης ἐκ τῶν θείων γραφῶν; μὴ προσδέξῃ παρὰ ἀνθρώπων μαρτυρίαν.

XIV. S. *Hilarius* Pictaviensis in lib. contra Constantium Augustum docet, Hæreticos *docere potius fidem temporum, quàm Evangeliorum*, lib 10. de Trinitat. vocat Scripturas, *religionis portum, in quem se semper fides illæsa revocet*, & in *Ps.* 118. ait, *Scripturarum legem non excedamus*, lib. 4. de Trinit. "cessent propriæ hominum "opiniones: neque ultra Scripturarum divinam constitutionem humana judicia se ex-"tendant.

XV. S. *Ambrosius* Epistola 72. vocat perfectum, *suscipientem fidem utriusque Testamenti.* Et Epist. 76. "plena mensura est in Evangelio, semiplena in lege, cujus plenitudo "novum est Testamentum. Serm. 14. in *Psal.* 118. ait quod *Scripturarum pascuis grex Domini saginatur.* Saginatus scripturis quid requiris cupedias traditionum? In *cap.* 9. ad *Rom. quod in fide est in lege habetur scripta.* In lib. 2. de Abraham. *cap.* 9. *in quatuor libris plenum Evangelium atque perfectum est.*

XVI. S. *Hieronymus* in cap. 1. ad Tit. negat *sine authoritate Scripturarum fidem haberi*: & in 23. Matth. loquens de interfectione Zachariæ patris Johannis Baptistæ ait, "Quia de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur qua pro-"batur. Si hæc causalis est bona, debet valere in quavis alia materia, ut Logici docent ex Arist. 2. prior. ubi sermo fit de paradigmate. Et cap. 1. Aggæi ait, "Quæ absq; "authoritate Scripturarum quasi traditione Apostolica sponte reperiunt atq; confingunt, "percutit gladius Dei.

XVII. S. *Chrysostomus* Hom. in *Psal.* 95. Tom. 1. Edit. Parisiens. ἐάν τι γὰρ ἄγραφον λέγηται ἡ διάνοια τῶν ἀκροατῶν σκάζει; Hom. 9. in Genes. μὴ προσέχειν τοῖς ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ κειμένοις, ἀλλ' ἕτερα ἐπεισάγειν ἐξ οἰκείας διανοίας, πολλὴν ἡγοῦμαι κίνδυνον φέρειν τοῖς τοῦτο ποιεῖν τολμῶσι. Et com. in cap. 1. ad Galat. per Evangelium intelligit quatuor Evangelia scripta, & ait damnari non modo ἐναντία contraria enunciantes, ἀλλὰ καὶ ὅσοι μικρὸν εὐαγγελίζονται παρ' ὃ εὐαγγελίζεται. Porro si parum præter Evangelium Evangelizaverint, καὶ τὸ τυχὸν παρακινήσωσιν ἀνάθεμα ἔσεσθε. Hom. 36. in cap. 5. Johannis, vocat Scripturas παντοδαπῶν φαρμάκων θησαυρόν. & *Hom.* 29. in caput 9. Genes. si id accidisset, Scriptura non conticuisset, sed significasset nobis: unus enim scopus & terminus divinæ Scripturæ est, τὸ μηδὲν παραλείπειν τῶν γενομένων, ἀλλὰ μετ' ἀληθείας ἡμᾶς διδάσκειν. Serm. de Spiritu sancto & adorando Spiritu. Ἐάν τις τῶν ὀνομαζόντων ἔχειν πνεῦμα λέγῃ τι ἀφ' ἑαυτοῦ καὶ μὴ ἀπὸ τῶν εὐαγγελίων, μὴ πιστεύσητε Et ibid. ἐγὼ ἀφ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ ὡς ἐκεῖνοι. τὸ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ λαλεῖν, τὸ ἔξω νόμου λαλεῖν ἐστίν.

XVIII *Theophilus Alexandrinus* Epist. 2. Paschali, ait, "Diaboli spiritus aliquod "extra authoritatem sacrarum Scripturarum putare divinum: id est, nihil extra sacras literas est Divinum.

Cyrillus Alexandrinus, Glaph. in Gen. l. 2. ὃ οὐκ εἴρηκεν ἡ θεία γραφὴ τίνα δὲ τρόπον παραδεξόμεθα, καὶ ἐν τοῖς ἀληθῶς ἔχουσι καταλογιούμεθα. Lib. 7. contra Julian. Ἀπόχρη μὲν οὖν ἡ θεόπνευστος γραφὴ, καὶ πρός γε τὸ δεῖν ἀποφῆναι σοφοὺς καὶ δοκιμωτάτους, καὶ διαρκεστάτην ἔχοντας σύνεσιν τοὺς ἐντεθραμμένους αὐτῇ. Glaph. in Genes. l. 4. ζωαρκὲς ἔδεσμα ψυχῆς, ὁ τοῦ θεοῦ λόγος.

XIX. Sanctus *Leo* Epist. 24. ad Flavian. "In insipientiam cadunt qui non ad prophe-"ticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Evangelicas authoritates, sed ad semet-"ipsos recurrunt. Sed ideo magistri erroris existunt, quia veritatis non fuere. Et Epist. 27. "Confessionem symboli *ait esse* perfectam, adeò ut omnes hæreticorum opi-"niones solo ipsius possint gladio detruncari, Epist. 78. "Regulam fidei ex Evangelio "ab Apostolorum fonte prodire *ait.* Et Hom. de Transfig. loquens de Scriptura. "Con-"firmetur secundum prædicationem Evangelii omnium fides.

S. *Epiphanius* hæresi. 66. Scythianum Manichæum erralle dicit, quod voces quasdam ex sese οὐκ ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς εὑράμενος, καὶ παράμετρον ἄγει φθογγῆς & hær. 55. Ἀεὶ φυλάττεται, ἡ θεία γραφὴ ὑπαγόρευμα ἡμῖν γίνεται, & alibi, πανταχόθεν ἡ νόμον συνάγει ἐπὶ τὴν μέσην τῆς ἀληθείας ὁδόν, hæc veritatem σαφῶς demonstrat. Et, Scriptura ad vitandam hæreticam fraudem de qualibet dictione securos nos reddit.

XX. *Philo Carpathius* com in Cant. 5. "Nihil fœlicissimi consilii, nihil saluta-"ris præcepti desiderare possumus, quin nobis è Scripturis sanctis abunde suppeditetur.

Andreas

Andreas Cæsariensis in Apocal. c. 2. & alibi totam veritatem ponit in duobus Testamentis, quibus nihil addendum vult. " Duo testamenta per quæ fideles tanquam per " duo Domini ubera nutriuntur.

Idem Junilius Africanus de partibus divinæ legis, lib. 2. c.27. " Doctrina peragitur, " aut intelligentia rerum factarum, aut ex divinis Scripturis.

Salonius in parabolas Solomonis ait, *Cisternam Catholicam esse veteris & novi Testamenti doctrinam*, nec aliam aquam bibendam quam eam quæ provenit ex Cisterna Catholica, juxta id Proverb. 5. " Bibe aquam de Cisterna tua. His verbis do-" cemur attendere lectionibus sacrarum Scripturarum.

Vincentius Lirinensis in commonitorio pr. cap.2. " Canon Scripturarum est perfectus, " sibique ad omnia satis superque sufficit.

Salvianus lib. de Gubernat. l. 3. " Omnia per quæ credimus (id est) per quæ Christia-" ni sumus, sunt, 1. Lex, deinde Prophetæ, 3. Evangelium, 4. Apostolicæ lectiones, po-" stremo Baptismi gratia. Et postea, " Evangelicorum voluminum plena est omni per-" fectionis genere doctrina, & lib.4. " dum legem deseris, salutem propriam derelinquis.

Julianus Toletanus contra Judæos lib.1.ait, " esse stulta quæ de legis non procedunt ar-" cano; imbelles & inermes sunt qui non de Scripturis arma accipiunt.

XXI. Claudius Mamert. lib. 2. de statu animæ, " Eatenus divinarum tractatoribus " Scripturarum fidem adhiberi par est, quoad usque eisdem tenore veritatis adstipu-" lentur Scripturæ. Et in Carmine ait, " Omnia dicta vel acta Dei, per sancta volumina " disci.

Proclus Epistola cont. Armenos de recta fide, citatus 5. synodo collat. 6. " fides ma-" net inter Evangelicos atque Apostolicos terminos.

S. Greg Mag. lib. 4. Epistolarum cap. 84. *Disce cor Dei ex verbis Dei*, loquens de Scripturis.

Paschasius Diaconus S. R. E. in præfatione in lib. 1. de Spiritu sancto ait, " fidem Ca-" tholicam per sanctas paginas diffusam: & cap. 1. De sacris omnimodo Voluminibus " quæ sunt credenda sumamus.

Prosper contra Collatorem ait, " Canonem Scripturarum esse perfectum.

S. Justus Orgelitanus in Cant. sect. 77. " Doctrina sanctorum non à se, sed à Christo " ædificata est, cum sanctarum Scripturarum testimoniis. In sancta Scriptura omnis ar-" matura fortium reperitur; ex qua vel contra Diabolum, vel contra ministros suos for-" titer pugnatur.

Antiquus Anonymus lib. 6. in Cantica. " Quicquid Doctor & nutritor animarum pro-" fitetur, nisi de utroque Testamento docuerit Auditores, id est, vetere & novo, ho-" micida animarum est. Quicquid vetus Testamentum futurum pronunciat, hoc est in " novo Testamento perfectum.

XXII. S. Cæsarius Arelatensis Com. 26. " Sacerdotes duobus uberibus veteris & " novi Testamenti debent pascere populum Christianum: & hunc pastum vocat " cibum " salutis & victum animæ necessarium.

Isidorus Hispalensis lib. 2. de officiis Ecclesiasticis, cap. 23. " Quod in utroque " Testamento divina protestantur eloquia, hoc tantummodo sentiendum: hæc certa regula est traditæ fidei, veraque integritas de quâ si unum quodlibet respuatur, tota fidei credulitas amittitur. Nota hinc, *Credo* in symbolo, innuere ut credantur tantummodo Scripta. Et com. in cap. 30. Exodi, *in duobus Testamentis tota lex pendet.*

Adelmus Episcopus Anglo-saxo lib. de laudibus virginitatis dicit, " utrumque Testa-" mentum Ecclesiam casto verbi semine fœcundare.

Antiochus Lauræ Abbas in prologo operis quod extat Tom. 2. Biblioth. SS. Pat. loquens de Doctoribus Ecclesiæ ait: " Eorum munditiam in eo consistere, quod quæ-" rant cœlestes sententias. Nam sermones justorum mundi sunt juxta Scripturam. & Hom. 1. ait, " Scripturas esse locupletissimum penum fidei, ex quibus astruimus fidem. Proinde necessarium est inde divinæ Scripturæ usum & Testimonium depromere.

XXIII. Anastasius Nicænus quæst. 52. ait, " Examinare se ea quæ dicuntur à Do-" ctoribus, & ea admittere quæ consonant sacris Scripturis; quæ sunt autem aliena re-" jicere. Et quæst. 79. *Quid tibi deest in lege Dei?* loquitur autem de Scripturis. " Ha-" bes Dei legem, ab omnibus ergo alienis ac Diabolicis fortiter abstine.

Carol Mag. in Capitularibus (seu potius populus & Clerus Gallicanus natioque Gallicana quæ capitula illa firmiter tenent pro utili lege, ut ait Ansegisus Abbas, in præfat. ad capitula Caroli) lib. 1. cap. 82. de Prædicatione Episc. & Presbyt. Præcipi pastoribus ut non sinant nova vel non Canonica prædicari populo. " Nemo ex suo " sensu & non secundum Scripturas fingat aut prædicet.

Ordo

Ordo Romanus in interrogatione, Episcopi de rebus regiminis ejus necessariis, peti jubet, " An omnem prudentiam suam divinæ Scripturæ sensibus accommodare voluerit ? Respondet, *Ita*

Alcuinus lib. de divinis offic. sect. de Baptismo, "Scriptura sancta vigorem cœlestis sapi- " entiæ continet. Ecclesiæ populi duplici Testamento saturantur.

Beda lib. 5. in Cantica. " Ex eloquiis utriusque Testamenti sumant veri Doctores quod " prædicant " Et lib. 1. de Tabernac. cap. 5. " Duo Testamenta prædicatione spiritualis " scientiæ replent. Scriptura sacra spirituali ac divina scientia plena est. Imo habet " omnem plenitudinem scientiæ eorum quæ in hac vita cognosci possunt. Ibid. c. 6. "Do- " ctores sancti per omnia mentem suam necesse est in evangelica lectione fixam teneant, " quatenus ad fidem sensumque illius omnem doctrinæ intentionem dirigant. Curentque " sedulo ne quid credendum, sperandum, amandumve, in Scripturis omnibus, quam quod in " quatuor Evangelii libris invenitur, doceant. Cap. 7. " Quæcunque prudens Doctor " diversa pro diversitate audientium loquitur, universa in regula sacræ Scripturæ reperi- " untur. & cap. 7. ultra sacras literas nec Scripturis ultra, nec interpretibus opus habemus. Et lib. 2. de Tabernac. c. 6. ait, " Apostolos probasse ea quæ scriberent & prædicarent " esse vera, ex verbis & literis legis & Prophetarum. Et deinde, " Consensus Propheticæ " interpretationis in omnibus quæ Apostoli dixere monstratur. Omnis Apostolici & Evan- " gelici sermonis in propheticis libris & initium reperitur & finis. Synodo septima, can. 2. ὅσια τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας ἐστὶ τὰ θεοπαράδοτα λόγια, ἤγουν ἡ τῶν θείων γραφῶν ἀληθινὴ ἐπιστήμη, καθὼς ὁ μέγας ἀπεφήνατο Διονύσιος

Amalarius de Ecclesiasticis officiis, lib. 2. cap. 5. " In Evangelio est declarata perfectio, " fons omnis sapientiæ Evangelium ; & prædicatoris ministerium est ex Scripturæ libris " Evangelicam veritatem approbare.

Walafridus lib. de exordiis & incrementis rer. Ecclesiast. cap. 22. " Ex Evangelio scripto " recognoscitur salutis & fidei fundamentum.

Rhabanus Maurus de Instit. Cleric. lib. 2 cap. 53. " Evangelium perfectum vitæ magi- " sterium, c. 57. quod in utroque Testamento divina protestantur eloquia hoc tantummodo " sentiendum. Et lib. 3. c. 2. " Fundamentum status, & perfectio prudentiæ scientia est " sanctarum Scripturarum, & lib. 3. cap. 3. " Scriptura divina longè lateque diffusa est, ut " innotesceret gentibus ad salutem, quam legentes nil appetunt aliud. Et c. 4. " In his quæ " apertè in Scripturis posita sunt inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, mores, spem " atque charitatem.

XXIV. Jonas Aurelianensis, lib. 1. de cultu imaginum ait, " invictissima arma & muni- " men contra errores haberi ex perfecta intelligentia Scripturarum. Et distinguit Ecclesi- asticas traditiones à regula fidei.

Hincmarus in opusculis idem dicit, necnon Angelomius in Cantica, Ecclesiaque Lugdunensis in scripto contra Johannem Scotum; ubi concedit Ecclesia illa, " Scripturæ immo- " bilem veritatem, patrum fundatissimam authoritatem, & in lib. de tenendâ veritate Scripturarum docet, "quod habemus magnum depositum fidei & veritatis in divinis Scripturis. Et c. 4. " Quicquid dicendum putavimus non nostro sensu, sed manifestissimis Scripturarum " testimoniis, & sanctorum patrum venerabili authoritate firmamus.

Theophylactus in c. 1. ad Galatas, εὐαγγέλια τὰ τίνα εἰς τῶν λόγων, καθάπερ τὴν συμφωνίαν, ἵνα διὰ φιλοδοξίαν τὰ οἰκεῖα συγκρίνῃ δόγματα καὶ ἑαυτὸν ἀναθεματίζει. In 2. Tim. 3. οὐδὲν ἐστιν ὃ μὴ διὰ τῆς θείας γραφῆς διδάξαι λυθῆναι.

Oecumenius in cap. 1. Act. ait, " Evangelistarum scripta amplecti Christi doctrinam, τῶν συντεχθέντων καὶ τελεσθέντων μηδὲν παραλιπεῖν, ἐξ ὧν τὸ κηρύγματος θεότης καὶ ἀλήθεια καταλαμβάνεται.

Petrus Damianus, in lib. Dominus vobiscum. "Scripturis nihil subtrahitur, nihil au- " getur, sed prorsus in his Ecclesiastica consuetudo servatur.

Anselmus, in 2 ad Tim. c. 3. " S. Literæ possunt te sufficienter doctum reddere ad æter- " nam salutem consequendam tibi & aliis.

XXV. Hildebertus Cænomanensis, Epist. 64. " Credendum putarem si vel Evangelium, " vel plena fidei reliquisset authoritas. Ubi loquitur de Scripturis.

Rupertus Abbas, lib 4. Com. in Apocal. ait, " Scripturas in se continere omnem myste- " riorum Christi plenitudinem. Et com. in lib. 3. Reg. cap. 12. " Quicquid est de verbo " Dei, quicquid sciri vel prædicari oportet de Incarnatione, de vera divinitate & humani- " tate filii Dei, duobus ita continetur Testamentis, ut extra hæc nihil sit quod annunciari " debeat aut credi, totum in his comprehenditur cœleste oraculum, quod tam firmiter scire " debemus, ut extra hæc audire nec hominem liceat nec Angelum.

Ecclesia Armenorum in Colloquio Theoriani & Catholici, Tom. 4. Biblioth. SS. patrum, affirmat, " Nihil ab ipsis dici extra Scripturas sacras.

XXVI. Hugo à Sancto Victore in Genes. cap. 6. ait, " In Scripturis plenam & perfe-" ctam veritatem consistere.

Ricardus à Sancto Victore, lib. 2. in Apocal. part. 2. c. 3. " In S. Scriptura univer-" salis scientia quæ ad salutem proficit continetur. Et in c. 2. ' In sacro Eloquio salus hu-" mana scripta continetur. Et c. 3. " Contra omnem errorem eloquia divina sunt inspici-" enda; & quæ suggeruntur vel audiuntur, his conferenda ut recipiantur vel confutentur.

Abbas Joachimus, in Apocal. " Voluntas Dei est in agnoscenda litera utriusque Testa-" menti, nihil præter id quod scriptum est relationibus aliorum aut opinione præsumere.

Grat. 1. parte decreti, 1. dist. 9. sect. Ego, ait, se " de solis Canonicis Scripturis aude-" rem credere nullum scribendo errasse.

Glossa Johannis, " Aliis Scriptoribus non est credendum, etsi sancti sint, nisi quod " scripserint probaverint per canonicas authoritates.

Durandus vel Durantus, lib. 4. offic. divi. c. 24. num. 21. *Fides in Evangelio continetur.* num. 24. *Omnia sunt in Evangelio manifesta:* loquitur autem de Scriptura. Num. 25. *Omnia soluta sunt in Evangelio.*

Aureolus Cardinalis in penultima Quæst. 3. sent. " Lex divina consistit in iis quæ conti-" nentur in sacrâ pagina. Et in compendio Scripturarum, in initio: " Eloquium Dei cuncto-" rum quæstionibus satisfacit. Quicquid potest evenire, singulis in sacris Scripturis conve-" nienter comprehenditur.

XXVII. Thomas Bradwardinus, lib. 2. de causa Dei, cap. 1. parte 32. Coroll. sic ait. " Confidenter me affirmo scire quod non est articulus aliquis parvus vel magnus de sub-" stantia fidei Christianæ, quam Deus non prius revelavit; sicut evidenter ostendunt libri " authentici novi & veteris Testamenti: Non est articulus fidei, qui etiam Philosopho " judice non corrupto, non sophistico, non protervo, sed indifferenter solido, & veritatis " amico, efficaciter non potest fundari in veteri Testamento: qui Evangelica conscripserunt, " novum Testamentum in veteri fundarunt.

S. Thomas Aquinas 22. q. 1. a. 9. admittit hanc propositionem: " Sacra Scriptura est " regula fidei, cui nec addere nec subtrahere licet. Aitque, " Symbolum non esse additum " Scripturæ, sed ex eâ sumptum. Et postea, " Veritas fidei in sacra Scriptura diffuse contine-" tur. Et ibid. art. 10. ad 1. " In doctrina Christi & Apostolorum veritas fidei est suffici-enter explicata.

Occamus (ut testatur Zomerus, in lib. 2. Epitomes dialogorum ejus) agnoscit esse opinionem inter Catholicos, quæ dicit, " illas solas esse veritates, quæ in Canone Bibliæ " continentur, vel ex contentis in Canone necessario sequuntur; aitque pro hac sententia expresse videri facere Augustinum, dist. 9. sect. *ego solus.*

XXVIII. Wesselus lux mundi dictus, de potestate Ecclesiastica, refundit fidelium credulitatem in Evangelium.

Astendorpius familiaris Wesseli narrare solitus erat (ut ait Gerardus Geldenhaurius, lib. 1. illustrium virorum) Wesselum solis divinis literis firmiter adhæsisse. Et id patet ex tract. de potest. Ecclesiast. sect de Scribis. " Prælatos *ait* in Cathedra Mosis sedentes " audiendos, quamdiu secundum Mosem dicunt. Et si quid extra vel contra, non mag-" nopere ligant fideles contra legem perfectæ libertatis. Et tract. de Purgatorio: " Pro-" testor me nihil velle asserere nisi quantum sacris literis concordet.

Nicolaus Clemangis in disp. super materia Concil. gener. aufert infallibilitatem à Conciliis generalibus, nisi sequantur Scripturas. Et tract. de celebr. non instit. ait, *Dei voluntatem in sacris literis inquirendam.*

Petrus Cardin. Aliacensis in recommendat. Sacr. Script. " Fundamentum Ecclesiæ Scri-" pturæ veritas. Domus Ecclesiæ Catholicæ singulas partes suas super Scripturæ veritatem " fundatas habet. Per divini eloquii arma defenditur civitas Dei contra civitatem Diaboli. " Per hæc arma vincuntur erronei, corriguntur hæretici, feriuntur schismatici. Per hæc " arma, hoc est per sacræ Scripturæ documenta, Ecclesia pugnando vincit, vincendo crescit, " crescendo proficit, proficiendo complementum accipit. Et in principio in cursu Bibliæ ait: " In hac sacrarum literarum doctrina supereminenter contineri quicquid in aliis utiliter " invenitur. Et in prim. sent. q. 1. a. 3. Non alia agnoscit principia Theologiæ quam sacri Canonis veritates, ex quibus primo, singulæ conclusiones Theologicæ deducuntur. Et in quæst. de resumpta. " Hoc dicitur sine allegatione Scripturæ: Ideo non insisto. Et litera R. " probabiliter respondent aliqui quod Concilium generale potest contra fidem " errare. Ubi ergo infallibilitas traditionum? Et in 1. sent. in principio D. Lex Christi Testamentum novum, " Hæc lex est signum perfectissimum voluntatis divinæ.

XXIX. Thomas

XXIX. Thomas Valdensis, lib. 2. doctrinalis fidei, art. 2. cap. 27. ait, "Sequendam "esse in Ecclesia Catholica gradatim authoritatem multiplicem: Doctorum sc. Catholi- "corum omnium, antistitum Sanctorum magis, Ecclesiarum Apostol. potius, & ex iis "amplius Romanæ Ecclesiæ, & abundantius his omnibus authoritatem Concilii Generalis. "Nec tamen alicui jam dictæ ita obediendum censeo, & tam prona fide, sicut primæ fidei "Scripturæ, vel Ecclesiæ Christi symbolicæ (id est universali, de qua in symbolo fit "mentio.) sed sicut institutionibus seniorum & monitioni paternæ. Obediatur (dico) "sine scrupulis quæstionum, cum omni modestia mentis & reverentia corporis, cum accep- "tatione & fiducia in verbis docentis, nisi quatenus aliquid doceat is qui docet, quod jam "justè præscripsit superioris authoritas; Cui tamen tunc pius Ecclesiæ filius non perperam "insilit, sed ab eo reverentiali quodam pudore percussus abscedit. Ibi enim requiritur ut sit "fides copiosior ubi subest authoritas gravior. Augustinus hos gradus laudat, & docet, lib. 2 de Bapt. contra Donatist. "Quis (inquiens) nesciat sanctam Scripturam Canonicam "tam veteris quam novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posteri- "orum Episcoporum literis ita præponi ut de illa omnino dubitari aut disceptari non potest, "& reliqua prout retuli, num. 8. ubi ex omnibus liquet authoritas general. Concil. quia "illi cedunt cuncta scripta Pontificum & Doctorum, &c. Hæc Valdensis tom. 1. fol. 221, & 222. Impress. Venetæ, 1571.

XXX. Abbas Panormitanus in cap. significasti, de Electione & electorum potestate docet, *Concilium Generale posse errare.* Et cum Panormitano plerique Juristæ sentiunt. Ait Almanius in tractatu de potestate Ecclesiastica & laica, c. 16. Qui ut probabilius solum defendit oppositum sententiæ Panormitani & Juristarum.

Thomas etiam Valdensis, lib. 2. doct. fid. art. 2. c. 20: "Habent dicta sanctorum autho- "ritatem suam, sed non Canonicam. Omne quod loquimur debemus affirmare ex scrip. "sanctis. Necessaria est adjectio testium sanctorum & proborum post authoritatem Cano- "nicam, non quod in authoritate æquantur, absit, sed sequantur.

XXXI. Jo. Gerson. tract. de art. fid. seu compendio Theologiæ, vocat, "Symbolum "omnium credendorum ad salutem spectantium, compendiosam collectionem per divi- "norum voluminum corpus diffusum. Et in lib. de examinat. doctrinæ, part. 2. considera- tione 1. "Ostendendum in examinatione doctrinarum primo & principaliter, si doctrina sit "conformis sacræ Scripturæ, tam in se quam in modi traditione. Nihil audendum dicere "de divinis, nisi quæ nobis à scriptura sacra tradita sunt. Cujus ratio est, quoniam Scri- "ptura nobis tradita est, tanquam regula sufficiens & infallibilis pro regimine totius Eccle- "siastici corporis & membrorum usque in finem seculi. Cui se non conformans alia "doctrina, vel abjicienda est ut hæreticalis; aut suspecta, aut impertinens ad religionem "prorsus habenda est. Hinc Glossa quædam super illud, Apparuerunt Moses & Elias "loquentes cum eo. Suspecta est omnis Revelatio quam non confirmant Lex & Prophetæ "cum Evangelio: Quæ tria significant Moses, Elias & Christus. Alioquin delusiones "Dæmonum, aut potius proprii capitis fantasiationes quam Revelationes habeantur. "Talibus Idiotis objiciatur illud Christi: Erratis nescientes Scripturas, & ibid. consid. 5. & de consolatione Theologiæ, lib. 4. ait, "Scripturas sufficere, & sufficienter erudire. Idem docet serm. in die circumcisionis, consid. prima, ubi ait, "Scripturam sufficere pro "regimine Ecclesiæ: alioquin Christus esset legislator imperfectus. Idem tract. de probat. Spirituum, "ad omnem revelationem non suspectam requirit testimonia legis & Prophe- "tarum. Et prima consid. part. 2. de exam. doctrinæ; "dicet aliquis doctrinas salubres tam "verbis, quam scriptis insertas esse quas Scriptura sacra non continet; Immo continet "respondemus. Vid. tract. de distinct. verarum visionum à falsis. Item serm. omnium sanctorum, ait eos, qui deserunt Scripturas & sequuntur traditiones humanas, idque licere affirmant; errare & in Pelagianam hæresin palam incidere. Serm. de verbis Domini *Scriptura* sacra dicitur *omnis veritas.* Vid. consid. 14. de passionibus animæ. Item secunda part. de mendicitate spirit. a.

XXXII. Jacobus Faber Stapulensis Præfat. in S. Evangelia, "hoc firmissimè teneant "omnes, quod majores nostri, quod primæva illa Ecclesia sanguine Martyrum rubricata "sensit: extra Evangelium nihil scire id esse omnia scire.

Johannes Episcopus Roffensis, art. 37. contra Lutherum, "Scriptura sacra conclave "quoddam est veritatum omnium, quæ Christianis scitu necessariæ sunt.

Erasmus de vera Theologia contendit, "Scripturam purissimum fontem Christianæ Phi- "losophiæ cum lacunis traditionum non esse commiscendam: Hæ sunt, ait, examinandæ an "congruant cum Evangelica doctrina. Veteres legendi non cum necessitate credendi, sed "cum libertate judicandi. Queritur etiam *quod credulitas nostra Symbolo Apostolico non fuit contenta.*

In eandem ſententiam conſpirant Rhenanus in Tertullianum. Caſſander de officio viri pii. Wicel. Method. Concord. c. 1. p. 5. Budæus de rerum fortuitarum contemptu, ubi Scripturam vocat *indicem finis bonorum & malorum.*

Eſpenſæus, lib. 1. digreſſ. in primam Epiſtolam ad Tim. cap. 2. negat "libros extra "Canonem proferri ad authoritatem fidei confirmandam. Et in 2. Epiſt. ad Tim. cap. 3. ſect. 17. ait, "poſſe aliquem ex Scripturis perfectum eſſe, ut nihil ei deſit. Perfectum "autem vocat (ut ſe exponit) diligenter ſcientem qualiter unumquodque bonum ſit, tum "docendum, tum agendum. Et cum multi clariſſimi viri hodie in vivis exiſtentes cum prædictis authoribus ſentiant, & ſenſa ubi opus eſt proferunt ea de re, caſſus labor erit quempiam nominare, & forſan opus erit ingratum; & ideo huic negotio ſuperſedebimus.

Unus inſtar omnium hic à me memorandus erit, vir immortalitate dignus, Ludo. Servius advocatus regius, in vindiciis libertatis Gallicanæ pag. 220. Impreſſionis primæ (nam poſtea liber editus eſt à Goldaſto tom. 3. Monarchiæ) "Scripturarum auctoritatibus "decertandum, nec verbo Dei quidpiam addi vel detrahi poteſt. Nobiſque cavendum eſt, "ne Judæorum Doctoribus ſimiles ſimus, qui Dei præcepta propter ſuas traditiones eva- "cuant. Hæc Scripturæ Regula credendorum vel non credendorum, agendorum vel non "agendorum amuſſis eſt, & dum eam ſequemur non errabimus.

XXXIII. Addi his poteſt ultimo loco ratio quam inſinuat ſanctus Lucas cap. 1. Actorum, Deum per Scripturas conſuluiſſe ἀσφαλείᾳ ſeu ſecuritati Eccleſiæ, & fragilitati naturæ humanæ, quæ eſt deſultoria ad novas opiniones, & eget Scripturæ juvamine ad perpetuam rei memoriam, ut ex Recentioribus probè obſervarunt Janſenius in Concordia, Ludovicus Vives de cauſ. corrupt. artib. 11. Gregorius Tholoſſanus de Repub. lib. 12. cap. 5. Ederus in Oeconomia Bibliorum de ſcript. q. 2. pag. 40. Impreſſ. Colon. quod & ante eos obſervavit Chryſoſtomus in principio operis imperfecti. Rationes variæ ex Scripturis petitæ pro Scripturæ αὐθεντίᾳ & iis oppoſitarum ratiuncularum ſolutiones hic à me non commemorantur: de his enim extat fuſior tractatus prodromus de traditionibus, à nobis brevi edendus, quem Lector conſulere dignetur. Plura hic ſcripſi in ſect. I. quam brevitas nobis affectata permittit. Sed id neceſſarium fuit ad ſtabiliendum catholico conſenſu omnium ſeculorum privilegium S. Scripturarum, cum ex eo pene omnes aliæ controverſæ quæſtiones pendeant, quæ ſine ſolida cognitione hujus rei indeciſæ manent.

SECTIO II.

De Conciliis, Papa, & Schiſmate.

OBtemperare & ſubeſſe oportet poteſtatibus à Deo pro regimine Eccleſiæ conſtitutis: quales ſunt Concilia, Epiſcopi, Presbyteri: [a] Quibus omnibus obedientia canonibus præſcripta præſtanda eſt: Ita ut eorum ſententiis canonicè prolatis, refragari non liceat, nam damnationem ſibi acquirit, qui legitimæ authoritati à Deo ordinatæ reſiſtit. Rom. 13. Et ſicut in Repub. rebellio eſſet magiſtratus politici juſſioni obſtrepere, eo quod ille erroribus obnoxius eſſet: [b] ita in eccleſia haud vacat ſchiſmate temere ſe ſubducere à magiſtratu Eccleſiaſtico, prætextu erroris actualis aut poſſibilis, nondum clarè in legitimo judicio probati. Eſto igitur, ſolum Dei verbum ſcriptum neceſſario ſit infallibile, & Epiſcopi Conciliaque errare poſſent; donec tamen eorum error in judicio convincatur, ad vitandum ſchiſma debet eis obediri, non ſecus ac politico magiſtratui de errore non convicto, erranti etiam paretur. Inter Eccleſiaſtica autem tribunalia ſupremum eſt Conciliare: cui Papa & Epiſcopi omnes, quin & fideles omnes deferre in rebus ſpiritualibus tenentur. Imo ſi Papa pertinaciter reluctari vellet decreto fidei Concilii œcumenici, præſumetur hæreticus; & ab eo tanquam hæretico, poſt Eccleſiæ declarationem præſertim juxta præſcriptum [c] & normam Canonum recedi poterit ſine ſchiſmatis nota, negando ei obedientiam, conſortium, & communionem.

Paralipomena

Paralipomena ad Sect. II.

[a] Vide tract. nostrum de suprematu Conciliorum, in quo ex Scripturis & praxi perpetua Ecclesiæ, deduximus Papas Canonibus subjici. Diaconos Romanos se Presbyteris anteferentes contra Canonem Nicen. 18. Papa vidente & consentiente. Hieronymus, epistola 85. ad Evagrium, vocat *vecordes*. " Quid, *ait*, mihi profers unius urbis consue-" tudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ, vindicas? Augustinus in qq. Veteris & Novi Testamenti, quæst. 101. contra Diaconos Romanos disceptat qui contendunt, " Levitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris coæquare. & ait, " Quin Romanæ Ecclesiæ ministri sunt, idcirco honorabiliores putantur quam apud " cæteras Ecclesias, propter magnificentiam urbis Romanæ.

In secunda Synodo, Flavianus à Pontifice Romano excommunicatus, ut hist. tripart. lib. 10. cap. 10. indicat, restituitur invito Pontifice à 5. Synodo (ut patet ex epistola synodica apud Theodoretum, cap. 9. lib. 5.) ex legis & decisionis Nicenæ præscripto, ut Canon postulat.

In 3. Synodo Generali non obstante epistola Innocentii ad Alexandrum (est 18. num. in edit. Sixti 5.) qua declarat Cyprios non sapere juxta fidem, nisi se subdant Antiocheno Patriarchæ, decretum est, Can. 8. hoc ab Antiocheno attentari præter Canones, ac propterea omnes literas ab eo allatas contra Cyprios, irritas esse decernit sancta & universalis Synodus.

Ita in Canone 178. codicis universalis Ecclesiæ, & Conc. 2. Ephesini, appen. 1. cap. 4. Leonis 1. Legati contradixerunt in Chalced. act. 16. πρεσβεῖοις Constantinopolitani Patriarchæ. At secundum Canonem 150. S. Patrum in Constantinopoli congregatorum, repugnante Leone 1. definitum est synodicè pro Constantinopolitano Patriarcha.

Hæc ex gestis 4. Conciliorum generalium quæ Gregor. Can. sicut dist. 16. sicut *sancti Evangelii* 4. *libros suscipit*. Immò, ut notat Cardinalis, Deusdedit in sua Canonum collectione, vetus formula fuit jurisjurandi Pontificii, quæ extat Can. sanct. dist. 16. qua Papa jurat, *Se quatuor Concilia servaturum usque ad unum apicem*. Ex quo scitè infert eruditissimus Leschasserius in consultatione Veneta sic: " Non potest igitur Pontifex " Romanus jure contendere se Canonibus illis Conciliorum superiorem esse, nisi sibi super " quatuor Concilia totam arroget potestatem.

Huic jurejurando Pontificio conveniens est antiqua confessio Zosimi Papæ, Can. contra statuta. 25. q. 1. " Contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, non hujus sedis potest " authoritas. Et Urbanus Papa ibidem Can. sunt quidam. " Ubi sancti Patres sententi-" aliter aliquid definiverunt, ibi non novam legem Roman. Pontif. dare, sed potius quod " prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Speciatim Ephesinum Concilium Can. 8. statuit, *singulis provinciarum Ecclesiis sua jura servanda*. Hinc ortæ appellationes ab abusu, & exceptiones contra acanonicas jussiones novas.

Sic Episcopi Galli sub Ludovico Pio excipiunt his verbis conceptis, contra nova quædam jura, " satis se obtemperaturos, ni aliter se habeant antiquorum authoritates Cano-" num; & Papæ decretalibus Canones antiquos opponunt, aientes, " Si venit Papa excom-" municaturus, excommunicatus discedet, quia aliter se habet antiquorum authoritas " Canonum. Et de natione Gallica probè notat Leschasserius, tractat. de Libertate Ecclesiæ, " fuisse in more positum Ecclesiæ Gallicanæ, profiteri se Pontifices Romanos non agnos-" cere, nisi legitimè & canonicè: quæ restrictio Ecclesiæ universalis est, ut doctè ibi probat.

Hinc Patres Africani in Synodo sub Bonifacio & Cælestino, cap. 105. recusant parere præceptis Pontificum, quia ut tale quid fiat nullum inveniunt Patrum in synodo constitutum.

Et ut prætercam Hincmarum apud Baronium, tom. 10. ann. 878. num. 30. aientem, " Se recipere decreta Pontificum à sanctis Conciliis approbata; & Gerbertum (seu Silvestrum 2. postea dictum) eodem tom. 10. ann. 992. num. 48. acceptantem decreta sedis Apostolicæ, cum hac clausula *modo ab his Canonibus non discordent*. Illustre extat testimonium sancti Ignatii Constantinopolitani, ac adeo totius Ecclesiæ Græcæ factum ejus approbantis, usque in hodiernum diem apud Baronium, tom. 10. ann 878. num. 48. Nam Papam eum excommunicantem, nisi intra triginta dies sacerdotes suos è Bulgaria revocaret, surdis auribus pertransivit. Et Baronius non censet Ignatium excommunicatum ob jussionem illam non impletam, eo quod, *quæ juris essent suæ Ecclesiæ defendit, prout juramento teneretur obstrictus æternæ vitæ dispendio*. Plus ergo valet Canon

Canon jus concedens Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quam jussio Papæ, etiam Judice Baronio.

Videantur ea quæ collegit perdoctè D. Vigorius Comment. in resp. Synodalem. pag. 26, 48, 22.

Et quia Hincmarus constantissimus Canonum Defensor, acerbè taxatur à Baronio, Duvallio, & Neotericis pluribus, monitum lectorem vellem, eum laudari à Baronio, Tom. 2. ad ann. 109. num. 42. pro viro eruditione & pietate clarissimo.

Videatur Cassander lib. de offic. pii viri. "Qui Pontificem Romanum tantum non "Deum faciunt, ejusque authoritatem non modo supra totam Ecclesiam, sed supra ipsam "Scripturam divinam efferunt, & sententiam ejus divinis oraculis parem, immo infalli-"bilem fidei regulam constituunt, hos non video cur minus pseudocatholicos & Papistas "appellare possis.

[b] Subductionem à magistratu Ecclesiastico Romanæ Ecclesiæ, schismaticam merito reputari, confirmatur Cassandri & Archiepiscopi Spalatensis in Anglia adhuc scribentis testimoniis: quæ videri possunt ex meritis rei orta esse, potius quam ex cæco erga Romanam Ecclesiam affectu. Cassander in tract. de officio pii viri, sic ait, "Pleriq; "ex iis qui sibi ab Evangelio nomen sumpserunt, eam partem quæ vetus Catholicorum & "Romanæ Ecclesiæ nomen retinet, prorsus aspernantur, omnemque ejus communionem "diffugiunt; nec ut membrum ejusdem corporis amore & misericordia prosequuntur; sed "ut Satanæ & Antichristi corpus abominantur. Sciò id equidem & doleo. & quæ ejus-"modi sunt, quomodo à schismatis nota eximi possint non video. Notatque Lutherum ipsum primo tantundem confessum esse: immo postea etiam à Bulla Pontificia ferociorem factum, non negasse Romanam Ecclesiam in qua Romanus Pontifex imperium tenet, veram esse Christi Ecclesiam: quamvis ejus gubernatores, ut Papam, Cardinales, &c. non esse Ecclesiæ membra, sed tyrannos & hostes proclamet. Et certe ratio id suadet: nam esto, Papa sit Antichristus ille, qui in vero templo Dei, Ecclesiaque vera, docente Paulo, sessurus est: eo tamen magis inhærendum est veræ Ecclesiæ, ut ex ea malus Pastor ejiciatur. Nam discessione à vera Ecclesia, non ex ea citius eliminatur. Spalatensis Archiep. 3. part. de Repub. lib. 7. cap. 7. num. 17. Odium Puritanorum in Ecclesiam Romanam vocat Diabolicum. Et lib. 7. cap. 10. num. 188. ait, "Ab Ecclesiis "velle abhorrere, discedere & se separare, quæ sub eo (Papa) gemunt, quamdiu Christi "integram fidem servant & retinent, est profecto schisma indignum & reprehensibile.

[c] Nota aliud esse recedere à Papæ communione, aliud à communione Ecclesiæ. Nam in casu declaratæ hæreseos, Canones suadent jubentque adhærere Ecclesiæ & ejus Canonibus, & separare se ab Episcopo quovis malè docente. Legi in hunc finem poterunt Canones Ecclesiæ Universalis: Can. 3. Ephesinus Clericis jubet, Κοινῶς δὲ τοὺς τῇ ὀρθοδόξῳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ συνφρονοῦντας κληρικοὺς κελεύομεν, τοῖς ἀποστατήσασιν ἢ ἀφισαμένοις Ἐπισκόποις, μηδ' ὅλως ὑποκεῖσθαι κατὰ μηδένα τρόπον. Et canone 1. Metropolitanus hæreticus adversus suæ provinciæ Episcopos nihil penitus agere potest. Et synodo Constantinopolitana δευτεροπρώτῃ Canone 15. Οἱ διαίρεσίν τινα παρὰ τῶν ἁγίων συνόδων ἢ πατέρων κατεγνωσμένην, τῆς πρὸς τὸν πρόεδρον κοινωνίας ἑαυτοὺς διαστέλλοντες, ἐκείνου τὴν δηλονότι δημοσίᾳ κηρύττοντος, καὶ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ ἐπ' ἐκκλησίας διδάσκοντος, οἱ τοιοῦτοι, οὐ μόνον τῇ κανονικῇ ἐπιτιμήσει οὐχ ὑπόκεινται, πρὸ συνοδικῆς διαγνώσεως ἑαυτοὺς τῆς πρὸς τὸν καλούμενον ἐπίσκοπον κοινωνίας ἀποτειχίζοντες, ἀλλὰ καὶ τῆς πρεπούσης τιμῆς ὀρθοδόξοις ἀξιωθήσονται· οὐ γὰρ ἐπισκόπων, ἀλλὰ ψευδεπισκόπων διδασκάλων κατέγνωσαν, καὶ οὐ σχίσματι τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας κατέτεμον, ἀλλὰ σχισμάτων καὶ μερισμῶν τὴν ἐκκλησίαν ἐσπούδασαν ῥύσασθαι. Canonem synodi Carthaginensis sub Cypriano, qui extat apud Balsamonem, & Zonaram vid. conferendi sunt Canones 32, & 33. Concil. Laodiceni, cum Canonibus 32, & 33. qui hanc rem illustrant. Necnon can. 9. Timothei Alexandrini.

SECTIO III.

De Insulæ Magnæ Britanniæ privilegiis.

DOlendum sanè nonnullos scribentes, Reges M. Britanniæ esse Feodatarios sedis Apostolicæ, ac consequenter summo Pontif. ut (Monarchæ independenti à Canonibus) subditos tum in temporalibus tum in spiritualibus, eos nimis exasperasse; & tum à summi Pontificis obedientia, tum à Catholica Romana communione alienos reddidisse. Optandum hinc esset ut summus Pontifex publicæ paci & saluti regni Britannici aliquid concederet,

concederet, & contentus esset, ut serenissimus Rex & regnum Magnæ Britanniæ possit admitti ad communionem sanctæ Ecclesiæ Romanæ absque ulla actuali dependentia ab imperio summi Pontificis, donec in pleno & libero saltem Concilio remedium huic malo parari possit.

Triplex autem assignabo fundamentum Theologicum, ex quo (salvo meliore judicio) liquet hoc Concilium esse probabile, & praxi conveniens.

Primum est [a] Gravis metus quem prudentiores Politici rebus sic in Britannia stantibus concipiunt, ex actuali subjectione sedi Apostolicæ præstanda. Et certè quis non timeret ei subdi, qui si displiceas ei, juxta recentiorum quorundam asserta, & regnum & vitam & famam unius horulæ spatio poterit auferre, subditosque Catholicos contra te armare valet?

Secundum fundamentum est, quia adhærendo decretis Constantiensis & Basiliensis Conciliorum, quæ declarant eos habendos pro hæreticis, qui defendunt Papam non subdi Conciliis Generalibus, videtur in [b] praxi modernos Papas habendos pro hæreticis: maximè cum hæresin [c] à dictis synodis damnatum defendant pertinaciter, [d] per censuras Bullæ in cœna. Quæ dico non ad litem movendam suæ Sanctitati, sed ad humiliter insinuandum probabile fundamentum, tam illustris regni pacificandi, & Ecclesiæ Catholicæ aggregandi.

Tertium est, quia ex Can. 8. Ephesino, debent conservari, imo & vi ablata repeti Ecclesiarum antiqua Privilegia: Insula autem Britanniæ gavisa est olim privilegio Cyprio, [e] ut nullius Patriarchæ legibus subderetur.

Hoc autem privilegium etsi abolitum olim fuit bellorum tumultibus & vi, tamen cum tempore Henrici octavi totius regni consensu fuit repetitum, & ab eo tempore pacificè præscriptum, videtur pacis ergo retineri debere sine dispendio Catholicismi, & absque schismatis ullius nota, modo in ceteris regnum se conformet universalibus Ecclesiæ Catholicæ Canonibus & consuetudinibus. Et hæc humillimè suggero suæ Sanctitati paratus ab ipso corrigi, si à veritate hic in quopiam declinavero. Certe consilium hoc non ex livore proficiscitur, sed ex unionis Catholicæ tam illustris regni desiderio.

Paralipomena ad Sect. III.

[a] Videatur resolutio Ecclesiæ Gallicanæ in Concilio Turonensi 1510. sub Ludovico 12. Quæ extat apud Bochellum in decret. Ecclesiæ Gall lib. 5. Tit. 5. cap. 5. sect. 3. Ubi quæritur an ob odium notorium & aggressionem injustam, liceat Principi subtrahere se ab obedientia Pontificis; attento quod Pontifex concitavit alios Principes & communitates, imo & tentavit cogere ad invadendas terras, & dominia ejusdem Principis? Conclusum est per Concilium Principem posse ab obedientia talis Papæ se subducere ac subtrahere, pro tuitione tantum ac defensione jurium suorum temporalium. Et pulchrè Gerson, tract. de auferibilitate Papæ ab Ecclesia, consid 14. "Si sit aliquis "qui totam præcedentiam suam & Papalem dignitatem convertere velit in instrumentum "nequitiæ & destructionis alicujus partis Ecclesiæ in temporalibus vel spiritualibus, "nec pateat sufficiens remedium aliud, nisi subducendo se ab obedientia talis potestatis "sævientis & seipsa abutentis, & hoc ad tempus, vel quousque Ecclesia vel Concilium "provideant, hoc fas erit; dum tamen illud agere. pia quædam impellat necessitas. Idem in quæstione, An liceat in causis fidei à summo Pontifice appellare, seu ejus judicium declinare, ait similes subtractiones multipliciter approbatas fuisse per sacrum *Constantiense* Concilium, ac specialiter in sessione publica celebrata die 6. Aprilis ann. Dom. 1415; & sic practicatum in Concilio *Pisano:* è quo scribens Cardin. *Leodiensis* in Epist. apud *à Niem* lib. 3. cap. 34. ait, *Hoc assertum* modo *à Gersone esse notissimum,* & allegat pro se *Augustinum, Ambrosium, Bedam,* & alios. Et *Gerson* loco nupertime citato ait, *hanc propositionem Petri de Luna, quod nunquam licitum est facere subtractionem ab aliquo vero Papa, in Concilio Constantiensi reputatam fuisse hereticalem.* An autem causæ sint sufficientes subtractionis in regno Magnæ Britanniæ non est materia fidei, sed facti; in quo standum est prudentiorum & peritiorum rationibus & authoritati. Nam Prælati Ecclesiæ, ubi est quæstio de admissione pœnitentium ad communionem & sacramenta Ecclesiæ, in rebus facti præsertim, non debent esse nimis tenaces in propria opinione. "Caveant facilè damnare peccati mortalis, ubi in praxi ob validam rationem vel "authoritatem, probabilis esset opinio pœnitentis; cui, deposita practicè ob aliquam "circumstantiam, aut alterius possessionem propria sententia, confessarii se conformare "tenentur: Nec enim tenentur semper tutiorem sententiam, si rigidior sit, sequi, sed

"satis

"satis est tutam; at si parum tuta habeatur pœnitentis opinio, perpendant confessarii "an interdum non sit relinquendus in sua ignorantia cum bona fide: Confessarii debent "benigniorem partem in dubiis sequi, in gratiam pœnitentis: Ita Henriques Societatis Jesu Theologus, in summa Theologiæ Moralis lib. 6. de Sacramento pœnitentiæ, cap. 26. num. 6. ex *Navarro*, *Sylvestro* & *Cordubensi*, quos ibi citat & sequitur.

[b] [c] Suppono non modo haberi probabilem, sed etiam certam inter Scriptores, partibus S. Pontificis faventes sententiam; eam fidem habendam esse pro Catholica (ita ut opposita sit hæretica, & oppositam defendentes hæreseos insimulentur) quæ traditur ut talis per definitionem Oecumenici Concilii approbati ab indubitato Pontifice, ut cum *Cano* de locis Theologicis, lib. 5. cap. 4. Conclus. 3. & *Bellarmino*, lib. 4. de Rom. Pontifice, cap. 2. reliqui passim fatentur. At sic Concilium *Constantiense* Sess. 4, & 5. approbatum per Bullam *Martini* 5. & *Basileense*, Sess. 2. confirmatum pro legitimo per Bullam *Eugenii* 4. Sess. 16. decernunt Papam subesse Concilio Oecumenico. Probabile saltem est igitur oppositum esse Hæresin.

Chronicon Chronicorum, opus docti *Anonymi* Scriptoris tempore *Eugenii* 4. eique faventis, scribit *Eugenium* per literas Apostolicas approbasse decreta eorum. Ita Platina etiam in *Eugenio*. Et res est legenti Bullas notissima.

Universitas Parisiens. in Appellat. contra *Leonem* 10. ait, damnationem *Basileensis* Concilii esse contra fidem Catholicam.

Æneas Sylvius lib 2. Comment. de Gestis Conc. Basil. narrat Eleemosynarium Regis Arragonum, Episcop. Ebronensem, Abbatem Virgiliacensem, & Episcop. Lubicensem, ubi adesse migrationis horam sensêre, compluribus ad se viris gravibus accersitis coram ipso Christi corpore, quem statim sumpturi, & ante cujus tribunal inter paucas horas comparituri erant; *Vos omnes, qui adestis, dixerunt, orate Deum ut illos convertat qui Gabrielem pro summo Pontifice recognoscunt, quia in eo statu salvari non possunt*; seque in fide Basil. Concilii morituros professi, absque ulla excusatione dormientibus similes ad Dominum migraverunt.

Ludovicus Cardinal. *Aretalensis* vir doctrina & miraculis clarus, in orat. apud *Æneam*, lib. 1. Com. Concil. Basil. vocat *Eugenium devastatorem Ecclesiæ*, & ei adhærentes *discedentes à veritate fidei & S. Patrum traditionibus:* E contra adhærentes *Basileensi* Concilio ait, *Pro veritate fidei & S. Patrum traditionibus mori non dubitare.* Ibidem *Æneas Sylvius* vocat sententiam anti synodalem, Eugenianam hæresin. Concilium *Pisanum* in literis apud *Bochellum* in decret. Ecclesiæ Gall. lib. 5. tit. 20. c. 40. vocat libellum *Cajetani* de authoritate Papæ, quia est contra Concilium *Constantiense* & *Basil.* & *Pisanum*, & contra *Johannem Gersonem optimum Ecclesiæ defensorem, suspectum & plenum injuriis*; & *Cajetanus* propterea vocatur *homo audax & periculosus*.

Et vir doctissimus *Vigorius* Comment. in Resp. synod. Concil. Basil. sect. 5. num. 6. testatur pragmatica sanctione *Caroli* 7. decreta *Basil.* Concil. recepta fuisse cum consensu omnium ordinum Galliæ, Ecclesiæ Gallicanæ & Universitatum.

Quin & *Pius* 2. in Bulla retract. testatur pene ab omnium nationum viris *Basileensi Concilio delatum.* Adeo ut verum *Vigorius* retulerit loco citato, *de approbatis per Constantiense Concilium de authoritate conciliari hæsitare, & protervum sacrilegium à præstantissimis Juristis*, quos citat *pronuntiari*.

[d] Vide dictum S. *Roberti Lincolniensis* Episcopi (apud *Westmonstariensem Matthæum Paris* 1253. & *Harpsfieldium* sæc. 13. c. 24.) qui *maximum genus pertinaciæ in summis Pontificibus fore reputat, ut censuris excommunicationibusque cogant homines ad ea quæ prava sunt, & contra fidem & bonos mores militant, amplectendum.* Bulla autem excommunicationis in cœna vetans appellationem ad generalia Concilia sub pœna excommunicationis, virtute vetat agnoscere ea esse supra Papam. Nam ut Juristæ docent, *iniquitas aperta esset & contra jus naturæ, prohibere appellationem ad eum, qui agnoscitur esse superior.* Qui ergo vult videre sanctè tollere appellationem ad Concilia per censuras, *δυνάμει* tollit eorum suprematum, & potestatem supremam in Pontifices. Verba *Westmonstariensis* sunt hæc ad annum 1253. "Sub rege Henrico 3. graviter redarguit tam fratres prædicantes quam minores, "dicens, quod eorum Ordo ideo in paupertate voluntaria constituitur, & liberius "Magnatum error ab eisdem reprehendatur: In hoc autem quod ipsi peccatum Mag-"natum audacter non redarguunt, eosdem esse Hæreticos dixit manifestos: Et addidit; "Hæresis est sententia humano sensu electa, Scripturæ sacræ contraria palam edocta, "pertinaciter defensa. Dare autem curam animarum parvulo, sententia est alicujus "Prælati, humano sensu electa, propter carnem vel temeritatem; & est Scripturæ sacræ "contraria, quæ prohibet fieri pastores qui non sunt idonei ad arcendum lupos: & est "palam edocta, quia manifestè portatur charta sigillata vel bullata: vel est pertinaciter "defensa,

" defensa, quia siquis voluerit contradicere, suspenditur & excommunicatur. Cui autem " tota definitio hæreseos convenit, hæreticus est: sed quisque fidelis tenetur se opponere " hæretico quantum potest; qui ergo potest contradicere & non contradicit, peccat, & " videtur fautor esse erroris sec. illud Gregorii, non caret scrupulo societatis occultæ, qui " manifesto facinori desinit obviare. Hæc dixit occasione literarum Papæ præcipientis facere aliquid quod videbatur eidem Episcopo injustum & rationi dissonum. Judicium *Westmonasteriensis* de sancto *Roberto* tale est: " Hic Robertus bonum habens Zelum ad " Dominum & Proximum, licet Canonicos suos multum vexaverit, & in Religiosos & " Religiosas terribiliter fulguraverit, confidenter tamen dico, quod plus Deo placuerunt " virtutes, quam displicuerunt excessus. Quod nunc per miracula ad tombum ejus " coruscantia manifestatur. Aitque quod " licet Dominus Papa valde commotus istius-" modi dictis & factis ipsum proposuit præcipitare in confusionem, ut toti mundo foret " stupor, & tremoris exemplum, tandem tamen consilio saniore emollitus, sub dissi-" mulatione permisit transire, ne majorem videatur super hoc tumultum excitare. Hæc ille. Vide authores supr. citatos.

[e] Puto me facturum rem gratam antiquitatis studiosis si breviter hic ex tractatu nostro exscribam pauca, ex quibus constet *Britannos* & *Scotos* (quos vocamus *Hybernos*) ante adventum *Augustini* in *Angliam*, fuisse Catholicos, & in Occidentali Ecclesia gavisos esse iisdem privilegiis, quibus in Oriente *Cyprii* honorati sunt. *Gildas* sapiens testatur *Britanniam pene ab Apostolorum seculo habuisse Antistites, qui pacificis & formatis cum reliquo Orbe communicarunt, jam inde ab initio Evangelii. Tertullianus* adv. Judæos, num. 43. apud *Pamelium*, post numeratas è toto Orbe Ecclesias Catholicas, subdit, & *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita esse:* & *Pamelius* in dictum locum ex *Beda* & *Polydoro Virgilio* fatetur, Britanniam totam non modo sub *M. Antonino Vero*, publicè Evangelium recepisse sub *Lucio* Rege, sed etiam ex *Gilda* lib. de excid Britann. asserit, ab ortu Evangelii à *B. Joseph* ab *Arimathea Britannos Christi religionem accepisse.* Vid. in eam rem *Pitseum* de Antiquit. Eccles. Britann. *Harpsfeld.* in hist. Angl. Eccl. c. 1. *Gilda* suffragatur non modo *Tertullianus*, sed etiam *Origenes* Hom. 4. in *Ezechiel.* Imo & D. *Athanasius* in 2. Apolog. contra *Arrianos*, gloriatur ex Britannia sese contulisse Episcopos ad *Sardicense* Concilium, in quo *Athanasii* absolutio obtenta fuit. Et in Epist. ad *Jovianum* Imperatorem, quæ extat apud *Nicephorum Callistum*, lib. 10. Hist. Eccles. c. 42. probat se Catholicis per orbem diffusis Ecclesiis communicare, & inter alios Hispanicæ, Britannicæ, Gallicæ, quas Ecclesias ait fidem Catholicam *Athanasii* communi consensu recipere. *Hieron.* in ep. 85. *Et Galliæ & Britanniæ Ecclesiæ unum Christum, unam observant regulam veritatis.* Idem docet *Chrysost.* in orat. contra gentes. Et Catholicos Episcopos venisse ad synodum *Ariminensem* ex Britannia, constat ex *Severo Sulpitio, Theodoreto, Hieron.* in Chron. *Ruffino, Socrate, Zozomeno* citatis ab *Harpsfeldio*, Histor Eccles. prim. sæc. cap. 15, & 16. Hanc communionem & unitatem regulæ, Ecclesiam Britann. servasse cum Gallicana usque ad adventum S. *Augustini* in Angliam, & postea; fusè in tractatu de Πρεσβείοις Conciliorum probatum à nobis est: & patet ex lib. 1 Hist. gentis Anglorum, & *Harpsfeldio* loco citato, cap. 20. & aliis Angliæ Scriptoribus, Ecclesiam Gallicanam misisse in Britanniam SS. *Germanum* & *Lupum* paulo ante adventum *August.* in Angliam, ad Britannicæ Ecclesiæ succurrendum. Et *Beda*, lib. 3. c. 7. narrat *Agilbertum Pontificem Gallum, legendarum gratia scripturarum, non parvo tempore demoratum in Hybernia.* Quinetiam patet ex *Beda* hist. l. 4. cap. 23. *Harpsfeldio* hist. 7. sæc. c. 36. *Surio* & aliis, *Hildam Monialem Calensem* missam in Angliam à S. *Aidano*, & Britannicæ Ecclesiæ communicasse. E contra vero, etiam tum cum in Calensi Monasterio doceret, S. *Marlovium, Brendanum, Sampsonem, Polensem*, circa annum 560. Gallicanæ & Armoricæ Ecclesiæ communicasse, simul & Britannicæ & Hybernicæ, ut constat ex *Harpsfeldio* inter alios, c. 26, 27. Idemque fecisse SS. *Furseam, Ceddam, Foylanum, Ultanum*, S. *Eustachium* S. Columbani discipulum, *Disibodium, Fredegundum, Cedwallam, Oswaldum* Regem, *Wigbertum, Fiacrium, Willibrodum, Columbanum*, qui utrique Ecclesiæ & Britannicæ & Gallicæ communicarunt. Erat ergo Britannia tempore S. *Augustini* Apostoli (ut vocant) Angliæ, Catholica; & consequenter Scotica seu Hibernica. Nam constat ex *Beda*, lib. 2. c. 4. hist. Hybernos, quos Scotos vocant, *similem vitam ac professionem egisse.* Et postea, *Scoti nihil discrepabant in conversatione à Britannis.* Patet autem ex loc. cit. proxime D. *Bedæ*, c. 27. & *Henrico Huntingdoniensi*, hist. lib. 3. *Nec Britannos nec Scotos velle communicare cum Anglis, & eorum Episcopo sancto Augustino, magis quam paganis*; & ratio erat quia videbatur *Augustinus* [illegible] agere cum iis, cogendo eos ut reciperent eum pro Archiepiscopo, & mandatis exterorum se subderent. Cum antiqui mores Ecclesiæ suæ postularent ut omnia inter se synodicè agerent, tum pro Episcoporum ordinationibus, tum

pro aliis negotiis Ecclesiasticis. Verba eorum ex Beda; lib. 2. c. 2. Eccles. hist. sunt, "Quod non possint absque eorum consensu & licentia priscis abdicare moribus. Cum pateat hoc esse contra Canonem Nicæn. 6. qui jubet *priscos mores servari*, & Ephesinum 8. Qui vult *jura Ecclesiarum non tolli, & si tollantur etiam à quovis Patriarcha irritum declaratur ejus factum.* Et mandatur ei, ut *provinciam quam suam fecerit, restituat.* Interim Britannicæ Ecclesiæ mores quinam sint, licet ex Bed. hist. lib. 3. cap. 3. discere.

S. Oswaldus rex, Scoticæ & Britannicæ communionis observator, cupiens habere Antistitem cujus doctrina & ministerio regeretur gens Anglorum, misit ad majores natu Scotorum. Illi tractatum magnum in Concilio quid esset agendum habere cœperunt: decernunt Aidanum dignum Episcopatu, sicque illum ordinantes ad prædicandum miserunt. Quæ consuetudo in Hybernia diu duravit, ut constat ex Sylvestro Giraldo in Topographia Hyberniæ, dist. 3. c. 17. In Hybernia tamen Episcopi se invicem consecrabant, usque ad tempus Eugenii 3. quo missus fuit Papyrius legatus ad constituendum ibi Archiepiscopos. Et ex Huntingdoniensi lib. 3. hist. & Bed. lib. 2. constat & Scotos & Britannos omnia sua communi consensu egisse. Imo ut constat ex Baronio ad ann. 1089. in fine illius anni Lanfrancus Cantuariensis refert, in epistola ad regem Hyberniæ Terdeluacum, consuetudinem regni fuisse, ut Episcopi ab uno Episcopo consecrarentur. Imo Britannicas Ecclesias fuisse Catholicas judicio ipsius Augustini, quocum nolebant communicare, patet ex lib. 2. hist. Bed. c. 2. Nam Augustinus offert Episcopis Britanniæ suam communionem, modo vellent se Ecclesiæ Romanæ conformare in ceremoniis Baptismi, & observatione Paschatis. Quæ ostendunt Britannos convenisse cum Augustino in rebus fidei. Circa hoc obiter nota lapsum Bedæ. Nam in libro de 6. Ætat. mund. anno 4591. scribit Scotos fuisse Quarto-decimanos, & tamen Beda lib. 3. c. 4. ait eos Dominica Pascha celebrasse; quo die constat Anatolium Constantinopolitanum Patriarcham, qui usum suum illis tradidisse asserebatur, Pascha celebrasse. Mores antiqui Britanniæ, vi & potentia Anglo-Saxonum erant abrogati, potius quam synodico consensu. Quod videntes viri sanctissimi Colmannus & socii, maluerunt potius Episcopatum & Monasteria, quam antiquos vivendi mores deserere; ut narrat Bed. l. 3. c. 26.

Hæc cum ita essent, tres status Angliæ volentes antiqui regni jura, potius vi & potentia quam ex Canonum norma ablata, repetere; Ex concessione Canon. 8. Ephesini, an. 24. Hen. 8. c. 12. Statutorum, decreverunt lites intra regni limites terminari sine provocatione ad exteros.

SECTIO IV.

De Catholica Ecclesia Romana.

NImis angusti pectoris sunt, qui Catholicam Ecclesiam Romanam quæ est Universalis & symbolo contenta, ad unum hominem, unamve civitatem coarctant. Nam qualibet civitate, & quocunque homine sigillatim sumptis desinentibus existere, adhuc tamen subsistit Ecclesia Universalis. Dicitur ergo Ecclesia Universalis ex occasione [a] Romana; quia fides quam Romani imperii Imperatores, Reges, Dynastæ, Episcopi, Presbyteri, Doctores, sancti & fideles professi sunt, diffusa fuit per totum imperium Romanum, ac consequenter per totum orbem, πᾶσ τὴν οἰκουμένην. Luc. 2. v. 1. Inde evenit quod fides per tot sæcula recepta in toto œcumenico & universali imperio, fides œcumenica, universalis & catholica merito vocaretur; & per consequens Ecclesia illam profitens, Universalis, Catholica, & Romana diceretur. Hinc sequitur eos qui aiunt se à Romana Ecclesia discedere, fateri debere se *Ambrosii*, *Augustini*, & aliorum sanctorum fidem per Romanum imperium diffusam tenentium, consortium & societatem & Ecclesiam renuere. Quod quam periculosum dici sit, cuivis pervium esse poterit.

Paralipomena ad Sect. IV.

[a] Videatur in hanc rem lib. 1. cod. *Justin.* tit. 2 de sacro-sanctis Ecclesiis per totum: & tit. 3. de Episcopis & Clericis. Ex quibus constat solos Catholicos Episcopos & fideles, esse illos quorum religiosa professio & personæ muniuntur Imperii

perii Romani legibus. E contra vero, *Hæreses* Catholici imperii fidei discrepantes, asseruntur esse *vetita Romani imperii constitutionibus Imperialibus.* Cod. de *Heret* tit. 5. cap. 2. *quia*, & ibid. c. 1. dicitur, "Privilegia quæ contemplatione Religionis indulta "sunt, Catholicæ tantum legis observatoribus prodesse oportet. Et c. 3 *Adimit* Imperator cunctis *Hæreticis omnia loca quæ sub Ecclesiarum nomine tenentur.* Restat ergo quod Ecclesia Catholica sola quæ gaudet privilegiis & approbatione Romani imperii sit Romana, & hinc factum est ut Hieron. ep.85. *Romanæ urbis Ecclesia, praferat Romani Orbis Ecclesiam & Authoritatem*; Et *Ecclesiam orbis* vocat *nationes omnes unum Christum adorantes, unam observantes* regulam, & negat illam authoritatem majorem, qua orbis major est urbe, haberi ratione Episcopi Romani, quia "Episcopus Romæ & Eugubii ejusdem "meriti, ejusdem Sacerdotii, omnes Apostolorum successores. Hinc factum ut Theodosius Junior in Epistola ad Acacium Beræensem, quæ extat in actis synodi Ephesinæ, tom. 5. cap. 10. edit. Peltan. & Victor Uticensis de persecut. Vandalica lib. 2. Gregorius Turonensis de glor. Martyr. c. 79. 25. & 30. Et Baron. Tom. 1. Annal. ad an. Chr. 45. num. 10 partim vocent, partim dici asserunt Catholicos, tam apud nostros quam apud exteros, Romanos. Constat enim ex Eusebio hist. Eccles. lib. 9. cap. 1. & passim ex Sozomeno, Socrate, Evagrio & aliis, omnes qui spectabant ad imperium Romanum ratione privilegiorum aut subjectionis, solitos dici Romanos. Et notatu dignum est ex legatione Luitprandi Cremonensis ad Nicephorum imperatorem pro Othone & Adelbarda, Græcum imperatorem ad contumeliam inferendum Occidentalibus, qui defecerant ab imperio Græcorum, sic dixisse: *Vos non Romani, sed Longobardi estis.* Et eruditè Henricus Canisius not. marg. ad Luitpr. legat. pag. 87. edit. Ingolstadii ann. 1600. notat ex Niceta Curopalata, & aliis notum esse Græcos nomen Romanum sibi proprium fecisse; quippe se solos Romanos, reliquos verò Latinos vocant. Quod & disci potest ex hist. *Turco-Græca Johannis Molani.* Quare sicut Græci extra Italiam nati, gestiunt se Romanos vocari, eo quod Romanum imperium ad ipsos, vel ipsi ad Romanum imperium spectare reputentur: Ita Catholici extra fines Italorum degentes, Romani audient eo quod fidem illam colunt, quam Imperatores Romani privilegiis donarunt & edictis suis munierunt. Huc spectat confessio Concilii Constant. in præfat. ad sess. 8. *Sacrosancta Constantiensis Synodus, Generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans.* Et paulo post, huic Articulo Wicklefi, *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam supremam esse inter alias Ecclesias*; hæc censura subjuncta est, ab eodem Concilio, *viz. Error est si per Romanam Ecclesiam, universalem Ecclesiam, aut Concilium Generale; aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias.*

Isidor. de off. Eccles. lib. 1. c. 1. dicit Ecclesiam dici Catholicam, quia per Universum mundum est constituta, ac per arg. à proportione, Ecclesiam rectè dici Romanam, quia per Universum imperium Romanum constituta erat. Adde his conjecturam doctissimi & integerrimi viri Petri Aliacensis quæst. vesp. art. 2. dist. 3. quæ penè coincidit sententiæ jam traditæ, ait namque *Romanam Ecclesiam sumi pro omnibus credentibus fidem Apostolicam prædicatam Romanis*, & sic, "Universalis ecclesia "Romana & omnes fideles possent appellari Romani, & isto modo sumitur ecclesia "Romana, ubicunque innuitur quod contra fidem errare non potest. Vocati sunt ergo Romani ab Aliacensi qui receperant fidem in Romano imperio prædicatam, quam profitentes quia fruuntur privilegiis imperii, reputantur quasi civitate donati: & eo sensu ubicunque nati Romani censentur: ut constat de Paulo, Act. 22. v. 27, 28. & Imperat. Justinian. in procem. ad 50. libros Digest. tit. de Conceptione Digest. num. 4. *Ubicunque observatum dicitur Romanum*, & num. 6. *Imperator Romanus* ait, *omnia nostra facimus, quibus ex nobis impertitur authoritas*: & tit. 5. 1. Inst. *Liberti omnes* dicuntur *civitate Romana decorari.*

SECTIO V.

De Justificatione per fidem, de Meritis, bonis Operibus, & Certitudine Salutis.

PER fidem [a] vivam & operativam, qua credimus peccata omnia & pœnas omnes eis debitas, nobis confidentibus in Christum condonari, admittimur ad participationem meritorum Christi, ad purificationem per sanguinem ejus, ad copiosam redemptionem & remissionem peccatorum, quoad pœnam & culpam omnem; denique ad pacem & reconciliationem cum Deo. Opera [b] bona qua opera sunt, id est, spectant ad mandatum, *fac hoc*, non justificant, sed solum quatenus sunt actus fidei justificantis, eliciti aut imperati ab ea. Nam sancti per fidem operantur justitiam: Ac à Deo bona opera sunt, & merita nostra omnia sunt miserationis Domini. Meremur non ex debito operum, sed ex misericordia per fidem concessa.

Cum vero fides sit scientia salutis, & credere sit quoddam scire; sequitur, quod quemadmodum sciens scit se scire, ita quisquis ad salutem credit, credit se credere salutari fide; ex quo efficitur piè in Christum credentes, certos esse de sua fide justificante, qua justi sunt.

Paralipomena ad Sect. V.

[a] Gloriosum & liberale Testamentum Christi confirmatum nobis in morte testatoris scribitur ad Heb. 8, & 10. in eo consistere, quod *peccatorum non recordabitur amplius.* Fides ergo Novi Testamenti credit eos qui spectant ad Testamentum hoc, habere remissionem peccatorum & pœnarum omnium. Nam verè recordatur peccatorum qui habet in animo ea punire.

Sola fide nos justificari expresse asserunt Paulus Rom. 3, & 4. Ambrosius in Ep. ad Rom. 4. 1 Cor. 1. Hesychius lib. 4. c. 2. in Lev. Marius Victor in Genes. Chrysost. in Rom. 4. hom. 8. circa initium. in Heb. cap. 11. Hom. 23. & Hom. & ad Rom. 3. Hom. 7. Theodoret. in Ephes. 2. Basil serm. de humilitate. Orig. in Rom. 3. Hilarius de Paralytico, Comment. in Matth. cap. 8. Bernard. serm. 22. in Cant. Aug. serm. 181. de tempore, & contra duas Epist. Pelagian. lib. 1. c. 21. Tertullianus (factus Montanista) in lib. de Jejuniis, c. 2. Catholicis id dictum imputat, *Credam, Diligam Deum & proximum, mihi cætera non sunt necessaria*, &c. Cyprian. lib. 3. ad *Quirin.* c. 42. *fidem tantum prodesse, & tantum nos posse quantum credimus.* Leo magnus Ep. 78. *Catholica fides sola vivificat, sola sanctificat.* S. Petrus Chrysologus serm. 33. *diu laborat, qui fide sola nescit curari*, serm. 34. *sola fides totum proficit ad salutem.* Conradus Clingius in Catechismo Catholico, lib. 1. c. 58. *Dei promissioni siquis credit & non dubitat, hæc fides facit Deo acceptum; fides simpliciter hæreat verbo Dei, & sine hæsitatione duret in verbi fide, & non videbit mortem in æternum*, Jo. 8. Rom. 10. *Omnis qui credit in illum*, &c.

Notanda est maxima hæc differentia Legis & Evangelii: Lex sub conditione promittit mercedem, & si servavero legem & præceptum. habeo bona temporalia, Deut. 28. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Mat. 19. Evangelium autem sine conditione, gratis propter fidem in Christum pronunciat nos justos, i. e. acceptos esse Deo, etiamsi non satisfaciamus legi. Ita conscientia sit certa se habere remissionem peccatorum. Qui igitur sic docent, si contritio est sufficiens, consequeris remissionem; si servasti sufficienter præcepta, intrabis in regnum cœlorum; isti asserunt conditionem legis, & relinquunt conscientiam incertam de remissione, & illa dubitatio maximè evacuat Evangelium. Cassander in consult. art. 4. "Hominem gratis justificari per fidem, "semper in Ecclesia probatum & retentum fuit; & hodie quoque ab omnibus Ec-"clesiasticis scriptoribus approbatur. Et ibidem de Enchiridio Colon. Concil. ann. 36. post 500. edito, ait, "Esse librum ab omnibus eruditioribus Theologis, etiam per "Italiam & Galliam summopere collaudatum; ut qui summam sententiæ veterum "de Christiana Religione, ex quorum scriptis quasi conformatus est, pulcherrimè re-"ferat. In eo igitur sic legitur. Dicimus hominem per fidem donum justificationis

"tum

" tum demum consequi, cum & perterrefactus & concussus poenitentia, rursus erigitur " per fidem, credens remissa esse sibi peccata propter meritum Christi, qui in se credentibus, remissionem peccatorum pollicitus est. Et cum novum in se sentit affectum, " quo detestans malum & carnis infirmitati resistens, ad bonum faciendum intus accenditur; tametsi affectus nondum perfectus sit. Fatemur verum esse, ad justificationem " hominis omnino requiri, ut homo certo credat non tantum generaliter, quod propter " Christum verè remittantur poenitentibus peccata; sed & quod ipsi homini remissa " sunt propter Christum per fidem. Liber Ratisbonensis *Caroli* 5. authoritate editus, ita de justificatione ait, " firma & sana doctrina est, per fidem vivam & efficacem justificari " peccatorem. Vocamus autem fidem vivam, motum Spiritus sancti, quo verè poenitentes veteris vitæ, eriguntur ad Deum, & vere apprehendunt misericordiam in " Christo promissam: ut jam verè sentiant, quod remissionem peccatorum & reconciliationem propter meritum Christi, gratuita Dei bonitate acceperunt.

[b] *De bonis operibus & meritis candidè intellectis, pugna non est*, ait *Cassander*, art. 6. Consult. Intelligentiam autem sinceram, quam Catholici Romani, & Protestantes amplexantur, ablata λογομαχία explicat ex disputatis *Buceri* Ratisbonæ ann. 1546. " Si " sancti Patres (inquit *Bucerus*) aut alii intelligant per [Mereri] facere ex fide gratiæ " Dei bona opera quibus Deus mercedem promisit, & rependet; hoc sensu usurpare " illud verbum minimè damnabimus. Subdit *Cassander* suum judicium. " Quo, autem, " sensu hoc vocabulo *meriti* & *merendi* usi sunt Patres & Catholici, obscurum non est, " nempe ut per illud, gratiæ Dei, ex qua merita omnia oriuntur, nihil detrahatur. " Quare nihil est, cur aut Ecclesiastici ab hac loquendi forma & sententia in Ecclesia " olim usitata discedant, aut Protestantes eam tam odiose repudient & damnent.

Docetur itaque à Catholicis *meritum* sic, ut etiam doceatur ex Patribus, quod habet *Greg.* in Hom. 1. in Ezechielem. *Non in actibus nostris, sed in Advocati nostri allegatione confidimus; Qui advocatus omnium piorum spes una est*, (ut ait *Augusti.* contra duas Epistolas *Pelagii* lib. 3. c. 5.) & ita ut doceatur (verbis utar *Cassandri* loco proximè citato) *non prætermittendam doctrinam quam summo consensu veteres omnes tradunt, fiduciam remissionis peccatorum, & spem veniæ & vitæ æternæ, in sola Dei misericordia & merito Christi esse collocandam.*

Certitudinem infallibilem salutis apertè docet *Bernard.* Serm. 1. de annunciat. ubi loquens de fide divina & infallibili, qua credimus peccata non posse deleri, nisi ab eo cui soli peccamus; addit huic fidei, aliud spectans ad fidem illam divinam. " Adde " hoc ut & hoc credas, quia per ipsum peccata tibi condonantur. Hoc est Testimonium " quod perhibet in corde spiritus sanctus dicens, Demissa sunt peccata tua. Idem Epist. 107. Serm. 5. de dedicat. Serm. 8. & 69. in Cantic. *Augustin.* lib. 13. de Trinitate, cap. 1. " Fidem porro ipsam quam videt quisque in corde suo esse, si credit; vel non esse, si " non credit, aliter novimus: non sicut corpora quæ videmus oculis corporeis, & per " ipsorum imagines quas memoria tenemus, etiam absentia cogitamus; nec sicut ea " quæ non vidimus, & ex iis quæ vidimus cogitatione utcunque formamus, & memoriæ " commendamus; nec sicut Dominum vivum, cujus animam, etiamsi non videmus, ex " nostra conjicimus, & ex motibus corporalibus hominem vivum, sicut videndo didicimus, intuemur etiam cogitando. Non sic videtur fides in corde in quo est, ab eo " cujus est; sed eam tenet certissima scientia, clamatque conscientia. Id quod credere " jubemur, videre non possumus; ipsam tamen fidem, quando inest in nobis, videmus " in nobis. Idem docet tract. 75. in Johannem; & idem insinuat *Greg.* Dial. l. 1. cap. 1 & lib. 6. Reg. cap. 23. ubi docet *evidentiam & formidinis consumptionem. Tertull.* c. 39. Apol. vocat nos *certos de Dei conspectu.* Et lib. 20. de cultu foem. c. 20. *securi simus de conscientia nostra.* Lib. de Bapt. c. 18. *fides integra secura est de salute.* Lib. de resurr. carn. c. 34. *Nobis arrabonem spiritus reliquit; securi estote caro & sanguis, usurpastis cœlum & regnum Dei in Christo.* In Scorpiaco. c. 1. *fides de suo tuta est.* lib. 4. carm. contra Marc. c. 8. *Puraque fide certaque salute, Æternam toto sperantes tempore vitam. Cypr.* lib. 3. Epist. 25. triumphum Christiani in eo ponit, quod sit de *Judicii die securus, ambulet captivo corpore, corde regnante, sciat Christum secum esse præsentem.* lib. 4. Epist. 4 *securus sit quia pax ventura est.* Idem tract. contra Demetrianum, & Serm. de mortalitate. " Si verè in Deum " credis, cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad " Christum voceris, amplecteris? Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus " fluctuas? Hoc est in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere. Mori " planè timeat, sed qui ex aqua & spiritu non renatus gehennæ ignibus mancipatur. Et de Exhort. Martyr c. 10. & lib. 3. ad Quirinum c. 2. & 58. similia habet. *Leo* mag. Serm. in anniverf. Assumpt. *nemo diffidat.* Serm. 1. in Nativ. Serm. 8. in Epiph. Serm. 6. & 9.

& 9. de Quadragef. Item Serm. 3. de paff. Item Serm. 15. de paff. & de Refurrec. Serm. 1, & 2. *ita dubitandum non eſt credentibus in eum de conſortio gloria, ſicut dubitandum non eſt de communione natura, ſi corde credimus, ſumus in ipſo ſuſcitati.* Serm. in Jejunium decimi menfis, *Nemo ambigat, nemo diffidat.* S. *Maximus* Hom. 3. de Nat. Domini, Hom. 2. de Latrone, Hom. 2. de Pafch. Hom. 3. de Pafcha. *Petrus Chryſologus* Serm. 17, 21, 25, 28. *Ambroſ.* in Epift. ad *Horontium* lib. 5. de Jacob & vita beata, lib. 1. c. 6. Serm. 7. in Pfal. 118. ferm. 5. *Baſil.* Reg. contract. 9. 296. *Cyrill. Alexand.* in Joannem lib. 10. c. 3. *Chryſoſt.* in Epift. ad Rom. 8. Hom. 14. *Anſelm.* in Epift. ad Rom. 8. & in 2 ad Corinth. 13. *Rhemigius* in Pfal. 10. *Theophylact.* in Marc. 11. *Alenſis* in 2. D. Th. q. 12. Art. 20. *per ſcientiam experimentalem poſſumus ſcire nos habere gratiam.* S. *Thom.* 1, 2. quæft. 112. art. 5. ad 2. *Quicunque habet ſcientiam vel fidem, certus eſt ſe habere.* *Scotus* lib. 3. dift. 23. *Credo me habere fidem infuſam, ſicut credo Deum eſſe trinum & unum.* *Cajetan.* in Rom. 8. *Credo quod ſum filius Dei.* *Anton. Marinarius* orat. habita in Conc. Trident. 1546. *Claudius Guillandus Bellavicenſis*, Comment. in Epift. 2. ad Tim. ult. *Hieronymus* ab *Angeſta Catharinus* ann. 1552. edidit Romæ impreffum tractatum, comprehenfum 14. affertionibus, de certitudine gratiæ ex fide veniente; & notat affert. 5. de *ea ſcholaſticos, & præſertim D. Thomam variè & obſcurè docere, quod cuivis poteſt patere, inſpecto loco proximè citato ab eo.* Et obfervat bene ex *Roffenſi* contra Luth. de lib. arb. *patrum ſententias explorandas, adverſus quas non ſunt admittenda argutia ſcholaſticorum.* Et defenfione feu expurgatione contra D. *Sotum* 1551. impref. *Lugduni*, citat pro fe pag. 88. *Baconium, quem totus ordo Carmelitarum ſequitur*; & *in ſynod. Trident.* afferit *pro hac certitudine ſententiam dixiſſe duos generales miniſtros Ordinis Minorum*; & *ejuſdem ordinis, Himellum Card. S. Crucis*; *Epiſcopum Lavellanum, Epiſcopum Senagallenſem, Generalem Carmelitarum, Ludovicum Canaſilem Card. Doctorem Italum, pluresque Doctores Italos & Hiſpanos non obſcuri nominis cujuſcunque ordinis, tum religioſos, tum ſeculares.* Ita pag. 178. fuæ expurgationis.

SECTIO VI.

De Sacramentis in genere.

PUlchre B. *Petrus Chryſologus* Serm. 56. tractans illud *Pauli* ad Rom. 10. ait, Corde creditur ad juftitiam, ore autem confeffio fit ad falutem, *magnum fidei noſtra videmus eſſe compendium: quomodo inter cor & linguam totum ſalutis humana verſatur, & geritur Sacramentum —— Totum in ſe habet Homo qui ſe habet.* Cum autem tota noftra juftificatio, falvatio & unio cum Chrifto, Gal. 3. v. 28. reducatur ad folam [a] fidem oris feu exteriorem profeffionem, vel ad fidem cordis, feu interiorem credendi actum; fequitur quod Sacramenta per quæ juftificamur, pertineant ad ufum fidei, non internum fed externum: Sacramenta igitur, qua funt fidei profeffiones à Deo inftitutæ, fiunt & fumuntur ad falutem animæ noftræ.

Etfi autem inter alia Sacramenta duo [b] fint maximè præcipua & illuftria, Baptifmus & Euchariftia: tamen ultra [c] duo illa, aliæ quinque funt folennes fidei profeffiones, verè conferentes falutem & juftificationem: quorum folennis ufus & receptio, fine miniftrorum Ecclefiæ interventu & ope, exerceri nequit; quæ propterea fpeciali nota vocantur Sacramenta; & ad feptenarium numerum precisè reducuntur, eoque nomine ab Ecclefia rite celebrantur.

Paralipomena ad Sect. VI.

[a] D. *Thomas* 22. q. 3. a. 1. in corp. & Scholaftici communi confenfu cum eo tenent, "Quod ficut conceptus eorum quæ funt fidei, eft propriè actus fidei: ita etiam & exte-
"rior confeffio, *& reddit rationem, nam* actus exteriores illius virtutis propriè funt actus,
"ad cujus fines fecundum fuas fpecies referuntur. Confeffio autem eorum quæ funt
"fidei, fecundum fuam fpeciem ordinatur ficut ad finem, ad id quod eft fidei. Exterior
"enim locutio, ordinatur ad fignificandum id quod in corde concipitur.

[b] *Rupertus Tuitienſis* de victoria verbi Dei lib. 12 c. 2. petit, quæ & quæ fint præcipua falutis noftræ Sacramenta. Refpondet, *ſacrum Baptiſma, ſancta corporis & ſanguinis Chriſti*

Christi Eucharistia. Hugo de S. victore lib. de Sacr. par. 9. cap. 6. vocat dicta duo Sacramenta, "ea in quibus principaliter salus consistit & percipitur; sunt alia quæ si ne-"cessaria non sint ad salutem, quia sine his salus haberi potest, proficiunt tamen ad san-"ctificationem. Alens. *part.* 4. *q.* 8. *a.* 2. *ait*, "duo prædicta Sacramenta esse sola prin-"cipalia à Deo per seipsum instituta. Cassander *in consult. cap.* 13. "In hoc certè con-"troversia nulla est, duo esse præcipua salutis nostræ Sacramenta, in quibus principa-"liter salus constat & percipitur. Quomodo loquitur Rupertus Tuitiensis, *&* Hugo "de S. Victore. Et hoc instituto etiam Paschasius de Euchar. *c.* 3. "duorum tantum "præcipue dictorum Sacramentorum meminit.

[c] Constat ex eis rationibus quas D. *Thomas* limavit ad colligendum numerum Sacramentorum; Ecclesiam relinquere diligentiæ Doctorum Catholicorum, ut investigent congruentiæ rationes ad concludendum numerum Sacramentorum. Itaque qui melius de ea re divinaverit, palmam videtur obtinuisse. Hæc autem nostræ divinationis ratio est, quia nisi in numero Sacramentorum consideremus illustrem & solennem usum eorum, quæ dependent à ministerio sacerdotum, numerus facile excedet septenarium ex calculis Patrum & Doctorum. Nam *Cyprian.* seu potius *Arnold Bonaval.* in tract. de ablutione pedum, videtur ablutioni pedum tribuere, quod sit *ultima lavacri species, quotidianis expiationibus accommodata, per quam anima sordes lavantur.*

Ambros. lib. 3. de Sacr. c. 1. *ablutionem pedum* ait *mysterium esse & sanctificationem*: & negat eam esse solum *ministerium humilitatis*, prout dicunt ii qui Romanam Ecclesiam excusare conantur, omittentem hoc mysterium. "Vide ergo *ait* Ambros. ne Romana Ec-"clesia forte propter multitudinem eam declinavit. Hoc dico, non ut alios reprehen-"dam, sed mea officia ipse commendem. Ideo quod alibi rectius servatur, & nos rectè "custodimus. *Aitque se sequi* "Petrum sacerdotem Romanæ Ecclesiæ, cum agnoscit "subsidium sanctificationis ex lotione contra insidias serpentis, qui supplantare conatur "pedes nostros. Bernardus *etiam Serm.* 2. *in cœna Domini, ait*, "Petrum vidisse in "lotione pedum magna humilitatis indicia, ignorasse tamen hujus rei mysterium, "quod sciret postea, cito majora videbis; mysterium est. Et *Bernard.* conatur fusè id mysterium explicare in eodem Sermone. Imo *Augustinus* qui censet numerum Sacramentorum ex Scripturis definiendum, præscindendo ab illustri usu limitato ad ministros Ecclesiæ, videtur innuere numerum Sacramentorum indefinitum. Nam l. 19. contra *Faust.* c. 16. distinguit *Sacramenta* nostra à veteribus, quod *hæc facienda significant, illa vero facta enunciant*: & de utrisque ait, *quid sunt aliud quæque corporalia Sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia, sed sacro-sancta.* Et Epist. 5 *rerum*, ait, *divinitus impertitarum, vel imbuendo virtutibus animo, vel æternæ saluti adipiscendæ, quædam signa sunt; quorum celebratione atque functione, non Deo sed nobis, utilia pietatis officia exercentur. Nimis autem longum est convenienter disputare de varietate signorum, quæ cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Et Epist. 118. & de Doctrina Christiana lib. 3. c. 9. rem indeterminatam relinquit: nam recensitis duobus præcipuis Sacramentis, quæ vocat *numero paucissima, observatione facillima, significatione præstantissima*; addit, *& si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* Idem facit *Ambros.* l. 1. de Sacrament. c. 6. qui profitetur se de *numero & meritis eorum dicere ea quæ colligere possit de serie Scripturarum.* Sumendo Sacramentum pro signo, & sancta protestatione rei sacræ, absque arctatione ad ministros Ecclesiæ; condonatio injuriarum Sacramentum erit, quando usurpatur eo animo, ut protester remissionem peccatorum exinde deberi: juxta id Matth. 6. 14. & idem est de prædicatione verbi, ut gratiam Dei recipiant, 2 Cor. 6. 1. Et ut fides ex auditu, Rom. 10. v. 14. De elargitione calicis aquæ frigidæ, Matth. 10. v. 42. quando fit ad protestandum mercedem mihi deberi: & par ratio est de quavis fidei confessione, per quodvis bonum opus, ad significandum eam fore mihi ad salutem. Rom. 10. v. 10. ac per consequens numerus Sacramentorum erit innumerus. Ita *Alexander* 1. Papa Epist. 1. "In aqua benedicta, "virtute sacrorum verborum divinitus sacrari elementa, *dicit. Ita* August. *lib.* 2. *de peccat. meritis & remiss. c.* 26. *ait*, "Catechumenos sanctificari per signum crucis, per orati-"onem impositionis manuum, per id cibi quod accipiunt, quod quamvis non sit corpus "Christi, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramen-"tum est. *Denique ex* August. *lib.* 19. *contra Faust. c.* 14. "patet Sacramenta veterum "fuisse prænunciationes futurorum: nostra vero enunciationes revelationis fidei, ex "qua, munere pietatis, intellecta etiam vivimus: quia in hac vita nemo potest esse justus, "nisi qui ex fide vivit. Ita *August.* apertè vult Sacramenta esse confessiones speciales fidei, & (ut ipse loquitur c. 16. l. 19. citati) *Quasdem locutiones seu verba visibilia sacrosancta fidei in Christum.*

Confirmari

Confirmari id potest, ex illustri loco tract. 80. Expos. in Joan. à paucis bene perpenso; ubi sic ait, *Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis, Quare non ait, mundi estis propter Baptismum quo loti estis, nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Unde ista tanta virtus aquæ ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur.* In quibus verbis continetur, & vocem & elementum in Baptismo esse quoddam verbum fidei, seu confessionem actumque externum ejus: & sub ea ratione Baptismus mundat. Et idem est de aliis Sacramentis in quibus mundatio non debet tribui actioni exteriori, prout provenit à natura; sed prout elicitur à fide, & virtutem ejus in se continet. Quod sic docet *August. Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10 8. v. 9, 10. *Unde in Act. legitur fide mundans corda eorum*; Act. 15. 9. *Et in Epistola sua B. Petrus sic, & vos, inquit, Baptismus salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio, hoc est verbum fidei quod prædicamus*, 1 Pet. 3. 21. Ubi apertè exponit verbum fidei esse confessionem fidei in Sacramento, facto visibili verbo per virtutem fidei. Et siquis dicat & objiciat, Hæreticus Baptizans caret fide, & tamen baptizat; non igitur Baptismus est confessio fidei. Respondet *August.* "Baptismum esse confessionem fidei Ecclesiæ, cujus quilibet Baptizans est minister. Hoc verbum fidei, *ait*, tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum, credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem in corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem. Reducit igitur totam mundationem in Sacramentis ad verbum fidei, sicut alibi tota justitia & salus à *Paulo* reduci dicitur ad fidem oris: vid *August.* Epist. 23. ubi explicat *infantes Baptizatos dici fidem habere, quia habent Baptismum, quod est sacramentum fidei.* Colligi autem potest ex eodem *August.* lib. 19. citato, c. 2. ratio cur Ecclesia exactius observaverit quasdam fidei speciales professiones, ope pastorum Ecclesiæ celebrandas; quia potissimus scopus Christi in instituendis Sacramentis est, ut ait ibi, *coagulare homines in nomen religionis, eosque colligare signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio. Et ad hunc finem*, ait, *Sacramentorum vim inenarrabiliter valere plurimum, & ideo contemptum sacrilegos facere. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.* Et quia in colligatione membrorum inter se, potissima ratio habetur sacerdotum: ideo Ecclesia agnovit 7. Sacramenta, quæ usum illustrem sacerdotum requirunt. Ut inde appareat quod docet *Cyprianus* lib. 7. Epist. 9. *Christianorum Ecclesiam esse plebem sacerdoti adunatam, & gregem pastori adhærentem*, seu per Sacramenta colligatam, ut cum *August.* loquar. Unde *Cypr.* tract. de simpl. prælat. commendat *Sacramentum unitatis Ecclesiæ*, & *Sacramentum vestis inconsutilis Christi.* Ac propterea Ecclesiæ typus, domus Rahab, Pascha, Columba, quia *columbæ volatibus invicem cohærent, communi conversatione vitam degunt, oris osculo pacis concordiam agnoscunt, legem circa omnia unanimitatis implent.* Unde *Cypr.* l. 1. Epist. 4 Ubi loquens de Hæreticis exclusis à Sacramentis & communione Ecclesiastica, ait, *omnes ad peccatum constringi qui profani sacerdotis sacrificio contaminentur; à peccatore Præposito separare se debent, nec se ad sacrificia ejus miscere.* Ergo verum fit quod ingenuè fatetur *Cassander* art. 13. consult. *apud paulo vetustiores, inter Sacramenta propriè dicta, nunc duo Sacramenta poni, nunc tria* (ut fit ab *August.* lib. 19. contra Faust. c. 14. ubi signum Christi adnumerat Baptismo & Eucharistiæ) "nunc quatuor; quod apertè fit à Rhabano lib. de institutione clericorum; adeo ut reliqua Sacramenta nullo certo numero ab illis antiquioribus Scriptoribus comprehensa legamus. Nec temere quenquam reperias ante Petrum Lumbardum, qui certum aliquem & definitum Sacramentorum numerum statuerit. Tamen cum jam aliquot seculis, præsertim apud Latinos hæc sententia recepta sit, quæ Sacramenta Ecclesiastica ad hunc septenarium numerum in Scripturis divinis celebrem redegit, merito ejus rei causa contendendum non erit præsertim cum reliquæ illæ actiones sacræ, quæ his præcipuè Sacramentis annumerantur, & de divinis literis testimonia habeant, & à veteribus Sacramenti nomine peculiari quadam ratione ornata legantur. Quæ omnia a fortiori locum habeant, quandoquidem præter communem consensum Ecclesiæ Latinæ, Orientalis Ecclesiæ adstipulatio nobis adsit; quæ duæ conspirantes, non modo probabilem, sed & observatu necessarium hunc numerum Catholicis proferunt. Censura igitur Orientalis, authoritate publica edita à *Hieremia* Patriarcha c. 7. sic se habet, *in Catholica & Orthodoxa Ecclesia septem divina Sacramenta & ritus sunt.*

SECTIO

SECTIO VII.

De Baptismo, Eucharistia, Missa, & Precibus in lingua vulgari.

CRedi debet ex [a] Scripturis Pædobaptismus, per quem regnum cœlorum ad infantes pertinet. Baptismus enim, ut ante ex August. docui, *est verbum fidei quo per Ecclesiam mundantur.*

[b] De Eucharistia pronunciari debet, quod scribit ven. Rupertus Abbas in cap. 6. Johannis lib. 6. comment. " Timenda est illa maledictio (Apoc. 22.) ut non detra-" hamus vel opponamus quicquam verbis dicentis, Hoc est corpus meum quod pro " vobis tradetur, Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in " remissionem peccatorum: cum enim illo dicente, Hoc est corpus meum, nos ap-" posuerimus subauditionem, dicentes figurativum vel per similitudinem dictum, cum " inquam, illo dicente, Hoc est corpus, nos dixerimus *hoc* significat corpus, nonne " multum est, quod opponimus, vel prava diminutione detrahimus, & sensum genera-" mus, quem tantus author Deus & homo nusquam locutus est, nec ascendit unquam " in cor ejus? Cum objicit quis quod itidem dixerit eadem veritas, Ego sum vitis, " Jo. 15. tam audacter quam imperitè in argumentum mendosum illud attrahit, cum " statim sequentia verba dicentis, Sicut palmes non potest fructum ferre à seipso, nisi " manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis; manifestè per similitudinem di-" ctum compellunt intelligi, præsertim cum non signanter dixerit, Ego sum hæc vitis, " sicut signanter dixit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, apposita proti-" nus descriptione veræ proprietatis; de corpore inquiens quod pro vobis tradetur, " de sanguine autem qui pro multis effundetur. Igitur ne veniant super nos plagæ " novissimæ, neque apponamus neque diminuamus quicquam divinæ definitioni vel de-" scriptioni, quam verbum incarnatum ore proprio depromsit. Imo quia perfecta " charitas foras mittit timorem, non tam plagarum timore, quam veritatis amore con-" fitemur, quia panis iste corporeus, postquam signaverit eum Pater, & vinum hoc " expressum acinis præsentibus, mox ut eodem signo signatum est per manus Ecclesiæ " dicentis, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu Chri-" sti, &c. usque in mei memoriam facietis: corpus & sanguis ejus fit qui hujus eru-" ditionis author est: & hoc sacrificium ipse Christus est, cujus passione, ut sacrificium " fieret, à Deo Patre in veritate signatum est.

[c] Assertio Transubstantiationis, seu mutationis substantialis panis, licet sit opinio communior, non tamen est fides Ecclesiæ: & Scripturæ & Patres docentes *μετουσίαν*, sufficienter exponi possunt de admiranda & supernaturali mutatione panis, per præsentiam corporis Christi ei accedentem, sine substantialis panis desitione.

[d] Communio sub utraque specie, Scripturis, patribus & universalis Ecclesiæ antiquæ consuetudini est conformior: ac per se loquendo à jure divino præscribitur; & idem est dicendum de [e] communione adstantium Missæ: esto, per accidens potest fieri, ut & Presbyter solus & plebs sub una tantum specie communicent.

[f] Scripturis magis consonat, ut Epistola, Evangelium, & preces publicæ in Missa & officio divino, quæ spectant ad doctrinam & ædificationem, legantur in lingua vulgari, quam plebs intelligit. At verò quæ sacerdos secretè profert in Canone ad sanctificationem elementorum, & sacramentorum *ἱερουργίαν* pertinent, permanere possunt in Latina, aut alia consueta lingua quam Sacerdos novit.

[g] Cum unicum sit sacrificium crucis propriè dictum efficax & sempiternum, in Missa non sit nova iteratio sacrificii alterius propriè dicti: rite tamen in Missa dicitur à SS. patribus (S. August. de civit. Dei l. 10. c. 6. Greg. Dial. l. 4. c. 59. Justin. Apol. 2.) offerri & sacrificari corpus Christi; primo eo sensu, quo asserunt Ecclesiam offerre in Missa semetipsam & preces. Secundo quia in Missa [h] repræsentatur & commemoratur sacrificium crucis & passionis Christi, nuncupatur sacrificium commemorativum. Tertio capiendo sacrificium passivè pro [i] sacrificato noviter applicato nobis, asseritur ritè sacrificium Missæ; quia in ea continetur corpus Christi, quod fuit verè sacrificatum in unico illo sacrificio crucis, quo alia omnia sacrificia consummavit.

Paralipomena ad Sect. VII.

[a] Afferunt Pædobaptiſmum; eumque ex Scripturis ſolidè & nervosè deducunt ſequentes Patres. Irenæus contra hæreſ. lib. 2. c. 39. Tertull. de Anima c. 39. ſecundum Pamel. edit. Origen. in c. 6. Epiſt. ad Rom. lib. 5. Idem in Luc. hom. 14. & in Levit. hom. 8. Dionyſ. de Eccleſiaſtica Hierarchia. Cypr. l. 3. Epiſt. 8. Greg. Nazian. in ſanctum lavacrum Orat. 3. Chryſoſt. hom. ad Neophytos de Baptizatis, & hom. 40. in Geneſ. & in Pſal. 14. & hom. de Adam & Eva. Ambroſ. l. 10. Epiſt. 48. ad Demetriadem virg. Item in Lucam. Hieron. ad Lætam de inſtit. filiæ. Item l. 3. adv. Pelag. Auguſt. de Baptiſt. contra Donatiſt. lib. 4. c. 23. & de verbis Apoſtoli. Serm. 14. & Epiſt. 89. Enchirid. c. 42. & 43. Proſper de vocat. gent. l. 2. c. 4. Auguſt. de Geneſ. ad literam l. 10. c. 23. ſibi alibi diſſentiens, ait, "Conſue-"tudinem baptizandi parvulos non omnino credendum, niſi Apoſtolica eſſet traditio. Concil. Carthag. Conc. Milevitanum. Theodoret. in Epitome divinorum decretorum cap. 18. Leo Papa ad Epiſcopum Aquilienſem. Caſſander in tract. de Bapt. parvul. & Bellar. lib. 1. de ſacro bapt. c. 9. confitetur *Pædobaptiſmum colligi ſatis apertè ex Scripturis*; quas poſt urget c. 8. dicti libri.

[b] Ponenda hic eſt ingenua confeſſio Calvin. tractat. de cœn. Domini, & Spalat. de rep. Eccleſ. lib. 7. c. 11. num. 7, 8. "Volui (inquit Spalatenſis) dum hæc impri-"menda parabam, planè ſententiam Calvinini cognoſcere: Atque hæc quæ ſequuntur "dicta in ejus opuſculis reperi. Blaſphemia eſt negare in cœna Domini offerri veram "Chriſti communicationem. Intelligimus Chriſtum nobis in cœna veram propriamque "corporis ſui ſubſtantiam nobis donare. Zuinglius & Oecolampadius debuerunt ad-"jungere ita ſigna eſſe, ut nihilominus veritas cum eis conjuncta ſit. Fatemur omnes "nos ſubſtantiæ ſanguinis & corporis verè fieri participes; quomodo id fiat alii aliis "melius definire & clarius explicare poſſunt. Cogitare debemus id fieri occulta & "mirabili Dei virtute. Sic ille. Spalatenſis ſubjungit, Omnes igitur & Pontificii, & "Lutheri & Calvini diſcreti ſectatores in eo convenimus, circa ſacratiſſimum Eucha-"riſtiæ ſacramentum: nobis in eo verum & reale Chriſti corpus verè & realiter "exhiberi. Cur ergo in hoc non ſiſtimus omnes? Cur hic terminum diſſentionum "non collocamus? Cur ad modum ineffabilem, mirabilem & occultum, nobiſque pe-"nitus ignotum, & quem Chriſtus ipſe nos latere voluit, tam audacter deſcendimus, "ut qui cum noſtra inſipientia non deſipiat, eum à Charitate & communione re-"ligioſa & Catholica excludamus? Hic eſt tam atrocis & periculoſæ diſſentionis facillimus modus ſopiendæ, ut omnes veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia exhiberi uno ore fateamur: & circa modum quo fiat hæc exhibitio, quippe ineffabilem & inexplicabilem, nobis omnibus ſilentium perpetuum indicamus; & ex hac diſſentione ſchiſmata coalita extinguamus. Interim, cum bona venia & Calvini & Spalatenſis, non eſt additio ad ſenſum apertum verborum Chriſti (ut ibi docent locis citatis) dicere corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, cum ſubſtantia panis permanentis aut tranſeuntis. Panis eſt inſtar indumenti quo corpus Chriſti veſtitur in Euchariſtia: ſicut ergo demonſtrando veſtes ſub quibus eſt Petrus, licet dicere, hoc eſt Petrus, & ſenſus hujus dictionis ſic determinatæ, per deſignationem eſt, Petrum ibi eſſe cum veſtibus. Ita oſtendendo manibus panem & dicendo, Hoc eſt corpus meum, ſenſus dicti eſt, corpus Chriſti eſt ibi cum pane vel permanente vel tranſeunte uno vel alio modo: & per conſequens non eſt Idololatria adorare Chriſtum ibi in Euchariſtia realiter exiſtentem. Quare accipio confeſſionem Spalatenſis, noloque pacis ergo quicquam addi ad verba Chriſti, non contentum in eis apertè: non continetur autem in verbis Chriſti, ſubſtantiam panis deſinere adveniente corpore Chriſti ad panem; ac propterea litigandum non eſt ea de re cum iis qui admittunt realem corporis Chriſti præſentiam in Sacramento Ita ut corpus Chriſti in pane intret in os, & manducetur non ſolum ſpiritualiter fide cordis, ſed etiam ſacramentaliter fide oris; juxta id Auguſtini contra adverſ. legis & Prophet. l. 2. c. 9 qui ait nos in *Euchariſtia Jeſum fideli corde & ore ſuſcipere:* Exterior enim actus manducationis eſt confeſſio oris publica, fidei quam habemus de præſentia Chriſti in hoc auguſtiſſimo myſterio; ac adeo eſt actus fidei oralis & pluſquam mentalis.

[c] Μετουσίαν, illam in auguſtiſſimo Sacramento factam plerique graves & antiqui Scriptores ita explicant, ut non fiat per deſitionem ſubſtantiæ panis, ſed per receptionem ſupernaturalem ſubſtantiæ corporis CHRISTI in ſubſtantiam panis,

panis. Justin. Mart. Apolog. 2. ad fin. *cibum consecratum* vocat non solum Christi *carnem & sanguinem*, sed *etiam cibum quo sanguis carnesque nostræ aluntur.* Iren.lib.4. c.34 docet *corpora nostra ali & augeri corpore & sanguine Christi*; quod intelligi nequit nisi ratione elementorum, quibus illa vestiuntur in Eucharistia. Et lib 4. c. 34. ait, Eucharistiam *duabus rebus constare, terrena & cœlesti*; *& per hoc* declarat *panem terrenum cum perceperit vocationem Dei, non esse communem panem, sed Eucharistiam:* In qua nempe constanter permanet substantia panis, & substantia cœlestis corporis Christi. Clem. Pædagog. l. 2. c. 2. asserit, *vinum in calice fuisse quod Dominus consecravit*, accidentia autem vini non sunt vinum, loquitur autem de vino quod Christus bibit è calice post consecrationem. Quia probat exemplo Christi in Eucharistiæ institutione licere vinum bibere. Tertull. lib. 1. contra Marc. c. 14. ait, *pane corpus suum repræsentavit*. Lib. adversus Judæos c. 10. *panem corpus suum appellat*. Idem habet lib. 3. contra Marc. c. 19. & l. 4. contra eundem c. 40. *sanguinis vetus figura in vino*, id est sacramentum vetus & novum veteri respondens in vino; & lib. 5. contra Marc. c. 8. *panis & vinum sunt corpus & sanguis*. Orig. Dial. 3. de Christo homine, *panem & poculum ministravit*, & contra Cels. l 8. *oblatos panes edimus*. Theophilus Alexan. Ep. 1. Pasch. *pane Dominico salvatoris corpus ostenditur* : item, *panis ille qui frangitur, inanimis est*. Cypr. l. 2. Epist. 3. loquens de calice à Christo benedicto, vocat "creaturam vitis. Inveni-" mus vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit. Vino calicis Christi sanguis osten-" ditur. Euseb. de demonst. Evangel. lib. 5. c. 3. "Sacerdotes spirituale sacerdotis " munus obeunt vino & pane, & corporis illius, & salutaris sanguinis mysteria repræ-" sentant. Hilar. apud Gratian. de consec. dist. 2. c. 27. loquens de corpore Christi quod sumitur de altare; "Panis & vinum extra videtur, id est, veré. Nam in ea " veritate consistit figura corporis & sanguinis, quæ in veritate intus credatur ex illius " figuræ significatione. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 3 Mystagog. negat panem post sancti spiritus invocationem, esse amplius *panem communem*, & loquitur de eo sicut de oleo chrismatis consecrato quod manet; & Catech. 4 Mystagog. negat "panem " & vinum post sanctificationem esse panem nudum & vinum nudum. Ambrof. de sacram. l. 4. c. 4. ait, "In sacramento Eucharistiæ sermonem Domini esse operato-" rium, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur; & eodem modo loquitur de pane consecrato, ac de homine baptizato, ibid. "Tu ipse eras, sed eras vetus crea-" tura; postea quam consecratus es (in Baptismate) nova creatura esse cœpisti. Et de sacr. l. 6. c. 1. "In similitudine quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gra" tiam virtutemque consequeris. Nyssenus de S. Baptismo, discurrit eodem modo de mutatione aquæ in Baptismo, altaris in consecratione, hominis in ordinatione sacra, & mutatione panis in Eucharistia. Victor Antiochen. in c. 14 Marci, in *Eucharistia* ponit *panis symbolum*. Chryf. serm. in Encæniis, seu de pœnit. serm. 5. tom. 6. *Non quod panis sit respicias, neque quod vinum est reputes*, Aug. tract 26. in Joan. ponit sacramentum, & non rem sacramenti, panem & vinum. *Discipuli manducabant panem Dominum, Judas autem panem domini.* Et Epist. 86 comparans vetera sacramenta cum novis ait, in Eucharistia *panem pani, & sanguinem sanguini successisse.* Et Epist. 120 c. 10. *Panis in accipiendo sacramento consumitur.* Philo Carpathius in Cant. c. 8. *Corpus Christi est sub mystico pane & vino.* Cyrill. Alex. in Jo. lib 4. c. 14 *Fragmenta panis dedit dicens, accipite, manducate, hoc est corpus meum.* Theodoret. in Dial 1. Orthodoxi & Eranist. ait Orthodoxus, "Qui, quod natura corpus est, triticum & panem appellavit, & vitem " rursus seipsum appellavit, is symbola & signa quæ videntur, appellatione corporis & " sanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adjiciens. Et dial. 2. "Neque signa mystica post sanctificationem, recedunt à natura sua; ma-" nent enim in prima substantia, & figura, & forma, & videri, & tangi possunt sicut " & prius. Gelas. de duabus natur. Biblioth. SS pp. tom 4. in Eucharistia ait, *Non desinit substantia vel natura panis & vini.* Walafr. c. 16. *agnoscit panis & vini substantiam in Eucharistia.* Paschasius de corpore & sanguine Domini in Eucharistia, c. 10. alias 28. "In panis " substantia jure ministratur hoc mysterium salutis. Idem dicit, c. 17. alias 46. Nicetas Cho-" niates Thesaur. l.4. Servator pane & vino utitur ad salutem humanæ corruptionis. Magister in lib. 4. dist. 11. "Si quæritur qualis sit conversio, an formalis, an substantialis, an al-" terius generis, definire non sufficio. Scotus in 4 dist 11. q. 3. ait, *Transubstantiationem non posse probari ex Scripturis evidenter.* Scoti Apolog. edit. Par. 1622. defendit in hac re Scotum à censura Bellarmini. Author fuit religiosus Franciscanus. Aliacensis in 4. sent. q. 6 art. 2. "Modus ille ponens substantiam panis remanere post consecratio-" nem est possibilis, nec repugnat rationi, nec authoritati Bibliæ; imo est facilior ad " intelligendum, & ratiocinabilior. *Aitque* assertum illud, quod substantia panis de-

"finit esse post consecrationem, non sequi evidenter ex Scriptura, nec etiam ex de-"terminatione Ecclesiæ: *ait*, tamen esse communem opinionem Sanctorum & Docto-"rum. Ferus doctus Franciscanus in Matth. 26. "Cum certum sit ibi esse corpus "Christi, quid opus est disputare, num panis substantia maneat vel non?

[d] [e] Cassander in consult. art. 22. De administratione sacrosancti sacramenti Eucharistiæ. "Satis compertum est, universalem Christi Ecclesiam in hunc usque "diem, Occidentalem verò seu Romanam mille amplius à Christo annis, in solenni "præsertim & ordinaria hujus sacramenti dispensatione, utramque panis & vini spe-"ciem, omnibus Ecclesiæ Christi membris exhibuisse: id quod ex innumeris vete-"rum scriptorum tam Græcorum quam Latinorum testimoniis manifestum est, atq; "ut ita facerent inductos fuisse primum instituto exemploque Christi. Consuetudo "in altera specie communicandi, cum eam nonnulli ut sacrilegam & nefariam con-"demnarent, à Concilio Constantiensi & Basileensi probata & sancita fuit, ita tamen "ut Bohemis certis intercedentibus conditionibus & pactis, utriusque speciei usus "concessus fuerit: neque tamen hac sanctione communionem utriusque speciei à po-"pulo totam sublatam, sed ob certas & graves causas ad tempus intermissam & "suspensam voluerunt. Optimi autem quique Catholicæ professionis, in divinorum "& Ecclesiasticorum lectione scriptorum versati, Ecclesiasticæ paci & unitati propè "necessarium putant, priscum morem communicandi restitui. Et in tract. de sacra communione, probat *mandatum Domini extare de utraque specie recipienda.* At per se loquendo, mandatum Christi servare necesse est; en mandatum Matth. 26. v. 27. *bibite ex hoc omnes*, id est, interprete Paschasio Ratberto, *tam ministri quam reliqui credentes*: & Chrys. Hom. 18. in 2 Cor. Quando fruendum est reverendis mysteriis. "Nihil, *ait*, "differre sacerdotem à subdito, cum omnes similiter ut illa participent digni ha-"beantur: omnibus enim corpus unum proponitur, & poculum unum; idque *pari cunctis conditione*, ait Theophylact. in 1 Cor. 11. Idem præcipi in Evangelio asserunt. Orig. Hom. 16. in num. & Aug. l. 3. c. 57. qq. in Levit. Micrologus docet ex ordine Romano non esse plenam communionem populi sine utraque specie. Julius Papa de consec. dist. 2. c. *Cum omne, Porrectionem calicis Domini complementum communionis* appellat. Gelasius Papa de consec. dist. 2. cap. Comperimus, jubet eos "qui supersti-"tione aliqua impediti, à calice sacrati cruoris abstinebant, aut integra sacramenta "percipere, aut ab integris arceri: quod divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi "sacrilegio nequeat provenire. Amalar. lib. 3. de off. c. 24. docet esse *mandatum Dei.* Ambros. in 1 Cor. 11. Hugo de S. Victore de mysteriis: *Christus utrumque sumi voluit.* Denique Constantiense Conc. Sess. 13. *Christum instituisse communionem utriusq; speciei*: ac consequenter per se loquendo, est retinenda; & si aliter fit, continget per accidens *ad evitandum pericula & scandala rationabilia*, ut Conc. loquitur ibid. & pari ratione ex dictis concluditur, mandato & instituto Christi, ut per se loquendo, astantes Missæ communicent; quia ubi legitur mandatum *bibendi*, legitur mandatum *hoc facite*; Christus autem dedit discipulis, igitur ita faciendum. Ac cum par sit conditio sacerdotis & subditi in mysteriis, Eucharistia debet dari omnibus præsentibus: Ità factum in initio Ecclesiæ constat ex Justino in Apolog. ad finem. Cypr. l. 2. Ep. 3. Ambros. de off. l. 3. c. 41. Chrysost. in Epist. ad Ephes. hom. 3. *Quomodo mansisti & mensa non es particeps?* Hieron. 1 Cor. 11. Erasm. in Epist. ad Julium Pighium Episcopum, *Sic fuit à Christo institutum, & olim ita consuevit observari.* Microlog. c. 11. *Soli communicantes confectioni sacramentorum antiquitus intererant.* Walafridus c. 22. vocat *legitimam Missam cui intersunt sacerdotes, respondens, offerens, atque communicans.* Et Pontificale Rom. c. de consec. Eccles. "Altare repræsentat Christum qui unicus est, & "ideo unicum altare in singularum Ecclesiarum consecrationibus consecrare solitum: "eo quod olim omnes ex uno altari communicari soliti erant. Eusebius lib. 10. c. 4. Templum in urbe Tyro exstructum describens, memorat unicum altare. Hinc Græci hodie *unam tantum Missam, eamque anniversariam festis habent*, ait Postell. de lingua Serviana. Æthiopibus *non visi unicum altare.* Alvarez de Æthiop. c. 11. & idem de Moscovitis ait Sigis. Baro. Comment. Moscov. Quod tamen per accidens, ob necessitatem, vel gravem utilitatem, vel ad reverentiam mysterii fidei notabilis possunt fieri Missæ, etsi nullus communicet, probant rationes nonnullæ. Bellarm. lib. 2. de Missa c. 9.

[f] Certum est usum linguæ vulgaris & notæ, in lectione Scripturarum & publicarum Ecclesiæ orationum, esse omnino conformem ædificationi illi, & intelligentiæ factorum & dictorum in Ecclesia, quam D. Paulus 1 Cor. 14. exigit ab Ecclesiasticis potissimum. Deinde constat ex Apol. 2. Justini Martyris, lectionem in cœtibus

bus Christianorum primitivorum factam esse, dum convenirent in unum locum, Primo *lectionem*, & Secundo *hortationem, ut ea quæ lecta sunt bona imitentur*; intelligebant ergo lecta. Tertio loco facta est *comprecatio.* Conclusis precibus, *panis, vinum, & aqua offeruntur, quæ unusquisque participat.* ἡ διάδοσις ϗ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται. Tertull. in Apolog. c. 39. Finis Christianorum cœtuum & congregationum, primo ut *Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes.* At manus ambientium, debet precationes intelligere. Secundo ad "divinarum literarum commemorationem, "præmonendum & recognoscendum: ad fidem sanctis vocibus pascendum, spem "erigendum, fiduciam figendum. Deinde fit ibi *communicatio orationis & conventus*, & vocat hæc *deposita pietatis*, & l. 2. ad uxorem, loquens de dictis quæ in cœtibus fiebant, ait, *ubi fomenta fidei de Scripturarum intellectione*? hi duo testes sufficiunt pro Ecclesia primitiva.

Apud Cassandrum in Liturg. cap. 36. citantur plures authores graves, qui intelligebant locum 1 ad Cor. 14 de precibus in divinis officiis: ut Isidorus de Eccles. off. l. 1. c. 10. "Est lectio non parva audientium ædificatio; cum oratur, oretur ab om-"nibus. Amalarius de divin. offic. l. 3. c. 9. "Imperitus audiens quod non intelligit, "nescit finem orationis, & non respondet Amen, id verum, ut confirmetur benedictio. Joan. Billet in summa de divin. off. "In primitiva Ecclesia prohibita erat ne quis lo-"quatur linguis, nisi esset qui interpretaretur. Pontificale Romanum de ordinat. Lectoris, requirit ut sit *aptus pronunciare verba vitæ, & mentis ac vocis distinctione populo monstrare intelligibilia.* Et vult *verbo doceri auditores per Lectores. Innocent.* 3. in lib. decret. de off. judic. ord. vult *secundum diversitatem linguarum divina officia celebrari.* Aug. de Catech. rudibus c. 9. *ut populus ad id quod plane intelligit dicat Amen.* Æneas Silv. hist. Bohem. c. 13. ait Dum Romæ esset consultatio de facienda re divina in lingua Sclavonica, *auditam vocem de cœlo, omnis lingua confiteatur ei.* Baron. tom. 10. Annal. ad an. 880. num. 16. usque ad 20. profert Epistolam Joan. pp. ad principem Moraviæ, in qua probat, jure divino, & ex sacris literis, rem divinam fieri debere in lingua vulgari Sclavonica. "Neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Domi-"num laudare auctoritate sacra monemur, quæ præcipit dicens, Ps. 116. Laudate Do-"minum omnes gentes: & Apostoli Act. 2. repleti spiritu sancto, locuti sunt omni-"bus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cœlestis tuba insonat monens, omnis "lingua confiteatur, &c. De quibus etiam, 1 Cor. 14. Satis manifestè nos admonet; "quatenus linguis loquentes Ecclesiam Dei ædificemus; nec sanæ fidei vel doctrinæ "aliquid obstat, sive Missas in eadem Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evange-"lium, vel lectiones divinas novi & veteris Testamenti benè translatas & interpreta-"tas legere, aut alia horarum officia omnia psallere. Quoniam qui fecit has linguas "principales, Hebræam scilicet, Græcam & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad "laudem & gloriam suam. Et licet Papa hortetur eos ut Missam & Evangelium latina lingua legant: tamen Johan. Aventinus annalium Boiorum lib. 4. ait, *sacerdotes Liburniæ*, suo ævo, *ignaros Romana lingua, sacrificia patrio more*, nempe Sclavorum, *procurare.* Idem Joan. Bapt. Palat. Civis Romanus, de ratione scribendi; de Illyricis seu Sclavis. Et de Moscovitis scribens Sigismundus Baro, ait, eos *sacrum vernacula lingua peragere.* Et de Armenis Petrus Bellonius, lib. 3. c. 12. "Cantant Armenicè ut omnes "assistentes linguam Armenicam qua utitur sacerdos intelligant. Et B. Rhenanus apud Cassand. cap. 17. Liturgicorum, notat Catechumenos Tertulliano dictos Auditores; quia in templo manebant, donec Evangelium expositum esset. Et benè colligit Cassand. c. 25. ex Divo Thoma 3. part. q. 83. art. 4. "Quæ in Ecclesia leguntur in "Missa publicè dicenda esse pro instructione fidelis populi; judiciosè enim notat D. "Th. quædam à sacerdote dici publicè, quæ pertinent ad sacerdotem & populum, "sicut sunt orationes communes: quædam pertinent ad solum sacerdotem, scilicet "oblatio & consecratio, quæ occultè à sacerdote dicuntur, & 3. part. sum. q. 78. art. 1. ait, "Christum bis protulisse verba consecrationis, secretè ad consecrandum, secundo "manifestè ad instruendum.

Vide Justin. Imp. in nov. 146. constit. 123. ubi jubet *preces dici clara voce, quæ à populo exaudiatur, ut dicat Amen. Juxta id.* 1 Cor. 14. *ut alter ædificetur: aliter in horrendo judicio rationem reddent.* Paschas. lib. de Corp. & sangu. vult *consona voce omnes dicere Amen: sicque omnis Ecclesia in omni gente & lingua confitetur & orat.*

Tho. Valdensis in Doct. antiq. Ecclesiæ tit. 4. c. 31. ex 1 Cor. 14. probat, "Quod "fuerit rato talis benedicendi in Ecclesia tempore Apostoli, cui respondere solebat non "tantum Clerus, sed totus populus Amen: quod non potest fieri ab imperito linguæ,

"quis

"quis enim dicit de re quam nescit Amen? id est, verum esse; ut omnia dicta rei "testimonio in audientium mentibus confirmentur.

Lyra in 1 Cor. 14. v 16. "in primitiva Ecclesia, benedictio & cætera communia "fiebant in lingua vulgari.

Preces fieri in lingua vernacula vult Origen. contra Celf. lib. 8. Aug. Epist. 178. & ita fuisse de facto narrat Hieron. tom. 1. Epist. 17. *tot psallentium chori quot gentes:* Chryf. hom. 18. in 2 Cor. loquens de communibus precibus, ait eas *fieri à populo: omnes unam dicent orationem.* Unde Gerard. Lorich. de Missa, in 4. part. Can. ait manifesto argumento convinci, "Requiri in officio Missæ populi adstantis consensum. "Consequens ergo, Canonem clarè & apertè legendum ut populus consentiens re-"spondeat Amen: id est, intelligens quid dicatur, aitque ita doceri 1 Cor. 14. v. 16. Cur vero latini sermonis usus mansit in sacris, facilè colligi potest: quia, ut Camdenus in Britannia sua notat, Romani semper laborarint ut provinciæ latinè loquerentur; quod probat ex Tacito, & constat ex Val. Max. lib. 2. c. unde mos ille mansit in Romano imperio etiam Catholico: & quidem ex probabili fundamento, quia Romani censuerunt fore æquius, ut subditi se potius dominis, quam vice versa, in sacris conformarent: & cum necesse esset uti lingua ignota aliqua, cum Romani Barbaram, Barbari Romanam ignorarent loquelam; putarunt Romani se posse jure suo, hac in re suo commodo consulere, etiam cum necessario incommodo subditorum suorum. Hæc autem ratio post Imperium Romanum ablatum à jugis Occidentalium, cum cesset; consuetudo latini sermonis in sacris, ex causa præsertim magna, ad pacem Catholicam servandum, & lites schismataque tollendum removeri quadantenus posse videtur.

[g] [h] [i] Paulus c. 10. ad Hebr. v. 19. docet esse tantum *unicam oblationem Christi qua suos perfectos reddit,* adeo ut v. 18. *non sit amplius oblatio pro peccato.* Ex eo constat non esse iterationem seu novitatem secundi sacrificii in Missa: quare Patres qui docent in Missa peragi sacrificium de novo, debent exponi uno ex modis relatis in sect. 7. quod pulchrè docet Cassand. in consult. de sacrificio art. 23. ubi ait, "Manifestum est veterem illam Ecclesiam ita semper sensisse. Corpus & sanguinem "Christi semel in cruce esse oblata. Et sect. de iteratione, ait, "In Ecclesia non esse "sacrificii iterationem, sed unius sacrificii in cruce oblati commemorationem: ita "tamen ut Eucharistia possit dici etiam victima seu sacrificium aliquo vero sensu: quod, ut ait in sect. de sacrificio, "Unici illius sacrificii perpetuam victimam in cœlis "ad dextram patris assistentem, in sacra mensa præsentem habemus. Dici etiam potest esse in Eucharistia spirituale sacrificium; eo quod per victimam in sacra mensa præsentem, Deo patri supplicatur, ut virtutem & gratiam hujus perennis victimæ, Ecclesiæ suæ ad omnes corporis & animæ necessitates efficacem & salutarem esse velit. Et in hoc sensu admittitur hic incruentum sacrificium, & per hoc satisfit omnibus patribus adductis à Bellarm. lib. 1. de Missa c. 15. pro iteratione sacrificii veri.

SECTIO VIII.

De Pœnitentia, Confessione, & Satisfactione.

OPtandum esset ut redirent illa aurea secula, in quibus nemo publicè & scandalosè offendens Ecclesiam suo peccato, admitteretur ad sacramenta donec Ecclesiæ offensæ, per veram pœnitentiam satisfieret canonicè & legitimè Fructuosè & utiliter in Ecclesia continuatur privata particularium omnium graviorum peccatorum confessio, etsi non [a] constet adhuc an jure divino debeat fieri. Cum stando in lege Christi præcisè pronunciari potest, in plurimorum Catholicorum sententia absolutus coram Deo: & admitti ad communicandum (nisi ulterius satisfieri debeat disciplinæ Ecclesiasticæ) qui manifestis indiciis probat se habere veram fidem & charitatem, etsi ne verbum propalet de numero & gravitate peccatorum suorum.

Paralipomena

Paralipomena ad Sect. VIII.

[a] Concilium Tridentinum, seff. 14. c. 1. tradit *pœnitentiam institutam Joan. 20. quo loco sacerdotes facti sunt judices ad pronuntiandum de peccatis sigillatim, & in specie:* at hinc non posse concludi jure divino institutum, omnia peccata debere Confessario numerari, præscindendo ab Ecclesiæ præcepto, constat ex usu Ecclesiæ Græcæ, etiam tunc cum perstitit in communione cum Romana. *Nos enim Deo solummodo debere confiteri peccata, dicunt Græci*; Catholici nimirum; de quibus ita loquitur, *Theodori* Archiepiscopi Cantuariensis Græci etiam) pœnitentiale; è quo *Gratianus* ait, se illa verba scribere. Causa 33. q. 3. de pœnit. dist. 1. c. 90. quod incipit, *quidam Deo.* Hæcque Græcorum est sententia usque ad hodiernum diem, ut patet ex censura Orientali c. 11. non procul ab initio. "Quæ per animi pudorem confiteri prætermiserint, precamur pium & misericor-"dem Deum, ut & hæc ipsa simul cum cæteris, illis condonare velit; confidimusque eos "talium etiam à Deo veniam consecuturos. Et in Concil. Florent. Græci notoriè persistentes in hac sententia, admissi sunt nihilominus ab *Eugenio* 4. ad Latinæ Ecclesiæ communionem. Imo *Panormitanus* ait, *confessionem ab Ecclesia institutam, & Græcos ea non utentes, non peccare; quia apud eos non emanavit.* Constit. de Pœnit. & Remiss. c *Omnes utriusque sexus. Scotus* in 4. sent. dist. 17. q. 1. ait, *Confessionem Ecclesiæ promulgatam per Apostolos absque omni scriptura. Gloss.* in, de pœnit. dist 5. c. 1. in initio ait, *melius dici eam institutam à quadam universalis Ecclesiæ traditione, potius quam auctoritate divina. Gratian.* dist. 1. q. 3. cap. 89. quamvis, liberum relinquit cuivis judicio, cui horum potius adhærendum sit; *utraque enim sententia, & quæ ait confessionem ab Ecclesia institutam tantum, & quæ ait jure divino nos ad eam obligari, fautores habet sapientes & religiosos viros.* Imo & tandem resolvit *nos posse ore tacente veniam consequi:* quod cap. (quis aliquando) ait, *evidentissimè datur intelligi.*

Suarez tom. 4. disp. 21. sect. 1. num. 3. ait *Durandum* dist. 17. 4. 15. *judicare necessitatem integritatis confessionis, non posse sufficienti ratione colligi ex institutione ejus.* Et idem sentit *Medina* Cod. de Confess. qu. 8. Ex quo asserto, juxta doctrinam sect. 1. sequitur probabile esse, *Confessionem, non esse juris divini, quod totum continetur in Evangelio.* Et B. *Rhenanus* arg. in Tertull. de pœnit. ait, "Inter juris pontificii Scriptores, & quosdam non "incelebres, qui institutam ab Ecclesia confessionem putant, qua conscientiam sacerdoti "detegimus usque ad circumstantiarum omnium minutias. Quod & *Cajetanus* in 20. Jo. tenet & *Erasmus* in lib. de Theolog.

Antiqui Patres etiam, *Cyril. Alex.* lib. 12. in Joan. *Rupertus Tuitensis*, & alii intelligunt locum illum ex quo stabilitur jure Evangelico confessio, de remissione peccatorum, medio Baptismo, & pœnitentia fori externi; in quo *Paulus* 1 Cor. 5. v. 3. *Existens absens corpore:* primo ligavit fornicarium, & postea ei indulsit. *Tertull.* etiam *Cypriani* magister describit pœnitentiam tantum esse rem fori externi; lib. de pœnit. c. 6. loquens de pœnit. ante Baptismum, *tunc, opinor, emendatos liquebit cum absolvimur Pœnitentia secunda jam semel, sed amplius nunquam, quia proximè frustra,* & c. 9. hæc pœnitentia *secunda & una* commendatur describiturque *exomologesis ut sit prosternendi & humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem,* & c. 12. ait, *Babylonium regem exomologesin operatum, & exomologesi in paradisum suum restitutum,* & de orat. Dom. c. 9. *exomologesim ait esse debitorum in deprecationem.* Et lib. de Bapt. c. 20. ab ingressuris Baptismum postulat *confessionem omnium retro delictorum.* & lib. de Jejuniis c. 12. ait, *Catholicos non delicta incusasse, quæ jejuniis eliminentur.* & lib. de pudicit. ait c. 21. *esse solius Dei condonare delicta,* aitque (in quo tamen errat) *Apostolos dimisisse peccata non ex disciplina, sed potestate simili illi qua mortuos resuscitarunt; Presbyteros autem disciplinæ solius officia sortiri.* Demum asserit *Baptismum esse in quo solvuntur alligata delicta, & alligantur non soluta.*

Tertullianum imitatus est *Cyprianus* lib. 1. Ep. 2. Dicit quod pax data pœnitentibus, qua admittantur ad Eucharistiam & communicationem in morte, est actus potestatis datæ verbis illis (*Quæcunque alligaveritis*) & lib. 1. Epist. 3. testatur plebem cognovisse de causa eorum qui cum pœnitentia veniebant ad Ecclesiam *Quorum causas,* &c. Porro *Cyprianus* ut ostendat suam misericordiam, ait se *non pleno judicio religionis examinare. Remitto omnia, multaque dissimulo.* Quæ omnia intelligi nequeunt nisi de causis in foro externo, loquitur autem de revertentibus cum pœnitentia, & peccatum suum satisfactione humili confitentibus. & lib. 3. Epist. 5. invehitur in Confessarios; quod reos *sine ullo discrimine atque examine singulorum, admitterent ad pacem,* vultque exomologesin prius fieri, eaque de re legem fert, quam tamen non putavit necessario adhibendam, ut constat ex lib. 3.

Epist.

Epist. 8 ubi irascitur *Therapio* quod *Victori* Presbytero pacem dederit contra dictam legem, *sine conscientia plebis. Pacem tamen quomodocunque a sacerdote Dei semel datum, non putavimus auferendam: ac per hoc Victori communicationem sibi traditam usurpare permisimus.* Vide de lege *Cypriani*, plura lib. 3. Epist. 14. ubi narrat sine *exomologesi Eucharistiam datam.* Epist. 15. modus dandi pacem erat. *communicet illi.* Epist. 16. ad plebem de petentibus pacem ait, *examinabuntur singula præsentibus & judicantibus vobis.* & Epist. 17. *fit exomologesis apud Diaconum.* Epist. 18. *Exomologesis est res disciplina disponenda concilii communis religione, astante plebe.* Epist. 19. lib. 3. pacem dare, ait, *rem esse quæ omnium sententiam spectet presbyterorum, & Diaconorum.* Et lib. 4. Ep. 2. De danda pace fit collatio conciliorum coram laicis, apud quos lapsorum tractatur ratio. Serm. de lapsis. *Daniel fecit exomologesin.* Et ad *Pompeium* in fine, ait, *spiritum sanctum non dari per pœnitentiam seu manus impositionem, sed in Baptismo*; ergo confessio & remissio peccatorum prærequisita ab Ecclesiæ ministris ante communionem, est res fori externi secundum *Cyprianum.*

Chrysost. apertus est pro hac sententia hom. 31. Epist. ad Hebræos. *Sufficit confiteri Deo, si non lingua, saltem memoria.* Et hom. de pœnit. & confess. *Solus te Deus confitentem videat.* Et de pœnit. hom. 8. vult *hominem se probare intus in conscientia, adstante nemine præter eum qui cuncta videt, Deum, & sic sacram attingere mensam.* In 1. Cor. hom. 28. *non jussit alteri alterum probare, sed sibi seipsum.*

Cassianus Chrysostomi Discipulus collat. 20. c. 8. vult. *verecundos confiteri illi, quem latere non possunt peccata.*

Laurentius Novariensis qui paulo post *Chrysostomi* seculum vixit, hom. 1. de pœnit. "ex "illa die illaque hora qua egressus es de lavacro, ipse tibi es fons jugis, & diuturna re-"missio; non opus habes doctore, non dextra sacerdotis. Exinde teipsum statuit tibi "judicem & arbitrum. Et quia non poteras immunis esse à noxa post Baptismum, "remedium tuum in teipso statuit, remissionem in arbitrio tuo statuit, ut non quæras "sacerdotem, cum necessitas flagitaverit, sed ipse errorem tuum intra te emendes. Re-"missio in rore est lachrymarum. Noli jam quærere, neque Johannem, neque Jordanem, "Ipse tibi esto Baptista. Flevit iterum oculus, ablata est caro, absoluta est anima.

Constat etiam apertissimè ex *Socrate* lib. 5. c. 19. primo in Ecclesia Constantinopolitana, & pene in omnibus Ecclesiis: Theatralem confessionem & publicam fuisse, substituto uno sacerdote cui privatim confiterentur. At vero quia mulier quædam post confessa peccata sua Constantinopolitano Pœnitentiario, προσιοῦσα pergens non in confessione (ut *Bellar.* lib. 3. de pœnit. c. 14. secutus interpretem *Socratis*, putat) sed in satisfactione injuncta ad implenda; dixerat privatim nonnullis ex muliebri loquacitate, pœnitentiam illam injunctam fuisse, quod dormierit cum Diacono, confessio privata ablata est, & relictum unicuiq; τῷ ἰδίῳ συνειδότι μυστηρίων μετέχειν, ita ut alter alterius peccata minimè coarguat. Et ait fidem consubstantialis tenentes, cum *Novatianis* Presbyterum pœnitentiarum rejecisse. Ita *Socrates* ait Presbyterum illum semotum fuisse ἐχέμυθον i. e. taciturnitate Pythagorica præditum, ut *Gell.* lib. 1. cap. 9. interpretatur, aitque hoc ab eo tempore in Orientalibus Ecclesiis mansisse κρατοῦν i. e. obtinuit mos ille non confitendi secreto; etsi in Ecclesiis Romanorum Presbyter retentus fuerit, qui secretis confessionibus præesset. Nam ex S. *Leone*, *Sozomeno* æquali, ut eum vocat *Bellar.* loco supra citato constat Ep. 80. "In Ecclesia Romana consuetudinem confitendi publicè judicatam fuisse improbabilem, "sufficereque reatum conscientiarum solis sacerdotibus indicari confessione secreta.

Hic mos retentus fuit in Ecclesia Romana, explosus in Constantinopolitana, & Græcis Ecclesiis, ac adeo S. Patres illi judicarunt confessionem non esse juris divini. Quin & in Ecclesia Romana non fuit creditum sacerdotem Pœnitentiarium debere absolvere judicialiter in foro conscientiæ à reatu. Nam Epist. 80. *Leonis* citata, dicitur in Ecclesia Romana factam fuisse confessionem, "ut sacerdos pro delictis pœnitentium precator accedat. *Et Serm.* 5. *de Quadrages.* "de benignitate supplicis, sententia pendeat judicantis. *Serm.* 3. *de Jejun.* 7. *mens.* "plenissima peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ "una est oratio & una confessio. Quid negabitur multorum millium plebi unam obser-"vantiam pariter exequenti, & per unum spiritum concorditer supplicanti? *& Epist.* 91. "reconciliationem per quam ad communionem sacramentorum admitterentur, ut per "januam, factam, *ait*, supplicationibus sacerdotum. Peccatoris reatus sacerdotali sup-"plicatione solvitur. Indulgentia nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri. Et in ordine Romano veteri impres. Colon. 1568. pag. 52, 53. & deinceps, absolutio pœnitentium non est judicialis sed deprecativa. Deinde necessitas pœnitentiam agendi, videtur tantum laicis imposita: ac non fuisse consequenter de jure divino quod obligat cunctos. Leo *Epist.* 92. *c.* 2. *ait*, "Alienum à consuetudine Ecclesiastica ut Presbyteri & Diaconi "pro crimine aliquo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine "dubio

"dubio ex Apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est 1 Reg. 2. Sacerdos "si peccaverit, quis orabit pro eo? Deinde nec omnibus Laicis permissa fuit pœnitentiæ solemnitas juxta præscriptum fori externi; quia Epist. 91. c. 10. *Contrarium est Ecclesiasticis regulis*, ait *Leo*, *post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem*, & tamen c. 12. vocat *innocentem militiam*: & c. 11. *copulam uxoris* alias rem licitam vocat *rem venialem*, post gestam pœnitentiam. Unde non mala videtur B. *Rhenani* conjectura, in *Tertull.* de pœnit. 'Etiam in Romana Ecclesia clanculariam confessionem natam ex exomologesi "per ultroneam hominum pietatem, ubi opus erat sacerdotem in consilium adhiberi, "præsertim Laicis. *Quin & Augustinus apud* Gratianum *de consecr. dist.* 4. *c. sanctum*, "Miraculo confirmatam, *ait*, reconciliationem pœnitenti datam à Catechumeno, recens "in navi à pœnitente baptizato. *Et* Aug. *in Enchirid. c.* 65. *ait*, "tempora pœnitentiæ "ab his qui præsunt Ecclesiæ rectè constitui ut fiat satisfactio Ecclesiæ, ad conservandum "disciplinam, puritatem & sanctimoniam, & ad frænandum eos qui desultoriè peccant. Et *Aug.* hom. 50. c. 3. impress. Paris. 1506. loquens de peccatis quæ à Christi complexibus nos separant, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ deterantur, ait, *quod si falsum est unde quotidie tundimus pectora? quod nos quoque Antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus.* Ubi insinuat confessionem generalem ad altare fieri consuetam, esse pœnitentiam quotidianam.

Videtur ergo confessionem sacramentalem, apud veteres plerosque, aut fuisse generalem de peccatis non scandalosis; aut ad satisfaciendum disciplinæ Ecclesiasticæ, de gravioribus & lethalibus publicis offensis.

SECTIO IX.

De Purgatorio, & Indulgentiis.

DE Indulgentiis rite tradit *Cassander* in consult. art. 12. sect. de Indulgentiis, "Eas "ortas ex ritu [a] Canonicarum pœnarum, quæ publicè pœnitentibus ad certi "temporis præscriptum imponebantur; eo quod fas erat Episcopis animadversa diligentia, vel impotentia, vel infirmitate pœnitentis, humanius & mitius cum illo agere, "& de tempore illo & rigore pœnarum aliquid detrahere & diminuere; quæ pœnarum "Canonicarum relaxatio, Indulgentia dicebatur. At hodie cum nimis relaxatus sit rigor Canonum, Indulgentiis opus non est, nam vix unius prisci Canonis prisca severitas urgetur.

[b] Cum in hac vita nemo peccato carere potest, & pœna ei debita; fatendum est neminem posse habere in hac vita vestem nuptialem per quamcunque plenariam indulgentiam, qua sine culpa & pœna exhibeatur purus cœlesti convivio.

Quinetiam quod merita & sanguis Christi quibus purgamur & justificamur à peccatis, & absolvimur à pœnis eorum, possunt nobis applicari per aliud quam per actum internum aut externum fidei aut sacramentorum, à quibus tota perfectio legis & salus nostra dependet; videtur esse contra *Paulum* ad Rom. 4. v. 5, 6, 7, 8, 9. & cap. 10. v. 4, 9, 13.

Et quia piè in domino morientes sunt beati, & requiescunt à laboribus suis & ærumnis hujus vitæ, non videtur asserendum purgatorium ullum punitorium, in quo pii post obitum ignis Gehennalis pœnas patiantur, ad quas transeuntes non abeunt à laboribus hujus vitæ ad quietem, sed à quiete ad summos labores. Cum tamen libri Maccabæorum approbati in Can. 84. Apostolico, recepto in 6. synod. can. 2. orationem pro defunctis commendent, & praxis universalis Ecclesiæ in omnibus liturgiis eam retineat, & præstantissimi patrum censeant orari posse pro existentibus in cœlis (non clarè videntibus secundum suum videre Deum) sufficit cum viris doctis asserere Purgatorium, [d] expiatorium, in quo sine tormentis Gehennalibus magis magisque usque ad diem visionis Dei [e] claræ, fruentes consortio humanitatis Christi & sanctorum, perficiunt se in Dei caritate per fervida & amorosa suspiria.

Paralipomena ad Sect. IX.

[a] Hanc sententiam apertè defendit in plena facie Ecclesiæ ante 150 annos *Wesselius* Groningensis, in disputatione de Indulgentiis: quam hac in re secutus est *Maldonatus*,

ut apparet ex Manuſcripto de Indulgentiis, & *Bellar.* lib. 2. de Indulg. cap. 10. ait, "Rationibus convictum fuiſſe Cajetanum ut diceret, per indulgentias quæ ſunt in uſu "Eccleſiæ, ſolum remitti pœnitentias per miniſtros Eccleſiæ impoſitas; non vero pœnas "ipſas in judicio Dei debitas. *& cap.* 17. *agnoſcit* Durandum, Antoninum, Roffenſem "*fateri*, indulgentias veteribus fuiſſe incognitas: *additque*, non ideo non ſunt antiquæ, "quia duo vel tres Catholici non legerunt eas in libris veterum.

Suarez tom. 4. in D. *Thom.* diſp. 49. ſect. 2. num. 14. ait, *Nec movere debet quenquam, quod apud antiquos Doctores Eccleſiæ, Græcos & Latinos, Auguſt. Chryſoſt.* &c. *nulla inveniatur expreſſa mentio Indulgentiarum.* Et ad illa loca Concilii Nicæni cap. 11. & Ancyrani can. 4. ex quibus *Bellar.* lib. 2. de Indulgentiis. cap. 6. putat probare clariſſimè indulgentias dari; *Suarez* loco citato ſect. 2. ait, "In his Canonibus ſolum legimus ſemper licuiſſe "Epiſcopis ex Canonicis pœnitentiis publicis, quæ pro criminibus imponi ſolebant, "aliquid peccatoribus & pœnitentibus remittere, ſi eorum vita & laudabilis converſatio "id mereri viderentur. Quod autem illa remiſſio ſe extenderet uſque ad ablationem vel "diminutionem pœnæ apud Deum, ex illis Conciliis non ſatis colligitur; ideoque ex "illis non poteſt ſumi argumentum efficax, ſed ad ſummam conjectura quædam ſeu pro-"babilis ratio à ſimili. Reſtat ergo dicendum, quod ſi conſulamus antiquos, qui nobis tradiderunt fidei Indulgentiarum depoſitum; indulgentias nihil aliud eſſe quam relaxationes mulctarum publicarum, quibus Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſatisfieri debet: utut ſequioris ævi ſcriptores poſt veterum Canonum & Praxeos antiquæ rigorem relaxatum, ſecus intellexerint. Qua in re, ut ait *Caſſander* loco ſupra citato, ſect. 9. *correctionem & moderamen fieri deſiderant Docti.*

[b] *Auguſt.* hom. 50. cap. 3. impreſſ. Pariſ. 1506. "Si non habemus peccata, ut "tundentes pectora dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, tempore Miſſæ? Ex hoc ipſo "certè & graviter nullo dubitante peccamus, cum intra ipſa ſacramenta mentimur. Et ut ſciant hoc ita tenendum eſſe, conſulendus eſt can. 115, & 116. Concil. Carthag. receptus can. 2. ſynodi 6. ubi ait, "Anathema ipſi dici, qui docet ſanctos dicere, Dimitte "nobis debita noſtra pro aliis, non pro ſe. Et per humilitatem, non quod verè ita ſit. "Nam in Scripturis apertè oſtenditur eum qui dicit ſe non habere peccatum, non verè "dicere ſed mentiri. Conſuli poteſt *Aug.* pro probatione hujus dicti, potiſſimum Epiſtola 200. & in lib. de Perfect. Juſtitiæ cap. 6. 8. 13 29. & de Nuptiis & concupiſc. lib. 1. cap. 29.

[c] *Ambroſius* in orat. funebri fratris *Satyri*, animam ejus commendat Deo, pro eo hoſtiam offert ſacrificium ſacerdotis: & tamen ait, *intravit in regnum cœlorum, quoniam credidit verbo Dei.* Et in obitum *Valentiniani*, donat eum *precum* ſuarum *contextione oblationibuſque:* Et tamen credi vult, *quod æterna vita fruitur voluptate.* Et de *Theodoſio* prædicatur; *Da requiem perfectam, requiem illam quam paraſti ſanctis tuis:* & tamen ait, *manet in lumine Theodoſius, & ſanctorum cœtibus gloriatur. Matthæus Weſtmonaſterienſis* ſcribit *Carolum* Regem Francorum, anno 797. ſcribere ad *Offam* Regem Merciorum, ut pro *Adriano* primo *intercedi jubeat, etſi nullam habeat dubitationem, ejus animam eſſe in requie, ſed ut fidem & dilectionem oſtendat in eum.*

Chryſoſt. hom. 32. (eſt 31. in codice Græco) in *Matth.* aſſerit apertè, orandum pro mortuis: Non tamen lugendus eorum ſtatus ut miſer, cum ſint in beatitudine. Audi verba, "Cur poſt mortem pauperes convocas? Cur Presbyteros, ut pro eo velint orare "obſecras? Non ignoro te reſponſurum, ut defunctus requiem adipiſcatur; ut propitium "judicem inveniat: His ergo de rebus flendum atque ululandum arbitraris? Nonne vides "quam maximè tibi repugnes, ὥσπερ ἂν εἰς λιμένας ἀπελθεῖν ἐκεῖνος; Quare venit ad portum, "ut ibi tempeſtates ſuſcitet? Eandem quam ille vitam tranſige, & ſtatim ſacra illa viſi-"one frueris. Qui juſti deceſſerunt, evaſerunt jam à periculis, & tuti bona poſſident. Ubi apertè admittit preces pro exiſtentibus in cœlo ab Eccleſia fundi.

Epiphan. Hæreſ. 75 num. 7. Edit. Pariſ. ait fieri memorias defunctorum, *ut credant præſentes eos vivere apud Dominum* Utiles autem ſunt mortuis preces ἵνα τὸ εὐτελέστερον σημανθῇ. Et ideo *juſtorum memoriam facimus, Patrum, Prophetarum, Apoſtolorum,* &c.

Juſtinus Martyr quæſt. 75. Supponit ante Corporum reſurrectionem, animam peractæ vitæ meritorum retributionem non percipere; docet tamen animas juſtorum poſt exitum è Corpore εὐθὺς, *illico abduci ab Angelis* εἰς ἀξίους αὐτῶν τόπους, εἰς παράδεισον, *ubi conſuetudine & aſpectu fruuntur Angelorum & Archangelorum, & viſione Servatoris Chriſti.* Idem *Chryſoſt.* hom. 39. in 1 ad Corinth. & 28. hom. in Epiſt. ad Hebræos; *Theodoret.* in cap. 11. ad Hebræos, & ibid. *Theophylact.* S. *Auguſt.* l. 1. Retract. cap. 14. ait *merito quæri, &* Epiſt. 101. videtur *aſſerere* id fieri; nempe *viſionem faciei Dei fore tantum ad Reſurrectionem mortuorum.* Et in Pſal. 36. idem ait; vult tamen *animas eſſe in requie cum paupere Lazaro.*

S. *Bernardus*

S. *Bernardus* Serm. 3. de omnibus sanctis, vult *justorum animas esse in atriis, non in domo Dei, cum sint sine corpore.* Et Serm. 4. vult videri tantum Christi humanitatem, non divinam essentiam: "*vident Christum in forma servi, non in forma Dei, ut videbitur in Resurrectione.*

Anselm. in 2 Cor. 5. ait, *Animas mox, ut à carnis colligatione exeant, in cœlesti sede acquiescere. Augustinus* lib. de peccat. merit. & Remiss. cap. 28. *Non est ullus ulli locus medius, ut possit esse nisi cum Diabolo qui non est cum Christo.* Idem sanctus, *Hypog.* cap. 5. ubi argumentatur à genere negato sic; *Nullus datur tertius locus; ergo tertius locus Pelagianorum non extat.*

Gregorius in Job lib. 3. cap. 20. ait, *defunctos piè, mox ad cœlestia præmia duci.* Et Liturgiæ omnes Ecclesiasticæ hoc videntur insinuare; defunctos, pro quibus expiandis Ecclesia orat, esse in pace. Liturgia Ecclesiæ Latinæ in can. Missæ orat pro his *Qui dormiunt in somno pacis.* In Missa S. *Jacob.* in collecta Catholica (quam Latina vocant *memento*) inter numerum eorum pro quibus Diaconus dicit, *oremus*; fit commemoratio omnium nostrorum tum ante tum post εὐλογίαν. "Memento, Domine, majorum nostrorum, "Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Doctorum, Sanctorum, "& omnis spiritus justi. *In Missa D.* Marci. "Memor Patriarcharum, &c. horum om-"nium animabus da requiem. In Missa *Basilii* fit mentio in *Memento* nominatim, *Ignatii, Dionysii, Julii.* In Missa Æthiopum, *Memento in recta fide quiescentium*; & in Missa qua Græci communiter utuntur, & quam *Cabasilas* exponit cap. 33. expos. Liturg. *Offerimus tibi rationabilem hunc cultum pro eis qui in fide prius requieverunt. Avis, Patribus, Patriarchis, Apostolis,* &c. *& quolibet spiritu in pace consummato*; ubi malè glossat *Cabasilas,* (*Nihil pro eis orat sacerdos*) ut patet legenti dicta. Unde cap. 49. ait, *non deesse qui putent fieri pro sanctis ad Deum supplicationem.* Inter eos & *Chrysost.* hom. 21. in Act. *etiam pro Martyribus offertur.* Et *Epiphan.* supra citatus, hæres. 75. num. 7. *Cyrill.* Hierosol. Catech. Mystagog. 5. "Pro omnibus oramus, etiam sanctis. Missa Ecclesiæ Latinæ oratur, ut "oblatio sanctis proficiat ad honorem. Cypr. *lib.* 4. *Epist.* 5. "pro Martyribus offerimus. Origen. *hom* 35. *in* Lucam, *putat,* "etiam in Angelis posse reperiri negligentiam purgandam. Sequitur *Origenem Hieronymus* in Comment. cap. 2. ad *Ephes.* & *Theodoret.* in 1 ad *Tim.* 3. & in Dial. Immutabilis; secutus *Origenis* sententiam, negat *Angelos videre Divinitatis naturam perfectè: Ita ut possit in eis reperiri pravitas.* (*Job.* 4. v. 18.) seu, ut alii vertunt, *stultitia*; Græci σκολιόν τι, intortum & obliquum aliquid; Hebræi, *non posuerunt in eis lumen exactissimum.* Nempe ut *Vatablus* glossat, & *Gabr. Vasquez* in 3 part. disp. 49. cap. 5. Notat synod. 5. *hanc sententiam Origenis non numerasse inter Origenistarum errores. Wesselius,* ante dictus Lux Mundi, ex Psal. 83. contendit "posse fieri etiam in fidelibus piis & beatis "purgationes, & augmenta virtutum, donec clarè videatur Deus in Sion, & usque ad "perfectum diem. *Prov.* 4. *Ac adeo* "Purgatorium *ait* esse locum expiationis, quæ potest "in cœlis contingere non videntibus clarè Deum, non autem est locus punitionis: ut pag. 832, 833, 835, 849. Impressionis Batavæ ex mente Græcorum.

[d] Opinio est, non fides Ecclesiæ, quod animæ detinentur extra cœlum apud inferos usque ad Resurrectionem, ubi *luant delicta mora resurrectionis,* ut tradit *Tertull.* lib. de anima cap. 55. & ult. Quem ita opinantem plures Patres sequuntur, opinando, non credendo fide Catholica, rem ita esse. Et hanc sententiam Anaphora Latina Missæ defunctorum sequitur, orans eos *à pœnis inferni liberari.* Et *Hilar.* in Psal. 118. v. 20. & can. 3. in *Matth. Basil.* in 4. & 9. *Esaia. Lactant.* lib. 7. instit. cap. 21. *Origen.* hom. 3 in Psal. 36. & *Amb.* ibid. & *Aug.* lib. 1. retract. cap. 14. ait dubitando, *merito quæri an sit ita vel non.*

Prædicti Patres sic sentientes à *Bellar.* lib. 2. de Purgatorio cap. 3. reprehenduntur. Vide an consequenter citet eos lib. 1. pro Purgatorio punitivo. Fateor *Augustinum* aliquando vacillasse de punitione in Purgatorio, de civit. Dei lib. 21. cap. 26. *Non redarguo, forsitan verum est.* Et de fide & oper. cap. 16. *non abhorret, quantum arbitror, à ratione veritatis.* Punitio ergo in Purgatorio est res in opinione humana posita; quæ nec ex Scripturis, nec Patribus, nec Conciliis deduci potest firmiter; Imo [c] (salvo meliore judicio) opposita sententia eis conformior videtur.

SECTIO X.

De Intercessione Sanctorum, & de eorum Imaginumque Adoratione.

INvocatio Sanctorum non est [a] actus Religionis, aut oratio Theologicè loquendo, magis quam cum oramus viros justos hic viventes quos Sanctos reputamus, ut sint nobiscum, & pro nobis apud Deum [b] comprecatores. Ex praxi interpellantium Sanctos, non est necesse inferre eos nos [c] certo audire. Satis est interpellatores eorum [d] piè credere, eos ab illis audiri. Propriè ergo loquendo non oramus aut invocamus Sanctos religioso cultu (qui soli Deo debetur) sed quadam humanitate eos movemus & rogamus, ut Deum pro nobis vellent religioso cultu interpellare. Et licet bonum sit quandoque rogare Sanctos, ut Deum pro nobis orent, ex affectu humanitatis quo ipsi in nos feruntur; tamen utilius est [e] Deum religiosè orare. Et de hac re moneri deberet populus, ne plus Religionis putent esse in rogandis Sanctis, quam in orando Deo. Adoratio religiosa soli Deo debetur: at obsequiosa, quæ, ex humanitate & civili quadam conversatione cum Sanctis, proficiscitur, Sanctis in cœlo existentibus exhiberi potest, æque ac piis viris quibuscum hic versamur; nam suo modo civiliter conversamur cum Sanctis in cœlo, nos qui *sumus cives Sanctorum, & domestici Dei:* ac adeo quid vetat, inter conversandum cum iis humanitatis, non Religionis officia illis impertiri? Ex his colligitur, Sanctos non esse Mediatores nostros apud Deum, qui interveniunt inter Deum & nos, sed potius sunt præclara Christi membra, quæ dignantur esse nobiscum collaterales comprecatores; qui se nobiscum facto agmine prosternant coram Agno Mediatore Christo, ut Deus velit per ipsum nobis esse propitius.

Cultus ille, quo Sanctorum reliquias, Imagines, & exuvias veneramur, [f] non provenit à Religione; sed ab obsequioso animi affectu, spectatque ad civilem quandam cum Sanctis conversationem, qua in signo illo externo profitemur, nos virtutes Sanctorum revereri & suspicere. Illudque obsequii nos ipsis, si adessent, præstituros, quod reliquiis eorum videmur præstare. Melius docent illi Theologi, qui aiunt, obsequium illud, aut quid tale, non fieri rei sensibili, aut Imagini ad Christum vel Sanctos pertinenti, sed prototypo.

Paralipomena ad Sect. X.

[a] D. *Thom.* 22. q. 81. art. 1. ad 2. ait, *Religionem propriè dictam, non quemlibet, sed Dei cultum significare. Basil.* orat. in *Julittam,* ait, esse αἴτησιν εἰς Θεὸν γινομένην. *Nyssenus* de orat. Dom. ait, ἐκ τῆς προσευχῆς περιγίνεται τὸ μετὰ Θεοῦ εἶναι. Idem *Chrysost.* hom. 30. in Genes. προσευχὴ διάλεξίς ἐστι πρὸς τὸν Θεόν. *Damascen.* 3. de fide Orthod. cap. 24. ait quod est ἀνάβασις πρὸς τὸν Θεόν. *Ambros.* in cap. 1. ad Rom. *Volunt Deum adiri per orationem. Theodoret.* in cap. 2. ad Colos. ait, *Laodicenam synodum prohibuisse precari Angelos;* alludit ad can. Cod. univers. 139. οὐ δεῖ χριστιανοὺς ἀγγέλους ὀνομάζειν. Et hoc vocat κεκρυμμένην εἰδωλολατρείαν *Irenæus* lib. 2. cap. 58. *Origen.* contra *Celsum* lib. 8. οὐ μὴν τὴν ὀφειλομένην πρὸς Θεὸν τιμὴν τούτοις ἀπονέμομεν. *August.* hæres. 39. de vera *Rel. Honoramus eos caritate, non servitute.* Ita *Epiphan.* hæres. 50. Idem *Hieron.* Epist. ad *Riparium,* & contra *Vigilant. Valla* in cap. 4. Matth. *Ludovicus Vives* in cap. 10. de Civitate Dei, douliam omnem religiosam, contendunt esse Latriam Deo soli debitam. Idem *Peres.* de tradit. part. 3. consid. 7. & S. *Paulus* Rom. 10. v. 14. Ei vult *tribui invocationem in quem fides tendit.*

[b] Pulchrè hanc sententiam exprimit *Cassand.* in defens. lib. de offic. Pii viri, ait, "Preces ad Sanctos dirigere, tanquam spiritu & anima præsentes, non ut Mediatores "constituerentur, sed ut precibus illorum nostris quoque precibus adjunctis facilius à Deo, "per unicum Mediatorem Christum, quod vellent, impetrarent. Neque per hoc pura "& legitima Dei invocatio ullo modo corrumpitur; non sanè magis quam cum in hac "vita fratres obsecramus, ut nos precibus suis apud Deum adjuvent. Hoc autem vel ipsi Scholastici viderunt, in quibus Alex. Alensis q. 92. memb. 1. art. 4. disputans de eo qui sit orandus, *solum Deum simpliciter orandum esse & invocandum* asserit. *Sanctos vero magis se habere ex parte orantium, quasi coadjuvantes, quam illius qui oratur.* Hæc nemo sanus impietatis damnare poterit; Atque *superstitioni deputandum si homines hos limites excesserunt;*

ferunt; Quod contingit eis, qui majore studio & pleniore fiducia Sanctorum, quam Christi patrocinio & intercessioni sese commendant.

[c] Sancti Patres, quando mente præsentes Sanctos alloquuntur & orant, tacitam conditionem subaudiunt. Naz. de laud. Gorgon. εἰ δέ τις σοὶ λόγος, εἰ δέ τις σοι καὶ τῶν ἡμετέρων δεῖ λόγος, καὶ τοῦτο ταῖς ὁσίαις ψυχαῖς ἐκ Θεοῦ γέρας, καὶ τῶν τοιούτων ἐπαισθάνεσθαι, δέχοιο τὸν ἡμέτερον λόγον ἀντὶ πολλῶν, καὶ πρὸ πολλῶν ἐνταφίων. Non precationem nimirum intelligit, sed encomium. Et orat. de Basil. ἐν ἱεροῖς προσφέρειν ait ὡς θῦμα. Hieron. in Epitaph. Nepotiani: *Felix Nepotianus qui hæc non videt, fœlix qui hæc non audit.* Idem Aug. lib. de cura pro mortuis gerenda, cap. 13. & lib. de spiritu & Anima. cap. 29. Origen. lib. 2. in Epist. ad Rom. cap. 2. recenset inter occulta, *an Sancti laborant pro nobis.* Et si non sit certum Sanctos clarè videre Deum, certum esse nequit, quod res nostras clarè aut certò sciant.

[d] Theologi docent ad actus virtutis Moralis, qualis est religio, sufficere piè credere quod adsit objectum circa quod versatur; ut ad exercitium eleemosynæ, satis est credi illum esse pauperem qui stipem mendicato petit, esto pauper non sit. Ita ut conversemur cum Sancto, sat est piè credere, eum nostrarum rerum conscium esse. Credulitatis hujus suspiciones non desunt probabiles: nempe 1 Epes. 2. v. 19. *Sumus concives & domestici & commembra Sanctorum.* Pronum ergo est suspicari, eos conversantes familiariter cum Christo, multa ab eo de nobis petere, & dicere. Secundo Angeli ad nos missi sciunt distinctè res nostras. Tob. 12. Zach. 1. Dan. 10. 19. 18. Cur non referunt aliis?

[e] Chrysost. hom. de perfect. Evang. expresse monet, "Per teipsum Deum preceris, neque tam facilè Deus annuit cum alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus. Theoph. in cap. 15. Matth. "Licet Sancti orent pro nobis, tamen nos pro nobis ipsis petentes magis audimur.

[f] Vasquez. in 3. part. q. 25. Thom. disp. 108. cap. 7. sect. 77. ex Conciliis & Patribus probat, "Affectum submissionis in solum exemplar ferri; Imaginibus secundum se, etiam propter exemplar, affectum submissionis non tribui, sed soli exemplari. Et cap. 11, 12. ait, "Librum Evangelii, nomen Jesu, res sacras, & alias res inanimatas, non adorari secundum se; sed in iis adoratur prototypum eis conjunctum cogitatione aut reipsa. Et in hac sententia teste Rogero Hoveden, parte prima, anno 592. Erant Carolus Magnus, Alcuinus, Episcopi Galliæ & Angliæ. Aymonus ad ann. 794. Testatur *nationem Germanicam in synodo Francofordensi cum eis conspirasse.* Idem sentit Greg. Mag. ad Serenium Massil. lib. 9. Epist. 9. Idem testantur Abbas Ursperg. anno 793. Ado ætat. 6. anno 792. Aventin. lib. 4. Annal. Boiorum. Paulus Æmilius de gest. Franc. lib. 2. Platina in Adr. 1. Sabellicus Ennead. 8. lib. 8. Gal. in Chron. anno 816. Blondus Ænead. 2. lib. 1. Riddus in Catal. ann. & princip. Conc. Senonens. decret. 14. Hincmarus Rhemens. cont. Hincmarum Laudun. cap. 10. Choniates in Annal. damnant Imaginum, aut rerum creatarum adorationem. Isid. lib. 1. de Eccles. offic. cap. 34. Amalarius Fortunat. de Eccl. off. lib. 1. cap. 14. Strabo de rebus Eccl. cap. 8. Abulensis in Deut. 8. 9. 1. Durandus in 3. d. 9. q. 2. & in Rationali lib. 1. cap. 3. Holcot. in lib. Sap. lect. 157. Biel in can. Missæ. Alex. Alensis 3. part. q. 1. Et Picus Mirandula in Apol. q. 3. Alphonsus à Castro adversus hæres. verbo, *Adoratio,* hæres. 1. Peres. de tradit. Gerson. in compendio Theologiæ, Explic. præcepti primi. Et ante eos Epiph. in Epist. ad Joan. Hieros. & hæresi 55. 29. August. de moribus Eccles. cap. 34. & hæres. 7. lib. de hæres. Origen. contra Cels. lib. 7. Arnobius contra Gentes lib. 8. Conc. Elib. cap. 36. Et Vasquez locis citatis, ait, *communia Scholasticorum fundamenta huic sententiæ favere.*

SECTIO XI.

De Peccato Originali, Libero arbitrio, & Gratia, legibusque divina & humana.

SEntentia Augustini, quæ etiam in renatis manere asserit concupiscentiam, & peccatum originale [a] formaliter & verè, licèt sine reatu, quia non imputatur, est Scripturis conformior. Nec enim aliter explicari poterit; ex qua causa, Caro & Anima pueri recens nati, nondum regenerati, peccati originalis maculâ inquinetur, nisi quod

quod cum carne à parente accepta Peccatum illud carni insitum in puerum traducatur. Cui donec [b] regeneretur in Christo, necesse est imputari.

Liberum [c] Arbitrium inest homini ad bonum & malum. [d] At nihil boni operari potest, nisi Gratia divina illud præmoveat, præveniat, & comitetur. Per quam solum gratiam, qui à peccato liberantur, liberi fiunt.

[e] Legem divinam nemo potest perfectè implere, quamdiu anima habitat in corpore mortis, sub peccati lege captiva; donec perveniat ad secundum baptisma, quo anima perfectè lavabitur à sordibus in die regenerationis æternæ.

Est contra libertatem, qua Christus nos donavit, ut homines, quorum servos nos esse vetat, ligare conentur animas Christianas, plus quam [f] lex Evangelica Christi eas ligatas vult. Unde leges humanæ qua humanæ sunt, non [g] obligant in Conscientia. Asseri tamen debet ἁπλῶς, &, per se loquendo, Principum, Prælatorum, & Superiorum leges ligare Conscientiam. Semper enim de eis præsumitur, donec contrarium constet, eas prospicere bono communi, & necessitatibus publicis, quibus lex divina vult ab inferioribus succurri, etiam cum privato dispendio.

Paralipomena ad Sect. XI.

[a] Videatur August. de nuptiis & concupis. lib. 1. cap. 5, 7, 18, 19. ubi peccatum originale docet actu manere, & esse sicut semen oleæ, quod facit oleastrum, vid. cap. 24, 25, 26, 27. Nam cap. 25. respondet objectioni, cur peccatum originale dicitur dimitti in patre non in prole? Respondet, *dimitti concupiscentiam carnis, non ut non sit, sed ut in Peccatum non imputetur.* Et lib. 3. contra 2. Epist. Pelag cap. 3. ait, "In rei veritate baptismum non dare plenam remissionem peccatorum; cum renati "sint tantum ex parte filii Dei. Expectant enim aliam regenerationem, ut filii hujus "seculi nulla ex parte sint. Idem docet cap. 9. lib de perfect. Justitiæ, ait, "Peccatum in hac vita tantum ignoscendo mundari; at verò sic mundatur in alterius vitæ "perfectione, ut jam non sit omnino quod ignoscendo mundetur. Vid. in eam rem, c. 27, 29, 32, 33. lib. 3. contra 2. Epist. modo citati. Etiam vid. lib. 2. contra Julian. c. 3, 4, 9. & lib. 5. c. 3, 4, 7. & ad quæstionem illam, "an renati propter manens Peccatum absolutè loquendo dicendi sunt sancti & filii Dei, quamdiu in eis manet "Peccatum non Sanctum: Augustin. lib. 6. contra Julian. *c.* 17. Respondet, dicendo, quod ἁπλῶς loquendo, *renati dicendi sunt sancti & filii Dei. Esto, excrementa in intestinis & vesica sint, & non sint sanctificata. Et idem dicendum est de Peccato manente: quod licet non sit sanctum, non impedit, quo minus, quamdiu non imputatur, renati id habentes vocentur sancti.* Adjuvat pulchra assertio Augustini lib. de perfect. just. c. 6. Ubi ad objectionem Cœlestii; *manet Peccatum in renatis, ergo imputatur. Augustin.* respondet, negando consequentiam: quia "Dominus Peccatum non imputat his qui fideliter ei "dicunt, dimitte nobis debita nostra; *aitque*, nos habere in hac vita dimissionem imper-"fectam: Cum Deus ob fidem non imputat peccatum. Ita tamen ut fidelis nunc "sine peccato esse non possit, etiamsi velit: dimissio autem illa perficietur, & omni-"no implebitur sit homo ut omnino sine Peccato, contentione mortis absumpta, & "charitate perfecta. Notandus est etiam pulcher locus ex lib. 5. contra Jul. cap. 3. ubi docet *concupiscentiam manentem in renatis, & pœnam esse & causam Peccati, & etiam Peccatum. Peccatum est quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.*

[b] Necesse esse Peccatum manere in carne, ut traducatur Peccatum, probat clarè Augustin. lib. 6. cap. 6. contra Jul. ubi docet, *Peccatum quid generabit nisi peccatum? Cum bonum, qua bonum nequeat transmittere malum.* Et lib. 1. de nuptiis & concupiscent. c. 32. "Hoc trajicit parens in prolem, quod & ipse carnaliter natus, non quod spi-"ritualiter renatus. Quia id ipsum, quod carnaliter natus est tanquam in semine Oli-"væ latet, etiamsi propter remissionem Peccatorum nihil Oleo noceat: Ei scilicet "vitæ, qua secundum Christum, qui est appellatus ab Oleo, id est, Chrismate, Justus "ex fide vivit. Hoc autem quod in parente regenerato, tanquam in Oleæ semine, "sine ullo reatu, quia remissum est, tegitur; profectò in prole nondum regenerata, "velut in oleastro, cum reatu habetur, donec illic etiam eadem gratia remittatur. Unde eodem modo discurrit de vitio nativitatis in hominibus ac in arboribus. Ita ut facta naturæ mutatione in deterius, totum Genus humanum fiat Oleaster. Quemadmodum videmus in arboribus, vitium primæ nativitatis traductum, & attractum esse. Nec alius modus potest cogitari unde traducatur vitium originale, nisi efficiatur ex

vitio

vitio in carne manente. Posse autem peccatum esse in carne docuit Magister in 2. sent. dist. 30. litera B. Gabriel Vasquez & Lorca in 1, 2. D. Thomæ docent, Peccatum formaliter posse existere in membris & artubus externis, & citant pro se magnum numerum Scholasticorum.

[c] De libero Arbitrio præclara est confessio Nysseni in orat. *πρὸς τοὺς πενθοῦντας*, tom. 2. edit. Paris. p. 1066. in homine *ἰσόθεον τὸ αὐτεξούσιον*, id est, liberum Arbitrium est hominis singulare privilegium, quo quandam habet æqualitatem cum Deo. Antiquissimus autem & doctissimus Tertullianus lib. de anima c. 21. agnoscit liberam Arbitrii potestatem etiam in supernaturalibus, quam vocat *αὐτεξούσιον*, & id constat Johan. c. 1. v. 12. *ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν filios Dei fieri.* Et 1 Cor. 7. 37. *ἐξουσίαν περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος.* Videatur Tertull. cap. 22. de anima, & lib. 2. contra Marc. cap. 5, 6, 7, & c. 8. post Lapsum docet Arbitrii libertatem. Idem cap. 9, 10, 15. & lib. 1. contra Marc. in carminibus, c. 1.

——— *Ille dolo suasit, homo libertate peregit.*

Vide c. 14. lib. de Monogam. lib. de Trin. *Solus homo liber.* Cyprianus discipulus Tertulliani, ut ita dicam, lib. 1. Epist. 3. *homo libertati suæ relictus est, & in Arbitrio proprio constitutus, sibimet ipsi vel mortem appetit vel salutem.* Et liberum voluntatis Arbitrium fatetur, in tract. de simpl. præl. & lib. 3. ad Quirin. c. 52. ubi docet *credendi vel non credendi libertatem in Arbitrio positam.*

[d] Auctor libri Eccles. dogm. c. 21. "Manet ad quærendam salutem Arbitrii "libertas: sic tamen ut initium salutis Deo miserante habeamus. Arbitrium naturæ "nostræ est sequax Divinæ inspirationis. Adeo ut verbis Augustini de gratia & de "libero Arbitrio, *cap.* 16. possimus dicere, certum est nos facere, & quidem liberè, "cum benè ad salutem facimus. Sed ille facit, ut faciamus liberè, præbendo vires "efficacissimas voluntati id facere. Sed ille facit ut faciamus, excitando, præmonendo, "præveniendo vires liberas, & sine gratia hæc præveniente, nihil ad salutem possumus. Videantur Canones Arausicani, qui docent, quod habetur can. 1. *Voluntatem nostram Deum non expectare, sed præparari voluntatem à Deo.* Et doctrina hæc fundatur in Ezek. 11. 19, 20. & 36. 27. *faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Quod testimonium urgent latè Augustinus de gratia & libero Arbitrio c. 14. & Fulgentius lib. 1. ad Monim. & Augustinus lib. 1. contra 2. Epist. Pelag. cap. 3. & 19. ex cap. 6. Johannis contendit *per gratiam Dei voluntates nostras trahi non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Quam tractationem de Grat. & lib. arb. c. 5. vocat *magnam & efficacissimam vocationem.*

[e] Augustinus de perfect. justit. c. 7. docet, *precepta posse impleri in hac vita.* Quando autem implebuntur quæritur. Aitque, "Illud quando non fore modo, "sed tunc quando contentio mortis erit absumpta, & charitas erit videndo & obti- "nendo perfecta. Licet concedat præcepta posse impleri "modo imperfecto, & ad "modum proficientis, profectus tamen ille, in hac vita non perficietur, nec imple- "bitur omni modo. Et cap. 8. ait, "Præceptum charitatis, diliges Dominum Deum "ex toto corde tuo, in plenitudine charitatis implebitur. Nam cum est aliquid car- "nalis concupiscentiæ, non omnimodo ex tota anima diligitur. Idem docet c. 6. dicti lib. & lib. 1. de nuptiis & concupiscentiis cap. 29. "Præceptum, non concupisces, "nemo perficit. Non implet quod scriptum est id dictum, ut nos in hoc morbo jacere "intelligentes, sciamus quo debemus conari, ad plenitudinem nempe alterius vitæ. Et Epist. 200. ad Asellicum, "Hoc lex posuit, dicendo, non concupisces: non quod hic "valeamus; sed ad quod proficiendo tendamus, monstrando. Et de perfect. Justit. cap. 13. *recessisse ab omni malo in hac vita est præceptum, non factum.* Videatur ejusdem libri cap. 9, 13, 14, 17, & cap. 20. ita ait. "Quisquis autem dicit post remissionem "peccatorum acceptam, ita quemquam hominem justè vixisse in hac carne, vel vivere "ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apostolo, 1 *Johan.* 1. aitque, "Se "non defendere valere, hoc dici ratione peccati originalis, & non actualis. Et hoc "colligi potest ex, cap. 3. v. 10. ad Galat. ubi Lyranus dictam doctrinam tradit.

[f] [g] Paulus 1 Cor. 7. v. 23. præcepit, *non simus servi hominum imperantium ἄτοπα*, ut Chrysostomus in dictum locum exponit: *ἄτοπα autem sunt præter legem divinam præcepta.* Galat. 1. v. 8. *qua merentur ve, & plagam, & maledictionem.* Tertull. de Jejun c. 1. de Montanistis ait, *Anathema audimus, qui aliter adnunciamus.* Audiebant hoc à Catholicis ob imperium novæ disciplinæ, c. 2. quod Catholici non admittebant, *Quia aliter annunciatum.* Galat. 2. 25. *Non sumus sub pædagogia legis*; & ei subdi (c 4. v. 3. 9.) *est elementis mundi servire*, v. 11. *Metuendum de statu eorum, qui talem electionem sibi eligunt.* Et c. 5. v. 1. *peccant contra præceptum & libertatem Christi*, vers. 2. *Christus eis nihil prodest.*

deft. Argumentum in his continetur à minore ad majus. Eſt pædagogium ſervile, & contra Chriſtianam libertatem, Chriſtianum eſſe obligatum lege poſitiva divina, quæ alia eſt ab Evangelica; in qua ſtare oportet, 1. ad Galat. v. 8. & cap. 5 v. 1. Ergo à fortiori ſervile eſt obligari lege poſitiva humana, merè humana, in qua nihil divini continetur. Ita arguuntur Catholici apud Tertull. lib. de Jejun. c. 2. *Fides libera in Chriſto, nec Judaicæ quidem legi abſtinentiam debet.* Ergo nec Imperio novæ diſciplinæ eam debet, cum Chriſtus de cætero jejunandum ex Arbitrio conſtituat. Et in hac ſententia eſt *Weſſelius* fol. 748. Impreſ. Batavicæ. Gerſon. 3. part. tract. de vita ſpirituali, lect. 4. Alphabet 62. ubi dicit, *ſolum Deum poſſe dare præcepta obligantia conſcientiam.* Et Coroll. 5. ait, *peccari in legem humanam ratione divinæ, quæ ei conjungitur.* Hanc Gerſonis ſententiam Almain de poteſtate Eccleſ. q. 1. c. 12. amplectitur quoad leges civiles Uterque maximum Scholæ Pariſienſis ornamentum. Et Franciſ. Suarez. lib. 3. de legibus, cap 21. num. 4. citat Decium, & Johannem Imolam, Menoch. Sotum, Caſtro, ut faventes Almanio. Et quia idem Suarez. num. 9. ait ſententiam Gerſonis, prout eam intellexit, eſſe erroneam, & ſcandalo non carere: & Bellar. lib. 3. de Laicis cap. 6. affirmat eſſe errorem: noto breviter Gerſonem nihil aliud docuiſſe, quam id quod D. Thom. 1. 2. q. 90. a. 2. tradit in argumento *Sed contra*, & q. 95. a. 3. ex Iſidor. 5. Etymolog. c. 21. quod "Lex nullo privato commodo, ſed pro communi "utilitate civium ſcribatur. Unde non habet rationem Legis (*ait Thomas*) niſi ordi"netur ad bonum commune. Ergo clarum eſt, legem obligare jure divino, quod "obligat ut pars ordinatur ad totum; unus autem homo eſt pars communitatis per"fectæ, ait Thomas Reſp. in corp. articuli. Vid. q. 95. art. 4. ubi ex eo fundamento demonſtrat, *obligationem legis humanæ oriri à lege æterna. Et quia natura vult partem ſervare totum.* Quod autem ſuperiores in legibus ferendis proſpiciunt bono communi, id ſemper præſumendum eſt, niſi de eo aliter conſtet, ut docet Leſſius lib. 2 cap. 46. num. 30. de Juſt. & jure. Hinc concludo, ſecundum principia omnium Theologorum; obligationem conſcientiæ, quam leges humanæ ſubditis inferunt, provenire ab obligatione vera vel præſumta legis Dei.

SECTIO XII.

De Ordinibus, Clericis, Monachis, & Votis.

CUm pax Eccleſiaſtica multum turbetur ex innovatione rituum ordinationis præſcriptorum, conſulendum ut in ordinationibus omnibus, maximè Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, ſervetur formula vetus hactenus ſervata in [a] occidentali vel orientali Eccleſia. Fatendum tamen, ubi neceſſitas Eccleſiæ id poſtulaverit, ordinationem Epiſcopalem, qua unus alium conſecrat eſſe [b] validam.

Votum caſtitatis annexum ſtatui Clericali & Monaſtico, per ſe loquendo, eſt laudabile, & puritati myſteriorum divinorum, vitæque Angelicæ, quam Clerici & Monachi profitentur, condecens. At tamen ubi συμπάθεια requirit, ut contra Canonum ἀκρίβειαν agatur, ſolet Eccleſia votorum obligationem non exigere, declarando eam tolli. [c] Hoc autem non ita intelligi debet, quaſi Eccleſia quidpiam auctoritatis uſurpet in jus divinum votorum, quibus legitimè voventes ex præcepto Dei aſtringuntur; ſed ideo fit, quia Eccleſia poteſt declarare, auditis gravibus & rationalibus cauſis cœlibatum, ἐν τῷ νῦν, in hac individua perſona non eſſe magis bonum; quod eſt materia voti; ac adeo votum [d] ceſſare defectu materiæ, in certo aliquo ſuppoſito; ita ut illi ſit melius nubere, 1 Cor. 7. 9. & ſatisfacere præcepto habendi uxorem, 1 Cor. 7. v. 2. cui præcepto tali caſu natura voti, aut Canon Eccleſiæ, & circumſtantia perſonæ, non præjudicant.

[e] Monachi vocantur illi (ſi ſint qui debent eſſe) quorum ſtudium eſt imitari in vita & converſatione Chriſtianos Eccleſiæ primitivæ; qui vivebant, omnis generis homines communiter, recipientes ea quæ ſibi uſui eſſent, ſe ſuaque diſpoſitioni Apoſtolorum ſubmittentes. Unde conſtat cœlibatum non fuiſſe annexum vitæ communi primitivorum Chriſtianorum. Nec ideo dicendi ſunt veri religioſi aliquid extra Evangelium docere & profiteri. Nam illa, quæ paſſim vocantur Evangelica conſilia, verè ſunt Evangelica [f] præcepta perfectionis; quæ non obligant ſub pœna damnationis æternæ,

æternæ, quando vergunt ad laqueum, 1 Cor. 7. v. 35. aut in probabile, & morale damnum animarum. Cum intentio ob quam Christus illam majorem perfectionem à nobis exigit, sit ut ἀπερισπάστως & sine distractione magis decorè & honestè ei inserviamus, 1 Cor. 7. v. 35.

Paralipomena ad Sect. XII.

[a] Ritus ordinarii Ecclesiæ occidentalis extant passim in ritualibus, seu ordine Romano passim repertis. Ritus Ecclesiæ Græci editi sunt Venetiis Græcè à Theophane Monacho: typis Antonii Pinelli 1613. Ubi τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονία τοῦ ψάλτου fol. 40. τοῦ ὑποδιακόνου. fol. 50. διακόνου. fol. 50. πρεσβυτέρου. fol. 51. ἐπισκόπου. 53. Liber vocatur εὐχολόγιον.

[b] Paulus 1. ad Tit. v. 5. *Relinquit Titum solum ut ordinet Episcopos.* Lucifer Calaritanus ordinavit Paulinum Antiochiæ Episcopum, Ruff. lib. 1. Histor. Eccles. c. 27. tripartit. lib. 6. cap. 19, 20. Theodoret. lib. 3. Eccles. Histor. cap. 2. ἐκ τοῦ γε ποιῶν. ordinatione minus canonica, ait tripartit. cap. 20. Et tamen lib. 9. cap. 44. ait Romanos *agnovisse Paulinum ut verum Episcopum.* Paulinus solus, ait tripartit. lib. 9. c. 44. ordinat Evagrium receptum à Romana sede ut verum Episcopum. Παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν θεσμὸν, μόνος αὐτὸν ὁ Παυλῖνος προεβάλετο, πολλοὺς κανόνας κατὰ ταυτὸν παραβὰς, ait Theodoret. l. 5. c. 28. quod tripartit. c. 44 l. 9. sic reddit, *præter Ecclesiasticam regulam fuit ordinatus. Solus enim eum ordinavit Paulinus.* Hic Evagrius tamen etiam à Græcis agnitus verus Episcopus. Sicut Chrysost. fuit agnitus ab iis verus Presbyter, quem Evagrius ordinavit, ait tripartit. l. 10. c. 3. ac consequenter verus fuit Episcopus, & ita agnitus à Concilio Oecumenico, quod pronunciavit pro Flaviano contra Evagrium. Et constat ex Theodoret. l. 5. c. 9.

Unde sine fundamento Scholastici nonnulli, & inter eos Vasquez in 3. part. D. Tho. disp. 243. c. 6. sect. 63. ait "plures Episcopos necessarios esse jure divino ad ordi-"nandum alium Episcopum : nisi unus solus faciat ex Commissione Papæ ordina-"tionem.

Clem. l. 8. Apost. constit. c. 27. Dicit quod necessitate cogente, ab uno ordinari possit Episcopus; requirit tamen decretum commissionis plurium. Idem docet Greg. Mag. apud Bedam lib. 1. histor. c. 27. resp. 8. *In Anglia, ubi tu solus Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter, nisi sine Episcopis potes.* Solus autem erat, quia Britanni & Scoti nolebant Augustino communicare, quia habebant eum pro notorio violatore libertatum Ecclesiasticarum Insulæ. Rhabanus Maurus de institut. Cleric. l. 1. c. 4. ait "Pluralitatem Episcoporum requiri ad ordinationem Episcopi, solum ex institu-"tione Ecclesiæ, propter hæreses : ne aliquid contra fidem, unius Tyrannica auctoritas "moliretur. "Excepto quod (ut ait c. 5.) Chorepiscopi à solo civitatis Episcopo "ordinantur. Idem docet Amalarius Fortunat. l. 2. de Eccles. off. c 14. Alcuinus de off. divin. sect. *qualiter.* Beda lib. 2. hist. c. 3. ait "Augustinum solum existen-"tem in Ecclesia Anglicana, Episcopum ordinasse Mellitum Londinensem, & Justum "Roffensem Episcopos, & c. 4. Laurentium designatum à se successorem in Episcopatu Cantuariensi, & c. 7. Justus ordinavit Paulinum; Hic Honorium cap. 16. & lib. 3. c. 20. Honorius, Thomam. Ithamar, Deusdedit. Et c. 21. Finanus, Diumam. Et c. 7. Theodorus consecrat Eleutherium, & c. 22. Ceddam, & lib. 3. cap. 28. Cedda Episcopus Anglus consecratus fuit à Wini, assumptis in societatem ordinationis duobus de Britonum gente Episcopis. Non erat tunc ullus excepto illo Wini in tota Britannia canonicè ordinatus Episcopus. Wini, ut ait Beda l. 3. c. 7. fuit in Gallia ordinatus à tribus; nempe cui Britones, qui communicabant Gallis, libentius se adjunxerunt. Theodorus Cantuariensis, ejecto Wilfrido, ait Beda l. 4. c. 12. ordinavit Eadhedum, Bosam, Eatam & quidem ut testatur Wilfridus apud Malmesburiensem lib. 3. de Archiepiscopo Eboracensi, *absque consensu cujuslibet Episcopi.* Quin & Wilfridus, ut ait Beda l. 4. c. 12. Osttorum ordinavit, *expulsus à sede sua.* Et constat ex Lanfranco apud Baron. ad ann. 1089. in Hibernia usque ad illum annum, consuevisse Episcopum ab uno Episcopo consecrari.

Paludanus in tract. de potestate Papæ. apud *Anton.* 3. part. tit. 14. c. 16. sect. 9. ait, *tres Episcopos requiri ad consecrandum Episcopum, non ad essentiam; sed ad solennitatem tantum, ac adeo valere ordinationem ab uno.* Sequitur enim *Antonium* ibi *Sylvester*, verbo *consecratio. Armilla* eodem titulo; & *Vasquez* citat. disp. 243. cap. 6. ait, *hanc sententiam recentioribus nonnullis maximè probari, & praxis Ecclesiæ eam confirmat :* nam ex 10. can.

Antiocheno, qui eſt cod. Univerſ. Eccleſiæ 89. unus Epiſcopus ſolus poterat facere Chorepiſcopum de jure ordinario, qui tamen can. 89. cod. habebat χειροθεσίαν ἐπισκόπου. *Conſecrationem* verè *Epiſcopalem*: ita ut poſſit facere ſubdiaconos ex Canone; imo & Presbyteros, modo non ſit δίχα τοῦ ἐπισκόπου, *diſſentiente Epiſcopo*. Ut *Balſamon* in eo Canone rectè notat. Chrorepiſcopi ordinantes ſacerdotes dicebant ſe hoc rectè facere, quod haberent χειροθεσίαν Epiſcopalem. Ex quibus refutatur error *Bellar.* l. 1. de Cler. c. 17. aientis, *Chorepiſcopos tantum eſſe Presbyteros.*

[c] [d] *Thomas*, ſcholaſticorum Coryphæus, q. 96. in 1, 2. a. 6. in corp. vocat "Diſpenſationem interpretationem legis & præcepti, quod amplius virtutem obligandi "non habet. *Et hoc* quia ſæpe emergit caſus, in quo obſervatio legis eſt damnoſa com- "muni ſaluti, & tunc lex non eſt obſervanda. & q. 97. a. 4. ad 3. docet hanc doctrinam æquè militare in præcepto juris divini & humani. Communis eſt doctrina Theologorum, quam tradit *Bellarm.* in lib. 2. de Monachis cap. 14. quod "eſſentia voti non "ſubſtat, ac conſequenter ceſſat ejus obligatio, niſi adſint duæ partes eſſentiales ad illud "requiſitæ, materialis & formalis. Formalis eſt permiſſio religioſa, materialis eſt aliquod "excellens bonum, per quod determinatur materia voti. Nec enim voveri poteſt, niſi id quod melius ſit facere quam omittere. Cum ergo datur perſona, cui melius bonum ſit nubere quam cœlibatum facere: in eo ceſſat votum obligare defectu materiæ, excellentioris boni, nimirum: Nec enim poteſt quis voto obligari, & ad nihil obligari ad votum ſpectans. Ubi autem nihil boni excellentioris ſit, non eſt materia ad votum pertinens. Et juxta hoc fundamentum Theologicum, conſilium dederunt SS. Patres. *Cypr.* lib. 1. Epiſt. 11. ubi Chriſto dicatis virginibus conſulit; *Si, aut perſeverare nolint, aut non poſſint, melius eſt ut nubant, quam ut in ignem delictis ſuis cadant.* *Baſil.* de virg. idem dat conſilium virginibus, quæ abjecerunt viri jugum, & ad vitam Matrum-familias factæ ſunt inutiles: & profeſſæ ſunt virginitatem. *Longè præſtantius eſſet ipſas viro conjungi, quam ut ſint otioſæ, nugaces, curioſæ.* *Epiph.* hæreſ. 61. de infamantibus monaſticam vitam ſcortationibus, ait, κρεῖττον πτοῦντα ἀπὸ δρόμου, φανερῶς ἑαυτῷ λαβεῖν γυναῖκα κατὰ νόμον. *Athanaſ.* ad *Dracont.* loquens de Monachis, πολλοὶ τῶν ἐπισκόπων οὐ δὲ γεγαμήκασι, μοναχοὶ δὲ πατέρες τέκνων γεγόνασι ἔξεστι, ἔξεστι γὰρ καὶ αὐτοῖς, καὶ ἐκείνοις οὐκ ἐκώλυται, ἀλλὰ πανταχοῦ τις ἀγωνιζέσθω. *Auguſtin.* de bono viduitatis c. 9. "Poſt continentiam voti debito oblatam, ipſæ "nuptiæ vel talium non damnandæ judicantur, ſed damnatur fracta voti fides, dam- "natur non ſuſceptio à bono inferiori, ſed ruina ex bono ſuperiori. & c. 10. ait, "Ta- "lium nuptias eſſe nuptias, non adulteria. Idem cap. 11. declarat ſe loqui "de conti- "nentiam voventibus, & profitentibus. & c. 8. "Melius nubere quam retro poſt Sata- "nam ire. Et lib. de Sanct. virgin. c. 34. loquens de his quas pœnitet profeſſionis, ait, "Eas revocari à nubendo—à ſuperbia, qua formidatur magis hominibus diſplicere "quam Deo. Hæ melius nuberent, quam urerentur. S. *Greg. Mag.* lib. 1. Epiſt. 33 increpat *Venantium* lapſum à Monachatu, cui ſe devoverat, quæſito *conſilio literatorum Clientium.* lib. 5. Epiſt. 42, & 43. ſcribit ad *Johannem* Epiſcopum Syracuſanum *admonens ut admittat eum ad communionem.* Et l. 9. Epiſt. 30. prolem generavit *Venantius.* Ex quibus patet, *Gregorium* judicaſſe, melius fuiſſe *Venantio* in ſeculo vivere & nubere. Et lib. 9. Epiſt. 31. vult Epiſcopum Syracuſanum *Johannem* hortari *Venantium, quod ad habitum ſuum redire vel in extremis debeat.* Habuit ergo *Greg.* de *Venantio* duplex judicium, unum ſecundum principia univerſalia, per quæ vovens debet votum implere: alterum penes circumſtantias ſingulares, ſecundum quas judicabat voti obligationem ceſſare in *Venantio*, ac adeo eum poſſe admitti ad communionem.

Bernardus tract. de præcept. & diſp. c. 21. quærit, quomodo S. *Greg. Venantio* Apoſtatæ indulſit communionem. Et quomodo *Aug.* vult matrimonium eſſe indiſſolubile, quod fracto voto initur. Et reſpondet, *ita ſancti Antiſtites ſapuerunt.*

Chryſ. l. 3. contra vitup. vit. Monaſtic. *agnoſcit Monachorum matrimonium.* S. *Leo* Ep. 92. c. 12. poſt profeſſionem monaſticam, ait, *honeſtum poteſt eſſe conjugium.* Imo à *Theodoro* in pœnit. apud *Grat.* diſt. 71. c. *Si vir percipitur ut votum habens virginitatis, adjunctus uxori, non dimittat eum.*

[e] Patres aiunt, vitam Monaſticam eſſe illam quam duxerunt Apoſtoli, & fideles Eccleſiæ primitivæ (qui erant uxorati aliqui, ut patet de *Anania* & *Saphira.* Act. 5. v. 1.) *Chryſoſt.* de compunct. c. 8. de Apoſtolis, *nonne aliqui ipſorum* γυναῖκας εἶχον καὶ παῖδας. Ita *Hieron.* Epiſt. 10. *Chryſ.* in Matth. hom. 18. & hom. 56. Et in Act. hom. 11. *Bern.* in Apolog. ad *Gul.* Abbat. Conc. Meldenſe c. 9. *Caſſian.* Collat. 18. c. 4, 5.

[f] *Cyprianus* lib. de Eleemoſyna ait, "Vitam illam communem ab Apoſtolis cele- "bratam, quæ cadit ſub Conſilio (ut Theologi aiunt) acceptam eſſe ex Dei lege cœ- "leſti, qua tenemur eſſe imitatores Dei, cujus quodcunque eſt in noſtra uſurpatione eſt "commune.

"communie. Idem ante *Cyprianum* docuit *Tertull.* lib. 4. contra *Marcion.* c. 23, & 24. Ubi dicitur, *mandari alterius maxillæ oblationem; patientia hæc præcipitur plenè perfectè.* En præceptum perfectionis. Et lib. de Monogam. c. 3. *Johannes monet nos incedere debere, quemadmodum & Dominus,* i. e. Debemus esse Virgines. & cap. 5. *Quod ille fuit in carne æque esse debueris.* Et hoc sensu quadantenus exponi possunt ea, quæ *Tertull.* quem & alii Patres aliquando imitati sunt ea in re, lib. 1. ad Uxor. c. 2. *quod permittitur non est bonum, Nuptias permisit.* Ubi nuptias ponit esse contra præceptum virginitatis, quod est magnæ perfectionis. Certè *Athanas.* lib. de Incarn. agnoscit præceptum virginitatis. Idem in Apolog. ad *Constantium,* S. *Petrus Chrysologus* Serm. 38. ut *percussus præbeat alteram maxillam, vocat præceptum & mandatum.* Et in hoc sensu *Chrysost.* lib. 1. de Compunct. cap. 4. quem multi Patres sequuntur, ait verè *jurare crimen esse,* & prævaricationem mandati ἐντολῆς παραβάσιν. Ibidem, ut percussus præbeat alteram maxillam, ut *volenti auferre tunicam, concedatur pallium, & similia;* vocat *præcepta:* Atque nobis *confusionem habendam, quia contra ea apertè militamus. Aug.* lib. de perfect. justit. c. 8. ait neminem in hac vita implere præceptum diligendi Deum ex toto corde; tamen asserit, *rectè præcipi homini istam perfectionem, quamvis eam in hac vita nemo habeat, quia his præceptis ostenditur quo currendum,* & concludit; *sic audiamus præcepta perfectionis ne currere negligamus ad plenitudinem Caritatis:* Atque *manifestum esse, præceptum esse homini, ut sit absque peccato; licet id præceptum in corpore non possit impleri.* Et cap. 9. inter hujusmodi præcepta perfectionis recenset ea, quibus *Matth.* 5. *jubemur esse perfecti.* Ita etiam *Deut.* 18. & 1 *Cor.* 5. *nolite peccare.* D. *Thom.* 22. q. 44. a. 6. resp. ad 3. agnoscit hæc, scilicet ex *Augustino,* asseritque *dari præceptum perfectionis, ostendens quo currendum, licet,* ut ait resp. ad 1. *non potest impleri in hac vita perfectè.*

SECTIO XIII.

De Primatu Papæ, & suprema potestate Regum, tum in temporalibus, tum etiam in spiritualibus, prout induunt rationem temporalem, & sunt media ad impediendum aut procurandum salutem Reipublicæ.

SAncti Patres deferunt Romano Pontifici [a] Primatum. Primatus ille stando in jure Divino, non confert Papæ in reliquos Episcopos plus auctoritatis, quam habet [b] primus præses curiæ Parliamentariæ [c] in reliquos Senatores. Et cum duplex sit adventus *Christi* in hunc mundum, Primus qui præteriit, in habitu servi ad ministrandum; secundus qui expectatur, & in forma Domini, & Monarchæ ad regendum, & *confringendum gentes virga ferrea,* & subdendum sibi omnia: non caret inconvenienti, quod Discipuli *Christi,* qui erat servus, sint Domini & supra Magistrum collocati. Et cum *Christus* [d] subditus fuerit potestati Regiæ, eique humiliter obedierit, quod Vicarius *Christi* in Dominos temporales, in temporalibus, imperium & dominium exerceat. Reges habent immediatè à Deo potestatem supremam, & solo Deo inferiorem in temporalibus. Per temporalia autem non intelligo tantum ea quæ sunt merè temporalia, sed etiam spiritualia, præsertim corporea, quatenus sunt necessaria ad conservandam quietem Reipublicæ temporalis, aut ei necessarium impedimentum objiciunt: Nam sub ea consideratione spiritualia egrediuntur limites spiritualium, & ingrediuntur ordinem temporalium. Et juxta hanc explicationem, potest in sano & Catholico sensu defendi, Reges esse supremos Dominos in spiritualibus, prout induunt rationem temporalium, non secus ac in temporalibus.

Paralipomena ad Sect. XIII.

[a] *Matth.* 10. v. 2. πρῶτος vocatur *Petrus,* & notatur honore aliquo singulari à *Clemente* Epist. 1. ad *Jacob. Dionys. Areopag.* de div. nom. c. 3. *Hippolyto* orat. de consum. mundi. *Origen.* hom. 2. in *Exod.* hom. 17. in *Luc.* In c. 6. ad *Rom. Petr. Alex.* Serm. de pœnit. *Euseb.* l. 2. c. 14. *Athanas.* ad *Felicem. Basil.* in cap. 2. *Esai.* Orat. 3. de peccat. lib. 2. contra Eunom. *Cyril. Hieros.* Catech. 2, 11, 14. *Ephrem.* Syrus in Panopl. *Greg. Nazian.* in Apolog. ad patrem *Greg. Epiphan.* hæres. 51 & in Ancorato. *Chrys.* orat. 6. in Judæos,

& orat. in *Petrum* & *Paulum*. hom. 23. in *Matth.* Item 83. & hom. 87. in Joan & hom. 2. ad pop. Antioch. & hom. 9. de pœnit. *Cyrill. Alexand.* lib. 2. in Joan. c. 12. & l. 4. c. 28. & l. 10. c. 41. & lib. 12. c. 64. & l. 14. *Thesaur.* c. 2. *Isidor. Pelusiot.* l. 1. Epist. 142, 235. lib. 2. Epist. 58, & 59. *Sozom.* l. 7. c. 4. *Theodor.* in c. 1. ad *Galat.* Conc. Chalced. act. 5. *Joan. Damasc.* orat. de transfig. Dom. & hist. *Barlaam.* c. 11. *Theophylact.* in 16. *Matth.* In 22. *Luc.* 21. In *Johan.* 21. In Epist. ad *Galat.* cap. 1. *Oecumenius* in c. 1. *Act.* in c. 1. Epist. ad *Galat.* *Euthymius* in 16. *Matth.* & 21. *Johan.* & 16. *Marc.* hæc de Græcis. Honoratur etiam à Latinis universis, quos, ni simus nimis profusi, vide citatos apud *Jodocum Coccium* in *Thesaur.* l. 7. art. 4. qui & art. 5, ostendit & Græcos & Latinos Patres consentire *Petro* successisse Romanos Episcopos; ut expressè *Augustin.* Epist. 165. & contra literas *Petil.* l. 2. c. 51.

[b] Doctissimè explicat Primatum S. Pontificis, *Vigorius* in Com. ad Epist. synod. Basil. sect. 4. num. 1. his verbis. *Primatus ad hoc non erat, ut omnia pro imperio ageret successor Petri, sed ut Concilii Ecclesiastici, i. e. Cleri esset Moderator & præses, ut ait Cypr. Et in rebus arduis & magni momenti Concilium Episcoporum cogeret, quibus præsideret: ut patet ex Can.* 33. *Apost. Et quæ plenitudinem potestatis spectant Romani Pontificis, ea specialiter illi postea accesserunt, aut à Conciliis, aut usu, aut consuetudine, aut propter urbis amplitudinem, aut ab Imperatoribus.* Idem tradit *Duarenus* de beneficiis. Et jus Romanum, quod citat *Vigorius* ibid. id apertè tradit. c. *Conquestus* 9. q. 3. &. c. 2. de off. Jud. ord. *Primates vel Patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus.* Et in tract. de *ἀπολείᾳ* Conciliorum brevi edendo; fusè ostendimus, Pontificem Romanum respectu aliorum Episcoporum, qua successor *Petri* est, jure divino ratione Primatus nihil actualis jurisdictionis habere, plus quam alii Episcopi habent: sed ad summum potestatem quandam habitualem habet, per Canones Ecclesiæ, pro commodo Reip. Christianæ extendendam aut diminuendam.

[c] Pulchrè distinguit *Tertull.* inter cæteros, duplicem hunc Christi adventum, Apolog. c. 21. ubi *primum* vocat *adventum in humilitate conditionis humanæ*; *secundum in sublimitate divinitatis exerta.* Idem lib. advers. Judæos, c. 11. & lib. 3. contra *Marc.* c. 4. vocat *in secundo adventu Christi potestatem ejus Regiam.*

[d] Doctores, qui aiunt Papæ jure divino non competere temporalem potestatem, moti sunt ad id asserendum, ex eo, quod Christus eam non habuit in primo adventu. Doctores pene ad num. 40. citat *Widringtonus* in Apologia, quos apud eum vid. sect. 4, 5, 6, &c. Contentus ero hic judicium unius Cardinalis *Aliacensis* afferre. Hic in quæst. de Resum. *Si aliqua dicta sanctorum videntur innuere, quod judicia secularia ad Episcopos pertineant, debent intelligi non de judicio coactionis, sed de judicio discretionis: & hoc ad eos pertinere non jure naturali aut divino, sed humano aut positivo. Christus & Apostoli Principum legibus se humiliter subjicere voluerunt; videturque esse temerarium dicere prædicta esse de jure divino:* Et *Aliacensis* probat suum dictum de *Christo* ex *Johan.* 18. ubi *Christus fatetur Pilatum habere potestatem à Deo datam judicandi ipsum.* Verba sunt *Aliacensis.*

[e] De suprema potestate Regum pulchra est antiquæ Ecclesiæ confessio apud *Tertull.* c. 30. Apol *Imperatores à Deo sunt secundi, post eum primi. Imperator ideo magnus, quia cœlo minor est. Inde est imperator unde est & homo, antequam Imperator. Inde potestas illi unde & spiritus.* & c. 33. *Deo soli subjicio Imperatorem.* & c. 34. *Est Dominus vice Dei.* Et ad *Scapul.* c. 2. *Est homo à Deo secundus, solo Deo minor, omnibus major, dum solo vero Deo minor est.* Hæc ille.

[f] Videatur de hac re fusissima disputatio apud auctorem Apologiæ *Andreæ Duvallii*, in qua defenditur consuetudo Parliamentaria in Gallia contra sess. 25. c. 3. Concilii Trident. ex mente *Duvallii*, qui 3. part. de potestate Pontif. qu. 3. ex *Paulo*, *Rom.* 13. Act. 25. ex *Chrysost.* in c. 13. ad Rom. & glossa, defendit etiam *Clericos & Monachos subdi imperiis Principum secularium, & per eorum leges gubernari, quatenus pertinent ad locum tuendi in regno societatem, quæ maximè pacem & tranquillitatem fovet, quæ non possunt non attingere Clericos, ita ut illi necessario parere debeant, non obstante Clericatu.* Et quo jure id dicit de personis Ecclesiasticis & spiritualibus Clericorum, debet id etiam asserere de eorum actionibus corporeis, etiam sacris, & spiritualibus: & hanc doctrinam, ut fusè in dicta Apologia probatum est, asserunt *Chrysost.* & glossa locis citatis. Et rationes quæ ex Scripturis & Patribus adducuntur à *Bellarm.* lib. 5. de Rom. Pontif. Ad probandum quandoque potestatem temporalem subdi Ecclesiasticæ in ordine ad finem spiritualem; probant etiam Ecclesiasticam subdi temporali in ordine ad finem temporalem, quoties ei obsunt aut conducunt necessario. Expressè etiam hanc doctrinam inculcat *Aug.* lib. 1. cap. 7. contra *Parmen.* & vocat *contradicentes imperitissimos.* *Occam in* tract.

tract. de Jurisdict. Imperat. in causis Matrim. ait: *Dicere, quod causæ spirituales nullo modo ad Imperatorem fidelem pertineant, à nonnullis erroneum judicatur: atque spiritualia circa quæ præcise potestas Episcopalis versatur, sunt spiritualia, quæ in solis divinis Scripturis sunt tradita, & quæ nequaquam fidelibus & infidelibus sunt communia.* Et in Dial. c. 99. ait, *Est evidens, Ecclesiæ pacem perturbantes, debere comprimi per seculares potestates.* Et in hoc cum *Occamo* sentit Glossa in c. 23. q. 5. c. Princeps. Idem *Pelagius* Papa 23. q. 1. c. *Quali. Joan. Parisiens.* l. de potestate Papæ, c. 14 ait, *quando Papa in spiritualibus, & collatione simoniaca Beneficiorum maledicendo scandalizat Ecclesiam, nec aliud est remedium, Imperator requisitus debet procedere contra Papam.* Et *Conc. Basil.* Sess. 2. dat Jurisdictionem puniendi contemptores Canonum, per magistratum secularem. *Duvallius* part. 3. q. 3. de potest. Papæ. *Est offensivum Regum dicere Clericum parricidam, Veneficum, proditorem, vitæ Principum insidiatum, non posse à judice seculari puniri. Et hac in Gallia sustineri non possunt. Gloss.* in c. 13. ad *Rom.* citat *Hieronymum* in *Hieremiam.* Et habetur 23. q. 7. *Hincmari Rhemensis* de potestat. Reg. c. 17. *Principes debere defendere Ecclesias, etiam contra abusus Prælatorum. Paludanus* tract. de potest. Pap. *Turrecrem.* l. 3. de Eccles. c. 106. *Jacobat.* l. 8. a. 3. num. 6. *Silvest.* Papa id docet. Post *Innocent. Hostiens. Antonin.* quos citat *Duvall.* part. 4. q. 11. p. 615. *Cajet.* Opus. de Papa & Concil. c. 27. *Simanch.* de hæret. c. 3. Sess. 3. & c. 44. Sess. 31. *Panorm.* in c. *Sicut.* de jurejur. Card. *Bellar.* l. 2. de Concil. c. 19. & ult. *Pontifici Ecclesiam destruenti licet repugnare vi & armis.* Idem *Sayrus* in Thesaur. l. 12. c. 7. num. 8. & *Joan. Paris.* lib. citat. c. 14. ait, "Ecclesiasticos delinquentes in spiritualibus "incorrigibiliter; in subsidium juris, invocatione brachii secularis corrigi posse, quod "maximè habet locum in Francia, c. 11. Ratio est: actus peccati spectat ad vitium illud imperans; si ergo crimen læsæ Majestatis imperet actum spiritualem, v. g. Administrationem Sacramentorum, Administratio spectabit ad læsam Majestatem, & induet rationem temporalem: ut contigit ann. 1304. in sacerdote qui porrigendo communionem interfecit *Henricum 7.* Imperatorem, ut est apud *Genebrardum* & *Carionem.* Porrectio illa imperata à crimine illo, ut sic, est res temporalis, corrigibilis per Magistratum politicum. Et ita tenet *Widringtonus* in Apolog. num. 154, 156. ubi vult, *prædicationem Evangelii, quatenus iniquè turbat Rempublicam, posse puniri à judice seculari.* Et *Duvall.* 3. part. q. 3. p. 353. ait, ex *Navarro* c. 27. Enchirid. num. 70. *consuetudinem Galliæ cognoscendi de causis Ecclesiasticorum per seculares esse immemorialem.* Idem *Covarruv.* in pract. qq. c. 31. & citat *Joannem Fabrum Aufrerium, Gulielmum Benedictinum, Tiraquellum*; Videatur *Bochellus* l. 2. decret. Eccl. Gall. tit. 14. c. 146. vid. cap. *Carol. Mag.* lib. 5. c. 42. p. 122. edit. Paris. ubi *Judices Regii puniunt Episcopos & Presbyteros. Philotheus Achillinus* in somnio c. 36. ait, *Reges absolutos frui privilegiis, & jure Imperatorum in suis regnis.* At constat ex *Balsamone* in can. 38. 6. synod. poterant olim imperatores ἐπισκοπὰς ποιεῖν ἐκ νέυ, & exercere quamcunque Ecclesiasticam οἰκονομίαν κατὰ τὸ δόξαν αὐτοῖς. Vid. *Balsamon.* in c. 17. *Chalced.* & 16. *Carthag.* Reges ergo præscripserunt auctoritatem in spiritualibus ex concessione Ecclesiæ confirmantis priscos pacificos usus. Vid. Cod. *Justin.* ubi sunt leges Imperiales de *fide Catholica*, de *sanctis Ecclesiis*, & earum privilegiis, *Episcopis, Clericis, Orphanotrophiis, Monachis, Asceteriis*, eorumque privilegiis. Et l. 5. Cod. de *causis Matrimonialibus.* Ex 14. tit. Nomocanonis *Photii*, nec unus est qui non scatet legibus Imperialibus de rebus sacris.

Dum Episcopi 2. synod. vocarentur Romam, *Theodosius* eos convocat Constantinopoli. *Sozom.* c. 7. l. 7. *Niceph.* l. 12. c. 15. *Theodoret.* l. 5. c. 9. In Gallia ab initio Christianitatis ibi receptæ, Reges agebant de causis spiritualibus: ut patet ex Concil. *Aurelian.* sub *Childebert.* c. 12. *Cabilonensi* sub *Clodoveo* c. 1, 5, 9, 23. Concil. *Arelat.* 4. in Prolog. sub *Carolo Mag. Turonens.* 3. c. 51. *Cabilon.* 3. in præfat. *Mogunt.* 1. in præfat. *Rhemens.* sub *Carolo Mag.* in præfat. *Aquisgran.* 1. sub *Ludovico Pio. Parisiensi* sub *Ludovico* & *Lothario* in eorum Epist. & in præfat. & l. 2. Concilii c. 2, 8. & l. 3. c. 11, 13, 14, 22, 23, 24, 26. *Flodoardus* in vita *Hincmari* l. 3. c. 1. scribit *Carolum Calvum* convocasse synodum *Bellovaci*, de negotiis Ecclesiæ *Rhemensis.* Idem, *Binius* tom. 3. Conc. p. 344. Concilii *Meldens.* c. 78. Epistola synodalis *Caroli Calvi* in Concilio *Carissiaco*, Concil. *Pisense*, 863. c. 1. *Wormatiense, Triburiense*, sub *Arnulpho* Imperatore in Epist. synod. *Aurelian.* sub *Roberto* 1017. *Stampense* tempore sancti *Bernardi* idem docent. Ex quibus constat Reges Galliæ de rebus spiritualibus modo dicto egisse: eorumque auctoritas & consuetudo præscripta translata fuit ad curiam Parliamentariam, quæ sub *Ludovico* 10. incepit esse stataria; ut *Gaguin.* l. 4. *Nicolaus Egid.* in *Hulmo. Genebrard.* in Chron. l. 3. an. 756. testantur.

Parliamentum semper pro lege inviolata servavit capitularia *Caroli Magni*, quorum l. 2. sic ordinatum est: "Ecclesiastici, si causa orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem "Regni, aut ad commune damnum pertineat; quæ sine nostra potestate corrigi "non possit, nos diu latere non permittatis. Hæc omnia corrigere debemus, & quic-

"quid

"quid in his, quæ ad pacem & justitiam totius populi pertineat, & ad honorem regni, & "ad communem utilitatem.

Rituale consecrationis Regum Franciæ apud *Bochellum* l. 5. decret. tit. 2. profert juramentum Regis; scil. *Ecclesiis Canonicum Privilegium, & debitam legem atque justitiam servare, & defensionem exhibere.* Rex etiam ibi vocatur ab Archiepiscopo eum coronante, *particeps ministerii ipsius.*

Pulchrè Constantinus apud *Euseb.* de vita Constantini l. 4. c. 24. Ὑμεῖς τῶν ἔσω, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ἐπίσκοπος, &c *Caus.* 20. q. 5. *Principes seculi intra Ecclesiam potestatis culmina habent.*

Concludam ex *Paris.* solidissimo Theologo, tract. de potest. Pap. c. 21. "Spirituale "jus Collationis, *&c.* potest competere Laico ex consuetudine. *Ait autem duplex* esse "spirituale; unum per Causalitatem, quo gratia spiritualis causatur: Alterum per Con"comitantiam; *idque* per consequentiam, vel per Antecedentiam: *ait autem nec* spirituale "primum; ut Administratio Sacramentorum, nec quod consequitur jus ex eo posse com"petere Laico: Bene tamen potest jus Antecedens annexum spiritualibus officiis; ut "Præsentatio, Collatio: præcipuè ex concessione Ecclesiæ, & ex longa consuetudine "præscripta; potest Rex hoc jus sibi acquirere, quia hoc ei non repugnat. *Et hic finis esto.*

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

CONSILIA VATICANA RETECTA.

SIVE,

De Fœdere contra *Protestantes*, *Romæ* inito, Authore *Clemente Papâ*, VIII. & de duabus *Congregationibus* ad eundem finem ab eodem Pontifice institutis; quarum I. *Congregatio sacri Fœderis.* II. *De propaganda fide* dicitur. Per *Fran. Broccardum*, Secretarium *Papæ*.

E. B. *Lectori salutem.*

EXcusum est hoc opusculum *Amstelodami* A. D. 1677. in calce Interpretationis numeri *Apocalyptici* DC.LX.VI. *Potteriana*, sub hoc lemmate [*Francisci Broccardi, qui Papa Clementi. VIII. fuerat à secretis, Classicum; quod ad sinceram Christi fidem conversus, universis sui temporis Regibus Religioni Evangelicæ faventibus adversus Papam, & molitiones technasq; papales à se patefactas, cecinit:*] id autem nactus ego inter spolia Bibliothecæ cujusdam Magnatis *Anglici* palam venditæ manuscriptum, ob res in eo minimè contemnendas nec dubitandas, hic etiam inter collectanea mea quod insereretur duxi dignissimum: de origine exemplaris tu, si velis, quæras; si verò de rerum quas tractat veritate hæsites, adi *Romam* quò melius discas; vel expende tecum annon res in *Europâ* gestæ ab isthoc tempore, fidem narrationi faciunt certissimam: i. e. Si nolis oculos aperire, sis adhuc, per me licet, cæcus, & vale.

CUM benignissimus Deus me ex densissimis tenebris Papatus ad clarissimam hanc lucem Evangelii sui & ad puriorem agnitionem Verbi sui mirabiliter evexerit, omnium qui vivunt ingratissimus haberi jure ac merito possem, si reliquum illud quod mihi superest vitæ, ad ejus sanctissimi nominis gloriam, & ad Regni Evangelici utilitatem non dedicarem & devoverem. Iniquum enim esset & impium illi à quo vitam & salutem habeo, non obsequi & inservire

vire quibuscunque possim rationibus. Nulla verò hoc tempore (cum nihil aliud valeam præstare) commodior visa est glorificandi Deum, benefaciendi Ecclesiæ, & declarandi animum erga Religionem Evangelicam ratio & occasio, quam detegere & evulgare ea, quæ Pontificii hostes jurati & Christi & Evangelii meditantur & moliuntur contra omnes de Evangelio bene sentientes; quæ mihi visa sunt ejus esse generis, quæ non sine summâ offensione Dei, & sine summo damno totius Regni Evangelici taceri & occultari possint. Gravissima enim & perniciosa consilia inierunt Pontificii omnes adversus Evangelicam Religionem, & inter se arctissima & impiissima fœdera adeò unanimiter pro oppressione fidelium firmarunt & jurarunt, ut non dubitandum sit multum eos posse obesse Reipub. Evangelicæ, nisi præmoniti & muniti sint illi, adversus quos primum res statuerunt. Scimus quidem Evangelicos optimam causam tueri, Deumque illis adfuturum, quo Satanæ & Antichristi insultus irritos reddere possint: Nihilominùs non sunt contemnenda, nec illis stertendum est tali fretis confidentia; quin credendum est Dei providentiâ excitari qui hæc nota faciant iis de quorum vitâ & salute agitur, quo muniantur adversus hostes insultantes. Quarè ut habeant omnes Evangelici Principes ac fideles omnes unde sibi præcavere possint à machinationibus Pontificis Romani ac Principum omnium Pontificiorum, Ego Deo juvante intrepidè & candidè narrabo & vulgabo impiissima fœdera & Diabolicas artes & machinas Pontificiorum fœderatorum contra Rel. Evangelicam. Non narraturus sum trita & vulgaria, quæ ex ore plebis vel ex somniis otiosorum Monachorum collegerim: Sed quæ egomet hisce auribus ex Pontificis ore, ex Cardinalium verbis & ex Principum Pontificiorum scriptis, subscriptionibus & signis hausi & cognovi. Nec me terret Regum & Potentissimorum Principum indignatio & ira, qui horum evulgatione incensi facile in me concitabuntur. Nam mihi magis metuendus est Deus, qui corpus & animam simul perdere potest, quam illi qui corpus tantum alioquin mortale & caducum, momentaneæ etiam morti & brevissimis cruciatibus tradere possunt. Indignentur, ringant, ac (si Deus illis permiserit) in me ruant: Ego ad hæc me impulsum & motum à Deo sentio & agnosco; per eos non stabo, & illis frementibus intrepidè eorum proditiones prodam. Audiant ergò quotquot Evangelio ex animo bene favent, ac audita animo retineant.

Clemens VIII. Pontifex *Romanus* qui hoc nostro tempore sedet, cum omnium fere Principum *Europæ* animos admirando quodam artificio sibi devinxisset, nolens occasionem ad stabiliendam Tyrannidem sibi opportunè oblatam imprudenter negligere; contendit totis viribus sacrum (ut ipsi appellant) fœdus inter Monarchas & Principes *Pontificios* adversus *Regnum Evangelicum* inire & firmare, quod jam majori ex parte conclusum est.

I. Nam Imperator, Rex *Hispaniarum*, Archiduces *Austriæ*, *Albertus* & *Ferdinandus*, Duces *Bavariæ*, *Lotharingiæ* & *Sabaudiæ*, ac omnes fere alii Principes *Pontificii*, excepto Rege *Galliarum*, & Magno Duce *Hetruriæ*, nomen dederunt & subscripserunt dicto fœderi; movetque *Pontifex* omnem lapidem, ut alios quoque impellat ad coëundum cum illis, videbaturque aliquam spem fecisse.

II. Ejus fœderis multa sunt capita: utpote *de ratione agendi*, de *tempore*, de *apparatu*, ac de *portione quam quisque collaturus est ad bellum illud sanctum*, quod meditantur & moliuntur contra Evangelicos: & in illud omnia capita coincidunt, ut omnes prædicti fœderati, junctis viribus contendant ad extirpationem Evangelicæ Religionis quibuscunque possint rationibus.

III. Imperator ante annum instabat apud Pontificem pro pecuniis & auxiliis contra *Turcam*, quo possit vel ejus impetus reprimere, vel saltem eum redigere ad honestas conditiones pacis vel diuturnarum induciarum, promittens rebus cum *Turca* ex voto compositis, omnes suas vires & copias conversurum se pro *Pontifice* adversus *Evangelicos* quos ipsi hæreticos vocant.

IV. *Pontifex* valdè favet paci *Turcicæ*, & hâc de causâ noluit anno elapso audire Oratores Regis *Persarum* qui instabant pro generali confœderatione contra *Turcam*. Existimat enim *Papa* suæ Tyrannidi magis obesse *Evangelicos* quam *Turcam*. Conqueri etiam sæpe solet quod sine fructu totos quadraginta annos bellum gestum sit contra *Turcas*, quo tempore minori cum sumptu Ecclesia *Romana* potuit Authoritatem suam recuperare in *Europâ*, & ideo cupit inducere *Turcam* ad petendam pacem, ac suadet Imperatori ut æquas conditiones pacis à *Turcâ* accipiat.

V. Anno 1601. Cardinalis à *Dietrichestain* Episcopus *Clemutgensis Pragâ Romam* summa celeritate se contulit, Literasque à *Cæsare* habebat ad *Pontificem* quibus pollicebatur *Pontifici* executionem armatam suæ sententiæ quam *Cæsar* ante tulerat pro *Pontifice* contra *Evangelicos* in causâ bonorum Ecclesiasticorum quæ omnibus locis restitui volebat in usum Ecclesiæ *Romanæ* ad formam Legatorum, indéque habiturum se sperabat *Pontifex* occasionem incipiendi turbas motusque in *Germaniâ*, & hâc de causâ convenerunt, ut dictorum bonorum major pars distribueretur iis qui bellum illud strenuè gessissent.

VI. Idem

VI. Idem Cardinalis eodem tempore nomine *Cæsaris*, ut ipse jactabat, pollicebatur, quod dum appararentur ad Bellum apertum necessaria, Imperator & Principes *Austriaci* erant penitùs ejecturi omnes *Evangelicos* ex locis suis patrimonialibus, utpote ex *Austriâ*, *Tyrolo*, *Croatiâ*, *Carinthiâ*, *Stiriâ* & similibus, necnon eos idem etiam aggressuros in *Moraviâ*, *Silesia*, & *Bohemiâ*, prius sine strepitu, si fieri potuit, post armis & vi potissimum peregrinorum militum ex bello *Hungarico* redeuntium (non enim in hujusmodi rebus fidunt militi *Germano*) eisque populos illos depopulandos & expilandos nisi ad Ecclesiam *Romanam* fuissent conversi.

VII. Legatus Pontificius qui *Pragæ* nunc commoratur, ante paucos menses scribebat prædicta omnia magnâ ex parte esse confecta, ejectosque fuisse *Evangelicos* ex prædictis Provinciis, & *Jesuitas* permissu *Cæsaris* occupasse ferè omnia loca & Templa *Evangelicorum*, non solùm in *Austriâ* & *Carinthiâ*, verum etiam in *Silesiâ* & *Moraviâ*: necnon Milites *Gallos* sub signis cujusdam Comitis *Reingravii* combussisse aliquot pagos in finibus *Bohemiæ*, majoresque hoc anno progressus facturos auxilio potissimum *Italorum* qui in *Hungariam* à Pontifice in hunc finem potissimum mittuntur ut *Evangelicos* depopulentur & trucident.

VIII. Promisit etiam Imperator se nullas supremas dignitates posthac sive in politicis sive in militaribus administrationibus collaturum iis qui notati sunt de hæresi, vel hæreticis quovismodo favent: quinetiam se curaturum ut minima quoque officia eripiantur illis *Evangelicis* qui nunc rerum potiuntur, nisi ad *Romanam* Ecclesiam fuerint conversi intra statum aliquod tempus: & hinc Legatus Pontificius aiebat fieri ut multi indies Nobiles in *Germaniâ* abnegato *Lutheranismo* ad Pontificiam Religionem accederent, quibus passim conferuntur summa Officia & beneficia, quo alii ad *Christum* abnegandum incitarentur. Persuasi enim sunt experientiâ omnium Temporum, ambitionem & divitiarum honorumque libidinem multos seduxisse qui videbantur alioquin constantissimi.

IX. Hâc promissione *Pontifex* in spem maximam erectus ausus est instantissimè urgere Imperatorem, ut Nobiles aliquot Evangelicos, quos ipse nominabat, deponeret & abdicaret ab Officiis & muneribus publicis quibus tunc in Bello & Politiâ fungebantur. Inter hos nominatim erant *Colonicius* Comes *Henricus Matthæus à Turre Bohemus*, Dominus ab *Offen-Kirchen*, Barones à *Pochan*, *ab Ogdisco*, *à Dermen stroff*, & similes; quibus petebat surrogari aliquot Pontificios & Apostatas; asserebatque res non posse fœliciter succedere contra *Turcam* si res bellica administraretur per *Evangelicos*; nec se velle pati, nec minus esse ex Dignitate Imperatoris Catholici permittere passim in Exercitu *Christiano* contra Infideles haberi conciones *Lutheranas* quas penitus proscribi petebat; alioqui minitabatur se non passurum ut ex *Italiâ* & *Hispaniâ* ulli in futurum mittantur Milites, ne Provinciæ adhuc integræ inficiantur hæresi.

X. Dux *Mercurii* ejus consilii est Author, ut multos sibi addictos promoveret ad militaria Officia, & ipsemet scripserat ad Cardinalem *Aldobrandinum* ut Pontifici persuaderet hoc esse facillimum Imperatori. Pontifex cogitans hanc esse rationem tollendi conciones ex exercitu, & sternendi iter ad multa in perniciem *Evangelicorum*, instantissimè idem petiit ab Imperatore; à quo tamen nullum aliud responsum tulit quam expectandum esse tempus opportunum, & occasionem meliorem; interim tamen se curaturum ut idem paulatim fiat.

XI. Idem Dux *Mercurii* ante 2. annos habito de hâc re cum prædictis fœderatis consilio, statuerat tempore hyemis, quo Bellum non potest geri in *Hungariâ*, diligenter lustrare totam *Germaniam*, & quasi aliud agens, observare & annotare loca, situs, flumina, angustias, fines, exitus, aditus, munitiones ac vires *Protestantium Principum* & *Civitatum Evangelicarum*, quò facilior excogitari possit ratio occupandi ac circumveniendi illos in Bello præmeditato: Et ego vidi *Romæ* apud Ducem *Suessanum* delineationem aliquot locorum Evangelicorum factam per *Petrinum* mathematicum dicti Ducis: eo adhuc vivente audivi illud idem debere perfici per Ducem *Niversanum* qui affectat locum dicti *Mercurii* in Bello *Hungarico*.

XII. Cum vidisset *Pontifex* se non posse tam citò impetrare à *Cæsare* abdicationem prædictorum Nobilium *Evangelicorum*, novo astu contendebat ab Imperatore ut saltem haberet minorem numerum militum *Evangelicorum*, ne exercitati fierent in perniciem Ecclesiæ *Romanæ*, & ne essent *Catholicis* superiores. Meliùs fore si Imperator conscriberet tantum milites *Pontificios* & stipendia ac pecunias exigeret à *Protestantibus*; ita brevi futurum ut *Evangelici* uno & eodem tempore exarmentur & depauperentur. Multa quæ sunt hujusmodi posse inchoari & tentari in perniciem *Evangelicorum*, quæ rebus ita stantibus ne cogitari quidem poterant: & quò Imperator

tor ad hoc faciliùs induceretur, accusabat *Evangelicos* de conjunctione cum *Turcâ*.

XIII. *Papa* habet aliquot Consiliarios in Aulâ *Cæsaris* sibi addictissimos, qui ob maxima stipendia & magnas spes quibus illos alit, flectunt Imperatorem ad nutum *Pontificis*, eorumque operâ cognoscit non solum Actiones *Cæsaris*, verum etiam ejus propensiones & affectus.

XIV. Urget *Pontifex* electionem Regis *Romanorum*; timet enim ne decedente Imperatore, nullo ei adhuc Successore substituto, aliquis creetur qui non sit *Pontificius*, vel saltem minimè infensus *Evangelicis*; & hâc de causâ instigat Imperatorem, eique & Electoribus Ecclesiasticis enixè commendat *Albertum* qui multis nominibus aliis præponi cupit, eò quia per illum existimat restitutum iri debere *Romanam* Religionem in *Belgio* & *Germaniâ*, ac etiam quia Rex *Hispaniarum* offert & pollicetur omnes copias & vires suas contra *Turcam* & hæreticos, si *Albertus* eligeretur.

XV. Orator Regis *Hispaniarum* qui *Romæ* habitat, ostentabat literas à Legato ejusdem Regis qui *Pragæ* est, quibus monebatur Electorem quendam *Evangelicum* inclinare ad partes *Alberti*, multaque de illo sibi pollicebantur *Hispani* tam in negotio Electionis quam in rebus *Belgicis*.

XVI. Imperator videtur magis inclinare ad *Matthiam*, quem tamen *Pontifex* videtur rejicere propter quasdam suspiciones adversus illum ortas in causâ Religionis, quas ille diluere contendit cum persecutione *Austriacâ* & *Maravicâ*, quibus in locis se admodum severè gerit contra *Evangelicos*, sperans hâc ratione posse sibi conciliare Pontificem & Ecclesiasticos Electores; sed frustra. Nam *Pontifex* & *Ecclesiastici* non tam respiciunt ad causam Religionis, quam ad politicas rationes: Volunt enim *Albertum*, non quod sit Religiosior, sed quod existimant eum futurum potentiorem & minoris facturum Principes *Evangelicos*.

XVII. Hujus Electionis causâ multa differuntur contra *Evangelicos* quæ statim exequerentur si de aliquo *Austriaco* fieret electio; veretur enim Imperator ne si parum hostiliter se gerat in *Evangelicos* ante substitutionem prædictam, abalienentur à se & à Familiâ suâ Principes *Evangelici*, & hac de causâ lactat & mulcet nunc multos quos voti compos factus, proculdubio parvi pendet.

XVIII. Archiepiscopus & ipse *Coloniensis* literas dederat ad Cardinalem S. *Georgii* quibus intercedebat pro suâ Familiâ *Barbaricâ* in negotio dictæ Electionis, jactabatque se habere aliquot Electorum vota in suam Domum propensa; offerebatque Pontifici tam suo, quam Parentis nomine, omnes opes & copias ad exaltationem *Romanæ* Ecclesiæ.

XIX. Eodem tempore *Romam* secretè accessit nomine Ducis *Bavariæ* Legatus quidam dictus à *Somberg*, unus ex 4. Equitibus Imperii, qui dicti *Bavari* nomine multa egit cum Pontifice & Cardinalibus de modo agendi ac de captandâ occasione ad *bellum* illud *Sanctum* inchoandum; idemque de electione urgebat; & quò sibi conciliaret gratiam Pontificis, spem maximam faciebat fore ut ex Colloquio illo *Ratisbonensi* de quo tunc agebatur, aliquot Principes *Evangelici* converterentur ad Ecclesiam *Romanam*: nihilominus *Pontifex* non potuit adduci ut permitteret de suo consensu quin mandaverat *Claudio Aquavivæ* ut rebus periclitantibus abrumperetur.

XX. Cives *Augustani* in quos *Marcus Volserus* & *Georgius Fucherus* instabant apud Pontificem ut ab Imperatore impetraretur expulsio & ejectio pastorum *Evangelicorum* ex eadem Civitate *Augustanâ*, quam hoc tempore facile fore aiebant, tùm quia potentiores & magistratus essent Pontificii, tum quia Principes finitimi Religionis *Romanæ* zelantissimi. Eorum nomine causam hanc agebat Cardinalis *Palavicinus*, & cum illo prædictus *Fucherus*, qui datâ opera anno elapso *Romam* se contulerat, unà etiam cum illo erat quidam Doctor *Brandanus* qui illis subministrabat rationes quibus hoc facilius fieri posset: etiam eo usque rem perduxerat ut Imperator astante Pontifice assensus sit ad ejectionem prædictorum Pastorum, modo fieri posset sine motu & seditione: quin testatus est aptè se nihil magis cupere quam ut idem fieri posset in omnibus Civitatibus Imperii.

XXI. In congregatione habitâ *Romæ* usque à mense *Januarii* anno 1602. decretum fuit annuente etiam *Cæsare* ut in omnibus Civitatibus Imperii collocarentur & alerentur *Jesuitæ*, quo eorum operâ possit sterni iter ad persecutionem meditatam: Sperant enim artibus *Jesuiticis* tantum posse præstari, ut multos habituri sint fautores in Civitatibus illis alioquin *Evangelicis*, quorum auxilio facilius sperant opprimi posse *Evangelicos*. Quæstio tum tantum fuit de alimoniis. Nam Episcopi *Germaniæ* conquerebantur de tenuitate redituum: Sed *Pontifex* tandem statuit eos alere sumptibus Fisci Ecclesiastici, quousque eis aliter sit prospectum.

XXII. Archidux *Ferdinandus* Princeps *Stiriæ* & *Carinthiæ*, nuper conquestus est, cum Pontifice, quod cum ipse è Provinciis suis omnes *Evangelicos* ejecisset; nihilominus multos adhuc ibi vivere indulgentiâ Principum Ecclesiasticorum qui in Provinciis istis habebant loca aliquot; utpote Episcopus *Bambergensis*, Archiepiscopus *Salisburgensis*, qui eos paterentur & exciperent. Quare rogabat *Pontificem* ut graviter illos compellaret & cogeret ad omnimodam ejectionem prædictorum: alioquin minitabatur se usurum Imperio summo quod prætendit in dictis locis, eosque ejecturum manu armata etiam invitis dictis Episcopis; quod *Pontifici* arrisit.

XXIII. Interim dum res apparantur ad Bellum aptum adversus *Evangelicos*, student dicti Pontificii Evangelium aggredi, & hoc anno miserunt ad partes *Belgii* & *Angliæ* magnum numerum seductorum & exploratorum, quorum operâ multi cujusque generis seducuntur & subornantur, qui deinde in Civitatibus *Evangelicis* aluntur sumptibus Pontificis, ut sint usui ad ea quæ molitur. Horum Emissariorum aliquot ante mensem *Lypsiâ* transierunt habitu mentito contendentes in *Brussiam*, ubi sperant nidificare posse, ut inferius dicetur. Si talium Exploratorum Actiones diligentiùs observarentur, facile capientur aliquot ex quorum memoriis & annotationibus hæc & plura detegerentur.

XXIV. Ante paucos annos hic Pontifex instituit *Romæ* duas congregationes sive Senatus; quarum una dicitur *Congregatio ad propagationem Fidei*, altera *Congregatio Sacri Fœderis*; in quorum singulis sunt 9. Cardinales & totidem Consiliarii, qui unà conveniunt singulâ Septimanâ semel, nihilque agunt, meditantur, student, quam exagitare, proponere & examinare rationes propagandæ *Tyrannidis Pontificiæ*, & sternendi iter ad persecutiones & carnificinas adversus *Evangelicos*; necnon aucupandi occasionem inchoandi Bellum illud execrandum contra fideles. Ex hâc congregatione prodeunt Emissarii illi & exploratores, qui singulis annis magno numero ad turbandas provincias *Evangelicas* & ad seducendos Fideles. Et denique duæ illæ Congregationes sunt officinæ in quibus formantur omnia instrumenta, & fabricantur machinæ, proditiones, consilia, scelera, & omnia mala contra *Evangelicos*. Habent autem prædictæ Congregationes particularem communicationem cum Jesuitis & Alumnis Collegiorum *Germanicorum*, *Anglicorum* & *Maronitarum*, ex quibus tanquam ex Equo *Trojano* proditores & seductores exeunt, quos mittunt, ut dixi, ad omnes Provincias *Evangelicas*. Illi enim judicantur omnium aptissimi, ad dolos & proditiones. Nam ob linguas quas callent, ob mores, affinitates & clientelas quas habent in omnibus Provinciis *Evangelicis*, facilè se intrudunt & insinuant in Principum & Nobilium Aulas & familiaritatem, & si quos vident faciles & flexibiles, paulatim promissione & spe honorum, dignitatum & rerum magnarum, tam nomine *Cæsaris* quàm *Pontificis* conantur eos allicere, subornare & seducere, quod sæpe illis prosperè cedit, ut videre est ex Baronibus & Nobilibus quos nuper subverterunt, nempe de Barone *Feristo* de *Cicendorfio*, de Equite ab *Andectan* minore, de Barone à *Dermensdorf* & à *Thona*, ac de multis aliis in *Germaniâ*. Omitto quid in *Angliâ*, *Galliâ*, & aliis Provinciis hujus generis præstiterunt.

XXV. Magnus sanè est eorum numerus qui in singulis diebus *Romam* confluunt ad *Christum* abnegandum, major etiam eorum qui secretò domi abjurant, & per dictos Emissarios instituuntur ad *Idolomaniam Pontificiam*, ac in patriâ & in Civitatibus *Germaniæ* aluntur, quo possint simulatè inter *Evangelicos* viventes promovere rem Pontificiam, quod faciunt strenuè, nam dictorum opera *Romæ* sciuntur omnia *Evangelicorum* consilia, diffidia & affectiones.

XXVI. Pars eorum Apostatarum qui *Romam* confluunt, qui sunt omnes ferè tenuioris fortunæ, in Civitate *Romanâ* & in ipsa Aula *Pontificis* retinetur & alitur, ut sint usui contra *Evangelicos* qui *Romam* se conferunt, & ad alia multa de quibus infra latiùs dicetur. Altera pars per diversas *Italiæ* partes & Civitates distribuitur ad explorandum & observandum an aliqui Principes & nobiles *Evangelici* ad *Italiam* accedant, quos cum primum detexerunt, quod illis facillimum est, ob *Jesuiticam* institutionem quam exactè callent, statim eos accusant & denunciant, sive *Pontifici* sive *Inquisitoribus*, prout sunt Personarum qualitates.

XXVII. Horum Exploratorum aliquot Romæ cognovi tum cum ibi versarer ante biennium, quos ut vitari possint ab *Evangelicis* qui *Romam* se conferunt, nominatim recensebo: horum primus est *Joannes Hieronymus Fendri* qui cubicula habet locanda ad signum *Leonis albi*, hic cum duobus filiis *Germanicam* linguam callentibus à *Pontifice* stipendium habet annuum ut prodat adventantes *Germanos*. Secundus est quidam *Sheverus* ad signum *Aquilæ nigræ*, prope *pontem Sancti Angeli*. Tertius Sartor quidam *Belga*

in

in Via quam *Juliam* vocant: Iſti tres propter artes quas exercent, hùc illùc curſitant, per hoſpitia, ad *Urſum*, ad *Campanam*, ad *Enſem*, & ſimilia, ubi ſolent diverſari Germani, & ob linguam, & artes quas exercent commodè & dextrè ſe inſinuant in Nobilium vel ſaltem eorum famulorum & domeſticorum Authoritatem, & pedetentim ex uno aut altero ſigno & argumento facilè detegunt cujus ſint Religionis & Regionis, quo cognito, eos indiſcriminatim produnt, ſive ſint Principes ſive alterius conditionis: Omnes enim prædicti & multi alii in hunc finem à Pontifice ſtipendiati.

XXVIII. Sunt præterea aliquot alii literati Apoſtatæ, qui idem præſtant, ſed graviori & ſubtiliori ratione. Iſti enim non niſi ad magnos viros accedunt, & ad eos tantum quos prædictorum ruditas non potuit dignoſcere. Inter hos eſt quidam *Caſparus Schoppius Bambergenſis*, Dr. *Faber* Medicus ad Hoſpitale *Sancti Spiritus Francofurtenſis*, *Juſtus Calvinus Heidelburgenſis*, *Johannes Wourenius Amburgenſis*, D. *Joſephus Wormatienſis*, *Arnoldus Martinus Allobrogus*, *Stephanus Della Favergia Genevenſis*, *Antonii Calvini* Privignus, *Robellus Gallus* qui antea Ducis *Bulleonæi* fuit Secretarius, multique alii hujus farinæ ex omnibus ferè provinciis Germaniæ. Iſti cum primum intellexerunt aliquem adeſſe Germanum alicujus nominis vel cum honeſto ſatellitio, ſtatim ad illum advolant, ac illi quaſi officii cauſa in gratiam Patriæ & Gentis exhibent ſua ſtudia & officia, ſeque rerum memorabilium monſtratores offerunt, paulatimque cum illis de Aulæ Romanæ rebus agunt, & nonnunquam quædam proponunt de moribus & ceremoniis Pontificiorum ac ſi ipſi de Religione *Romanâ* malè ſentirent, ut hoc colore detegant quo quiſque pede claudicat. Nam pauci ſunt qui eorum technas fugiunt, eorumque relatione & opera multi infimæ ſortis homines ſunt detruſi & ad Chriſtum abnegandum coacti. Cum Nobilibus enim & Principibus *Pontifex* multas ob cauſas ſtatuit mitius agi debere; nihilominus etiam illis tendit laqueos, contenditq; vel eos ſeducere vel aliquo alio modo *è medio tollere*.

XXIX. Prædictorum *Apoſtatarum* & *Exploratorum* operâ reſcivit Pontifex omnium Principum qui in *Italiâ* fuerant anteactis annis adventum & moram, & ab eo die quo ingreſſi ſunt *Italiam*, ſemper habuerunt qui nomine Pontificis eos ſequerentur eorumque Actiones & motus obſervarent; non ſanè ut eos caperent & detinerent, nam experti ſunt illis rationibus ſe non prodeſſe Eccleſiæ *Romanæ*, ſed ut eorum affectiones & propenſiones explorarentur quò facilius allici & ſeduci poſſent.

XXX. *Pontifex* vel *Inquiſitores* cognito alicujus Principis ſive Nobilis *Evangelici* adventu, ſtatim aliquem virum honeſtum ad hoc inſtructum ad illos ablegat, iiſque omnia humanitatis officia offert, munuſculaque aliquot eis exhibet, necnon blandis verbis excipit, eoſque bono eſſe animo jubet: Interim non omittit per *Emiſſarios* ſuos eos tentare de Religione, contenditque quibus poteſt humanioribus rationibus ut eos avertere à Religione *Evangelicâ* vel ſaltem ex *Italiâ* dimittere melius perſuaſos de moribus Pontificum & de Religione *Romanâ* poſſit. Hujus rei Teſtes eſſe poſſunt Principes *Wirtenbergici*, *Anhaltini*, *Palatini*, *Neoburgici* & *Saxonici*, qui talibus munuſculis, blanditiis & artibus fuerunt tentati, nonnullique ex eorum Conſiliariis & Præceptoribus acriter oppugnati, & maximis promiſſionibus honorum & dignitatum tentati, ut Principes ſuos proderent & perverterent. Qui verò tenuioris ſunt fortunæ, *Inquiſitoribus* traduntur ut eos diuturnis carceribus macerent vel cruciatibus ad *Chriſtum* abnegandum compellant, vel ſi conſtantes ſint in veritate *Evangelicâ*, igne, ferro & diris tormentis diſſecent & interficiant.

XXXI. Supradictorum Principum adventu & mora in *Italiâ*, multa de Principum *Evangelicorum* inter ſe diſcordiis, & de ſtatu Religionis in *Germaniâ*, & de propenſione populorum erga Principes, necnon de multorum viribus & conſiliis agnovit *Pontifex*, quæ ferendi & fovendi diſcordias & ſimultates inter Principes *Evangelicos*, machinandique multa in perniciem *Evangelii* quæ nunquam antea potuiſſet *. Sperat enim ut jactare ſolet, propriis *Evangelicorum* armis Tyrannidem propagare & ſtabilire. Quare caveant ſibi Principes *Evangelici*, diſcantque minus fidere Principibus *Pontificiis*, & ſi ſapiant abſtineant ſe ab *Italiâ* & *Româ* potiſſimum, vel cum eò ſint profecturi videant quos ſecum habent & quibus fidant.

* Ita eſt in MS. & in libro impreſſo: Sed poſt [*potuiſſet*] deeſſe videtur [*anſam dederunt*] vel aliquid ſimile.

XXXII. Intellexerat nuper *Pontifex* partem quandam *Pruſſiæ* perventurum ad filium Marchionis *Brandenburgici*, & ideo cum Imperatore & Rege *Poloniæ* tantum egit, ut illi tres junctis viribus ſint conaturi ne ad *Brandenburgicum* ſed ad *Polonum* perveniat, & nuper in illas Regiones miſerat *Alaſtores Jeſuitas* qui parent iter. Nam ab illa parte cogitant excitare turbas, & in hunc finem *Romæ* cunctatur Legatus *Romanus*.

XXXIII. Tentaverant prædicti fœderati per *Alastores* & *Emissarios* suos subornare Comites *Frisiæ* eosque inducere ad transactionem quandam de Civitate *Embdensi* resignandâ Imperatori, ne ad Ordinum manus perveniret, & quò haberent Pontificii ab illâ parte iter patens & quasi portam aptam ad turbandos *Evangelicorum* progressus in oris, jactabantque jam aliquid certi statuisse ac ad *Hispanorum* partes & ad Religionem Romanam eos Comites attraxisse, apud quos *Jesuitas* aliquot alebat qui eos instruerent, ac in officio & devotione sedis *Romanæ* continerent: Sed cum res illæ malè cessissent ob vigilantiam Ordinum, nunc alia meditantur remedia.

XXXIV. Contendit *Pontifex* omnibus rationibus excitare litem inter Principes *Austriacos* & Ducem *Wirtenburgicum* ob alienationem & cessionem factam ab Imperatore de feudo ejus Principatus *Wirtenburgici*, quam nolunt esse ratam debere in præjudicium aliorum *Austriacorum*, & potissimum eorum qui tunc erant in pupillari ætate, quos ille excitat & instigat ad petendam restitutionem in integrum, & ad arma capienda contra *Wirtenburgicum*, sperans bello semel in *Germaniâ* contra *Evangelicos* inchoato posse rem persequi & *Pontificiam Idolomaniam* restaurare.

XXXV. Student pariter *Alastores* illi *Pontificii* & Pater dictarum Congregationum Romanensium excitare dissidium inter Electorem *Palatinum* & dictum Ducem *Wirtenburgicum* ob quædam bona multos jam annos occupata per *Wirtenburgicum*, quorum repetitionem per consiliarios corruptos & alios malè feriatos homines conantur persuadere Electori *Palatino*, cogitantque hâc ratione, additâ etiam discordiâ Religionis, posse eos ad Arma inter se concitari, vel saltem inter eos simultates alere, ita ut abalienentur seu disjungantur, ne ad communem defensionem, cum alter eorum impeteretur, Arma jungant, & alter alteri sit auxilio. Quare sint Principes magis oculati, nec tam faciles præbeant aures disseminatoribus discordiarum inter *Evangelicos* ipsos. Quædam etiam machinabantur contra Marchionatum *Badensem* sive *Durlacensem*, quorum unus jam videbatur convenire cum Pontificiis, egeratque cum Episcopis *Spirensi* & *Constantiensi* de Pontificiâ Religione restituendâ, si modo perveniat ad Regimen, quod sperat ob valetudinem adversam quâ laborat *Durlacensis* Marchio, quem dicebant non posse diu esse superstitem, & eo casu hunc Pontificium ei successurum qui auxilio Pontificis & confœderatorum prædictorum, pollicitus est restitutionem *Idolomaniæ Pontificiæ*; nec huic negotio deerant prædicti; nam nihil unquam prætermittunt, nullamque occasionem amittunt, modo possint turbare *Germaniam*.

XXXVI. Archiducis *Alberti* instigatu & *Pontificis* authoritate nituntur incitare Imperatorem & omnes Imperii Ordines contra Provincias *Belgii* sive *Bataviæ*, prætenduntque illos occupasse & indies occupare loca & ditiones Imperii, ominanturque brevi futuros formidabiles omnibus Principibus & Regibus, nisi illis occurratur antequam latius Imperium propagent; & adeo potuit apud multos vafra & astuta *Pontificiorum* persuasio, ut speciosis titulis Imperii etiam aliquot Evangelicos Principes fascinaverint, qui decepti & seducti hâc Satanicâ calliditate videantur inclinare ad excidium & oppressionem dictarum Provinciarum confœderatarum, non animadvertentes hoc esse subtilissimum & astutissimum *Antichristi* commentum & strategema quo *Evangelium* cum *Evangelio* committat, & si fieri possit, Regnum *Evangelicum Evangelicis* Armis destruat. Sunt hæc (mihi credatis) ejus quam nuper dixi execrandæ confœderationis & impiissimarum Pontificialium congregationum venenata consilia & scelestissima inventa palliata nomine & bono Imperii ad quod nullâ ex parte pertinent: sunt potius consilia hæc opprimendi *Batavos* contra Imperium quam pro Imperio, ut quilibet facilè videre poterit, si statum Dominationis *Hollandiæ* cum Tyrannide *Hispanicâ* conferat. Deinde quis est adeo stupidus & expers sensûs qui nesciat quo animo Pontifices *Romani* semper fuerint & sint in Imperium, cujus Magnitudinis & Majestatis semper fuerunt æmuli & professi Hostes? Quare etiam *Pontificiis* ipsis Principibus suspecta esse deberent eorum consilia cum de bono Imperii agitur.

XXXVII. Ex eodem fonte, sive potius Barathro confœderationis prædictæ contra *Evangelicos* promanarunt Bella illa & motus contra *Genevenses* & *Argentoratenses* hoc Anno tentata, quæ fuerunt quasi præludia generalis ejus persecutionis quam meditantur, periculumque fecerunt his motibus de consilio & viribus *Evangelicorum*, observaruntque an Arma sint juncturi ad communem causam defendendam, an unusquisque separatim res suas sit tutaturus. Præmonueram ante 15. menses per literas meas & per fideles Amicos tam *Genevenses* quàm *Argentoratenses* de consilio inter confœderatos *Pontificios* habito de illis ex improviso opprimendis & aggrediendis; an crediderint, nescio; me vera & recta solo Religionis zelo monuisse certum est; eos jam experientiâ & eventu doctos cognovi; idemque futurum de iis quæ nunc omnibus Principibus *Evangelicis* scribo

& sincerè

& ſincerè indico. Nam mihi Deus Teſtis eſt quòd cognita & tractata narro, nec alio fine quam Religionis *Evangelicæ* zelo.

XXXVIII. Non ſine aſtutiſſimo conſilio conſtituerant eodem tempore aggredi *Genevam* & *Argentoratenſes*. Nam his duobus ſimul excitatis Bellis ſperabant ita deterrere & occupare Bello *Genevenſi Helvetios Evangelicos*, ne poſſent eſſe Auxilio *Argentoratenſibus* prout ante 9. menſes fuerant. Ac etiam exiſtimabant Bello *Argentoratenſi* inchoato Principes Proteſtantes adeò futuros ſuſpenſos, ut trepidantes ne paterentur Milites ullos ex ditionibus ſuis auxilio ituros Ordinibus *Bataviæ* contra *Albertum*. Audiverant Principes aliquot *Germaniæ* opem laturos dictis *Batavis* quos avertere cogitabant Belli *Argentoratenſis* opinione, nec eos feſelliſſet opinio ſi res illis feliciter ſucceſſiſſet ad *Genevam*, nec ob id, re infeliciter geſtâ, remittunt animum & ſpiritus: decreverunt enim quovis modo ignem accendere in *Germaniâ*, & in hoc etiam intenti ſunt Principes externi ut extinguant flammam graſſantem in eorum Provinciis accendendo ignem in alienis. Et hâc ratione habeant ſuarum Provinciarum ſeditioſi & turbulenti locum ubi furorem & ſanguineum Animum exerceant & expleant. Conſilium hoc omnibus temporibus fuit ſeges & fomes multorum bellorum univerſo in orbe: hoc diu uſi ſunt Pontifices *Itali* & Reges *Hiſpani* quo jam multos annos domi ſunt in pace Spectatores Bellorum *Belgii*, *Galliæ* & *Hungariæ*, quæ ipſi ad prædictum finem excitarunt & inflammarunt, & etiamnum fovent & alunt. Generoſiſſimi *Germani* illi anteactorum ſeculorum non expectabant ut quis eos domi conveniret & in patriâ adoriretur, ſed illis in *Italiam*, in *Galliam*, in *Hiſpaniam* obviam uſque procedebant. Nondum extincta eſt in *Germanorum* Animis virtus illa Heroica & divini illi impetus quibus univerſum fere orbem Armis domuerunt. Expergiſcantur tantummodo fortiſſima illa pectora invictumque robur exerceant adverſus illos ſacrificulos effœminatos imbelleſque, qui quamvis noſtrâ deſidiâ freti ferociant & inſultent, non audebunt tamen *Germanos* in *Italiâ* expectare, quorum ne vultum quidem anteactis temporibus ſine tremore poterant intueri: Legant *Germani* Majorum ſuorum geſta ab omnibus omnium ſeculorum Scriptoribus decantata, diſcantque tandem eſſe *Germanos*, i. e. Tyrannorum oppreſſores, libertatis vindices, & Mundi Dominatores, nec patiantur *Papam bardocucullum* & Principes aliquot *Papæos* imbelles & otioſos adeo petulanter inſultare feroci & maſculæ Genti *Germaniæ*.

XXXIX. Conſtans erat fama idemque jactabant *Galli* ipſi, *Genevam* conſcio & permittente Rege *Galliarum* fuiſſe à *Sabaudo* tentatam. Nam ex conventione ante duos Annos per Card. *Aldobrandinum* factâ, inter *Gallum* & *Sabaudum* conventum & pactum fuit, Ducem *Sabaudiæ* poſſe ſine offenſione Regis & fractione pacis oppugnare *Genevam*: hâc tamen lege ut illa capta vel demoliretur vel ita divideretur, ut pars illa quæ eſt trans *Rhodanum* verſùs *Galliam* ſpectaret ad Regem, quæ vero cis *Rhodanum* verſùs *Allobrogos* ad Ducem. Nulla tunc in illo congreſſu cum *Aldobrandino* promiſit Rex *Galliarum* circà receptionem Concilii *Tridentini*, circa confœderationem prædictam, ac circa reſtitutionem *Jeſuitarum*; quæ quamvis fuerunt hactenus dilata, tamen Card. *Doſulus* & Regis Legatus fidem faciebant apud Pontificem, Regem omnia ſuo tempore facturum, teſtabantúrque eum eſſe propenſiſſimum erga Sedem *Romanam*, nec potuiſſe hactenùs promiſſis ſtare propter fœdus quod illi obſervandum fuit cum *Helvetiis* & aliquot Principibus *Evangelicis*, quod offendere verebatur prædictorum executione, eum tamen brevi idem præſtiturum: ſed ut verum fatear, ego in eâ ſum ſententiâ de Rege *Galliarum*, quam ſæpe audivi ex ore hujus Pontificis, nempe Regem eſſe artificioſum & neutri parti addictum.

XL. Rex *Hiſpaniæ* ſub prætextu obſidionis *Algerii* in *Africâ* inſtruit claſſem maritimam in *Mediterraneo* & *Tyrrheno*, quâ nihilominus egreſſurus eſt per *fretum Herculeum* ſive contra *Hollandos* ſive contra *Anglos*; & hujus claſſis expeditionem *Albertus* tamdiu comitatur ſub *Oſtendâ*. Hujus ſuæ intentionis argumenta ſunt quamplurima, ſed unum quod ſatis eſt apparens, quod claſſis illa inſtructa majori ex parte Navibus maximis ad fluctus Oceani accommodatis & ad Littora *Africæ* & *Mediterranei* parum aptis, ad quæ triremes ſive Galliæ ſunt magis idoneæ, & *Carolus* quintus iis tantum uſus eſt; ſed alia ſunt argumenta certiora & ex eorum Conſiliis à me obſervata. Quare caveant ſibi ii ad quos ſpectat; nec diu hanc eruptionem different modò poſſint portum aliquem tutum ſibi polliceri in tractu Maris Oceani quod tantis viribus contendunt. Dicunt enim rebus ſuis hoc unum tantummodò obſtare quòd nullos habent portus vel canales capaces numeroſæ claſſis, quem ſi occupare aliquando poterunt, jactant ſe habituros Mari & Terrâ copias innumerabiles & inſuperabiles: Et ſanè maximus eſt numerus in *Hollandiâ*, *Zelandiâ*, *Friſiâ*, *Angliâ*, *Scotiâ* eorum qui *Pontificiorum* & *Hiſpanorum* partes ſequuntur, quique ſollicitant Principes *Pontificios* ad Arma contra dictas Provincias, pollicenturque omnem

omnem operam si eò appulerint; & anteactis Mensibus qui personati vivunt ac *missificant* in dictis Provinciis, scripserunt ad *Claudium Aquavivum* eorum Præpositum Generalem, numerum *Pontificiorum* qui Arma ferre possent, esse in solis *Bataviæ* & *Frisiæ* Provinciis ad 30000. & ultra. Qui etiam erant ita animati ut ad omnem occasionem parati essent sanguinem effundere pro Ecclesiâ *Romanâ*. Illorum Literæ lectæ fuerant in *congregatione ad Propagationem*, ut vocant, *Fidei*, & tanto cum applausu, ut omnes judicaverint eò Classe aliquâ appellente facilè maximos excitari motus, optimósque sperandos esse successus pro Catholicis in dictis Provinciis si res *Alberto* semel tantum fœliciter succedant: & reverâ Ordines deberent majori severitate horum Rebellium compescere petulantiam, ne nimiâ indulgentiâ fiant pejores.

XLI. Ecclesiastici *Romani* qui ad *Rhenum* habitant, utpote *Maguntius* & *Coloniensis*, monebant *Pontificem Romanum* in *Germaniâ* passim fieri confœderationes inter Principes *Evangelicos*, haberique conventus frequentes, pars pro tuendo *Calvinismo* contra *Lutheranismum*, pars altera pro *Lutheranismo* contra *Calvinismum*, eodemque tempore magis inter se discordes esse ac irritatos quam unquam omnes fuerint contra *Pontificios*: multaque alia addebant magis particularia de factionibus etiam politicis, ac de aliis simultatibus & odiis utriusque Religionis ad invicem, ac de dissidiis ejusdem inter sese, una cum aliis de affectibus Populorum erga Principes, ut inde auspicarentur & sperarent eosdem *Evangelicos* brevi congressuros inter se, & hâc ratione posse propagari commodè Religionem. Confœderati prædicti ansâ arreptâ nec laboribus parcunt nec sumptibus, ut coalantur & augeantur hujusmodi dissidia, contentiones, & odia inter *Evangelicos*; & quod perniciosum est & miserè deplorandum, tantum potuerunt *suâ vafritiâ* & *nostrâ ignaviâ*, ut ad prædicta excitanda & fovenda utantur etiam Principum & Conciliariorum *Evangelicorum* nescio an dicam simplicitate an malignitate. Multique hoc nostro tempore ita sunt dolis *Pontificiorum* & artibus quorundam *Aulicorum* fascinati, ut certo certius sibi persuadeant Monarchas & Principes *Pontificiorum* non malè velle *Evangelio*, & (quod magis est) ☞ *Pontificem* ipsum favere Religioni, & cupere pacem cum nostris; & hâc inani confidentiâ circumventi & quasi mortifero Lethargo sopiti altum dormiunt somnum ii qui vigilare super gregem Domini deberent.

Quæso, Illustrissimi Principes, quotquot estis qui Idolomaniæ Pontificiæ renunciastis, sanctoque Evangelio, sive sit sub nomine Lutheri, sive Calvini, favetis, depositis inter vos simultatibus & odiis siquidem sunt, in unum sanctum & verè sacrum fœdus omnes conveniatis contra hostes professos & juratos; hostesque & inimicos pessimos credatis omnes Pontificios quotquot sint. Quod si non credatis meæ simplici narrationi, observate quæso Actiones & motus; facilè enim comperietis verissima esse quæcunque hoc scripto sum complexus, in quo non respexi quid mihi commodum, sed quid vobis & universo Regno Evangelico esset salutare: multa etiam omisi particularia, ne prolixior essem, quæ si cognovero vos prædictis, ut decet, opportunè uti, non prætermittam ea addere ad communem Evangelicorum utilitatem; interim vigilate, vobis cavete, Deo gratias agite.

FRANCISCUS BROCCARDUS, Secr. Pap.

MODUS

MODUS SOLENNIS ET AUTHENticus, ad inquirendum & inveniendum & convincendum Lutheranos, valde necessarius, ad salutem sanctæ Apostolicæ sedis, & omnium Ecclesiasticorum, anno 1519. compositus, in Martini Lutheri perditionem, & ejus sequacium, per venerabilem Monachum magistrum SYLVESTRUM PRIERATEM, ex sacro sancto ordine Prædicatorum, Magistrum sacri Palatii, & generalem hæreticæ pravitatis Inquisitorem.

Anno 1553. revisus, & satis bene emendatus ab erroribus, per Reverendissimos Cardinales ad officium sanctissimæ Inquisitionis deputatos, per S. D. N. Papam Julium III.

ROMÆ, per JORDANUM, Typographum Pontificium, An. 1553.

Reverendis in Christo *Patribus sacri Ordinis Prædicatorum, & sacræ Theologiæ Professoribus, & per* Italiam, Galliam, Hispaniam, *& omnes sanctæ* Rom. *Ecclesiæ partes hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, Patribus suis multum metuendis: Frater* Sylvester Prierias, *sacræ Theologiæ Doctor, & sacri Apostolici Palatii Magister, & sacri Ordinis Prædicatorum Professor, & hæreticæ pravitatis generalis & acerrimus Inquisitor, Salutem.*

Quoniam nunc nostro tempore, quo refrigescit charitas multorum, Reverendi Patres, & abundat iniquitas multa, pullulant hæreticæ pravitatis seminaria; ita ut vix fides sanctæ *Romana* Ecclesiæ inveniatur in terrâ: Quæ licèt eximiæ vestræ paternitates magno favore satagunt & zelant extirpare, ne zizania cum tritico simul crescant: tamen mundus est ita malus, quòd vos in sancto opere isto contemnunt, atque quasi irrident; & dicunt, *Inquisitores hæreticæ pravitatis* nec scientiam, nec modum *inquirendi* cognoscere; quod est abominabile audiri: ideo ego accensus zelo veritatis, coactus sum scribere artem & modum *inquirendi*: Non quòd volo vos docere, cum sciatis omnia melius quàm ego; sed ut videant illi indocti asini, quàm multa possint *magistri nostri*, præsertim nos de sacro ordine Prædicatorum, qui sumus luminaria magna in S. R. E. Ideo ego humilis & minimus inter sacræ Theologiæ professores, cum hanc artem *inquirendi* bene didicerim, quia scio mentem sanctissimi & beatissimi nostri *Papæ*; volui etiam illam describere vobis; quia secundum *Aristotelem* nostri S. *Thomæ* magistrum, signum scientis est posse docere: propterea hanc artem à me compilatam vobis offero, & rogo ut illam in omnem terram per impressuram mittatis, ut propter ipsam confundantur omnes adversarii nostri hæretici, videntes contra quos debeant pugnare, & ut nos possimus canere cum toto corde: *Venite exultemus, Domino jubilemus.* Bene valete, optimi Patres, & me commendatum habeatis.

Incipit TRACTATUS SOLENNIS.

Quoniam omne multiplex indistinctum necessariò parit confusionem, & erroris mater est æquivocatio semper; idcirco ut istam artem distinctius & subtilius & facilius possim enucleare, volo ipsam per regulas quasdam determinare, faciles & faciliter memorabiles, propter vitandum studendi laborem.

PRIMA

Modus Solennis, &c.

Prima Regula.

Ante omnia invocandus est Spiritus Sanctus, & orandum devotè pro gratia Dei, ut actus ille inquirendi incipiat, perficiat, & perficiatur (secundum quod scribitur in *Collectis* quotidianis) non ex vana gloria, nec propter vanam gloriam, nec propter pecuniam; sed ex amore Dei, & Zelo veritatis, propter gloriam Dei, *maximè* autem *propter honorem sanctæ sedis Apostolicæ*, quæ nos omnes tantum exaltavit, & pacem Ecclesiæ Catholicæ, ad supprimendos errores, & ad sedanda scandala, & turbationes fidelium Christi cavendas.

Secunda Regula.

Ista intentione bona formatâ, quam impossibile est non placere Deo, cum sit sanctissima & sincerissima, & ex gratia de condigno meritoria æternæ vitæ, oportet firmiter credere, & tanquam certissimum, ac primum hujus artis principium præsupponere, de quo nullatenus liceat dubitare: *Quod Papam errare est impossibile, sed quicquid cogitaverit, dixerit, voluerit, fecerit, hoc tanquam vocem & factum Petri, seu potius ipsius Christi me oportet acceptare.* Quòd si quis vellet in hoc dubitare, aut rationem quærere; ille jam de facto non Inquisitor esset, sed inquirendus, tanquam certissimè hæreticus: quia dubitare, & non credere, pro eodem accipiuntur, secundum *Aristotelem* secundo *Physicorum*. Et quia sicut janua in cardine volvitur, ita tota ista ars in hac secunda regula jacet, sicut rusticus in sole. Ideo necessarium & bonum puto (licèt extraordinariè) ipsam inoppugnabiliter fortificare. Et primò sic: Nisi esset vera & certa ista regula, nullus posset inquiri, aut judicari, aut condemnari in sancta *Romana* ecclesia: quod est absurdissimum. *Consequentia* nota. Sed *antecedens* probatur duabus rationibus invictissimis. *Primò*, quia *Papa* est lex animata & viva in terris (nam in hoc bene licet conformari Principem ecclesiæ huic seculo, in quo princeps est Imperator lex viva: nec obstat quòd *Imperator* in *temporalibus*, & *Papa* in *spiritualibus* præest; quia sunt invicem figura & figuratum) sed ablata lege, jam nihil certum posset secundum eam judicari, aut fieri: ideo oportet esse certissimum, *Papam non errare.* *Secunda* ratio est, quia hæretici solent se per *sacram Scripturam* defendere: Sed *illa est lex mortua, & litera occidens*, & potest in multas falsas sententias trahi. Sicut patet in multis *magistris nostris*, præsertim *Thoma Cajetano*, quem tamen tanquam hæreticum non condemnavimus, ne ordini nostro infamiam daremus; & sic hæreticus, propter lubricitatem suam, fieret anguilla. Confirmatur ista ratio: quia hinc *Juristæ* rectè dicunt, quòd *Papa sit Ecclesia*, juxta illud *Matthæi* 18. *Si te non audierit, dic ecclesiæ*: id est, *Prælato. Si ecclesiam*, id est, *Prælatum non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Unde patet, quòd Papa est *Prælatus Prælatorum, in secula seculorum*: & per consequens, ecclesia Romana est ecclesia ecclesiarum. Tenet consequentia ab eodem ad idem, per definitionem univocorum.

Secundò probatur ista regula irrefragabiliter. Quòd si Papa posset errare, tunc etiam ecclesia posset errare, cum sit primum & summum ecclesiæ membrum. Si autem ecclesia posset errare, tunc etiam *Christus* posset errare, cum sit una caro & unum corpus cum ecclesia. Juxta Paulum: *Erunt duo in carne una.* Si autem *Christus* posset errare, etiam Deus posset errare: quod est impossibile, cum *Christus* sit Deus. Et sic à primo ad ultimum, Papa *non potest errare.* Sed hic sunt aliqua argumenta videnda. *Primò* dicunt, quòd ecclesia non possit significare Prælatum, ex natura vocabuli. Quia Ecclesia Græca dictio est, & significat idem quod convocatio & congregatio: sed Prælatus non est congregatio. Respondetur: Hoc est unum grammaticum argumentum, & multum suspectum, & hoc duobus modis. *Primò*, quia ex Græca Grammatica arguit: sed Græci * sunt hæretici & schismatici, ideo non est eis credendum in sua Grammatica. *Secundò*, quòd videtur *synagogam* ex *ecclesia* facere: nam synagogam dicunt etiam significare conventum & congregationem. Ergo probabile est, quòd ecclesia non congregationem, sicut *synagoga*, sed Prælatum significet. Dicunt autem, quòd in nullo passu novi Testamenti ecclesia pro Prælato potest accipi: ut *Credo ecclesiam sanctam Catholicam*: item illud, *super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Respondetur: Non * credo *synagogam* esse Græcum nomen: quia *synagoga* fuit tantum apud Hebræos, & non apud Græcos: ideo Hebraicum potius nomen est. Nec nocet, quòd

* Argumentum robustissimum.

* Eximium est quod *credis* & *non credis*, præstantissime *Sylvester.*

Ecclesia

Ecclesia aliquando accipitur pro Prælato, aliquando pro populo, cujus est Prælatus: & secundum hoc oportet Scripturas distinctè intelligere,& magistraliter.

Secundò arguitur, Quomodo Papa non potest errare, cum tamen sanctus Petrus errarit? Ut in Evangelio, quando Dominus eum Satanam vocavit. Respondetur, Hoc est una *frasca*, & *Broccardicum* argumentum. Nam tunc temporis nondum acceperat Spiritum sanctum, licèt fuisset in gratia: quia potest aliquis bene esse in gratia, non habendo Spiritum sanctum; ut aliàs habet videri per Magistros nostros.

Si autem replicatur, tamen Paulus reprehendit eum post Spiritus sancti missionem, Gal. 2. Respondetur. Hoc fuit veniale peccatum, & quædam simulatio ac dispensatio piæ fraudis.

Si iterum dicant, Non videtur sanctus Paulus pro veniali peccato, & tam levi re, tantum festum fecisse, nisi fuisset periculum animarum ibi: nam ipse dicit, *Evangelii veritatem ibi fuisse omissam:* hoc autem est *Christum* negare, & infidelitate peccare. Respondetur. Sancti primitivæ ecclesiæ fuerunt ferventes, ideo parvá peccata tanquam maxima reprehendebant. Et quòd nos hodie hæreticos comburimus & occidimus: ipsi homicidium reputassent, si excessivè locuti fuissent: cum tamen nostro tempore (si recta sit intentio) non solùm sine peccato sit, sed etiam *cum magno merito fiat:* nam sic facientes, obedientes sumus S. *Paulo*, qui *jubet* nobis *ut tollamus malum de medio nostri, & ut hæreticos devitemus*: id est, *de vita privemus*, secundum interpretationem sanctissimi D. N. Papæ. Sic reddere debitum matrimonii, non sine peccato fieri illi dixissent, excessivè loquentes, cum *Psal. quinquagesimo: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Sed nostro tempore cum merito fieri potest, & est opus justitiæ.

Tertiò arguitur: Cur ergo sancti Patres suo tempore hæreticos per Scripturas & verbum Dei expugnaverunt, & exemplum nobis sic faciendi reliquerunt? Respondetur, Hic est alia ratio temporis; nam tunc ecclesia nondum fuit firmata, nec fides satis roborata: ideo necesse fuit per Scripturas cum eis pugnare. Nunc autem oportet de firmâ fide eos examinare. Ideo multò facilior est modus inquirendi nunc, quàm tunc fuit: quia illorum modus describi, & in artem redigi non potuit, nisi totam Scripturam aliquis intellexisset: Sed hodie periculosum est cum hæreticis in Bibliâ pugnare, quia fecerunt Bibliam suspectam, ita quòd à multis vocatur *liber hæreticorum*. Ideo aliis libris & modis agendum est.

Tertia Regula.

Necesse est summè, ut *Inquisitor* ipse quoque certus sit, se non posse errare in hoc actu. Nec debet inquirere, quòd velit aliquid discere vel audire, sed tantùm docere & audiri: alioquin non esset *Inquisitor*, sed discipulus hæreticorum, nec certus esset se errare non posse: ideo oportet præconcipere conclusionem, quam intendit. Potest autem certus fieri ex tribus. *Primò*, ex intentione formata juxta *regulam primam*: *Secundò*, ex mente Papæ inerrabili, à qua suscepit officium *& causam inquisitionis*, juxta *regulam secundam*. *Tertiò*, ex doctrina S. Thomæ, quæ sola est igne Spiritûs sancti examinata & purgata, & summi philosophorum principis Aristotelis sententiis decorata. Nam impossibile est, quòd intentio illa erret: multò minus possibile, quòd doctrinam S. Thomæ erret: in qua si non esset bene fundatus Inquisitor, non esset dignus officio isto pulcherrimo, & titulo gloriosissimo. Quia si solam Bibliam sciret, citò hæreticus eum posset illudere per multiplicationem expositionis. Ideo certam oportet, & quæ est sine quæstionibus, sine opinionibus, sine distinctionibus multiplicatis, habere Theologiam. Hæc est doctrina S. Thomæ, mens Papæ, & bona intentio Inquisitoris.

Quarta Regula.

Quando pro tribunali sedet, tunc debet protestari, quòd solum Deum ante oculos habeat: sic tamen, ut aliquis spissus paries, vel murus ferreus inter oculos & Deum sit, ne offendantur oculi ejus; juxta illud: * *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Ut sic possit anima sponsi dicere: † *Ecce ipse stat post parietem.* Hunc autem parietem intelligo, firmam & piam intentionem in corde Inquisitoris, quæ est, ut sit * Prov. 25. 27. † Cant. 2. 9.

Uuuuu sollicitus,

follicitus, pro confusione ordinis tollenda, & illius gloria exaltanda: & non intendat ab actu desistere, *donec hæreticus confusibiliter sit combustus, ut sic in Domino gloriari possit, quòd ecclesiam defenderit.*

Quinta Regula.

Sit itaque armatus armaturâ Dei, invadat diabolicos homines, cum Psalmo dicens, *Tabescere me fecit zelus meus*: & iterum, *Perfecto odio oderam illos*: & iterum, *Super aspidem & basiliscum ambulabis.* Et nil noceret, si vocem aliqualiter exasperaret, sicut solent invidi facere: aut melius pro cavendo speciem invidiæ, caput cum risu amariusculo (velut canes dentes nudando, fiducialiter moveret, ut sic diabolus terreretur, & hæreticus ipse primo aspectu perditum se esse putaret. Nam oportet inquisitorem, secundum Apostolum, in omni patientia & modestia omnia experiri, si possit animam lucrari Deo. Post hoc, prolatis digitis denumeret sibi de digito in digitum, articulos, quos hæreticus juxta *mentem Papæ* debet acceptare, simul aliquid terribile insonans de igne, & dicat: *Credis hos, vel non? Si credis, omnia tua revocabis: Si non, comburêris.* Et in fine horum verborum debet os torquere, & faciem ad circumstantes vertere, & labia porrigere, & manum utramque sparsis digitis jactare. Non obliviscatur etiam nasum rugare, & omnino se disponere in facie, sicut esset terribilis larva in carnisprivio, in confusionem hæretici, ut circumstantes dicere possint, *O quàm malè stat iste hæreticus, & quàm solenniter & legaliter se expedit iste inquisitor*: si autem hæreticus voluerit respondere, & allegare sacram Scripturam, vel doctorem sanctum; pro hoc tene hanc regulam subtilem, immediatè sequentem.

Sexta Regula.

Tunc dicendum est ei, cum levi quodam cachinno: *Ah, dilecte Domine, non hic tempus est litigandi & disputandi, sed simpliciter respondendi, An credas in sanctam ecclesiam catholicam? Dimitte doctores doctores esse, ecclesiam audire necesse est: illi possunt errare, ecclesia non potest errare*, ut suprà ostensum est. Et sic fortiter est molestandus per *regulam secundam*, & semper aliquis risus fiducialis intermiscendus: & facies vertenda ad circumstantes, ut ipsi corrideant Inquisitori, & irrideant hæreticum, sicut Herodis familia Christum: sic tamen, ut non fiat indecens cachinnus, sed secundum Paulum, modestia ejus nota sit omnibus hominibus. Nam oportet hanc rem, cum maturitate multâ, cum gravitate summâ, & suavitate in Spiritu sancto tractare. Nec leviter debet ridere Inquisitor, nisi dum hæreticus Scripturam sanctam allegat: nam tunc oportet hæretici intelligentiam magis ridendo despicere, quàm respondendo solvere; ne fortè trahatur Inquisitor in expositionem sacræ Scripturæ, ex qua non possit ridere sine confusione, propter astutiam hæreticæ pravitatis, quæ *valdè prompta est in Bibliâ.* Si autem cœperit hæreticus altè clamare, & Doctores cum Scripturis jactare, sese paratum rationem reddere suæ sententiæ, petere doceri, & solvi suas rationes & auctoritates; Tunc oportet cum maximâ diligentiâ videre, ne circumstantes ista diutius audiant, ne ad misericordiam moveantur, & hæreticum habere justam causam credant. Quare hic ne tumultus fiat in populo, summè necessaria est una bona Cautela, quæ traditur hac regula.

Septima Regula.

Videlicet ut multò magis clametur, ac tumultus aliquis vel pedum strepitus excitetur; sicut *Judæi* fecerunt, quando S. *Stephanum* voluerunt opprimere, ne audiretur. Nam etiam furor pro Ecclesia Dei meritorius est, maximè si ex prædicta intentione procedat. Simul quoque, juxta *Aristotelem in Elenchis*, multis quæstionibus exagitetur & perturbetur; ut in diversa distractus, & in diversos intentus, aliquid dicat, quo capiatur: nam & Judæi hac fraude tentabant *Christum*, ut caperent eum in sermone: & sic oportet *diabolum suis aliquando artibus fallere*, ut canitur in Hymno, *Ars ut artem falleret.* Nec est necesse semper in digito Dei ejicere dæmonia, sed malum malo pellere, per dispensativam Evangelii interpretationem: quia *Inquisitor* debet sperare, quòd hæreticus comburetur, nec cum confusione cesset ab officio.

Bonum

Bonum quoque esset, si ista non juvarent, quòd mandaret silentium *sub pœnâ excommunicationis*, ut sic cum bona modestia Inquisitor possit omnibus audientibus dicere, & se resolvere, Quòd non intendat, nisi salutem miseri hæretici: & bene esset contentus, quòd suos Doctores allegaret, si primò responderet, an in Ecclesiam crederet; sive per fenestram, sive per januam crederet, modò *in ecclesiam crederet.* Quia quid prosunt Doctores, qui sunt pars ecclesiæ. Si in totam ecclesiam non credat (quæ est *mens Papæ, & intentio nostrorum magistrorum*) ut sic populus notet, illum verè esse hæreticum, quia *ecclesiam* non vult audire; & Inquisitores esse justos in suo proposito; quia honorem *ecclesiæ* & fidei sinceritatem tam legaliter & zelosè quærant.

OCTAVA REGULA.

Solicitissimè providendum est, ut Inquisitores sint de ordine sanctissimo *Prædicatorum*: quia illi habent magnam gratiam apud populum & antiquam famam, quod sint docti & zelosi pro ecclesia sancta, & Apostolica sede: ideo facilius possunt suspicionem populo facere contra hæreticum, quàm alii quicunque; quoniam ipsi multas & magnas pertulerunt propter Zelum & scientiam suam confusiones: ideò fidelius & diligentius laborant, ut alii magis confundantur, ut ipsi hoc modo suam ignominiam alienæ ignominiæ consortio solentur; juxta illud, *Gaudium est miseris socios habere pœnarum:* & illud Petri, *Scitote easdem passiones & fraternitati vestræ, quæ in mundo est, fieri.*

NONA REGULA.

Solicitandum est omnibus modis, ut ante initium & post actum istum mittantur diversi fratres discreti in diversas partes, maximè ad principes & seniores plebis, qui (sine detractionibus & mendaciis) persuadeant, *hunc hæreticum nolle audire ecclesiam Catholicam: & hanc culpam dilatent, magnificent, & multiplicent, ac pertinaciam hæretici summis studiis accusent, & detestentur: etiam spûant in terram cum magno furore, tanquam si essent insani, quia sunt stulti propter Christum: & mirentur, quod ista scandala permittantur in Ecclesia regnare, in blasphemiam divinæ majestatis, & in diminutionem potestatis ecclesiæ & fidei catholicæ, ac injuriam sacræ Theologiæ, præsertim doctrinæ Sancti* Thomæ, *& opinionum suarum.* Jurent etiam, ac manibus & pedibus loquantur, sicut sapientes solent, *Eccl.* 3. ut sic Principes provocent ad indignationem. Pro inquisitoribus verò dicant, quomodo omnia legaliter & zelosè faciant, quanta modestia & charitate hæreticum orent, fleant, agant, omniáque tentent, sed frustra. Expediret etiam multum, si in prædicationibus in Ecclesiis hinc inde populus similiter irritaretur, & magnis miserationibus super hæreticum, & pro Sancta Ecclesia & favore inquisitorum concitaretur: ne postea murmur in populo relinqueretur sicut sæpius factum est, non fuisse hæreticum, sed injuriam ei factam. Nam quia ista regula neglecta fuit, usque hodie multi apertè dicunt & scribunt, *Jo. Huss* & *Hier. de Praga* fuisse nec convictos nec justè combustos: Et probant tali argumento, ut nuper à quodam hæretico audivi in *Boemia*, quòd postquam illi sunt combusti, ignis velut ultor injuriæ, disponente Deo, in neminem atrocius sævit, quàm in ordinem Prædicatorum. Ex ipso enim fuerunt illi Inquisitores, qui eos combusserunt. Et allegavit illud *Sapientiæ*: *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.* Nec est verisimile, eos fuisse hæreticos, propterea quòd combusti fuerint: quia S. *Laurentius*, & plures alii, propter *Christi* confessionem, sicut & isti duo, perpessi idem fuerunt: verùm stulta dicunt, quia non intelligunt, quòd illis facta est justitia, *eò quòd noluerunt audire ecclesiam.*

Nostris autem fratribus facta est injuria, quia voluerunt audire, & audierúnt Ecclesiam, ut superius accepta est; & non fuerunt admissi, ideo in cœlo sine dubio coruscant inclyto martyrio. Et combustores eorum, quia contra ecclesiam egerunt, ardebunt in inferno. De quo latius unum librum dabo, quo obstruam os iniqua loquentium, quem pro honore sanctæ ecclesiæ, & zelo fidei jam compilo.

DECIMA REGULA

Est singularis & specialis, quam adhuc nullus tetigit, qui de hac arte scripsit, quantum ego legere potui: sed ego multo labore & experientiâ inveni; & est multum subtilis, scilicet ista; quòd quia nunc multi surgunt, qui antiquiores Doctores legunt, & S. *Thomam* contemnunt; & invenire se dicunt, quòd nos *vocabulum Ecclesiæ sanctæ* nostris opinionibus & affectibus non aliter prætexímus, quàm olim *Pseudoprophetæ, nomen Domini suis mendaciis* prætexuerunt, multosque prophetarum occiderunt, ac populum seduxerunt; sic & nos sub nomine Ecclesiæ dicunt, nostra mendacia quærere, & non hæreticorum exustores, sed sanctorum Dei persecutores criminantur, nihil de *Ecclesia sancta* nisi *titulum* nos habere, & *speciem*, ut Apostolus ait, *pietatis, virtutem ejus abnegantes*: Nec hoc satis. Dicunt nos verè esse magistros hæreticorum, quia hæretici simus, & hæreticos faciamus: etiam verè *Inquisitores* hæreticæ pravitatis, quia inquiramus & inveniamus eam: simul *Inquisitores & inventores hæreseon, pro inquisitoribus veritatis* nos culpantes. Et heu! insanissimi homines, hanc sententiam quasi cunctis principibus & laicis (quia incipiunt valdè docti fieri) persuaserunt, ut nos pro seductoribus populi, homicidis fidelium Christi passim jactitent, & planè pro *Antichristi Apostolis* habeant: Et dicunt, se hoc colligere ex eo fundamento, quòd non sacram Scripturam, nec sanctos patres, sed *Aristotelem* & opiniones nostras solùm doceamus, quibus *Antichristus* utitur, ut putant. O secula, ô mores! bone Deus, quid hic dicam? etiam in *sanctam Romanam Ecclesiam* blasphemi sunt, quæ *Aristotelis* studium, & S. *Thomam* in suis opinionibus approbavit, & multum commendavit, ut nota sunt *Urbani papæ* verba.

Idcirco in istâ arte non similis punctus est, sicut iste: quare pro exequenda *decima regula*, mittendi sunt doctissimi & prudentissimi fratres, qui sciant persuadere hominibus, quòd *Inquisitores* non solùm nomen Ecclesiæ, sed veræ Ecclesiæ rem ipsam quærant, & non esse Inquisitores hæreticæ pravitatis, ut eam inveniant, sed ut opprimant & perdant. Et utile est, ubi non sufficiunt *fratres*, qui sic mittantur, quòd literæ scribantur in omnem terram, & persuadeant, sicut dixi. Verùm quomodo persuadeant, alio tempore scribam: jam non occurrit aliud, nisi ut * jurent ad omnes sanctos, & in conscientiam suam, pectus devotè percutiendo, se verè Ecclesiæ sanctæ salutem intendere, & non ejus nomen nequitiis suis prætendere.

* Et quis misericordes istos *fratres* jurare & mentiri simul suspicabitur?

UNDECIMA REGULA, *multum artificialis ac magistralis.*

Quicquid fiat, aut non fiat, hoc nimis præ omnibus curandum est, ne hæreticus permittatur aliquid respondere: neque examinetur in ullo puncto, nisi prius promittat, ecclesiam sanctam sequi. Et in hoc habeatur respectus ad consuetudinem *Romanæ curiæ, quæ est mater & magistra ecclesiarum, etiam domina terrarum*, juxta illud *Christi: Gentes dominantur eorum, vos autem non sic*, &c. Quia *ipsa* semper ita solet facere: nam *comburit*, aut *in Tiberim projicit*, aut *alios occidit*, quicunque non volunt sequi *sanctam ecclesiam Dei, & Apostolicam sedem:* non attento, quòd voluerunt stare judicio, aut rationem reddere. Non tamen in hoc est homicida & cruentus tyrannus, nisi secundum opinionem quorundam *fatuorum, qui Scripturas sanctas per caput proprium intelligendo, per decisionem Romanæ curiæ negligunt exponere.* Oportet enim sanctam ecclesiam *authoritativè* procedere, & non cuilibet rationem sui facti reddere: quia satis est, quòd ipsa habet rationes eam moventes, cum spiritus sanctus non deserat eam.

Et justè quidem ac rectè: quia si sic admitterentur, citius convincerent Papam & sanctam Ecclesiam errare, quàm ipsi convincerentur, non propter veritatem, quam non habent; sed propter multiloquium & astutiam suam, cui non potest ita resistere Spiritus Sanctus hodie, sicut fecit tempore sancti *Stephani*. Nam alia est nunc ratio temporis, ut sæpe dixi: ideo *utilissimum est ut occidantur, antequam audiantur.* Non enim dignus est audiri, qui non vult audire: quia oportet esse discipulum antequam magistrum: & prius audire, quàm audiri, sicut *Aristoteles* docuit.

DUODECIMA

Duodecima Regula.

Si autem per gratiam Dei audierit hæreticus, & ecclesiam sanctam sequi promiserit, tunc mox imponatur ei revocatio: nec est tunc necesse ad sua dicta respondere, aut rationes solvere, ne fortè cogatur *Inquisitor* ad sanctam Scripturam venire, in qua timendum est uter succumberet: sed sufficit simpliciter dicere, *Sancta ecclesia sic determinavit, & Sedes Apostolica sic vult*, & sic victus est hæreticus, & anima lucrata Deo, & benedicatur Deus; & laudetur *sanctus ordo Prædicatorum*, qui tam legales *Inquisitores* enutrivit. Tunc imponendum est hæretico, ut suos ipse libros comburat, & ignem foveat (sicut *Isaac* ligna pro seipso portavit) non in confusionem quidem hæretici, sed ut *Inquisitor* juxtà cum gloria sedere possit, & in conspectu circumstantium, hæreticum omnibus ostendere victum Sed illi jam victo, simulet se aliquam compassionem habere: ideo quando aliquandiu illi *insultaverit*, & *irriserit miserum*, cesset, si discretioni ejus visum fuerit. Si autem noluerit, & omnino pertinaciter perseveraverit, tunc juxta Apostolum, *Auferte malum de medio vestri* (in quo Apostolus, licèt non comburere jussit; tamen occidere præcipit, per dispensationem præcepti Dei) tradatur foro seculari, & comburatur, sicut est moris atque stili *Romani: nec pro eo oretur, nec mors ejus commendetur, sed sit nomen ejus maledictum, & omnia quæ dixit & scripsit & fecit.* Tunc *Inquisitores* habebunt intentum finem suum, scilicet *magnam gloriam* apud Deum & homines, & *gaudere poterunt* in corde suo.

Ex prædictis sequitur, *unum multum notabile corollarium*, videlicet quòd anno 1509. die ultima Maii, illi nostri quatuor fratres Prædicatores qui fuerunt *frater* * *Joannes Vetter* Prior Collegii, *frater Franciscus Ultschi* Subprior, *frater Stephanus Boltzhorst*, doctor & lector supremus, & *frater Henrichus Steinegger* œconomus, in *Berna Helvetica*, iniquè combusti fuerunt, tanquam hæretici: quia cum *in sanctam Romanam ecclesiam crederent*, hæretici esse non poterant. Sed maximus error fuit commissus in modo *inquirendi*, quoniam fuerunt examinati de puncto ad punctum. Sed hic modus procedendi est erroneus: & nullus debet mirari, si tam subtiliter interrogati defecerunt, & combusti sunt. Si autem primò fuissent interrogati (sicut debuerunt) & solùm hoc quæsiti, *An crederent in sanctam Ecclesiam*, bene fuissent liberati: quia etiam sanctissimus dominus *Papa* jam decreverat (non accepta pecuniâ, ut multi loquuntur) eos liberare; quia à nostris fratribus intellexerat, illos affectionatissimos esse S. R. Ecclesiæ & quia in omnibus intoxicationibus, & dæmonum exorcismis ac homicidiis, quæ fecerunt, & in his quæ facere putaverant, semper habuerunt bonam voluntatem, ac bonam intentionem: ita ut non scelera, sed piæ fraudes essent, & opera bona, quòd fortissima ratione probatur, argumentando sic:

* De quorum imposturis vide Johan. Stumpf. lib. 13. cap. 33. Hist. Helv. & Wierum de præstig. lib. 3. cap. 18.

Omnis qui habet *oculum* (id est intentionem) simplicem (id est bonam) *totum corpus* (id est opus) *lucidum* (id est bonum) erit.

Omnes isti *Fratres* oculum simplicem habuerunt, id est, intentionem bonam: Ergo omnes isti bona opera fecerunt.

Major non indiget probatione, quia sunt verba *Christi*. *Minor* verò probatur, quia eorum intentio erat (sicut ipsi confessi sunt) concitare populos contra *fratres Franciscanos*, hostes nostros, ut eos ex regionibus illis expellerent: & sic eos expellendo, expellerent etiam simul cum illis opinionem falsam & hæreticam de conceptione, quam per totum mundum seminaverunt: ut cum magno honore gloriosæ semper Virginis *Mariæ* cantaretur, Sanctificatio tua: & non, *Conceptio tua*. Sed Episcopus *Lausanensis*, & Episcopus *Sedunensis*, qui in ista causa fuerunt ordinati judices, ut *jumenta* facti erant, quia nesciebant distinguere inter *peccatum mortale* & *piam fraudem*; ideo *Helvetii* illi *Schwizzeri*, qui artem inquirendi nunquam didicerunt, sed tantum sciunt bellare, omnia perverterunt, & formaverunt *processum* contra illos illo modo, & subtilitate, qua contra laicos solent formare: & † per Deum, magnam injuriam illis fecerunt: & *ipsi*, meo judicio, hæresim commiserunt. At illi *Bohemi*, *Joannes Huss* & *Hieronymus de Praga*, rectè & artificialiter fuerunt examinati: quia *non per sacram Scripturam fuerunt convicti*, sed *per determinationem Romanæ Ecclesiæ damnati*. Quia, ut suprà dixi, *Romana ecclesia est regula fidei, magistra ecclesiarum, domina terrarum*: Ideo *quicquid dixerit, articulus fidei est: non obstante, quòd aliquando erravit.* Nam regula fidei potest bene errare venialiter, sicut S. *Petrus* ad *Gal.* 2.

† Quid hic juramenti opus, bone Sylvester?

Sed & *Joannes Reuchlin*, si permisissent Principes *inquiri* de articulo fidei in ecclesiam sanctam, non tantum libri sui, sed ipse quoque fuisset combustus. In quo maximam gloriam

gloriam Inquisitores fuissent consecuti, quòd *talem virum, tam doctum* combussissent, & *illo doctiores* cogniti fuissent: quia *semper combustores sunt doctiores combustis*, ut patet in coquo & lignis, quæ ipse comburit. Quoniam autem de articulo in articulum per Scripturas & rationes fuit examinatus, non est mirum, quòd cum gloriâ fuit liberatus: quia *ars inquirendi non fuit cum eo servata.* Est enim *impossibile, quòd hodie aliquis convincatur hæreticus, si articuli ejus examinentur ad sanctam Scripturam: sed si examinentur ad sanctam Ecclesiam, hic non est possibile, quòd evadat.* Tales sunt hodie quidam novi hæretici, qui ex *Græca* lingua (quæ semper fuit hæretica & schismatica) novam & hæreticam *Theologiam* adducunt, contra sanctum *Thomam*, quos spero examinandos esse secundum *practicam hujus artis.* Et erit propter hæc *gloria Inquisitoris & totius ordinis major, quòd tot & tantos combusserunt.*

Hic in fine est una *Broccardica* quæstio, quæ hinc inde à multis ventilatur, & est ista: Quomodo sancta Ecclesia jam plusquam mille trecentis annis optimè recta est, ut nullos occiderit aut combusserit, usque ad *Concilium Constantiense*? Et nunc regi non potest, nisi comburendo hæreticos: Cum tamen illo tempore innumerabiles fuerint in Ecclesia hæretici? Cum maximè Deus per *Esaiam* dicat de Ecclesia, *Non nocebunt, neque occident, in universo monte meo sancto.* Respondetur: Miror tam * indoctos esse homines, qui ista quærunt. Satis patet, quòd nihil in sancto *Thoma* studuerunt. Dico ergo, quòd solutio brevis est, & ista est, Quòd tunc non fuerunt Inquisitores hæreticæ pravitatis. Si enim tunc fuissent, tunc Ecclesia bene purgata fuisset ab hæreticis per ignis ardorem. Sicut enim veritas crescit pro tempore, & plus revelatur: sic & purgatio Ecclesiæ crescit. Nam tunc temporis, quando in sacra Scriptura studebant, non fiebant tam subtilia ingenia: quia non habebant curam de *Aristotele*, qui facit valdè subtilia ingenia. Quare ego credo, si S. *Hieronymus* & *Augustinus* hodie viverent, aut etiam *ipse Apostolus Paulus*, vix evaderent ignem, *tam excellentes sunt inquisitores in ingeniis.* Quod ego intelligo ex uno facto novissimo; quia si potuerunt invenire, quòd *Joannes Reuchlin* esset hæreticus, quia dixit, *humanitatem Christi comparari posse habitui laicali & meretricio*: quomodo effugere potuisset apostolus *Paulus*, qui non humanitatem *Christi*, sed *Christum* ipsum *filium Dei* dicit, *non modo velatum maledicto & peccato, sed maledictum & peccatum factum, ab ipso Deo met.* * Bene tibi, Paule, quòd vixisti illo tempore, quando non erant subtilia ista ingenia. Quare quisquis considerет temporis rationem & subtilitatem ingeniorum, citò solvet omnes quæstiones. Hanc igitur artem à me comparatam secundum paupertatem doctrinæ, & infœcunditatem styli, bono & læto animo suscipite, optimi patres, mihi multum metuendi: ut ista possitis per honorem sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ & veritatis *Curialis*, ad laudem & gloriam Ordinis nostri, omnes hæreticos funditùs extirpare, & fœliciter triumphare; & hoc ad introducendam consuetudinem pro Sancta R. *Curia*, qua ei liceat, quos volet, impunè occidere & damnare, per dispensationem & reprobationem omnium legum Dei. Valete bene in veritate, quam quæritis & diligitis.

* i. e. asinos qui sanguini humano tantum tribuunt, contra practicam Eccl. *Rom.*

* Fictum hinc fortasse alterius, & non serium Prieratis tractatum fuisse putabit aliquis: Sed qui perpendit quàm seriò S. Paulo minantur Papistæ, hasce regulas inquisitorias non temerè damnabit joci.

Datum *Romæ*, ex Apostolico Palatio.

EXCERPTA QUÆDAM
è *Bernardo*, de Corruptelis & Avaritia Ecclef. Rom.

In Cantica Serm. 10.

Quanti hodie fecus affectos esse ostendunt, de his dico qui animas regere susceperunt? Quod enim sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem & mortem: hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquisitionem turpis quæstus, & pretium universitatis suis marsupiis includere festinant. Hoc solo à Juda Iscariote differentes, quòd ille horum omne emolumentum denariorum numero compensavit, isti voraciore ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. His insatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant timent, & cum amittunt dolent, harum in amore quiescunt quantum duntaxat liberum eis est à servandi vel augmentandi cura. Animarum nec reputatur casus nec salus. Non sunt profectò matres, qui cùm sint de crucifixi patrimonio

nio nimiùm incraſſati, impinguati, dilatati, non compatiuntur ſuper contritione Joſeph. Quæ mater eſt non diſſimulat, habet ubera non vacua.

Væ generationi huic à fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis: ſi tamen hypocriſis dici debet, quæ jam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non quærit. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quò latius, eò deſperatiùs, eoque periculoſiùs quò interiùs. Nam ſi inſurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras & exareſceret: ſi violentus inimicus abſconderet ſe fortitan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut à quo abſcondet ſe? Omnes amici, & omnes inimici: omnes neceſſarii, & omnes adverſarii: omnes domeſtici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærentes. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, cui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus: Inde aurum in frænis, in ſellis & calcaribus: & plus calcaria quàm altaria fulgent. Inde ſplendidæ menſæ & cibis & cyphis: Inde comeſſationes & ebrietates: Inde cythera, & lyra, & tibia: Inde redundantia torcularia & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria: Inde referta marſupia: pro hujuſmodi volunt eſſe, & ſunt Eccleſiarum præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Epiſcopi, Archiepiſcopi. Nec enim hæc merito cedunt, ſed negotio illi quod perambulat in tenebris, olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara prius in nece martyrum: amarior poſt in conflictu hæreticorum: amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare non fugere eos poteſt, ita invaluerunt & multiplicati ſunt ſuper numerum. *Inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ:* & ideo in pace amaritudo ejus amariſſima. Sed in qua pace? Et pax eſt, & non eſt pax: pax à Paganis, pax ab hæreticis, ſed non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore iſto, Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Spreverunt & maculaverunt me à turpi vita, à turpi quæſtu, à turpi commercio: à negotio denique perambulante in tenebris. Supereſt ut jam de medio fiat dæmonium meridianum ad ſeducendos, ſi qui in Chriſto reſidui ſunt adhuc permanentes in ſimplicitate ſua. Idem ibid. Serm. 33.

Non ſunt omnes amici ſponſi, quos hodiè ſponſæ hinc inde aſſiſtere cernis, & qui (ut vulgò aiunt) eam quaſi addextrare videntur. Pauci admodum ſunt, qui non quæ ſua ſunt quærunt ex omnibus charis ejus. Diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, quia manus dederunt Mammonæ. Idem ibid. ſerm. 77.

Undè verò hanc illis exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ. Inde eſt quòd illa pauper & inops, & nuda relinquitur facie miſeranda, inculta, hiſpida, exangui. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire, ſed perdere: non eſt defendere, ſed exponere: non eſt inſtituere, ſed proſtituere: non eſt paſcere gregem, ſed mactare & devorare.

Quem dabis mihi de numero præpoſitorum, qui non plus invigilet ſubditorum vacuandis marſupiis, quàm vitiis extirpandis? Ubi qui orando flectat iram? Qui prædicet animum placabilem Domino? Idem ibid.

Propterea relinquamus iſtos non inventores ſponſæ, ſed venditores, & inquiramus potiùs illos à quibus ſponſa ſe inventam loquitur. Et quidam illorum ſortiti ſunt miniſterii locum, ſed non zelum: ſucceſſores omnes cupiunt eſſe, imitatores pauci. O utinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad Cathedram! &c. Idem ibid.

Parum eſt noſtris vigilibus, quòd non ſervant nos, niſi & perdant: alto quippe demerſi oblivionis ſomno ad nullum dominicæ comminationis tonitruum expergiſcuntur, ut vel ſuum ipſorum periculum expaveſcant: inde eſt, ut non parcant ſuis, qui non parcunt ſibi, perimentes pariter & pereuntes. Idem ibid.

Scholares pueri & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris, lætiores interim quòd virgas evaſerint, quàm meruerint principatum: nec tam illis blanditur adeptum, quàm ademptum magiſterium. Bernard. Epiſt. 42.

Et olim quidem eratis contra Apoſtolum *Petrum* dominantes in Clerum, immò & contra Coapoſtolum ejus *Paulum*, dominabamini fidei totius orbis. At nunc novum aliquid addidiſtis, uſurpantes ampliùs & in ipſam religionem. Quid reſtat, niſi ut adjiciatis & ipſis Angelis ſanctis dominari? Idem Epiſt. 230. ad Epiſcopos Hoſtienſem Tuſculanum, Præneſtinum.

Nec vereor ne fortè præſumptionis arguar: quippe qui licèt omnium minimus, tamen Romanæ Curiæ injuriam à me non judico alienam. Urimur aſſiduè dico vobis: urimur graviter nimis: ita ut nos tædeat etiam vivere. *In Domo Dei vide-* Idem Epiſt. 235. ad totam Curiam Rom.

mus

mus horrenda. Et quia corrigere nos non possumus, saltem suggerimus his ad quos spectat.

Idem Epist. 237. ad Eugenium 3. Quis mihi det antequam moriar, videre Ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum? Quàm cupio illius te hæreditare vocem, cujus adeptus es sedem? Pecunia (inquit) tua tecum sit in perditionem.

Idem Ep. 249. Quis dabit mihi homines literatos & sanctos in Ecclesiis Dei præesse pastores, si non in omnibus, certè in pluribus, certè in aliquibus saltem.

Idem Epist. 290. de Jordano Cardinali, Domino Hostiensi. Pertransiit Legatus vester de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, fœda & horrenda vestigia apud nos ubique relinquens. A radice Alpium & regno Teutonicorum per omnes penè Ecclesias Franciæ & Normanniæ & circumquaque circuiens usq; Rothomagum, vir Apostolicus replevit, *non Evangelio, sed sacrilegio, turpia fertur ubique commisisse, spolia ecclesiarum asportasse:* formosulos pueros in Ecclesiasticis honoribus ubi potuit promovisse, ubi non potuit voluisse. Multi se redimerunt ne veniret ad eos, ad quos pervenire non potuit, exegit & extorsit per nuntios. In Scholis, in curiis, in triviis fabulam seipsum fecit. Seculares, religiosi, omnes malè loquuntur de eo.

Idem lib. 1. de consid. ad Eugen. 3. Nunquid hac ille servitute hominibus inserviebat in acquisitione turpis quæstus? Nunquid ad eum (*Paulum*) de toto orbe confluebant ambitiosi, avari, simoniaci, sacrilegi, concubinarii incestuosi, & quæcunque istiusmodi monstra hominum, ut ipsius Apostolica autoritate vel obtinerent honores Ecclesiasticos, vel retinerent?

Idem ibid. *Plena est ambitiosis ecclesia.* Non est jam quod exhorreat in studiis & molitionibus ambitionis, non plusquàm spelunca latronum in spoliis viatorum. Si Christi discipulus es, ignescat zelus tuus, exsurgat authoritas adversus impudentiam hanc & generalem pestem.

Idem ibid. lib. 3. Annon limina Apostolorum plus jam ambitio quàm devotio terit? Annon vocibus ejus vestrum tota die resultat palatium? Annon quæstibus ejus tota legum canonumq; disciplina insudat?

Idem ibid. Quousq; murmur universæ terræ aut dissimulas, aut non advertis? Quousque dormitas? Quousq; non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem atque abusionem? Præter jus & fas, præter morem & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non causa discernitur aut persona. Præsumuntur leviter passim, plerumque nequiter.

Idem ibid. lib. 4. Inter hæc, tu pastor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate. Oves quid capiunt? si auderem dicere, Dæmonum magis quàm ovium pascua hæc. Scilicet sic factitabat *Petrus?* sic *Paulus* ludebat? vides omnem ecclesiasticum zelum fervere solâ pro dignitate tuenda? Honori totum datur, sanctitati nihil aut parum.

Idem ibid. *Petrus* hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis: non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus Ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum: *Si amas me, pasce oves meas.* In his successisti non *Petro* sed *Constantino.*

Idem Bern. in Apologia ad Willermum Abbatem Cluniacensem. Absit autem ut credam tantas eos quantas video in plerisque Monasteriis vanitates ac superfluitates præcepisse vel concessisse. Miror etenim unde inter Monachos tanta intemperantia in comessationibus & potationibus, in vestimentis & lectisterniis, & equitaturis, & construendis ædificiis inolescere potuit, quatenus ubi hæc studiosiùs, voluptuosiùs, atq; effusiùs fiunt, ibi ordo meliùs teneri dicatur, ibi major putetur religio.

Idem ibid. Quis in principio cùm ordo cœpit Monasticus, ad tantam crederet Monachos inertiam devenire? O quantum distamus ab his qui in diebus *Antonii* extitere Monachi! &c.

Idem ibid. Nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed nugæ & risus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus, modum nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumq; prioribus fueris satiatus, si secundas attigeris, videberis tibi nec dum gustasse pisces, tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis prima non impediant novissima, nec satietas minuat appetitum, &c. Vide plura ibidem de ingluvie Monachorum.

Idem ibid. Heu me miserum qualemcunque Monachum! cur adhuc vivo videre ad id devenisse ordinem nostrum? &c.

Ac jam

Ac jam religionis antiquæ non solùm virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim ipse habitus noster (quod dolens dico) qui humilitatis esse solebat insigne, à monachis nostri temporis in signum gestatur superbiæ. Vix jam in nostris provinciis invenimus, quo vestiri dignemur. Miles & Monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullum & chlamydem. Quivis de seculo quantumlibet honoratus, etiamsi Rex, etiamsi Imperator ille fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint & aptata. Idem ibid.

Dicam, dicam: præsumptuosus dic... sed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata est? quomodo sal terræ ... [illegible]atum est? quorum nobis vita via vitæ debuit esse, dum exemplum in suis actibus ostendunt superbiæ? cæci facti sunt duces cæcorum. Quod enim (ut cætera taceam) specimen humilitatis est, cùm tantâ pompâ & æquitatu incedere, tantis hominum crinitorum stipari obsequiis, quatenus duobus Episcopis unius Abbatis multitudo sufficiat? Mentior si non vidi Abbatem sexaginta equos & eo amplius in suo ducere comitatu. Dicas si videas eos transeuntes, non patres esse monasteriorum, sed principes provinciarum, &c. vide. Ibidem.

Væ, væ, in domo Dei horrendum videmus. Quid ni Idololatras ministrantes? Mentior si non idolorum servitus avaritia est: si non quibusdam etiam venter suus factus est Deus suus. Quod enim quisque præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse probatur. Idem Bernar. serm Ecce nos reliquimus omnia.

Et si reddenda est ratio de his quæ quisque gessit in corpore suo, heu quid fiet de his quæ quisque gessit in corpore Christi, quod est Ecclesia! Ecclesia Dei vobis commissa est, & dicimini pastores, cum sitis raptores. Et paucos habemus heu! pastores, multos autem excommunicatores. Et utinam sufficeret vobis lana & lac, sititis enim sanguinem, &c. Ex sermone cujusdam in Concilio Remensi ad Clerum habito.

Fratres sic facit Jesus hodie, eligens sibi multos diabolos Episcopos? ubi (proh dolor!) reperiemus Episcopos? qui post adeptam dignitatem in humilitate se contineant? nempe superbia eis occasio est, ut ad tantam dignitatem aspirent. Ibidem.

Archipresbyter circuit obedientiam sibi creditam, & ut impleat saccum suum, tradit sanguinem justum: vendit nempe homicidia, adulteria, incestus, fornicationes, sacrilegia, perjuria, & usque ad summum implet manticam suam. Famâ igitur volante innotescit Episcopo tales quæstus, & accersito Archipresbytero, Da mihi (inquit) partem meam. At ille, Nihil dabo tibi. E contra Episcopus, Si non dederis mihi (inquit) partem meam, auferam tibi omnia: fitque altercatio maxima, & propter avaritiam fit discordia. Postea verò Archipresbyter revolvens secum quòd authoritate Episcopi fungatur potestate ista, & quod sine gratia ipsius nihil possit, perversè conversus, pœnitet (inquit) me, accipe partem tuam, & insuper de mea quod bene placitum fuerit, & reconciliantur. Heu, sicut Herodes & Pilatus reconciliati sunt, & Christus crucifixus est: sic nihilominus isti reconciliantur, & pauperes Christi spoliati sunt. Ibidem.

Episcopi verò & sacerdotes hujus temporis castitatis sanctimoniam (sine qua nemo videbit Deum) tam in corde, quàm in corpore quomodo student observare? Ibidem isti autem castitatis insigne qualiter custodiunt, qui traditi in reprobum sensum, faciunt quæ non conveniunt? Quæ enim in occulto fiunt ab Episcopis, turpe est dicere. Melius itaque arbitror super hoc dissimulare & supersedere, quàm aliquid unde scandalizentur innocentes & inexperti, dicere. Sed ego nec verecundabor dicere, quod ipsi non verecundantur facere: imo quod Apostolus non verecundatur scribere & prædicare? Dicit autem egregius prædicator, sic masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem sui erroris recipientes. Ibidem.

Ex Johann. Gersone, qui fuit Cancellarius Academiæ Parisiensis, & Regis Galliæ ad Concilium Constantiense Legatus.

QUòd si *Moses* loquens Deo familiariter, sicut amicus ad amicum, obedienter audivit consilium Gentilis hominis in regimine totius Synagogæ; quanto magis debet hoc summus Pontifex ad dictamen totius Ecclesiæ, vel generalis Concilii suo nomine? Rursus, si judicia minora reprobantur in *Mose*, videamus in summo Pontifice & Curiâ suâ, quid de tot profanissimis & indignissimis causarum & litigiorum continuis & anxiis occupationibus? quid de beneficiorum quorumcunque etiam minorum collationibus & signationibus manu Papæ? quid de Annalium exactionibus? quid de innumeris similibus dicendum judicabitur, relictâ omni curâ, sollicitudine vel studio de omni eo quod spirituale est, quod denique fidem concernit ad religionem Christianam. To. 1. de potestate ecclesiastica. consid. 8.

Ibid paulò suprà.

Verùm potestatem hanc ecclesiasticam quæ respicit institutionem Ministrorum Ecclesiæ à summo usque deorsum confundit magnâ caligine cupiditas ambitiosa, quærens quæ sua sunt, & quæ crescentibus beneficiorum dotationibus impudenter excrevit, ita ut vix discerni modò possit, quid ex *Primaria institutione Christi*, vel invariabili jure divino tenendum sit in hujusmodi Ministrorum ordinatione.

Ibid. consid. 10.

Nequaquam licitum fuit Papæ tales cassare regulas, præsertim ita generaliter & passim per reservationes & aliter, sicut visum est à centum annis vel ultrà. Non licuit prætereà facere tot & tales non obstantias eorum quæ constituta sunt in generalibus Conciliis, quot & qualibus non obstantiis uti solet passim in Bullis suis. Adeò quidem ut *Alexander Quintus* inductus sit in prætensis quibusdam bullis ponere: Non obstantiam hujus saluberrimi ac celebriter observati statuti, Omnis utriusque sexus.

Ibid.

Ac proinde disciplina regularis viget apud eos, quæ quantum sit collapsa apud religiones quasdam alias passim dispensationibus utentes, videre stupor & dolor est. Super qua re jam *Bernardi* pro tempore suo querela nascebatur: Quid modò dicendum putabimus de tam facili (ut appellant) dispensatione per Papam & Prælatos super juramentis licitis, super votis rationalibus, super immensa beneficiorum pluralitate, super generali Conciliorum non obstantia, super privilegiorum & exemptionum commune jus privantium concessione? Quis omnia dinumeraret per quæ nunc vigor ecclesiasticæ, immò & Evangelicæ disciplinæ totus verè languit, emarcuit, evanuit?

Ibid. consid. 12.

Concernit hoc collationem beneficiorum, multiplicitatem exemptionum odiosissimam plenam erroris & confusionis in ecclesiastica Hierarchia, & ita de reliquis. Reservationem prætereà tot casuum, tot excommunicationum in foro conferentium, evocationem tam facilem omnium causarum ab ordinariis, sint causæ illæ profanæ, sint sacræ fidei. Quales fidei causas omnes ab ordinariis singulis præsertim in doctrinis notoriè scandalizantibus Diœceses suas, & ubi vigent studia literarum velle prohibere, quid aliud est, quàm januam grandem erroribus aperire?

Idem Serm. de signis ruinæ Ecclesiæ.

Quædam Glossa dicit, quòd erit discessio aliarum Ecclesiarum ab ipsa Romana Ecclesia.

Ibid.

Tertium signum sumitur ex personarum dispositione: & est immoderata inæqualitas, quâ alius & sæpè dignior esurit; alius & frequenter indignior præ multitudine & magnitudine beneficiorum est ebrius. Ibid. statim: Sed non puto quòd unquam fuerit aliquarum gentium politia, in qua esset tanta Sacerdotum differentia, ut hi quidem essent majores Principibus hujus seculi, licèt indoctiores: alii ejusdem gradus & ordinis, licèt doctiores & sapientiores, dejectiores vulgo.

Eadem verba habentur apud Theod. de Niem. Nemor. unio. trac. 3. p. 223.

Ibid. Sign. 8.

Prælatio puerorum ac ignorantium, ac pravorum, & hæc erit destructio Latinorum.

Idem in declaratione defectuum virorum ecclesiasticorum.

Primò ubi est, quòd Episcopus bonus & probatus opere & doctrinâ eligatur, non puer, non carnalis, spiritualium ignarus. Quòd Episcopi & sacerdotes spectaculis & ludis non intersint, nec delectentur. Quòd sacerdotes nihil fœneris, aut rustici ministerii exerceant, nec mercatores, venatores, aut negotiatores fiant. Quòd Scripturis divinis studeant Episcopi & Sacerdotes, maximè Monachi & religiosi, scientiis litigiosis & practicis omissis.

Ibid.

Iterum, ad quid expedit, aut quid utilitatis Ecclesiæ confert tam magnifica Principum gloria, & tam superflua Prælatorum & Cardinalium pompa, ut quasi se homines esse nescire faciant? Et quæ utique abominatio, quòd unus tenet ducenta, alter trecenta beneficia Ecclesiastica? Nonne inde cultus divinus diminuitur, Ecclesiæ depauperantur, valentibus viris & doctoribus privantur, fidelibus mala exempla dantur?

Ibid.

Quid quòd hodiè unus, utinam mediocriter doctus, tenet quatuor, quinq; vel sex, vel octo beneficia, quorum uno non est dignus, quibus octo sustentari possent, doctrinis, orationibus, & divinis laudibus insistentes. Attendite an potiùs hodiè equi, canes, aves, & superflua ecclesiasticorum familia patrimonium Ecclesiæ comedere debeant, quàm pauperes Christi?

Ibid. 59.

Quid etiam sibi vult, quòd quarundum ecclesiasticarum Cathedralium Canonici calceis rostrati, vestibus accurtati, abjecto habitu clericali & assumpto militari in armis & hastiludiis se exercent. Episcopique cappa, superpelliceo, libroque depositis, arma sumunt, in campis armati pugnant, ut Principes seculares?

Ibid. 61.

Quid est quòd hodiè Episcopi, Abbates, Monachi, sunt plùs officiales fisci quàm Christi, totis nisibus militantes mundo, in curiis Principum & secularium judiciorum seu Parlamentorum.

Ibid. 62.

Ecce quid sibi vult etiam, quòd modò potiùs omnes Episcopi, Prælati, & parochiales Sacerdotes per Papam constituuntur, quàm eligantur personæ notæ & aptiores de patria,

patria, ut non præferantur Ecclesiis homines extranei in moribus, linguis & consue-
tudinibus.

Quid est quòd hodiè potentum & nobilium pueri ecclesiasticis dignitatibus præferun- 63.
tur, & Clerici famosi in vita & doctrina eis subjiciuntur.

Rursus oculos aperite, & inquirite, si quæ hodiè claustra Monialium facta sunt, quasi 65.
prostibula meretricum. Si quæ consecrata Canonicorum monasteria fiant quasi fora & Ibid.
diversoria. Si quæ Cathedrales Ecclesiæ factæ sunt speluncæ raptorum & latronum.

Scrutemini si alicubi Sacerdotes in consuetudinem duxerunt sub prætextu ancillarum 66.
habere concubinas. Ibid.

Judicate, si tanta imaginum & picturarum in Ecclesiis varietas expediat: & an plures
simplices nonnunquam ad Idololatriam pervertant? 67.

Videte si tanta religionum numerositas & varietas conveniat? 68.

Rursum pensate, si æquum est fatuos præesse, & sapientes subesse: juvenes dominari, 74.
senes famulari: ignaros ardua discutere, scientes loqui non audiri: equorum famulos in Ibid.
promotionibus præponi, eloquiorum Dei discipulos postponi.

Perquirite, si quæ Scripturæ Apocryphæ, aut hymni, aut orationes successu temporis, 75.
studio vel ignorantiâ in detrimentum fidei introductæ sint.

Hæc idcircò dixi, quoniam forte aliquibus videretur quòd sit expediens Ecclesiæ uni- Idem tom. 1.
versali redire omnia ad pristinum statum Ecclesiæ, seu illius quæ fuit tempore Aposto- de concil.
lorum quantum fieri congruè posset, abjectis talibus jurisdictionibus pro magna parte quæ general. unius obedientiæ,
reddiderunt Ecclesiam *totam brutalem & carnalem, & nihil ferè sapientem* de his quæ Dei sunt v. Q.
erga salutem animarum, non ex se quidem, sed abutentium vitio. Vel redeundum esse
ad statum Ecclesiæ tempore *Sylvestri & Gregorii*, quando quilibet prælatus dimittebatur in
sua jurisdictione & sollicitudinis parte, & Papa tenebat quæ sua erant absque tot reserva-
tionibus, ut & continuis, magnisque exactionibus pro sustinendo statum curiæ & capitis
nimis fortè crescentem suos cæteros membrorum status.

Status insuper Ecclesiæ nonne factus est totus quasi brutalis & monstruosus? ubi cœ- Idem Serm.
lum deorsum, hoc est scilicet id quod spirituale est, & terra sursum, spiritus serviens & in die Circumcisionis Domi-
caro dominans. Principale accessorium, & accessorium principale, usque ad hoc, ut ni, coram
quidam delirare non dubitent, quòd per inventiones humanas etiam meliùs quàm per Papa apud
legem divinam Evangelicam regeretur, quasi minus sit anima quàm corpus: & spiritualis Tarasconam
quàm carnalis fructus. Hæc assertio per meam fidem blasphema est, nedum falsa Evan- 6. p.
gelica, quippe doctrina per suos professores dilatavit Ecclesiam usque in cœlum, quam filii
Agar exquirentes sapientiam quæ de terra est, detruserunt usque in cœnum.

Videas ferè omnes summis importunitatibus in leges irruere, dum nunc gratiam obti- Idem tom. 1.
nendorum similium incompatibilium, nunc in absentia posse fructus colligere, nunc ante ferm. coram
omnes magnas dignitates assequi, nunc ad sacros ordines non compelli, & mille alia rectis Alexand. Papa in die Ascen-
legibus vetita. Ubi non est intolerandum magnos Prælatos commissos sibi greges lupis sionis.
exponere, & quotidie ad denariorum regiorum supputationes sedere, non veritos præce-
ptum Apostolicum transgredi, Nemo militans Deo implicit se negotiis secularibus: eo
sensu quo per sacrosanctum Concilium olim expositum fuit. Quid de illis loquor, qui
de more patriæ pro mitris utuntur galeis, pro veste lineâ vestiuntur ferreâ, arma ferunt,
bella gerunt, fundunt sanguinem, Præsules negant, duces exhibent, spiritum nesciunt, car-
nem fovent, quasi arma militiæ nostræ essent carnalia, & non potentia Deo? &c.

Quid turpius quàm videre doctos, aut bene moratos, aut extra ordines jacere, aut in Ibid. paulo
imis collocatos, ignaros autem & improbos altissimum gradum tenere: videre alios esu- post.
rire, alios ebrios esse? Quòd si ad institutionem Sacerdotum atque provisionem venire
delectet, doleo seminaria seri litium, ubi lites sequi nefas est. Vix aliquod beneficium
infra prælaturas confertur, quin ipsum uni summus Pontifex, alteri verò legatus aliquis,
item ordinarius alteri conferat. Quid est hoc aliud quàm litium materiam exhibere? Nec
illud minùs absonum quòd magis favoribus humanis, aut gratia, aut metu, aut cupidi-
tate, aut consanguinitate, aut affinitate, aut aliquo impetu animi quàm judicio aut delectu
prævisiones istæ fiunt.

O indignum facinus! ô sceleratissimam proditionem! milites mei & iidem filii quos Ibidem.
ad honores maximos opesque sublimavi, projectis armis sponsi mei, loricâ justitiæ, scuto
fidei, galeâ salutis, & gladio spiritus, ad hostem capitalem transfugerunt; pactoque tur-
pissimè pacis fœdere, armaturam illius induerunt, loricam injustitiæ, scutum prudentiæ
carnalis, galeam amoris mundani, gladium carnis, quod est verbum mendax diaboli, unde
pugnant contra me, & in materna viscera vires convertunt, &c.

Annon ergo sunt prudentes congerendis opibus, instruendis dapibus, cumulandis hono- Ibid. paulo
ribus, pompis fovendis? & negligentes regendis plebibus, alendis pauperibus, diligendis post.

 humilibus,

humilibus, & ſuperfluitatibus coercendis? Annon potius de beneficiis diſceptant per leges Juſtiniani, quàm populum erudiant & docent legem Chriſti? Doceant dico? imo diſcant. Nam quem è ſacerdotum numero mihi dabis non ignarum legis Chriſti? Annon augmentis plus inhiant facultatum, quàm lucris animarum? Quis autem hæc à carnis prudentia proficiſci negaverit?

Ibidem. Nec ſine lachrymis inſpicere poteram alium concubinatu pollui, cui tamen ut puritatem angelicam æmuletur, connubium eſt interdictum. Luxum etiam non clam, ſed in propatulo habere, fœdis factis fœda verba conjungere, dapibus implere ventrem, inebriari vino, doctum & ad calicem vigilanti ſtertere naſo, & mille aliis propè conſpectis fluebant mihi lachrymæ, nec fluere deſinent niſi malas iſtas radices pejorum germinum matres ſuccifas agnovero.

Idem de nuptiis Chriſti & Eccleſiæ. Confid. 1. Ib. confider. 3. Invenies apud eos qui nomen ſibi religionis appropriarunt, plus puniri tranſgreſſiones humanæ conſtitutionis ſatis frivolæ ſuper delatione veſtis hujus vel illius, ſuper uſu cibi talis aut talis: quàm ſi blaſphemando quis Deum negaverit, dejeraverit, violaverit Sabbata ejus, & univerſa decalogi præcepta. Faciunt & nunc (ô ſalutifer Chriſte) domum tuam ſtabulum porcorum grunnientium, vel canum latrantium, vel ridicularum ſimiarum.

Idem de erroribus circa artem magicam. Arguunt iterum, & nos in ſimilem cauſam trahere ſatagunt: Nonne, inquiunt, talia ſimiliter fiunt aut tolerantur ab Eccleſia in peregrinationibus certis, in cultu imaginum, in cereis, aut ceris, aut aquis benedictis, & in exorciſmis. Nonne dicitur quotidie, ſi novem diebus perdurat in hac Eccleſia, Si ex aqua illa perfundatur, aut ſi tali ſe voveat imagini, aut ſi aliquid talium faciat, ipſe mox ſanabitur, vel optato potietur. Fateor abnegare non poſſumus, multa inter Chriſtianos ſimplices ſub ſpecie religionis introducta eſſe, quorum ſanctior eſſet omiſſio, tolerantur tamen quia nequeunt funditus erui.

Ex Johannis Sariſburienſis Epiſcopi Carnotenſis Polycratico, qui obiit Anno Domini 1182.

In Polycratico lib. 5. cap. 16. fol. 169. SED nec Legati ſedis Apoſtolicæ manus ſuas excutiunt ab omni munere: qui interdum in provinciis ita debacchantur, ac ſi ad Eccleſiam flagellandam egreſſus ſit Satan à facie Domini. Concutiunt angulos, domos, ut proſternant filios & filias ejus, qui languores & dolores animarum curavit in cruce. Commovent & conturbant terram, ut videantur habere quod ſanari oporteat.

Idem libr. 6. c. 24. fol. 206. Memini me cauſa viſitandi Dominum *Adrianum* Pontificem quartum, qui me in ulteriorem familiaritatem admiſerat, profectum in Apuliam, manſique cum eo *Beneventi* fermè tres menſes. Cùm itaque ut fieri ſolet inter amicos, ſæpè pluribus conferremus: & ipſe quid de ſe & Eccleſia Romana ſentirent homines, à me familiariùs & diligentiùs quæreret: ego apud eum uſus ſpiritus libertate, mala quæ in diverſis provinciis audieram patienter expoſui. Sicut enim dicebatur à multis, Romana Eccleſia, quæ mater omnium Eccleſiarum eſt, ſe non tam matrem exhibet aliis quàm novercam. Sedent in ea Scribæ & Phariſæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam: pretioſam ſupellectilem congerunt: auro & argento onerant menſas, ſibi etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper, aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Chriſtus, quàm vana gloria introducit. Concutiunt Eccleſias, lites excitant, collidunt clerum & populum: laboribus & miſeriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Eccleſiarum lætantur ſpoliis, & quæſtum omnem reputant pietatem. Juſtitiam non tam veritati quàm pretio reddunt. Omnia namque cum pretio hodie: ſed nec cras aliquid ſine pretio obtinebis. Nocent ſæpius, & in eo dæmones imitantur: quòd tunc prodeſſe putantur, cùm nocere deſiſtunt, exceptis paucis qui nomen & officium paſtoris implent. Sed & ipſe Romanus Pontifex, omnibus gravis & ferè intolerabilis eſt. Præterea omnes arguuntur, quòd ruentibus & collabentibus Eccleſiis, quas patrum conſtruxit devotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit: & ipſe non modò purpuratus, ſed deauratus incedit. Palatia ſplendent ſacerdotum, & in manibus eorum Chriſti ſordidatur Eccleſia. Provinciarum diripiunt ſpolia, ac ſi theſauros Crœſi ſtudeant reparare. Sed rectè cum eis agit altiſſimus, quoniam & ipſi aliis, & ſæpè viliſſimis hominibus dati ſunt in direptionem. Et, ut opinor, dum ſic in nimio erraverint, nunquam deerit eis flagellum Domini.

Ibid. paulo poſt. Sed & boni rapiuntur interdum, ne malitiâ immutentur: & quia Roma corrupta apud Deum, his reperitur indigna. Tu ergo quia id habes officii, quære & viſe humiles, vanæ gloriæ & pecuniæ contemptores. Sed timeo ne dum pergis quærere quæ vis, ab imprudente amico audias quæ non vis.

Domeſticas

Domesticas calamitates, & thalamum sapientiæ expositum fornicatoribus: & sanctuarii interioris recessum in prostibulum permutatum, sine gemitu & lachrymis nequeo deplorare. Domus namque orationis, negotiationis, Domino prohibente, facta est domus: & templum fundatum in lapide adjutorii, in latronum speluncam versum est. Siquidem Ecclesia data est in direptionem, aliis palam, aliis clam occupantibus eam. Idem l. 1. c. 17. fol. 2.

Alius enim in nobilitate confisus, aut viribus potestatum violenter in sancta irruit, & si forte pulsat ostium, parietem aut limina suffodere non veretur. Nam & seditionem concitabit in Moysen, & alienum ignem in Templum inferet, & vasa sanctuarii contaminabit. Alius sperans in multitudine divitiarum, Symone ducente ingreditur; non invenies ibi qui eum & pecuniam suam jubeat ire in perditionem. Alius in muneribus ad *Petrum* reformidat accedere: clanculò tamen per impluvium auri, ac si per tegulas *Jupiter* elabatur in gremium *Danaes*: sic in sinum Ecclesiæ procul descendit incestus. Ibid paulo post. Ibid. Idem lib. 8. cap. 17. fol. 340.

Idem ibid. cap. 23. fol. 363. Quid iste dixisset, si post longissimum & funestissimum schisma inter Urbanum 6. & Clem. 7. eorumque successores vixisset, in quo 200000. homines occisi sunt, ut constat ex literis Henrici 4. Angliæ regis ad Gregor. 12. quæ extant in Thom. Walsing. histor.

Jam palàm emuntur omnia, nisi modestia venditoris impediat.

Quâ verò impudentiâ hoc attentare audeat discipulus crucifixi, Vicarius *Petri*, Pastor animarum, quod vigente infidelium disciplinâ, Vicarius Imperatoris sub officio Consul, rector corporum præsumere non audebat?

Fertur à quibusdam, & verum est, quòd super Romano pontificatu ab ambitiosis, quandoque immò sæpè litigatum, & non sine sanguine fraterno Sancta Sanctorum ingressus sit Pontifex. Concitata sunt iterum bella plusquam civilia inter *Cæsarem* & *Pompeium*, & quicquid Philippis, Leucade, Mutinæ, in Egypto, Hispaniâve præsumptum est, quicquid impiè gestum, pugna sacerdotalis absolvit. Nunquid Christiani sanguinis procurant effusionem, ut eis præ cæteris liceat pro grege, quòd pastoris est, animas ponere? Nunquid Ecclesiam diruunt, profanant sancta, ut sit quod ædificari & sanctificari oporteat? Concutiunt populos, regna sollicitant, Ecclesiarum diripiunt facultates, fortè ut sibi faciant materiam promerendi, ut componant omnia: ut pauperibus miserendi & providendi aliis concurrentibus necessitatem præcipiant.

Ex Marsilii Patavini libro qui inscribitur, Defensor Pacis, scripto circa Annum Domini 1324.

QUæ verò de Ecclesiasticorum officiorum & beneficiorum seu temporalium distributione fiunt inconvenientia, pertranseo. Nam ipsorum plurima prece vel favore potentum seculi obtinendis, aut pretio (si fas sit dicere) distributoribus aut intercessoribus, *Magi Simonis Ministris* oblato, talia conferuntur *ignorantibus, criminosis, pueris, incognitis, & invisis ac idiotis*, manifestè secundum totius vulgi sententiam. Cùm tamen Apostolus, 1 *ad Timoth.* 3. præcipiat officiales ecclesiasticos debere cognosci tanquam probatos & perfectos vitâ, seu moribus & doctrinâ. Unde ubi suprà: *Oportet autem illum*, id est, Presbyterum seu Episcopum, & *testimonium habere bonum ab his qui foris sunt*, quantò magis ab his qui sunt intra Ecclesiam? Et infrà parum eodem, *Diaconos similiter pudicos. Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Veruntamen hoc convenienter potest dicere quis, quòd benè probantur horum plurimi, ut novit mundus, quantum scilicet pretium aut precem valeant exhibere. Quòd ne singula inconvenientium dinumerare tentemus, tanquam impossibilium, aut difficillimum valdè, de Presbyterorum seu Episcoporum, cæterorumque templi Ministrorum quasi omnium actibus summam facientes, coram Christo testamur, ejus si mentimur judicium invocantes, præfatos Episcopos & reliquos ferè omnes modernis temporibus, omnium quasi opposita perpetrare, quæ secundum doctrinam Evangelicam aliis prædicant observanda. Voluptates namque vanitates, temporalia, & seculi principatus exardent, & omni conamine, non jure, sed injuriâ occultâ & manifestâ prosequuntur & occupant. Defens. pacis part. 2. cap. 10. pag. 201.

Nunc verò propter ecclesiastici regiminis corruptionem, plurima pars sacerdotum & Episcoporum in sacra Scriptura periti sunt parùm, & (si dicere liceat) insufficienter, eò quòd temporalia beneficiorum, quæ assequuntur officiis ambitiosi, cupidi, & Causidici quidam obtinere volunt, & obtinent obsequio, prece, vel pretio, vel seculari potentiâ. Et Deo teste, ac fidelium multitudine, Sacerdotes plurimos, Abbates & ecclesiasticos Prælatos quosdam me vidisse ac audivisse memini adeò diminutos, ut etiam nec Grammaticæ congruum scirent proferre sermonem. Et quod amplius horrendum est, Idem ibid. cap. 19. pag. 312.

in

in ecclesiastico ritu scivi & vidi hominem citra vigesimum ætatis suæ annum divinæ legis ignarum quasi penitùs, cui tamen in famosa & populosa civitate commissa est episcopalis cura, eo non solùm sacerdotali ordine carenti, verum etiam Diaconatus & Subdiaconatus: exorti, &c.

Ibid. cap. 23. p. 355. Quis enim non admirabitur aut stupebit, divinarum Scripturarum ignaros juniores, morum convenienti gravitate carentes, inexpertes, indisciplinatos, & quandoque notoriè criminosos, ad majores Ecclesiæ thronos esse præfectos simoniacâ pravitate, vel prece pòtentum, (non dico quandoque terrore, obsequio vel sanguinis affinitate) repulsis aut neglectis Scripturæ sacræ doctoribus, viris honestate probatis? Ficta ne loquor aut falsa? ab numerante quippe provinciarum Episcopos aut Archiepiscopos, Patriarchas, & reliquos inferiores Prælatos, sacræ Theologiæ Doctor, aut in ipsa sufficienter instructus, non *reperietur unus ex decem.* Et quod referre pudet (quamvis non pigeat, quia verum) Episcopi modernorum neque prædicare populo verbum Dei, nec hæreticorum, si qui apparuerint, noverunt erroris adversari doctrinis, sed in prædictis eventibus impudenter mendicant aliorum doctrinas, &c.

Idem cap. 25. pag. 382. Eam etenim quæ verè Christi sponsa est, catholicam fidem & fidelium multitudinem non defendunt moderni Romanorum Pontifices sed offendunt: illiusque pulchritudinem, unitatem videlicet, non servant, sed fœdant, dum zizanias & schismata seminando, ipsius membra lacerant, & abinvicem separant: Christi quoque veras comites, paupertatem & humilitatem dum non admittunt, sed excludunt penitùs, se sponsi Ministros non ostendunt, sed potiùs inimicos.

Ibidem cap. 18. pag. 457. Nemo ergo Sacerdotum seu Episcoporum interveniebat pro agris, quoniam Christum & Apostolos imitantes, horum abdicabant dominium, pro fide verò agonizabant constanter usque ad mortem: quamvis moderni Episcopi & præcipuè Romanorum, pro agris & secularibus dominiis fortissimè pugnent, & pugnas undique inter Christi fideles concitent, dicentes, se in hoc jura sponsæ Christi defendere, cùm tamen ipsius jura non sint, sed injuriæ: veram sponsam, fidem videlicet, doctrinam & mores defendere, ne per pravos usus aut actus, aut infidelium impetum corrumpatur, quasi totaliter negligentes.

Ex libro Alvari Pelagii, Episcopi Sylvensis, De planctu Ecclesiæ, impresso Venetiis, 1560. qui fuit auditor Johannis Scoti, & claruit circa Annum Domini, 1320.

Ex hoc Libro qui magnus est, tantùm pauca delibabo, quia cùm ejus copiam & usum ad exiguum temporis spatium habuerim, non eum totum perlegere, sed quædam capita percurrere potui.

Alph. Pelag. de planctu Ecclesiæ, l. 1. cap. 67. f. 90. QUando enim eras pauper & humilis in temporalibus, dives virtutibus, te universus orbis adorabat, & universa quæ in pauperes erogabas, offerebat. *Esa. 66. Omnes de Saba venient, Matt. 2. Et nunc in stercoribus, Phil. 3. Ditata & gemmata, quasi ab omnibus es inculcata.*

Idem ibid. fol. 91. Deinde regnatura est sancta sponsa, uxore traductâ, Ecclesiâ renovatâ per secula infinitâ, *Apocalyp.* 19. Quâ generali renovatione nec puto longè existente, quia jam in mundo videtur esse omnis malitia & immunditia consummata.

Idem lib. 2. cap. 2. fol. 3. Sequitur: Adolescentibus impudicè abusi sunt: Heu! heu! intra sanctam Ecclesiam multi religiosi & Clerici in suis latebris & conventiculis, & laici jam in plerisque civitatibus, maximè in Italia publicè quodammodo nefandum gymnasium constituunt, & palæstram illius flagitii abominatione se exercentes, & optimi quique epheborum in lupanari ponuntur.

Idem ibid. fol. 5. Pastores hodiè Ecclesiæ, prout communiter cæci sunt utrâque cæcitate ignorantiæ & peccati. Contenebrati sunt oculi nostri, scil. Prælati qui sunt oculi in Ecclesia.

Ibid. statim. Idem ibid. Innova dies nostros sicut à principio. Typicè oratio *Hieremiæ* fit pro ista Ecclesia, quæ tantùm deficit à perfectione & sanctitate suâ: ut innovetur in plenaria sanctitate, sicut fuit in Ecclesia primitiva. Sed ista innovatio non fiet, nisi priùs fiat purgatio, & vitiorum eliminatio.

Idem ibid. ca. 3. Innova dies nostros. Verè melior erat Ecclesiæ Primitivæ per 83. dies una, super millia illius Ecclesiæ quæ nunc currit: dies illa superabat incomparabiliter diem istam.

Ibidem. c. 4. f. 8. In exitu Israel de Egypto, domus *Jacob, &c.* & Ecclesia sancta exigentibus peccatis, rursus in Babylonem captivatur, id est, in confusione peccatorum.

Idem ibid. f. 9. Unde & Dominus odit & projicit festivitates nostras. Pleni enim homicidiis, immunditiis, ambitionibus, & cupiditatibus, & avaritiis, & odiis, & sacrilegiis, & crapulis, & ebrietatibus,

ebrietatibus, lotis manibus, & cruentatis cordibus & conscientiis, nostra Sabbata non Dominica celebramus. *Esa. 1. Audite verbum Domini, Principes Sodomorum*, Prælati Ecclesiæ. Abstulit Dominus omnes magnificos: Sæpè enim in toto orbe perpauci remanserunt magnifici, qui sana doctrina defenderent causam fidei. Idem ibid. fol. 11.

Mundet igitur Dei vicarius curiam suam consuetudinibus symoniacis *extr. de simo. cum in Eccles. & ca. ea quæ.* quia ad eum pauci intrant, nisi qui solvunt. Nullus quasi pauper hodie ad Papam intrari potest. Clamat & non auditur, quia non habet quod solvat. 11. q. 3. *pauperes*. Idem eod. lib. cap. 15 fol. 48.

Audeamus dicere præsertim quod notorium satis est, quòd verè hodie Luna, id est Ecclesia eclipsim patitur, & in capite, & in membris istis carnalibus temporibus fere tota versa est in sanguinem, Luc. 21. Idem ibid.

Nepotulos & alios consanguineos clericos nedum ad altas prælationes promovent ditissimas & altissimas: sed etiam ad statum Cardinalatus, inscios totaliter & indignos, & committunt eis judicare & regere totum mundum qui regere nesciunt semetipsos, Extra. de ætate & quale indecorum. Idem ibid.

Consanguineis autem secularibus procurant & emunt nedum campos, terras, & vineas, & simplicem militiam, sed etiam Baronias, Comitatus, Marchionatus, & omnes alios mundi potentatus: & tales Papæ consanguinei, qui ante ejus papatum soli vagabantur per mundum peditando, nunc stipati militum agminibus incedunt, &c. vide. Idem ibid.

Prælatorum nepotuli & alii consanguinei dii eorum hodie sunt. Ipsos supra Deum & contra Deum diligunt. Ipsos contra Deum & plus quàm Deum honorant. Idem ibid.

O quot Nepotes & consanguineos Prælati præmittunt & sequuntur ad inferos, eis beneficia impetrantes & conferentes, quorum amplissima stipendia recipient non militaturi in eis, nec debitum servitium in suis beneficiis Domino impensuri, de cura animarum non curantes, sed de bursâ, proventus beneficiorum luxuriosè expendentes. Idem ibid.

Sed jamdiu est quod in quibusdam ex eis (Cardinalibus) sicut in quibusdam Romanis Pontificibus optimus color mutatus est, Thren. 4. Crevit in eis, 93. dist. Diacom. v. potentia, dignitas, honor & divitiæ; sed decreverunt virtutes. Aucta est possessio, diminuta religio. Creverunt in exterioribus, minorati sunt in interioribus. Idem ib. cap. 6 de statu cardinalium.

Alias obtinent dignitates & beneficia pinguiora ubique terrarum prætextu familiæ dilatandæ, & honorem carnalem Cardinalatus in equis & domicellis, & lautis, 35. dist. Ecclesiæ, convinciis manutenendi, quorum reditus plusquam communiter Cardinalatus ascendunt. Sed inter eos multi reditus obtinent decem, quindecim, & viginti, & triginta millium florenorum, & sic partes alienas invadunt, q. 3. dist. Diacom. v. vorantes multorum stipendia ministrorum, 89. dist. singula. Ubi de hoc extra. de præbendis. Et qui ante Cardinalatum uno competenti vel duobus potuit contentari, absorbet fluvium beneficiorum & fiduciam habet quod influat Jordanis in os ejus, quia nunquam beneficiorum cumulo satiatur. Job. 40. Et (quod pejus est) vix de hoc aliquis eorum conscientiam aliquam habet, quia sic est quasi generalis omnium abusus: sed non minus ardebunt, qui cum multis ardebunt. Idem ibid.

Item beneficia quæ impetrant à Papa communiter pro indignis, aut ad preces regum & principum Cardinales, aut pro suis servitoribus, aut prout frequentius, pro suis consanguineis impetrant, vix unquam alicui Clerico benè merito impetrant unum pauperrimum beneficium Dei amore, quem parum habent præ oculis: semper cæcum animal aut claudum, aut languidum offerentes, Levit. 21. Idem ibid.

At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficio facere, ut non quærant eos in Ecclesia columnam erigere, quos plus agnoscunt Ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti. Idem ibid.

Ostendunt (Cardinales) in pomposis vestibus, familia magna, equis Hispanis, & cuncta sua supellectile pretiosa. Ubicunque enim in mundo pretiosa sunt, ad manus eorum perveniunt, & in gloria hujus mundi vivunt. Qui eorum habebunt aliam gloriam, Deus novit. Idem ibid.

Vix credo maximè in Hispania, quòd de centum Episcopis sit unus qui non sit Symoniacus in ordinibus & beneficiis conferendis. Nam nec propter aliud ordines celebrant, dantes suas benedictiones à Deo maledicti, 1. q. 1. maledicam: nisi ut lucrentur pecunias. Unde in una ordinatione lucrabatur ibi Episcopus nunc per expressas, nunc per tacitas symonias suarum literarum, sigillorum, portariorum matricularum obtentu, 450. & eo amplius frequenter florenos. Idem ib. c. 18. de statu Episcoporum & eorum excessibus.

Sexagesimum secundum, quod omnibus prædictis excessibus gravius est, nedum de eo quòd in occulto peccant per suas immunditias & symoniacas pactiones, & fraudes, superbias, & invidias, & avaritias, quæ tamen à plerisque sciuntur, nullam verecundiam Idem ibid.

habent

habent aliqui ex eis: sed nec de iis in quibus publicè delinquunt, immo in peccatis gloriari videntur. Extra. de ex Præl. quàm grave.

Idem ib. ca. 25. de viriis aliorum Ecclesiæ ministrorum. Vel ipsam dispensationem non servant, quum enim secundum stilum curiæ semper dicatur & apponatur in talibus literis, quòd cura animarum vel obsequium Ecclesiæ non negatur, de ista clausula nihil curant, dummodo possint ipsi reditus imbursare. Sed hoc facit avaritia & ambitio nimia, quâ tantâ laborant, ut nequeant saturari.

Idem cap. 27. de vitiis quorundam presbyterorum. Quartò, quia nimis incontinenter vivunt, & utinam nunquam continentiam promisissent, maximè Hispani & Regnicolæ, in quibus provinciis, in pauco majori numero sunt filii Laicorum quàm Clericorum.

Ibid. statim. Et (quod sceleratius est) per plurimos annos de latere concubinæ qualibet die surgunt non præmissa confessione vel Hypocritali cum proposito redeundi, & procedunt ad altare, ad terrificam hostiam consecrandam.

Idem ibid. Quintò, quia immiscent se spectaculis & pompis mulierum, & conviviis publicis, & vitæ inhonestæ, usuris, & turpibus lucris, fraudibus, amori pecuniæ, secularibus negotiis atque officiis. Munera continua recipiunt pro beneficiis medicinæ, id est pro sacramentis. Dolosi sunt, conspiratores, sectantes odium, æmulationem, obtrectationem, invidiam, sunt vagi oculis, effræni lingua, petulantia & gestu fluido laborantes.

Idem ibid. Sextò, quia libentiùs dant joculatori & meretrici quàm pauperi. Plus diligunt venari quàm psallere.

Idem ibid. Decimò, quia imponunt Missas pro pecunia confitentibus sibi, ut pecuniam pro eis ipsi recipiant, &c.

Idem ibid. Decimo quarto, quia sæpè cum Parochianis mulieribus quas ad confessionem admittunt, scelestissimè fornicantur.

Idem ibid. Decimo nono, quia celebrant pro adulationibus secularium, & pro pecunia. Et jam consuetudine, vel potius corruptela: extra. de consue. cum venerabilis, in plerisque partibus, ut in Portugallia, ubi Missa pro tribus solidis est taxata, quæ taxatio Simoniam inducit. extra. de *Simo.* dilectus filius A. inolevit, quòd Missa taxata tribus vel quatuor denariis, vel uno solido venditur, & emitur à populo cæco & presbyteris simoniacis sceleratis.

Ex Theodorico de Niem. qui fuit Secretarius Papæ Urbano sexto, & posteà Episcopus Verdensis, vixitque circa annum Domini, 1385.

Theodor. de Niem. de Histor. de schismate, lib. 2. c.42. in fine. Unde ipsa fides Catholica obnubilatur, omnis religio naufragium patitur, Christiani inter se diffidentes plerumque se confundunt, guerræ & aliæ calamitates multæ pullulant, Dei timor, & hominum verecundia, & virtutes à plerisque regnantibus & præsidentibus populis atq; aliis inferioribus omnis status propterea in longum abierunt, in eorum loca successerunt vitia, justitia corruit in plateis, & in effectu in universali Ecclesia à capite usque ad plantam pedis non est sanitas: nam multi Archiepiscopi & Episcopi, qui populis præsunt, plerunque religionis & honestatis cultum deserentes, in habitu & moribus atque insaniis multis laicis se conformant, necnon avaritia incalescentes, penè omne pingue de clero & populo surripiunt, continuè famelici remanentes, nec Deo, nec supremis potestatibus obediunt. Et quia hæc nota sunt omnibus, ad recitandam ulterius historiam me converto.

Idem lib. 3. cap.43. p 170. Et qualis sit discessio in ipsa Ecclesia Romana, & etiam Prælatorum Ecclesiasticorum religio, sive sanctimonia in partibus occidentis, non oportet describi: patet enim utrumque istorum in sacerdotio & in regno: & si ipsa sunt prognostica adventus ipsius Antichristi, discutiant, si qui sunt qui noverunt sensum Dei.

Idem Nemoris unionis tractatu 3. pag 223. Alius quidam sitit & esurit, alius autem ebrius est, & notum est, quòd plerique indocti & ambitiosi, doctis & civiliter agentibus præferebantur, avaritiâ stimulante in Romana curia, & non defecit in plateis nostris usura & dolus, *Psal.* 54.

Idem. ibid. Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidiè studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intentâ mente captamus: & quia ut gradu, quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum.

Idem ibid. pag. 224. Interim autem quòd ego Romanam curiam secutus sum, quasi lustris septem, vel circa, semper in ea practicari conspexi communiter illud: *Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis, fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo, Prov.* 20.

Sexta

Sexta conclusio: Libido dominandi, lucrum, ambitio, rapacitas & avaritia sunt causæ principales, quare tot schismata & mala fiunt & sunt in Dei Ecclesia. Idem ibid. tract. 5. pag. 270.

Quòd experimentaliter videmus, cùm enim ipsa discordia pullularet in Ecclesia, mox profectò omnis virtus in Ecclesia cassatur, Simonia dominatur, omnis malitia collaudatur, bonus deprimitur, indignus exaltatur, &c. Idem ibid. pag. 277.

In quibus (22. Monasteriis Frisiæ) penè omnis religio & observantia dicti ordinis, ac Dei timor abscessit, libido & corruptio carnis inter ipsos mares & Moniales, necnon alia multa mala, excessus & vitia, quæ pudor est effari, per singula (monasteria) succreverunt, ac de die in diem magis pullulant & vigent in ipsis. Idem ibid. tract. 6. c. 34. pag 374.

Ipsæque Moniales pro earum libitu voluntatis sæpè, imò sæpiùs prædicta monasteria exeunt, convivia secularia atque notos & amicos earum frequentando, & iterum redeunt ad eadem, quia ipsæ Moniales sub clausura perpetua & debita non existunt, & quod quidem etiam detestandum est, potissimè messis tempore cum dictis conversis ad colligendum frumenta & fœnum extra eadem monasteria transeunt, & durante messe hujusmodi in campis, pratis & pascuis, multos dies inutiliter ac inhonestè consumunt. Fornicantur etiam quàmplures hujusmodi Monialium cum eisdem suis Prælatis ac Monachis & conversis, & in iisdem monasteriis plures parturiunt filios & filias, quos ab eisdem Prælatis, Monachis & conversis fornicariè, seu ex incestuoso coitu conceperunt. Filios autem in Monachos, & filias taliter conceptas quandoque in Moniales dictorum monasteriorum recipi faciunt & procurant: & quod miserandum est, nonnullæ ex hujusmodi Monialibus maternæ pietatis oblitæ, ac mala malis accumulando, aliquos fœtus earum mortificant, & infantes in lucem editos trucidant, seque habent sævissimè circa illos, etiam Dei timore secluso. Unde si tales Moniales, quæ talia perpetrant, essent personæ seculares, ipsæ pro tam inhumanis sceleribus eorum juxta leges seculi, morte sævissimâ damnarentur. Idem ibid.

Inter ipsos etiam multi alii graves & enormes excessus, propterea in eisdem monasteriis perpetrantur, quia absque visitatione & correctione præmissâ excessus & certamina remanent ut frequenter. Ibid. statim.

In eisdem etiam partibus Hyberniæ & Norwegiæ juxta consuetudines patriæ licet Episcopis & Presbyteris tenere publicè concubinas, & eisdem visitantibus bis in anno subditos sibi Presbyteros, ac ecclesiasticorum parochialiumque Rectores, suam dilectam ducere secum ad domos & hospitia eorundem subditorum Presbyterorum. Nec ipsa dilecta permittit Episcopum amasium visitare sine ipsa, his de causis, ut tunc lautè vivat cum Presbyteris visitatis in hospitiis eorundem Presbyterorum, videatque amasias eorundem, necnon dona seu munera seorsum à quolibet Presbytero capiat visitato, & ne Amasius visitans, Episcopo fortè vidente eam pulchriorem, illam etiam adamaret, sicque injuriam faceret dilectæ, &c. Idem ibid. c. 35. p 377.

Et penè idem modus scilicet quoad luxuriam, circa Presbyteros Gasconiæ, Hispaniæ, ac Portugalliæ, nec non contiguarum regionum versus Africam in omnibus observatur. Unde quodammodo plures innaturales ex fœdo complexu nati, quàm filii legitimi ac naturales in omnibus illis partibus in ecclesiasticis titulis concedendis præferuntur, & plures legitimis apertissimè promoventur. Ibid. statim.

Et ecce hodiè ex erroribus errores in Ecclesiæ politia generantur, & adeò intricati sumus, quod nescimus in quo nos vertere aut cui credere debeamus. Nam conscientiarum & rerum pericula ex intestino Cleri bello, seu ex schismate ubilibet adaugentur. Idem ibid. c. 40. p. 393.

Ex Warneri Rolevinki Monachi Carthusiensis Coloniæ Fasciculo temporum pauca. Vixit Anno Domini, 1480.

HEu! heu! Domine Deus, quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus: qualia contigisse circa hæc tempora etiam in sancta sede Apostolica, quam usque huc tanto zelo custodisti, legimus scandala? Quales contentiones & æmulationes, sectæ, invidiæ, ambitiones, intrusiones, persecutiones. O tempus pessimum in quo defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Fascicul. temporum fol. 68. an. Dom. 904.

Isti octo Pontifices successivè sequentes brevi tempore sederunt. Nescio aliquid notabile de ipsis dicere, quia non nisi scandalosa de ipsis reperi propter inauditam in sancta sede Apostolica contentionem, unus contra alium, & similiter contra se mutuò. Nam *Stephanus* confirmans facta *Johannis* octavi, *Formosum* damnavit, & ejus facta irrita decrevit, & corpus ejus mortuum dehonestavit, digitis duobus abscissis manum in Tyberim Idem ibid.

 projici

projici mandavit, omninò ingratus contumeliam pro gratia reddens, quia Formosus ipsum anteà Episcopum Anaginæ fecit.

Idem. fol. 87. an. Dom. 1415. Conscientia pura secundum timorem Dei in prælatis vigens Ecclesiam Christi laudabiliter more, vitâ, & exemplo erexit & provexit. Dehinc successu temporis cum jam Ecclesia in temporalibus abundare cœpisset, oblita quodammodo de conscientia, scientia, quæ inflare solet, multos in Ecclesia, præsidere fecit, qui sacram Scripturam inversis versutiis palliantes, justitias Domini rectas, quæ cor lætificare consueverunt, propter delicias carnis falsificare non tenebant, multas hæreses seminabant, & plura beneficia pinguia per Papam dispensando cumulabant. Veruntamen aliqui, licet pauci, cum conscientiâ retinentes, conscientiâ purâ & scientiâ sanctâ illuminati multos ad justitiam erudiunt qui jam quasi splendor firmamenti in æterna fœlicitate rutilare creduntur. Sed heu nefandis temporibus cum conscientia de conscientia abrasis solùm sponsam Christi gubernare videmus personas, videlicet conscientia scientiaque carentes. Et velut entia insensibilia Deum nec sanctos ejus verentes beneficia super beneficia sibi usurpare.

Idem ibid. Hinc guerræ mortiferæ, destructiones civitatum & regnorum, mortes innocentium lamentabiles, & mala infinita nunc facta cernimus: quæ omnia ex pompa Episcoporum & insatiabili avaritia Prælatorum in detestanda processisse cernimus, &c.

Papas Romanos, eorumque asseclas Provincias Christianas spoliâsse & expilâsse: Hoc ostenditur primum generaliter, deinde sigillatim de privatis regnis & provinciis.

Abbas Urspergensis, p. 307. VIX remansit aliquis Episcopatus, sive dignitas ecclesiastica, vel etiam parochialis Ecclesia quæ non fieret litigiosa, & Romam deduceretur ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude, mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantorum datur tibi pretium. Jocundare super adjutrice tua discordia, quia erupit de puteo infernalis Abyssi, ut accumulentur tibi pecuniarum præmia.

Habes quod semper sitisti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti. Ad te trahit homines non ipsorum devotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio pretio comparata.

Theodoric. de Niem Nemoris unio tract. 6. c. 37 p 379. Quia superiùs tangitur Camera Apostolica, restat etiam pauca de illa explicare, quæ assimilatur mari, in quod intrant omnia flumina, & non inundat, (ab exundat) sic enim in istam portantur quotidiè de diversis mundi partibus auripondo multa, attamen non impletur: in qua est generatio, quæ pro dentibus gladios commutat, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus: & in qua sunt multæ sanguisugæ dicentes, Affer, Affer, cujus quidem Officiales, gentes Cameræ nuncupantur: benè quidem. Gentes enim sunt barbaræ nationes habentes ritus & mores extraneos à moribus hominum legibus & ratione utentium. Hæ autem gentes nostræ eisdem aliis gentibus multifariè in omnibus sunt conformes. Unde congruit eis illud:

Cumque pares estis, sociari jure potestis.

Nam sicut Turcæ & Tartari, qui Christianis magis sunt infesti, infœlices hujusmodi Christianos, qui ad eorum manus vivi perveniunt, tractant inhumaniter & flagellant: sic & nostræ gentes prædictæ novos ecclesiasticos Prælatos, qui apud nos promoventur, exquisitis viis, rebus, substantiâ, remotâ omni pietate, rursus denudant. Unde si fortè totum solvere nequeant, quòd in ipsa Camera postulatur ab ipsis, & de gratia, quæ raró fit & paucis, tempus ad solvendum aliquod statuatur, extorquentur ab ipsis, qui remanent obligati, tam immania seu horribilia juramenta, quòd sapiens quisquam illa etiam pro consequendo magno bono, vel effugiendo magno damno in eventum præstare meritò formidaret. Et super tali dilatione dantur ei literæ in ipsa Camera, non propter Jesum tantùm, sed ut immoderatè nimis aurum, si quod superest pro expensis itineris allatum, etiam extorqueatur ab ipsa, sic ut ab eadem Camera liberatus eâ vice rectè dicere possit:

Cantabit

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Omnis enim inde pietas, misericordia & clementia longissimè avolarunt, & si fortè mille florenos ibidem solveres, quorum unus tantum unum duntaxat obulum minùs debito ponderaret, nisi longè illo ponderosiorem illico exhiberes, aut quod deficeret in duplo ni argentea moneta suppleres, liber tibi recedendi non pateret exitus ab eadem, licet gentes ipsæ nostræ generaliter omnes florenos, quos recipiunt ab aliis, persolvunt cæteris sine pondere ac mensura. Si autem quis pauper aut dives prælatus totidem quot debet, ipsi Cameræ solvere una vice non possit, quamvis etiam occasione literarum Apostolicarum super promissione de se facta confectarum, nec non stando in Roma, tam intolerabiles fecisset expensas quas forsan præsidendo suæ prælaturæ deductis oneribus, diu accumulare nequiret, etiamsi esset excellentior doctor, vel magister in orbe terrarum, sibi propterea non differtur: quoniam si infra annum à datis promissionis suæ computandum, totum non solvat, in quo ipse dictæ Cameræ obligatur, in ejusdem anni revolutione de Antistite fit Clericus, necnon de Abbate Monachus, & Priore posterior derivatur, nulla ipsis æquitate vel justitia suffragante. O justissimæ gentes nostræ vel quasi rectè cum infernalibus furiis seu harpyis & Tantalo sortem sitibundi posituri, qui nunquam satiantur. Habent etiam dura capita & saxea pectora ex Deucalionis composita lapidibus, & corda ad inferendum compatiendumq; omni Chalybe duriora Gentes nostræ prædictæ. Infœlix igitur pauper ille Prælatus, qui retibus dictæ Cameræ illaqueatus,in locum inibi venerit tormentorum.

Ipse etiam Bonifacius hujusmodi offertoriis non contentus, licet ad maximas summas ascenderent (erat enim insatiabilis vorago, & in avaritia nullus ei similis) ad diversa regna misit quæstuarios vendendo dictam indulgentiam offerentibus tantum, quantum essent expensuri in via, si propterea ivissent ad urbem, & hujusmodi exactores, seu quæstuarii etiam maximas summas pecuniarum à simplicibus, seu barbaris subtiliter extorserunt, ita quòd aliquando in uno regno, seu in una provincia hujusmodi venditionibus ultra centum millia florenorum reportarunt, quia omnia peccata etiam sine pœnitentia ipsis confitentibus relaxarunt, super quibuslibet irregularitatibus dispensarunt interventu pecuniæ: dicentes se omnem potestatem habere super hoc, quum Christus Petro ligandi & solvendi contulisset in terris, & per hoc ipsi quæstuarii impinguati, dilatati, ingrossati, & cum multis pulchris equis & decenti familia redeuntes ad urbem, &c. Idem Theod. de Niem. de schismate li. 1. ca. 68. pa. 55.

Quid quod majora vel certè paria priscorum temporum vectigalibus Europa penè omnis tributa Romam mittit: dum singulæ civitates à Romano Pontifice beneficia accipiunt. Blondi Flavii Forilinienfis ad Eugenium 4. de Roma instaurata. lib. 3. 40.

*Et quod amplius à malo est (quoniam Symonia quamvis post factum expleatur amplissima est) quod eadem potestate reditus & proventus beneficiorum omnium & ubique quo primum anno vacantia fuerint, sibi reservat, secundum hunc modum sibi congregans omnes mundi thesauros, & eisdem omnia regna spolians atque provincias, &c. * Marsil. Patavinus in defensorio pacis, Part. 2. ca. 24. p. 361.

Quomodo Gallia à Papa expilata fuerit.

Exactiones & onera gravia pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiis regni nostri imposita, quibus regnum miserabiliter depauperatum extitit, seu imponenda levari & colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationabili, pia & urgentissima, vel inevitabili necessitate, ac de expresso & spontaneo consensu nostro, & ipsius Ecclesiæ regni nostri. Constitutio Ludov. regis qui Beatus dictus est. Anno 1228.

Nam taxa vacantiarum secundum quod descriptum est in libris Cameræ Apostolicæ de Ecclesiis Cathedralibus & Abbatiis Galliarum taxatis, ascendit ad sexcenta nonaginta septem millia septingenta quinquaginta Francorum sine prælaturis quas non taxant, & aliis inferioribus dignitatibus & beneficiis, quæ fere ad tantundem ascendunt, quæ summa prima sex annos (velut clarè demonstraretur) integraliter solvitur: & singulis annis divisa ascenderet ad ducenta millia, prælaturis & aliis minoribus beneficiis junctis. Quod si in singulis nationibus tantundem reciperetur & haberetur, ascenderet summa, & esset in universo sex milliones nongenta septuaginta septem millia & quingenti floreni, quod esset excessivum valde, &c. Nicol. Clamengis de non solvendis Annatis in Fascicul. rerum expetend. & fugiend. fol. 192. Eadem habet Carolus Molinæus contra parvas datas, pag. 131.

Senatus Parisiensis in postulatis exhibitis Ludovico 11. à fr. Duareno Juriscon. latine conversis & editis cum privilegio Regis bis Lutetiæ, & bis Lugd. Art. 72.

Artic. 67. Si decreta & constitutiones jam dictæ (Pragmaticæ sanctionis) antiquarentur, quotannis decies centena millia aureorum, & eo amplius hinc Romam exportarentur. Ut spaciatim & sigillatim demonstremus, quantopere hoc triennio pecunia regnum (Galliæ) exhaustum sit, animadvertendum est Pii Pontificis tempore vacasse in hoc regno plusquam viginti Archiepiscopatus & Episcopatus. Nec dubium est, quin pro annuo illo vectigali, quod Annatam vocamus, quàm pro reliquo sumptu accessorio & extraordinario in singula diplomata seu Bullas * * aureorum millia dispensa munerataq; sunt. Quæ summa est centum & viginti millium aureorum.

Artic. 73. Cœnobiarchæ quoq; sive Abbatiæ ad sexaginta aut eo amplius vacaverunt in hoc regno. Quarum singulæ duobus millibus aureorum ut minimum constiterunt: summa ergo est centum & viginti millium aureorum.

Artic. 74. Eodem tempore Prioratus, decanatus, præpositutæ præceptoriæ, & dignitates electivæ, quæ lituo insignitæ non sunt, plusquam ducentæ vacaverunt, ac in singula hujusmodi beneficia aurei sunt quingenti. Summa igitur est centum millium aureorum.

Artic. 75. Constat in hoc regno ut minimum centum parœciarum esse, quæ inhabitentur & incolentur. Nec ulla est in qua eo tempore gratiam expectativam aliquis non impetraverit: in quarum singulas 25. aurei tam pro itineris sumptu, quàm diplomatum confectione: pro non obstantiis, prærogativis, annullationibus, & aliis specialibus clausulis, quæ gratiis ascribi consueverunt, item pro executorio processu super eisdem gratiis facto. Summa hæc est, vicies quinquies centena millia aureorum.

Artic. 77. Pro devolutionibus aliorum præsulatuum & dignitatum: pro beneficiorum proventionibus: pro commendationibus & pensionibus: pro beneficiis vacantibus in Curia Romana: pro dispensationibus ad duo vel tria, vel quatuor beneficia incompatibilia, & multis aliis ejusmodi quæ sequuntur. Ex quibus summa conficitur multo amplior, quàm ducentorum millium aureorum.

Artic. 78. Reditus Episcopatuum, Abbatiarum, & aliorum hujusmodi beneficiorum, quos residentes & commorantes in Curia Romana ad se perferri curant quotannis excedunt summam centum millium aureorum.

Franciscus Duarenus de Sacris Ecclesiæ ministeriis & benef. li. 1. cap. 6. fol. 8.

Quis est adeo imperitus rerum, ut Romanæ Curiæ artes non norit, & quantum ea hirudo gallici exorbeat sanguinis quotidie non satis intelligat? Dicam quod à viris peritissimis, ac diu in republica versatis non semel accepi, quanquam incredibile videtur: quotannis variorum diplomatum à Pontifice obtentorum nomine ad septingenta aut eo amplius aureorum millia Romam hinc exportari solere, quæ ita illic velut capta vinctaq; detineantur & custodiantur, ut nullo unquam postliminio ad nos redeant.

Joannes Maria Belga Ludovici 12. historicus de schismate. Part. 2. ca. 22. p. 441.

Præterea idem Papa (Joannes 22.) qui tantam vim auri post se reliquit, quantum nullus Pontificum, qui vel ante, vel post eum fuere, cum suis successoribus ita regnum Galliæ novis exactionibus, Annatis, Decimis, Subsidiis, gratiis expectativis, aliisque inventionibus (in quibus excogitandis Curia Romana magistra est) aggravavit, ut miseri clerici ac studiosi Parisienses ne unicum quidem beneficium adipisci possent: sed omnia à Cardinalibus & Curiæ Ministris Avinione degentibus occupabantur: quam civitatem Franciscus Petrarcha, doctissimus vir, eo tempore Meretricem Babylonicam appellabat. Nec solùm miseri Sacerdotes ac scholares præter modum premebantur, sed & ditiores regni prælati sæpiùs de immensis oneribus ac exactionibus regi conquerebantur. Vide plura ib.

Verba Chilprici Regis Franc. apud Gregor. Turonen. lib. 6.

Pauper remansit Fiscus noster, divitiæ nostræ ad Ecclesias sunt translatæ. Nulli nisi Episcopi regnant: periit honor noster, & translatus est ad Episcopos civitatum.

Germania pecuniâ exhausta.

S. Rom. Imperii principum ac procerum gravamine. 3. Ibid. Gravamine 21. Ibid. Gravamine 54.

Atq; his mercium (indulgentiarum) nundinationibus, simul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas extincta.

Quapropter sacri Romani Imperii status obnixè quoq; rogant, ut præfata onera & gravamina per quæ tam immenso pecuniarum cumulo spoliatur Germania, quæ hinc in curtisanas malè prodigitur, radicitùs ac penitùs tollantur & auferantur.

Hinc facilè conjicere licet, quot Romæ, quantique laquei pro emungendis nummis tendantur.

Archiepiscopus Moguntinus solvebat Papæ pro pallio 24000 Ducatos: & tantidem solvebat Archiepiscopus Coloniensis.

Germania

Germania solvebat annuè Papæ circiter trecenta millia Florenorum. Paralip. Abbat.
Rex Poloniæ eâ tempestate non satis æquo ferebat animo, quòd Marinus de Fregano Vrspergen.
nuntius Apostolicus, qui jamdudum in Suecia multas opes contraxit, etiam suas in Polonia * constituisset oves tondere, teneri jussit hominem, ut omnibus diligentiùs perquireret, quos in usus veniret tanto molimine acervatâ per Provincias pecuniâ: præferens suo regno magis opus videri tali supplemento quàm Italiæ, quòd cùm illa in pace degeret, ipse à Turcis Tartarisque laboraret. Vide plura. p. 454. Albert. Krantzius Wandaliæ lib. 12. cap. 33. p. 289. * Circa Ann. Dom. 1466.

Anno Dom. 1484. fuit Legatus quidam cum indulgentiarum plenissima remissione in Suecia, ubi hoc anno, æstivo præsertim tempore, prævalida ferbuit pestilentia. Quâ fretus Legatus ille miro modo & insatiabili explumavit pauperes. Quare author historiæ Sclanucæ ex qua hæc transcripsi, ita exclamat, O Petre, Petre, non tibi dixit Christus, Mulge aut tonde, sed, Pasce, pasce, *Joan.* 21. ideoq; aperuit infernus os suum sine termino, & intrabunt majores sine numero. Pauli Langii Cygnæi Monach. Bozawiensis. Chronicon Citiz. de illius Diœceseos gestis, pag. 875.

Hallis autem & per Saxoniam sequenti fuit anno suspensa indulgentiarum cassatio: primo & unico anno (ut fama fuit) centum millium aureorum damnosam privationem inferens Romanensibus. Proinde pius Lector pensitare poterit, quàm inæstimabilis collecta duntaxat per Germaniam fuisset pecunia, ipsum si indulgentiarum negotium adhuc integro lustro, uti præfixum institutumq; fuerat, perdurasset. Ast, ô Deus, quorsum tanta tandem devenisset pecunia? Idem ibid. pag. 898.

In Cardinalium videlicet & præsertim Papalium amicorum æraria repositus. Nec mirum, cùm nuper quidam frater ordinis mendicantium, præfatarum indulgentiarum per Saxoniam terrasq; nostras commissarius, moriens, duo millia Florenorum, quos ex pœnitentium lachrymis corraserat & extraxerat, in extremis reliquerit Ibid. statim.

Sicilia.

Carolus Andegavensis, Ostiam delatus Romæ tandem exceptus est: mox adeptâ Senatoriâ dignitate, Diadema quoque Siciliæ regni, donante Clemente Urbani successore, accepit, annuâ quadraginta millium Ducatorum pensione indictâ, quam sedi Apostolicæ solveret. Robert. Gaguinus in histor. Fran. lib. 7. in Divo Ludov.

Quomodo Angliam diripuerint & spoliârint Papæ eorumque Assectæ: primum ex Matthæo Paris *Monacho Albanensi, è multis pauca. Obiit Ann. Dom.* 1259.

EOdem anno Johannes Ferentinus Apostolicæ sedis Legatus veniens in Angliam, eamque perlustrans, magnam pecuniæ summam congessit, &c. Matthæus Paris in Johanne p. 287.

Eodem tempore Wallo Legatus exegit procurationes per totam Angliam ab Ecclesiis Cathedralibus & domibus religiosis, prô scilicet procurationibus quinquaginta solidos. Omnia etiam beneficia Clericorum pariter ac virorum religiosorum, qui Ludovico & Baronibus auxilium, consilium, vel favorem impenderant, sequestravit, quæ omnia in suos & Clericorum suorum usus convertit. Idem ibid. pag. 382.

Tunc idem Otto cœpit ab omnibus Ecclesiis Angliæ conventualibus nomine procurationis duas marcas argenti. Et sciendum quod tempore quo magister Otto venit in Angliam, dominus Papa misit nuncios per orbem universum, exactiones indebitas exigens, sicut inferius dicetur. Idem in Henr. 3. pag. 435.

Omnibus igitur congregatis tam Laicis quàm Clericis, & eorum Subjectis, Magister Stephanus coram omnibus recitavit Domini Papæ literas, in quibus exigebat decimas omnium rerum mobilium de tota Anglia, Hibernia, & Wallia, ab universis Laicis & Clericis, ad guerram suam sustinendam, quam contra Romanum Imperatorem susceperat Fredericum. Idem ibid. pag. 483.

Comites verò & Barones ac Laici omnes planè decimas se daturos contradixerunt, nolentes Baronias suas vel laicas possessiones Romanæ Ecclesiæ obligare. Idem ibid. pag. 484.

Erat autem in hujus rei executione adeò improbus exactor, ut etiam de frugibus Autumni futuri, quæ adhuc in herba crescebant, singulos compelleret decimarum sibi preti- Ibid. ead. pag.

um

um exhibere. Prælati verò aliud remedium non habentes, calices, phialas, phylacteria, & alia sacra altaris vasa, quædam vendiderunt, nonnulla sub pignus posuerunt.

Ib. pag. 435. Et sic abrasor pecuniarum Magister Stephanus Domini Papæ Capellanus, Anglis fœda reliquit vestigia.

Idem ibid. pag. 535. Dominus Papa occasionem sumens à prædicta Imperatoris persecutione, argumentosas extorsiones præcipuè in Anglia excogitans, & multiplicans, Legatos sub specie simplicium nunciorum, potestatem tamen habentes Legatorum, undique destinavit, qui multifariam exegêrunt pecuniam, nunc prædicando, nunc supplicando, nunc præcipiendo, nunc comminando, nunc excommunicando, nunc procurationes exigendo, per regnum Angliæ infinitos extorres reddiderunt & mendicantes.

Idem pa. 559. Parvoque tempore succedente facta est tanta commutatio, tam multiformis pecuniæ exactio, nec fieri poterat in quam abyssum tanta pecunia, quæ per papales procuratores colligebatur, est demersa, &c.

Idem pa. 714. Per eosdem dies venit in Angliam nova quædam pecuniæ exactio omnibus seculis inaudita & execrabilis. Misit enim Papa, pater noster sanctus, quendam exactorem in Angliam, Petrum Rubeum qui excogitatâ muscipilatione infinitam pecuniam à miseris Anglicis edoctus erat emungere. Intravit enim religiosorum capitula, cogens & seducens eos ad pecuniam promittendam, & promissam persolvendam exemplo aliorum Prælatorum, quos mentitus asserebat gratanter persolvisse. Dixit enim ille Episcopus, & ille: ille Abbas, & ille jam libens satisfecit: quidnam vos ignavi tam moramini, ut grates cum muneribus amittatis? Vide plura ibidem.

Idem pa 735. Igitur in crastino Epiphaniæ, apud Doveram legatus navem ascendens post regales amplexus & oscula, legationis deposuit insignia, & transfretans, depauperatam Angliam à tergo salutavit, nullo præter Regem, & quos idem legatus bonis regni salutaverat, de recessu condolente. Nec remansit eadem hora, ut veraciter dicebatur, in Anglia tantum pecuniæ, exceptis Sanctorum vasis & ornamentis Ecclesiarum, quantum à regno jam extorserat Anglicano. Præbendas autem Ecclesias, & varios reditus opimos plusquam trecentos ad suam vel Papæ contulerat voluntatem. Unde regnum quasi vinea exposita omni transeunti, quam exterminavit aper de silva, miserabiliter languit desolatum.

Idem pa. 743. Eodem tempore permittente vel procurante Papâ Gregorio, adeo invaluit Romanæ Ecclesiæ insatiabilis cupiditas, confundens fasque nefasque, quòd deposito rubore velut meretrix vulgaris & effrons omnibus venalis & exposita, usuram pro parvo, symoniam pro nullo inconvenienti reputavit, ita ut alias affines provincias, imo etiam puritatem Angliæ sua contagione maculavit.

Idem p. 825. an. Dom. 1244 Circa idem tempus misit Dominus novus Papa quendam novum in Angliam pecuniæ exactorem, magistrum videlicet Martinum, authenticum papale deferentem, & habentem potestatem excommunicandi, suspendendi, & multipliciter voluntati suæ resistentes puniendi. Quâ roboratus potestate, suspendit prælatos Angliæ à suspensione beneficiorum donec voluntati papali satisfactum fuisset, reditus ad opus Clericorum suorum & consanguineorum postulanti. Indignum tamen judicabat aliquem redditum suscipere, nisi triginta marcas aut supra valentem, ne quisquilias colligere tantus vir videretur. Cœpit igitur dictus magister Martinus munera, præcipuè palfriados concupiscibiles, imperiosè exigere & extorquere à Prælatis, maximè à religiosis, præcipens per literas districtè illi Abbati, vel illi Priori ut ei equos, quales decebat specialem Domini Papæ Clericum insidere, transmitterent: contradicentes autem & excusationes & causas negationis prætendentes etiam rationales, utpote Abbatem de Malmesburia, & Priorem de Mertona suspendit usq; ad plenam satisfactionem, graviter punivit. Sedulus etiam explorator Ecclesias vacantes & præbendas consideravit ut ipsas patentissimæ papali indigentiæ præsentaret: inter quas dum præbenda opima Sarisberiensis Ecclesiæ spectans ad præcentorem vacaret, invito Episcopo & nimis dolente cum toto capitulo, manus rapidas eidem præbendæ statim injecit, & jussu Papæ cuidam puero nepoti suo non sine multorum cordium amaritudine & stupore contulit. Credebant enim multi & sperabant, quod Romana Curia à Deo multipliciter jam flagellata, fræno moderaminis suam avaritiam coerceret.

Idem p. 936. Verba Papæ de Anglia. Verè hortus noster deliciarum est Anglia, verè puteus inexhaustus est; & ubi multa abundant, de multis multa possunt extorqueri.

Probatum fuit in publicis Angliæ Comitiis, anno Domini 1532. * soluta fuisse pro Bullis Episcoporum ab anno quarto Henrici septimi decies centena & sexaginta millia librarum præter alias dispensationes & indulgentias.

* Verb. Holingshedi in Chronico ult edito, pag. 928. Hoc fuit spatium circiter 44. annorum.

Quantos

Quantos thesauros quidam Papæ post mortem reliquerunt.

ANno illo Joannes 22 Pontifex Romanus è vita migravit, ann. Dom. 1334. vitæ verò suæ nonagesimo, & obiit Avinione. Reliquit autem in thesauris ingentem vim auri & argenti, cujus computatio fuit millies viginti quinque millia aureorum. Hanc summam Galli sic exprimunt, viginti quinque milliones auri. Germani verò ducentas quinquaginta auri tonnas.

> Antoninus hist. part. 3. titul. 21. c. 6. fol. 111.

Pontifex autem ipse Calixtus 3. sexto die Augusti, 1458. ex hac luce migravit 84. anno ætatis suæ. Quo mortuo reperta sunt 150000. florenorum in scrinio sub cubiculo ejus.

> Idem ibidem titul. 22. cap. 16. fol. 185.

Sixtus Quintus anno Pontificatus sui primo novum & antea insolitum ærarium in castro S. Angeli erexit, & in illud confestim decies centena aureorum millia intulit. Auxit idem ærarium totidem centenis millibus anno Pontificatus sui tertio. Posterioribus annis eandem summam adhuc ter eidem ærario adjecit. Quo factum ut moriens quinque milliones auri in hoc thesauro reliquit, &c.

> Mercurius Gallo-Belgicus Nuncio Anni 1590. lib. 3. pa. 194.

Ex his judicet Christianus Lector annon verba illa Divi Hieronymi in Joannem Episcopum Hierosolymitanum, multo verius de Romano Pontifice dici possint: *Tu qui sumptibus abundas, & totius orbis religio tuum lucrum est, gravissimos illos legatos tuos huc illucque transmittis.*

> Hieron. adversus Joan. Hierosolym. to. 3.

Versus retrogradi.

Pauperibus sua dat gratis, nec munera curat
Curia papalis, quod modo percipimus.

OFFICIUM ORDALII
è Textu Roffensi (MS^o. vetustissimo penes Decanum & Capitulum Ecclesiæ Roffensis) transcriptum per *E. B.*

¶ Incipit *Exorcismus Aquæ* ad judicium Dei demonstrandum.

Peractis coram Sacerdote trium dierum jejuniis, cum homines vis mittere ad judicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes: accipe illos homines quos vis mittere in aquam, & duc eos in Ecclesiam; & coram omnibus illis cantet Presbyter missam; & faciet eos ad ipsam Missam offerre: cum autem ad Communionem venerint, antequam communicent, interroget Sacerdos eos cum adjuratione & dicat,

ADjuro *te* vel *vos* *N.* per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum; & per *tuam,* / *vestram* Christianitatem quam suscepis*ti* / *tis* & per unigenitum Dei Filium, & per Sanctam Trinitatem, & per sanctum Evangelium, & per istas Sanctas reliquias quæ in ista Ecclesiâ sunt, & per illud Baptismum quo *te* / *vos* Sacerdos regeneravit, ut non præsum*as* / *atis* ullo modo communicare, neque ad altare accedere, si

ſi hoc feciſt | i / is | aut conſenſiſt | i / is | aut ſci | s / tis | quis hoc egerit.

Si autem tacuer | it / int | *& nulli hoc dixer* | it / int | *accedat ſacerdos ad altare & communicet: poſtea verò communicet ill* | um / os | *qu* | em / os | *vult in aquam mittere.*

¶ Incipit *Miſſa judicii.*

* Antiphona. A. * Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum; fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam.

R. Beati immaculati in viâ.

ORATIO.

ABſolve, quæſumus, Domine | *tui*, vel *tuorum* | delicta famul | i / orum | ut à peccatorum ſuorum nexibus quæ pro ſua fragilitate contrax | it, / erunt, | tua benignitate liber | etur / entur | & in hoc judicio prout meru | it / erunt | tua juſtitiâ præveniente ad veritatis cenſuram pervenire mere | atur / antur | per Dominum.

Lectio Libri Levitici.

IN diebus illis locutus eſt Dominus ad *Moyſen*, dicens, Ego ſum Dominus Deus veſter: Non facietis furtum; Non mentiemini; Nec decipiat unuſquiſque proximum ſuum; Non perjures in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui: Ego Dominus. Non facias calumniam proximo tuo; nec vi opprimas eum; Non moretur opus mercenarii tui apud te uſqu- mane. Non maledices ſurdo; nec coram cæco ponas offendiculum; ſed timebis Dominum Deum tuum, quia ego ſum Dominus.

Alia ad Epheſios.

FRatres, renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem, unuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus invicem membra. Iraſcimini & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare Diabolo. Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti.

l. Propitius eſto, Domine, peccatis noſtris, ne quando dicant gentes, Ubi eſt Deus eorum?

V. A.ljuva nos, Deus ſalutaris noſter, & propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. Alleluia. Deus judex juſtus, fortis & patiens, nunquid iraſcetur per ſingulos dies?

Secundum

Secundum Marcum.

IN illis cum egressus esset Jesus in via, procurrens quidam genu flexo ante eum rogabat eum dicens, Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit illi, Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. Præcepta nosti. Ille dixit, Quæ? Ait, Non occidas; Non adultereris; Non fureris; Non falsum testimonium dicas; Non fraudem feceris; Honora patrem tuum & matrem tuam. At ille respondens, ait, Magister, hæc omnia custodivi à juventute meâ. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum & dixit ei, Unum tibi deest: Vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo, & veni, sequere me.

Off. Immittet angelum Dominus in circuitu timentium eum & eripiet eos. Gustate & videte quoniam suavis est Dominus

Hic offerant Scr.

Intercessio sanctorum tuorum misericordiæ tuæ, Domine, munera nostra conciliet, & quam merita nostra non valent, eorum deprecatio indulgentiam valeat obtinere, per Dominum.

PRÆFATIO.

O Æterne Deus, qui non solùm peccata dimittis, sed ipsos etiam justificas peccatores; & reis non tantùm pœnas relaxas, sed dona largiris & præmia; cujus nos pietatem supplices exoramus ut famul (um/os) tu (um/os) *N.* non de præteritis judices reatibus, sed hujus culpæ veritatem spectantibus insinuas, quatenus, & in hoc populus tuus præconia nominis tui efferat, & te vitæ præsentis & perpetuæ auctorem agnoscat, per Christum.

Benedictiones ad judicium.

DEus, de quo scriptum est, quia justus es & rectum judicium tuum, fac cum h (oc/is) serv (o/is) tu (o/is) secundum misericordiam tuam, ut non de pristinis judic (etur/entur) reatibus, sed in hoc prout mer (uit/uerunt) tua benedictione præveniente veritatis subsequ (atur/antur) judicium. *Amen.*

Et qui justus es & amator justitiæ, & à cujus vultu videtur æquitas, fac in conspectu populi tui ut nullis malorum præstigiis veritatis tuæ fuscentur examina. *Amen.*

Petitiones nostras placatus intende; & culparum omnium præteritarum (ei/eis) veniam clementer attribue, & si culpabil (is/es) s (it/int) tua larga benedictio non (ei/eis) ad suffragium, sed hujus culpæ ad insinuandam veritatem proficiat. Quod ipse * .... *Amen.*

* Vide Capitularia Baluzii.

Hic communic[et/ent] post Sacerdotem, & dicat Sacerdos, Corpus hoc & Sanguis Domini nostri *Jesu Christi* sit [*tibi*/*vobis*] ad probationem hodie. Co'. Justus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem videt vultus ejus.

Post-Communio.

PErceptis, Domine Deus noster, sacris muneribus, suppliciter deprecamur, ut hujus participatio Sacramenti & à propriis nos reatibus indesinenter expediat & in famul[*o*/*is*] tu[*o*/*is*] veritatis sententiam declaret; per Dominum.

Expleta missâ faciat ipse Sacerdos aquam benedictam, & pergat ad locum ubi hom[o/ines] *prob*[etur/entur] *cum autem venerit ad ipsum locum, det ill*[i/is] *omnibus bibere de aquâ: postea verò conjuret aquam ubi culpabil*[em/es] *mittat.*

¶ *Incipit* adjuratio Aquæ.

DEus qui per aquarum substantiam, judicia tua exercens, diluvii inundatione millia populorum interemisti, & *Noe* justum cum suis salvandum censuisti: Deus qui in mari rubro cuneos *Ægyptiorum* involvisti, & agmina *Israelitica* imperterrita abire jussisti, virtutem tuæ benedictionis his aquis infundere, & novum ac mirabile signum in eis ostendere digneris ut innocente[*m*/*s*] à crimine * cujus examinationem agimus, more aquæ in se recipiant & in profundum pertrahant; consci[*um*/*os*] autem hujus criminis à se repellant atque rejiciant, nec patiantur recipere corpus quod ab onere bonitatis evacuatum ventus iniquitatis allevavit & in hanc constituit; sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriæ substantiæ in aquis: per Dominum.

* Furti vel homicidii, vel adulterii aut alterius nævi.

Item alia.

Signatur ista vox cruce rubra.

ADjuro te creatura aquæ, in nomine Dei Patris Omnipotentis ✠, qui te in principio creavit, & jussit ministrare humanis necessitatibus; qui etiam jussit separari te ab aquis superioribus: Adjuro te etiam per ineffabile nomen *Jesu Christi* ✠, Filii Dei vivi; sub cujus pedibus mare & elementum divisum se calcabilem præbuit; qui etiam baptizari se in aquarum elemento voluit: adjuro etiam te per Spiritum Sanctum ✠, qui super Dominum baptizatum descendit: adjuro te per nomen Sanctum ✠ & individuæ Divinitatis, cujus voluntate aquarum elementum divisum, & populus Israel siccis pedibus statim transivit; ad cujus etiam invocationem *Helisæus* ferrum quod de manubrio exierat,

super

ſuper aquam natare fecerat; ut nullo modo ſuſcipias, h |unc/os| homin |em/es| *N.* ſi in aliquo ſi |t/nt| culpabil |is/es| de hoc quod ill |i/is| objicitur; ſcilicet aut per opera aut per conſenſum vel per conſcientiam ſeu per ullum ingenium; ſed fac e |um/os| ſuper te natare, & nulla poſſit eſſe contra te cauſa facta, aut ullum præſtigium inimici, quod illud poſſit occultare: adjurata autem per nomen Chriſti præcipimus tibi, ut nobis per nomen ejus obedias, cui omnis creatura ſervit; quem *Cherubin* & *Seraphin* collaudant dicentes, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum, qui etiam regnat & dominatur per infinita ſecula ſeculorum. *Amen.*

ALIA.

ADjuro te Creatura Aquæ, per Deum Patrem ✠ & Filium ✠ & Spiritum ✠ Sanctum, & per tremendum diem judicii, & per XII Apoſtolos, & per LXXII Diſcipulos, & per XII Prophetas, & per XXIV Seniores qui aſſiduè Deum laudant, & per CXLIV millia quæ ſequuntur agnum, & per omnia agmina Sanctorum, Angelorum, Archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, poteſtatum, virtutum, Cherubin atq; Seraphin, & per omnia millia Sanctorum, Martyrum, Virginum, & Confeſſorum. Adjuro te per Sanguinem Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, & per IV Evangelia, & per IV Evangeliſtas; necnon & per LXXII libros Veteris ac Novi Teſtamenti, & per omnes Scriptores Sanctos, ac Doctores eorum. Adjuro te per Sanctam Eccleſiam Catholicam, & per communionem Sanctorum, & per reſurrectionem eorum, ut fias Aqua exorcizata, adjurata & obfirmata adverſus inimicum hominis Diabolum, & adverſus homine |m/s| qui ab eo ſeduct |us/i| unde * ratio agitur, perpetrav |it/erunt| ut nullatenus e |um/os| in te ſummerſ |um/os| aut in profundum trahi permittas, ſed à te repellas atque rejicias; nec patiaris recipere Corpus quod ab onere bonitatis inane eſt factum; ſed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriæ ſubſtantiæ in te: innocente |m/s| verò à prædicto crimine more aquæ in te recipias, & in profundum innocuè protrahas: per Dominum.

* Furtum hoc vel homicidium aut adulterium.

Poſt has autem conjurationes Aquæ, exua |tur/ntur| hom |o/ines| qui mittend |us eſt/i ſunt| in aquam propriis veſtimentis, & oſcul |etur/entur| Evangelium & Crucem *Chriſti*, & Aqua benedicta ſuper omne |m/s| aſpergatur, & qui aſſint omnes jejunent; & ſic projicia |tur/ntur| ſinguli in Aquam, & ſi ſummerſ |us/i| fuer |it/int| in culpabil |is/es| repute |tur/ntur| ſi ſupernataver |it/int| reus eſſe judice |tur/ntur.|

¶ Incipit adjuratio Ferri, vel Aquæ ferventis ad judicium.

In simplo unum pondus in triplo tria ferrum æquiparet pondera; & in illa adjuratione non assint, ut prædiximus, nisi jejuni: & dictis litaniis sic Sacerdos in loco ubi Ferrum accenditur, vel Aqua infervescatur, adjurationem initiando inchoet:

DEus qui per ignem signa magna ostendens *Abraham*, puerum tuum de incendio *Chaldæorum*, quibusdam pereuntibus, eruisti: Deus qui rubum ardere ante conspectum *Moysi* & minimè comburi permisisti: Deus, qui ab incendio fornacis *Chaldaici*, plerisque succensis, tres pueros tuos illæsos eduxisti: Deus, qui incendio ignis populum *Sodomæ* & *Gomorrhæ* involvens, *Loth* famulum tuum cum suis saluti donasti: Deus, qui in adventu Sancti Spiritus tui illustratione ignis fideles tuos ab infidelibus decrevisti, ostende nobis in hoc parvitatis nostræ examine virtutem ejusdem Sancti Spiritûs, & per hujus ignis fervorem discerne fideles & infideles * ut attactum ejus rei, cujus inquisitio agitur, consci[us/i] exhorresc[at/ant] & manus e[jus/orum] vel pedes combur[atur/antur] aliquatenus; immun[is/es] verò ab ejusmodi crimine liber[etur/entur] penitus & illæs[us/i] permane[at/ant] per, &c.

> * Ut attactu ejus furti vel homicidii vel adulterii cujus---

A L I A.

DEus Judex justus, fortis, auctor & amator pacis, patiens & multum misericors, qui judicas quod justum, & rectum judicium tuum; qui respicis super terram, & facis eam tremere: Tu, Deus Omnipotens, qui per adventum Filii tui, Domini nostri *Jesu Christi*, mundum salvasti, & per ejus passionem genus humanum redemisti, hanc



aquam ferventem, vel hoc ferrum fervens sanctifica: qui tres pueros *Sidrac*, *Misac*, & *Abdenago* jussu regis *Babyloniæ* in camino ignis accensa fornace salvasti illæsos per Angelum sanctum tuum eduxisti: Tu, clementissime Pater, dominator omnipotens, præsta ut siqu[is/i] innocen[s/tes] de * hoc cujus inquisitio agitur in hoc Ferrum fervens vel in hanc Aquam ferventem miser[it/int] man[um/us] su[am/as] salv[a/a] te præstante Domino nostro, permane[at/ant] & sicut tres pueros supradictos de camino ignis ardentis liberasti, & Susannam de falso crimine eripuisti; sic manu[m/s] innocen[tis/tium] Omnipotens Deus, ab omni læsionis insanie salvare dignare: & siqu[is/i] culpabil[is/es] vel noxi[us/i] & tumid[i/o] corde, induratoque pectore vel superba mente reus de † hoc cujus inquisitio agitur manum miser[it/int] in hoc Ferrum vel Aquam ferventem, Tu Deus omnipotens justissima pietate & rectissimo judicio illud declarare & manifestare

> * De furto hoc vel homicidio aut adulterio seu maleficio

> † De hoc furto, vel homicidio aut adulterio seu maleficio.

festare digneris, ut anim(a/æ) e(jus/orum) per pœnitentiam salv(etur/entur) & si ill(e/i) nocen(s/tes) vel culpabil(is/es) f(it/int) & per aliquod maleficium, vel per herbas, aut per causas Diabolicas induraver(it/int) & peccatum quod fe(cit/cerunt) confiteri noluer(it/int) tua dextra, quæsumus, Domine, hoc declarare dignetur: per, *&c.*

Item tertia.

DEus innocentiæ restitutor & amator, qui auctor pacis es & judicas æquitatem, Te subnixis rogamus precibus ut hoc * ferrum ✠ ignitum ordinatum ad justitiam & examinationem cujuslibet dubietatis, benedicere & sanctificare digneris; ita ut si innocen(s/tes) de hoc † cujus inquisitio agitur, & unde purgatio quærenda, in hoc ignitum & tuâ benedictione sanctificatum * ferrum man(um/us) vel ped(em/es) immiser(it/int) tuâ benignissimâ miseratione illæs(us/i) appare(at/ant) si autem culpabil(is/es) atque re(us/i) contempser(it/int) & quasi temptat(or/ores) judicium tuum adier(it/int) aut per herbas vel quæcunque temptamenta sive molimina maleficiosa peccata sua contueri & defendere insłat(us/i) per afflatorem malitiæ, contra veritatis tuæ examen voluer(it/int) justissime & misericordissime Domine Deus, ad hoc virtus tua, quæ omnia superat, in e(o/is) cum veritate quæ permanet in secula seculorum, declaretur; quatenus justitiæ tuæ non dominetur iniquitas, sed veritati subdatur falsitas, ut & cæteri hoc videntes ab incredulitate suâ, Te miserante, liberentur. Qui vivis & regnas, &c.

* Vel hanc aquam ferventem.

† De hoc furto vel homicidio vel adulterio vel maleficio.

* Vel in hanc aquam ignitam.

His peractis, Aqua benedicta cunctis astantibus detur ad degustandum, & aspergatur per totam domum, & Ferrum proferatur, quod à culpato coram omnibus accipiatur, & per mensuram IX. Pedum portetur, manus sigilletur, sub sigillo servetur, & post tres noctes aperiatur; & si mundus, Deo gratuletur; si autem insanies crudescens in vestigio ferri inveniatur, culpabilis & immundus reputetur.

In Aqua fervente accipiat homo lapidem qui per funem suspendatur in simplâ probatione per mensuram palmæ; in triplâ autem, unius ulnæ: Manus verò sigilletur, & aperiatur, ut supra diximus in consecratione Ferri.

¶ Incipit

¶ Incipit *Exorcismus Panis hordeacii* & *Casei*, quorum appensio unius unciæ.

Primitus faciat Sacerdos Litanias, & omnes qui intus sint cum eo jejuni sint; & sic incipiat.

CONservator & Creator humani generis, dator gratiæ Spiritualis, largitor æternæ salutis, Tu emitte spiritum tuum super hanc creaturam Panis vel Casei cum timore & tremore magnitudinis brachii tui adversus e(*um*/*os*) qui cum superbiâ & contumaciâ ac zelo iniquo ven(*it*/*erunt*) & v(*ult*/*olunt*) subvertere justitiam & conculcare judicium: Fac e(*um*/*os*) Domine, in visceribus angustari, e(*jusque*/*orumque*) guttu(*r*/*ra*) conclude, ut Panem, vel Caseum istum in tuo nomine sanctificatum devorare non poss(*it*/*int*) Hic qui injustè jurav(*it*/*erunt*) ac negav(*it*/*erunt*) * hoc quod quærebatur, & jusjurandum pro nihilo habuer(*it*/*int*) & nomen tuum nominaver(*it*/*int*) ubi rectum non erat.

* Illud furtum vel homicidium aut adulterium seu maleficium

Te quæsumus ut non e(*i*/*is*) permittas illud abscondere; quia justus es, Domine, & rectum judicium tuum, qui custodis veritatem in sæculum, faciens judicium injuriam patientibus, & custodis pupillum ac viduam suscipis & viam malignorum exterminabis: Ideo ostende nobis misericordiam tuam, ut humiles ac mansueti ac recti propter veritatem gaudeant; superbi autem & iniqui ac cupidi contristentur, & humilientur usque dum confiteantur magno & sancto nomini tuo, & cognoscant cæteri quia nomen tibi Dominus, & tu solus super omnem terram Altissimus, & servi tui in Te glorientur & laudent nomen tuum in secula seculorum. *Amen.*

Item Alia.

DOmine Jesu Christe qui regnas in cœlis & in terris, & mirabilis es in omnibus operibus tuis, Dominator dominantium, Deus angelorum, Deus Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, virginum & omnium electorum, præsta, quæsumus, per sanctum & admirabile nomen tuum ut qui re(*us*/*i*) (*est*/*sunt*) de * hoc cujus inquisitio agitur, vel in facto, vel in conscientia ad appositam e(*i*/*is*) pro ostensione veritatis, creaturam Panis sanctificati vel Casei, fau(*x*/*ces*) e(*jus*/*orum*) claud(*atur*/*antur*) guttu(*r*/*ra*) e(*jus*/*orum*) strangul(*etur*/*entur*) & in nomine tuo ante illud rejici(*atur*/*antur*) quàm devore(*tur*/*entur*).

* Hujus furti vel homicidii aut adulterii seu maleficii

Sed & Spiritus diabolicus, cui nulla est Communio cum tuâ supernâ veritate, in hoc negotio ad subvertendum judicium pravis præstigiorum suorum molitionibus nil

prævaleat;

prævaleat; ſed qui re[us/i] & conſc[ius/ii] [eſt/ſunt] rei præfatæ, ad hæc pabulum ſanctificati Panis vel Caſei, & præſertim per Dominici corporis & ſanguinis Communionem, quam accep[erunt/it] trem[at/ant] & tremendo palle[at/ant] & nutabund[us/i] in omnibus membris appare[at/ant]: innoxi[us/i] verò & inſc[ius/ii] ſobriè ad ſalubritatem ſui cum omni facilitate hanc partem Panis vel Caſei in nomine tuo ſignatam manducando degluti[at/ant] ut cognoſcant omnes, quia Tu es Judex juſtus qui ſalvos facis ſperantes in te, & non eſt alius præter Te, qui vivis & regnas, &c.

Tertia Oratio.

DEus cujus Scientia ſenariam circumſcriptionem Angelicis & humanis elongatam ſenſibus ſola interius penetrat & exterius concludit; quem nulla cœleſtium vel terreſtrium aut infernorum vota fallere poſſunt, quanto magis cor hominis unius capabile, reſpice ad preces noſtræ humilitatis, quibus ſamulatum ſacri indidiſti ordinis, & præſta, non noſtris exigentibus meritis, ſed tuorum omnium ſuffragantibus ſanctorum precibus; ſed quod in hac culpa humanos latet oculos, & ſermonum humanæ procacitatis obtegitur defenſionibus, tua cœleſti & ſupernâ moderatione, ſine ullo reveletur obtricamine; & ſicut ſolus verus es, veritatis in hoc ſententiam elucidare digneris; quatenus innoc[ens/entes] ſine ulla difficultate hoc *pabulum probationis* degluti[at/ant] obnox[ius/ii] autem obtrepidante mentis ſtatu, & totius compagine corporis vacillante, quod in tuo Sancto nomine conſecratur ✠ & benedicitur ✠ nullatenus devorandi valetudinem percipi[at/ant] ſed coram omnibus invaletudine confuſ[us/i] quod præſumptione immerita ſuſcep[it/erunt] cum irriſione projici[at/ant] per Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum.*

F I N I S.




Index Alphabeticus rerum præcipuarum quæ tum in Fasciculo *tum in* Appendice *continentur : in quo, litera* A *post paginæ numerum addita,* Appendicem *denotat ; numerus verò solus* Fasciculum.

Gravibus viris D. Inquisitoribus hæreticæ pravitatis *ubilibet constitutis.*

RES fortasse nova est & non admodum urbana, libri *caudam* (ut ita dicam) vobis inscribere conspiciendam : Sed cum vobis tantum sit negotii cum Indicibus (vel *expurgatoriis* vel *expurgandis*) nonnihil beneficii *Officio* vestro impendi ratus sum, si ea vobis in *compendium alphabeticum* redacta præsentarem, quæ aliter non nisi *diuturnâ* & *tædiosâ lectione* libri sciri possunt, an ad munus vestrum spectent, necne, vel *delenda*, vel *corrigenda* pro *more vestro :* Nec ego quidem *mundo* assentior vos *ad dites devoventi* quasi totidem bestias sub humanâ specie, & librorum bonorum lictores & carnifices, & hominum bonorum lanios & sicarios spirituales, & nescio quid horrendum contra vos clamitanti : *Officio* enim vestro *sacro* valdè obstrictus sum ; nec decimam partem authorum præstantium, quorum doctrinam & probitatem miror & amo, nossem, nisi id mihi indicasset *talium* & *talium* Scripta fuisse *prohibita* & *hæretica*, i. e. *Christianâ* veritate referta. Cum pace vestrâ autem liceat mihi vos omnes hoc monere, ut memineritis optimè, quæcunque in hoc *Indice* ungues vestros censorios sentient, ea fuisse omnia vel ab Imperatoribus & Regibus Serenissimis, vel a Principibus celsissimis, vel ab ipsis Pontificibus *Romanis*, vel denique à viris præstantibus & eruditissimis, iisque omnibus Ecclesiæ *Romanæ* communione utplurimum adhærentibus, scripta & edita : Cavete proinde ne qua petulantiâ in viros vobis longè majores arietetis ; quòd si hujus *impressionis* exemplaria tractaveritis, ut soletis, agite *more vestro*, ut novam alii curent editionem. Perdat & pessundet Deus vestrum tribunal ; vestros autem omnium oculos aperiat, animarumq; misereatur.

Idem qui pridem.

A

—— ejus

B.

C.

Hiero-

Johannes

L.

M.

N.

O.

P

Papae

Potestas

S.

Sacerdotum

T.

Omnipotenti DEO, Patri, Filio, Spirituique Sancto, eique soli, Laus omnis & Gloria.

FINIS.

